39115

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
S
39 M
3
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. IOAN. EVSEBII NIEREMBERGII, SOC. IESV,

DOCTOR EVANGELICVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. IOAN. EVSEBII NIEREMBERGII, SOC. IESV,

DOCTOR EVANGELICVS.

Ex variis ſelectiſque concinnatus Opuſculis;

AD PIETATEM CHRISTIANAM inſtituendam eximiè accommodatis.

QVORVM INDICEM PAGINA XX. EXHIBEBIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

S. GIUSEPPE ALLA LUNGARA

8
39
M
3



LVGDVNI,
Sumptibus FRANCISCI COMBA.

M. DC. LIX.

CVM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVINÆ TRIADI

SCIENTIARVM FONTI,
DOCTOREM EVANGELII.

PRIMÆ LEGI
LEGEM GRATIÆ,
AMANTI REDAMATOQVE NVMINI
CHRISTIANAM CHARITATEM,
ET INIMICORVM AMOREM,

INDEFICIENTI LVCI
LVMEN MYSTICVM,
VOLVNTATI IMMVTABILI
VOLVNTATIS ARTEM,

DIVINÆ SAPIENTIÆ
THEOPOLITICVM,

ÆTERNO DEO
ADORATIONEM IN SPIRITV,

DICAT, OFFERT, CONSECRAT,


Humillimus cliens

IOANNES EVSEBIVS NIEREMBERGIVS.

ã 3

Digitized by Google

Digitized by Google



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

DOM. D. CAMILLO

DE NEVFVILLE,

ARCHIEPISCOPO ET COMITI LVGDVNENSI, GALLIARVM PRIMATI,

Et Lugdunenſium , Foriſienſium , & Bellijocenſium Proregi.

DEBENTVR ſacris Flaminibus Religionis noſtræ myſteria , Euangelij lumina Eccleſiæ ſideribus , orbiſque Chriſtiani Rectoribus ingenij pij fœtus. En igitur, Archi-Præſul & Prorex Illuſtriſſime, Amplitudini tuæ eruditos pioſque Euſebij Commentarios , Viri morum integritate, ſcriptorumque famâ celeberrimi Opera conſecro. Non aſpernaberis, vt opinor, munus tuo

Digitized by Google

tuo muneri dignitatique, quam geris, conſonum: tuum cùm ſit Diuinas & Regias leges tueſcere, *Gratiæ legem* tuo nuncupari nomini pateris. Chriſtianam charitatem non tantùm exerces Paſtoris officiis, ſed etiam foues. Pacem facis publicam & priuatam. Lugduno ſuam tranquillitatem inuidet reliqua Gallia; inſanis votis expetit pacem, quâ fruimur, & cùm ſerenas Vrbem præſentiæ tuæ radiis, *Myſtici Luminis* iubar explicas vniuerſis. Moderaris affectus publicos, priuatis imperas; & dum voluntatem tuam Regiæ accommodas, noſtras etiam tuas facis. Quid mirum igitur, ſi *Voluntatis Artem*, quam calles optimè, tuis mancipem obſequiis, meæ vadem? Cui *Theopoliticum* inſcriberem, quàm ei, qui Diuina iura Regiis, Regia iungit Diuinis? Ad aras facturus eâ pompâ, quâ ſoles Religionis tractare myſteria, *Adoras Deum in Spiritu*, & illum cultum rerum omnium Authori exhibes, quem iſtæ paginæ docent. Tuum igitur multis titulis eſſe debuit iſtud opus: Virtutum tuarum Exemplar eſt, dignitatis tuæ Symbolum, & vtriuſque quod imples muneris Argumentum. Patere tantùm, vt ſit clientelaris etiam obſequij mei pignus, quippe qui ſim

AMPLITVDINI TVÆ,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus.
FRANCISCVS COMBA.

Digitized by Google

R. P. IOAN. EVSEBII NIEREMBERGII,

è Societate IESV,

DOCTOR EVANGELICVS.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Procemium. pag. 1

Cap. I.

Perfecta virtus per montem ſignificatur, in cuius verticem aſcendendum eſt. 3

ij. Felicitatem huius vitæ ac eius beatitudinem ſola virtus præſtat. 5

iij. Mundanæ proſperitatis voluptatiſque gaudia falſæ beatitudinis ſpecie veram miſeriam abſcondunt. 5

iv. Continua mundanorum proſperitas tanquam ſignum damnationis eſt timenda ſicut aduerſitas, luctus & inopia Iuſtorum ſignum eſt prædeſtinationis. 7

v. Octo Beatitudinem ſeriem Scala Iacob obumbrat, per quam oportet ad Euangelicam perfectionem ſcandere. 8.2

vj. Beatitudinum proceſſus eſt via trium dierum ab Ægypto ſæculi in deſertum perfectionis. 10.2

vij. Per labores & tribulationes ad æternæ beatitudinis requiem aſcendendum eſt. 11.2

viij. Vniuerſus virtutum Chorus ad cœleſtis patriæ viam conuocandus. 12.2

ix. Quæ de Beatitudinibus docuit Iſaacius Monachus. 13.2

x. Rurſus de beatitudinibus ſummariè & quomodo in Chriſto fuerint ex Chriſtiano Grammatico expoſ. in Matth. c. 10. 6.2

LIBRI SECVNDI.

Cap. j.

Paupertas potiſſimè requiritur ad virtutum perfectionem. 17.2

ij. Quàm meritò dicantur pauperes ſpiritu beati, & ſint etiam in hac vitâ. 19.2

iij. Quàm vera Beatitudo ſit pauperum ſpiritu, & quàm fallax mundi felicitas. 20.1

iv. Sub horrida paupertatis ſpecie latet Beatitudo: ſub iucunda proſperitatis laruâ exitium tegitur. 21

v. Mundi bona ſterilia ſunt, paupertas tamen beatitudinem parit. 23.1

vj. Æterna Beatitudo per paupertatem feliciſſimè obtinetur. 24.2

vij. Per paupertatem deſinunt homines terrenos eſſe & cœleſtes fiunt. 25.1

viij. Pauperes in terra peregrini ſunt patriam in cœlo habentes. 26.1

ix. Pauperum ſpiritu exilium eſt in terra. 28.1

x. Communis eſt totus mundus pauperibus, vt ybique patriam habeant, cùm nullibi habeant niſi in cœlo. 29.1

xj. Quanta magnanimitas pauperum ſpiritu. 29.2

xij. Pauperes ſpiritu Reges ſunt. 30.2

xiij. Ad Angelorum ordinem videntur pertinere pauperes ſpiritu. 32.2

Digitized by Google

xiv. Quam plenè pauperes ſpiritu regnum cœlorum poſſideant. 33
xv. Difficilem ingreſſum Regni cœlorum parant diuitiæ, paupertas facilem. 34.2
xvj. Æternæ patriæ diuitiis impeditur ſed paupertate expeditur. 35.1
xvij. Multa pericula ſubeunt diuites quominùs Regni cœleſtis & patriæ portum appetant. 36.1
Domum perditionis ædificant diuitiæ, & paupertas voluntaria turrim ſalutis. 36.2
Magnum æternæ damnationis periculum imminet diuitibus. 37
xx. Amor diuitiarum quàm noxius animæ ſit. 38.1
xxj. Omnes oportet eam habere paupertatem ſpiritus, vt nihil ſuum proprium putent. 39.1

LIBRI TERTII.

Cap. j.

FOrtes & glorioſos Reges mites & manſueti ſe oſtendunt. 40.1
ij. Vitæ lætitiam ac longæuitatem mites conſequuti, poſſident terram. 42.1
iij. Mites peculiari iure terram viuentium poſſidebunt. 42.2
iv. Quo pacto mites ſingulariter poſſident terram viuentium id. Chriſtum, maximè in Euchariſtia. 43.2
v. Manſuetudo miram vim habet ad alliciendas & trahendas hominum voluntates. 45.1
vj. Mundi lætitia Beatitudinem mentitur quæ potiùs in luctu eſt. 47.1
vij. Lugentes peccata propria conſolationem conſequentur. 49.1
viij. Qui aliena peccata lugent mire conſolabuntur. 60.1
ix. Lugentes quia peregrinantur Dominus conſolabitur. 51.1
x. Iuſti lugentes ex ſolo Deo conſolationem admittunt. 51.2
xj. Iuſti lugenres in nulla prorſus creatura ſolent conſolationem quærere. 52.2
xij. Quam magnæ ſapientiæ ſit in ſolo Deo conſolationem quærere.
xiij. Deus iuſtos lugentes ſpe æternæ beatitudinis mirificè conſolatur. 55.1

LIBRI IV.

Cap. I.

FAmem humani cordis bona dumtaxat virtutis poſſunt ſatiare. 57.1
ij. Diligentiſſimè in virtutis incrementum incumbendum eſt. 58.1
iij. Maxima laus & gloria auide ſtudium proficiendi arripere & famæ augendæ virtutis laborare. 59.1
iv. Fames & ſitis quibus in iuſtitia ſeu virtute proficimus, gratiſſima Deo. 61.1
v. Quantumuis profecerimus ſemper debemus habere maioris profectus famem. 62.1
vj. Vera iuſtitiæ fames ac ſitis quidquid in virtute amatum & facilè deuorat. 63.2
vij. Omnem mundi cibum faſtidit iuſtitiæ fames. 65.1
viij. Efficacia ſunt ea deſideria quæ iuſtitiæ famem comitantur. 65.2
ix. Fames iuſtitiæ mater eſt diuitiarum ſpiritualium. 66.2
x. Iuſtitiæ fames iugiter ſolet creſcere in iuſtis. 68.1
xj. Quomodo ſitis bonorum temporalium inſaitabilis ſit. 69.2
xij. Auari inexplebili fame diuitiarum ſemper laborant. 70.2
xiij. Miſericordes quo iure miſericordiam conſequentur. 71.1
xiv. In iudicio Dei inuenient miſericordiam, qui miſericordes ſunt. 72.2
xv. Miſericordia erga miſeros, cœleſtis & perfectiſſima virtus eſt. 73.2
xvj. Miſericordes ipſam ſuam miſericordiam theſaurizantes in cœlo conſequuntur. 74.1
xvij. Exhortatio ad miſericordiam ex S. Valer. hom. 7. 75.1

LIBRI QVINTI.

Cap. j.

IDoneum mundis corde præmium eſt Deum videre. 77.1
ij. Mundando & purificando cordi operam diligenter nauare debemus. 77.2
iij. Interna animi pax quædam Beatitudo eſt. 78.2
iv. Pacifici iure optimo filij Dei vocantur. 80.1

v. Chri

Digitized by Google

v. Chriſtianus pacem cum proximo diligenter ſeruare debet. 81.1
vj. Pax cum proximo cuius præmium eſt Dei filiatio, perfectiſſima eſſe debet. 82.1
vij. Qui filij Dei eſſe volunt pacem in aliis enixè debent procurare. 83.2
viij. Chriſtianus cum Deo diligentiſſimè pacem ſeruare debet. 84.2
ix. In perſecutione patientes impaſſibilitatis dote quodammodo donantur. 85.2
x. Quadam velut claritatis dote decorantur patientes propter iuſtitiam. 86.1
xj. Haud deeſt perſecutionem patientibus agilitas, cuius velut dote commendantur. 87.1
xij. Perſecutionem patientes etiam ſubtilitatis bono quodammodo donantur. 88.1
xiij. Is qui patitur propter iuſtitiam, beatitudinem etiam eſſentialem quodammodo participat. 89.2
xiv. Perſecutionem patientes propter iuſtitiam perfecto etiam gaudio beati ſunt. 91.1
xv. Ad patiendum propter iuſtitiam cunctæ Superiores Beatitudines requiruntur. 92
xvj. Perfecta patientia etiam cum gaudio toleratur aduerſa. 94
xvij. Temporalis proſperitas peccatoribus ſupplicium eſt. 95
xviij. Patientia perſecutionum propter iuſtitiam ſupremus gradus ſcalæ cœleſtis. 96
xix. Examinandum an Beatitudines Chriſti habeamus ex Simeone Iuniore. 100.1

DE CHARITATE Chriſtiana.

LIBER VNICVS.

Capvt j.

Charita somnium virtutum perfectio & plenitudo eſt. 103
ij. Perfectio hominis charitas eſt. 104
iij. Omnium virtutum perfectiones charitas continet. 105
iv. Virtutes omnes charitas conſtringit corde ne pereant. 106
v. Omnes virtutes neceſſariæ ſunt vt ſeruent charitatem. 107
vj. Charitas eſt Regina virtutum. ibid.
vij. Quo pacto ſit charitas vexillum Chriſtianæ Reipublicæ. 108
viij. Charitas pretioſiſſima reddit noſtra bona opera. 109
ix. Ex Charitate Dei charitas promanat proximi. 110
x. Pulchritudo populi Chriſtiani ex concordia charitatis. 111
xj. Concordiam charitatis ſeruare proprium electorum. 112
xij. Minima contra charitatem proximi peccata vitanda ſunt. 113
xiij. Perfectiſſima patientia neceſſaria eſt charitati. 114
xiv. Egregia ſententia Abbatis Aelredi de charitate quam Sabbatho comparat, & alias ſex virtutes, ſex diebus creationis. 115

DE AMORE INIMICORVM.

LIBER PRIMVS.

Cap. j.

Amor charitatis omnes homines amicos & inimicos complecti debet. 120.1
ij. Similis eſt ſoli qui omnes amore complectitur. 121.1
iij. Grauiſſimum peccatum eſt odium inimicorum. 122.1
iv. Inimicorum odium Deus prouide curauit ab humano exterminare genere. 123.2
v. Amor inimicorum auctoritate Chriſti mandantis commendatur. ibid.
vj. Exemplo Dei inimicorum iniurias remittere docemur. 124.1
vij. Quam neceſſarium ſit inimicis ignoſcere vt Deus nobis ignoſcat. 126.1
v. Chriſtianum maximè decet inimicis ignoſcere. 127.1
ix. Odium amicitiæ pallio amictum pernicioſiſſimum. 127.2
x. Qui callide & velut oblique agunt cum inimicis, obliqua ira puniuntur à Deo. 128.1
xj. Odium inimici venenum ac mors orationis. 128.2
xij. Oratio pro inimicis perfectiſſimum opus eſt charitatis. 129.2
xiij. Malefacere inimicis abiecti animi eſt, benefacere glorioſum. 130.2

LIBRI II.

Cap. j.

Qui ex charitate benefaciunt inimicis, iure optimo filij Dei dicuntur. 131.2

i j. In amore inimicorum magna animi fortitudo atque potentia; oſtenditur. 134.1
i i j. Diſcordiæ amatores, non filij, ſed hoſtes ſunt Dei. 135.2
i v. Incomparabilis dignitas eorum qui inimicos ſuos diligunt. 137.1
V. Amare inimicum & vindictam contemnere virtus eſt nobiliſſima & Regia. 138.2
V j. Paternam Dei miſericordiam imitantur qui errata proximorum humanæ fragilitati adſcribentes, ea ignoſcunt. 139.1
v i j. Deus vltor eorum qui proprias non vlciſcuntur iniurias. 141.1
v i i j. Inimicorum amor proprius eſt electorum. 141.1
i x Amans inimicos glorioſam refert victoriam. 142.1
x. Is qui inimicum diligit, præclarum quaſi edit miraculum. 144.2
x j. Amor inimicorum gratiſſimum Deo ſacrificium. 145.1
x i j. Amor inimicorum externis ſignis debet oſtendi. 146.1
x i i j. Iniuriarum remiſſio documento etiam gentilium commendatur. 147.2

DE LVMINE MYSTICO.

Proœmium. 149

Cap. j.

QVomodo lux fieri debet iuſtus cognitione diuinarum rerum. 150.1
i j. Iniuſtus poteſt cenſeri qui lucernam fidei ſub modio intellectus ſine opere detinet. 151.2
ii j. Super candelabrum dignitatis ſola lucerna meriti accenſa poni debet. 152.1
i v. Lux virtutis & ſanctitatis maximè neceſſaria eſt in Paſtoribus & Doctoribus. 153.1
v. Doctores & Paſtores pleniori luce à Deo illuſtrantur, vt alios illuminent. 154.1
v j. Doctores ac Paſtores non paucis,ſed omnibus lucere debent. 155.1
v i j. Iuſti maximè Doctores & Paſtores ſunt ornamentum Reipub. & Eccleſiæ ac totius mundi. 156.1
v i i j. Doctor perfectus lucem Doctrinæ & ardorem zeli debet habere. 156.2
i x. Lux ſapientiæ atque doctrinæ ad bona opera obligat. 157.1
x. De eadem materia circa lucem ſapientiæ. 158.1
x j. Doctores & Paſtores non ſolum verbo, ſed etiam operum exemplo lucere debeat. 159.1
x i j. Idem argumentum iteratur. 160.1
x i i j. Bonorum operum lux in Dei gloriam deſtinanda eſt. 161.1
x i v. De eadem materia. 162.2
x v. Virtutis opera Deum glorificant. 163.1
x v j. Doctor humilitate fundatus non ſuam ſed Dei gloriam quærere debet. 164.1
x v i j. Opera & mores Præſulum latere non poſſunt. 165.1
x v i i j. Loci celſitudo non elationem & ſecuritatem, ſed timorem & vigilantiam parare debet. 165.2
x i x. Perfecta Antiſtis virtus, omnem hominem mirificè connectit & ordinat. 166.2
x x. Iuſtus maximè Doctor & Paſtor omnes virtutes comparare debet. 167.1

DE SALE MYSTICO.

Liber Vnvs.

Cap. j.

SAl ſapientiæ ac prudentiæ maximè neceſſarius eſt in Prælato & Principe. 169.1
i j. Sal Eccleſiæ fideles ad virtutem condit. 170.2
i i j. Paſtores ſeu Prælati ſeueritatem correctionis, ſuauitate conſolationis temperare debent. 172.1
i v. Idem aliis auctoritatibus oſtenditur. 173.1
V. De eodem argumento. 174.1
v j. Increpatio culpæ,laude virtutis condiri debet. 175.1
v i j. In Prælatis neceſſaria eſt non exigua ſeueritas. 176.1
v i i j. Salis Apoſtolici functio natura ac feſtina eſſe debet. 177.1
i x. Sal Chriſtianæ correctionis in obſtinatos magna mordacitate debet vrgere. 178.1
x. Parentes in correctione filiorum ſalis mordacitatem adhibere debent 179.1
x j. Idem argumentum iteratur. 170.2

xji. Præ

Digitized by Google

xij. Prælati & Doctores, doctrina & exemplo ſubditos condire, & conſeruare debent. 180.2
xiij. Qui Sal terræ ſunt, Dei timore ſolidari, & confirmari debent. 181.1
xiv. Quo pacto Doctores & Prædicatores ſolidum Sal erunt. 182.1
xv. Per negligentiam in bene operando Sal Apoſtolicus euaneſcit. 183.2
xvj. Per peccatum quod viliſſima res fit ſic euanet & infatuatur ſal Eccleſiæ, vt nihilum valeat. 184.2
xvij. Doctori ſiue Prædicatori etiam improbo auſcultandum eſt.
xviij. Deus etiam per iniquos loquitur. 187.

DE VIRTVTE EXEMPLI & Exemplo virtutis.

Liber Vnicvs.

Cap. j.

PRælatorum exemplum vim maximam habet tam ad ſalutem quam ad perniciem ſubditorum. 190.1
ij. Quam efficacior ſit doctrina operum quam verborum. 190.1
iij. Exempla maiorem vim habent quam præcepta. 192.1
iv. Quomodo bonorum operum exemplum firmamentum ſit quo doctrina nititur & ſuſtentatur. 192.2
v. Doctores & Paſtores per bona opera præcipuè debent trahere homines ad Deum. 193.2.
vj. Doctor eas virtutes quas aliis prædicat, in ſe opere impreſſas debet oſtendere. 194.1
vij. Doctor circunſpicere debet ſe, vt adæquet opera ſermoni. 195.1
viij. Perfectus Doctor quomodo ſplendere debet ſicut fulgur, Sol, & Angelus per bona opera. 196.1
ix. Sententia Simeonis Theologi de Prælatorum exemplo ex eius orat. 24. 197. 1
x. De Doctoribus Eccleſiæ qui præluxerunt exemplo ex Luca Tudenſi. 200. 1

DE ARTE VOLVNTATIS.

Libri Primi.

Prolepſis I. Nec fortuna, nec maiori cura naturæ indigemus. 202.1
Prolepſis II. Gaudium alienum eſt rebus 207. 1
Prolepſis III. Quiſque ſufficit lætitiæ. 209.2
Prolepſis IV. Gaudium factitium eſt. 213.1
Prolepſis V. In quo ſit gaudium. 216 1.
Canon I. Adæquare voluntatem facultati. 218.2
Canon II. nec ſperare, nec timere. 221. 2
Canon III. Amor immutabilium, & mutabilitatis. 222.2
Epitaſis. In alienis caſibus diſſimulanda eſt conſtantia. 224.2

LIBRI II.

Appendix I. Tolerantia & temperantia rerum. 227.1
Appendix II. Præcautio pœnitendorum. 237.1
Appendix III. Actiones honeſtæ alunt lætitiam. 239.1
Aſceſis I. Eruderanda perturbationibus voluntas. 242.1
Aſceſis II. Paſſio paſſione non eluenda. pag. 243. 2
Aſceſis III. Conatus & impetus ad bonum. 244.2
Aſceſis IV. Diligentia de bono. 245.2
Aſceſis V. Bonum debet eſſe continuum. 246.2

LIBRI III.

Lemma I. Iuuanda eſt voluntas ingenio. 249. 1
Lemma II. Opinio multiplicat mala per ipſa bona. 251.1
Lemma III. Iniqua æſtimatio rerum ab exiſtimatione eſt. 251.2
Lemma IV. Mala ab opinione potius veniunt quàm à rebus. 254.1
Pædeuſis I. Remedium opinionis eſt cognoſci. 254.2

Digitized by Google

Pædeuſis II. Salutaris vſus opinionis & intellectus. 256.1

PRÆCEPTA TOPICA.

In vſu Opinionis.

Locus I. Ex comparatione Fortunas. 258.1
Locus II. Ex contingentia. ibid. 2
Locus III. Ex reſpectu finis. 259.1
Locus IV. Ex comparatione temporum. ibid. 2
Locus V. Ab Exemplo. ibid.
Locus VI. Ex Prouidentiæ ratione. 260. 1
Pædeuſis III. Diſtractio ipſius opinionis. ibid.
Pædeuſis IV. Veritatis obſeruantia. ibid. 2

INDEX CAPITVM PRIMÆ PARTIS *RATIONALIS* OPERVM DIVINORVM.

LIBRI PRIMI.

Proœmium. 342

CAPVT j.

AN liceat ſcrutari diuina. 344
ij. An expediat etiam malis, Deum eſſe. 345
iij. Cur non potuerit mundus aliter eſſe quam à Deo. 347
iv. An rationi naturæ congruum ſit, Deum trinum eſſe. 348
v. Cur Deus condiderit mundum. 351.
vj. An Deus prouideat. ibid.
vij. An de noſtra prouidentia fidendum. 352
viij. Cur neceſſitates non obſtent diuinæ prouidentiæ. 353
ix. Quis ſtatus Adami antequam peccaret; an præſens conditio præſtet. 355.
x. Cur mala ſint, ſi Deus optimus. 357.
xj. Cur ægritudines immittat Deus poſt reſtitutam animæ ſalutem, & copioſam Chriſti Domini redemptionem. 358
xij. Cur mortis legem Deus ſanxerit, & ſeruet poſt ſatisfactionem Iesv Chriſti. 359
xiij. Cur pœnæ inferorum ſint æternæ, & an etiam pertineat ad miſericordiam æternitas ſupplicij. 360
xiv. An ſit æquitas in Deo, punire æternè peccata. 362
xv. Cur tot homines damnentur. 363
xvj. An damnatio ſceleſtorum ſpectet etiam ad beneficentiam Dei. 363
xvij. Cur Deus permittat peccata. 365
xviij. Cur Deus, ſi quidem erat conueniens permiſſio aliqua peccandi, tot ſcelera permittat. 367
xix. Cur Deus permittat malos. 367
xx. Cur mali ſint plures, quàm boni. 368
xxj. Cur aliqui, qui diu ſanctiſſimè vixerunt, tandem damnati ſint. 369
xxij. Cur Deus vni potiùs, quàm alteri, ſuam gratiam largiatur. 370
xxiij. Cur Angeli lapſi, redempti non fuerint. 371
xxiv. Cur Deus crearit illos Angelos & homines, quos cognoſcebat damnandos. 372
xxv. Cur illos permittat Deus damnari, quorum laboribus multi ſalui facti ſunt. 373
xxvj. Cur non omnibus eroget Deus auxilium efficax. ibid.
xxvij. Cur Deus permittat tentari quem ſcit caſurum. 374
xxviij. Cur animam puram infundat Deus corpori, cùm inde maculetur, & contrahat peccatum originis, ſine actu propriæ voluntatis. 375
xxix. Cur iuſtos in Purgatorio detineat Deus. ibid.

LIBRI SECVNDI.

Cap. j. Cur bonis mala accidant. 376
ij. Cur iuſtos afflictos non exaudiat Deus. 378
iij. Cur malos ſæpè exaudiat Deus. ibid.
iv. Cur plurimos malos non puniat Deus. 379

v. Cur

v. Cur Deus vindicet aliquorum crimina in aliis. 380
vj. An proſperitas huius vitæ ſit apud Deum pro crimine. 381
vij. An Deus iuſtè neget aliquibus bona æterna & ſpiritualia, ob ſolam opulentiam. 381
viij. Cur malis bona accidant. 382
ix. Quomodo Deus iraſcatur iniuſtis, concedendo bona huius vitæ. 382
x. Cur Deus permittat confuſos eſſe malos cum bonis. 383
xj. Cur Deus permittat bonos à malis opprimi. 383
xij. An mali poſſint nocere iuſtis. 385
xiij. An mali aliud poſſint in iuſtos, quàm prodeſſe. 386
xiv. Cur Deus tot animæ pericula permittat. ibid.
xv. Cur poſt priuatum iudicium vniuerſale decretum ſit. 388
xvj. An iudicium finale ſpectet etiam ad miſericordiam Dei. 388
xvij. An ſit Diuina iuſtitia dignum, aliqua delicta punire in hac vitâ, alia non. 389
xviij. Cur quoſdam iuſtos fortunet Deus, alios potiùs affligat. ibid.
xix. An aliquando nullam mercedem virtutum aut ſcelerum reddat Deus in hac vita. 390
xx. Quale ſit ingenium malitiæ à Deo prouidè permiſſum. 391
xxj. Vbi Deus ſeueriùs puniat peccata, in hac vita, an in altera. 393
xxij. An Deus ſit malis beneficus, & damnatis etiam bonus. ibid.
xxiij. Cur bona & mala accidant nec bonis malis. ibid.
xxiv. Cur Deus non creatit omnes in gloria. 394
xxv. An decorum fuerit, Deum fieri hominem. 395
xxvj. An decorum ſit Deo, in cibum præberi. 397
xxvij. An decorum fuerit, Deum paſſum & mortuum eſſe. 398
xxviij. Quid decentius Deo, curare per ſe omnia, an per Angelos. 401
xxix. Quibus præcipuè ritibus gubernatio Dei geratur. 402
xxx. Quomodo imitandus ſit Deus in prouidentia ſua. 405
xxxj. Quomodo amandus ſit Deus propter prouidentiam ſuam. 405

INDEX CAPITVM SECVNDÆ PARTIS

De Prouidentiâ ſalutis publicæ, ſiue cardinibus gerendæ Reipublicæ.

LIBRI PRIMI

Proœmium. 407

CAP. j.

AVctoritas Regia diuinitati vicina. 408
ij. Onerosa Regibus ſua maieſtas eſt. 409
iij. Salus publica prima Regis cura. 410
iv. Deus maximè iuuat politicam. 411
v. Non quilibet cultus diuinorum, ſed verus, neceſſarius eſt politicis rebus. 413
vj. Eliſabethæ Catholicæ Reginæ epiſtola. 414
vij. Fideliſſima eſt fortuna pietati Regiæ. 416
viij. Secura & tota ratio Status, pietas Principum eſt. 417
ix. Minor animi Regij ſinceritas noxia eſt rebus publicis. 418
x. Quæ conſtituant Principem religioſum. 420
xj. Princeps deiformis virtute, deformis vitio. 421
xij. Bonos ſubditorum mores Princeps præparet optimè moderaturus. 422
xiij. Principes decet heroica virtus. 423
xiv. Inſtituuntur pij Reges è cælo. ibid.
xv. Epiſtola S. Brigittæ ad Regem Cypri. 425
xvj. Ratio ſui muneris exigenda Regibus. 426

LIBRI SECVNDI.

Proœmium. 427

CAP. I.

PRæſtet Rex ſapientia. 427
ij. Dauidis & Berſabeæ curâ, vt Salomon inſtitueretur benè. 428
iij. Antiquorum Regum certamen pro ſapientia. 430

iv. Regius aſſeſſor eſt prudentia, non mundana. 430
v. Conſilium præſtantiſſima pars prudentiæ Regiæ. 431
vj. Quo pacto Principes velut immenſi fient. 432
vij. Veritas exulat aula. 433
viij. Magna prudentiæ pars ſilentium. 434 534
ix. Adhibenda eſt diligentia conſiliis. 434
X. Non minùs quàm ſe amet Rex ſuos. 435
xj. Non eſt integrè Rex qui animis non dominetur. 436
xij. Diuina inuentio legum. 437
xiij. Legum qualitates. 448
xiv. Legibus neceſſarij magiſtratus. 439
xv. Magiſtratuum delectus. 440
xvj. Neceſſaria rebus publicis inſtitutio. 441

LIBRI TERTII.

Proœmium. 442

CAP. j.

ÆQuitas neceſſaria. 443
ij. Iuſtitiæ cultus. ibid.
iij. Ne ſit venale ius. 444
iv. Conſolatio miſeri iuſtitia Regis. 445
v. Proponitur exemplum iuſtitiæ Petrus Luſitaniæ Rex. ibid.
vj. Modeſtia regnandi. 447
vij. Pacis ſtudium. 448
viij. Regis gloria eſt opulentia Regni. ibid.
ix. Vtilitas Regni antehabenda. 449
x. Onus tributorum. ibid.
xj. Nouum concilium inſtituendum pro pauperibus. 450
xij. Magna tributa ſine vſu ſunt. 451
xiij. Iuuanda paupertas. ibid.
xiv. Prudentia largitionum. 452
xv. Pauperum cura. 453
xvj. Indulgentiæ commendatio. 454
xvij. Lenitas linguæ. 456
xviij. Iracundiæ frenum. 456
xix. Noxiæ deliciæ. ibid.
xx. Cupiditas coërcenda. 457
xxj. Facilè diues, Princeps beneuolus. 458
xxij. Exemplum Regium. ibid.

DE ADORATIONE
In Spiritu & Veritate.

Partitio huius Operis.

LIB. j.

COntinentur quæ ſpectant ad expiationem animæ. 460
ij. Quæ ad illuſtrationem, & Chriſti Domini imitationem. p.482
iij. Quæ ad praxim perfectiſſimè operandi. 513
iv. Quæ ad ardentiſſimum Dei amorem excitandum, & eleuationem animi ad diuinam vnionem. 532

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAP. j.

MEndacium ſæcularis vitæ. 146
ij. De veritate ſpiritus. 461.2
iij. De puritate ſpiritus. 462.1
iv. Quomodo veritas per fidem conſtet. Et de fructu & vſu huius virtutis. 463.2
v. De ſpe veniæ & zelo pœnitentiæ. 464
vj. Forma peccatoris proponitur. 465
vij. Altera pars parabolæ. Et quomodo creaturis vtendum ſit. 467
viij. Affectus veri pœnitentis. 468
ix. De ardenti deſiderio ſeruientium Deo. 470
x. De contemptu & receſſu mundi. 471
xj. De modo acquirendæ pacis. ibid.
xij. De excellentia eius qui eſt in gratia. 473
xiij. Quomodo pœnitentiæ & afflictiones corporis iuuent. 476
xiv. Quòd nimius amor carnis impediat ſpiritum. 477
xv. De iactura temporalium. ibid.
xvj. De vtilitate tentationum. 478
xvij. Quòd oporteat timere Deum, & ſperare in illo. 479
xviij. Quòd non poſſimus non pati aliquid. Et de bono patientiæ. 480

LIBRI

LIBRI SECVNDI.

Cap. j.

DE diligenti cura orandi. 482
ij. Quòd non oporteat intermitti ſtudium orationis. 483
iij. Quàm efficax ſit Chriſti gratia & fauor. 484
iv. Quantum oporteat deuotè affici erga beatiſſimam Mariam virginem. 487
v. Quòd imitari Chriſtum debemus, & de ſanctiſſimi cordis ſui dolore & paſſione. 490
vj. Quantum oporteat ſequi Chriſtum. 492
vij. Quòd patienter ferendæ ſint neceſſitates & ærumnæ à Deo immiſſæ. 494
viij. Qualiter puritas corporis iuuet ſpiritum. 495
ix. Studium mortificationis continuum. 496
x. De ſufficientia & bono paupertatis. 497
xj. Patientiam in cunctis neceſſariam eſſe. 499
xij. Quantum bonum ſit ſubditum eſſe alteri. 450
xiij. Defectus leues & quotidiani quantum damnum efficiant. 501
xiv. De ſolertia circa res exiguas. 503
xv. Laudem propriam vitandam eſſe. 505
xvj. De vtilitate hominis. ibid.
xvij. Quæ contineant hominem in humilitate, & quòd nihil poteſt habere, niſi ſolum Deum. 507
xviij. Quantum debeamus gratiæ Dei & Chriſti. 508
xix. Quòd ſe debeat homo non tantùm ſentire nihil eſſe, ſed maximum peccatorem. 509
xx. Quid ſit, nihilum ſe dicere & maximum peccatorem. 510
xxj. Gloria Dei quærenda eſt ſemper. 511.

LIBRI TERTII.

Cap. j.

DE cura benè operandi. 513
ij. Quòd excutienda ſit omnis negligentia. 514
iij. Quàm incommodi ſit ſomnolentia. 515
iv. Feruidè ad orationem matutinam ſurgendum. 517
v. Feruor quotidianus debet retineri. 518
vj. De cuſtodiâ feruoris. 519
vij. Quàm oporteat conſtanter ſe habere in operibus bonis. 520
viij. De ſolicitudine augendi gratiam 521
ix. Quomodo laudandus ſit Deus. 523
x. Quanta dignitas ſit offerre ſacrificium Chriſti. 524
xj. Quòd deſiderandus ſit Deus, & cupidè in Euchariſtia ſuſcipiendus. 526
xij. Non vltra neceſſitatem indulgendum refectioni corporali. 528
xiij. Quòd vitæ ratio ſit ſumenda frequenti diſcuſſione ſui. 529
xiv. Quomodo erga alios debeamus affici. 531

LIBRI QVARTI.

Cap. j.

QVàm ingrati ſimus Deo. 532
ij. Quòd ſint ſine numero beneficia Dei. 533
iij. Dei amor patet infinitus in redemptione. 534
iv. Quàm meritò ſit amandus Deus, præcipuè propter ſe. 535
v. Quomodo bonitati Dei non poſſimus ſatisfacere. 537
vj. Quàm magnum beneficium gloriæ ſperemus. 538
vij. De mortis tolerantia. 539
viij. Se debet homo tradere Deo pro beneficiis ſuis. 541
ix. Quòd Deus dumtaxat ſit amandus. ibid.
x. Extirpandum eſſe amorem ſui. 542
xj. Qua ratione diligendi ſint proximi. 544
xij. Nihil deſiderandum eſſe niſi quod Deus vult. 545
xiij. Quòd non oporteat voluntati noſtræ attendere. 420
xiv. Quòd oporteat iugiter meminiſſe Dei. 546
xv. Quòd amanda ſit incomprehenſibilis bonitas Dei. 547
xvj. De ſupereſſentiali lumine ſanctiſſimæ Trinitatis. 548

IOAN

Digitized by Google

PRIVILEGIVM PROVINCIALIS SOC. IESV. *in Prouinciâ Toletanâ.*

IOANNES de Piña Societatis Ieſu in Prouincia Toletana Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi factâ à Reuerendo admodùm Patre noſtro Carolo Sangro Vicario Generali, facultatem facio, vt tractatus varij: nimirùm *Erotemata curioſæ lectionis.* Tùm *de Lege gratiæ*, tùm *de Charitate Chriſtiana: De Amore inimicorum, De Lumine myſtico, De Sale myſtico*, tum alij iam olim editi, Authore P. Ioanne Euſebio Nierembergio noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbati, typis mandentur, ſiue ſeorſim, ſiue collectim. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti in noſtro Imperiali Collegio, die 3. Auguſti anno Domini 1645.

IOANNES DE PIÑA.

PRIVILEGIVM PROVINCIALIS SOC. IESV. *in Prouincia Lugdunenſi.*

LAVRENTIVS Grannon Prouincialis Soc. Ieſu in Prouinciâ Lugdunenſi, iuxtà priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno, 20. Dec. 1606. Ludouico Iuſto 14. Feb. 1611. Ludouico XIV. 21. Dec. 1651. conceſſum: Quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione Imprimant. Pèrmitto Franciſco Comba, vt Librum qui inſcribitur, *Ioannes Euſebij Nierembergij Doctor & Doctrina Euangelij* imprimere ac liberè dicendere poſſit. Datum Lugduni 12. Maij 1659.

LAVRENTIVS GRANNON.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

OPVSCVLA iſtæc concinnaui, ſine cincinnis tamen, & cultu collegi ea, non compſi: illud labor improbus fecit; hoc languor diuturnus, iam coæuus. Non tam proprio ingenio functus quàm aliena furatus, (blandius dico, mendicans) minus accuraui ornatum verborum, quàm conſenſum curaui rerum. Senſa aceruaui; neque tunc feſtina tulit lucubratio, vt digna veſtirentur purpura. Sed Pallas etiam nuda olim colebatur. Ediſſertatas exhibeo octo Beatitudines, Charitatem Chriſtianam, & Amorem inimicorum, acumina ſcilicet Philoſophiæ Chriſtianæ, & Amorem inimicorum, acumina ſcilicet Philoſophiæ Chriſtianæ. Deinde Doctoris Euangelici dotes commendo ex ſanctis Patribus, Eccleſiaſticis Doctoribus, & eruditis Scriptoribus.

VARIA

Digitized by Google

VARIA OPVSCVLA IN HOC OPERE CONTENTA.

I. *DE Lege Gratiæ in monte promulgata cum octo Beatitudinum elogio. Libri quinque.*

II. *De Charitate Chriſtiana. Lib. Vnicus.*

III. *De Amore inimicorum, Lib. duo.*

IV. *De Lumine myſtico, ſiue de Luce Doctrinæ, & ſplendore virtutis neceſſario Præſulibus, & Doctoribus. Lib. vnicus.*

V. *De Sale myſtico. Lib. vnicus.*

VI. *De Virtute exempli, & de Exemplo virtutis. Lib. vnicus.*

VII. *De Arte Voluntatis. Lib. VI.*

VIII. *Hiſtoria Panegyrica de tribus Martyribus.*

IX. *Theopoliticus. Part. II.*

X. *De Adoratione in Spiritu & Veritate. Lib. IV.*

Digitized by Google

R. P. IOAN. EVSEBII NIEREMBERGII E SOCIET. IESV,

DOCTRINA, ET DOCTOR Euangelij, variis opuſculis expoſita.

LIBER PRIMVS.

LEX GRATIÆ IN MONTE PROMVLGATA

Cum octo Beatitudinum Elogio.

PROOEMIVM.

DESCENDENS è monte Moyſes, ſcriptam decem mandatorum legem Hebraïco tradidit populo, ſimul cum veteris teſtamenti inſtitutione. At teſtamentum nouum aſcendens in montem, filius Dei, cœpit promulgare octo beatitudinum præconio; quamuis enim cum proportione ad veterem, & ſcriptam, non ſine exceſſu præſtantiæ noua gratiæ lex intimatur. Aptè S. Paſchaſius dixit: *Ad hoc quippè Dominus montem aſcendit, vt diſcipulis terrenâ iam re-* S Paſchaſ. l 3. in Mat. *linquentibus, & ſuperna petentibus, velut in altis poſitis, præcepta traderet cœleſtium mandatorum, & munera ſacræ benedictionis diuinitus largiretur, ſecundùm quod David canit: Etenim benedictiones dabit legiſlator. Atque vt apertiùs gratiam Apoſtolorum deſignaret; addit, dicens: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Patet planè, quòd idem in hoc monte benedictiones Apoſtolis dedit, eiſque gradus quoſdam firmiſſimis ex lapidibus pretioſiſſimis ſtrauit, qui dudum in monte Sina Moyſi legem dedit. Sed ibi in tabulis lapideis eam deſcripſit; hîc verò teſtamentum nouum, ſecundùm Hieremiam, de quo inquit: Scribam leges meas in cordibus eorum, & in ſenſu eorum ſcribam eas: ibidémque quaſi ſeruos, hîc autem quaſi filios affatur.* Hoc noui teſtamenti exordium, & promulgationem legis gratiæ libet explanare, vt totius Chriſtianæ Philoſophiæ compendium in octo beatitudinibus miremur, & præ manibus habeamus.

Sic Sanctus Matthæus rem enarrat: *Videns autem Ieſus turbas aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos,* Matt. 5.

Digitized by Google

dicens, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Rectè hîc Sanctus Bernardus obſeruat: Benè autem non turbæ, non quilibet de populo, ſed ſoli diſcipuli acceſſiſſe dicuntur, quatenus ſicut teſtamentum vetus datum legitur in monte Sina; ſolo Moyſe aſcendente, & populo expectante deorſum, ſic & modò ſuſciperent montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Addit tamen ſubtilis Iſaac, de Stella *homilia prima*, ſequuntur diſcipuli cuncti & ſoli, non quia & omnibus fortiores; ſed quia ſpiritu feruentiores. Lego tamen alium montem in quem non omnes, licèt tamen omnes igniti, & feruentes, ſed pauci aſcendunt: lego & alium in quem ſolus aſcendit orare. In primum aſcendit docere. In ſecundum aſcendit gloriam ſuam oſtendere. In tertium orare. Et hic eſt mons domus Domini præparatus in vertice montium. Sic venit iſte ſaliens in montibus, & tranſiliens colles. Primò turbas omnes tranſiliens cum diſcipulis ſalit in montem. Secundo autem ipſos tanquam minores tranſiliens cum tribus tantùm ſalit in montem excelſum. Tertio, vbi nemo eum ſequi poteſt, vniuerſitatem creaturæ tranſiliens, ſolus ſalit æqualis ad æqualem, filius ad patrem. In primo ſolus filius auditur. In ſecundo filius videtur, pater auditur. In tertiò nemo vidit, vel audiuit patrem niſi filius, neque filium niſi Pater. Tres iſti montes, tres cœli accipi poſſunt. In primo formatur ſpiritualis hominum vita. In ſecundo monſtratur Angelica. In tertio latet diuina. In primo ſignatur præſens iuſtitia. In ſecundo monſtratur futura gloria. In tertio tanquam cœlo cœlorum aſcendit ad Patrem, vbi orat ipſum, & aſſiſtit vultui eius pro nobis interpellans. Orat quidem Dominus in hoc tertio monte, & cœlo, vt nos ad primum montem, & cœlum Beatitudinum aſcendamus, & legem gratiæ amplectamur, ſimuſque cœlorum ex nouo teſtamento hæredes, cuius exordium auſpicatiſſimum legimus multiplicis beatitatis promiſſis: Egregiè Abbas Guerricus dixit: fætum prorſus ac nouæ plenum gratiæ, noui principium teſtamenti, & quantumlibet infidelem, ac pigrum prouocans ad audiendum, ſed amplius ad faciendum, cùm ſcilicet beatitudo miſeris, exulibus & egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum inquam & auſpicatum nouæ legis initium, quando in ipſo ſtatim initio tot beatitudinum benedictiones dat legiſlator, quibus delectati eant de virtute in virtutem, donec ad videndum Deum Deorum in Sion ingrediantur templum, de quo Propheta dicit: Et in octo gradibus aſcenſus eius. Prima ſiquidem virtus inchoantium eſt, renuntiatio ſæculi, qua pauperes efficimur ſpiritu. Secunda manſuetudo, qua nos obedientiæ ſubdimus, & aſſueſcimus. Deinde luctus, quo plorantur peccata, vel implorantur virtutes. Ibi nimirum guſtamus, vnde amplius eſuriamus, & ſitiamus iuſtitiam, tam in nobis, quàm in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoueri. Sed ne zelus immoderatior feratur in vitium, ſequitur miſericordia, qua temperetur. Et his ſtudiis exercitatus, iam fortè erit idoneus vacare contemplationi, & pro munditiâ cordis filius Dei appellari. Et ſic pater, & miniſter aliorum factus tanquam mediator & ſequeſter pacificat inter ipſos & Deum. Pacificat inter ipſos adinuicem, vel etiam ad ipſos qui foris ſunt: ſicut ſcriptum eſt in laude Sanctorum Patrum: Pacificantes in domibus ſuis. In hoc officio qui fidelis, & conſtans extiterit, ſæpe virtutem & meritum ſibi Martyrij comparabit, perſecutionem patiens propter iuſtitiam: aliquando etiam ab his pro quibus pugnabit, vt ſit ei dicere: Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Quantæ autem gloriæ in cœlo ſit culmen huius perfectionis, inde vtcumque licet æſtimari: quod ipſa abrenuntiantium ſæculo primordia tantæ Dominus felicitatis prædicat: Beati pauperes ſpiritu. Hæc ille. Summatim dixit, nunc nos diſtinctius ſingula diſſeramus.

CAPVT

Capvt Primvm.

Perfecta virtus per montem ſignificatur in cuius verticem aſcendendum eſt.

PRæMITTENDVM eſt, cur in montem aſcenderit Dominus Chriſtianæ virtutis auſpicia, & compendium traditurus; nonne quoniam aptiſſimè mens ipſius virtutis iuſtitiam, altiſſimamque perfectionem ſignificat, altiora Euangelij præcepta, atque conſilia amplexantem. S. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. Quemadmodum Auguſtinus docet: *Si quæritur* (inquit) *quid ſignificet mons, bene intelligitur ſignificare maiora præcepta iuſtitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data ſunt.* Affinis eſt ſanctus Chryſoſtomus, cùm ait: S. Chryſoſt. hom. 1. in Matth. *Aſcendit in montem, vt oſtendat, quoniam in altitudine ſpiritualium conſiſtere dicitur, qui docet Dei iuſtitiam pariter & qui audit. Nemo enim poteſt in valle ſtare & de monte loqui: ſi in terra ſtas, de terra loquere, ſi autem de cœlo loqueris, in cœlo conſiſte.*

Cùm igitur perfecta iuſtitia, ſiue virtus mons ſublimus ſit, ad eius aſcenſum nos primum vocat fructus inde carpendus. Id quod in Iob. 39. Iob, dum de onagro ſermo eſt, de iuſto myſticè dicit: *Circumſpicit montes paſcua ſua.* Vbi S. Gregor. lib. 30. mor. cap. 29. Sanctus Gregorius ait: *Poſſunt adhuc montes paſcua accipi altæ ſententiæ ſcripturæ ſacræ.* Octo certè beatitudines, quas Dominus in monte expoſuit, vt potè Euangelicæ, altiſſimæque ſententiæ, paſcua ſunt, quibus myſtici onagri, qui in monte iuſtitiæ commorantur, affatim reficiuntur. Ideo perfecta virtus dicitur mons hæreditatis Dei; in quo nimirum iuſti diuinæ hæ- Exod. 15. reditatis compotes fiunt: nam cecinit Moiſes *introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Quæ verba Philo ex ſua & aliorum ſen- Philo. de Plant. Noë. tentia ſic exponit. *Quidam autem aiunt hæreditatem Dei dici, eſſeque bonum ipſum, cuius vſumfructum Moyſes nunc in votis nuncupet, quaſi dicat: quia nos tanquam pueros recens ad diſcendum admotos introduxiſti per ſapientiæ decreta, & contemplationes, nec ſine rudimentis eſſe paſſus es, planta nos in ſublimi ſermone cœleſti, hæc enim eſt hæreditas paratiſſima.* Hunc ergo ſermonem in monte à Domino habitum videtur mentis oculis Moyſes præuidiſſe, cùm iuxta Philonis ſententiam dixit: *planta nos in ſublimi ſermone cœleſti, hæc enim eſt hæreditas paratiſſima.* In hoc enim cœleſtis ſermonis monte hæreditas locupletiſſima continetur, quæ non vno ſolo, ſed multis nominibus nuncupatur, vt conſtat ex octo Beatitudinibus. In hoc monte Chriſtus primum ſuos Diſcipulos, deinde perfectos omnes fideles introduxit, & plantauit.

Præterea, ad præfati montis verticem contendendum eſt, quandoquidem hoc magnorum virorum proprium ſit. De his enim per Pſalmi- Pſal. 103. S. Gregor. lib. 30. Mor. c. 29. ſtam dicitur: *montes excelſi ceruis.* Cur autem iuſti magnique viri cerui dicantur, Sanctus Gregorius ſic exponit: *quia hi, qui iam dare contemplationis ſaltus nouerunt, altos ſententiarum diuinarum vertices, quaſi cacumina montium aſcendunt: ad quæ profectò cacumina, quia infirmi peruenire non valent, rectè illic ſubditur: petra refugium herinaceis; quia videlicet innalidos non ſublimiter intelligentia exercet, ſed ſola in Chriſto fides humiliter cõtinet.* Qui herinacei ſunt ad firmam immobilis petræ veritatem humiliter debent arrepere: nam montium altitudo his, qui mentis præſtantia, & velocitate cerui ſunt, reſeruatur. Hos ceruos ad perfectæ vitæ montem vocat Iſaias, cùm ait: *Super montem* Iſai. 40. *excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.* Qui verò ſit hic mons, optimè explicat Sanctus Gregorius, cùm ait: *qui cœleſti prædicatione vtitur,* S. Gregor. à Gloſſa citatus in hæc verba. *ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videtur; tantòque faciliùs ſubditos ad meliora pertrahit, quantò per vitæ meritum de ſupernis clamat.* Hi ergo, qui doctrinæ præſtantia clari ſunt, ad montem perfectæ vitæ iubentur aſcendere, vt multis valeant efficaciùs prodeſſe. Pro qua re explicanda vſurpare libet verba Plinij de montanis arboribus, ſic habet: *Montes amant cedrus, larix, tæda, & cætera, è quibus reſina gignitur.* Ita ſublimes mentes, quæ Plin. lib. 16. cap. 18. inſtar procerarum arborum in cœlum tolluntur, montem amant vt eam gignant reſinam, quæ in ſacris litteris ad curanda animę vulnera cõmendatur. In fine quoque capitis hæc ſubiicit dictis dem arboribus: *Quæ vtrumque communia ſunt montibus planiſque, maiora fiunt, aſpectuque pulchriora in campeſtribus; meliora materie, criſpioraque in montibus.* In planis mundanæ vitæ homines rerum copia, & dignitate conſpicuos arbores dixeris maiores, aſpectuque pulchriores: at qui in monte euangelicæ conuerſationis conſiſtunt, arbores ſunt meliores materie, & virtus auſteritate criſpiores.

Reliquum eſt, vt audiamus Iſaiam dicen- Iſai. 2. tem: *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Quem locum Sanctus Hieronymus aptè explicans, ait: *cum fuerimus in domo Dei Iacob, tunc docebit nos vias ſuas, per quas gradiamur ad eum: Et ambulabimus in ſemitis eius, quas triuerunt & alij. Denique Ieſus aſcendens in montem docebat diſcipulos ſuos octo Beatitudines, & cætera, quæ Euangelicus ſermo complectitur. Prius ergò diſcenda ſunt viæ Domini, & poſtea ambulandum in ſemitis eius.* Præcepta quidem Decalogi latæ, & magis tritæ ſunt viæ: at octo Beatitudines magis arctæ, & minùs apertæ ſemitæ, has diſcimus in monte.

Capvt II.

Felicitatem huius vitæ, ac eius beatitudinem ſola virtus præſtat.

ILlud etiam præmitti oportebit, cur beatitatis nomine virtutes Euangelicas commendet Dominus beatoſque dixerit iuſtos eas conſecutos. Planè quoniam non ſolùm in futuro, ſed in præſenti ſæculo ſint felices, beatique iudicandi. Quandoquidem ij meritò beati cenſeantur, qui illud ſunt, quod ipſi volunt; hoc autem ſolis iuſtis congruit. Qua ratione vtitur Saluianus hiſ verbis: *Quicumque virtuoſi ſunt, beati eſſe* Saluian. lib. 1. de Prouid.

dicendi ſunt : quia inter quantumlibet dura quantumlibet aſpera, nulli beatiores ſunt, quam qui hoc ſunt, ſed pauperie delectantur. Inhonori ſunt, honorem reſpuent, lugent, lugere geſtiunt infirmi ſunt, infirmitate lætantur. Merito ergo pauperes, lugentes, & qui multiplicem perſecutionem patiuntur, à Chriſto beati prædicantur, quia hæc ipſa, quæ mundanis hominibus incommoda videntur, libenti animo complectuntur. Quid vero mirum ſi inter temporalia incommoda iuſti beati dicantur? Cum verum ſit, quod Saluianus ſubiungit: *Græciæ autem ſapientes etiam vſque ad contemptum doloris, ac mortis doctrina ſua culmen erexerunt*, dicentes, *etiam in catenis, atque ſuppliciis beatum eſſe ſapientem.* At vero quoniam eos vulgus beatos iudicat, qui concupitas voluptates, atque diuitias, ſiue honores adipiſcuntur, & in rebus omnibus voti ſui compotes eſſe videntur, ſic præfatus Doctor occurrit: *Et ſi iuxta opinionem ſuam beati ſunt quia adipiſcuntur quod volunt, re tamen ipſa beati non ſunt, quia quod volunt, nolle debuerunt.* Religioſi autem hoc cunctis beatiores, quia & habent hoc, quod volunt & meliora, quam quæ habent, *omnino habere non poſſunt.* Rationem hanc ex Prouerbiis licet confirmare, vbi ſapientia teſtatur; *qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Ex Hebræo legitur apud Vatablum: *hauriet voluntatem à Domino.* Quod ipſe ſic explicat: *aſſequetur quidquid volet.* Pagninus legit: *& educet quod voluerit à Domino.* Caietanus ex Hebræo legit: *& eduxit voluntatem à Iehouah.* Ipſe autem ſic exponit: *eduxit pro educet à Deo, quod voluit.* Iuſtus ergo, id habet, quod vult, atque ideirco beatus eſt. Qui igitur inuenerit ſapientiam, id eſt, abſolutam, conſummatamque virtutem, hauriet ſalutem à Domino, tantum videlicet [illegible] quod [illegible] poſſidentem poſſit. Quod [illegible] hauri[illegible] priemere velis, magnum [illegible] falſoſque Philoſophos [illegible] Me[illegible]to Clemens Alexandrinus [illegible] ſapientes puteorum fo[illegible] enim in aquam limp[illegible] haurire cupientes, auide[illegible] frangendis obuiis lapidi[illegible] conterunt: Contingit [illegible] optata aqua cœnum inueniant. Ita [illegible] Philoſophi puriſſimam veritatis, ac beatitudinis aquam vehementer ſitientes, eamque in profundo defoſſam exiſtimantes, ad eam penetrare, ipſamque haurire cupientes in multiplicis de[illegible] inæ inueſtigatione, qua[illegible] in fodienda humo, ind[illegible] ſuæ brachia fatigarunt, & [illegible] ac diſputationum acumina, qu[illegible] ferramenta in effringendis obuiantium difficu[illegible] in petris contriuerunt. At poſt tantum [illegible] penſum non liquid[illegible] nem, [illegible] hæc in re [illegible] ſapientes [illegible] falſæ ſapientiæ, ſed fidei humana[illegible] aqua inuenitur, diligenter foderunt. [illegible] tam beatitudinem inuenientes merito audiunt, *haurient ſalutem à Domino.* Sed contemplare obiter ferramenta, hoc loco à Chriſto enumerata, quibus iuſti beatitudinem effodiunt: paupertatem ſcilicet, lachrymas, famem, ſitim, manſuetudinem, & plurimas, grauesque perſecutiones, quæ Philoſophis antiquis, nec in mentem venerunt, &c.

Deinde tunc res omnes perfectæ, & ſuo modo beatæ eſſe putantur, cum in ſuo centro requieſcunt, in quo ſicut Ariſtoteles docet tria omnino obtinent, quibus illarum abſolutur perfectio, ſcilicet, *quietem, conſeruationem, & vnionem.* At anima per virtutem in Deo, tanquam in centro eſt, quid certius eſt? Atque adeo in eo quietem, conſeruationem, & vnionem nanciſcitur. Quamuis enim anima corporis ſenſibus alligata, mundi ſenſibilia ad tuendam vitam corporis circumeat; per virtutem tamen perfectam in Deo tanquam in medio, ac centro eſt conſtituta. Quod ſubtiliter indicatum eſt Ioanni, cum monſtrantur illi quatuor animalia pennata, & oculata in circuitu & in medio ſedis Dei. *Et in medio ſedis* (inquit) *& in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro.* Pugnantia videtur loqui: nam ſi in medio ſedis erant, quomodo in circuitu eiuſdem? ſi in centro, quo modo in circumferentia? Apte Gilibertus diſſidium hoc verborum enucleauit: *Sic* (inquit) *pennata illa, & oculata animalia in medio, & in circuitu ſedis Dei leguntur. In medio, quia voti ſui perducuntur ad intima; in circuitu, quia rediuiuo ſemper voto feruntur in eadem ipſa. In medio, quia eorum iam completum eſt votum: in circuitu, quia non ſufficiunt comprehendere totum. In medio ſunt admiſſa per gratiam; & in circuitu ſunt excluſa per differentem naturam. In medio ſunt, quia vnica per contemplationem; & in circuitu, quia diſiuncta per comparationem.* Hoc inter iuſtos, & peccatores, inter [illegible], & mundi amatores diſtat, quod hi iuxta Regij vatis ſententiam, *in circuitu impij ambulant*, & cum [illegible] quietem vbique inue[illegible], nuſquam tamen inue[illegible] in ſuo loco eam, id eſt, in centro [illegible]. [illegible] Salomon, & [illegible] nimo vni[illegible], & de [illegible] a cedro libani [illegible] ſapiente: diſputauit: cir[illegible], & de elementorum [illegible] circuitu, ad humanos actus [illegible] ſed vbique vanitatem, [illegible] ſpiritus, nullibi quietem, quæ [illegible] reperitur, inuenit. Quod experi[illegible] *ſurgam, & circuibo ciuitatem.* Nam per ciuitatem Gilibertus rerum [illegible] ſitatem intelligens, ſic adiungit: *mens quæ circuit, vniuerſa pertranſit, nuſquam requiem capiens, niſi vbi finem reperit: ſolus ille requies eſt amanti, & refectio, qui finis eſt omnium, & cuius nullus eſt finis.* Vnde Chriſtus Dominus hominum labores, & mentes in terendo circuitu fatigatas miſeratus, ad ſe tanquam ad centrum accerſit illis verbis: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Quo fructu vocantur? *Et inuenietis* (inquit) *requiem animabus veſtris.* [illegible] ſi dicat: quam in circuitu quæritis, requiem, in me ſolo, qui centrum animarum ſum [illegible] tis. Quod [illegible] iuxta Philoſophi [illegible], centrum [illegible] quietem [illegible] con-ſeruationem [illegible] vnicat, idem [illegible] inus addit, *& eſt* [illegible] *vi[illegible].* in ſolo [illegible] hoc centro [illegible] litis [illegible] reperitur. [illegible] Hieronymus: *Multi medici in Euangelio hæmorroiſſam curauerant, quæ omnem ſubſtantiam [illegible] perdiderat in eis, & tamen à nullo curari potuit, niſi ab eo qui*

verus

Arist lib. 1. de cœlo & mundo.

Apoc 4.

Gilibert. ſer. 4. in Cant.

Prouerb. 8.

S. Clem. Alex. lib. 2. ſtrom.

Cant. 3.

S Hieronym. in cap. 17. Hierem.

verus eſt medicus,& cuius ſanitas in pennis eius. Sic profectò animæ contingit, quæ in ſolo terũ omnium centro conſeruationem inuenit: vnionem etiam, nam quæ in circuitu multiplicitate rerum diſtracta, in varias cogitationes, & affectus multiplicesque perturbationes, & quaſi in multas diuiditur partes, in centri vnitate colligitur, & quæ cum Martha circa plurima turbabatur, cum Maria in vno, quod neceſſarium eſt, vna ſimpliciſſime redditur.

Præterea, in vera virtute ſita eſt beatitudo huius vitæ, quando per illam ſummum bonum poſſidetur; neceſſarium enim eſt, vt qui ſummum bonum poſſidet beatus ſit. Optimè Sanctus Auguſtinus ait: *Quid poteſt eſſe in mundo felicius, quàm cui efficitur ſuus Imperator, & redemptor cenſus, & hereditas dignatur eſſe ipſa diuinitas.*

S. Auguſt. de ſalutar. docum. c. 10.

Hanc felicitatem expetebat Regius Vates cum dicebat: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Primum à Deo manifeſtationem ſui petit, ſed hac non contentus, poſſeſſionem etiam ipſius Dei poſtulat, cùm addit: *da nobis.* Quod obſeruans Caſſiodorus ibi ſic exponit: *da nobis, ideſt, concede nobis ſalutare tuum, quaſi amplectendum, quaſi poſſidendum. Perfidis enim tantùm apparuit, non etiam datus eſt.* Eum certe verè beatum vates hic indicabat, qui talem poſſeſſionem obtineret. Vnde Pſalmiſta cecinit. *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius.* Vbi eruditus quidam Doctor ait *Beata gens de Deo, poſſeſſione ſcilicet. Beatitudo omnis in animo, qui melior eſt corpore, & nunquam homo eſt beatus per id, quod eſt eo inferius, ergo per nihil terrenum.* Nulla ergo diuitiarum, ac dignitatum temporalium poſſeſſio beatum poteſt hominem reddere. Vnde idem vates cùm temporalem multorum felicitatem multis verbis exaggeraſſet, quorum videlicet filij ſicut nouellæ plãtationes, quorum filiæ circumornatæ, vt ſimilitudo templi, &c. Mundanorum hominum de hac felicitate proponit iudicium: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Quid tu inquis Sancte Dauid? *Beatus populus, cuius Dominus Deus eorum.* id fere aſſequutus eſt, etiam Socrates apud Platonem, cum enim eſſet ab eo quæſitum: An Archelaum Perdiccæ filiũ qui tum fortunatiſſimus haberetur, beatum putaret? *Haud ſcio* (inquit) *nunquam enim cum eo locutus ſum.* An tu aliter id ſcire non potes? *nullo modo.* Tu igitur ne de Perſarum quidem Rege magno potes dicere, beatus ne ſit? *An ego poſſum, cum ignorem, quã ſit doctus, quam vir bonus?* Quid? Tu in eo ſitam beatitudinem putas? *Ita prorſus exiſtimo, bonos beatos, improbos miſeros.* Miſer, ergo Archelaus. Certè ſi iniuſtus. Huius pronuntiati ratio eſt, quod bonorum temporalium poſſeſſio, quantumuis ampla, implet arcam, vel domum: at virtutis, Deiq; ipſius poſſeſſio animam explet, & omnem triſtitiam, ac miſeriam expellens, conſolationem omnibus numeris abſolutam infundit. Hinc Sanctus Chryſoſtomus ex eo probat ſpiritum ſanctum eſſe Deum, quòd Chriſti abſentiam perfectè ſuppleuerit & Apoſtolorum animas plena conſolatione expleuit. *Porro* (inquit) *ſi Spiritus ſanctus eſſet minor, aut inferior filio, non erat ſufficiens conſolatio.*

Caſſiod. hic.

Pſal. 84.

Pſal. 32.

Pſal. 143.

Plato in Gorgia.

S. Chryſoſt. hom. in act. Apoſt.

Ad hæc, qui per virtutem Deum habet, omnia in eo poſſidet bona, hic autem verè beatus eſt, ſiquidem teſte Boetio. *Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus.* At iuſtos omnia in Deo poſſidere, affirmat Bernardus dicens: *Nõ inutilis commutatio omnia reliquiſſe pro eo, qui eſt ſuper omnia: nam & ſimul cum eo donãtur omnia.* Cum in alio loco Matthæi tres diſcipuli, & gloria filij attoniti, & voce Patris perterriti cecidiſſent in facies ſuas, poſtquam Chriſti manu recreati aperuerunt oculos, *neminem viderunt niſi ſolum Ieſum.* Quod cõtemplatus Chryſoſtomus, ait: *Tres perdentes vnum inueniũt, imo vt amplius dicam, in vno tres reperiunt; magis enim reperitur Moyſes & Elias ſi in Chriſto conglobentur.* Sic profectò, qui omnia perdit propter Chriſtum omnia inuenit in Chriſto. Hinc Sanctus Bernardus diſputans ait: *Etenim cùm ſummo bono approximaret, quid boni illi deeſſe potuit?* Cùm enim Chriſto approximaret, imo etiam iam in corde per gratiam haberet, in illo omnia poſſidebat, etiam paradiſum, vt in ipſo crucis tormento. O rem miram. In paradiſo eſſet ſicut intellexit Sanctus Auguſtinus, vbi verba illa Domini: *Hodie mecũ eris in paradiſo,* ſic interpretatur: *Paradiſus habet ligna felicia, hodie mecum eris in ligno crucis, hodie mecum eris in ligno ſalutis.* Vbi ſatis indicat Caluariæ montem, quatuor Domini ſanguinis fluuiis irrigatũ, iam tunc paradiſum extitiſſe, qui ſane paradiſus felicia ligna haberet, vt nimirum Chriſti Crux lignum eſſet vitæ; Crux verò boni latronis, ſi nõ vitæ, ſalutis ſaltem eſſet lignum, vt multò beatior eſſet latro in monte Caluario cruci ſuffixus, quàm olim Adam in paradiſo deliciis circumfuſus. Latro ergo etiam in tormento, quia Chriſtum habuit, & omnia in illo, etiam paradiſum poſſedit.

Boet. lib. 3. de conſolat.

S. Ber. in declamat. ſup. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Matth. 19.

Matth. 7.

S. Bernard. Epiſt. 8. de bono latrone.

S. Aug. in Pſal. 39.

Ex quo liquet, iuſtos non ſolum in futura, ſed in præſenti quoque vita eſſe beatos. Hæc enim gemina beatitudo eſt duplex illa poſſeſſio, quam Axa prudens fœmina à Patre ſuo Caleph enixè poſtulauit, nempe irriguum ſuperius, & irriguũ inferius, vbi Origen. in hanc ſententiam ſcribit: *Accepit Axa irriguum ſuperius, & inferius, quod euidentiùs Apoſtolus dicit: promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Sicut ſaluator promittit his, qui verbi ſui perfectionem ſequuntur, quia accipiant centuplum in præſenti ſæculo, & in futuro vitam æternam conſequantur. Hoc eſt ergo accepiſſe in benedictione irriguum ſuperius, & inferius.

Ioſue 15. Origen. hom. 2.

Capvt III.

Mundanæ proſperitatis, voluptatiſque gaudia, falſæ beatitudinis ſpecie veram miſeriam abſcondunt.

CONtrariam ſortitur conditionem mundi felicitas, quę ſub falſa gaudij, atque voluptatis beatitudine, veram, extremamque miſeriam obducit: Quod ſymbolicè docuit Salomon illis verbis: *Suauis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os eius calculo.* Voluptas quidem eſt ſicut panis ſimilaceus ac delicioſus; ſed intus occultat duriſſimos ſcrupulos, ſeu lapillos qui inter mandendum dentes magno cum dolore frangunt, & extrudunt, ideſt, ſcrupuloſos, dolores, quibus animus intimè angitur, & cruciatur. Regia, & Complutenſis legunt,

Digitized by Google

Iob.10.

Dulcis eſt homini panis mendax; & poſtea implebitur os eius ſilicibus ideſt, ſilicum calculis Aptè Hugo Cardinalis ſic locum explicat: *Panis mendacij eſt felicitas temporalis, quæ ſe panem eſſe mentitur, cùm non ſit, ſed ſiliquæ porcorum, quæ non ſatiant, ſed inflant, cui iſte panis ſuauis eſt, implebitur os eius calculo, id eſt, amaritudine pœnitentiæ, vel gehennæ.* Porro quàm durus ſit iſte culculus, ideſt, quàm amarus dolor optimè ſignificatur in Job cùm dicitur: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus,* ideſt, in amaritudinem, & venenum inſanabile, quod Sanctus Gregor. egregiè exponit his verbis: *Satietas tranſitoriæ delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertetur: & fel aſpidum, ideſt, malignorum ſpirituum perſuaſio fuiſſe cognoſcitur, quod hic laus gloriæ eſſe credebatur.* Verba quidem adulationis, quibus potentes & felices ſæculi deliniuntur: verba item mellita, quæ inter amantes vltro, citroque iactantur, & reciproco fauore mittuntur, dulcis laus gloriæ eſſe credebatur, cùm re vera perſuaſio eſſet malignorum ſpirituum, quæ tanquam fel aſpidum in panis dulcedine latebat. Concludit ſubinde Gregorius: *Panis itaque iſte aliud in ore ſapit; ſed aliud in vtero; quia tranſitoriæ delectationis lætitia dulcis eſt, cùm hic quaſi mandendo agitur; ſed amareſcit in vtero, quia peracta lætitia, deglutitur ad pœnam.* Panis quidem delectatio tranſitoriæ felicitatis dicitur, quia tanquam ſalutare quid aſſumitur, & ad bene ſuſtentandam vitam idoneum; ſed ibi deliteſcit amariſſimum aſpidum venenum, id eſt, Dæmonum conſilium, quo intimè cruciantur. Contra verò iuſtorum panis lachrymæ ſunt, ſed in quibus latet firma nutritio, ac beata conſolatio. Sic iuſtorum nomine teſtatur

Pſal. 79.

Dauid, cùm ait: *Cibabis nos pane lachrymarum,* Vbi bene Hugo Cardinalis ait: *Cibat nos Deus pane lachrymarum, cùm ita conuertit nos ad pœnitentiam, & compunctionem, vt in fletu pro peccatis delectemur, ſicut in cibo.* De his lachrymus dicebat Auguſtinus: *Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.* Lachrymæ ergo panis ſunt ſuauiſſimi nutrimenti: vnde idem vates dicebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte.* Vbi Caſſiodorus ait: *Non amaritudo, vel peremptio, ſed panes.* Et Gloſſa interlinearis, *Non amaritudo, ſed refectio.* Explanatiùs Cellenſis ait: *Panis itaque lugentium abundantia eſt lachrymarum; ſicut enim panis eſurientem, ſic lachrymæ deficit animam dolentem. Deficit eſuriens ſine pane: lacerata languet anima ſine lachrymarum effuſione.* In pane ergo mundanæ proſperitatis, mortiferum venenum; in pane verò lugentium, ſalutatis refectio conſolationis deliteſcit, vt meritò dicat Dominus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Pſal. 41.

Cellenſis lib. de Panib. c. 12.

Sed meliùs fortaſſe quàm in ſolo pane cognoſcetur in integro conuiuio falſa mundanæ felicitatis beatitudo, & ſub ea latens vera miſeria. Habes hoc conuiuium exhibitum ab illa muliere *ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & in excelſo vrbis loco in foribus domus ſuæ ſuper ſellam ſedente.* Per quam Sãctus Ambroſius, Philo, & Caietanus mundanam voluptatem intelligunt, quæ ſtulta dicitur, quia mentem obſcurat, & ad pueriles nugas inclinat: Clamoſa, quia nullam aliam ob cauſam maiori contentione homines dimicant, quàm ob voluptatem: plena illecebris cur dicatur, in promptu eſt. Quare verò dicatur ſedere in excelſo vrbis loco, vel vt quidam legunt: *ſuper ſellam excelſorum ciuitatis.* Optimè exponit Caietanus his verbis: *Delectatio prophana ſuper ſedem excelſorum ciuitatis vocat homines, quia ſuper quietem eorum innititur. Nam proceres ciuitatis recuſantes laborem, & otio diffluentes fulciunt humanam delectationem in ſe, & alios exemplo ſuo inuitant.* Hæc ergo mulier incautum quemque ad dulce conuiuium inuitat: ſed quid in loco conuiuij deliteſcat, ita Salomon ſubiũgit: *Et ignorauit, quod ibi ſint Gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.* Vbi Beda, & Hugo in nomine Gigantum Dæmones interpretantur, qui iuxta voluptatem abſconduntur, vt ſubitò in voluptuoſos inſiliant. Qua propter Chryſoſtomus dixit: *Quemadmodum vbi eſt cœnum, eo porci concurrunt, ita vbi ſunt meretricia cantica, illic congregantur Dæmones.* Aliqui verò hoc loco ita legunt: *& ignorauit quod ibi ſunt cadauera.* Nulla enim res ita accerſit, & appropetat mortem ſicut voluptas. At Clemens Alexandr ſic legit: *miſer autem neſcit quod ſerpentes apud ipſam habitent.* Serpentes hi Dæmones ſunt, qui iuxta voluptatem ſunt, vt virus ſuum hominibus infundant non aliter quàm primis parentibus per voluptatem delectabilis pomi exitiale venenum ſerpens inhalauit. Idcirco Anaſtaſius Nicenus hæc probra in voluptatem maximè veneream iaculatur: *quies ſerpentis, Diaboli ſolatium, officia Dæmonum, vipera veſtita.* Illud autem, *& apud inferos conuiuæ eius,* ſic interpretatur quidam Doctor, vt non tam eos ad ſuauitatem, & delicias, quàm ad tartarum ipſum inuitare dicatur, *apud inferos* ſcilicet *conuiuæ eius*, ſupple *cœnant*, ſeu *prandent.* At quas epulas ibi ſumunt? Sanctus Gregorius conuiuium quoddam deſcribit apud orcũ exhibitum tripliciferculo inſtructum, quod ſtatim à principio deuorare coguntur. *Horrendo*, inquit, *modo exhibetur, miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit.* Ad hoc conuiuium ſuos inuitatos voluptas in orcum tranſmittit. Ex quo intelligi debet, voluptatem præcipuè veneream eſſe meretricem, quæ ad fores inferni domum ſuam habet, ex qua conuiuas ſuos facilè ad vicinum infernum tranſmittat. Hoc autem ideo fit, quod is qui ſemel voluptatibus ſeſe mancipauit difficillimè reſipiſcat, & ad bonam frugem redeat. Nam ſimul atque vehemens voluptatis amor animum cepit, omnes recuperandæ ſalutis aditus quodammodo præcludit. Quod apta ſimilitudine expreſſit Sanctus Ephrem: *Quandocumque*, ait, *concupiſcentia per res ſenſibiles in animum ſeſe inſinuauit, mox ipſum cogitatione circundat, & obſidet, & ſalutis ingreſſum præcludit. Quemadmodum ſi quis ſpongiam aceto intingat, & deinde priuſquam hanc exprimat, vino irrorare velit, non admittit, quia præoccupans aceti fluxus ac liquor ingruentibus vini guttis impedimento ſit. Ad eundem modum, & concupiſcentiæ illecebris pleni, licèt etiam admoniti non audiunt, quin & de continentia verba facientes, & de eius merito legentes, à turpi tamen paſſione non recedunt.*

Prouerb 9.

S Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel cap. 4. & 5. Philo. lib de pretio meretricis, &c. Caietan. hoc loco.

S. Chryſoſt. in Pſal. 41.

S. Clem. Alex lib 3. Pædag. c. 11

Anaſtaſius. Nicenus q. 63. in ſcripturam.

S Gregor. lib. 9. mor.

S. Ephrem. tract. aduerſ. improbas mulieres.

Digitized by Google

Quanta mala ſub mendaci pane mundanæ delectationis, ſiue ſub adulterino conuiuio carnalis voluptatis deliteſcant, vidimus; quæ certè tanta ſunt, & tam fallaci boni fuco obducuntur, vt Chriſtus Dominus, ne incauti fallerentur, putantes voluptatem verè eſſe aliquod bonum, abſolutè eam appellauit malum verbis illis orationis Dominicæ: *Sed libera nos à malo.* Ita enim explicat hæc verba Hugo Victorinus, vbi ait: *Ipſum bonum ſe eſſe mentitur, dum delectat; nos autem malitiam eius experti, malum agnoſcimus, ſi ira eſt, vexat: ſi inuidia, tabefacit; & ſingula quoque vitia malitiam ſuam non abſcondunt; facilè enim cognoſcuntur noxia, dum ſentiuntur amara. Propterea dum hoc, vel illud dicitur, intelligitur quod eſt ipſum malum: in ſe quippè habet vnumquodque, vnde non poſſit abſcondi; hoc verò non intelligitur, niſi eo, quo eſt ipſum, amplius aliquid dicatur. Propterea dicimus, quia malum eſt, quoniam fortè non ſentiretur, niſi diceretur.* Quam grauia verò mala hoc boni nomine prætexat Hugo ſubinde ſic atexit: *malum eſt hoc, & non eſt ſicut cætera mala, crudelius perſequitur, profundius nocet, efficacius lædit, blanditur vt fallat, lenocinatur vt perimat, mentitur dulcedinem, vt amaritudinem infundat, ideò difficilius vincitur, tardius extirpatur.*

Hugo. Victor. lib. 2. alleg. in Matth. cap. 14.

Contrà verò luctus, ſub ſpecie quadam triſtitiæ, verum & perfectum gaudium abſcondit. Ita Paulus de omnibus perfectè iuſtis teſtatur: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Externâ quidem ſpecie videmur interdum mœrore confecti: at re vera, iucundiſſima voluptate perfruimur, & quidem perpetua; ac minimè interrupta; hoc enim indicat verbum *ſemper.* Hoc perpetuum iuſtorum gaudium ſub luctu latitans diuerſimodè explicarunt Sacri interpretes, ſed omnes ad inſtitutum noſtrum appoſitè. Primaſius triſtitiam ore tenus; gaudium verò intimum, & cordi affigi, intellexit: *Triſtes* (ait) *ſeueritate vultus, corde verò etiam in tribulatione gaudentes.* Deus itaque per æternorum ſpem lugentes intimè, atque abundanter conſolatur. Didymus, (ad hunc locum) Spiritui ſancto aſſignauit, quòd lugentes ſemper gaudeant, ſolâque externa ſpecie lugeant. *Semper,* (inquit) *gaudentes, nam lætitia ſempiterna in corde eorum verſatur, quorum Spiritus ſanctus habitator eſt.* Sicut enim cœlum obnubilum, & triſte, nobis videtur, cùm ipſum ſemper clariſſimo fulgore colluceat; quoniam in ſe Solem contineat, qui cauſa eſt, vt nullæ nubes, ac vmbræ poſſint cœlum attingere: ita iuſtus vitam nubibus tribulationum obductam, & flebilem ducere videtur; at eius cor, quod cœlum eſt, clara lætitiæ luce perfunditur, quod in eo Spiritus ſanctus, tanquam Sol habitator ſit. Deinde Lyra aliter hanc iuſtorum quaſi triſtitiam explicat: *Quamuis in iis,* inquit, *quæ pertinent ad carnem patiamur afflictionem; tamen per ſpiritum maiorem conſequimur mentis conſolationem.* Iuſti quidem corpore affliguntur & lugent, animo tamen ſemper gaudent; eſt autem gaudium multò maius triſtitia, vt dicantur quaſi triſtes; at verè ſemper gaudentes, vt ſeruus captiuus nobilem Domini ſui infantem brachiis baiulans, luget non rarò, cùm interim infans pretioſiſſimis indutus veſtibus lætitia geſtiat, & rideat: ita quidem dum corpus, quod animi ſeruus eſt, qui in hac vita captiuus tenetur, dolet, & luget; animus, qui ab hoc ſeruo geſtatur, pulcherrimis gratiæ veſtibus ornatus, gaudio maximo exultat. Atque vt nobilis vir iter agens in patriam, magnâ quidem lætitia pergit; quia ad celebrandas nuptias contendit, quamuis interim equus, cui inſidet, per pluuialem, & limoſam viæ aquam incedat: Ita hominis iuſti ſpiritus, corpori obequitans, in cœleſtem Hieruſalem iter dirigit, magno quidem mentis gaudio, quod ad nuptias agni contendat, quantumuis equus, id eſt, corpus viam lachrymis irrigatam calcare cogatur. Denique Gloſſa interlinealis hanc iuſtorum quaſi triſtitiam, ita explicat: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, id eſt, non verè triſtes, quia hæc triſtitia gaudium operatur.* Non vera triſtitia eſt, quæ gaudio grauida, gaudium parit; mater enim & filius eiuſdem naturæ ſunt. Iuſti ergo non verè ſunt triſtes; quia hæc triſtitia gaudium operatur. Quòd in triſtitia ſæculi minimè inuenitur. Vinum ab externa cauſa frigidum ſentitur, cùm natiua virtute maximè ſit calidum, & cor magna lætitia afficiat: Ita iuſtus ab ingruente tribulatione quaſi iuſtitia friget, cùm ab interna ſpiritus virtute feruido gaudio caleat.

2. Cor. 6.

CAPVT IV.

Continua mundanorum proſperitas, tanquam ſignum damnationis eſt timenda: ſicut aduerſitas, luctus, & inopia iuſtorum ſignum eſt prædeſtinationis.

VErùm non tam eſt timenda huius vitæ felicitas, quòd falſa ſit beatitudo, ſed ne ſit veræ æternæque miſeriæ præcipitium; quoniam diuitiarum affluentia, & iugis bonorum terrenorum proſperitas, diuinæ reprobationis poteſt index timeri. Id quidem adumbratur in fluminibus electæ, & reprobæ ciuitatis. Nam Sanctus Auguſtinus ad illa verba: *Super flumina Babylonis.* Pſal. 136. Per flumina huius damnatæ ciuitatis, mundi bona, & proſperitates intelligit, quæ ab Hugone Cardinali ita numerantur. *Huius Babylonis flumina ſunt quatuor: Primum eſt amor diuitiarum; in hoc ſe balneant auari, ſecundum eſt amor deliciarum in hoc ſe balneant voluptuoſi. In hoc præcepit Pharao ſubmergi omnes maſculos Hebræorum. Tertium eſt ambitio dignitatum, in quo ſe balneant ambitioſi. Quartum eſt amor vanarum ſcientiarum, quæ magis inflant, & inquinant, quàm potent, vel lauent.* At fluuius Hieruſalem, ſeu ciuitatis electæ paupertas eſt, quæ iis Babylonicis fluuiis opponitur; in hoc electi omnes ſe lauant, & à terrenarum rerum inquinamentis purificant; hoc enim eſt paupertatis ſpiritualis munus.

Id expreſſiùs ſignificatur, vbi de Abraham ſcriptum eſt: *Deditque Abraham cuncta, quæ poſſederat filio ſuo Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera.* Gen. 25. Cuius allegoriam Sanctus Auguſt. egregiè enucleauit. *Munera hæc,* (inquit)

S. Auguſt. lib. 2. contra Sentent.

Digitized by Google

(inquit) *quæ acceperunt, filij concubinarum, videntur mihi ſignificare quædam dona Dei peccatoribus data, ſcilicet, temporalia hæc, velut filiis concubinarum; cum hæreditatis munus, quod eſt charitas, & vita, æterna, non niſi ad Iſaac pertineat, hoc eſt, ad filios promiſſionis.* Mundi amatores, velut filij concubinarum, mundana bona pro muneribus accipiunt, & hæreditate abdicantur, quæ datur pauperibus ſpiritu, quibus dicitur: *Ipſorum eſt regnum cælorum.* Quia verò præfata munera filiorum concubinarum, id

Gen. 15.

eſt, reproborum ſunt; ideò Abraham, cùm præclarum temporale munus à Deo accepiſſet, id eſt, celebrem victoriam à Regibus Syriæ reportaſſet, illico tanto timore conſternatus eſt, vt Deus ei apparens, ipſius animum his verbis confirmare curauerit. *Noli timere Abraham; ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Vbi meritò Sacri diſputant interpretes, quam ob cauſam poſt victoriam ita timuerit Abraham, vt tanta diuinæ promiſſionis conſolatione indiguerit? Apta eſt huius timoris origo, quam tradit Lyra, explicuitque his verbis: *Abraham ex victoria tam ſolemni, quam Dominus dederat ei, timuit, ne in hoc accepiſſet totam mercedem iuſtitiæ ſuæ à Domino, & ideò Dominus eum aſſecurauit, de contrario dicens: noli timere de eo, quod cogitaſti, ego merces tua, &c. id eſt, victoria, quam dedi tibi, non eſt merces tua, ſed maiorem ſatis ego reſeruo tibi.* Ex munere nimirum timuit Abraham, ne & ipſe inter filios concubinarum recenſeretur. Hæc munera acceperat diues ille epulo, cui Abraham dixit: *Recordare fili, quod recepiſti bona in vita*

Luc. 15. S.Bernard. Serm. ſuper *Ecce nos*, &c.

tua; De quo Bernardus ait: *Hæc cine tota cauſa cruciatuum, quod in hoc ſæculo bona recepit? Ipſa planè.* Filij ergo concubinarum, nempè reprobi muneribus bonorum temporalium donantur, pauperibus verò ſpiritu, quippè filiis hæreditas æterna ſeruatur.

Quia verò hæreditatem dextera, munera ſiniſtra manu Deum elargiri intelligimus; ideò pauperes ad dexteram, diuites autem ac fortunatos ſæculi ad ſiniſtram ſpectare comperimus. Hi enim etſi in ſiniſtra Dei proficiant, at in dextera pereunt. Qua ratione accipiendum eſt

Exod 15. S. Gregor. 3. Paſt c.17.

illud Exodi: *Dextera manus Domini confregit inimicum.* Quod conſiderans. Sanctus Gregorius ſic ait: *Hoſtes Dei etſi in ſiniſtra eius proficiunt, in dexterâ franguntur, quia plerumque prauos vitâ præſens eleuat, ſed aduentus æternæ beatitudinis damnat.* Hæc cauſa fuit, cur Ioannes & Iacobus audierunt; *neſcitis quid petatis*; quia nimirum non ſolùm dexteram, ſed etiam ſiniſtram, quæ reproborum eſt, experiuntur. Quod annotans ad eum locum Chryſoſtomus, ita Chriſtum inducit reſpondentem: *Neſcitis quid petatis: ego vos vocaui ad partem dextram de ſiniſtra, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram.* Similiter in dextera parte eſt arcta, & aſpera paupertatis via, quæ ducit ad vitam: at in ſiniſtra eſt lata, ſpatioſa, & amæna bonorum temporalium, quæ tendit in perditionem:

Oſeæ 4.

vnde Oſeas de fornicariis, quos vaccæ laſciuienti comparat, ſic ait: *Nunc paſcet eos Dominus, quaſi agnum in latitudine.* Vbi Sanctus Hieronymus hanc latitudinem ad viam referens, ita interpretatur: *Ideò paſcentur in lata, & in ſpatioſa via; quæ ducit ad mortem: & patientia Domini, bonique paſtoris eos enutriet ad interitum.* Hæc viæ proſperitas iræ diuinæ poteſtas appellatur ab Auguſtino, explicans enim verba illa: *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ?* ſic habet: *Ad iram tuam pertinet, quod nonnullis,* Pſalm. 89. *quibus plus iraſceris, parcere videaris, vt proſperetur peccator in via ſua; & maiora recipiat in nouiſſimo. Læta ergo, & amæna proſperitatis via ad æterna ducit præcipitia.*

Similiter eiuſdem proſperitatis eleuatio, atque ſublimitas miſeram deiectionem, æternamque ruinam indicat. Hinc Iob peccatoris nomine dixit: Iob 30. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me validè.* Sicut enim Aquila teſtudinem extollere ſolet, vt eam ex altiſſimo loco deiiciens, faciliùs elidat, & confringat: Ita Deus reprobos videtur in altiorem fortunæ locum tollere, vt inde deiectos perdat. Hinc illud Regij vatis: *Deieciſti eos, dum alleuarentur.* Sed aptiſſima eſt ad hoc explicandum apud Sanctum Iob ſimilitudo: *Ad modicum* (inquit) Iob 24. *eleuati ſunt, & non ſubſiſtunt, humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur: & ſicut ſummitates ſpicarum contererentur.* Vbi S. Gregorius hanc diuitum, ac potentium, cum ſummitatibus ſpicarum collationem, ſic explicat: *Spicarum quippè ſummitates ariſtæ ſunt; ariſtæ autem coniunctæ in ſpica prodeunt, ſed creſcendo paulisper à ſe hirſutæ, & rigidæ diſiunguntur: ſic nimirum; ſic ad huius mundi gloriam praui diuites ſurgunt. Natura enim ſibi communione coniuncti ſunt, ſed contra ſe viciſſim creſcendo diuiduntur.* Sic planè accidit: nam ex iis diuitibus, & potentibus alius alium deſpicit, & alter in alterum inuidiæ facibus igneſcit. Quid ergo prauos huius mundi diuites dixerim, niſi ariſtas quaſdam generis humani? Quæ ſanè ariſtæ, quamuis inter ſe ſuperbia; atque diſcordia diuiſæ ſint, ſed tamen concorditer grana deorſum premunt. Vnde ſubdit Gregorius. *Nunc igitur ariſtæ ad alta proſiliunt, grana, in imò latent, quia & reproborum potentia eminet, & electorum gloria non apparet, ſed trituræ tempus aduenie quod & ariſtarum rigiditatem frangat, & ſolida grana non conterat.* Tunc enim mundanorum ſuperba proſperitas comminuitur; pauperum verò ſpiritu beatitudo, quaſi granorum candor oſtenditur. Qua de re per Ioannem, Matthæum, & Lucam dicitur; Luc. 3. *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & triticum quidem recondet in horrea ſua; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Proſperitas ergo mundana æternam aduerſitatem denuntiat. Quò ſpectat illud dictum: *Delphini tranquillo mari laſciuientes flatum, qua veniunt parte, denuntiant: ita cùm exultant homines, tolluntque ſe ſe, rerum humanarum tempeſtatem inſtare ſignificant.* Ex Plin. lib. 8. c. 18.

CAPVT V.

Octo beatitudinum ſeriem, ſcala Iacob adumbrat, per quam oportet ad Euangelicam perfectionem ſcandere.

ACcedamus iam ad octo beatitudinum explanationem, quibus totius Euangelicæ legis,

Digitized by Google

legis, nouique teſtamenti perfectio compendioſè definitur. Quam Deus olim Iacobo in ſomnis ſcalam oſtendit, eandem myſticam nunc vigilantibus Apoſtolis proponit, ex octo perfectæ virtutis gradibus conſtructam, per quos fideles debeant ad cœleſtes ſedes aſcendere. Audiendus planè eſt Theophilus Alexandrinus, qui ait: *Patriarcha Iacob ſcalam cernit in ſomnis, cuius caput pertingebat vſque ad cœlum, per quam diuerſis virtutum gradibus ad ſuperna conſcenditur.* Porro hi ſcalæ gradus octo numero ſunt, vt ſignificatum eſt in Ezechiele; vbi in templo illo myſtico ſibi ab Angelo demonſtrato, quod Eccleſiæ typus erat, duo atria vidit, exterius, & interius: in exteriori, porta erat auſtralis, ad quam aſcendebatur per ſeptem gradus: at in interiori, porta erat itidem auſtralis, ad quam aſcenſus erat octo graduum, cuius rei ſenſum enucleans Sanctus Gregorius, per atrium exterius legem veterem; per interius nouam intelligit. In porta atrij exterioris Patriarchas, & Doctores veteris teſtamenti; in porta verò auſtrali atrij interioris Apoſtolos, & Prædicatores nouæ legis intelligit. Doctores, & Patres antiqui in porta exteriori ſignantur, *quia per pæcepta legis* (inquit Gregorius) *opera populi magis, quam corda cuſtodiebant.* De diuerſo verò numero graduum his portis adiuncto, Sanctus Doctor ſic ait: *exteriores portæ ſeptem graduum; interiores octo, quia in veneratione legis dies ſeptimus, & in nouo teſtamento octauus à conditione, qui ſeptimum ſequitur.* Hoc eſt legis antiquæ Doctores mundi huius bona promittebant, ideo venerabantur diem ſeptimum qui vltimus fuit in mundi conditione: at nouæ legis Doctores mundi conditionem, & ſeptimum eius diem tranſcendentes octauum numerum complectuntur, quia & octo perfectas virtutes prædicant, & æternam beatitudinem, quæ in octauo numero deſignatur ipſis (iuxta Sanctum Auguſtinum) promittunt. Octo ergo gradus in porta nouæ legis, octo ſunt Beatitudines, quæ gradus ſunt ſcalæ Iacob, quibus ad ſuperna conſcenditur. Id confirmat Sanctus Gregorius Nyſſenus, vbi has Beatitudines cum ſcala Iacob componens, ſic ait: *Opinor ergo vitam cum virtute conumctam Iacobo per ſpeciem ſcalæ effingi, atque informari, vt & ipſe diſceret, & poſteris traderet, quod aliter ad Deum erigi, ac extolli non licet, niſi quis ſemper ſuperna contueatur, ac ſpectet, & ſublimium rerum deſiderio continenti teneatur, vt non contentus ſit in iis, quæ rectè fecerit, & conſequutus ſit manere; ſed in damno ponat, ſi ſuperiora non attingat, & aſſequatur.* In ſcala ergo cœlum pertingente duo maximè, iuxta hanc Gregorij expoſitionem admonemur, & ad cœleſtia contendendum, ſiquidem ſcala nobis eſt vita cum virtute coniuncta & nunquam in eodem virtutis gradu manendum, ſed per omnes ad [illegible] vſque procedendum. Id etiam admonet Sanctus Bernardus, p[illegible] *Vidit Iacob ſcalam, & Ange[illegible] deſcendentes,* ſic ait: *Nunquid [illegible] tem vidit? Certè non [illegible] non habemus [illegible] manentem ciuitatem, nec futuram a[illegible] poſſidemus, ſed inquirimus. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas, ſi velis ſtare ruas neceſſe eſt.* Explicatiùs eandem doctrinam tradidit his verbis: *Vidit ſcalam Iacob, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur vniuerſi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inueniri. Sed quomodo ipſum corpus noſtrum continuè, aut creſcere conſtat, aut decreſcere: Sic neceſſe ſit & ſpiritum, aut proficere ſemper aut deficere.*

Theophil. Alex. ep. 1. Paſchali.
Ezech. 40.
S Gregor. Nyſſen orat. 5. de Beatitud.
S. Ber. ſer. 17. in Can. Gen. 28.
Epiſt. 243.

Qui autem, cauſantur, & difficultatem aſcenſus, & longitudinem immenſam ſcalæ; oculos in multa coniiciant, quæ facilem reddunt aſcenſum, quorum primum eſt Dei auxilium: nam qui noſtræ infirmitatis eſt conſcius, ipſius pariter eſt adiutor: Cur in ſummo ſcalæ Deus ſtare conſpicitur, niſi vt vultu ſuo, manuque ſubeuntes confirmet? Audi Hieronymum: *Vidit Iacob ſcalam vſque ad cœlum tendentem, in qua Dominus deſuper innitebatur, aſcendentibus porrigens manum, & negligentes de ſublimi præcipitans.* Spectat etiam ad facultatem aſcenſus, quod gradus non ſimul omnes vno ſaltu, ſed pedetentim, ac per interualla ſuperantur: Iacob enim Angelos non volantes, ſed aſcendentes, & deſcendentes vidit. Paulatim ergo aſcendendo, non volando, apprehenditur ſummitas ſcalæ. Id luculenter admonuit Sanctus Ambroſius, ita ſcribens: *Ne terrearis mole magnorum, qui leuiorum exordio debeas prouocari; ſcalarum enim ſimilem eſſe ſcriptura nos docet pietatis aſcenſum, per quas vidit Angelos Domini aſcendentes, & deſcendentes Iacob vir exercitationis; qui nobis propoſitus eſt, vt per illum cognoſceremus, gradum virtutis, paulatim nos proferre debere, & ita poſſe ab imis ad ſumma contendere, ſi per proceſſus gradiamur exiguos ad ea, quæ videntur humanæ altiora naturæ.* Monendus igitur infirmus homo eſt, vt aſcendere tandem incipiat; dimidium enim facti, qui bene cœpit, habet: vnum pertranſeat gradum, deinde alius faciliori iam aſcenſu ſubeuntem excipiet. Sed hoc idem præſtat ex Sancto Ambroſ. audire, qui ſic progreditur: *Ne timeas, ô homo, gradus hos aſcendere diſciplinæ. Primus gradus vicinus eſt terræ, ſequens ſimilis eſt priori: ſic per æquales gradus ad ſumma conſcenditur. Ne faſtidias, ô homo, primum illum, velut viliſſimum gradum; ille primus aſcenſus te à terris ſeparat, aërem calcas, vbi ab humo leuaueris veſtigium.* Hoc de paupertate ſpiritus dicit, quæ primus eſt huius ſcalæ gradus.

S Hieronym. Epiſt. 27. ad Euſtochium.
S Ambroſ. Pſal. 36.

Quia verò infirmi tam ſublimis ſcalæ aſcenſum adhuc formidant, operæpretium erit eis proponere multorum exemplum infirmorum, qui paulatim per ſcalam virtutum arrepunt, & licèt lento gradu procedentes, ad aulam ſummi Regis perueniunt. Hos quidem ſub ſtellionis Symbolo ob oculos ponit Salomon illis verbis: *Stellio manibus nititur & moratur in ædibus Regum.* Aptum Symbolum. ſtellio enim, vulgò *Lagartija, o Salamanqueſa*, manibus paulatim procepens excelſos ſcandit parietes, & quamuis humillimo loco natus, ad ſumma Regum Palatia contendit, & vt Plinius ſcribit: *Stellio in locis oſtiorum, feneſtrarumque aut in cameris conſpicitur.* Sed rem in hoc animalculo ſignificatam ſtrenuè euoluit Sanctus Gregorius, ſic inquiens: *Pleruḿque enim aues, quas ad volandum penna ſubleuat, in vepribus reſident, & ſtellio*

Prouerb. 30.
Plin. lib. 30. cap. 10.
S. Greg lib. 6. mor. c. 5.

Digitized by Google

ſtellio qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, Regis ædificium tenet. Quia nimirum ſæpè ingenioſi quique, dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent; & ſimplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni Regni munia, virtus operationis leuat. Stellio ergo, dum manibus nititur, in regiis ædibus moratur; quia illò ſimplex per intentionem recti operis peruenit, quò ingenioſus minimè aſcendit. Gregorium imitatur Salonius Viennenſis Epiſcopus, vbi ſic addit: *Stellio illos ſignificat qui tardi ſunt ingenio, & tamen quotidiano ſtudio & diligentia manibus æternam aulam conſcendunt, hoc eſt, quamuis cum magno labore ad notitiam Sacrarum ſcripturarum perueniunt, & penetrant ſecreta cœleſtium myſteriorum.* Sed pulcherrimè ſanè Anaſtaſius Nicenus ſtellionis allegoriam ſingulariter ad bonum latronem deriuat his verbis: *Stellio innitens manibus, cùm ſit captu facilis, habitat in munitis palatiis Regum: latro ſcilicet in manuum extenſione Ieſu Chriſti cruce nitens, habitat in paradiſo, trium Regum munito palatio, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quis ergo ſibi deſperet de propoſito aſcenſu, cùm tam humilis ſtellio ad tam ſublimem Sedem peruenerit? Maximè verò, cùm ad faciliorem aſcenſum, ſcala nobis à Chriſto ſubſtructa ſit, & quidem pretioſiſſima: nam vt optimè Cromatius Epiſcopus ait: *Gradus quoſdam firmiſſimos ex lapidibus pretioſis ſternit, quodammodo Dominus, per quos anima aſcendere poſſint ad regnum cœlorum.*

Salon. in explicat. Prouerb.

Cromat. tract. de Beatitudin.

Cæterùm, octonarius numerus horum graduum perfectiſſimus eſt, & perfectionem intimæ iuſtitiæ, quæ in his octo beatitudinibus continetur, apertè indicat. Vnde illud Sancti Ambroſij: *Octaua ſumma virtutum eſt*, id eſt, in hoc octonario numero beatitudinum, ſumma virtutum omnium includitur. Ideirco Sanctus Hilarius octonarium omnium conſeruentium in ſe vndique partium æqualitate perfectum, & plenum eſſe, ait. Clemens Alexandrinus primum numerum cubum eſſe docet, id eſt telluræ ſimilem. *Octo*, inquit, *qui eſt primus cubus, eſt æqualitas in omnibus dimenſionibus longitudinis, latitudinis, & altitudinis.* Explicat hæc Macrobius inquiens: *Octonarius numerus plenus dicitur propter corporeæ ſoliditatis effectum. Pythagorici hunc numerum iuſtitiam vocauerunt: quia primus omnium ita ſoluitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bis quaterna*, vt nihilominus in numeros æquè pariter pares diuiſio quoque ipſa ſoluatur, in bis bina, eadem quoque qualitate conteritur, id eſt, bis bina bis. Cùm ergo & contextio ipſius pari æqualitate procedat, & reſolutio æqualiter redeat vſque ad monadem, quæ diuiſionem non recipit, meritò propter æqualem diuiſionem iuſtitiæ nomen accepit. Et quia ex ſupradictis apparet quantâ, & partium ſuarum, *Et ſequentium ſua plenitudine nititur, meritò plenus vocatur.* His adde quod ſupra attigimus octauum diem, id eſt, Dominicum, feſtum eſſe nouæ legis, quemadmodum ſeptimus, id eſt Sabbathum veteris fuit. Etenim ſeptimum diem Iudæi colebant, vt creationis mundi memoriam renouarent; nos octauum diem veneramur, vt reſurrectionis Chriſti, ac redemptionis mundi memoriam æternam conſeruemus. Vnde Rupertus ait: *De creatione*

S. Ambroſ. lib. 5. in Luc

S. Hilar. In Pſal. 118.

S. Clem. Alex. lib 6. ſtrom.

Macrob. lib. 1. de ſomn. ſcip. cap. 5.

Rupert.

mundi Sabbatizant dilectores mundi; nobis autem de ſaluatione mundi gaudendum eſt. Et Sanctus Ambroſius ſic: *Hebdomada veteris teſtamenti eſt, octaua noui.*

lib. 7 de diu. offic cap. 19. S. Ambroſ. quæſt 39.

Capvt VI.

Beatitudinum proceſſus eſt via trium dierum ab Ægypto ſæculi in deſertum perfectionis.

QVoniam autem aſcenſum perfectionis in tres gradus, ſeu vias Patres diſtinguant, & ordo beatitudinum ad eiuſdem perfectionis aſcenſum dirigatur, eas etiam ad tres gradus ſiue vias referamus, ſiue tres itineris dies, quibus ex mundi Ægypto excedimus, vt in deſerto rerum mundanarum ſacrificemus Domino, in cuius typum mandauit Deus Moyſi, vt diceret Pharaoni: *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro.* Vbi Gloſſa interlinealis per viam Chriſtum intelligens, ait: *Viam, id eſt, Chriſtum, qui die tertia reſurrexit.* Dicitur autem Chriſtus via trium dierum propter tres virtutis gradus, quos ipſius gratia iuſti percurrunt, nempe incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui enim ex Ægypto, id eſt, mundo excedentes, è peccatorum tenebris emergunt, primæ diei viam perambulant, dum in Chriſto virtutis primordia, ac rudimenta arripiunt. Secundæ diei viam tranſeunt, cum [illegible] in virtute proficiunt. Tertiæ tandem diei viam [illegible] ſoluunt, cum ab Ægypto magno [illegible] remoti, ad virtutis perfectionem perueniunt. [illegible] in hac [illegible] beatitudinum [illegible] trium [illegible] viam nobis Chriſtus demonſtrauit: [illegible] octo virtutibus, prima, ſecunda, & tertia [illegible] primæ diei viam, id eſt, ad incipientes pertinent, quarta & quinta ad proficientes, ſexta, ſeptima, & octaua ad perfectos ſpectant, quemadmodum S. [illegible] Doctores [illegible]. Cum igitur Chriſtus has [illegible] viam trium dierum, viam, id eſt, [illegible] virtutis [illegible] percurrimus admonuit. [illegible] in [illegible] ſe ab ſponſo [illegible]: *Introduxit me Rex in cellaria [illegible].* [illegible] Patres tres in domo Dei [illegible]; incipientium viam, [illegible], perfectorum tertiam. [illegible] genera ſentantiſt, [illegible] à [illegible], atque mundi [illegible] pertas Spiritus, manſu[illegible]. In ſecunda cella; [illegible], & propria, & pro[illegible] ſitiet, fames, ſitiſque [illegible] & miſericordia, qua [illegible]. In tertia cella, velut in intimo [illegible], quibus altiùs [illegible] mundum cordis [illegible] & [illegible] tionibus [illegible]. Tres [illegible] beatitudines continent [illegible] Victor, [illegible] tres progrediendi in virtute gradus [illegible] in cellis ſponſi, ſed in [illegible] ſpoſo ita diſtinguit: *Oſculabor igitur pedes Domini, [illegible] mergar per culpam: erigam me [illegible] oſculum manuum, vt [illegible] operibus viuam: [illegible] pedum ſummitatibus, & manibus reparans,*

Exod. 5.

Cant. 1.

Hugo. Victor. lib. 1. de clauſt. anim. cap 10.

prans extendam me, vt oſculum oris ſumam. Ad pedes igitur cognoſcitur miſeria, ad manum datur venia, ad os cumulatur gratia. Habes nunc vbi ſeruus ſe deiiciat pro culpa, vbi pauper recipiat munus à diuite, vbi amicus ab amico honoretur. Ad incipientes ergo oſculum pedum, ad proficientes oſculum manuum, ad perfectos oſculum oris ſpectat: nam profectò perfecta erat illa anima, quæ ſponſæ ſuæ petiuit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Deinde trium horum graduum officia eleganter idem deſcribit Hugo his verbis: *In primo ſuſpirium eſt doloris, in ſecundo exercitium laboris, in tertio indicium amoris. Hoc eſt Mariæ ſuſpirium, iſte labor Marthæ, ille Ioannis amor. Hic plorat Maria, ibi Martha conqueritur, illic Ioannes quieſcit. Maria lauat pedes Domini lachrymis &c. Martha miniſtrat, & ſollicita eſt, &c. Ioannes in pectore Chriſti requieſcit, &c. Ad abluendos igitur conſcientiæ pannos, Maria Magdalene præbuit aquam, eoſdem exterſit Martha manibus, vt ſiccarentur; accendit Ioannes ignem. Illa ſcilicet aqua mœroris, iſta exterſionem laboris, Ioannes ignem amoris. Aqua ſiquidem abluit ſordes, manus exprimit, ignis exiccat.*

Cant. 1.

Porro animæ progreſſum per hos tres virtutis gradus admirati ſunt Angelici ſpiritus, cum dixerunt: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Triplici hac collatione tripartitum eſſe progreſſum iſtum oſtendunt: nam anima iſta conſurgit, vt aurora, pulchra eſt vt Luna, electa vero vt Sol. In gradu incipientium conſurgit vt aurora, quia à tenebris peccati, in quibus iacebat, ad diem gratiæ procedit. In gradu proficientium pulchra eſt vt Luna; quia quamuis aliquibus maculis obſcuretur, ſolem tamen iuſtitiæ, imitatione proſequitur. In gradu verò perfectorum electa eſt vt ſol, quia ad ſplendorem, & ardorem amoris vnicè, aſſumitur. Etenim vt exemplis vtar Hugonis, Maria Magdalene, vt aurora conſurgit; Martha vt Luna, pulchra actionis varietate monſtratur; Ioannes vt ſol amoris eligitur. Præterea idem Hugo Victorinus agens de tribus arcæ manſionibus, & de cubito, in quo conſummabatur, eoſdem virtutis gradus ita diſtinguit: *In prima ergo manſione eſt cognitio, in ſecunda opus, in tertia virtus: in ſupremo præmium virtutis Dominus Ieſus Chriſtus.* Primus enim gradus cognitione incipit, ſecundus operatione proficit, tertius abſoluta virtute perficit.

Cant. 6.

Item Hugo lib. 2. de arca Morali c. 6.

Igitur, qui è cœno peccatorum emerſit, in id neruos omnes debet contendere, vt è primo gradu incipientium excedat, & ad ſuperiores enixe procedat. Id enim Deo gratiſſimum eſt. Id quidem Symbolicè eſt ſignificatum in grandi illo conuiuio, quod exhibitum eſt ab Abrahamo in ablactatione Iſaac. Nam Procopius ibi Abrahæ mentem egregiè eſt interpretatus: *Magnum enim conuiuium, & iucundum ſpectaculum eſt Deo Patri videre in Chriſto regeneratum relinquere infantilia alimenta, & ad perfectionem contendere.* Huius hoc ipſum Sanctus Ambroſius ſic ediſſerit: *Non quia a nutricis lacte subductus eſt puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham, ſed quia idoneus habitus eſt Iſaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento: non adhuc (vt Corinthij) lacte potandus, ſed epulis*

Gen. 21.

S. Ambroſ. lib. 1. de Abrah. c. 7.

ſolidioribus mādatorum cœleſtium mentis ſuæ lacertos firmans. Oportet igitur vt impedimenta perfectionis remouentes per paupertatem deponendo terrenarum ſarcinam rerum, & per manſuetudinem paſſionum comprimendo impetus, tum per luctum peccatorum maculas abſtergendo, in quibus primus purgatiuæ inchoantium viæ aſcenſus conficitur, ad virtutum exercitium properemus, per ſitim totius virtutis, & famem perfectionis, atque miſericordiæ opera, deinde poſtquam in hac illuminatiua proficientium via fuerimus viriliter prouecti, ad vnitiuam perfectorum humiliter aſcendamus per omnem cordis munditiam, animi pacem, & patientiam vel ipſius mortis, ideo beatitudinum coronis promulgatur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.

Capvt VII.

Per labores, & tribulationes ad æternæ beatitudinis requiem aſcendendum eſt.

HOc enim oportet ſcire per omnem in terra patientiam ad cœlum eſſe conſcendendum. Per labores, per tribulationes ad perfectionis montem aſcendemus, ideo quas Chriſtus beatitudines prædicauit, eæ plerumque ſunt quas homines ærumnas putabant, quas ægrè fert appetitus. Sed oportet ad æterna gaudia per tot temporarias aſcendere afflictiones, quas tamen ſic condit gratia Chriſti, vis ſcilicet nouæ legis, vt tantopere delectent, vt beate dicantur. Sic per beatitudines ad beatitudinem veniemus æternam. Hoc tamen huiuſmodi tribulationum iter, vt exponamus, quod in omnium Sanctorum celebritate; quoniam omnes per illas æternæ gloriæ montem ſubiere, repræſentat Eccleſia, aduertere oportet inter feſta, quibus antiquus Hebræorum populus diuinorum beneficiorum memoriam celebrabat, duo extrema maximè nobilia eſſe, nempe feſtum tabernaculorum, feſtumque cœtus, atque collectæ in eleemoſynas fiebant, vt docet Sanctus Thom. Porro hæc quæ futurorum erant vmbra, in ſanctorum omnium feſto completa ſunt; ſancti enim mundana huius Ægypti ſeruitute primum expediti, diuturnam huius ſæculi peregrinationem ingreſſi, tandem ad pacatam promiſſi cœli poſſeſſionem venerunt. Quapropter Eccleſia in omnium ſanctorum die celebrat: primò feſtum tabernaculorum, hoc eſt, octo Beatitudinum, in quibus ſancti peregrinantes ſemper habitarunt: ſecundò feſtum cœtus, id eſt, pacatæ poſſeſſionis æternæ beatitudinis: tertio, feſtum collectæ in eleemoſynas pauperum, quia ſancti in poſſeſſione beatitudinis collocati, interceſſionis, ac patrocinij ſui ſtipem nobis liberaliter elargiuntur. Id quidem nobis ſignificat tota antiqui populi peregrinatio, omneſque vſque ad promiſſam terram manſiones, id enim maximè in typica ea peregrinatione actum eſt, vt nouus & electus Dei populus intelligat, per difficilia, & incommoda harum beatitudinum tabernacula, ad æter-

S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 4 ad 10.

næ

patriæ quietem, ac felicitatem eſſe contendendum. Vnde Sanctus Petrus Damianus ait:

S. Petrus Dam. lib. 1. epiſt. ad Cardinales.

Quinta manſio fuit in Marà, quæ interpretatur amaritudo. Rectus ſcilicet, ordo eſt, vt qui ad terram properant melle manantem, in deſerto huius vitæ caloris, & tentationis amaritudinem hauriant: & per diſciplinæ præſentis aſperitatem, perueniant ad remunerationis æternæ dulcedinem.

Quæres: cur Deus iuſtis ad æternam patriam tendentibus difficilem, & amaram peregrinationem diſpoſuit, & in incommodis eos tabernaculis habitare voluit? Reſpondet

S. Auguſt. in Pſal. 40.

ſanctus Auguſtinus his verbis: *docetur iuſtus amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, ſtabulum amet pro domo ſua.* Luculentiùs ſanctus Gregorius de eadem re ſic ſcripſit:

S. Gregor. lib. 23. mor. cap. 15.

Pro quidem Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe eſt præſens vita, qua ad patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cùm amœna fortaſſe in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras innectere. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus huius mundi iter aſperum facit; ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiſcatur, quod deſiderabat in patria.

Aſperum ergo Deus reddit iter iuſtorum, ne viæ amænitate retardentur, & ab ingreſſu patriæ excludantur. Nam prudentibus virginibus ad aulam ſponſi admiſſis, *clauſa eſt ianua*, &

Matthæi.

fatuæ virgines ſerò venientes excluduntur. Quod conſiderans ſanctus Gregorius, ſcitè dixit:

S. Gregor. hom. 14. in Euang.

O ſi poſſet palatum cordis ſapere, quantùm admirationis habet: ecce ſponſus venit; quantùm dulcedinis: intrauerunt cum eo ad nuptias; quantùm amaritudinis clauſa eſt ianua? Ne igitur iuſtos viatores viæ amænitas remoretur, eis Deus afflictiones velut calcaria admouet, vt Regius Vates teſtatur,

Pſal. 15.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt, &c.

Ex quo debet intelligi, afflictiones, ac tribulationes beneficij loco eſſe à iuſtis habendas, grauiterque Deum ferre, ſi grauiter, & moleſtè tribulationes à Chriſtianis ferantur. Quod palam oſtendit ſupplicium diuinitus illatum Iudæis, qui Moyſi dixerunt:

Num. 21.

Cur eduxiſti nos de Ægypto vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, &c. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, &c. Hanc culpam, eiuſque ſupplicium expendens Saluianus ait:

Saluian. lib. 5. de Prouid.

Laborem quoque ſe ſuſtinere idem populus ingemuit, eapropter plagis cæleſtibus verberatur; non quia laboranti gemere non liceat, ſed ingratus fuit gemitus, Dominum quaſi auctorem immaculati laboris accuſans. Sæpè quidem homines plagis magnis à Deo feriuntur, quoniam immaculatum laborem ſtulto, & ingrato animo criminentur.

Capvt VIII.

Vniuerſus virtutum Chorus ad cæleſtis patriæ viam conuocandus.

Illud etiam obſeruandum, quàm meritò tot, imo cunctas virtutes in his octo Beatitudinibus incluſas Chriſtus à ſuis ſectatoribus poſtulat, quod variis ſcripturæ figuris ſignificatur; & primùm, quoniam hoc loco electi populi Dei peregrinatio deſcribitur ab Ægypto in terram promiſſam, id eſt, à tenebroſo mundo in cæleſtem patriam; ad hanc autem longam, & difficilem viam peragendam, omnium virtutum ſubſidia requiruntur.

Nam ſicut antiquus Dei populus, dum vaſtam deſerti ſolitudinem peragrauit, in tabernaculis habitauit, multarum arborum fronde conſtructis. Ita nouus Dei populus in terrena huius vitæ ſolitudine harum beatitudinum tegitur tabernaculis, quæ frondoſis omnium virtutum ramis conſerta ſunt. Porro de typicis tabernaculis dicitur ex mandato Dei facta eſſe: *De ligno pulcherrimo, cedro, & de palmarum* Leuit. 23. *ramis, ac frondibus ligni denſiſſimi, & ſalicis, & populi.* Nos ſimiliter ex Ægypto excedentes, & vaſtam mundi ſolitudinem peragrantes, præfatis tabernaculis egemus ad commorandum. Sed prætereà neceſſarium eſt, vt hæc myſtica tabernacula virtutum omnium vmbraculis coagmententur, quæ ſanè virtutes in veterum tabernaculorum ramis ſignificantur, vt aptiſſimè exponit Hieronymus his verbis: *Hæc ta-* Hieronym. lib. 13. in cap. 14. Zachariæ. *bernacula ſiunt in ligno ſapientiæ pulcherrimo, de quo Prouerb. 3. dicitur: lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint illam. Et in ramis palmarum, in quibus ſignum victoriæ, & virtutis præmium continetur, & in frondibus denſiſſimæ arboris, quam myrthum Iudæi intelligunt propter mortificationem carnis, ac libidinum, & in ramis ſalicis, quæ arbor indicat caſtitatem.* Hanc arborem indicem caſtitatis appellat, quoniam eius ſit naturæ, (vt ex medicis, & naturalibus hiſtoricis refert) vt ſi quis florem ſalicis mixtum aqua biberit, omnis in eo frigeſcat calor, & libidinis vena ſiccetur, vltraque filios generare non poſſit. Qui igitur tutò per peſtilentem mundi ſolitudinem vult incedere, tabernacula beatitudinum erigat, quæ ex omnium virtutum frondibus conſertare ſtudeat.

Adhæc ad agendum hoc iter, & percurrendam viam mentis oculi perſpicaces omnino neceſſarij ſunt, qui ſanè ſine virtutibus conſiſtere non poſſunt, imo virtutes ipſimet oculi ſunt. Quod oſtendit Apoſtolus Petrus, cùm virtutibus præmiſſis ſubdit: *Cui enim præſto hæc non ſunt, cæcus eſt & manu tentans.* Virtutes autem 2. Petr. 2. ſic præmittit: *Miniſtrate in fide veſtra virtutem; in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, &c.* Primo loco fidem poſuit, quæ eſt cæterarum omnium fundamentum, ſed quia neceſſe eſt reliquis ei adiungere, addit *virtutem*, id eſt, fortitudinem quæ ad propugnationem fidei requiritur; vt autem fortitudo non ſit temeraria, additur *ſcientia*; vt verò ſcientia conſeruetur, accedit *temperantia* ſcientiæ: Et ſapientiæ comes, &c. cunctæ ergo virtutes

arcto

Digitized by Google

arcto amicitiæ vinculo copulatæ ſunt, quibus qui caruerit cæcus eſt, nec vllatenus rectam viæ regionem tenere poteſt, nec ad cœleſtem patriam peruenire.

Præterea, vt commodiùs tam longa via percurratur, neceſſarius eſt currus, ſiue quadriga, quæ ſine omnibus virtutibus conſiſtere non poteſt. Quadriga enim, qua anima ad cœleſtem patriam vehitur ex quatuor Cardinalibus virtutibus, prudentia, iuſtitia, fortitudine, ac temperantia componitur. Id docet S. Hieronymus, vbi de his quatuor virtutibus ſermonem habens, ſic eum alloquitur, (ſcilicet Nepotianum.) *Hæc te quadriga, velut aurigam Chriſti, ad metam concita ferat.* Sed luculentiùs, & explicatiùs diſſerit Hildebertus: *Hæc eſt ea quadriga, qua non habentes hic manentem ciuitatem, futuram inquirunt. Beatus quidem currus, quo Thesbites Elias euectus in cœlum, mortem diſtulit non euaſit; hic autem multò beatior, quem qui aſcenderit, mortem non guſtabit in æternum. Ad illum quoque igneum, niſi prius hunc aſcenderet, Propheta non veniret.* Deinde ſtructuræ ordinem, quo virtutum quadriga diſponitur, ſic proſequitur: *Prima rota prudentia eſt, qua bonum verum eligitur, ſed ab hoc animus auertitur, dum occurrentibus moleſtiis, & aduerſitatibus frangitur. Adhibenda eſt igitur prudentiæ fortitudo, vt ad tenendum, quod prudenter eligimus, inſurgentibus moleſtiis fortiſſimè reluctemur. Quibus virtutibus inuicem coniunctis, temperantia neceſſario ſupponitur, virtutem ſeruatura in proſperis, quæ ex fortitudine ſeruata eſt in aduerſis. Quarta rota iuſtitia eſt, &c.* Qui ergo ab Ægypto in terram promiſſam, id eſt, à terra in cœlum contendit, virtutis quadriga quatuor his rotis conſtante vehi debet, ne deficiat in via. Primum ne à propoſito aberret ſcopo, ſed recta orbita in electam promiſſionis terram conſcendat, nec in Ægyptum reuerti vnquam animo admittat, neceſſaria eſt rota prudentiæ, qua vera patria eligitur, falſa reiicitur. Ne verò virtutis currus hæreat in ſalebris, neceſſaria eſt rota fortitudinis. At quia in humida amœnorum pratorum humo, in viſcoſa videlicet proſperitate, & in limoſis voluptatum conuallibus virtutis currus demergi ſolet, neceſſaria eſt temperantiæ rota; quæ nunquam in huiuſmodi locis impingit. Quia verò ſæpe in diuerſoriis manendum eſt, vt iuſta cuique ſoluas, iuſtitiæ rota neceſſaria eſt.

S.Hieron. Epiſt. ad Nepot.

Hildebert. Epiſt 31.

Quoniam autem longiſſima eſt hæc via, in qua nimirum, & hyeme, & æſtate iter agendum ſit, neceſſaria eſt viatori hyemalis, & æſtiualis veſtis, ad quas ſanè conficiendas cunctæ virtutes requiruntur. De his enim explicat Hugo Cardinalis illud Prouerbiorum: *Omnes Domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, vbi ſic ait: *Duplex veſtis eſt hyemalis & æſtiualis, veſtem hyemalem dico virtutem, quibus protegimur contra pluuiam, & grandinem tentationum, & perſequutionum: eiuſmodi ſunt patientia, manſuetudo, humilitas, & alia id genus. Æſtiualem dico, virtutes, quibus tempore pacis, & tranquillitatis vacatur bonis operibus, & contemplationi, qualis eſt charitas, pietas, deuotio, ſapientia, &c.* Sine his duplicibus virtutum veſtibus hoc iter agere non expedit.

Prouerb 31.

Verùm exemplo ſponſæ docemur, omnes coniungendas virtutes, vt ab Ægypto ad terram promiſſam per deſertum aſcendamus: Nam *Cant.* 3. ſic illam quaſi admiratur ſponſus; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Quam collationem ſic ad hunc locum exponit Caſſiodorus: *Virgula fumi myrrhæ, & thuris animam Sanctam aſſimilat; quia mortificatione carnis, & ſtudio orationis Deo placere curat; & congerie omnium virtutum, quam deſignat vniuerſus puluis pigmentary.*

Cant. 3.

Denique, quia hic per deſertum aſcenſus à terra eſt in cœlum, neceſſariæ ſunt multarum virtutum alæ. Id nos admonent ſancta illa animalia, quæ ſenis alis erant munita: nam vt ibi interpretatur Abb. Ioachim: Alæ duæ quæ tegunt pedes, ſignificant pœnitentiam, & miſericordiam, quibus confuſio peccatorum contegitur. Duæ quibus facies tegitur, exprimunt humilitatem, & patientiam, quibus ſolent ſancti homines iuſtitiam, quam facies ſignificat, contegere, ne per vanæ appetitum laudis quidquid iuſte agitur, amittatur. Duæ, quibus volant, fidem, & ſpem adumbrant, per quas omne Sanctum animal in ſublime leuatur. Vel per alteram ex his duabus alis paupertatem Spiritus intellige, de qua S. Bernardus expendens ea verba Pſalmi: *Pennæ columbæ deargentatæ*, ſic ait: *Magna quædam penna eſt paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus, quæ ſequuntur; promiſſio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur, quàm datur, vnde & præſenti tempore enuntiatum eſt, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, cùm in cæteris dicatur: hæreditabunt, conſolabuntur, & ſimilia.*

Apoc 5.

Capvt IX.

Quæ de Beatitudinibus docuit Iſaacius Monachus.

Priùs etiam quàm nos percurramus ſingulas Beatitudines, non ingratum erit præmittere, quæ de iis ſubtiliter eſt ſpeculatus diſertus Iſaac, ſiue Iſaacius Monachus. Is Doctor conſiderans illa verba Matthæi; *Videns autem Ieſus turbas aſcendit in montem*, ſic ait: Vtinam & nobis quandoque contingat turbam videre, & illis dimiſſis aſcenſiones in corde diſponere; difficilè eſt enim in turba turbam videre; Ideò dimittenda eſt turba vt videatur, & iudicetur de ipſa, quia lucem nunquam vidit nec tenebras nouit. Sic omnipotens Dominus poſtquam dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, tunc diuiſit lucem & tenebras, tunc diſcreuit, tunc diiudicauit, tunc vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Et vidit, inquit quaſi antea non vidiſſet: ſic turbam non vidit, qui ſupra turbam minimè ſe leuauit. Turbæ turbelam non ſenſit, qui ſilentium ſolitudinis non guſtauit. Dominus Chriſtus fortè potuit ſolus non turbatus à turba in turba turbam videre, quam tamen videns dimiſit, & aſcendit in montem. Heu quanti hodie turbas fugere proponunt; eò tamen fugiunt, quò ampliùs à turbis inueniuntur, & comprimuntur, licèt tamen de quodam exterio

De Stella hom. 1.

exteriori turba, & modo, hiſtoria ſibi conſtet, ego tamen illud magis attendo, quod mores inſtruat, & ſuper fundamentum ædificet. Et licèt turba exterior non poſſit; aut vix poſſit eſſe ſine turbela, mihi tamen magis ſuſpecta eſt interior quædam turba, eò turbantior, quò interior. Mox cum relictis turbis aperuiſſet Dominus Ieſus os ſuum, vt Beatitudines pronunciaret, ait idem Iſaac: Relicta eſt turba, nil de firmitate, nil de vitio, nil de diei malitia: Sapientia ſemper ſapienter agit, & loquitur. Volens poſt ſe adoleſcentulas trahere ſeptem eis aperit thecas; vt delectatæ odore, currant poſt eum, cœleſtis medicus alabaſtra pigmentaria refert, quæ ſecum veniens de ſinu Patris attulit, vt illius vulnera curet, qui deſcendit de Hieruſalem in Hiericho, & incidit in Latrones. Et cum ſediſſet aperuit os ſuum. Igitur contingat ſedere cum Ieſu, & in monte ſedere ad pedes eius, & accipere de doctrina illius. In turba ſtat, & ambulat, agit, & fatigatur, premitur, vt quaſi non liceat ſibi, & diſcipulis ſuis manducare panem vitæ, & intellectus, & aquam ſapientiæ bibere, quæ otio bibitur, & qui minorantur actu, hauriunt eam. Puteus enim altus eſt, aperuit os ſuum: Os vnde oſculum petit ſponſa. Os ſpecioſæ ſupellectilis, in quo erant omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

De prima Beatitudine.

Beati pauperes Spiritu. Beatitudinem loquitur ipſa beatitudo. Paupertatem factus pauper Rex Regum. Manſuetudinem mitis. Conſolationem paracletus. Saturitatem panis. Miſericordiam ipſa miſericordia. Munditiam cordium munditia. Patientiam, & filiationem, verus pacificus, & verus filius. Beati pauperes Spiritu. Sapienter omninò id primo loco ponit, quod omnes deſiderant; à quo tamen ferè omnes exorbitant. Cur litigat, pugnat, negotiatur, obſequitur, vexat, vexatur, denique infelix eſt, niſi vt ſit beatus homo? Eo enim quiſque beatum ſe credit, quo quod mauult, efficit. Vnanimiter ergo omnis homo beatitudinem appetens, ſed de ipſa differenter ſentiens. Alius in voluptate corporis, & ſuauitate temporali. Alius in virtute mentis. Alius in agnitione veritatis eam autumauerunt. Vnde omnium Doctor ſola charitate ſapientibus & inſipientibus debitor primò corrigit errantes, ſecundò dirigit itinerantes, tertiò admittit ad ianuam pulſantes: clamat pro deuiis Propheta: Deduc me Domine in via tua. Pro viatoribus: Ingrediar in veritate tua. Pro pulſantibus: Lætetur cor meum, vt timeam nomen tuum. Itaque via, veritas, & vita: corrigens, dirigens, admittens, ſic inchoat. Beati pauperes Spiritu. Sæculi huius falſa ſapientia & vera ſtultitia non intelligens de quibus loquitur, neque de quibus affirmat, ſententiam ponit. Beatos dicit filios, quorum dextera, dextera iniquitatis, & os loquens vanitatem propter promptuaria plena; & cætera quæ ſequuntur, quæ ad incertum pertinent pacis, & non pacis, & ineptæ lætitiæ: contra quam ſapientia Patris Dei filius proprius dextera Patris, os loquens, veritatem pronuntiat, beatos fore pauperes Spiritu reges regni æterni. Ac ſi dicat: Erratis, corrigendi eſtis; beatitudinem quæritis, ſed non eſt, vbi quæritis, & eſt vbi non quæritis. Curritis, ſed extra viam. Paupertas voluntaria propter me, ipſa eſt via. Paupertas via eſt non beatitudo. Audiamus pauperes pauperem. Experto credendum eſt. Pauper natus eſt, pauper vixit, pauper obiit. Mori voluit, diues fieri noluit. Sed ardua eſt via: Quippè ſurſum itur. Ideò expeditos fore neceſſe eſt. Quid volumus? Quærimus beatitudinem? Oſtendit veritas veram. Quærimus diuitias? Rex regna donat, Reges facit. Irretiuit homines peſſima peſtis curioſitas. Excuſant eos iuga boum quinque à cœleſtibus nuptiis, in quibus de paupertate ſumitur plenitudo, de inopia ſaties, de extremitate primatus, de vilitate dignitas, requies de labore, hos boues mactauit Eliſæus, vt expeditus ſequeretur Eliam. Et nos ergo ſimili forma ſequamur Chriſtum.

De ſecunda Beatitudine.

Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram, &c. Non ait illam & illam; nec aliquam terræ, quamlibet magnam portionem, ſed terram. Quis vnquam ſuo ſudore, ſuis bellis hoc potuit. Quid opus eſt diu laborando quærere, quod neceſſe ſit citò perdere? Cœlum pauperibus, terra mitibus. Quid relictum contentioſis. Quid amplius volunt, qui diuites fieri volunt? Quibus non ſufficit cœlum & terra; quid eis fiet? Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis, &c. Mentitur dignitatem, mentitur poteſtatem, mentitur beatitudinem vanitas dominationis terrenæ. Cur parum cupitis? totum promittitur, via oſtenditur, pauperi beatitudo cœli, miti beatitudo terræ debetur. Quid ergo miſeris contentioſis reſtat, niſi miſeria infernalis.

De tertia Beatitudine.

Beati qui lugent. Poterant iſta ſufficere ad corrigendos erroneos, niſi Diabolica malignitas latiùs pateret, & cancrinum malum altiùs, propiùſque medullis inhæſiſſet. Latrat adhuc Cerberus, & tertium caput concutit, ſcilicet, prudentiam carnis; cuius domicilium venter quem qui inhabitat, Deo placere non poteſt. Quo mihi, inquit, cœlum, & terra? quò diuitiæ in malum dominorum ſuorum congregatæ, quo potentiæ tumidæ, & ſemper timidæ? Foris ſunt omnia hæc. Ego de me ſollicita ſum. Anima habes multa bona, epulare, & bibe. Diues habet nummos, ſed ſe non habet. Viue dum viuis: cur te ipſum ante tempus perdis? Incipe te ipſum agnoſcere, & beatus eris. Hic eſt error nouiſſimus peior prioribus. Ille lacus miſeriæ, illud lutum fecis. Sic ergo miſerabiliter errantes miſericorditer reuocat ſapientia dicens: Beati qui lugent, &c. Hoc eſt ad gaudium via eſt luctus, ad conſolationem deſolatio, ad inueniendam animam perditio, ad poſſidendum abiectio, ad amandum odium; ad ſeruandum contemptus. Si vis te ipſum cognoſcere, te poſſidere. Intra te ipſum, & non te quæſieris extra. Redi intus præuaricator ad animam tuam & vide, & plange eã ſubiectã vanitati, & iniquitati,

&

Digitized by Google

& ne poſſit emergere captiuatam. Exi foras ad carnem, & vide, & luge eam ſubiectam corruptioni, mortalitati, & ne poſſit exurgere infirmitati. Et ne longum faciã nemo abyſſum ſuæ miſeriæ, ſuæ ignorantiæ, ſuæ difficultatis, ſuarum penetrans paſſionum, ſuam monens conſcientiã, qui non magis (vbi facilè lugẽt homines) in alicuius propinqui ſui cuiuſcumque neceſſitudinis funere afficitur ad lachrymas, compungitur ad fletum, mouetur ad planctum, quam in ſui ipſius eò magis propinquo, quò intimo. Cur alterius miſeretur qui ſui non miſeretur. Conſtat ergo nos foris eſſe à nobis, retro, & non ante, noſtri demum vel oblitos; vel ingratos, quoties ridemus, iocamur, otioſis delectamur, paſcimur fabulis, & verbis riſum mouentibus indulgemus, cæteriſque corporum mollitiis effluimus. Vnde ſobriæ ſemper fuit ſapientiæ, ad domum luctus magis, quam ad domum conuiuij inuitare. Hoc eſt, in ſe, qui erat extra ſe hominem vocare, dicens: Beati qui lugent. Et alibi: Væ vobis, qui ridetis. Fleuit qui flere nos monet, riſiſſe non legitur. Sororum lachrymæ fratris reſurrectionem meruerunt. Sororum lachrymæ reſuſcitatorem flere fecerunt, vt & in flendo te reſuſcites. Corpus, ait Apoſtolus; mortuum eſt propter peccatum, ſed Spiritus viuit, propter iuſtitiam. Itaque quod viuit in nobis, ploret, & oret, vt quandoque reſurgat quod iacet, & fœtet. Quanta fuit olim cura Sanctis Patribus, & Prophetis mortuos ſuos flerẽ, ſolemnes dies planctus habere, per ſeptem dies, propter temporis ſeptimam protrahere? Et nos quibus illi flebant, petulantes plenè cachinnamur, aut etiam olim mortui iam fœtemus: nemo eſt qui moueat benignum Ieſum ad lachrymas. O ſorores quid facitis? Quid facis actiua? Cur non laboras & ploras? Quid tu contemplatiua? cur non oras & ploras? cur non vbique luctus, vbique deſolatio, & domi intus; & in platea foris, donec fremat Ieſus, ſeque ipſum turbans dicat, non tam mortuo, quàm morti: Exi foras, vt mortale hoc abſorbeatur à vita? Beati enim, qui lugent, non quia lugent, ſed quia conſolabuntur. Ecce quomodo corrigit orbem, qui iudicat populos in æquitate. Æquum enim eſt benigno & ſapienti Deo, & peruerſos corrigere, & correptos dirigere, & directos ſuſcipere. Tria & tria, vnum contra vnum. Tria auocant à Deo ad mundum, tria reuocant à mundo ad Deum. Omne quod eſt in mundo eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum aut ſuperbia vitæ. Prima vxorem duxit. Secunda probat iuga. Tertia villam emit. Luxuria, auaritia, ſuperbia. Sed nos in montem Deum ſequentes audiamus, quia beati pauperes, mites, compuncti, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

De quarta Beatitudine.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt, &c. Liber Sapientiæ ſcriptus eſt intus & foris, quaſi foris loquitur, qui peruerſos corrigit: quaſi intus, qui conuerſos dirigit. Iuſtitia eſt virtus, quæ omnia æquat, reddens cuique quod ſuum eſt, hanc lex naturæ continet. Scriptura præcipit, Euangelium complet. Hac itaque dirigendus qui beatitudinem quærit, ne cum naturali

lege maneat, vt Philoſophis: vel iuſtitiam inſtituat, vt Iudæus. Hinc præſumptor, hinc ſimulator, ſed iuſtitiæ fidei ſe ſubiiciat, vt Chriſtianus, & humilis accuſator ſui. Vide ne vnquam te aufugiat iuſtitia à manu, ab ore, à corde. Nam qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam, non aliam, ſed plenam, ſed perfectam, ſed quietam. Ideò Beati qui eſuriunt, &c. Ipſa viaticum in itinere iuxta quod ex parte eſt. Ipſa cœna in patria; iuxta quod perfecta eſt: nunc ad medicinam, tunc ad delectationem. Cuius inchoatio eſt, obtinet nemini iniuriam facere: profectus, illatam patienter ferre: perfectio, omnibus benefacere, ſi poteſt: ſi minùs, velle. Vnde ſequitur.

De quinta Beatitudine.

Beati miſericordes. Sed fortè dicitis: Væ nobis. Sola miſericordia miſericordiam conſequitur. Quid facere poſſumus eſurienti, ſitienti, nudo, vago, & infirmo, incluſo, qui omnia reliquimus, qui nil habemus, quibus omne peculiare terribiliter, interdicitur? Sed audite conſolationem. Miſericordiæ duæ ſunt ſpecies. Dare, & dimittere, vnde dicitur: Date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur, &c. vtriuſque ſpeciei tripartita eſt diuiſio. Eſt enim iuſtitia in vtraque magna, maior, maxima. Inchoans, adulta, robuſta. Primus itaque gradus dat de ſuis. Vnde: Date eleemoſynam. Secundus omnia ſua, vt dicat: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Tertius ſe, vt dicat: Libenter impendar, & ſuperimpendar. Hac maiorem dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc retribuit Domino quantùm poteſt. Qui in nullo repertus fuerit miſericordiæ gradu, in nullo erit indulgentiæ loco. Sic & de alia ſpecie. Nam & de debitis remittitur, & debita remittuntur: & qui ſe totum debet, quandoque manumittitur. Sunt & alia opera miſericordiæ. Nam & iniuria donatur, & conſilium datur, & oratio impenditur, & exemplum bonum præbetur, & diſciplina erogatur, & alia multa in hunc modum. Qui ergo omnia reliquit, ipſos etiam qui conſequentur miſericordiam iudicabit. Igitur beati miſericordes. Hæc eſt totius actiuæ diſciplinæ ſumma. Non eſt quo pedes vltra gradiaris. Si vltra vis procedere, volandum eſt. Quid enim amplius homo in hac vita mortali, inter homines, vel ad ſe, vel ad alterum poteſt, quam vt per voluntarium mammonæ iniquitatis contemptum in ſe modicus ſit, & ſolidus? per manſuetudinem aliis placidus, & ſeuerus? Per iuſtitiam fortis, & in ſe ipſo totus teres & rotundus? Per miſericordiam multis beneficus, cunctis beneuolus? per amorem paupertatis mundum ridentem reſpuat? Per virtutem manſuetudinis iratum contemnat? Per compunctionis munus ſe recipiat ſectando iuſtitiam, Deo ſe ſubdat? per miſericordiam proximum colligat, paupertatis amore, modico contentus miſericordiæ dulcore omnia omnibus factus? Sequitur deinde Beati mundo.

De ſexta Beatitudine.

Appetitiuum eſt omnibus velle videre quod amant. Vnde poſt cætera congruè ſequitur: Beati

Digitized by Google

mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Duobus itaque modis mundandum eſt cor, ad virtutem ſcilicet & virtutem, ad diligendum, & ad videndum. Sumus enim claudi, & cæci per ignorantiam & difficultatem; quarum altera oculos rationis claudit, altera pedes animæ ligat, id eſt, affectum: Mundandum eſt cor non ſolùm à vitiis, ſed etiam à phantaſiis, quæ per ſenſus corporeos imbibuntur. Deus itaque ſuperiore ſermone cor noſtrum à prima mundauit macula; nunc verò mundare nititur à ſecunda: vt videlicet intueri poſſimus, quod eſt ſine omni corpore ſubſiſtens, ſine qualitate decorum, ſine tumore magnum, ſine loco vbique; ſine tempore ſemper. Primò itaque diſcretè, ſobriè, fortiter, iuſtè inſtituenda eſt affectio, & in ea habitus animi benè inſtituti, qui virtus dicitur, & in charitatem formetur, & ordinetur. Sicque priùs qui eſſe deſiderat ſpiritalis affectione, quàm ratione, conuerſatione quàm meditatione, pedibus nitatur, vt ſurgat in volatum. Et quia ſemper volare non poterit, pedibus iterum ſe recipiat, ne præceps ruat.

De ſeptima Beatitudine.

Beati pacifici, &c. Quid quærit amplius ſeruus, niſi vt filius fiat? Imò. Quis hoc auderet, vel renueret opinari, niſi id ipſa Dei benignitas, & præmitteret, & promitteret? Et notate gradus. Inimici eramus, peccati ſerui, liberi iuſtitiæ: liberauit nos filius. Et verè liberi facti ſumus à peccato, & Diabolo. Liberi facti iuſtitiæ: & hic primus gradus, quem deſiderans quidam clamat: ô Domine libera animam meam à labiis iniquis. Idque conſecutus exultat: ô Domine, quia liberaſti me, ego ſeruus tuus. Ego ſeruus tuus: non dico filius tuus, ſed filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, quibus quadrupedem ſtrinxerat Diabolus, vt nec exire, nec liberare liberum eſſet. Nunc pedem moueo, nunc manum aridam extendo. De peruerſo conuerſus, de inimico ſeruus. Ecce qui mala fecit, vel bona malè inimicus deputatur. Qui omnia benè, nondum amicus, ſed ſeruus. Itaque benefacere, opera exequi virtutis, iuſtitiæ, & miſericordiæ, ad ſeruum pertinent: Amicus intereſt ſecretis, nouit conſilia. Quid adhuc expectamus? An vt de amicis tertio gradu fratres Chriſti, filij Dei, ac per hæc hæredes ipſius efficiamur? Nam qui filij, & hæredes. Hactenùs Iſaac de Beatitudinibus per compendium diſſeruit. Nunc nos latiùs ex multis Patribus, & Doctoribus Eccleſiaſticis diſſeramus. Sequenti volumine complectemur beatitudinem paupertatis, quæ cæterarum velut ianua eſt, mox alio agemus volumine. De his quæ viam incipientium iuuant. Deinde alio quæ proficientes perficiant, & tandem extremo libro, quæ perfectos commendent.

* * *

CAPVT X.

Rurſus de Beatitudinibus ſummariè, & quomodo in Chriſto fuerint ex Chriſtiano Grammatico expoſit. in Matth. cap. 10.

V*Idens autem IESVS turbas aſcendit in montem.* Tria refugia ſibi Dominus elegit, quandocumque turbæ multæ ad audienda verba ipſius conuenerunt. Montem iſtum Thabor, & lacum Geneſſar, & templum Domini. Sex quoque turbæ ſequebantur eum, diuerſa voluntate: primò Diſcipuli propter amorem prædicationum eius audiendarum. Alij propter ſanitatem. Alij propter admirationem videre eum cupientes miracula facere. Alij propter indigentiam cupientes ſaturari ab illo, vel aliquid eleemoſynæ in denariis, aut in alia re accipere. Phariſæi verò vel miniſtri eorum ob reprehenſionem. *Aſcendit in montem.* In ſuperiori montis ſecretiora loquens Diſcipulis: in inferioribus autem, turbis: vbi etiam quinque millia hominum ſatiauit. *Et cum ſediſſet*, videlicet, ſegregatus à turbis, *Sedere Dei*, eſt ſpiritaliter incarnatum eum eſſe, quia quaſi contractum eum eſſe, incarnatum, hoc eſt, non eſſe talem, qualis eſt in ſua diuinitate. *Diſcipuli eius acceſſerunt ad eum.* Sicut alacres, ſicut Domeſtici, ſicut electi de turbis, digni audire myſterium regni cœlorum: quod turbæ audire nequibant. *Et aperiens os ſuum.* Qui priùs ora aperuerat Prophetarum. *Docebat eos.* Qui docuerat aliquando per legiſlatores & Prophetas: nunc per ſe metipſum dicens. *Beati pauperes ſpiritu.* Non dicit abſolutè *pauperes*, ſed addit, *Spiritu*, quia multi inuiti ſunt pauperes: ſed de his dicit, qui cùm poſſint eſſe diuites, propter Deum paupertatem ſectantur, ſiue non habent voluntatem habendi; ſicut Apoſtoli ad quos hæc loquebatur. Siue *pauperes ſpiritu*, humiles, de quibus ſcriptum eſt; *Et humiles ſpiritu ſaluabit.* Et de his per Eſaiam, *Spiritus Domini ſuper me: ad annunciandum pauperibus miſit me; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Vita ſcilicet æterna. *Beati mites*, id eſt, manſueti. Hanc virtutem Dominus à ſe diſcere iuſſit dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Manſuetus manu aſſuetus dicitur: hoc eſt, qui non deſpiciunt alios: ſed omnes vt proximos amant & recipiunt: qui non ſunt ſuperbi, nec dedignantur cæteros. *Ipſi poſſidebunt terram.* Non illam, quæ ſpinas & tribulos profert: quam crudeliſſimi, & ſuperbi magis poſſident: ſed illam, de qua dictum eſt, *Credo videre bona in terra viuentium.* Cuius poſſeſſorem deſcribens Pſalmiſta; quaſi pro triumphato Diabolo dicit, *Intende proſperè, procede & regna; propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, &c.* Per tria iſta, illa terra Domini poſſidetur; videlicet, veritatem: manſuetudinem: & iuſtitiam. *Beati qui lugent.* Eſt luctus malus pro terreno damno lugere; quia triſtitia huius ſæculi mortem operatur. Et Beatus Gregorius dicit: *Abſit vt aliquis*

Digitized by Google

quis fidelium de interitu mundi lugeat, ne de mundo, nec de mundana re Chriſtianus lugere debet. Eſt autem luctus bonus, quem debent habere Chriſtiani. Lugere, eorum eſt, in quibus memores ſunt Dei præcepta præteriſſe, vel non egiſſe quæ Dei ſunt: vel proximos ſuos debent lugere, qui à Deo exorbitant. Sicut Samuël lugebat Saül præteriſſe mandata Dei. Perfectorum quoque lugere eſt pro dilatione vitæ æternæ, & pro deſiderio viſionis Dei. Qui ergo aut pro recordatione peccatorum ſuorũ, aut proximorum: ſeu pro futuro iudicio, vel pro peregrinatione à cœleſti patria lugent, Iſti conſolabuntur conſolatione æterna; quæ terminum non habebit. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Qui ſemper faciunt iuſtitiam; hoc eſt, iuſta operantur, & ſemper plus cupiunt facere: Et quaſi faciendi famem patiuntur: Iſti ſaturabuntur de æternis bonis: *Quæ oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: quæ preparauit Deus diligentibus ſe. Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Miſericordia non ſolum eſt in re terrena, ſed etiam in ſpiritali; vt adiuuemus proximos vbicumque poſſumus. Qui autem perituro non ſubuenit, ſi poteſt, occidit: & æqualis ille qui facit, & qui facienti conſentit vt faciat. Miſericordia autem à miſero corde vocatur, ſi aliquid non poſſumus: vel in corde condoleamus; hoc de terrenis damnis & erga nos commiſſis.

Cæterum qui peccat in Deum, non eſt noſtrum remittere donec Deum credamus dimiſſum habere. Exemplum nobis eſt reſuſcitatio Lazari, quem Diſcipuli non antea ſoluerant quàm Dominus habuiſſet reſuſcitatum: nec Paſtor Eccleſiæ peccatorem poteſt abſoluere à peccatis, donec reſuſcitatus; hoc eſt immutatus fiat in anima. Quamdiu aut in voluntate, aut in opere talis eſt, qualis fuit: fruſtrà illi veniam promittit peccatorum. De talibus Dominus dicit: *Perſonam in iudicio cognoſcere non eſt bonum.* Et iterum: *Non declines cor ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Item: ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus, ſi autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Illi ſunt mundo corde, quos non remordet conſcientia criminalis peccati: vel qui non cogitant aliud, niſi quod bonum eſt. Mundus enim Deus à mundis corde videbitur in hoc ſæculo oculis cordis, & ſub quadam imagine, in futura vita facie ad faciem. *Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacifici compoſitum verbum eſt, à pace, & facio. Illi ſunt pacifici, qui primum faciunt pacem in ſe vitiorum, vt non pugnent vitia contra virtutes: ſed habeant pacatum Deum. Deinde ſtudeant pacificare proximos ſuos in bono, non in malo. Non enim eſt bona pax, quam mali habent: nec in eam iuſtus debet conſentire, vel conſors illius eſſet: quoniam proximum diligere, vitium debemus odire. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Qui bona faciunt, & mala pro eiſdem bonis recipiunt: vt Sanctus Lampertus, & Sanctus Leodegarius, vel alij innumeri. Sed & qui pro Chriſto perſecutionem patiuntur, vt fecerunt omnes Martyres. *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines; & perſecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduerſus vos, mentientes propter me.* Exponit iſtam octauam beatitudinem, quomodo ſuſtineatur perſecutio propter iuſtitiam. Si maledicant nobis iniuſtè & mentiantur; ſi perſequantur iniuſtè; ſi dixerint omne malum mentientes: nam ſi verum dixerint, non erimus beati. Et ſi propter peccata noſtra perſecutionem patiamur, non continuò erimus beati; ſed ſi patienter ſuſtineamus, & recognoſcamus, quia iuſtè: & non tantùm quantùm meriti ſumus: perueniemus quandoque ad beatitudinem, ſi futura non accumulemus. *Gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Si bona facientes aduerſis tundamur, certi eſſe poſſumus, ſi patienter ſuſtinemus, quia in futuro mercedem recipiemus. Si verò aliquid boni facimus, & proſpera nobis attident, timere debemus, ne pro bonis, quæ fecimus, hîc mercedem recipiamus. Si autem, & mala facimus, & proſpera habemus, de inferno certi eſſe poſſumus. Si etiam & malè habemus, & tamen de ipſis malis murmuramus, certi ſumus, quia de his malis ad peiora perueniemus. Omnes iſtas beatitudines Chriſtus compleuit, quia nihil docuit, niſi quæ ante ipſe compleuit. Pauper fuit & rebus & corde, qui ait: *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Mitis fuit, qui dixit; *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Luxit aliorum peccata; *qui videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Eſuriuit, & ſitiuit iuſtitiam, qui dixit, *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei.* Miſericors fuit, qui dixit, *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Mundo corde fuit, qui dixit, *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Pacificus fuit, qui dixit, *pacem meam relinquo vobis.* Perſecutionem paſſus eſt, qui dixit, *Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos, Samuël de Principatu eiecerunt, Eſaiam ſecuerunt, Eliam de terra eiecerunt: Hieremiam lapidauerunt; & non fuit bonus à ſæculo, qui perſecutionem non ſuſtinuit in ſæculo. Ideò gaudete in perſecutionibus, ſi vultis eſſe ſocij in beatitudinibus.

DE LEGE GRATIÆ, LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Paupertas potiſſimè requiritur ad virtutum perfectionem.

DESCENDIMVS iam ad ſingula. Ideò paupertas Spiritus prima beatitudinum à Chriſto proponitur, quia cæterarum fundamentum, & omnium virtutum eſt initium; Inchoat enim perfectionem;

Digitized by Google

nem, & ad virtutum culmen hominem accingit. Primum quidem ad perfectionem fidei paupertas Spiritus neceſſaria eſt. Id docet Sanctus Auguſtinus, vbi pendens verba illa Petri, *Argentum, & aurum non eſt mihi, &c.* ſic ait: *Eloquium vehemens, eloquium igne purgatum, qui aurum non habet, fidem habet.* Paupertas vtique ignis eſt, quo fides examinata purgatur. Audi Deum ipſum: *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Vbi Doctores aliqui pro *elegi te* legunt *purificaui te:* nam verbum Hebræum *Bachar* purificare ſignificat.

S. Auguſt. ſerm. 18. de verbis Apoſt. Actor. 3.

Iſai. 48.

Spes etiam voluntariâ paupertate perficitur. Alexander Macedo, vt ſcribit Plutarchus, proficiſcens in Aſiam poſſeſſiones Domeſticas, & vectigalia Regia amicis diuiſit. Vnus nihil ex eius largitione accepit Perdiccas, ſed rogauit: tibi verò quid Alexander relinquis? Qui, vt reſpondit: *Spes meas*, Ergo harum, inquit, nos quoque erimus conſortes; neque enim nos tua capere, ſed prædam expectare Darij decet. Similiter quidem, tunc Chriſtianus ad obtinenda cœleſtia ſpe erigitur, cùm per paupertatem Spiritus nihil ſibi relinquit. Alexandrum Macedonem imitatus eſt alter Alexander Hiſpanus Ferdinandus Corteſius, qui cùm inſtructa claſſe ad Indicas oras appuliſſet, omnia nauigia perforare iuſſit, nec militibus aliud, præter arma reliquit, vt omnibus, nimirum vitæ ſubſidiis amiſſis, ſola ſpe expugnandi noua regna; & acquirendi opes niterentur. Non abſimili conſilio Chriſtus Dominus per paupertatem Spiritus omnibus nos nudat, & ſpoliat bonis terrenis, vt acrius ad obtinenda cœleſtia ſpem noſtram erigamus. Quò enim minùs terrenis bonis nitimur, quaſi neceſſariò cœleſtia bona ſperamus.

Plutarch. orat. 2. de Alex. fortuna.

Deinde non minùs charitatis amor paupertate Spiritus perficitur. Id docet Auguſtinus his verbis: *Venenum charitatis eſt ſpes adipiſcendarum, aut detinendarum rerum temporalium: augmentum eius eſt cupiditatis diminutio; perfectio verò nulla cupiditas.* At per paupertatem Spiritus à corde eliminatur tota cupiditas: ille enim pauper Spiritu eſt, qui affectu nihil poſſidet, aut habet; qui verò nullum bonum temporale affectu tenet, nihil terrenum cupit: at vbi nulla eſt cupiditas, ibi perfecta eſt charitas, prout Auguſtinus dixit. Perfecta ergo Spiritus paupertas perfectam inducit charitatem. Hinc etiam Sanctus Doctor, cum Deo loquens, ait: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Hinc etiam vſu venit, vt qui plus per charitatem in amore Dei proficit, pariter per paupertatem Spiritus in temporalium bonorum amore deficiat. Quod allegoricè præſignatum eſt in Iacob, qui poſtquam Angelum in lucta tenuit, vno mox pede claudicauit. Nam vt S. Gregorius exponit: *Vno pede innititur, qui ſolo Dei amore roboratur, & neceſſe eſt, vt alius marceſcat, quia mentis virtute creſcente, oportet proculdubio, vt carnis fortitudo torpeſcat.* Idem alibi explicatiùs enucleat, vbi inter alia dixit: *Omnis quippè qui vno pede claudicat, ſoli illi pedi innititur, quem ſanum habet; quia & cui deſiderium terrenum iam areſfactum fuerit, in ſolo pede amoris Dei tota virtute ſe ſuſtinet. Et in ipſo ſtat, quia pedem amoris ſeculi, quem ponere in terra conſueuerat, iam à terra ſuſpenſum portat.* At paupertas Spiritus neruum terreni deſiderij areſacit, & amoris ſæcularis pedem à terra ſuſpendit, quo fit, vt ſanus Dei amoris pes ſoli Deo tota virtute innitatur.

S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 36.

lib. 10. conf. cap. 29.

Gen. 32.

S. Greg. lib. 4 mor. cap. 40.

Idem hom. 3. in Ezech.

Prætereà omnis virtus paupertate Spiritus augetur, & perficitur. Ideò dixit Chryſologus: *Virtutibus*, inquit, *cognata paupertas terrena, vt diſciplina comprobat cœleſtis. Athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie nonniſi expeditus aſſiſtit, qui tendit ad philoſophiam, totum quod in rebus eſt, ante contemnit.* Similiter quidem vt quis cum vitiis confligat, & virtutum difficultatem ſuperet, faciliùs, paupertate priùs animus præmuniendus eſt. Quamobrem cùm vellet Chriſtus virtutum domum, id eſt, Eccleſiam extruere pauperes in fundamentum elegit. Quod egregiè proſequitur Chryſologus: *Si paupertas virtutum parens, virtutum ſocia ſic habetur, ſapere conuenit, quare Chriſtus ad virtutis officium, ſic pauperes elegit. Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes; germanitas combinata, imò congeminata paupertas in Apoſtolorum Principes eliguntur.* Primum ergo Eccleſiæ, eiuſque virtutum fundamentum paupertas eſt. Cui affine eſt illud in Cantico Annæ: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Vbi multi ex Hebræo legunt. *Domini ſunt afflicti terræ.* Quam verſionem expendens Rupertus, ſic diſſerit: *Afflictos terræ Hebræi pauperes Spiritu intelligunt, ſuper quos Dominum orbem poſuiſſe dicunt; quia eorum meritis terram ſtare autumant; cui conſonat Euangelica veritas, pauperes Spiritu in fundamento beatitudinis collocans, dum octo enumerat beatitudines, & ſic incipit, Beati pauperes Spiritu.* Igitur ſicut Chriſtus pro fundamento Eccleſiæ, id eſt, vniuerſalis virtutis ac perfectionis pauperes elegit: Ita vnuſquiſque fundamentum turris Euangelicæ, id eſt, propriæ, ac peculiaris virtutis, & perfectionis paupertatem ſupponat. Quod commendatum omnibus eſt in Euangelio, vbi admonens Chriſtus turrim ſine ſufficientibus ac copioſis expenſis ædificari non poſſe, ita concludit: *Sic ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ex quo voluit intelligi virtutis, & perfectionis turrim ſine paupertate Spiritus extrui non poſſe, imò omnes ad huiuſmodi fabricam neceſſarios ſumptus ad ſolam paupertatem ſpectare. Quod egregiè obſeruauit, & docuit Sanctus Auguſtinus his verbis: *Quomodo autem pertineant iſta ſimilitudines, ipſa concluſione ſatis aperuit*, dicens: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque ſumptus ad turrim ædificandam, & potentia decem millium aduerſus Regem qui viginti millia habet, nihil aliud eſt, quàm vt renuntiet vnuſquiſque omnibus, quæ ſunt eius.* Ex quo intelligi poteſt, quàm aptè Theodoretus paupertatem Spiritus appellauit, *virtutis organum.* Nam organum, & machina, teſte Vitruuio, inſtrumenta ſunt ædificiis conſtruendis apta: Paupertas ergo organum dicitur virtutis, quia eius virtutis Euangelicæ perfectionis ſubſtruitur. Organa prætereà per excellentiam dicuntur omnium muſicorum inſtrumenta, vt conſtat ex Quintiliano. Paupertas igitur organum virtutis dicitur;

S. Chryſol. ſerm. 28.

1. Reg. 2.

Rupert. lib. 1. in 1. Reg. cap. 5.

Luc. 14.

S. Aug ep. 38 ad Lætum.

Theodor. lib 6. de Prou d

Vitruuius. lib. 10. cap 1.

Quint lib. 9. c. 4 Iuuenal. Satyr. 6.

dicitur, quia ſicut ad vnum organum muſicum multa ſonorum diſcrimina aptantur & componuntur: ita cum vna paupertate virtutes omnes ſuauiter concinunt. Dices non ſolùm paupertas, ſed diuitiæ quoque virtutis ſunt organa, ac inſtrumenta, quibus nimirum multi virtutis fabricam erexerunt. At egregiè reſpondet idem Theodoretus. *Diuitias*, inquit, *ſimul & paupertatem tanquam inſtrumenta nobis propoſita homines vero ceu fabros quoſdam, per hæc aut virtutis ſimulachrum effingere, aut malitiæ ſtatuam ſculpere. Cæterum, per diuitias vix aliquis paucula virtutis quædam membra eleganter ſculpet; multi verò paupertate adiuti omnia ſimul fabricare poſſunt.* Concedimus ergo diuitias quoque inſtrumenta eſſe quaſi fabrilia, ſed quibus vix manum vnam in pauperes liberalem poſſis effingere; at paupertas inſtrumentum eſt, quo tota effigies virtutis egregiè formatur. Quod probè agnouiſſe videtur Phocion, ſicut ex Plutarcho in eius vita poteſt intelligi. Nam cùm Alexander dono Phocioni ex Aſia centum talenta miſiſſet, his Athenas deportatis quæſiuit ex miniſtris eius Phocion qua de cauſa ex multis Athenienſibus tantum munus ſibi ſoli Alexander largiretur? poſtquam reſponderunt: quod te exiſtimet vnum virum bonum & honeſtum: *Ergo ſinat me*, inquit, Phocion, *talis, vt & habear, & ſim.* Hoc reſponſo ſapiens Phocion omnibus teſtatum reliquit, diuitias non virtutis, ſed vitij potius eſſe organum, ac inſtrumentum.

S. Theodor. ſerm. 6. de Prouid.

CAPVT II.

Quam meritò dicantur pauperes ſpiritu beati, & ſint etiam in hac vita.

CVm neceſſitate paupertatis ad cæterarum ſubſidium virtutum iungitur eius gloria, quòd Beata prædicetur. Et quidem rem miram, & omnino præter hominum opinionem proponit Chriſtus Dominus, cùm pauperes ſpiritu beatos appellat. Vnde Sanctus Bernardus ait: *Eius hæc eſt doctrina, qui per Prophetam ante prædixerat: aperiam os meum, & eructabo abſcondita à conſtitutione mundi: quid enim tam abſconditum, quàm paupertatem eſſe beatam?* Hæc autem pauperum beatitudo non ſolum in futuro ſæculo, promiſſi regni vſucapione obtinebitur, ſed in præſenti quoque vita beatitudinem illius futuræ æmulam qui nihil cupiunt, conſequuntur. Ideo pauper à Chryſoſtomo appellatur *cœli municeps*. Nam municipes ciuitatum, tametſi extra illas habitent, omnibus gaudere ciuium beneficiis, notius eſt, quam vt demonſtrare opus ſit. Et quidem facile erit oſtendere pauperes ſpiritu in hac vita eſſe beatos, quoniam multa habeant, quæ perfectam beatitudinem complent. Nunc de eximia eius dote dicemus, pace nimirum quæ ipſius beatitudinis inſtar, plurima (ſecundum Prudentium) bona complectitur, Fœcundum bonorum nomen pax. Et merito ad beatitudinem ſpectat pax, animi tranquillitas, quies, ſecuritas;

S. Ber. ſer. 1. in feſto omn. Sanctor.

S. Chryſoſt. hom. 2. in illud Apoſtoli. *Salutate Priſcam, & Aquilam.*

hæc autem in paupertate ſpiritus reperitur. Pauper enim voluntarius dum habendi, ac poſſidendi omnem affectum abdicauit, omnem litium, ac bellorum tumultum à corde excluſit, veramque pacem nactus eſt. Nam diuitibus ſolùm falſa pax eſt, de qua Caſſiodorus ſcripſit: *Cùm peccatores videntur locupletes, multiſque dominari populis, & in mundo non eſt quod timeant, pacem habere putantur, ſed pax iſta cum conſcientia ſemper litigat, rixatur intrinſecus, & cùm hoſtem non habeat, ſecum decertat.* Pax hæc vera non eſt, ſed per falſam opinionem concepta. Vnde in Prouerbiis legimus: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Et ſubinde. *Et quaſi murus validus circumdans eum.* Obſeruat Ianſenius in originibus eſſe *in imaginatione eius*, Itaque phantaſiæ & imaginationis* totum hoc negotium eſt: nam putat diues opibus ſuis, quaſi impenetrabili muro ſe vndequaque vallatum, cùm perturbantium affectuum pateat incurſibus, quos opes ipſæ acceſſunt. Ad hæc; ſecuritatem, id eſt, perfectam quietem à timore liberam mundanus diues habere non poteſt, de quo Sanctus Auguſtinus ait: *Nemo ſecurus eſt in his bonis, quæ poteſt inuitus amittere.* At de pauperum ſpiritu vita Sanctus Bernardus ſcripſit: *O vita ſecura. Vbi abſque formidine mors expectatur, imo exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione.* Quod ipſi Ethnici Philoſophi conteſtantur. Bion percontanti, quis eſſet maximè anxius? *Qui in maximis* (inquit) *rebus cupit eſſe fortunatus. Is enim mille curis diſtorquetur, vt aſſequatur ardua, & aſſequutus æquè torquetur, ne amittat.* Sic refert Laertius. Crates autem, dicere ſolebat: *In paupertatem, atque gloriæ neglectum nullum ius habet fortuna.* Reliquum eſt vt mundanorum diuitum conſilium reprobemus, de quibus Salomon ſupra dixit: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Nam de hac vrbe, in qua diues ſuum collocat præſidium, id dici poteſt, quod de vrbe Segor dixit Loth, cùm ab ea fugit in montem, ſicut Sanctus Hieronymus tradit. *Quæritur*, inquit, *quare Loth cùm primùm fugæ montis Segor prætulerit, nunc de Segor rurſus ad montem migret? Reſpondetur veram eſſe Hebræorum coniecturam de Segor, quod frequenter terra motu ſubruta ſit, timueritque Loth dicens: ſi cùm cæteræ vrbes ſtarent, ipſa ſæpe ſubuerſa eſt, quantò magis nunc in communi ruina non poterit liberari?* Etenim cùm diuitiæ quouis fortunæ impulſu concuſſæ labaſcant, & & rebus omnibus inſtabiliores ſint, quomodo ira Dei omnia vaſtante poterunt ſubſiſtere, & eos, qui ad ſe confugerint, tueri? Animi ergo quies, atque tranquillitas, quæ maximè ad beatitudinem ſpectat, nullo modo in diuitiis, ſed potius in paupertate inuenitur. Secus ſi intelligas, grauiter erras ſicut prudenter Seneca docet. *Quid eſt*, inquit, *in quo erratur, cùm omnes beatam vitam optent? Quod inſtrumenta eius pro ipſa habent: Et illam dum petunt, fugiunt. Nam cum ſumma beatæ vitæ ſit ſolida tranquillitas, ſollicitudinis colligunt cauſas.* In diuitiis quippe, ac cæteris mundi bonis cauſæ ſollicitudinis inſunt; in paupertate verò voluntaria, ſolida, ac beata tranquillitas. De hac enim paupertate Sanctus Chryſoſtomus ſic ſcripſit: *Paupertas eſt tutum aſylum, portus tranquillus, perpetua ſecuritas, deliciæ periculorum expertes, voluptas*

Caſſiod. in Pſal. 140.

Prouerb. 10.

S. Auguſt. lib. 1. de libero arbitr.

S. Bernard. ad milites templi.

Laert. lib. 4. c. 7. & lib. 6.

S. Hieronym. in tradit. Hebr.

Senec. Epiſt. 44.

S. Chryſoſt. hom. 4. de auaritia.

Digitized by Google

ſincera, vita turbationum neſcia, vita fluctuum ignara

CAPVT III.

Quàm vera Beatitudo ſit pauperum ſpiritu, & quam fallax mundi felititas.

INter pictoriæ artis peritos conſtitutum eſt, tunc pictorem ſuæ artis vim meliùs exprimere, & illuſtriùs oſtentare, cùm imaginem aliquam nudam depingit, quàm cùm illam veſtibus pretioſiſſimis indutam delineat: nam nudi corporis ſingula membta, mēbrorumque particulas penicillo perfectè exprimere, longè difficilius eſt, quàm pretioſas veſtes, aurum, gemmaſque ſuperinducere. Similiter de beatitudinis pictura pareſt conſiderare. Et quidem Chriſtus Dominus, qua pollet pingendi arte, mira manus dexteritate in hæc Euangelij tabula nudam beatitudinem pinxit, cùm pauperes ſpiritu beatos prædicauit: nam vera profectò beatitudo niſi bonis omnibus terrenis denudata, & cunctis diuitiis voluntariè exuta, conſiſtere non poteſt. Contra verò mundus peſſimus pictor, imo plures antiqui Philoſophi, qui depingendi dexteritate gloriabantur, & eloquentiæ penicillo, floridiſque doctrinæ coloribus dogmata ſua dilucidè picturabant, beatitudinem quidem non nudam, ſed magna veſtium ambitione, id eſt, diuitiarum, ac deliciarum, honorum, & dignitatum inuolucris tectam effinxerunt. In quos ſanè illud opportunè vſurpabis, quod Clemens Alexandrin. refert dixiſſe Apellem cuidam ſuo diſcipulo incongruè Helenam multo auro ornatam pingenti: *O adoleſcens, cùm non poſſes pingere pulchram feciſti diuitem.* Ita mundus, eiuſque diſcipuli, cùm beatitudinem nudam terrenis bonis pulchram effingere non potuerint, diuitem fecerunt; felicitatem videlicet in diuitiis honoribus, atque voluptatibus conſtituentes, beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. At Magiſter Chriſtus felicitatem, ac veram huius vitæ beatitudinem abſque bonorum temporalium pigmentis pulcherrimam depingit. Totam picturam quæſo contemplare. Amouet ab ea aurum, ſicut Apelles: *Beati pauperes ſpiritu.* Faciem pingit ſerenam, tanquam depulſis nubibus cœlum: *Beati mites.* Oculos fundentes margaritas: *Beati qui lugent.* Pectus purum, candidum, miſericordia ſucculentum, fama iuſtitiæ ſanum: *Beati miſericordes. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Manus candidas & coniunctas: *Beati Pacifici.* Pingit eam Leonibus circumdatam: *Beati qui perſecutionem patiuntur.* Tandem in manibus eius orbem cœleſtem imponit; *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Nuda quidem ſed pulcherrima imago beatitudinis.

S. Clem. Alex. lib. 2. Strom.

Nunc, ſi placet, quid ſapientes, & præſtantiſſimi viri de his Chriſti, atque mundi picturis iudicauerint, inquiramus, nam intentis quidem oculis eas ſunt contemplati. Nazianzenus, mundi beatitudinem perſonatam vocat, id eſt, terrenorum bonorum fuco obductam.

Naz in Carmine de humana vita & eius vilitate.

Larua tegit faciē, quam dempta protinus alter.
Reperior, ſubitus tangit & ora rubor.
Talis vita hominum eſt, quos ſpes delectat inanis.
Ad tempus teneant, queis lubet, iſta breue.

Hi quos mundus beatos prædicat ſplendida, ac decora larua tectam faciem gerunt, quo fit, vt mundani omnes eos admirentur, & timeant: non aliter ac pueri laruatos, ac perſonatos homines. Sed qua ratione nos metu pueros liberare curamus, eis ſuadentes, perſonatos illos, ablata larua, nil præter cæteros homines eſſe, atque huius rei gratia laruam amouemus. Ita Regius vates hunc hominibus conatur adimere timorem, quem perſonati mundi magnates eis incutiunt, mortem inducens eis laruas detrahentem: *Ne timueris* (inquit) *cum diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniam cum interierit, non ſumet omnia.* Tum ſicut ablata larua ridere ſolemus, cùm eos, qui pulcri apparebant, fœdos aſpicimus: ita iuſti diuitem peccatorem rident, cùm mors ei perſonam detrahit, quod cecinit vates, vbi præmiſſa diuitis peccatoris morte ſubdit: *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent; ecce homo, &c.* De hac etiam auellenda beatitudinis larua, in alterius mūdi municipio, ſiue ſuperna illa ciuitate, in qua vera beatitudo obtinetur, agit idem vates illis verbis: *In ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Vbi Sanctus Hieronymus ſic expoſuit: *In cœleſti Hieruſalem imaginem eorum, effigies deformitatum, quas ſibi faciunt: alius leo ferocitate, alius aper ſorde libidinis.* Sed & Caſſiodorus aptè interpretatur: *Imaginem eorum, gloriam temporis, qua non vera, ſed ſimilitudo gloriæ; quia cum aderit veritas, iis peribit imago, nec ſimilitudinem retinebunt, quia de beatitudine nihil habebunt.* Diuites, & potentes ſæculi perſonati ambulant, beatitudinis laruam gerentes, ob quam ab ſtultis beati putantur, ſed cùm peruenerunt ad portas mortis, & aditum cœleſtis ciuitatis, atque eis detrahetur illa felicitatis ſimilitudo, ſiue larua, planè cognoſcetur, nihil eos de vera beatitudine habere.

Pſal. 48.
Pſal. 51.
Pſal. 72.

Deinde veſtitam mundi beatitudinem fictam eſſe, non veram, indicauit etiam Sineſius vbi de imperatoribus dixit: *Quantum Imperatoribus ſuperbi, atque arrogantis cultus acceſſit, tantum deceſſit veritatis.* Similiter de cæteris dignitatibus, ac de tota mundi felicitate dicendum eſt: nam quo magis veſtitur, magis mentitur beatitudinem, cum ablatis veſtibus ſolam retineat turpitudinem. Iuuat de hoc diſſerentem audire Senecam: *Miramur,* inquit, *parietes tenui marmore indutos cum ſciamus quale ſit, quod abſconditur. Cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur, omnium iſtorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice, & vide ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantùm mali lateat.* Ecce mendacem mundi beatitudinem, quæ exterius bracteata, ſiue aureo quodam adumbratæ felicitatis velo veſtita, intus grauiſſima abſcondit mala. Quamobrem ne hac beatæ vitæ ſpecie fallamur, remouenda ſunt fallacia inuolucra, & mendax beatitudo penitus nudanda. Quod Deus ſatis commendauit, cum Iudæis præcepit, vt

Sineſ. lib. de Regno.
Senec. Epiſt. 38.
Leuit. 1.

vt offerendis ſacrificio animalibus pellem detrahetent: tunc enim mundi bona Deo ritè, rectéque offeremus, cùm conſideratè, & attentè pellem qua teguntur, abducimus.

Accedat præterea Auguſtinus, & de mundanæ beatitudinis imagine, ſiue pictura ſententiam ſuam nobis exponat: quam ita pronuntiat: *Ornas corpus; torquetur ſpiritus. Tanquam ſi Dominus domus mittatur in exilium & tu ornes parietes ipſius. Ille in exilio eget, & fame deficit, vix ſibi vnam cellã inuenit, vbi ſomnum capiat, & tu dicis: felix eſt, nam ornata eſt domus illius. Quis te non aut iocari, aut inſanire arbitretur?* Tota mundi beatitudo ad ornamentum & gloriam ſpectat corporis, quod domus eſt animæ, quæ cum ignorantia, & culpa in miſero ſit exilio, quî poterit eſſe beata, quantumuis eius domus ſit ornata.

In Pſal. 48.

Poſtremò ſi beatitudinis picturas à Chriſto, & à mundo editas penitiùs conſideremus maximum earum diſcrimen, vel ex Plinio ipſo colligere poterimus, qui Paraſij pictoris Epheſij opera commendans ſic habet: *Confeſſione artificum, in lineis extremis palmam adeptus. Hæc eſt in picturæ ſumma ſubtilitas. Corpora enim pingere, & media rerum, eſt quidem magni operis, ſed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere, & deſinentis picturæ modum includere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur. Ambire enim debet ſe extremitas ipſa, & ſic deſinere, vt promittat alia poſt ſe, oſtendatque etiam, quæ occultat.* Hanc picturæ ſummam ſubtilitatem in pingenda beatitudine non mundus, ſed Chriſtus eſt adeptus. Nam mundus quidem corpora pingit, & media rerum, in extremis autem deficit: cùm enim media felicia, & gaudio multo perfuſa exprimat, extrema multo diuerſa appingit, iuxta illud quod de mundo prædicauit Sapiens: *Extrema gaudij luctus occupat.* At Chriſtus in extremis picturæ lineis palmam obtinuit. Nam vt verbis Plinij hæream, pauper, & nuda beatitudo ab ipſo depicta ſic deſinit, vt promittat alia poſt ſe oſtendatque etiam, quæ occultat, regnum enim in paupertate occultatum, in promiſſione tandem oſtenditur. In quo ſeipſum Deus viciſſe videtur. Nam in naturæ tabula ſic omnia naturalia opera picturauit, vt corpora, & media rerum omnes perfectionis numeros contineret: Quam ob cauſam: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* At extremas rerum harum naturalium lineas noluit ita perfectè abſoluere; extrema enim huiuſmodi rerum linea corruptio eſt, ob quam ea, quæ in Geneſi dicta ſunt valde bona, à Salomone dicuntur. *Vanitas vanitatum.* Quod ad hunc locum obſeruans Hieronymus, ait: *Cuncta in ſua exiſtenti natura dicimus eſſe perfecta: at in ſuo fine, & corruptione vana, Paulo atteſtante; vanitati enim creatura ſubiecta eſt, id eſt, corruptioni, quæ enim ſolida putabantur, cùm corrumpuntur, comprobantur vana.* Media igitur naturalium rerum ob naturam dicuntur valde bona, extremæ vero lineæ vanitas vanitatum. At verò in tabula gratiæ, hominis beatitudinem Deus depinxit, media quidem perfecta fecit, ſed extremam lineam ſumma ſubtilitate, & perfectione abſoluit. Porro, ex hac extrema felicitatis linea, cumulata beatæ vitæ perfectio pendet. Vnde Ageſilaus audiens quendam Perſarum Regis, adhuc iuuenis admirari felicitatem reſpondit: *Nondum vitæ finis adeſt; vir optime. Nam nec Priamus quidem, cùm eius eſſet ætatis erat infelix, qui tamen miſerè iam ſenex in Troiano incendio extremum clauſit diem.* Sic teſtatur Plutarchus. Similemque ibidem ſententiam à Solone de Cræſo pronuntiatam refert, omneſque ſapientes ex hac extrema felicitatis linea veram beatitudinem perpenderunt. Hinc Ariſtoteles dixit: *Qui adeo ſecunda fortuna vſus ſit in tota vita, ad extremum autem miſerè è vita migrauerit, hunc nemo duxerit in beatis.* Nec immeritò quidem, nam vt ſcitè Tacitus: *Finis turpis laudem egregiam maculat.* Natura igitur & fortuna felicitatis media pingunt, extremam verò lineam, ex quo beatitudo maximè pendet, minimè abſoluunt, ſolus Chriſtus Dominus feliciſſimè vtrumque conſummat.

Plin. lib. 35 cap. 10.

Geneſ. 1.

Eccleſ. 1.

Plutarch. in Græc. apoph.

Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 9.

Tacit. lib. 4. hiſt.

BIBLIOTECA ... ROMA

CAPVT IV.

Sub horrida paupertatis ſpecie latet Beatitudo. Sub iucunda proſperitatis larua exitium tegitur.

AMplius adhuc enucleemus, quàm meritò ſub aſpera paupertatis ſpecie abſconditam eſſe beatitudinem, docuerit Chriſtus, Dominus; quia verò cõtrariorum contraria ſunt conſequẽtia, cõſequens eſt, vt ſub iucundo diuitiarum, ac proſperitatis fuco pernicies, & exitium hominis abſcondatur. Vnde cùm mundus, & diabolus temporalem proſperitatem hominibus offerunt, extremam eis perniciem prætextu beatitudinis inferunt. Quod eleganter docuit Vincentius Lyrinenſis: *Mala, inquit, pocula, & noxios ſuccos medicaminum titulus præcolorant, vt nemo ferè vbi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum.* Mundus quidem adulterinus & fallax eſt pharmacopola, qui vt ſeducat, & interimat animas, noxios voluptatum, diuitiarum, & honorum ſuccos tanquam ſalutaria medicamina venditat, quo nihil poteſt eſſe malignius. Lac pollicetur, & gypſum aqua dilutum præbet, cùm voluptatem quaſi magnum, & ſalutare quid promittit, & in ea mortiferum venenum propinat. Qua collatione in re ſimili vſus eſt Sanctus Gregorius Naz. *Vt gypſum, inquit, aqua permixtum lactis colorem mentitur: ita hic per veriſimilem conceſſionem traditionis inimica ſuggerit.* Sed ſtulti homines more pecudum, ſpecie boni deluſi pro ſalutari ſucco venenum epotant. Audi Euſebium Emiſſen. contra fortunatos peccatores ita dicentem: *Hic in hoc infelicior, quod non ſe intelligit infelicem: ſimiles illis, qui fortè ſumentes exitiales herbarum ſuccos, cum riſu perire dicuntur,* de quibus Sapiẽs. *Exultant in rebus peſſimis, & de ſua perditione lætantur.* Et paulò inferiùs attexit: *An illum felicem vocas qui gemmato, atque aurato ſibi poculo venena miſcet?* Nemo niſi amens ita ſentiet.

Vincent. Lyr. lib. aduerſùs hæreſ.

S. Naz. tract. de fide.

Euſeb. hom. de SS. Epiphodio, & Alexand.

Prouerb. 2.

Sicut autem in ſucco, & potu, ita & in cibo mundi fucata ſpecie homines falluntur, & pro grato, & ſalutari animæ paſtu, mortem deuorant. Similes hæc in re apibus, quæ pulchrum buxi florem adamantes, ex eo mellificant, ac cibum

Digitized by Google

cibum ſibi parant, vel potius mortem, quam eo venenato incurrunt cibo. Huiuſmodi dulcem, ſed venenatum cibum aliis etiam floribus attribuit Plinius, vbi inter alia ait : (Plin. lib. 21. cap. 13.) *In Perſide & in Mauritania Cæſarienſis Catulia, venenati faui gignuntur : quidamque à parte quo nihil eſſe fallacius poteſt.* Subinde verò non iam naturalem hiſtoricum, ſed moralem Philoſophum agens, ſic adiungit : *Quid ſibi voluiſſe naturam iis arbitremur inſidiis ? Parum enim erat genuiſſe rem, in qua venenum facillimè daretur, etiamne hoc ipſa in melle tot animalibus dedit ? Quid ſibi volui ; niſi & cautiorem, minuſque auidum faceret hominem ?* Plenum mundum his manifeſtis, & apertis fauis videbis, quorum venenum ſub dulcedine deliteſcit ſed frequentibus animarum mortibus ſatis proditur : nec tamen ſtolidi homines, cautiores, aut nimis auidi redduntur. In cibo ergo mundani boni pernicies abſconditur homini, ſicut piſci etiam in eſca hamus. (S August. in Pſal. 191.) Vnde Sanctus Auguſtinus mundanum hominem ſic admonet : *Noli gaudere admodum piſcis, qui eſca ſua exultat. Nondum traxit hamum piſcator : nam iam ille hamum habet in faucibus; & quod tibi videtur longum ; breue eſt, omnia iſta citò tranſeunt.* Exultat mundanus homo eſca voluptatis vel iniuſtæ pecuniæ, & non videt ſtultus latentem hamum iam iam fauces transfixurum. Adducet, ac trahet Deus repentè hamum, cùm mortem immiſerit : nam vt adiungit Auguſtinus : *Ad præſens Deus habenas laxat, ſed poſt aſtringet.* Cùm verò aſtrinxerit, id eſt, mortem adduxerit, hamum ſentiet, & fallacem cibi ſuauitatem intelliget. Nec ſolùm vt piſces, ſed etiam vt aues homines fallaci cibo capiuntur. Nam ſicut auceps eſcam exponit, viſcumque abſconditum apponit, quo ita tenentur aues, vt expedire ſe nequeant : ita mundus & hominibus proponit bona, quorum illecebris illigati pereant. Quam ob cauſam ab antiquis *fortuna viſcata* dicta eſt, quia nimirum eius illecebris (Alexander ab Alex. lib. 1. c. 13.) multi capiuntur. Hoc ergo fallaci, atque ficto cibo mundus eos etiam, qui ingenij ac litterarum pennis in altiſſimarum rerum cognitionem (Paradin. lib. de ſymb. Heroic.) euolarunt, trahit & capit. Ad quod ſignificandum Claudius Paradinus hoc ſymbolum depinxit, *lutrium* ſcilicet, hoc eſt, inſtrumentum illud, quo nobiles aucupatores aduocant accipitres ſiue falcones dum vario oberrant volatu nec manum repetere volunt cum hac ſcriptione : *Spe illectat inani.* Quo ſignificatur viſcata mundi fortuna, quæ ſi eminus ſpectetur, neſcio quid magnum videtur polliceri, ſi verò cominus contempleris, meram vanitatem, & impoſturam habere deprehenditur. Denique ſicut Diabolus callidus aucupator huiuſmodi cibi lutrio primos parentes prolectauit, & cœpit, ſimiliter & filios capit. Ad cuius intellectum operæ pretium erit aduertere Angelum illum præ foribus paradiſi conſtitutum, non ſolùm habuiſſe in mandatis, vt præcluderet aditum hominibus, ſed etiam Dæmonibus. Quod ſanè mandatum, quatenus ad Dæmones ſpectat, ſuperuacaneum videtur. Quorſum enim Dæmones paradiſum ingredi vellent, qui nulla in re egebant paradiſo. An voluptatis gratiâ ingrederentur ? At corporea amœnitate ſpiritus non delectantur. Num de arbore vitæ ederent ? At corporeo cibo ſpiritus non vtuntur. An vt homines tentarent? Minimè ; nulli enim inibi erant. Cur igitur ? Profectò ne poma de arbore vitæ abriperent, atque inſtrumenta ſeducendi homines haberent: quibus ſi poma offerrent, quorum eſu perpetuam vitam conferrent, facilè eos ad quæuis patranda crimina inducerent. Ideo meritò interdicitur illis ingreſſus paradiſi vt poma hominibus donare non poſſint. Sed ſodomæ poma ſpecie pulcherrima, intus verò cinis, eis proponunt, quorum fucata pulchritudine allecti, in omnia ſcelera ruunt.

Cœterùm quia mundi proſperitas, vt oſtenſum eſt fallaci ſpecie hominis perniciem occulit, iure optimo mari tranquillo ſemper infido comparatur. Quo ſpectauit Regius vates illis verbis : *Diuitiæ, ſi affluant nolite cor apponere,* (Pſal. 51.) hoc eſt, ſi diuitiæ, tam abundè vobis contingant, vt maris inſtar affluant, minimè ſecuri ſitis, nec ibi cordis fiduciam apponatis. Ita Sanctus Auguſtinus, hæc verba interpretatus, ſubiungit : *Abundet licèt, & ſequatur te proſperitas ſæculi, tu mari noli credere, nec ridenti.* Quod explicatius tradit Sanctus Bernardus ſic in- (S. Bernard. ſerm de obitu Malachiæ.) quiens : *Nemo noſtrum Chariſſimi plana mollioris via ſuperficie delectatus, iter illud marinum ſibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, inuiſibiles quidem, ſed eo ipſo periculoſiores ; laborofior fortè via videtur inter ardua collium, & aſpera rupium, ſed expertis longè ſecurior, & deſiderabilior inuenitur.* Qui mundanam beatitudinem perquirunt, mundanæ proſperitatis mare traiicere contendunt, in eius tamen via licèt plana, & molli, magna latent pericula, qui autem paupertatis Euangelicæ iter aggreditur, quamuis per ardua collium, & aſpera rupium gradiatur, beatam tamen texit viam, in qua beatiſſimam inueniet patriam. Porro marina via tam ardua eſt, ac periculoſa, vt ipſe in ea Petrus à Domino etiam inuitatus, vacillarit. Quapropter eleganter Chryſologus ait : *Petrus* (S. Chryſolog ſerm. 90.) *cum per æquora diuinos imitatur inceſſus, & nouus viator molle iter duris greſſibus calcat, ante de lapſu ſupplicat, quàm gandeat de donato.* Illud præteriri non debet in hoc mundanæ proſperitatis mari, ibi maius latere periculum, vbi ſecurius apparet remedium : nam quod putatur portus, & periculi refugium, ibi ſolet certum eſſe naufragium. Cùm enim veteri, & nouo more comparatum ſit, vt in arcibus portuum editiſſimis nocturno tempore pharus aliqua accenſa ſemper ſit, qua naues tempeſtate pulſæ, vel de nocte appellentes, lucem eminus conſpectam ſequutę, recta in portum tendant. At pyratæ pharum mentientes, lucem nocturno tempore, non in portu ſed in ſcopuloſis, aut vadoſis locis conſtituentes, naues non ad portum dirigunt, ſed ad certum naufragium acceſſunt. Similiter quidem Dæmones in hoc mundano mari pyraticam exercentes, maiora fortunæ lumina ibi conſtituunt, vbi maiora ſunt pericula, & certiora animarum naufragia. Qua collatione vſus eſt Ori- (Origen in c 14. Epiſt. ad Rom.) genes : *Piratæ, inquit, ſolent in mari in locis vadoſis, occultiſque ſcopulis per obſcurum noctis lumen accendere, quò nauigantes ſub ſpe confugiendi ad portum ſalutis, ad naufragia perditionis inuehant : ita, &c.* Quantò clarior certè eſt dignitatis lux, tantò proximiores habet periculorum ſcopulos. Quamobrem Petrus duas nauiculas ad Chriſti verbum piſcibus oneratas videns

Digitized by Google

S. Ambroſ. lib. 3. de Virginib.

videns tanti beneficij lucem in mari contemplatus, ſcopulos timens dixit Chriſto: *Exi à me Domine, quia peccator ſum ego.* Quæ verba in hanc ſententiam, commentatur Ambroſ. dicens: *Vir ſapiens & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ firmamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil vtilius ſibi eſſe proſpexit, quàm ne ſecundantis operis extollatur euentu. Non negat, vt deſeratur, ſed ne infletur.* Timet Petrus quia lumen videt in mari, ſi ergo iuxta lumen diuini muneris ſuperbiæ ſcopulos timet; Quot te Charybdes & Scyllas ſub lumine mundanarum dignitatum, & munera fortunæ expaueſcere oportet.

Caput V.

Mundi bona ſterilia ſunt, Paupertas tamen beatitudinem parit.

PRædicantur quoque Beati pauperes ſpiritu, quia eorum paupertas minimè ſit ſterilis, ſed veram beatitudinem pariat: at diuitiæ, & reliqua bona terrena nullum verum beatitudinis fructum edunt. Cuncta certè temporalia bona flores ſunt, qui nunquam in fructum erumpunt.

Cant. 2.

Nil præter flores è mundo oritur. Hinc dicitur: *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Vbi egregiè Theodoretus ait: *Adnotanda verborum eſt ſubtilitas. Non dixit fructus ſed flores. Abſoluta namque bonorum poſſeſſio dignis hominibus in futuro ſæculo reſeruatur.* Temporalia bona, quæ terra gignit, flores tantummodo appellantur; quia fructus nomen ſoli conuenit beatitudini, quæ ſanctis in futuro ſæculo reſeruatur.

S. Ambroſ. lib. 4. Hexam. c. 7.

Quid certè ſunt diuites, & potentes ſæculi, niſi flores ſine fructu? Audi Ambroſium: *Viret gloria hominis in carne quaſi fœnum, germinat vita viriditatem in ſpecie non in fructu ſoliditatem.* Ecce proſperitas flos eſt ad ſpeciem gratus, ſed fructus ſoliditate ſemper deſtitutus: Eſt enim fœni flos, qui nunquam fructum affert. At paupertas ſpiritus herba eſt, quæ & ſi ad ſpeciem horrida vitalem fructum edit.

S. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 10.

Vnde Clemens Alexandrinus diuitem epulonem purpura & byſſo indutum, & ſplendidè quotidie epulantem fœno ſterili flammis deſtinato comparat; pauperem verò Lazarum, herbam perpetuos fructus germinantem appellat. *Ille,* inquit, *erat fœnum; hic eſt herba ſed ille puniebatur ad inferos, vt qui eſſet ignis particeps; hic autem rurſus germinauit in ſinu Patris.* Germinauit nimirum fructum beatitudinis.

Cant. 2.

Paupertas quidem ſpiritus herba, atque flos eſt, qui ſimul eſt fructus. Hinc Chriſtus ob paupertatem dicitur *flos campi,* non horti, in campo quippe meſſis eſt frugifera, & labor fructuoſus: in horto tamen deliciæ marceſcentes, quæ annonam non fructificant, ſicut fruges campi. Quapropter iuxta Hebræum eſt,

Eccleſ. 24.

ſaturitatis, quippe cùm ſit ſapientia Patris de ipſo intelligi oportet illud Sapientis: *flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Ipſi namque in eo flores pro fructibus ſunt: flores autem Chriſti ſunt omnes hæ beatitudines, quæ fructus ſunt honoris & honeſtatis, quibus animas paſcit, vt

Concilium Chalc. act. 5.

Concilium Chalcedonenſe dixit: *Floribus veritatis eas pingueſcere faciebat.* Mundi ergo diuitiæ, reliquaque eius bona flores ſunt ſine fructu: at paupertas ſpiritus, ac reliquæ beatitudines flores ſunt immarceſſibiles, qui veræ beatitudinis fructum iam parturiunt.

Verùm ſi dixeris, mundanam fortunam ac proſperitatem, non iam florem fragilem eſſe, ſed proceram, & pulcherrimam arborem. Non abnuo quidem, ſed fructum prorſus habere negabo; Eſt enim frondoſa quidem, ſed ſterilis, & infrugifera arbor. Eſt etiam illa vitis, de qua per Oſeam dicitur; *Vitis frondoſa Iſrael,* vbi Oſeæ 10.
alij ex Hebræo legunt: *Vacua,* ſeu *ſe euacuans.* Nam quo pluribus ſarmentis bonorum temporalium ſylueſcebat, & permanſuris ſolidæ beatitudinis fructibus carebat. Quamobrem ſicut Ioannes Goropius philoſophatur, mundi pro- Gorop. in Indoſcythicis.
ſperitas inanis, & fructu vacua, optimè à natura adumbrata eſt in ficu Indica, de qua Theophraſtus, Strabo, Solinus, & Plinius tradunt, arborem eſſe omnium maximam; aſcendit enim ad tantam altitudinem, vt eius vmbra per duo ſtadia ſe extendat; ramorum autem latitudo tanta, vt in ea commodè quadriginta equites meridiari poſſint. Foliorum latitudo quanta militaris clypei, vel Amazoniæ peltæ: at fructus qui copioſus & maximus expectari deberet modicus eſt & rarus. Ecce egregiam picturam proſperitatis temporalis, quæ honoribus, & dignitatibus altiſſimè tollitur, diuitiis & poteſtate latiſſimè diffunditur, voluptatibus vndequaque irrigatur; cùm verò ad fructum carpendum venitur, meritò rogat Paulus: *Quem fructum habuiſtis, in* S. Auguſt. Epiſt. 48. Ionæ 4.
quibus nunc erubeſcitis? Meritò igitur Sanctus Auguſtinus per hederam illam Ionæ, quæ denſis viridantium foliorum ramis gratum Prophetæ ad manendum locum opacauit, intelligit proſperitatem temporalem, quæ aduerſùs temporalium ærumnarum æſtum iucundum homini vmbraculum parat; ſed ſterilis planè arbor, nulla fructus vtilitate commendabilis. Quid autem iucunda proficit vmbra ſine fructu? Vnde ſponſa, cùm dixiſſet. *Sub vmbra illius, quem de-* Cant. 2.
ſideraueram; ſedi. Aptiſſimè addidit, *& fructus eius dulcis gutturi meo,* qua nimirum vmbra citra fructum, animam felicem non faceret. Meritò etiam Sanctus Gregorius, per arundinetum, S. Greg. lib. 33. moral. c. 4. Sap. 3.
de quo Sapiens dicit: *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent,* proſperitatem temporalem intelligens, ait: *Arundinetum namque vitam ſæcularium, appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam, foris quaſi ad alta proficiunt, ſed intus à ſoliditate veritatis inaneſcunt.*

Hinc poſſumus intelligere, quàm meritò Regius vates fortunas ſæcularium hominum telis Pſal. 89.
aranearum comparauerit: *Anni noſtri,* inquit, *ſicut aranea meditabuntur.* Vbi Sanctus Hieronymus ſic ait: S. Hieronym. hic.
Quomodo aranea quaſi mittit fila, & huc, illucque diſcurrit & texit tota die, & labor quidem grandis, ſed effectus nullus eſt: ſic & vita horum huc illucque diſcurrit, poſſeſſiones quærimus, diuitias appetimus, procreamus filios, laboramus, in regna ſuſtollimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia aranea telam teximus. Ecce fructus quem omnes terrenæ fortunæ, & humanæ induſtriæ pariunt. Hinc Sapiens, cùm dixiſſet: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* Eccleſ. 1.
adiungit: *Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Hoc eſt, quidquid ſub ſole eſt, ſiue diuitiarum ſit affluentia, ſiue

Digitized by Google

ſiue honorum ſublimitas, etiam Regia dignitas vanitas eſt, fructus enim non ſub ſole, ſed ſupra ſolem eſt, vt S. Auguſtinus explicans hæc verba annotauit. Hoc autem mirum non eſt, quia ſub ſole terra eſt; terra autem locus eſt inanitatis, & vacuitatis, vt Chryſoſt. & Ambroſ. collegerunt ex illis verbis Geneſis; *Terra autem erat inanis, & vacua.* Quidquid igitur terrenum eſt, quantumuis ad ſpeciem niteat, & fulgeat, inane, & vacuum eſt.

S. Auguſt. in Pſal. 38.

Geneſ. 1.

Denique hoc maximũ eſt inter pauperes ſpiritu, mundique amatores diſcrimen, quod illi, ſine flore mundanæ proſperitatis, fructum ferunt ſolidæ beatitudinis; hi abſque huiuſmodi fructu, ſolis fortunæ floribus gaudent. De his accipe, quod à Plinio de multis arborum dicitur: *Arborum flos eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis, flos gaudium arborum. Tunc ſe nouas, aliaſque quàm ſunt, oſtendunt; tunc variis Colorum picturis in certamen vſque luxuriant.* In quibus verbis illud maximè pende, quòd florentes arbores, *ſe nouas, aliaſque, quam ſunt, oſtendunt*; ſic enim fortunati ſæculares, cùm mundana felicitate florent, ſe alios quàm ſunt, oſtendunt, nam cùm ſint miſeri, & æternæ miſeriæ obnoxij, beatos ſe tamen oſtentant. Quin etiam & nouos: nam cùm ſenes ſint, tinctis capillis, & barba ſe iuuenes mentiuntur. De pauperibus verò ſpiritu id intellige, quod idem Author ſubiungit: *Non omnes arbores florent, & ſunt triſtes quædam, quæque non ſentiant gaudia annorum.* Pauperes ſanè voluntarij annorum gaudia recuſant, quia ad gaudia æternitatis aſpirant; florida autem amatorum mundi vita, & fructuoſa pauperum, à natura in iuniperis adumbrata videtur, de quibus Plinius ſic habet: *Nec Iuniperi florent.* Quidam earum duo genera tradunt: alteram florere nec ferre; quæ verò non floreat, ferre protinus baccis ſubnaſcentibus, quæ biennio hæreant. Sic & hominum multis fortuna ſine flore eſt. Sic amatores mundi florent, ſed non ferunt; pauperes verò ſpiritu non florent, ſed ſemper manſurum ferunt fructum; atque adeo non fortuna terrena, ſed ſuperna beatitudo eis ſine flore eſt. Quamuis verò temporaliter non floreant, in fine tamen & pulchre germinant, & fructum maturant. Vnde optimè in moro, quæ arbor eſt ex non ferentibus flores, adumbrantur; ſic enim de moro loquitur Plinius: *Morus nouiſſima germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. Sed cùm cœpit, in tantum vniuerſa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat, etiam cum ſtrepitu.* Iuxta hoc ſymbolum pauperes ſpiritu ſapientiſſimi ſunt hominum qui nudi ſemper in ſæculo floribus, in fine ſæculi poſt tranſacta calamitatum frigora, quæ fortunæ flores ſolent decoquere, ac perdere, repente vniuerſam exerunt germinationem, & pulcherrimis frondibus, ac fructibus in æternum duraturis veſtiri apparent. At amatoribus mundi, qui beatæ vitæ fructum nunquam ferunt, ea verba quadrant, quæ de huiuſmodi arboribus idem Plinius capite ſequenti pronuntiat: *Infelices autem exiſtimantur damnataque religione, quæ neque ſeruntur vnquam neque fructum ferunt.*

Plin. lib. 16. cap. 25.

Plin. citatus

Ibidem.

CAPVT VI.

Æterna Beatitudo per Paupertatem feliciſſimè obtinetur.

MAgna hæc paupertatis gloria, quæ huius vitæ beatitudinem poſſidet, & æternæ conſequitur, idcirco Paupertati ſpiritus regnum cœlorum promittitur; quia ipſa ante omnia ad conſequendum Regnum cœlorum deſideratur. Nam vt optimè Chryſoſtomus ait: *Paupertas eſt manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum.* In tam arcta, & difficili via paupertas ductrix præcedat, neceſſe eſt. Præterea ad conſequendum regnum cœlorum paupertas meritò poſtulatur, quia pretium eius eſt. Verè enim S. Bernardus inquit: *Pauperibus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate emitur; ideo dicitur: Beati pauperes ſpiritu, &c.* Quam rationem piè, ac ſapienter pendit Sanctus Auguſt. ſic inquiens: *Felicitas ergo magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertatem faciant pretium regni cœlorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua, nil ea poteſt ditius inueniri. Vis noſſe quam locuples ſit? Cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? vt ad regnum cœlorum veniret diues, poſſeſſione ſua obtinere poſſet? Nunc obtinet, vt contemptu perueniat.* Ex quo intelligi poteſt nullam poſſe excuſationem à Chriſtiano obtendi, ne regnum cœlorum emat, quando paupertate emitur. Quod aduertens Auguſtinus ſic adiungit: *Poſſidere quod cum labore requiritur paucorum eſt, contemnere, quod cum fructu contemnas, omnium eſt.*

S. Chryſoſt. 18. in c. 10. Epiſt. ad Hebr.

S. Ber. ſer. 1. omn ſanct.

S. Auguſt. ſerm. 8. de Verb. Apoſt.

Ad hæc vt nauis portum poſſit attingere, ſubleuanda eſt, & nimio onere non grauanda, alioquin peſſum ibit: ſic anima paupertate ſpiritus alleuianda eſt, vt ad oras æternæ patriæ poſſit appellere. Qua collatione vſus eſt Baſilius: *Quemadmodum*, inquit, *naues onere immodico aggrauatæ ad portum multo cum negotio prouehuntur, ac facilè ſubeunt naufragium: ſic anima, &c.* Quamobrem Sanctus Nilus opportunè monet, *Ne nauis pondere oppreſſa ſubmergatur, eam ſubleuant, & pretioſiſſima quæque vel in profundum iaciunt: cur non etiam nos propter vitam præſtantiorem ea deſpicimus, quæ animum in profundum detrahunt? Cur idem non poſſit Dei timor, quod poteſt timor maris.*

S. Baſil. in c. 2. Iſaiæ.

S. Nilus in Aſcetico.

Deinde ſicut nobiles quædam aues veteribus plumis grauantur, ne ſe in cœleſtes auras tollere poſſint, donec his expulſis nouæ eis pennæ renaſcantur: ſic animæ niſi per paupertatem ſpiritus veteribus plumis, id eſt, terrenis affectionibus nudentur, nequaquam in cœlum virtutis volatu tolluntur. Quod adumbratum eſt in accipitre, de quo Deus ſic Iobum alloquitur: *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?* Vbi Sanctus Gregorius præmiſſa hiſtoria huius auis, quæ quotannis expandens alas ad auſtrum, & tum huius venti calore, tum crebro alarum motu apertis poris, veteres plumas reiicit, ac nouas elicit; ſubdit. *Vetuſtam autem pennam proiicere eſt inueterata ſtudia terrenæ actionis amittere, & nouam pennam ſumere, eſt mitem, ac ſimplicem bene*

Iob 39.

S. Gregor lib. 31. mor. cap. 12.

Digitized by Google

videndo ſenſum tenere. Mundani quidem diuites, ac præpotentes homines accipitres ſunt, qui diuitiis, honoribus, ac Principum gratia in mundo volitant, ſed hæ diuitiarum, & dignitatum temporalium pennæ non eos ad cœleſtia tollunt ſed ad ima deiiciunt, vnde bene ſubiungit Gregorius: *Penna namque veteris conuerſationis grauat, & pluma nouæ immutationis ſubleuat.* Terrenæ quippe ſunt honorum mundanorum pennæ, ideo mentem grauant, & ad infimas ſordes inclinant; ſi has vetuſtas plumas, per paupertatem ſpiritus expuleris, per eandem quidem nouæ virtutum plumæ renaſcentur. Hoc ſignificatur in Pſalmo, vbi ſic fideles alloquitur vates: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ.* Cleros enim ſors vel hæreditas eſt, & tunc fideles inter medias ſortes ſeu hæreditates dormiunt, cùm inter terrenam, & cœleſtem hæreditatem quieſcunt: dum nimirum illam per paupertatem ſpiritus fugiunt; hanc vero per ſpem diuinam complectuntur. Sic explicat hunc locum Auguſtinus. *Cleros, inquit, ipſas hæreditates hic dicimus, terrenam veteris teſtamenti, æternam noui, inter quas dormit, qui illam iam non ardenter appetit, & iſtam patienter expectat; qui enim adhuc terrenæ inhiat, nunquam quieſcit, ſed cupiditatibus per multa agitatur.* Similiter exponit Gloſſa ordinaria his verbis: *Si dormiatis hoc eſt, ſi moriamini, vt vſque in finem in hoc perſeueretis, inter medios cleros, id eſt, contemptu terrenorum, ſpe cœleſtium.* Eundem ſenſum amplectitur Hugo Cardinalis, aliique Doctores. En tibi deſcriptam ſpiritus paupertatem, hæc enim eſt, quæ inter terrenam, ac cœleſtem hæreditatem conſtituta, illam deſpicit, hanc ſuſpicit; illam fugit, hanc petit, illam reſpuit, & calcat, hanc expetit, & toto pectore amat. Cùm ergo fidelis anima hoc modo inter medios cleros, ſeu hæreditates dormit, tunc, *pennæ columbæ deargentatæ*, id eſt, pulcherrimæ virtutum plumæ naſcuntur, quibus animus ad cœleſtia euolat. Etenim per pennas columbæ Interpretes virtutes intelligunt, in primis Lyra, & Gloſſa cùm S. Auguſtino, qui ſic ait: *Sic ergo dormientes erunt pennæ columbæ deargentatæ, vt tempore quo reſurgent, rapiantur in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſemper iam cum Domino viuant.*

Pſalm. 67.

CAPVT VII.

Per paupertatem deſinunt homines terrenos eſſe, & cœleſtes fiunt.

MVltis poteſt nominibus regnum Dei pauperum dici. Satis ad hanc gloriam eſt, quod deſerẽtes terram, & quaſi terream naturam exuentes, in cœlorum regno cœleſtes ipſi quaſi commorantur. Paupertas enim ſpiritus id confert hominum, vt terrenas opes, atque bona è corde depellat, terrenaſque affectiones, & cogitationes eliminet, & omnia quæ in eo terrena erant, in cœleſtia commutet. In hoc quidem monte, in quo diſputat Dominus per paupertatem ſpiritus, ac cæteras beatitudines id agebat, vt nos à terrenis rebus diuideret, & ad cœleſtes transferret. Quod præſignatum eſt in benedictionibus datis ſuper montem Garizim, quibus ſignificatum eſt eos homines, accipere benedictionem æternam qui à terrenis rebus ſeparantur, & cœleſtibus coniunguntur: nam Garizim, *diuiſiones* interpretatur, quem ſenſum tradit Gloſſa.

Deut. 11.

Porro, paupertas ſpiritus hanc diuiſionem efficit qua à terrenis ſeparati, cœleſtibus copulamur. Ideo Eccleſia typicè ſignata eſt in ſcala Iacob, vt Rupertus, & Caietanus philoſophantur: nam quod ſcala dicatur ſtare ſupra terram, & cacumine ſuo tangere cælum, oſtendit quidem Eccleſiam in terris agere, ſed conuerſatione cælum contingere. Agit quidem in terra pauper, dum corporis neceſſitatibus famulatur, ſed quia à terrenis poſſeſſionibus, & curis abſoluitur, in cœleſti curia animo conuerſatur. Iuxta illud Pauli. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Quem locum Tertullianus ita vertit: *Noſter autem municipatus in cœlis eſt.* Rectè quidem ad vim Græcam nominis *politeuma*, rectius autem ad rem noſtram: Eſt enim alluſio ad Romana municipia, id eſt, ciuitates, quæ, ſuis quidem legibus viuebant, muneribus autem, ac priuilegiis vrbis Romæ vtebantur, vt iam appareat, quam aptè cum noſtro vulgato Tertullianus conueniat. Verè enim municipatus cœli Eccleſia eſt, nam licèt in terra ſit, & terræ legibus, quoad corporis neceſſitates vtatur; per paupertatem verò ſpiritus ad cœlum ſublata, habet priuilegia cœli, ac participatam politiam. Secundùm quam ita ſuos in terris componit mores, vt nihilominus in cœlis agere videatur. Conuerſatio noſtra, & municipatus noſter in cœlis eſt, videlicet cum Angelis cognato ad eorum mores, & æmulo ritu. Vide quid debeant homines Euangelicæ paupertati. Quod attentè animaduertens S. Ambr. ait: *Magna gratia, quæ cœlo terras mutauit, vt conuerſatio noſtra in cœlis ſit, qui ante ſicut feræ errabamus in ſyluis.*

Gen. 28.
Philip. 3.
Tertullian. de corona milit.
S. Ambroſ. lib. 2. de Spirit. S.

Quamobrem decet omnino, vt qui in cœlo cõuerſatione degunt, de cælo ſemper loquantur: nam vt à Domino dictum eſt. *Qui de terra eſt, de terra loquitur.* Et rurſus. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.* Sunt autem quidam qui loquuntur miſto quodam idiomate, quod ex proprio ſcilicet, & peregrino conflatur; ſicut inuenimus apud Eſdram: *In diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, & filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.* Sic etiam ſunt plerique in Eccleſia, qui nec cœleſtes omnino ſunt, nec planè terreni; ſed vtrumque iungentes, & de cælo, & de terra loquuntur.

Ioan. 3.
2. Eſdr. 13.

Ad hæc per paupertatem ſpiritus in cœlo cõuerſari non ſolùm oportet ſed in ipſo cogitatione, & mente commorari, quòd ſub Aquilæ ſymbolo à Deo commendatur, cùm Iobum ſic alloquitur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidũ ſibi.* Vbi S. Greg. ait: *Ad præceptum Dei eleuatur aquila, dum iuſſionibus diuinis obtẽperans, in ſupernis ſuſpenditur fideliũ vita. Quæ & in arduis nidũ ponere dicitur quia deſideria terrena deſpiciens, ſpe iam de cœleſtibus nutritur.* Pauperes ſpiritu aquilas dixeris, nam terrenas poſſeſſiones deſerentes, & cordis volatu mundanas vmbras tranſcendentes, ac generoſo pede calcantes, quietis ſuæ nidum in cœleſtibus conſtruunt. Vnde optimè ſubdit Gregorius: *In arduis habet nidum quia non vult mentem in ima deiicere, non vult per abiectionem conuerſationis humanæ in infimis habitare.*

Iob 39.
S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 34.

Digitized by Google

At eos qui terrenis bonis ſtudent, & inhiant, non aquilas ſed veſpertiliones appellabis, qui minimè ad ſublimia euolant ſed in mũdanis tenebris circa terram volitant. Quamobrem Origenes ait: *Veſpertilio auis lucifuga & circa terram volitans eos deſignat, qui terrena quærunt, & fugiunt lucem cæleſtem.* Hunc ſenſum complectuntur Iſichius, & Eucherius cùm veſpertilio inter immundas & reprobas aues numeretur. Sed has abiectas aues relinquentes, ad aquilas redeamus, id eſt, ad pauperes ſpiritu, quibus Deus per Iſaiam ſic pollicetur *ſuſtollam te ſuper altitudines terræ.* Quod expendens S. Gregorius ſic ait: *Altitudines terræ ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum, quæ, quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat.* Super has altitudines animam Deus ſuſtollit, cum eam per paupertatem ſpiritus aquilam reddit, & calcatis terræ bonis ad cœleſtia rapit, de qua, nimirum aquila Deus ſubiungit *in petris manet, & in prærupitis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Per has petras idem Gregorius firmiſſimas in bono Angelorum mentes intelligens, ait: *In petris manet, id eſt, intentione cordis inter illas cœleſtes virtutes reſidet.* In præruptis verò ſilicibus Choros ipſorum Angelorum accipiens, addit; *Prærupti enim ſunt, quia pars eorum cecidit, pars remanſit. Qui integri quidem ſtant per qualitatem meriti, ſed per numeri quantitatem prærupti.* Per inacceſſas rupes idem intelligit, ac per præruptos ſilices. Subdit verò ſacer textus de aquila: *Inde contemplatur eſcam,* non quidem terrenam, ſed æternam, vt idem Sanctus Doctor exponit. Nam profectò pauper ſpiritu non è terra, non è mundo, ſed ſicut cœleſtis è cœlo alimentum quærit. Quod Sanctus Macharius docuit his verbis: *Sicut qui ſunt in naui non bibunt ex mari, neque ex eo victum ſumunt, ſed aliunde important in nauem: hoc modo Chriſtianorum animæ non à ſæculo iſto, ſed deſuper è cœlo cibum cœleſtem capiunt.*

Origen. hom 7 in Leuit.
Iſich. in c. 11. Leuit.
Eucher. form. Spirit. S.
Iſai. 58.
Greg. ſup.
Sup.
Machar. hom. 44.

Neque ſolùm cogitatione, & verbo, ſed amore etiã in cœlo pauperes ſpiritu conuerſantur, & tãquam ciues ſanctorũ, & domeſtici Dei in Chriſti Regia commorantur. Cuius idoneam rationem offert Gregorius: *Sicut domus,* inquit, *exterioris conuerſationis eſt ædificium, quod inhabitat corpus: ita domus noſtra cogitationis eſt qualibet res, quam per dilectionem inhabitat animus. Vnde Paulus, qui in ſupernis cor fixerat, in terra quidem poſitus, ſed tamen à terra extraneus dicebat: noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Cùm ergo veri pauperes ſpiritu à terrenis rebus amorem abſtraxerint, & in ſupernis fixerint, inibi eos habitare fatendum eſt.

Greg. lib. 8. mor. c. 31

Capvt VIII.

Pauperes in terra peregrini ſunt patriam in cœlo habentes.

HInc fit vt pauperes ſpiritu patriam in cœlo habeant, peregrinentur in terra; & quidem peregrinari in terra, & in cœlo ciuem eſſe connexa ſunt, conſequens enim eſt, vt qui per paupertatem ſpiritus patria, cunctiſque rebus terrenis ſe ſpoliauit, in cœlo patriam habeat, quam ſemper inquirat. Hæc autem voluntaria paupertas, qua quis in terra peregrinum agit, prima beatitudinum ponitur, quia vt Chryſoſtomus docet: *Prima eſt virtus, atque adeo vniuerſa virtus eſſe huius mundi hoſpitem, & peregrinum* id eſt, vt talem ſe gerere.

S. Chryſoſt. orat. 24. in Epiſt. ad Hebr.

Iuſtos omnes pauperes ſpiritu in terra peregrinos eſſe, & in cœlo patriam habere teſtatur S. Iſidorus dicens: *Sanctos viros in hoc ſæculo legimus peregrinos eſſe & hoſpites. Vnde & reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte figere cogitauit; quia ſanctis in hoc mundo tabernaculum non eſt, quibus patria & domus in cœlo eſt.* Horum peregrinorum primus fuit Abel, de quo S. Auguſtinus ait: *Abel gratia peregrinus deorſum, & gratia ciuis ſurſum.* Et paucis interiectis adiungit: *De Cain ſcriptum eſt; quòd condidit ciuitatem; Abel autem tanquam peregrinus non condidit, ſuperna eſt enim ſanctorum ciuitas.* Quin imo veros pauperes ſpiritu in terra non habere nec propriam defuncto corpori ſepulturam cenſuit S. Maximus dum ait: *Ex pretio Domini ager figuli comparatur in ſepulturam peregrinorum. Iſtos autem peregrinos, quos eſſe dicimus, niſi deuotiſſimos Chriſtianos, qui renuntiantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo in Chriſti ſanguine requieſcunt.* Quod probè cognouerat S. Gregorius Thaumaturgus, de quo Nyſſenus ait: *moriens obteſtatus eſt ſuos, ne peculiarem ſibi locum ſepulturæ compararent. Nam ſi viuus ait, nullius loci dominus vocari volui, ſed in alienis, tanquam inquilinus, & peregrinus habitans, vitam tranſegi, ne poſt mortem quidem inquilinatus mihi dedecori erit.* Verùm hanc ſpiritus paupertatem, qua iuſti inquilini, & peregrini ſunt in terra; etiam diuites, & potentes habere poſſunt. Hinc Regius vates non eſt veritus dicere: *Aduena ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Vbi Theodoretus, optimè aduertit: *Dignum eſt magnum Dauidem admirari, cum ſit in regno, & copiis, atque potentia, ſeipſum aduenam, & peregrinum nominare, & felicitati fidere nolle. Nam re vera hæc verba cum ſapientia dicta ſunt quæ rerum naturam ſcit, & hac de cauſa præſentem felicitatem deſpicit.* Nullus eximatur à peregrinandi labore, qui velit eſſe in futura patriæ requie. Vnde optimè S. Auguſtinus dixit: *Omnis qui ad ſupernam pertinet ciuitatem, peregrinus eſt mundi: & dum temporali vtitur vita, in patria viuit aliena, vbi inter multa illecebroſa, & multa fallacia Deum noſſe, & amare paucorum eſt.*

S. Iſidor. lib. 3. ſent. cap 16.
S. Auguſt. lib. 15 de ciuit c. 1.
Gen. 4.
S Maxim. hom. de Iuda Traditore.
S Gregor Nyſſ. in eius vita.
Pſal. 38.
S. Auguſt. in ſent. ſent. 17.

Cœterum, quam ſit hæc peregrinatio homini glorioſa ac vtilis, operæ pretium erit animaduertere, & quidem glorioſiſſima ſanctitatis nomenclatura his pauperibus peregrinis præcipuè congruit. Nam Sanctus Græcè dicitur agios, hoc eſt, ſine terra, quia non habet peculiarem terram, in qua ſit habitator, ſed eſt in omnibus aduena, & peregrinus. Quò ſpectans Sanctus Hieronymus dixit: *Sanctus non eſt habitator terræ, ſed aduena, & peregrinus, diciturque; aduena ſum & peregrinus, ſicut omnes Patres mei. Quamobrem & Abraham Hebræus peregrinus, tranſitorque memoratur, de præſenti ſæculo, ad futurum tranſire feſtinans.* Sancti ergo propriè dicuntur, qui ſine terra, id eſt, in ea peregrini, ciues ſunt cœli, contrà peccatores dicentur, qui terreni, id eſt, terrenæ ciuitatis ſunt ciues.

S. Hieron. lib. 2. in c. 7. Ezech.

Horum

Digitized by Google

S. Auguſt. lib. 5. de ciuit. c. 2.

Horum autem quàm ſit diuerſa nobilitas audire iuuat ex Sancto Auguſtino dum ait: *Pariſ ciues terrenæ ciuitatis peccato vitiata natura; cœleſtis verò ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia.* Hi ergo peregrini filij ſunt cœleſtis gratiæ, atque adeo velut in cœlo, vbi mater eorum eſt, naſcuntur. Vnde Ioannes ait: *Vidi ciuitatem Sanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo.* Deſcendit de cœlo, quia in eo nata eſt Eccleſia, & cœleſtibus gratiæ donis locupletata, ſed deſcendit in terram vt in ea pauper ſpiritu peregrinetur, quo poſtmodum diuitiis, & deliciis affluens per huius vitæ deſertum ad ſuam patriam aſcendat. Quamuis enim hic in mobilibus tabernaculis commoretur; ſtabiles tamen diuitias aſſequetur, & in æternas germinabit delicias. Iuxta illud Prouerbiorum: *Domus impiorum delebitur; tabernacula iuſtorum germinabunt.* Vbi Sanctus Hieronymus ſic exponit: *Domus quippe in manſione, tabernaculis vti ſolet in itinere: Domus igitur impiorum delebitur, quia habitationem vitæ præſentis, in qua ſemper manere deſiderabant, perdunt in morte reprobi, & hoc quod non prævidebant, exilium perpetuæ damnationis ſubibunt. Tabernacula autem iuſtorum germinabunt; quia præſens eorum conuerſatio, in qua incolæ ſunt apud Deum, & peregrini, creſcentibus ſine ceſſatione meritis, ad fructum vſque ſuauiſſimũ patriæ cœleſtis pertinget.* Præterea id gratiæ præſtari ſolet peregrinis, vt quidquid in alienis regionibus religionis gratia penitiùs abditum reſeruatur, ipſis tanquam hoſpitibus manifeſtetur. Ita Deus pauperibus ſpiritu, vt pote in hoc mundo peregrinis, legis, ac fidei ſuæ recondita myſteria propalat. Cuius non ignarus Dauid Deo dicebat: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, hoc eſt, legis tuæ mirabilia mihi quæſo, oſtende quæ vt videre poſſim, amoue velum, non tam à rebus ipſis tectis, & obductis, quàm à meis oculis ignorantiæ velo opertis, *reuela oculos meos.* Quo titulo petit? Qua ratione ſuadet? adiungit: *Incola ego ſum in terra; non abſcondas à me mandata tua.* Ad hæc, eorumdem peregrinorum gratiâ videtur Deus cœleſtem ciuitatem condidiſſe: nam quia ipſi propter Deum terrenam ciuitatem contemnentes, in mundo ſe peregrinos profeſſi ſunt; ideo Deus propter ipſos, cœleſtem fabricatus eſt ciuitatem in qua ſiniſtrum in æternum quieſcerent. Quod ſatis indicat Paulus, vbi de ſanctis illis Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob, qui ſemper peregrinando, vitam in tabernaculis traduxerunt, ſic ait: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum; parauit enim illis ciuitatem.* En peregrinis temporalem patriam deſerentibus, æternam Deus parat ciuitatem. Requiem pariter in hac vita parauit mirabilem, de qua optimè Sanctus Maximus ait *ideo peregrinis Chriſti ſepultura promittitur, vt qui ſe à carnalibus vitiis tanquam peregrinum & alienum cuſtodierit, is Chriſti requiem mereatur: ſepultura enim Chriſti quid eſt aliud, niſi requies Chriſtiani.*

Apoc. 21.

Prouerb. 14.

S. Hiero. lib. 2.

Pſalm. 118.

Hebr. 11.

S. Max. hom. de Iuda tradit.

Reliquum eſt, vt peregrinus, qui ad tam deſiderabilem ciuitatem properat, ſuæ peregrinationis leges cognoſcat, quas hoc loco perſtringere iuuabit. Prima eſt, vt totum gaudium de patriæ fontibus hauriat, & terrenam omnem voluptatem in via reſpuat. Verum enim omnino deprehenditur, quod Auguſtinus ait: *Odit valde patriam, qui putat ſibi bene eſſe, cum peregrinatur.* Quamobrem Chriſtianus peregrinus id præſtare debet in mundo, quod Moyſes, cùm peregrinaretur cum populo, & per regionem Regis Edon, id eſt, Regis terreni eſſet tranſiturus; ipſi Regi promiſit. *Obſecro vt tranſire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via recta gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos.* Cuius rei allegoriam ſapienter enucleat Philo ſic: *Olympiæ cœleſtiſque animæ ſunt hæc tam ingentia facinora, quæ regione terreſtri iam relicta, ad diuinarum naturarum ſubuecta eſt, conſuetudinem. Repleta enim contemplatione verorum bonorum, & incorruptibilium merito adulterina iſta in diem durantia reiicit.* Hæc ille. Olympia ergo, & cœleſtis anima, quæ in cœleſtem patriam contendit, ſic debet viam peregrinationis inſtituere, vt nihil de regno Edon, id eſt, de regione terreſtri velit capere, aut concupiſcere. Nam vt optimè Sanctus Auguſtinus dixit: *Cui peregrinatio dulcis eſt, non amat patriam; ſi dulcis eſt patria, amara eſt peregrinatio.* Id ergò in hac ſpirituali peregrinatione fiat, quod in humana; & vulgari vſu venit, de qua Seneca ait: *Peregrinantibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.* Verum enim omnino eſt, quod docet Gregorius: *Peregrinatio, inquit, eſt vita præſens, & qui ſuſpirat ad patriam, ei tormentum eſt peregrinationis locus, etiam ſi blandus eſſe videatur.* Secunda noſtræ peregrinationis lex ſit, quam Tullius vulgari peregrinationi præcepit ſic: *Peregrini officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio inquirere minimèque in aliena Republica eſſe curioſum.* Chriſtianus ergo verè pauper ſpiritu, qui in mundo tanquam in aliena Republica peregrinatur, minimè in ea curioſus ſit, nihil de alio inquirat, nihilque præter ſuum negotium agat, quod nullum aliud eſt, quàm ſanctis virtutum greſſibus in patriam cœleſtem properare. Tertia lex de peregrini teſtamento ſancienda eſt; vt videlicet pauper ſpiritu ſecum tanquam peregrinus, teſtamentum ferat, vt ex profeſſo explicuit Gerſon docens, vt ſicut ille qui ad longè ſe poſitas terras peregrinationem ſuſcipit; teſtamentum conficit, & obſignat, tranſcriptumque ſecum portat: ita pauper ſpiritu, qui ad remotiſſimas oras patriaſque cœleſtis Hieroſolymæ ſedes proficiſcitur, ſuum ſecum portare debet teſtamentum. Hoc autem, vt in humano teſtamento fit, de tribus rebus diſponit: primò externa bona leguntur, id eſt, relegantur à corde, & pro communibus tantum neceſſitatibus vitæ relinquuntur. Secundò de ſepultura corporis agitur, hoc eſt de mortificatione corporalium affectuum ſeu de mortis memoria, quæ vt ait Gerſon: *Hominem conſtituit in horizonte mundi futuri.* Tertiò, anima Deo commendatur, quod fit per Charitatem, concludit hic Doctor: *Sed igitur peregrinus tale teſtamentũ ferens, illius verſiculi, ſemper meminerit: vixeris hic & nunc, velut hic & nunc.* Vltima lex erit, vt peregrino conſtitutum ſit, in eiuſque hæreat medullis ſolijs ſe ciuitatis cœleſtis eſſe ciuem nec poſſe in terrenam ciuitatem allegi, niſi ſupernæ ciuitatis ius velit amittere. Nam ſi antiquo Romanorum iure ciuibus Romanis interdictum erat, vt non

S. Auguſt. in Pſalm. 93.

Num. 21.

Philo lib. quod Deus ſit immutabilis.

S. Auguſt. in Pſalm. 43.

Senec. Epiſt. 72.

S. Greg. c. 70. lib. 9.

Tull. lib. 1. de offic.

Gerſon tract. de tertiam Peregr.

alterius ciuitatis eſſent ciues; quantò iuſtius diuina lege cauetur ne ciues cœleſtis Hieruſalem in terrena ciuitate adſcribantur. Sed iuuat, hoc Romanorum ius verbis Tullianis expreſſum proponere. Sic habet: *Nemo qui Romanam ciuitatem retinere vellet, in aliam ciuitatem ſe dicauit.* Et paucis interiectis addit: *Nos non poſſumus, & huius eſſe ciuitatis, & cuiuſuis præterea; cæteris conceſſum eſt. Itaque in Græcis ciuitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedemonios, cæteros vndique aſcribi, multarumque eſſe eoſdem homines ciuitatum.* Si ergo Romanam ciuitatem ea prærogatiua præcellere oportuit, vt qui eius eſſet ciuis, alterius eſſe non poſſet, quaſi iniuriam ei facturus, ac eius maieſtatem læſurus, ſi tanta ciuitate donatus, aliam cooptare præſumeret, quid de cœleſti, & æterna ciuitate ſentire decet.

Orat. pro L. Cornelio Balbo.

Caput IX.

Pauperum ſpiritu exilium eſt terra.

CONſentaneum dictis eſt extorres in terra degere pauperes ſpiritu. Optimo iis propterea iure regnum cœlorum promittitur, vt qui pro Chriſto in hoc mundo exularunt à Chriſto cœleſti regno donentur. Pauperes enim ſpiritu ita ſe rebus mundanis abdicarunt, & ſpoliarunt, vt non ſolùm in mundo peregrini, prout oſtenſum eſt, ſed exules quoque extiterint, quod modò eſt demonſtrandum. Hugo Victorinus; reddens enim cauſam, ob quam Diſcipulis in Emaus euntibus Chriſtus vti peregrinus apparuit, ait: *Nunc autem interim in via peregrinus apparet vt exilium noſtrum agnoſcamus, & quod alia eſt patria noſtra.* Sed ſapientiùs, & elegantiùs philoſophatur alibi: *Delicatus* inquit, *ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt; fortis autem cui omne ſolum patria eſt; perfectus verò, cui omne ſolum exilium eſt. Ille amorem mundo fixit, iſte ſparſit, hic extinxit.* Cùm paupertatis voluntariæ functio ſit amorem mundi à corde repellere, tunc hæc paupertas perfecta eſt, cùm mundanum amorem omninò extinguit, quod tunc præſtat, quando homo omne ſolum exilium reputat, ſicut Hugo teſtatur. De hac paupertatis perfectione gloriabatur Sanctus Baſilius, vt refert Nazianzenus; nam cùm ei Valentis Imperatoris Præfectus exilium minaretur, infracto animo reſpondit: *Vnam omnium agnoſco patriam paradiſum; terram quaſi commune omnium aſpicio naturæ exilium; propria verò carens terra, nullo loco circumſcribor.* Vbi miram laudem voluntarij exilij, id eſt, perfectæ paupertatis ſpiritu attexuit: cùm ſpiritalem exulem nullo loco circumſcribi aſſerit velut æmulatorem diuinæ immenſitatis conſtituit, qua in eo conſiſtit, vt nullo loco circumſcribi poſſit. Ad hæc, Chriſtus Dominus in Ægypto exulare voluit, vt nos in mundo exules eſſe doceret. Vnde piè quidam cinit.

Hugo Vict. lib. 4. miſcell. tit. 99.
Luc. 24.
lib. 3. Did. erudit. c. 20.
Nazian. orat. de eius laudib.
Matth. 2.

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis huius.
Eſſe decet, cuius nos quoque membra ſumus.

Cùm autem dicimus perfectum Chriſti pauperem in mundo exulem eſſe, hoc exilium ita vniuerſè accipimus vt illud etiam reſpectu proprij corporis intelligamus, à quo perfectos pauperes exulare dicimus. Hoc certè exilium optabat S.Bernardus cùm dicebat: *Sic nos conſtituas exules in corpore, vt ſemper tecum ſimus ciues in mente.* Anima enim ſpiritualis pauperis in corpore exulat, & in mente tanquam in patria, cum Deo commoratur. At S.Diadochus patriam animæ à corpore exulantis non mentem, ſed ipſum Deum conſtituit. Sic enim habet: *Adhuc in corpore ſuo verſans peregrinatur propter Charitatem perpetua quadam animæ ad Deum profectione.* Peccatorum quidem patria, atque chara Domus Caro, ſiue corpus eſt; at pauperes ſpiritu in corpore velut in exilio degentes, ſemper ad Deum tanquam ad locum propriæ ac natiuæ commorationis proficiſcuntur. Quæ profectio, vt docet Diadochus fit propter Charitatem: nam vt S.Gregorius ait: *Domus noſtræ cogitationis eſt qualibet res, quam per dilectionem inhabitat animus.* De hac etiam à corpore in Deum profectione loquitur Paulus illis verbis: *bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Sicut autem ille, qui ab exilio in patriam peregrinando proficiſcitur, à loco exilij recedit, & tandem excedit, & ad patriam magis & magis accedit: ita anima, quæ per perfectam ſpiritus paupertatem ab omnibus nudatur, à corpore quotidie tanquam ab exilij loco quodam modo recedit dum omnes corporis appetitiones fugit, & ad Deum confugit. Quod S. Gregorius exemplo pauperrimi peregrini, id eſt, Eliæ oſtendit, de quo dicitur, quòd ſtans in oſtio ſpeluncæ Deum aduenientem viderit. Per ſpeluncam enim corpus noſtrum Gregorius intelligit. *Quid* inquit, *ſpelunca noſtra eſt, niſi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetuſtate retinemur?* De hac autem ſpelunca, id eſt, obſcura corporis habitatione quaſi egredimur, & ferè extra eam in eius oſtio ſtamus, cùm per cognitionem, & amorem ad commorandum in Deo properamus. Hoc enim ſignificat ex oſtio ſpeluncæ aduenientem Deum contemplari. Quod ita Gregorius ſubiungit: *ex oſtio ſpeluncæ Deus conſpicitur, quia hi, qui aduentum diuinitatis vtcumque conſpiciunt, quaſi iam ex habitaculo carnis procedunt.* Pauperes quidem ſpiritu, qui in corpore exules ſunt, ex habitaculo carnis iam procedunt, quia corporis commoda negligentes, & deſerentes, ad Deum cognitionis, & amoris greſſibus proficiſcuntur. In hac autem profectione dum corporis appetitiones calcant, quaſi pro calceamento, ipſo corpore vtuntur. Sic enim intellexit Sanctus Ambroſius verba illa Canticorum: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Nam in oratione de obitu Valentiniani, ſic de eo ſermonem habet: *Pulchra conuerſatio eius in ſæculo, pulcherrimus inceſſus eius, vnde meretur audire: ſpecioſi facti ſunt greſſus tui in calceamentis. Habitaſti in corpore, tanquam calceamento eo vſa, non vt inuolucro, vt quæ ſuperior, & eminentior.* Oſtēdit animam Valentiniani minimè alligatam, & inuolutam, & veluti corpore comprehenſam fuiſſe, ſicut peccatoribus vſu venit, ſed potiùs illud conculcaſſe & calceamēti inſtar, ſub pedibus traxiſſe, tanquā ſuperior, & nobilior, & in quo anima filia Principis oſtentatur, & pulcherrimis greſſibus in eo calceamento mouetur. Reliquum, eſt, vt Chriſtiani anima è corporis cœno emergens audiat Bernardi obiurgationem: *An non confunderis*

S.Bernard. in ſalue. Regina.
Diadoch. lib de perfect. ſpirit. cap. 14.
S Gregor. lib 8 moral. cap. 31.
2.Cor. 5.
Idem Greg lib. 5. mor. c. 16.
3.Reg. 19.
Cant. 7.
S.Bernard. ſerm. de Primordiis med. & nouiſ.

Digitized by Google

deris caput ſurſum habere, qui ſurſum cor non habes? Corpore rectus ſtare, qui corde repis in terra? An non repere eſt in terra, carnem ſapere, carnalia deſiderare, carnalia quærere? Memor nobilitatis tuæ pudeat te tantæ deiectionis. Ne ignores pulchritudinem tuam, vt de fœditate amplius confundaris.

Capvt X.

Communis eſt totus mundus pauperibus, vt vbique patriam habeant, cùm nullibi habeant niſi in cælo.

ADdenda ſunt dictis nonnulla; quoniam cum omnium pauperum proprium ſit propriam non habere ſedem, ſed toto orbe, quaſi in communi patria vagari, id verò maximè conuenit pauperibus ſpiritu, qui omnem terrenorum bonorum affectum abnegantes, patriæ imprimis amorem abiiciunt, & totum terrarum orbem patriam communem reputantes, ſolum regnum cœlorum propriam ſibi patriam ducunt. Ex quo enim regnum cœlorum promitti pauperibus audierunt, illud propriam patriam exiſtimantes, nullam aliam in terra præter commune ſolum voluerunt. Hæc terrenę patriæ cum cœleſti commutatio perfectæ virtutis initium eſt, prout docuit Hugo Victorinus. *Magnum*, inquit, *virtutis principium vt diſcat paulatim exercitatus animus patriam commutare*; vt nimirum ſicut in terra aliquando propriam patriam agnouit, iam in cœlo tantum agnoſcat, & in terra totum mundum communem patriam ducat. Subiungit Hugo: *Delicatus ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt; fortis autem, cui omne ſolum patria eſt.* Quam fortitudinem Seneca oſtentauit, cum dixit: *Non ſum vni angulo natus; patria mea totus hic mundus.* Et alio in loco ait: *In quamcumque terram venio, in meam venio. Patria eſt, vbicumque bene eſt. Illud autem per quod bene eſt, in homine, non in loco eſt.* Quoniam verò vbique terrarum æquè bene poteſt eſſe homini, ideo Tertullianus nullum locorum diſcrimen vult agnoſcere, cùm etiam homini in carcere optimè poſſit eſſe, vnde ad Martyres in carcere exiſtentes ſic ſcribit: *nihil intereſt vbi ſitis in ſæculo; qui extra ſæculum eſtis.* Ille præcipuè locus homini patria eſt, vbi non ſolùm ipſi bene eſt, verum etiam aliis, quibus verbo, & exemplo prodeſſe curat. Horum enim peregrinationem cum vario ſolis, ac planetarum curſu componit Nazianz. Epiſt. ad Nyſſenum, quem ſic conſolatur: *Angeris tot locorum peragratione ac diſcurſatione, tibique inconſtans eſſe videris, ſed nequaquam. Vir eximie, nam fixum tibi eſt, de multis bene mereri, quamuis loco minimè affixus ſis. Niſi verò quis ſolem accuſet, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas peragrat, vitam afferens, aut ſydera fixa laudans, planetas vituperet, quorum error quoque ipſe compoſitus eſt, atque concinnus.* Quamuis ergo bene Seneca hominis patriam definierit, vbi ſibi eſt melius, Nazianzenus declarauit eam eſſe, vbi & ſibi & aliis bene eſt. Quamobrē Euāgelici viri quamplurimi Iaponum, ac Chinarum, & remotiſſimarum, barbararumque gentium regiones patriam ſuam reputant, quod in eis inſtar ſolis, ac planetarum hominibus illis lucem veritatis, & æternam conferunt ſalutem. Quod etiam Seneca aliquo modo aſſequutus videtur, cùm dixit: *Magno animo nos non vnius vrbis manibus clauſimus, ſed in totius orbis commercium emiſimus, patriamque nobis mundum profeſſi ſumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.* Sapienter quidem, ſed magis miror veniſſe id magno Alexandro in mentem, qui vt Plutarchus refert Perſis deuictis, Macedonibus matrimonio iunxit Perſides puellas, tum vniuerſis mandauit, vt mundum pro patria, caſtra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoſcerent. Ita ſane pauperes ſpiritu quos verè magnanimos eſſe infra probabimus, natale ſolum, vt anguſtum deſpicientes, vniuerſum orbem patriam ſibi decernunt, & ſpatioſum, ac dignum campum virtuti præſtituunt. Nam licèt Philoſophi verbo tantùm; ſancti verò omnes vt verè pauperes ſpiritu, id re ipſa præſtiterunt. Ex quibus Sanctus Gregorius Nazianz. ait: *Mihi omnis terra, & nulla terra patria eſt*, ideſt, nulla peculiariter eſt mihi patria, ſed omnis vniuersè.

Hugo Victor. lib. 3. did. erud. cap. 10.

Senec. Epiſt. 28.

Lib. de remed. fort.

Nazian. Epiſt. 34 ad Niſſen.

Senec. lib. de tranq. vitæ c. 3.

Plutarch. in Græc. Apopht.

Nazian. orat. 28.

Contrà verò homines mundi amatores, diuitiis, ac terrenis bonis inhiantes, vni ſe, anguſtæque patriæ manciparunt. Quos Plutarchus, cum apibus, & formicis componit. *Nos*, inquit, *formicarum, vel apum modo, nido vno, vel aluearí profugi angimur, & cruciamur: neque nouimus omnia nobis propria, vt ſunt facere, & dicere.*

Plutarch. lib. de exilio.

Capvt XI.

Quanta magnanimitas pauperum ſpiritu.

QVæ hactenus diximus magnum in pauperibus ſpiritu animum ſupponunt, qui ſuper terrena omnia ſe attollat. Fallitur quippe mundus, qui inſipientia ſemper laborauit, dum pauperes iudicat puſillanimes; Chriſtus tamen eos beatos, & cœlorum Reges appellat; quia verè sūt magnanimi, & excelſo, ac regio ſpiritu prędıti: id ſane contra mundanum errorem operæ pretium erit adſtruere: Primum, is pauper eſt ſpiritu, non qui effectu, ſed qui affectu pauper eſt, id eſt, qui affectu diuitias non complectitur, quin imo ex animo reiicit, ipſaſque contemnit & paupertatem amat: at magnanimitas in hoc ipſo diuitiarum, ac bonorum temporalium contemptu conſiſtit. Id ſanè Philoſophus docet: *Magno*, inquit, *animo, excelſoque viri iidem contemnentes rerum videntur eſſe.* Conſonat. Seneca inquiens: *Magnanimi eſt magna contemnere, & mediocria malle quam nimia.* Sed luculentiùs ac ſublimiùs eandem ſententiam alibi exponit his verbis: *Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus, optamuſque ridentem cœleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Quemadmodum radij ſolis contingunt quidem terram; ſed ibi ſunt, vnde mittuntur: ſic animus magnus, ac ſacer conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ.* Egregium ſane ſymbolum magnanimorum, ac pauperum ſpiritu; hi enim inſtar radij ſolares, præ contemptu rerum infirmarum terram

Ariſt. lib. 4. Ethic c. 3.

Senec. Epiſt. 37.

Epiſt. 40.

tantùm attingunt; ſoli verò à quo procedunt, ſemper inſunt. Ea quæ vulgi opinionibus ſunt magna,& magnifica,parua ducunt.

Quod ſi Ethnici Philoſophi magnanimitatem contemptu rerum, & voluntaria paupertate definiunt, quid Sancti Eccleſiæ Patres ſenſuros, atque dicturos exiſtimes? Audi Chryſoſtomum: S. Chryſoſt. hom. in Pſal. 44. *Quoniam magnum habes dominum, ſis quoque tu excelſus, & te explica à rebus,quæ ad hanc vitam pertinent, ſume ſpiritus, qui ſuperent præſentium rerum humilitatem, non vt ſis elato animo,& inſolens, ſed magno, & excelſo animo. Aliud enim arrogantia, & inſolentia, & aliud magnitudo animi. Eſt enim arrogans, qui propter res paruas ſe iactat, & gloriatur,ac conſeruos deſpicit; alto verò eſt animo,qui, mente eſt humilis, & præſentis vitæ vmbras nihil eſſe exiſtimat.* Ille ergo magnanimus à Chryſoſtomo iudicatur, qui diuitias vmbras reputat, & cuncta terræ bona parua iudicat. Eum autem, qui circa hæc ſecus ſit animatus, puſillanimem exiſtimat S. Chryſologus ſerm. 22. Chryſologus his verbis: *Deiecta mentis eſt, qui familiaris rei meminit, cùm vocatur ad regnum. Iacens animus plebeius numulum theſauris regalibus anteponit. Pauper ſenſus paruis incubans perdit magna, & inhians temporalibus deſerit Sempiterna.* Is ergo ſolus, qui diuitias, ac temporalia bona contemnit, magnanimus eſt. Dices pauper magnanimus eſſe non poteſt, qui liberalis eſſe nequit: magnificentia enim in liberalitate maximè conſpicitur, quam pauper cùm diuitiis careat,exercere non poteſt.Reſpondet Sanctus Thomas, liberalitatem plus in contemptu diuitiarum,quàm in ipſarum largitione S. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. eſſe conſpicuam.vnde docet in Chriſto Domino fuiſſe liberalitatem in ſummo gradu, ex eo potiùs quòd diuitias contempſerit, quàm quod eaſdem conceſſerit; illud enim maiorem animi magnificentiam oſtendit.Quod opportune confirmatur ex Plutarcho in oratione de fortuna Alexandri,vbi narrat hunc Regem dono miſiſſe Xenocrati Philoſopho quinquaginta auri talenta,quæ Philoſophus excelſo ſanè animo recuſauit,& reſpuit, tunc Plutarchus ait: *Xenocratem laudamus, quòd dono miſſa ab Alexandro quinquaginta talenta auri non accepit; dantem non laudamus; an quia non à largiente, ſed potius à non accipiente contemni pecuniam putamus?* Plus ſanè eſt, & maioris animi indicium pecunias contemni ab eo,qui nihil habet,quam donari ab eo,cui multæ ſuperſunt. Liberalis fuit Alexander dando,quia aliquo modo contemnebat quæ à ſe abdicabat; ſed liberaliùs egit Xenocrates non accipiendo,quia magis ex animo contemnebat ea,quibus pro corpore egebat.

At verò quia contrariorum eadem eſt ratio & diſciplina, ſicut ad paupertatem ſpiritus ſpectat ea magnificentia, qua bona terrena deſpiciuntur: ſic ad ipſam pertinet magnificentia, qua mala,ſiue incommoda temporalia contemnuntur. Tunc enim perfecta eſt paupertatis magnificentia, cùm vtramque fortunam,proſperam,& aduerſam æquè deſpicit. Et quidem de aduerſa Nazianzenus in carmine ſic ſcripſit: *Magnanimus eſt,qui cuncta facilè ſuſtinet; nec parua ferre, pectoris parui eſt nimis.* Sicut fera magna ad latratum canum lenta reſpicit: ita proprium eſt magnanimitatis veræ non ſentire ſe percuſſum. Qua de re ſapienter diſſerit Seneca: *Magnanimo*, inquit, *de rebus magnis iudicandum eſt: fortunatior eſt,qui omnia rerum aduerſarum* Senec. Epiſt. 66. *onera rigida ceruice ſuſtollit: qui ſupra fortunam extat* ſicut enim Olympus ſupra nubes omnes verticem ſuſtollit, iuxta illud: *Nubes tranſcendit Olympus.* Sic magnanimus ſupra nimboſas fortunæ calamitates erigit caput, ſubdit Seneca: *Non mirum eſt in tranquillitate non concuti; illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi ſtare, vbi omnes iacent.* Eiuſdem verba ſunt: *Magnanimus ſtat rectus ſub quolibet pondere*; Epiſt. 71. Arbores pondere impoſito deprimuntur, atque franguntur, ſola palma magno onere preſſa altior erigitur, rectiorque ſuſtollitur. Quamobrem de anima paupertate ſpiritus prædita dicitur: *Statura tua aſſimilata eſt* Cant 7. *palmæ.*

Quia verò fidelis anima, totaque Eccleſia per magnanimam paupertatem ſpiritus vtramque fortunam, id eſt bona, ac mala temporalia deſpicit,& calcat, diſcalceata, ac nuda eſt terrenis bonis,& cœleſtibus veſtita. Quod præſignabat mulier illa à Ioanne viſa amicta ſole,& luna Apoc. 12. ſub pedibus eius, prout expendit S. Gregorius. S. Gregor. lib 34. mor. cap. 7. *Sancta*, inquit, *Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur,quaſi ſole veſtitur,quia verò cuncta temporalia deſpicit, lunam ſub pedibus premit.* Dignum quippe eſt, vt anima, quæ bonis ſe terrenis diſcalceat de cœlo calceamentum ſumat. Ezech 16. Vnde eſt illud Ezechielis.*Calceaui te ianthino:*id eſt cœleſtibus calceamentis.Quam ob cauſam eius greſſus,& calceamenta ab ſponſo commendantur: Cant. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Ita ſane decebat,vt quæ prædicatur cœlorum Regina, cœleſtibus calceis vteretur, in quibus pulchri conſpicerentur greſſus.

CAPVT XII.

Pauperes ſpiritu Reges ſunt.

NOn modò magnus eſt pauperibus Chriſti animus ſed & regius, regiaque illos dignitas decorat, eos ſiquidem ſaluator Reges conſtituit,cùm ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Cùm autem Reges cœlorum conſtituuntur, rerum omnium Domini prædicantur. Vnde Sanctus Climacus ait: S. Ioan. Clim. grad. 17. *Pauper monachus dominus eſt mundi: & quia iactauit in Deum curam ſuam, poſſidet per fidem omnes gentes in ſeruos.* Affinis eſt Chryſologus, Chryſolog. ſerm. 22. cum dixit: *Non poteſt omnibus dominari, niſi is qui propriis non tenetur*, id eſt, qui omni proprietate ſolutus, ſpiritu & voluntate pauper eſt. Id ipſum confirmat Chryſoſtomus ex regalibus pompis, quibus moriens Lazarus pauper honeſtatus eſt. Sicut enim cùm Rex excedit è vita,non quilibet portitores accedunt ad tollendum feretrum, ſed nobiliſſimi proceres,& regni magnates ad id muneris admittuntur: ita cùm pauper Lazarus animam dedit, cœleſtis Regni principes portitores accedunt: Luc 16. *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Quod conſiderans Chryſoſtomus ſic ſcribit: Chryſoſt. hom. 5. in Luc. *Non ſuffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus, ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant.*

Digitized by Google

faciant. Gaudet vnuſquiſque Angelorum tantum onus tangere. Libenter talibus oneribus pragnantur. Rex igitur erat, cuius funus regali pompâ proceſſit.

Sed de regia pauperum dignitate egregiè diſſerit Sanctus Bernardus. *Amicitia*, inquit, *pauperum, Regum amicos conſtituit; amor paupertatis Reges, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Expreſſiùs ſic ſcribit: *Suſcipit pauperes tanquam aduenas & peregrinos, verumtamen ciues Sanctorum; parum dixi, ciues, Reges ſunt, ipſorum eſt enim regnum cœlorum iure & merito paupertatis.* Hoc verò ius ad regnum, quo pauperes Reges conſtituuntur, egregiè colligit idem Bernardus ex præfatis verbis: *Beati pauperes Spiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, ſic ille ait: *Inde aliis virtutibus, quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur, quam datur; vnde & præſenti tempore enuntiatum eſt, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; cum in cæteris dicatur, hæreditabunt, conſolabuntur, & ſimilia.*

S. Bernard. Epiſt. 103.

Ep. 108. ad Regem Siciliæ.

Serm. 4. de Aduentu.

Ad hæc: tam præpotentes Reges ſunt pauperes, vt multis Reginis, quæ Regibus dominantur, ipſi pauperes dominentur. Prima Regina eſt natura, cui pauperes imperant. Ideò claudum mendicum ſic Petrus alloquitur: *Aurum & argentum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Quem locum expendens Sanctus Auguſtinus ſic ait: *Si aurum non habuit; ſanitatem dedit; Surge, & ambula. Non potuit ſuſtinere iuſſionem pauperis Regibus dominans, pauperis imperium natura non pertulit.* Ecce natura licet Regibus dominans pauperis imperio reſiſtere non valuit. Nam vt infrà Sanctus Doctor ſubdit: *Debilitas quàm ei inuexerat natura, vi paupertatis iubentis excluſa eſt.* Secunda Regina eſt concupiſcentia, de cuius regno loquitur Paulus cum ait: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Nam per peccatum interpretes concupiſcentiam intelligunt, quæ peccatum à Paulo non ſemel appellatur, quod à peccato proueniat & ad peccatum inducat. Huic Reginæ, quæ etiam Regibus dominatur, pauperes dominantur, teſte Sancto Chryſoſtomo, ita ſcribens: *Non indiget mancipiis paupertas, ſed habet loco ſeruorum paſſiones, habet ſeruos appetitus, qui Regibus dominantur.* Quis ergo miretur, quod Chriſtus pauperes conſtituat Reges, qui Regum dominis dominantur? Tertia Regina pecunia eſt, hoc ei nomen indidit Horatius illis verbis.

Actor. 3.

S August. ſerm. 22.

ad Rom. 6.

S Chryſoſt. hom. 48. in Matth.

Horat. Ep. 6.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus & formam, Regina pecunia donat.

Huic Reginæ, quæ Regibus imperat, pauperes dominantur, dum eam & ſibi ſubiiciunt, & contemnunt.

Præterea Reges rerum omnium dominos eſſe pauperes probat Bernardus ex illis Domini verbis, quibus omnes ſic hortatur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Quam abſolutam, & pluſquam regiam poteſtatem ſic admiratus Sanctus Doctor: *Vides, quia magna dignitas ſancta paupertas ſit, vt non modò patrocinium ipſa ſibi non quærat, ſed & ferat indigentibus. Quale eſt hoc, abſque interuentu cuiuſpiam Angelorum, vel hominum, ſola diuina gratiæ confidentia accedere per te metipſum ad vultum gratiæ, capeſſere ſummam rerum, attingere totius magnificentiæ culmen?* Opportunè exclamat Chromatius Epiſcopus: *O verè beata paupertas quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur.* Cùm ergo tam ampla; tam regia, tam mira ſit pauperum poteſtas, mirum non eſt, ſi Sanctus Hieronymus Pammachium nobiliſſimum virum, & piarum largitionum ſtudioſiſſimum appellauerit, *Munerarium pauperum, & egentium candidatum.* Nam vt olim apud Romanos qui magiſtratum, vel munus aliquod in Republica ambiebant, gratiam eorum, à quibus eſſet obtinendum, multiplici officiorum, obſequiorum, ac munerum ambitu conciliare ſtudebant, quos ob hanc cauſam candidatos, & munerarios appellabant; Ita Pammachius pio ambitu æterna tabernacula capeſſere contendens, eaque à Regibus, id eſt, à pauperibus dari non ignorans, eorum candidatum, & munerarium eſſe curauit. Nonne ſimiliter munerarium pauperum, & egentium candidatum dixeris Abrahamum? Nonne vt Principes æterna tabernacula daturos aſpiciebat, & eorum animos ſibi deuincere muneribus conabatur? Quando de eo ſcriptum eſt: *Cum vidiſſet Abraham tres viros cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in terram, & dixit: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas. Seruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis.* Hos tres Angelos ipſe peregrinos, ac pauperes exiſtimauit, quorum mirus candidatus extitit: nam ille officioſus occurſus, illa prona, & humilis adoratio, illa verborum ſubmiſſio, illa diligens munerum oblatio profectò candidatum redolent, imò exprimunt. Meritò dices Abrahamum ex officioſiſſima (vt Tertulliani verbis vtar) candidatorum natione fuiſſe.

Luc. 16.

S. Bern. Ep. 103.

Cromat. con. de octo beat.

S. Hieron. in Epiſt. ad ipſum.

Gen. 18.

Denique vt cognoſcas pauperes Spiritu Reges eſſe, contemplare Patriarcham Iacob pauperem, & peregrinum in Ægypto, vbi tam regia pollebat opulentia, vt filiis ſuis omnium bonorum benedictiones impertiret. Quod obſeruans Sanctus Ambroſius dixit: *Quis tam diues in regno, quam iſte in peregrino loco? Denique Reges benedicebat.* Conſonat Regius vates, nam in eo loco, *Nimis confortatus eſt principatus eorum.* Theodoretus vertit: *Nimis roborati ſunt pauperes eorum.* Ac ſi nihil inter pauperes, & principes differat. Porrò quia principes ſunt, eorum nomina in æterni Regis commentariis, ac Sacrarum Scripturarum monumentis notantur; diuitum verò ſæculi nomina ſupprimuntur. Quod aduertit Caietanus in hiſtoria Lazari: *Apud mundanos* (inquit) *diuitum nomina ſciuntur, cum de eis verba fiunt; pauperum verò nomina nec ſciuntur, nec, ſi ſciantur digna exiſtimantur propria appellatione. Sed ſi de aliquo eorum ſermo accidit, dicitur, quidam. Pauper totum oppoſitum eſt ſecundum ordinem ſpiritus, & propterea diues appellatur homo quidam; pauper autem appellatur nominatim Lazarus: magnus vtique apud Dominum & ſcitur, & ſcribitur ab Euangeliſta.*

Gen. 49.
S. Ambroſ. lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 9.
Pſal. 138.

Caietan. Luc. 16.

Meritò igitur Regius tribuitur honos pauperibus ſpiritu, qui nulli rei temporariæ ſubiiciuntur, ſed omnibus potiùs dominantur, atque

Digitized by Google

appetitiones animi, quibus mundi bona quæ-runtur, rationis moderamine regunt, Reges & Imperatores monſtrantur, cuius eſt exemplum Patriarcha Abraham, qui filios Heth ſic eſt al-locutus: *Aduena ſum & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.* Aduertendum omninò eſt quàm magnificè de hoc peregrino illi ſentiant. Reſ-ponderunt namque: *Princeps es Dei apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Principem Dei appellant, id eſt, maximum, iux-ta phraſim ſcripturæ, quæ vt res maximas de-notet, nomen Dei illis adiungit. *Sicut montes Dei, &c.* Abraham ergo verè peregrinus, id eſt, verè pauper ſpiritu Princeps maximus appella-tur. Et vt hîc habet Procopius: *Meritò appel-latur Rex, ſiquidem ſolus ſapiens libera conditio-nis eſt, & regnat.* Abrahám ergo ob pauperta-tem ſpiritus Rex fuit, cuius purpura omnes pau-peres ſpiritu induuntur, atque Reges euadunt. Aptè Paraphr. Chald. explanauit verba illa Can-ticorum. *Coma capitis tui ſicut purpura Regis.* Nam per Regem, Abrahamum; per comas verò capitis Chriſti pauperes voluntarios intelligens ſic explicuit: *Pauperes populi futurum eſt, vt in-duantur purpura propter meritum Abrahæ, quem Regem conſtituit ab initio.* Sicut ergo Abraham ob excelſam illam fidem, qua credidit Deo, di-citur Pater credentium: Ita propter miram illam paupertatem ſpiritus, qua ſe paterna domo, pa-triâ, boniſque ibidem poſſeſſis abdicauit, & peregrinus plurimas regiones peragrauit ipſe Rex Pater Regum, id eſt, pauperum ſpiritua-lium appellatur. Sic enim intellexit Sanctus Ambroſius promiſſionem illam à Deo factam Abrahæ. *Faciam te creſcere, & ponam te in gen-tem magnam, Regeſque ex te egredientur.* Nam hæc verba ſic explicuit: *Ex genere Abrahæ non ſolùm Reges erunt dignitate; verum etiam illi Reges, qui peccato non ſeruiant, nec vincat eos malitia.* Meritò pauperes ſpiritu Reges dixeris, quos peccati, mundique malitia, tot falſorum bonorum agminibus armata vincere non po-teſt. Vnde & Adam Rex fuit, dum pauper ſpiri-tu nihil tanquam proprium ſibi vſurpauit; at poſtquam pomum vetitum concupiuit, atque ſurripuit regiam coronam amiſit. Quod Anſel-mus affirmat his verbis: *Regnum huius Regis paradiſus fuit, in quo Rex & Dominus, vt domi-naretur, ac præeſſet beſtiis, & piſcibus, tanquam Rex in ſolio collocatus eſt: In eo autem quod ami-ſit, Rex eſſe deſiit.* Quid ergo primum amiſit niſi paupertatem ſpiritus, qua nihil ante pomum concupitum, vt proprium, & ſuum vſurpabat? Illi ergo meritò Reges dicuntur, qui inferiorem animi partem ita regunt, vt rationis legibus ſen-ſus & appetitiones, quibus terrena bona aſci-ſcuntur, coërcent. Audi Sanctum Iſidorum, ita dicentem: *Viros Sanctos Reges vocari in ſacris eloquiis inuenimus, eo quòd ſenſus proprios bene regant, & motus reſiſtentes ſibi rationabili diſcre-tione componant.* Cùm enim per paupertatem voluntariam abſurdis imperemus cupiditati-bus, quibus terrenum aliquod bonum acquire-re cupimus, per ipſam vtique Reges efficimur. Ita expreſsè Chryſoſt. *Reges, (inquit) efficieris, ſi volueris abſurdis imperare cupiditatibus: nam is demum regnat, & quidem veriùs, quam qui dia-demate cinctus eſt.*

[Margin: Geneſ. 23. — Cant. 6. — Gen. 17. S. Ambroſ. lib. 2. de Abrah. c. 10. — S. Anſelm. in c. 4. Ioan. — S. Iſidor. lib. 3. ſent. cap. 8. — S. Chryſoſt. hom. 1. in 2. Epiſt. ad Corinth.]

Sicut autem per paupertatem Reges. Ita & Imperatores efficimur, dum nimium eiſdem cupiditatibus, quibus opulentiam, & rerum temporalium abundantiam appetimus, impera-mus: Imperator enim ab imperando dictus eſt. Vnde opportunè Agapetus ait: *Te verè Im-peratorem aſſerimus, quippè qui & imperare, ac dominari cupiditatibus vales.* Quia verò tripar-titæ ſunt cupiditates, quæ paupertati cuncta mundana reſpuenti ſunt contrariæ, quibuſque per ipſam paupertatem imperamus, cupiditas nimirum diuitiarum, honorum, & voluptatum, idcirco pauperi tribus quaſi Prouinciis impe-ranti tres illas coronas myſticè aſſignare licet, quibus Imperator de Eccleſiæ more inſignitur. Qui enim legitimis ſuffragiis in Imperatorem cooptatur, tribus coronis ampliſſimo cæremo-niarum ritu donatur, de quibus noſter Molina. Prima corona ferrea eſt, quam illi imponit Ar-chiepiſcopus Colonienſis in ciuitate Aquiſ-granæ in eadem Diœceſi. Secunda, quæ argen-tea eſt, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ei im-ponitur, in quodam ſuæ Diœceſis loco. Tertia aurea à Summo Pontifice Romæ imponitur. Similiter pauper ſpiritu tribus coronis, ſcilicet, fide ferrea, ſpe argentea; charitate aurea, à Deo inſtar Imperatoris donatur, ob victoriam, nimi-rum voluptatum, diuitiarum, & honorum, quæ bona paupertate ſpiritus repudiauit. Optimè & opportunè Seneca: *Vis tibi dem magnum Impe-rium? Impera tibi ipſi.*

[Margin: Agapet. in paræn. ad Iuſtinian Imperator. — Molin. tom. 1. de iuſt. tract. 2 deſp. 24. — Senec. Epiſt. 4.]

Si autem quæras, quænam tributa his Re-gibus, ac Imperatoribus ſoluantur? Reſpondet Sanctus Ambroſius, ex perſona pauperis Petri, qui omnia propter Chriſtum reliquit; *Reliqui-ſti ergo, quæ habebas, & cæpiſti quæ non habebas: Chriſti nomen tibi fructuoſum, tibi tributa depen-dit, & bona tributa non pecuniæ, ſed gratiæ.* Tan-tum quidem eſt pauperum Imperium, vt nobi-liſſimum quoque Chriſti nomen ei ſit tribu-tarium.

[Margin: S. Ambroſ. ſerm. 8. in Pſal. 118.]

Capvt XIII.

Ad Angelorum ordinem videntur per-tinere pauperes ſpiritu.

PAuperibus ſpiritu regnum cœlorum pro-mittitur, imò præſenti donatione datur, cùm dicitur, *Ipſorum eſt regnum cœlorum.* Nam vt adnotauit Bernardus: *Aliis virtutibus promiſſio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur, quàm datur: vnde & præſenti tem-pore enuntiatum eſt, quoniam ipſorum eſt re-gnum; cum in cæteris dicatur: hæreditabunt, con-ſolabuntur, & ſimilia.* Cur ita? Quia profectò pauperes ſpiritu Angelicæ libertatis, ac felicita-tis æmuli, Angelorum ordini adſcripti, in cœlo ineſſe reputantur.

[Margin: S. Bernard. ſerm. 4. de aduentu.]

Etenim voluntarios, ac ſpirituales pauperes in terra degentes, cœleſtes illos ſpiritus imita-ri, & ad ipſorum ordinem, & quaſi naturam pertinere, ex eo apparet, quòd Angeli paupe-res ſint, & ſolo Deo diuites, nihil terrenum poſſident, nec habere deſiderant. Quapro-pter Sanctus Gregorius Nazianzenus elegan-ter ſcripſit.

[Margin: S. Gregor. Nazianz.]

Catibus

Digitized by Google

Cœtibus Angelicis leuius nil namque eſt.
Non illos inflammant opum veſana cupido,
Nec quæcumque mali parit irritamina tellus.
Non pelagus ſulcant ratibus, nec vomere terram, &c.

Idē orat. 38.

Non illucent Angeli terrenarum rerum copia, & ſplendore, ſed diuina, & æterna luce. Quod idem Gregorius docuit. *Angeli, primario Dei fulgore collucent; hæc enim inferiora ſecundariæ illuminationis ſunt.* Similiter pauperes ſpiritu, non vt mundani homines, ſecundaria terrenorum bonorum illuminatione collucent; ſed primaria diuinarum gratiarum illuſtratione, fulgent, Angeli quippe ſunt. Hinc Magi cum plenis theſauris in vrbem Bethleem contendunt; ab Herode inſtructi diriguntur; at cùm euacuatis theſauris pauperes remanent, ab Angelo de proſequenda via edocentur; quia nimirum pauperes ad felicem Angelorum conditionem iam ſpectantes, non ab homine, ſed ab Angelo debent edoceri. Quod Sanctus Hieronymus ſic notauit:

S. Hieron. de vera circumciſ.

Magi ſuis affectibus ſpoliati in auro, thure, & myrrha, conuerſationum itinere mutato, qui per Herodem venerant, per Angelum redeunt. Qui diuitiarum onera deponunt, & paupertatem Christi mente, & ſpiritu complectuntur, non iam ad terrenum Herodis regnum ſpectant, ſed in cœleſti Angelorum militia conſcribuntur. Quamobrem cùm Christus Dominus Apoſtolos eligens nouam pauperum rempublicam inſtituit, ab humana ad Angelicam diſciplinam homines traduxit, ſicut Sanctus Chryſoſtomus ſic edocuit:

S. Chryſoſt. hom. 33. in Matth.

Ipſos ad vniuerſi magiſterium miſſurus, ad Angelicam, vt ita dixerim, diſciplinam ex humana vita traduxit.

Sicut autem pauperes ſpiritu Angelis: Ita diuites amatores mundi pecudibus ſunt ſimiles.

Num 32.

Quod confirmare videntur duæ tribus Ruben, ſcilicet, & Gad, ac dimidia tribus Manaſſes. Cùm Moyſem precantur, vt facultatem eis tribuat remanendi ante Iordanem, & ante ingreſſum promiſſæ terræ à Deo: *Terra*, inquiunt, *quam percuſſit Deus in conſpectu filiorum Iſraël, regionis vberrimæ eſt ad paſtum animalium, & nos ſerui tui habemus iumenta plurima; precamur, ſi inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, nec facias nos tranſire Iordanem.* Vbi optimè Oleaſter dixit: *Diligebant pecudes ſuas, & ideò terram illis potiùs gratam, quàm ſibi deſiderant.* Quid tam brutum, quàm pecudes pluſquam ſe amare, & potiùs illis, quàm ſibi conſulere? Hoc autem de diuitibus exponit Gregorius:

S. Gregor. lib. 24. moral. cap 10.

Qui iumenta, inquit, *multa poſſident, Iordanem tranſire refugiunt; quia quos multa mundi impedimenta occupant, habitationem cœleſtis patriæ non requirunt.* Diuites quidem cum brutis bruteſcunt, & cum his potiùs citra Iordanem, quam cum filiis Iſraël in terra lacte, & melle manante eligunt habitare. Quo fit, vt hæreditatem cum pecudibus, non cum hominibus nanciſcantur. Quod annotans Origenes ait:

Origen. hom. 26. in Num.

Dum citra Iordanem campeſtria concupiſcunt in promiſſionis terra habere hæreditatem non potuerunt. Iure quidem primò hic diuites brutis comparantur. Vnde Regius vates, poſtquam dixit:

Pſal. 48.

Et relinquent alienis diuitias ſuas. Et paulò inferiùs: *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Vel vt alia littera habet: *Vocauerunt nominibus ſuis terras ſuas.* Ita ſubiungit: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ac ſi diceret cùm homo diuina gratia ad eum eſſet prouectus honorem, vt in Angelorum numero adſcriberetur; per diuitias tamen ad eam deuenit ſtultitiam, vt iumentis ſimilis ipſis merito comparetur. Deus namque: *Os homini ſublime dedit cœlumque videre.* At per diuitias in illud dedecus cecidit, quod de diuitibus prædicat vates: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, vt meritò tantam ruinam deploret Sanctus Bernardus, illis verbis: Pſal. 16.

Heu quomodo de grege facta eſt egregia creatura? Quamobrem qui pecudum more peccarunt, brutorum more punientur. Vnde ſubdit Propheta: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Ad quæ verba egregiè Sanctus Bernardus: S. Bern. ſerm. 42. in Cant.

Quàm benè dicitur, ſicut oues, quia detracto vellere terrenarum diuitiarum, nudi, preſſéque detruſi, ſempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depaſcet eos; quia ſemper morientur ad vitam, & viuent ad mortem. Alludit ad depaſtas herbas, quarum inſtar mors diuites peccatores depaſcet.

Capvt XIV.

Quàm plenè pauperes ſpiritu regnum cœlorum poſſideant.

QVid vltra ad paupertatis voluntariæ gloriam addi poteſt, quæ Angelicam æmulatur perfectionem, quæ regnum obtinet cœlorum? Illud adiiciendum: integrè, & plenè illud poſſidere: quoniam promiſit Chriſtus pauperibus ſpiritu regnum cœlorum, non quidem inter ipſos diuiſum, ac diſpertitum, vt ſinguli ſingulas, ſiue ſingulares Regni partes obtineant; ſed totum omnibus, totúmque ſingulis; nullus enim timet, gloriam ſuam imminutum iri, ſi multos regni ſocios admittat; Scitè Beda expendens illa verba Lucæ: *Fili, tu ſemper mecum es, omnia mea tua ſunt*, ſic diſſeruit: Beda. in cap. 15. Lucæ.

Quomodo poſſunt eſſe omnia maioris, ſi habeat ibi etiam iunior partem ſuam? Sic enim à perfectis, & perpurgatis & iam immortalibus filiis habentur omnia, vt ſint omnium ſingula; & omnia ſingulorum. Quam regni opulentiam admiratus Chryſoſtomus dixit: *O bonitas effuſa, ô inaudita pietas, ô ineffabilis affectio! ad participium Regni Rex gregem populi totius admittit: ſic dat, cui decreſcere cenſus non poteſt, cuius regnum minui, cui vacuari poteſtas non poteſt largiendo.* Tanta ergo eſt hæc regalis hæreditas, vt nec danti, nec accipientibus vnquam minuatur. Audi Sanctum Ambroſium ita dicentem: S Ambroſ. in Pſal. 118.

Omnes poſſident, nec minuitur heredi quidquid ab heredibus vindicatur, manet emolumentum integrum, & eò magis ſingulis creſcit, quò pluribus fuerit acquiſitum. Alia conditio eſt hereditatis humanæ, ſi diuiſa fuerit, emolumenta minuentur, & heredis eſt damnum adſcriptio heredis. Indiuiſum regnum Chriſti eſt, indiuiſa hereditas, cum hereditatis fructus ſit indiuiſus. Solida ad ſingulos Chriſti dona perueniunt, omnes habent, & nemo fraudatur. Pende verba illa. *Eò magis ſingulis creſcit, quò pluribus*

fuerit

Digitized by Google

fuerit acquiſitum. Nam cùm hæreditas humana quò pluribus fuerit acquiſita, eò ſingulis minor redditur; in diuina hac hæreditate regia contraria ratione res habet. Quo fit, vt nulla inter hos hæredes diſſenſio, æmulatio, aut inuidia vnquam reperiatur. Nam vt optimè S. Bernardus: *Quænam inuidiæ cauſa poteſt eſſe, vbi ſortium magnitudini conſortium multitudo nihil detrahit?* Parum eſt non eſſe inuidiam; gaudium, & maximum quidem cuique eſt de conſortis hæreditate: nec mirum ſanè; tanta enim vndecumque euadit hæreditas, vt dicat Ambroſius. *Eò magis ſingulis creſcit, quò pluribus fuerit acquiſitum.* Porrò in illa Ambroſij ſententia: *Solida ad ſingulos Chriſti dona perueniunt.* Vox *ſolida*, Iuris propria eſt, in quo ſolidum capere poſſe dicuntur, quibus licet totum, quod eis relictum eſt capere. Hinc ſolida proprietas plena, non deducto vſufructu. Quare teſte Vlpiano *Solidum*, generatim dicitur, quod integrum eſt, non inane, neque parte aliqua hactum. Cùm ergo ad ſingulos Chriſti ſolida dona perueniant; *Omnes omnia habent, & nemo fraudatur.*

S Bern. Ep. 103.

l. 7. D. de cond. inſt. l. 6 D. de vulg. & pup. & ſubſt. l. 16. D. de vſufr. leg.

Ob hanc tam miram amplitudinem regia pauperum hæreditas flumen in Sacris litteris non ſemel appellatur. Quam appellationem egregiè interpretatur S. Bernardus, inquiens: *In remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, flumen planè eſt, ſed quod affluat, non quod fluat: flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet.* Flumen hoc impetu lætitiæ ita tranſit ad alios, vt totum in aliis remaneat, & ab omnibus nunquam pertranſeat.

S. Bern. ſerm de nimia fallacia præſentis ſæculi.

Caput XV.

Difficilem ingreſſum Regni cælorum parant diuitiæ; paupertas facilem.

Satis damnare diuitias videbuntur tot paupertatis laudes. Nihilominus oportebit eas ſpecialiùs multis improbare nominibus. Satis ad earum contemptum erat difficultas quam æternæ obiiciunt ſaluti, quam paupertas facilem parat. Idcircò pauperum ſpiritu regnum cælorum eſſe dicitur, quia mundanis curis expediti, & terrenis rebus animum valdè grauantibus exuti, facili negotio ad cæleſtia euolant. Ideo Sanctus Hieronymus admonet: *Nudus & leuis ad cælum euola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* Illæ certè aues ægrius in altum tolluntur, quæ multarum carnium pondere prægrauantur. Conſonat Sanctus Gregorius his verbis. *Sancti viri hoc ipſum grauiter tolerant, quod feſtinantes ad patriam in itinere multa portant.* Quid ergo facient, vt expeditè iter agant? Subdit: *Electi ergo de multa abundantia minimè lætantur*, quam videlicet; *Pro amore cæleſtis patrimonij, aut largiendo diſpergunt, aut deſpiciendo deſerunt.* Diuites quidem onerati viatores ſunt, qui ſæpe oneri ſuccumbentes ad æternam patriam, vel ſerò, vel nunquam perueniunt. Quamobrem Sanctus Chryſoſtomus talari veſti diuitias comparauit, quod veſtimenti genus minimè congruit viatori, qui præcinctus, & expeditus debet incedere. Hæc igitur veſtis, & tota diuitiarum ſarcina deponenda eſt, ſi velis ſecurus, & alacer ad patriam peruenire. Vnde Sanctus Gregorius Nyſſenus, ait: *Ponderoſa res aurum, ſi igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab iis, quæ deorſum trahunt, inopes ſimus, vt in ſupernis verſemur.* Accedit, quod viator Chriſtianus ad cæleſtem patriam contendens crucem ferre debet, quæ clauis eſt, qua cæleſtis ianua aperitur: at onus crucis, onuſque diuitiarum ſimul ferre homo non valet. Quod animaduertens Sanctus Gregorius Nazian. ait; *At tu libenti animo, iuſtis etiam rationibus quæſitas opes excutias, atque in pauperum ſubſidium ſpoliaueris, vt leuiter crucem tollas.* Cùm ergo crucis onus neceſſariò ferendum ſit, diuitiarum vtique erit abiiciendum; alioquin tantum ponderis à ſublimi cælorum via animum retrahet, & ad infera loca deponet. Quod eleganter deſcripſit Chryſolog. *Aurum*, inquit, *naſcitur in terra profunda, ſectatur ipſa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repetit ad naturam cæleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus ſemper, alta mentium ſemper in terrena demergit.*

S. Hieron. Epiſt. ad Exuperant.

S. Gregor. lib. 22. mor. cap. 3.

S Chryſoſt. hom. 7. de Pœnit.

S. Gregor. Nyſſen. lib de beat. cap. 1.

S. Gregor. Nazian orat 2 de Paſchat.

Chryſolog. ſerm. 29.

Hanc ob cauſam Chriſtus Dominus fulmen illud vibrauit: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare regnum cælorum.* Gloſſa, quæ ex Hieronymo ſumpta eſt, ſic habet: *Dicitur quia Hieroſolymis quædam porta erat, quæ foramen acus dicebatur, per quam Camelus niſi depoſito onere & flexis genibus tranſire non poterat: per quod ſignificatur, diuites non poſſe tranſire viam arctam quæ ducit ad vitam, niſi ſordibus peccatorum, & diuitiis depoſitis, ſaltem non amando.* Sanctus Chryſoſtomus per acum Dei filium intelligit, cuius acus prima pars ſubtilis eſt ſecundùm diuinitatem, alia verò craſſior ſecundùm incarnationem eius; foramen verò huius acus eſt vulnus lateris. *Per quod*, inquit, Chryſoſtomus, *Gentes ingreſſæ ſunt in vitam æternam.* Sed iucunda ſunt; quæ obiter adiungit: *Hac acu conſuta eſt immortalitatis tunica. Ipſa eſt acus, quæ ſpiritui conſuit carnem. Hæc acus Iudaicum populum iunxit, & gentium. Hæc acus amicitiam Angelorum & hominum copulauit.* Denique per Camelum, populum Gentilem, per diuitem, Iudaicum intelligens, totam expoſitionem, ita perſtringit: *Facilius eſt ergo gentiles tranſire per foramen acus, quàm diuites Iudæos intrare in regnum cælorum.* Denique alij per Camelum funem nauticum, qui Cameli nomine nuncupatur, intelligunt, vt ſenſus ſit, facilius eſſe hunc funem per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Dices, id omninò eſſe impoſſibile. Videtur certè impoſſibile. Sed eſt ratio, qua funis nauticus per foramen acus poſſit tranſire. Nam quamuis totus integerque per foramen acus intrare nequeat; tamen ſi in fila diſpertias, & ſingula per foramen tranſmittas, totum tandem funem per foramen tranſiiſſe conſpicies: Ita quidem res habet, ſi opes quaſi in fila diuidas; & pauperibus largiaris; facilè quantumuis diues in regnum cælorum intrabis.

Matth. 19.

Chryſoſt. hom 64. in Matth.

Sternit quoque diuitum præcipitium, quòd

terreſtrium

terreſtrium bonorum æſtimationem habeant, cœleſtium contemptum; quoniam terrena tantùm amant; ſpiritalia, & cœleſtia bona flocci
Prouerb. 27. pendunt. Id ſignificauit Sapiens, illis verbis: *Anima ſaturata calcabit fauum.* Vbi Sanctus Hieronymus, ſic exponit: *Anima diuitum, qui habent conſolationem ſuam in hoc mundo, ſpernit auditam cæleſtis regni dulcedinem.* Nam vt mulieres prægnantes multo ſanguine, & humore grauatæ, ſalutares, ac ſuaues cibos faſtidiunt; noxios verò, imò terram, carbones, gypſum, & alia huiuſmodi appetunt. Ita diuites, qui peſtilentem auaritiæ fœtum conceperunt, terrena inquinamenta eſuriunt, cœleſtia alimenta reſ-
S. Iſidor. lib. 1. Parallel. 1. cap. 17. puunt. Hac vtitur collatione Sanctus Baſilius apud Damaſcenum. *Non te pudet lapides præ faſtidio appetere, quemadmodum mulieres, quæ vterum gerunt? vt enim illæ lapillos vorant, eodem modo tu quoque lapides maiorem in modum appetis, Sardoniches nimirum, & Iaſpides, atque amethyſtos requirens.* Huius rei typum vi-
Num. 21. demus in antiquo Dei populo. Nam cùm populus ille egregiam victoriam de Chananæo reportaſſet, & regionem Edon, id eſt, terreni circuire cœpiſſet, tunc Ægyptum ſuſpirat, tunc clamat: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Similiter fidelis poſt captam, optimam prædam, poſtquam regionem terreni circuiuit, diuitias quærens, illico cœleſte manna faſtidit, id eſt, ſpiritale animi pabulum contemnit. Cùm igitur contemnant cœleſtes opes terreni diuites eas non poſſunt conſequi diuitias, quas nec quærunt, nec appetunt.

Capvt XVI.

Æternæ patriæ iter diuitiis impeditur ſed paupertate expeditur.

Accedunt ad dicta multa ex diuitiis impe-
Tertull. lib. de cult. fœm. dimenta ſalutis oriri. Hinc illud Tertulliani: *Ne dilexeritis aurum in quo prima delicta populi Iſraëlitici denotantur. Retinacula iſta ſunt ſpei noſtræ.* Inuoluta eſt in his verbis antiqui, & noui populi collatio. Sicut enim ille iter agens ad terram promiſſionis, auro vituli adorati, quaſi retinaculo præpeditus eſt, ne ad deſtinatam patriam perueniret ſed in deſerto moreretur: Ita Chriſtianus populus ad cœleſtem patriam tendens, auro, atque diuitiis retinetur, ne promiſſæ gratiæ poſſeſſionem, quæ ſumma ſpei noſtræ eſt, aliquando conſequatur. Aurum; quod in via Hebræo populo obſtitit ex Ægypto erat. Ideò graue obſtaculum, & itineris retinaculum: Similiter Chriſtianus diuitiis præpeditur, quia Ægypti, id eſt, huius mundi bona ſunt. Quod intelligi poteſt ex eo, quod Sa-
Gen. 13. cra Hiſtoria narrat his verbis: *Aſcendit ergo Abraham de Ægypto, ipſe & vxor eius; erat autem diues valde in poſſeſſione argenti & auri.* Quæ verba expendens Gloſſa, ſic habet: *Quomodo potuit diues eſſe valde? Sed in Hebraica veritate habetur, grauis valde; Ægypti enim pondere grauabatur. Et licèt videantur eſſe diuitiæ auri & argenti; ſi autem Ægyptiæ ſunt, ſancto viro graues ſunt.* Meritò ergo Tertullianus huiuſmodi diuitias, *ſpei noſtræ retinacula* appellauit. At anima fidelis paupertate ſpiritus velox aſcendit ad patriam, quia nulla eam diuitiarum retinacula remorantur. De qua Sanctus Gregorius intelligit illud Canticorum; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, per deſertum, ſicut virgula fumi?* S. Gregor. in Cant. 3.
Sic enim ad hunc locum ſcribit: *Hi cenſum mundi cum cupiditatibus contemnunt, & ſpe ad inuiſibilia tendunt; hi nimirum per deſertum aſcendunt, quia quo fortiùs iſta deſerunt; eò feruentiùs ad illa gradiuntur.* Similiter Hugo Cardinalis de expedita via pauperum ſpiritu hunc locum intelligens, ſic interpretatur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, id eſt, de mundo ad cælum, ſicut virgula fumi, id eſt, paupertate graciliima, intentione rectiſſima.* In eandem ſen- Cant. 4.
tentiam exponit etiam Sanctus Gregorius illud Canticorum: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Loquitur ſponſus Chriſtus cum ſponſa Eccleſia, cuius dentes ſunt firmiores in fide, & charitate fideles. *Hi nimirum,* inquit Gregorius, *Benè ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, eſſe dicuntur; quia dum ſe a peccatis omnibus in baptiſmo ablutos eſſe recordantur, libenter onera mundi deponunt, vt ad cæleſtia conſequenda quò liberiùs, eo faciliùs gradiantur.* Pauperes quidem ſpiritu tonſis ouibus comparantur, quia diuitiarum vellera deponunt, vt liberiùs, & faciliùs à terra in cœlum properare poſſint. Quid quæſo ſunt Religioſorum ordines Euangelica paupertate bonis temporalibus exuti niſi greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro?

Præterea ad viam cœleſtis patriæ percurrendam neceſſaria eſt paupertas, quod diuitiæ, vt
Plato ſcripſit, ſint inſtar talarium veſtium, quæ greſſum non parum impediunt. Paupertas verò hominem nudat, vt viam expeditè poſſit conficere. Quod vt faciamus optimè ſuadet Sanctus Plato. lib. 1. de Repub.
Ambroſius: *Nudi,* inquit, *in ſæculo naſcimur* S. Ambroſ. ſerm. 10.
nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cæli ianuam properemus. Quàm autem incongruum eſt, & abſurdum, vt quem nudum mater genuit, nudum ſuſcipit Eccleſia, diues intrare velit in cœlum? Pauperum ſanè, ac nudorum eſt patria cœleſtis, nudorum eſt paradiſus: vnde Ambroſius, adiungit: *Nudus Adam incola paradiſi fuit, foras veſtitus.*

At verò per paupertatem ſpiritus non ſolùm diuitiarum onera, veſteſque talares, itineris retinacula deponimus; verumetiam alas aſciſcimus, quibus non iam currimus viam ſed prætervolamus. Audi Sanctum Bernardum dicentem: S Bernard. ſerm 4. de aduentu.
Magna quædam penna eſt paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cælorum: nam in aliis virtutibus promiſſio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur. Non enim dicitur à Chriſto quoniam ipſorum erit regnum cœlorum, ſed *ipſorum eſt*; quaſi quo temporis puncto paupertatis pennas aſſumunt, eorum volatu cœlum conſcendant: Id ſummopere cauendum eſt, ne in bonorum terrenorum viſco hæ paupertatis pennæ adhæreſcant. Audiamus denique Sanctum Gregorium ad expe- S. Gregor. hom. 19. in Ezech.
ditam paupertate viam omnes adhortantem. *Ne,* inquit, *felices putemus, quos rebus onuſtos cernimus. Nimia valdè ſunt ea, quæ ſibi quaſi in ſumptus vitæ præſentis præparant. Multa portant, ſed in via breui. Magna eſt nobis in hoc itinere*

Digitized by Google

nere ſocia, paupertas, quæ animum, non anguſtat, cùm deeſt terrena ſubſtantia, de qua æterno iudici rationes ponamus. Liberiùs ad patriam tendimus, quia quaſi in via pondere caremus.

Capvt XVII.

Multa pericula ſubeunt diuites, quominùs cœleſtis Regni & patriæ portum appetant.

IDipſum quod nuper indicauimus ex nauigantium ſimilitudine ſumemus; quoniam pauperes ſpiritu per procelloſum huius vitæ pelagus, ſalua ſtare, & mercibus cœleſtis patriæ portum expanſis velis feliciùs appetunt; cùm contrà diuites, vel in ſcopuloſis locis contriti, vel magnis tempeſtatibus agitati, frequenter naufragium faciant. Hanc ob cauſam, vt Plutarchus Author eſt: Romani in monetis aliquando excudebant nauem, quo nimirum fortaſsè ſignificarent naufragij periculum diuitiis ineſſe. Rem magis explicuit Chryſoſtomus. *Vt nauis*, inquit, *nimio pondere onuſta in magno naufragij verſatur periculo: ſimiliter anima diuitiarum onere grauata.* Hoc certè naufragium timuit Crates Thebanus, qui vt refert Sanctus Hieronymus, cunctas ſuas opes in mare proiecit illis verbis vſus: *Abite pesſum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis.* Pondus enim diuitiarum tantum eſt, vt nemo tutò cum illis nauiget. Quamobrem Sanctus Auguſtinus cum diuite auaro ſic expoſtulat: *Naufragium fugis, & plumbum amplecteris?*

Plutarch. in Lac.

S. Chryſoſt. hom. de auarit.

S Hieron. lib. 2. contra Iouinian.

S Auguſt. in Pſal. 51.

Contrà verò pauper ſpiritu, abiecto diuitiarum, ac terrenorum honorum pondere, leni ac expedito nauigio huius ſæculi mare ſecurus ſulcat, & æternæ ſalutis portum lætus intrat: Egregie Sanctus Gregorius. *Iuſtus*, inquit, *dum veram vitam deſiderat, omnia deſpicit, quæ hic poſſidendo portat. Nam velut tempeſtate deprehenſi pondus nauis abiicimus; quando ab oppreſſa mente deſideria terrena remouemus, ſicque vt ſublenata nauis enatet, quæ mergebatur onerata; quia nimirum curæ, quæ in hac vita deprimunt, mentem in profundum trahunt. Quæ videlicet mens tantò altiùs inter tentationum fluctus attollitur, quantò ſolliciudinis ab huius ſæculi cogitatione vacuatur.* En felicem ſpiritualium pauperum nauigationem, ob quam Caſſiodorus Regum opulentiæ pauperum inopiam anteponit, qui pulchrè dixit: *Verè omnipotens, qui & ipſas miſerias feciſti potentes. Nullus Regum egentibus tuis par eſt. Nullæ purpura piſcatorum tuorum retibus adæquantur: quando illa in mundanas tempeſtates impellunt, hæ ad littus æternæ ſecuritatis adducunt.* Amplectamur ergo paupertatem, qua nauigationem periculis plenam feliciter conficimus.

S.Gregor. lib. 21 mor cap. 16.

Caſſiod. lib. canon. cap. 9.

Capvt XVIII.

Domum perditionis ædificant diuitiæ, & paupertas voluntaria turrim ſalutis.

ALia id ipſum imagine repræſentemus, ſcilicet, ædificij, quoniam paupertati regnum cœlorum à Domino promittitur, quia per ipſam homines ſalutis extruunt turrim, quæ ad ipſum cœlorum regnum pertingit. Hanc enim turrim ipſa paupertate quaſi congruis expenſis ædificari docuit Chriſtus, vbi poſtquam ad eam extruendam ſumptus attente computare neceſſarium dixit illis verbis: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus? &c.* Poſtmodum exponens qui nam ſint hi ſumptus, quibus turris ſalutis extruitur, ait: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ita quidem explicat hæc verba Sanctus Auguſtinus. *Itaque*, (inquit,) *ſumptus ad turrim ædificandam, nihil aliud eſt, quam vt renuntiet vnuſquiſque omnibus, quæ ſunt eius.* Paupertas autem ſpiritus in renuntiatione conſiſtit, vt hîc definit Beda. In eo eſt, *Vt ſic fidelis teneat quæ ſunt mundi, vt tamen per ea non teneatur in mundo.* Per paupertatem ergo, ſeu renuntiationem bonorum temporalium turris ædificatur, in qua æterna animæ ſalus defenditur. Aduertit autem Beda diſcrimen inter hoc ſpiritale, & terrena ædificia: nam ad corporale ædificium neceſſe eſt diuitias congregare. At ad ædificium ſpiritale diſpergere. Per turrim verò Hugo Cardinalis virtutum omnium congeriem, ſeu vitæ ſanctæ altitudinem intelligit.

Luc. 14.

S Auguſt. Epiſt. 38. ad Lætum.

Porrò autem diuitias domum perditionis extruere, adumbratum, & egregio typo ſignificatum eſt, vbi Moyſes de vrbibus ab Ægyptiis ædificatis ex lateribus ab Iſraëlitis confectis, ſic ait: *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Ramaſſes.* Nam per lateres, quibus conficiendis tantopere inſudarunt in Ægypto filij Iſraël, frequenter Patres intelligunt terrena bona; qualia verò ædificia, ac vrbium domus ex huiuſmodi lateribus fiant, ex ſignificatu harum vrbium conijcere licet: Nam Phithom interpretatur *Os abyſſi*, vel *ſubitò*. Quod attentè perpendens Petrus Damianus, ſic ait: *Quò magis in altum hæc carnalis vitæ ſtructura ſubrigitur, tantò procliuiùs velutì in abyſſi voraginem merſa, ſubitò diſſipatur. Benè ergo dicitur, Phithom & os abyſſi, & ſubitò, quia de carnalis vitæ culmine non ſegniter, ſed citò corruitur; & illud eſt os abyſſi, quod aſcenſu videbatur eſſe faſtidij.* Quod ſi ſcire velis, quàm non ſegniter, quàm citò, quàm ſubitò carnalis vitæ ſtructura de culmine mundanæ felicitatis in abyſſi voraginem corruat, Audi Auguſtinum, vbi expendens verba illa Lucæ. *Diues autem ſepultus in inferno.* Caſum & ruinam illius diuitis, ſic extollit: *Sepultus eſt in inferno, quia hunc pecuniarum onere preſſus velociùs deſcenderat quam vt veniſſe diceretur.* Ac ſi diceret: non dixit Euangeliſta venit in infernum, aut deſcendit,

Exod. 1.

S Petr. Damian. lib. 8. Ep. 12.

S Auguſt. ſerm. 15. de verb. dom. Luc 16.

Digitized by Google

deſcendit, ſed ſepultus eſt: nam venire, aut deſcendere moras, & dilationem ſonant; hîc autem auarus diues ſui ipſius facultatibus, & copiis degrauatus adeò velociter ad orci ima perlatus eſt, vt veniendi, aut deſcendendi vocabula tarda nimis Euangeliſtæ viſa ſint; proptereà ad terminum illius ruinæ mente contendens, ait: *Et ſepultus eſt in inferno.* Ecce quam ſubitanea ruina inferni vorago diuites auaros abſorbeat: Ex quo debet intelligi, quàm
Pſalm. 140. optimo iure Regius vates dixerit: *Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum:* Vbi elegans eſt ad rem noſtram Arnobij commentatio, quæ ſic habet: *Si ſuper petram eſſent, non poterant abſorberi. Nunc autem fundamentum petræ ſolidæ relinquentes, iuxta ipſam petram fabricant in arena, vbi nidos ſuos conſtituentes, cum ſuis paruulis abſorbentur.* Vides, quomodo diuitiæ domum perditionis extruant, quoniam non ſuper petram, ſed in vicina arena ædificent. Iuncti petræ, vel, vt Sanctus Hieronymus vertit, *Iuxta petram*, videntur eſſe illi potentes, & diuites, qui pietatem ſpecie tenus colunt; ſed abſorbentur ab orco; quia non ſuper firmam petram, id eſt Chriſtum, ſed in mobili bonorum temporalium arena domum ſuam ædificant.

Caput XIX.

Magnum æternæ damnationis periculum imminet diuitibus?

CVm Chriſtus Dominus pauperum eſſe regnum cœlorum docuit, conſentaneè intelligi voluit, diuites longiſſimo interuallo ab ipſo cœlorum regno eſſe ſepoſitos, atque adeò in magno verſari æternæ damnationis periculo. Quod vel ipſi Ethnici ſatis intellexiſſe videntur, cùm vnum Plutonem & diuitiarum, & ſimul tartari Deum eſſe crediderunt, vſque adeò enim infernus atque opes ſibi conueniunt; vt vtrique eundem Deum, præeſſe exiſtimauerint. Sed à fabulis abeamus. Audi Chryſoſto-
S. Chryſoſt. hom. 7. in acta Apoſt. mum hac de re, ita dicentem: *Licèt Diabolus non eſſet, licèt nullus qui impugnet appareat, innumeræ tamen viæ ſunt, quæ diuitiarum amatores ad gehennam trahunt.* Profectò licet Diabolus non impugnet ſatis diuitiæ hominem expugnant, vt ad tartara impellant, imò ipſe Diabolus quaſi ſibi diffidens & diuitiarum vires ſatis callens, per eas maximè hominem adoritur, debellat, & capit. Ideò Habacuc de
Habacuc. 1. hominum hoſte, loquutus ait: *Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit; & comportabit aggerem, & capiet eam.* Cùm enim aduersùs hominem diuitiarum aggerem comportat Diabolus, ridet omnem munitionem, qua homo ſe tueri contendit. Sic ibi interpretatur, hæc verba Theophylactus: *Omne munimentum occupat adducto aggere. Etenim aggerem terreſtrium curarum iaciens, & excitans obſidet humanam mentem, & capit.* Eſt quidem agger terræ, vel arenæ congeries, militum opera in tantam altitudinem excreſcens, vt altiſſimos muros obſeſſæ ciuitatis exæquet, atque etiam ſuperet, vt inde cluſa iam murorum munitione, facilè vrbs etiam expugnetur; ſimili namque ratione Diabolus cùm diuitias accumulat, tantos ſimul curarum, atque vitiorum aceruos exaggerat, vt animæ muros, ac ſpirituales munitiones rideat & obſeſſam, oppugnatamque animam capiat. Vnde hoc loco Sanctus Hieronymus aggerem comportatum à Diabolo, *Molem creſcentis tentationis*, eſſe dixit. Porrò autem, ita cum diuitiis damnatio coniuncta eſt, vt cùm Babylonicam ciuitatem, id eſt, mundanam impietatem Deus iam damnatam produceret, non ſacco, aut veſte lugubri indutam, aut ſordibus ſquallidam, ſed diuitiis oneratam Ioanni oſtenderet, ſic enim ait: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ; &c.* Quam deſcribens, ita ſubiungit: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, &c.* Quod attentè annotans Tertullianus, ait: *Illa ciuitas magna; quæ ſuper aquas multas præſidet, cùm proſtitutæ à Domino appellationem meruiſſet, quali habitu appellationi ſuæ comparata eſt? Sed & certè in purpura cum coccino & auro, & lapide pretioſo, quæ maledicta ſunt, ſine quibus non potuit maledicta deſcribi.* Quaſi diceret maledictio, atque damnatio; ita annexa eſt diuitiarum affluentiæ auro lapidibuſque pretioſis, vt ſine his non potuerit ciuitas damnata deſcribi.

Apoc. 17.

Tertull. de cult. fœm.

Cùm ergo diuitiæ tam venenatæ, ac exitioſæ ſint hominibus, magno diuinæ clementiæ conſilio fit, vt iuſtis & electis abſcondantur. Sicut enim mater, quæ paruis animalculis eneccandis toxica parat, ea; ne filiis paruulis noceat, in ſecretioribus locis occulit: Ita Deus diuitias, quæ reprobos toxicant, filiis ſuis, id eſt, electis diligenter abſcondit. Quamobrem diuitiæ in Scripturis Sacris abſcondita Dei appellantur. Nam in libro Regum, vbi de oraculo dicitur: *Operuit illud* 3 Reg. 6.
auro puriſſimo. Pro auro puriſſimo, Regia editio habet *concluſum.* Et in Iob, vbi nos legimus, *aurum obrizum.* Septuaginta habent *con-* Iob 28.
cluſura. Auguſtinus legit *aurum incluſum* Tigurina, & Vatablus vertunt, *In theſauris concluſum*; Et Regius vates de reprobis aſſerit: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* vbi Lyra, ſic exponit: *De abſconditis, id eſt,* Pſal. 16.
auro, & argento, & lapidibus pretioſis, quæ tu creaſti in occultis terræ. Deinde verò quibus hæc abſcondita manifeſtentur hic author, ſic apponit: *De abſconditis tuis, id eſt, de diuitiis temporalibus, quæ diuino iudicio frequenter conceduntur hominibus malis.* Hæc ergo toxica reprobis ſolent manifeſtari, electis filiis abſcondi. Vnde filiorum nomine vates, ſubinde adiungit: *Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ac ſi diceret: mundi amatores abſcondita Dei perſcrutantur, diuitias perſequuntur, de quibus tanquam ſalutaribus cibis, ventrem replent: at iuſti terrenas diuitias toxica eſſe reputantes, nec attingere affectu eas volunt, ſed cibi abſtinentia parci, tunc ſatiari decernunt, cùm appa-

ruerit Dei gloria ; quæ cibus eſt in æternum manſurus, & vniuerſam animi famem expleturus.

Cùm igitur diuites auaros damnatio inſectetur, id eos manet remedium, ſi diſperſis in vtilitatem proximorum diuitiis, diuinam iram eos inſequentem remorentur. Sic Mithridatem Regem altiori conſilio, & maiori fructu imitabuntur : qui in fugam à Sylla, & Lucullo actus, auro, argento, ac veſtibus multi pretij copioſiſſimè per vias ſparſis, & ſe, & copias periculo exemit, dum ardentes hoſtium animos præda temerè diſiecta, ab inſequutione auertit, vt quam virtus incolumitatem negaret, diuitiæ præſtarent. Ita refert Seruilius.

Seruilius. lib. 1. de memorab Princip. theſaur. ex lib. 5. Hiſt. Liuij.

Capvt XX.

Amor diuitiarum quàm noxius animæ ſit.

CVm pauperes Spiritu à Chriſto Domino beati prædicantur, illi pauperum nomine intelliguntur, qui diuitiarum amorem ex animo eiecerunt : nam ad paupertatem ſpiritus retinendam, non opus eſt diuitias re ipſa relinquere, ſed ipſarum deponere amorem. Abraham enim, ac cæteri Patriarchæ pauperes ſpiritu fuerunt, & tamen diuitias non effectu, ſed affectu ; & amore reliquerunt. Illi ſunt ergo pauperes ſpiritu, qui voluntate & ſpiritu non diuitias, ſed paupertatem amant. Ideò Sanctus Baſilius dixit : *Paupertas hoc quaſi Charactere inſignitur ſpiritu & paupertate.* Cui concinit Sanctus Bernardus de prima beatitudine, inquiens : *Non ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes miſerabili neceſſitate, non laudabili voluntate.* Pauper ergo nobilis, & Chriſtianus à plebeio & vulgari voluntatis charactere differt. Nam vt Chriſtianus homo à pagano diſtat, non externa figura, ſed interno charactere in Baptiſmo obſignato ; ita Chriſtiana paupertas, cui beatitudo debetur, ſpiritu & voluntate quaſi charactere quodam à communi paupertate diſtinguitur, cùm extrinſecus ſimilis appareat, verus ergo Chriſti pauper voluntate paupertatem complectitur, diuitias auerſatur ; præcipuum enim munus huius paupertatis eſt amorem à diuitiis abducere, quoniam hic diuitiarum amor valdè pernicioſus ſit animæ : quód hoc loco confirmare operæpretium erit.

S. Baſil. hom. in Pſalm. 33.

S. Bern. ſerm. 1. in feſto omn. Sanctor.

Ob hanc enim cauſam Regius vates omnes hac voce admonet : *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Quaſi dicat : diuitias non damno, ſed ad eas cordis amorem apponi, reprehendo. Sic interpretatur Caſſiodorus, his verbis : *Non dicit, nolite habere, ſed nolite cor apponere ; non enim damnat diuitias, vnde mercamur cælum, ſed cor appoſitum.* Etenim cor non apponitur ad diuitias, niſi per amorem, vnde Hugo Cardinalis, optimè ait : *Cor apponit diuitiis qui illis per amorem inhæret.* Cùm autem diuitiæ affluunt, & inſtar fluminis fluant magno periculo cor apponitur, quod & curarum voraginibus abſorbetur, & rapido inconſtantis naturæ curſu deuoluitur. Ex fluuio ergo diuitiarum, vaſe, id eſt, pro menſura neceſſitatis haurire tutum eſt ; cor verò apponere, atque immergere omninò periculoſum. Quamobrem idem Propheta modum præſcribit, quo diuitiarum flumen tranſire debeamus, ſic inquiens: *In flumine pertranſibunt pede.* Vbi argutè & eleganter idem Hugo, ſic habet : ***Flumen vocantur diuitiæ, quæ fluunt, affluunt, & effluunt. Et dicit pede in ſingulari, quia vnum tantùm pedem debemus mergere in aquis huius fluminis, vt ſumamus de rebus tranſitoriis tantùm ad neceſſitatem, & non ad voluptatem ; duo enim pedes ſunt, neceſſitas, & voluptas.*** In flumine ergo diuitiarum pes neceſſitatis attentè immergendus ; pes verò amoris, qui ad voluptatem ſpectat, omninò ſubleuandus, vt nec attingat aquas, quæ bonæ quidem ſunt pro neceſſitate ; ſed earum cupiditas, ſiue amor homini valdè pernicioſus. Vnde Euſebius Emiſſenus egregiè expendens verba Pauli, ait : ***Apoſtolus non dixit : aurum & argentum radix eſt omnium malorum ; ſed magis cupiditas diuitiarum : & non diuites, ſed qui volunt diuites fieri, incidere in tentationem & in laqueum Diaboli.*** Prudenter ſanè Clem. Alex. dixit : *Diuitiæ vt ſerpentes baculo, eminus teneri debent :* Qui enim tutò colubrum tenere vult, non manu apprehendit, ſed à longè baculo ſuſpenſum tenet. Similiter ſpinæ, quibus Dominus diuitias comparauit, ſi aperta manu teneantur, non nocent ; ſi verò manu comprimantur, ipſam cruentant : ſic diuitiæ, ſi amore conſtringantur, conſcientiam lacerant. Ex amore autem diuitiarum, hoc homini malum, inter alia prouenit, vt nullum nec temporalem, nec æternum ex eis fructum depromat. Id habes in illis verbis Eccleſiaſt. *Qui amat diuitias non capiet fructum ex eis.* Cùm enim fructus *à fruendo* dicatur, vt docet Sanctus Thom. quia fructus eſt vltimum, quod expectatur, & deſideratur in arbore, fit vt ex arbore diuitiarum, quam auarus amator illibatam ſemper cuſtodit, nullum fructum vnquam decerpat. Ad quod ſignificandum ingenioſè Sambucus arborem auream cancellis ferreis circumſeptam depinxit. Eiuſdem rei ſignificandæ gratia, Poëtæ finxerunt, tres ſorores nomine Heſperides coluiſſe in Africa amæniſſimum hortum, in quo miſta arbor cum aureis malis à peruigili Dracone cuſtodiebatur. Inſuper Atlas pomarium cinxit montibus, ne peruium graſſatoribus foret. At Hercules ab Euryſtheo miſſus eo penetrauit, & occiſo Dracone aurea poma abſtulit. Heſperides namque Heſperi, id eſt, diuitis filiæ, ſunt auaritia, timiditas, & anxietas, quæ diuitiarum arborem pomis aureis ornatam colunt, ad cuius tutiorem cuſtodiam Draconem, id eſt, vigilantiſſimum ſtudium adhibent. Atlantis præterea pomarium montibus circumſepiunt, cùm vel Principis legibus, vel potentis amici fauoribus diuitias muniunt. Quibus non obſtantibus inuenitur perſæpè prædo, qui Herculeis viribus fretus, omnem vigilantiam, & cuſtodiam ſuperet, pomaque diripiat, vt

Pſal. 61.

Pſal. 65.

S. Clem. Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 6.

Eccleſ. 5.

S. Thom. 1. 2. q. 12.

amator

amator diuitiarum ipſarum fructum non ſibi, ſed aliis ſeruet. Ita authores mythologi interpretantur.

Caput XXI.

Omnes oportet eam habere paupertatem ſpiritus, vt nihil ſuum proprium putent.

TAndem cùm pauperibus ſpiritu Chriſtus cœlorum regnum promittat; illi autem ſint pauperes ſpiritu, qui nihil proprium, ac ſuum eſſe putant, atque adeò circa bona à ſe poſſeſſa, tanquam erga aliena affecti ſunt, neceſſe eſt, vt intelligatur, ad huiuſmodi poteſtatem habendam omnes obſtringi, qua videlicet iudicent, & firmiter ſibi perſuadeant nihil ſibi proprium, ac ſuum eſſe, ſed omnia aliena, nempè Dei.

Et enim, non proprias hominis, ſed alienas appellauit Chriſtus diuitias, cùm dixit: *Si in*
Luc 16. *alieno fideles non fuiſtis, &c.* Quæ verba tra-
S Auguſt. lib. 2. quæſt. Euang. ctans Sanctus Auguſtinus, ſic ait: *Alienas appellat terrenas facultates, quia nemo eas ſecum moriens aufert; quoniam cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.*
1. Cor. 4. Ideò Paulus dixit: *Quid habes, quod non accepiſti?* Ad quæ verba Chryſoſtomus noſtram ſententiam, ſic confirmat: *Mecum, & tuum verba tantum inania ſunt, re autem non exiſtunt. Licèt domum tuam eſſe dixeris, inaniter loqueris.* Vnde ſæpè in ſcripturis Deus ſe Dominum vniuerſorum inculcat, & Dauid cecinit: *Domini eſt terra & plenitudo eius, &c.* Et
Ezech. 29. per Ezechielem contrà Pharaonem ſuper hac re iraſcitur: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, Draco Magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: meus eſt fluuius.* Nemo ergo dixerit: mecum eſt hoc, aut illud.

Leuit. 25. Hanc ob cauſam Deus Iudæis præceptum hoc impoſuit. *Terra quoque non vendetur in perpetuum; quia mea eſt & vos aduenæ, & coloni mei eſtis; vnde iuncta Regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Ex
Philo. lib. de Cher. qua lege Philo, ita philoſophatur: *Hinc liquet nos alienis vti poſſeſſionibus, nec gloriam, nec diuitias, nec honores nec imperia, nec aliud quidpiam, vel corporis, vel animi proprium, quaſi hæc iuris, & dominij noſtri ſint, poſſidemus; ſed eorum vſumfructum, dum hic viuimus, habemus ſolum.* Huic veteri legi con-
Luc. 16. Chryſolog. ſerm. 125. gruit, & omninò conſonat Euangelica villici parabola, de qua diſſerens Chryſologus, ait: *Ad nos iſta referamus, qui in terra nos debemus ſentire villicos, Dominos non putare. Prorogationis temporariæ miniſterium ſuſcepiſſe, non inueniſſe ius perpetuum poſſidendi.* Sed hunc vil-
Aſter. hom. 2. lici ſignificatum apprimè meditatus eſt Aſterius Epiſcopus Amaſeæ, inquiens: *Noueris quiſquis es rerum tibi alienarum diſpenſationem eſſe delegatam; Inquilinus enim es, & ad breue tempus, velut in tranſitu conceſſa tibi vſura; Dominus ſolus Deus eſt.* Et ſubinde pendens illa verba Domini: *Redde rationem villicationis tuæ.* Sic adiungit: *Nam qui moritur ad eundem planè modum aliis adminiſtrationem tradit, atque Oeconomus claues. Hic eiicitur ex agro; ille ex toto terrarum orbe, tanquam ex vno aliquo fundo cedit.*

Optimis præterea rationibus probant Patres nullum temporale bonum ſingulari dominio eſſe homini proprium. Prima eſt, quòd terrena bona non poſſit tanquam ſua ſecum ex hoc mundo deferre. Hac ratione vtitur Bernar- S. Bern. ſerm. 4. de aduentu.
dus. *Quid vobis,* inquit, *cum terrenis diuitiis, & gloria temporali, quæ nec vera, nec veſtra ſunt? ſi veſtra ſunt, tollite eas vobiſcum; ſed homo cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Eandem rationem, Pſalm. 48.
attigit ſuprà Auguſtinus. Sicut ergo viator in pandocheo, ſiue diuerſorio vtitur quidem varia ſupellectili, ac rebus omnibus ad victum neceſſariis, ſed nullam earum ſecum ex diuerſorio exportat, quia earum nulla ſua ipſius eſt: Ita nullus ex hoc mundo quidquam ſecum affert; quia nec cuiuſquam eſt Dominus. Vnde
S. Auguſtinus prudentiſſimè monet: *Vtere re-* S. Auguſt. tract. 4. in Ioann.
bus in hoc mundo tanquam menſa, & vrceolo in diuerſorio, ſicut dimiſſurus, nec permanſurus.

Secundam rationem affert Sanctus Ambro- S. Ambroſ. lib. de Naboth. Iezraëlita, c. 1.
ſius, his verbis: *Neſcit natura diuites, quæ omnes pauperes generat, nudos recipit terra, quos edidit, neſcit fines poſſeſſionum ſepulchro includere.* Cùm ergo nullus naturâ diues ſit, nullus naturâ quid proprium habet: totum hoc opinionis ſiue erroris eſſe videtur. Quo
ſpectauit Ariſtoteles, cùm dixit: *Diuitiæ nihil* Ariſtot. lib. 2. Rhetor, c. 16. lib. 1. de Repub. cap. 6.
ferè aliud ſunt, quam felix amentia. Et alibi ait: *Illud perſpicuum eſt, artem eam, quæ in quærendis pecuniis poſita eſt, à natura non eſſe ortam.*

Tertia ratio depromitur ex Aſterio, qui loco ſuprà citato, ſic habet: *Nihil omninò tuum: tu ſeruus es, & omnia tua Domini, quia ſeruus liberum peculium non habet.* Hanc rationem paucis verbis vrget Tertullianus. *Nil noſtrum,* (inquit,) *Dei omnia, cuius ipſi quoque nos.* Si ergo nos metipſi noſtri non ſumus, ſed Dei, quid mirum ſi bona à nobis poſſeſſa no-
ſtra non ſint, ſed Domini? Audi S. Chryſo- S. Chryſoſt. hom. ad illa verba. 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti.*
ſtomum optimè, ita concludentem: *Anima tua non eſt tua; quo pacto pecuniæ tuæ erunt.*

Cùm igitur homo nullius rei ſit dominus, conſequens eſt, vt omnia ea magnarum rerum ampla dominia, de quibus mortales ſe iactant, nil aliud ſint, quam fucatæ quædam dominationum laruæ, ſiue perſonæ. Quapropter Aſterius ſuprà, ſic ſcripſit: *Sicut hiſtrionum perſonas propriè, & peculiariter eorum poſſidet nemo, ſed pro re, & argumento promiſcuè quiſque ſumit: ita terram, faceſque terrenas, quaſi veſtes ex aliis alij induunt.* Lucu-
lentius eandem ſimilitudinem explanauit Sanctus S. Chryſoſt. hom. 2. de Lazaro & diuite.
Chryſoſtomus dicens: *In præſenti vita paupertas, & diuitiæ nihil aliud ſunt, quàm perſonæ. Quemadmodum inſtante veſpera, vbi fuerint ex theatro egreſſi, habitumque fabulæ depoſuerint, qui prius Reges, ac Duces eſſe videbantur, poſt apparent hoc quod ſunt: ita poſtquam mors*

aduenerit, cùm diuitiarum, paupertatiſque perſonas depoſuerint, omnes illuc profecti, atque ex operibus iudicati declarant, qui verè ſint diuites, qui verè pauperes. Mors Lazaro pauperis perſonam detraxit, ipſumque verè diuitem, & in ſinum diuitiarum Abrahæ tranſlatum oſtendit, contrà verò epulo purpuratus laruam diuitis depoſuit, & oſtendit ſe vſque adeò indigentem, vt vel guttam aquæ clamans poſtularet.

Tertull. lib. de patient. cap. 7. Denique pro huius argumenti concluſione colligit Tertullianus nec de diuitiarum affluentia lætandum, nec de amiſſione dolendum, quando de alieno nec lætari, nec dolere ſoleant homines: qui profectò, ſi rem amiſſam nimio doleant, oculos in eam conieciſſe, & vſurpare voluiſſe videntur. Sic ille loquitur: *Nil noſtrum, Dei omnia cuius ipſi quoque nos: itaque ſi damno affecti impatienter ſenſerimus, non de noſtro amiſſum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur: alienum querimus, cùm alienum amiſſum dolentes ægrè ſuſtinemus.*

DE LEGE GRATIÆ,

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Fortes, & glorioſos Reges mites & manſueti ſe oſtendunt.

EGIMVS de paupertatis beatitudine, quæ perfectionis impedimenta tollit, & cæterarum ianua eſt, & peruium iam relinquit greſſum quo interiora ſpiritualis vitæ penetrare poſſimus. Ingrediamur igitur, & de iis beatitudinibus ſermonem inſtituamus, quæ ad incipientes potiſſimùm ſpectant, & viam iuuant purgatiuam lenitate manſuetudinis, & pœnitentiæ luctu, per illam furore paſſionum purgamur, per hanc culpis expiamur. *Beati mites,* (inquit Saluator) quoniam ipſi poſſidebunt terram, quam quidem poſſident, non hæreditatis iure, ſed rationis, ſeu victoriæ, atque vt ſic dicam, iure belli, in quo fortiſſimum, ac violentiſſimum tyrannum, ſcilicet, iræ furorem expugnant, victoriam adipiſcuntur, & ex illo triumphum agunt, in quo ſe Reges & fortes, & glorioſos oſtendunt: Enim verò per

S. Chryſoſt. hom. 15. in Math. terram, quam mites poſſident, Sanctus Chryſoſtomus, etiam ex aliorum Patrum ſententia, corpus noſtrum corruptioni obnoxium intelligit. *Alij,* inquit, *dicunt, quia corpus noſtrum terra eſt, & quamdiu ſubiacet morti, terra eſt mortuorum, cùm autem fuerit conforme factum gloriæ corporis Chriſti, erit terra viuentium.* Cùm autem hanc terram corporis, pariter & animam mites à tyrannica iræ ſeruitute liberant, & in libertatem vendicant, ac pacificè poſſident, non ſolùm Reges, ſed fortes, ac glorioſi Reges oſtentantur.

Reges ſunt, quia regionem nobiliſſimam, & Prouinciam omnium ampliſſimam obtinent, & rationis legibus regunt. Quod Claudianus ſic ſcripſit ad Theodoſ. Imperatorem. Claud. ad Theodoſ.

Tu licet extremos latè dominare per Indos.
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent, &c. Si duceris ira.
Seruitij patiare iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris Rex eſſe tui.

Ille ergo verè Rex eſt, qui domando iram ſui Rex eſt. Adiunge Claudiano Senecam, qui dixit. Senec. in Thyeſte.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyria color,
Non frontis nota Regia,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris.

id eſt, Iram. Deinde concludit,

Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Si Poëtæ, ita philoſophantur, quid à Sanctis Patribus expectes? Audi Chryſoſtomum: *Qui ira imperat, is demum Rex eſt, vt iuſtius hunc Regem voces, quam eum qui purpura indutus eſt, ac corona ornatus, ſplendeſcit throno in aureo ſeſſitans. Qui verò hominibus imperare eum videatur, iræ tamen ſeruit, hic primum ſubditis ſuis ridiculus videri poſſit, hoc ipſo, quod coronam quidem geſtat gemmis, auroque intertextam; manſuetudinis verò corona minimè inſignis eſt, & purpureo paludamento toto corpore fulget; animum autem inornatum habet.* Chryſoſt. hom. de comparat. Reg's. & Monachi. Sanctus etiam Ambroſius eandem confirmans ſententiam, rationes ſimul attingit, ob quas Rex dicendus ſit, qui iram coërcet; nam ad verba illa Pſalmi: *Anima mea in manibus meis ſemper,* ſic habet: *Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec ab ira turbari animam ſuam rector ſui congrua vi permiſerit, is benè Regia quadam poteſtate ſe cohibens Rex dicitur, quod regere ſe nouerit, & arbiter ſui iuris ſit, nec captiuus trahatur in culpam.* S. Ambroſ. in Pſal. 118. Hoc itaque regnum, & imperium in eo ſtatuit Ambroſius vt homo ſe regat, animi violentum motum coërceat, & in ſeipſum abſolutam poteſtatem exerceat; necnon vt Rex ſolutus legibus ſui iuris ſit, dum minimè ſeruus & captiuus ad culpam trahitur.

Cæterùm huiuſmodi homo non ſolùm Rex, ſed fortiſſimus Rex debet haberi. Si Reges fortes illi iudicantur, qui bellicoſis copiis, & armorum vi populos ſubegerunt, & latiſſimas Prouincias ſubiugarunt, ſuæque ditioni ſubdiderunt; fortior Rex habendus eſt ille, qui mundum integrum, id eſt, ſeipſum à tyrannica inuidiæ ſeruitute vindicauit, in libertatem aſſeruit, & fortiſſimo iræ tyranno pulſo, ſeipſum pacificè poſſidet. Quantò autem hic Rex illo fortior ſit. Vrbanus IV. Pontifex Maximus oſtendit, & quaſi authoritate Pontificia ſancit, dum diſcrimen inter vtrumque Regem, ita conſtituit: Vrban. IV. in Metaphraſi, ſupr. Pſal. 50. *Cùm quis contra populos, & vrbes decertat, totus ſimul interior, & exterior homo pugnat, & ſi expugnat, non magnam videtur coronam de tali victoria meruiſſe, eò quod extra illum ſunt, qui vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute ſapientiæ in ſe certat, non totus, ſed minor quam dimidius, dimicat: & ſi per patientiā maliciā ſuam vincit, & repugnanti animo*

domina

Digitized by Google

dominatur, hoſtem iracundiæ, qui iam intrauerat caſtrum ſuum, & aſcenderat ſecum in arcem, ſine armis, & manibus proſternendo, vir ille melior eſt, & glorioſior triumphis. Vbi tres cauſas, aſſignat, ob quas cunctis Regibus fortior habendus ſit ille, qui iracundiæ hoſtem expugnat. Prima, quod in aliis Regibus, aduersùs externos hoſtes totus homo pugnat, animo pariter & corpore, & omni ſenſuum apparatu, mente excubat, animo ſe ad certamen comparat, pedibus, manibus, & omni membrorum famulatu vtitur, oculis ſemper eſt in omnem rei gerendæ occaſionem intentus. Denique nihil in ſe otiari patitur, ſed quantus, quantuſque eſt, in vnum incumbit. At contra iram non ipſe totus, ſed (vt Vrbanus præclarè ait:) *Minor, quam dimidius dimicat.* Scilicet, pars animi ſuperior contra portionem inferiorem ſuarum facultatum comitatu, atque copiis inſtructam. Secundam cauſam, ita adiungit. *Qui contra populos decertat, extra illum ſunt qui vincuntur; qui autem contra propriam animam in ſe certat, &c.* Multò autem maior fortitudo requiritur, vt quis intra ſe, contra animum ſuum bellum gerat, quàm contra externum hoſtem: nam cùm quis intra ſe pugnat, ictus & vulnera ipſemet tolerat; cùm verò externis hoſtibus bellum infert, non ſibi, ſed illis vulnera infligit. Quamobrem Sanctus Chryſoſtomus expendens illud manſueti animi mirabile exemplum, cùm Dauid iram coërcens, inimicum in manus ſibi traditum impunè abire permiſit, cum non ſolum cum Rege componit, ſed etiam cum Sacerdote, inquiens: *Irrationabili animi motu mactato, occiſaque iracundia, factus eſt tum victima, tum ſacrificus, tum altare.* Scilicet, pro externo aduerſario internam iram occidit, in quo ipſe victima Deo gratiſſima cenſetur: nam ſuum ipſius mactauit animum cum peremit affectum. Id autem pugnandi, & mactandi genus multò eſt difficiliùs, & maiori indiget fortitudine, quàm cùm externus hoſtis debellandus, & mactandus eſt. Tertia cauſa, ob quam mitis fortior eſt Rege vrbium expugnatore, ex robore, & potentia hoſtis deſumitur; hoſtis autem contra quem mitis pugnat, non ſolùm eſt violentiſſimus iræ tyrannus, qui mentis arcem occupare contendit, ſed etiam ipſemet homo, qui eidem tyranno ſtudet, & fauet, & cum ipſo coniunctus pugnat, quem vtrumque hoſtem mitis expugnat, vt attentè dixit Vrbanus, illis verbis: *Proſternendo hoſtem iracundiæ qui iam intrauerat caſtrum ſuum, & aſcenderat ſecum in arcem. Secum,* inquit, *aſcenderat*, id eſt, non ſolus tyrannus, ſed cum ipſomet homine, qui tyranno conniuens, ipſius iam partes ſequebatur. At horum amborum hoſtium victoria difficillima eſt, & maxima eget fortitudine. Quoniam ſe ipſum vincere, ita arduum eſt, vt vix quiſpiam reperiatur, qui tantum facinus edat. Id Vrbanus idem ſuprà etiam teſtatur. *Innumerabiles enim viri in poteſtate vrbes, & populos habuerunt, pauciſſimi ſemetipſos.* Hoc quidem abſolutæ ſummæque fortitudinis eſſe, Sapiens ille Poëta iudicauit, qui dixit.

S. Chryſoſt. hom. 1. de Dauide & Saule.

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit.
Mœnia; nec virtus altiùs ire poteſt.

Summæ fortitudinis eſt, fortiſſimum tyrannum, id eſt, iracundiæ furorem vincere: longè enim maius eſt, quam viſum, Leonemque ſuperare. Hinc Lactantius de Herculis præclarè geſtis agens, inquit: *Non enim fortior iudicandus eſt, qui Leonem, quàm qui violentam, & in ſe ipſo incluſam feram ſuperat iracundiam.* Tam validus eſt iracundiæ impetus, vt Seneca, ſic monendum cenſeat: *In confinibus hoſtis arcendus eſt: nam cùm intrauit, & portis ſe intulit, modum à captiuis non accipit.* Cui affinis eſt Plutarchus dicens: *Quemadmodum qui vrbem aliquam expugnare parat, priuſquam ciues hoſtis aduentum præſentiant, ſecuros, & inopinatos inuadit, adeò, vt capiendi arma copiam non faciat: ad eundem modum ira præoccupanda eſt, & prius ſuperanda, quam arma cœperit.* Nimirum, quia vbi arma cepit, & ſe ſe ad bellum exacuit, nulla vi debellari poteſt. Mitis ergo fortiſſimus Rex eſt, qui iram manſuetudinis viribus expugnat.

Lactant. lib 1 diuin. inſt. cap. 9.

Senec. lib. 1. de ira. cap. 8.

Plutarch. in mor.

Neque ſolùm fortiſſimus, ſed clariſſimus, & glorioſus, eo titulo, iudicandus eſt. Regius enim vates manſuetudini ſuæ ſuam dignitatem, gloriamque adſcribit, cùm ait: *Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit* Hunc locum Sanctus Hieronymus, ſic conuertit: *Et manſuetudo multiplicauit me.* Vatablus ex Hebræorum ſententia vertit: *Manſuetudine magnificaſti me*, id eſt, manſuetudine; quam mihi dediſti potiùs quàm fortitudine, auguſtum me, magnúmque reddidiſti. Maior enim gloria illi acceſſit ex eo, quòd iram ſuppreſſit, & à Saül manus abſtinuit, quàm quòd Goliath excidit, & multa hoſtium millia debellauit. Haud immeritò Sanctus Auguſtinus dixit: *Dauid inter Reges clarus, & celebris; cuius cùm multæ de hoſtibus victoriæ, ac triumphi hiſtoriis proditi ſint, præcipuum decus, & ornamentum eſt manſuetudo.* Verùm ſi cauſam quæras, cur mites manſuetudine frænando iram tam clari & glorioſi euadant, illa inprimis occurrit, quam indicat Sanctus Baſilius: *Iniuriam*, inquit, *perſequi, inimicos vlciſci, cuiuſlibet irati eſt: at iracundiam prohibere, tui ſolius, aut eius, qui tibi ſit virtute par.* Vbi inuictæ virtutis proprium, atque rariſſimum, ac proinde valde glorioſum putat eſſe ſibi ab ira temperare; cùm ſeſe de aduerſariis vlciſci, ſit quidem plurimorum, quinimò eorum omnium, quibus iraſcens facultas ineſt. Magnum autem rebus ex raritate pretium accedit. Atque vt Lactantius, ait: *Virtus pretioſa eſt, quòd rara.* Nam ſcitè Quintilianus. *Quæ virtus eſſet innocentia, niſi laudem raritas dediſſet?* Rectè Sanctus Bernardus in Epiſtolis dixit: *Rebus raritas pretium facit*, & Poëta.

Pſal. 17.

S. Auguſt. lib. 10. conf. cap. 3.

S Baſil. orat. 9. de ira. & Epiſt. quadam ad amicum.

Lactant. lib. 5. cap. 7.

Rara iuuant: primis ſic maior gratia pomis.

Denique Tertullianus: *Adeò hæc*, inquit, *non veritate bona ſunt, ſed raritate.* Idemque de habitu muliebri: *Semper abundantia in ſemetipſum contumelioſa eſt.* Ergo iræ cohibitio, vel caſtratione expugnationi vrbium, & vltioni longè præferenda videatur, quòd paucorum ſit, & Dei morem imitetur, qui à Moyſe in Cantico dicitur: *Faciens mirabilia*, ſiue vt habent ſeptuaginta *miracula.* Oleaſter verò legit *ſeparata*, id eſt, ſingularia; & remota à conſuetudine hominum: Porrò hæc mirabilia in homine, quæ

Tertull. de cult. fœm.

miracula, & ſeparata iure appellaueris, eſt coërcere iram, & benignum, ac mitem ſe lædentibus præbere. Hæc enim ſunt mirabilia, quæ Regius vates conſiderabat, cùm dicebat: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Nam hoc loco Auguſtinus ſic habet: *Nihil eſt mirabilius in mandatis quàm diligere inimicos, hoc eſt bona dare pro malis.*

Pſal. 118.

Capvt II.

Vitæ lætitiam, ac longæuitatem mites conſequuti, poſſident terram.

POteſt etiam dici corporis ſui terram à mitibus poſſideri, cùm temporalis vita in manſuetudinis præmium diuturna lætaque traducitur: Lætitia enim vitæ manſuetis aſſignatur à Regio vate, cùm ait: *Audiant manſueti & lætentur,* vbi Caſſiodorus, ſic habet: *Non dixit: lege docti, non ieiunantes, non pſallentes; ſed manſueti lætentur, qui charitate præcipua habere omnium rerum temperantiam conſueuerunt.* Sed congruentius adhuc idem vates dixit: *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Vbi Lyra de temporali etiam pace intelligens ait: *Delectabuntur in multitudine pacis ſupernæ, & etiam temporalis; quia manſueti non mouent rixas, propter quas debeant ab aliis inquietari.* Manſuetus ergo delectatur, in multitudine pacis, quia vt egregiè Rhodiginus ait: Sicut animalia fellis expertia, vt cerui, & Delphini, longiori, atque lætiori, vita fruuntur: Ita manſueti, qui iracundiæ amarulentiam expulerunt, ſubiectam corporis terram pacatè poſſident, & in multitudine pacis delectantur. Eſt enim manſuetorum animus oleo tranquillior, columba mitior, & vt Horatius quoque dixit, mactata victima lenior. Quamobrem tranquilliſſimis, & amæniſſimis rebus manſuetus homo à Patribus comparatur. Sanctus Nilus Abbas ait: *Chriſtiani manſuetudo fontis inſtar amœni, iucunditate cunctos aſpergit.* Manſuetudo quidem amænus & tranquillus eſt fons, qui non ſolùm pectus, in quo naſcitur, affluenti gaudio vernare facit; ſed riuulis benignitatis inde profluentibus, alios etiam aſpergit. Quia verò iucundum eſt ad huiuſmodi fontes conſidere, ideò adiungit Nilus: *In ſpiritu manſuetudinis Chriſtus caput inclinat.* Deinde tranquillo quoque mari mitem comparat, inquiens: *Tranquilli maris aſpectus iucundus eſt: ſed pacifici animi ſtatus longè iucundior. Sedato enim mari Delphines inſultant; animo autem manſueto diuinis de rebus contemplationes inſident.* His contemplationibus, ac cogitationibus, tam quietam, & dulcem vitam manſuetus ducit, vt iure optimo cum amæno, & quietiſſimo monte à Chryſoſtomo componatur, quem ſanè montem ita eleganter, & feſtiuè deſcribit, vt omnia eius verba operæpretium ſit proponere, quæ ſic habent: *Anima mitis hominis ſolitudini cuidam eſt ſimilis; irati verò hominis mens cuidam foro, & tumultui, mediiſque ciuitatibus, vbi multus euntium, & redeuntium ſtrepitus, clamor animalium accedentium, aurem agaſonibus multò replentibus ſonitu, ne conculcentur; & ſimilis facta argentariis, ærariiſque vtrinque cudentibus, & his quidem moleſtiam patientibus, his autem inferentibus. At mitis mens cuidam montis vertici ſimilis eſt, auram quidem habenti tenuem, purum verò radium, pura fontium fluenta, multaſque florum amœnitates, vernantiumque pratorum, & hortorum plantis, & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Si quis autem ſonus immurmuret, dulcem, & multam inſperget, audientibus voluptatem: nam vel aues canoræ ſummis arborum inſident frondibus, & cicadæ, ac philomelæ, & hirundines concentum quendam concorditer efficiunt muſicum; vel Zephyrus cygnos frequenter imitans, ſuauiter inſuſurrat. Roſa præterea, ac viola, & flores ſe leuiter inclinantes, & viridantes, quaſi mare cæruleum blandè fluctuans exhibent. Quinimò multas aliquis inuenire poteſt imagines. Nam cùm in roſas reſpexerit, iridem ſe videre putabit; cùm violas, pontum fluctuantem: at cùm lilia cœlum. Eſt alia quædam vox, cùm à vertice montis aqua per riuos ſponte defluens, & ſubiectis lapillis, quieto ſono ſenſim immurmurat, & ita membra reſoluit per voluptates, vt ſtatim dulcem oculis ſomnum ingerat. Multò quidem iucundior eſt mitis viri anima.* O pulchrum Chryſoſtomi montem, quis non in eo commorari cupiat? In eo quidem commorari voluit Spiritus Sanctus, qui in hominis mitis anima templum ſuum extruxit. Audi Nilum Abbatem, ita ſuprà dicentem: *Animus ab iracundia alienus, templum eſt Spiritus Sancti: & mens pacifica Sanctæ Trinitatis eſt domicilium. Vir grauis à turpi abhorret hoſpitio, & Deus ab animo iracundo.*

Pſalm. 33.

Pſalm. 36.

Rhodig. lib. 2. cap. 47.

S. Nilus. ſerm 4. de irac.

S Chryſoſt. hom. 26. de diuerſis.

Capvt III.

Mites peculiari iure terram viuentium poſſidebunt.

CVm Chriſtus mitibus terram poſſidendam promittit, terram præcipuè viuentium, id eſt, æternam patriam pollicetur, vt multi Sanctorum Patrum interpretantur. Nam de myſtica & æterna viuentium terra hæc verba accepit Sanctus Gregorius Nyſſenus. Sanctus Ambroſius, & Sanctus Chryſoſtomus. Quoniam verò à Chriſto Domino prædicatur mites poſſeſſuros terram viuentium, tanquam ſingulari titulo debitam, operæpretium erit inquirere, quo peculiari iure, quibuſve rationibus terræ viuentium poſſeſſio mitibus debeatur. Et quidem prima ratio ea eſſe videtur, vt quoniam mites rixas, & lites auerſantur, atque adeò terrenis bonis facilè cedunt. Nam vt Sanctus Auguſtinus definiuit: *Mites ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non-reſiſtunt in malo, ſed vincunt in bono malum.* Ideò eis promittatur non hæc morientium, à cuius poſſeſſione facilè demouentur; ſed illa in æternum ſtabilis terra viuentium, de qua minimè vnquam exturbabuntur. Hanc rationem tradit Chryſoſtomus: *Quoniam,* (inquit,) *æſtimatur qui mitis eſt, omnia ſua perdere, contrarium promittit, dicens quoniam cum ſtabilitate ſua poſſidet.* Hanc rationem luculentiùs Sanctus Ambroſius his verbis:

Nyſſen. lib. de beat.

S. Ambroſ. in Luc. c. 8.

S. Chryſoſt. in Matth. hom. 15.

S. Auguſt. lib. de ſerm. dom. in mõte, cap. 3.

Chryſoſt. ſuprà.

S. Ambroſ.

Digitized by Google

verbis : *Rixentur, igitur immites, & dimicent pro terrenis, & tēporalibus rebus. Sed beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, de qua euelli non poſſunt : illam inquam, terram, de qua in Pſalmo dicitur : portio mea in terra viuentium. Significat enim quandam ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquam loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra.* Quia igitur mites iratorum lites, & rixas auerſantes terrenis bonis facilè cedunt, & à mundi ſe poſſeſſionibus deiici permittunt, ideo feliciſſima terra donentur æterna ſtabilitate manſura. Quo ſpectauit Regius vates cùm dixit : [Pſal. 36.] *Manſueti autem hæreditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis. Significat enim* vt ſupra dixit Ambroſius, *quandam ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ.* Immitium autem infelicem ſtatum è regione opponit Propheta ſic adiungens : *Deſine ab ira & derelinque furorem, noli æmulari, vt maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur.* Immites ergo, qui fraudibus, & litibus malignantur, & inuida æmulatione furentes alienas hæreditates inuadere conantur exterminabuntur, id eſt, à terminis poſſeſſionis ſtabilis deiicientur ; at mites, qui pacis gratiâ à litibus abſtinuerunt, & æternæ patriæ amore terrenas poſſeſſiones amittere non timuerunt, terram viuentium æterna ſtabilitate immobilem hæreditabunt. Hanc expoſitionem perſtrinxit Theodoretus his verbis : [S.Theodor. in Catena Græca.] *Qui à diuina ſpe pendent & mitem vitam eligunt, in quiete, & tranquillitate manebunt, æternas habentes ſedes. Qui verò fluxis felicitatibus confidunt, celerem mutationem recipient.*

Huic rationi finitima eſt alia, quam tradit Sanctus Baſilius, vbi ſic habet : [S Baſil. in Pſalm. 33.] *Beati mites, quoniam poſſidebunt terram. Cœleſtis Hieruſalem non eſt bellatorum ſpolium, ſed manſuetudine præditorum hominum ſperata hæreditas.* Cœleſtis quidem vrbs ita propoſita eſt, vt non bellica ira, aut militari furore ſit capienda; ſed vt hæreditas promiſſa mitibus, & ſperanda. Hinc ortum eſt conſilium fidelium, de quibus Iſaias dixit : [Iſai. 2] *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Non ignari cœlorum regnum, non iræ, ſed manſuetudinis inſtrumentis eſſe comparandum, gladios, & lanceas in vomeres & falces conflant, id eſt, bellicoſam iram in pacatam manſuetudinem mutant. Præterea, cœlum manſuetorum eſſe hæreditatem, id confirmat, quod baptizato Domino, [Matth. 3.] *aperti ſunt cœli*, & vidit *ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam.* Optimè hæc duo ſibi conueniunt, & coniunguntur, vt ſcilicet cœlum aperiatur, & ſpiritus Dei deſcendat ſicut columba ; quia ex quo Spiritus Sanctus per columbinam manſuetudinem deſcendit, & habitauit in hominibus, ipſis apertum eſt cœlum: Enimuero per columbam illam deſcendentem Spiritus ſancti manſuetudinem eſſe ſignificatam docet Gregorius : [S.Gregor. hom 1. Euang.] *In columba, inquit, Spiritus ſanctus apparuit ; quia non veniebat, vt iam ſecundùm zelum peccata percuteret, ſed vt per manſuetudinem toleraret.* Optimum nimirum manſuetudinis ſymbolum columba, quæ ſine felle eſt, nec ore, nec vnguibus lædit, nec minores auiculas inuadit.

Optima præterea ad hoc ipſum confirmandam eſt ea ratio, quam ſuper Pſalmum 36. affert [Hugo Card. ſup. Pſal. 36.] Hugo Cardinalis ex S. Gregorio Magno, qui expendens illa verba eiuſdem Pſalmi : *Manſueti autem hæreditabunt terram.* Sic ratiocinatur: *Manſuetudo imaginem Dei in nobis ſeruat ſed ira diſſipat; qui autem imaginem Patris non portabit ad iudicium, hæres Patris non recognoſcetur. Vnde monet Apoſtolus, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Soli ergo manſueti, qui Dei imaginem referunt, terram viuentium hæreditabunt. Dei autem imaginem gerere proprium eſt mitis, & manſueti animi, in quo velut in tranquillo, & puro fonte Dei imago conſpicitur. Denique quarta ratio ex gloſſa depromitur, quæ ſic habet : *Mites etiam, qui ſeipſos poſſederunt, hæreditatem Patris in futuro poſſidebunt.* Id quidem rationi omnino congruit, vt qui ſeipſum in præſenti poſſidet, paternam hæreditatem in futuro poſſideat. Mitis autem eſt, ſeipſum poſſidere : nam immitis quidem, quem ira poſſidet, & ad nutum ſuum mouet, & perturbat, minimè ſeipſum poſſidere poteſt. Nam vt optime dixit Sanctus Gregorius: [S Gregor. lib. 5 mor. cap. 6.] *In ira ſeipſum animus retinere non valet, quia factus eſt poteſtatis alienæ : & eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipſam membrorum Dominam mentem captiuam tenet.* Seipſum planè non poſſidet, qui minores ſui partes, id eſt, membra corporis in poteſtate non habet : irato enim accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi : ore quidem clamorem format, ſed intus quid loquatur, ignorat.

CAPVT IV.

Quo pacto mites ſingulariter poſſident terram viuentium, id eſt, Chriſtum maximè in Euchariſtia.

NOn prætermittenda hoc loco eſt interpretatio Sancti Hilarij qui ſingularem, & peculiarem conſiderationem efflagitat. [S.Hilarius in comment. ſuper. Matth.] Sic ille habet : *Hæreditatem terræ mitibus Dominus pollicetur, id eſt, eius corporis, quod ipſe aſſumpſit habitaculum: quia per manſuetudinem mentis noſtræ habitat Chriſtus in nobis.* Quamuis enim fideles omnes Chriſtum in Euchariſtia recipiunt, mites tamen & communiter recipiunt, & ſingulariter poſſident. Id ſatis apertè indicauit Regius vates, [Pſalm. 147.] cùm internam animi pacem, quæ primus manſuetudinis fructus eſt, cum Euchariſtia coniunxit: *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Aptiſſimè hæc duo inter ſe conſentiunt, ſibique reſpondent, manſueti animi pax, ſiue tranquillitas, & adeps frumenti ſiue Euchariſtia. Ita Lyra hunc locum exponit : *Ponit fines pacem, quæ eſt pax interna ; & adipe frumenti nos ſatiat in ſacramento Euchariſtiæ.* Nec enim in pectore ira perturbato quieſcere Chriſtus poteſt. Ideo Chriſtus in Euchariſtia agnus appellatur. [Exod. 12.] Et in immolato agno typice exprimitur, quia non cum truculentis lupis, ſed cum his qui manſuetudine agni ſunt, libenter commoratur. Quod confirmari poteſt ex Sancto Cypriano dicente : [S.Cyprian. tract. de Cœna Domini.] *Sanguis Chriſti, quoniam à nobis bibitur ; ſi modo digne bibitur, clamat in corporibus noſtris verba pacifica.* Hæc verba man-

ſueti tantummodo audiunt; immites enim iræ turbatione impediuntur, quominus audiant, & tantum bonum poſſideant. Chriſtus Dominus ros ille eſt tam enixe à Propheta expetitus illis verbis: *Rorate cæli deſuper.* At ros, inquit Ariſtoteles, *non fit niſi ſerena nocte, & à ventis ſilente.* Diſſipatur nimirum ros à ventis, & à nubibus impeditur: ſimiliter autem ros ille, qui animas ad æternitatis fructum fœcundat, in illis ſolummodo cordibus quieſcit, quæ pulſis furentibus iracundiæ ventis, & turbationis nubibus quieta manſuetudine tranquillantur. Ideo Propheta cecinit, *factus eſt in pace locus eius.* Optimè Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Vbi eſt pax, ibi habet Deus locum; vnde ait Paulus, pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum. Ecce à loco ſuo, qui eſt pax cognominatur Deus pacis, ſicut Dauid Bethleemites, & huiuſmodi. Iſti autem diuites multa habent loca, in quibus non habitant.* Id eſt multi mundi magnates, vt Comites, Marchiones, & Duces ab oppidis, vel ciuitatibus titulantur, in quibus nunquam habitant, At Deus quaſi dignitatis titulo nomine pacis inſignitur, & tanquam ab oppido proprio ab ipſa cognominatur, in quo tamen oppido ſemper ipſe commoratur. Quamobrem, qui ab iracundia abſtinent, & pacem in corde ſeruant, oppidum ſunt, in quo Chriſtus tanquam in loco proprio reſidet, quia *factus eſt in pace locus eius.* Vnde ſapientia Patris Chriſtus Dominus ita pronunciat; *In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor.* Hanc requiem, ideſt, animæ pacificæ quietem, & tranquillitatem quærit Chriſtus, vt in ea habitet. Ita exponit Rupertus his verbis. *Hoc tantum dixerim, quod quies eſt mentis. Ego in omnibus requiem iſtam quæſiui, & vbi nardi huius ex me odorem ſenſit Rex, vidit, quod requieſcere hic poſſet in ſuauitate animæ quietæ, deſcenditque de illo accubitu ſuo, & requieuit in tabernaculo meo.* Chriſtus ergo de paterni pectoris accubitu deſcendens, & cum hominibus potiſſimè, in Euchariſtia habitans, in eo cordis tabernaculo requieſcit, vbi quies, & tranquillitas manſuetudinis eſt.

Ariſtot. lib. 1. Meteoror. cap. 10.

Pſalm 25.

1. Cor. 13.

Eccleſ. 24.

Rupert. in cap 1. Cant.

Denique ea quæ hactenus diximus confirmat quod Iacobus Apoſtolus monet: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Nam per verbum inſitum Chriſtum Dominum intelligunt Sanctus Thomas, Hugo Cardinalis, & Concilium Vienneñſe, vt placet noſtro Salmeroni. Hoc ergo inſitum verbum, in manſuetudine ſuſcipiendum eſt, quoties in Euchariſtia eſt ſuſcipiendum: nam tum verè mentibus, corporibuſque noſtris inſeritur. Atqui, ſi verbum dicitur inſitum ex ſatione agrorum, vt aliqui opinantur: nam inſerendi verbum in hanc etiam ſignificationem patet, tunc Verbum incarnatum in Euchariſtia ſuſceptum in corpore & anima hominis, velut in agro granum, ſemente, ſatuque quodam ſuſcipitur: Iacobus autem de fructu ſolicitus monet vt Chriſtum ſic inſitum in manſuetudine ſuſcipiamus. Eſt autem manſuetudo quædam veluti mollitudo terræ ad ſemen æterni verbi concipiendum: nam vt ſemen fructum efferat in ſubacta, & emollita terra recipiatur neceſſe eſt, ideo aratur ſemel & iterum ad ſementem excipiendum. Sic animus manſuetudine emollitur, & ad Chriſtum ſuſcipiendum optimè præparatur. Nam ſi cor pullulantibus iracundiæ motibus ſylueſcat, vel inueterata ira petræ duritiem gerat, ſemen quamuis tantæ virtutis radices apud ipſum non aget. At, ſi cum pluribus interpretibus in voce *inſitum*, non ſationem agrorum, ſed inſitionem arborum intelligamus, tunc Chriſtus nobiliſſimus ſurculus dicetur, qui per Euchariſtiæ ſacramentum miro modo mentibus noſtris, atque corporibus inſeritur. Et quidem Chriſtus Dominus generoſi virgulti ſiue ſurculi nominè ſæpe in ſacris litteris ſignificatur. Ezechiel ait: *Suſcitabo eis germen nominatum.* Iſaias. *Germen Domini in magnificentia & gloria.* Zacharias *Adducam ſeruum meum orientem.* Hebraic. *ſurculum.* Hieremias. *Germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ.* Huiuſmodi autē ſurculum in manſuetudine ſuſcipiendum, monet Iacobus, quia per Prophetam pronunciat Deus: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietū?* In huiuſmodi arboribus firmiter inſeritur. Cùm enim ſurculus is ſit, quem ſeipſe indicauit, cùm dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* In mitibus, & humilibus corde aptiſſimè inſeritur. Quod ex inſerendi arte intelligi poteſt, quam Plinius tractans, & de his arboribus agens, quæ per inſitionem optimè ſibi cohærent, & vt ille ait: *Concorporantur,* ſic habet: *Facillimè coaleſcunt, quibus eadem corticis natura, quæque florentia eiuſdem horæ germinationem, ſuccorumque ſocietatem habent, lenta enim res eſt, quoties humidis repugnant ſicca, mollibus corticum duri.* His conſentaneè faciēdæ inſitionis modum tradens ſubinde monet: *Ne fiſſura in nodo fiat: repudiat quippe aduenam inhoſpitalis duritia.* Si ergo hæc ad ſpiritalem inſitionem transferas, vt homo arbor rationalis, & Chriſtus diuinus ſurculus per ſacramentalem inſitionem facilè coaleſcant, & concorporentur, neceſſaria eſt in homine ea manſuetudinis mollitudo, quæ in Chriſto elucet; alioquin inhoſpitalis iræ duritia blandi ſurculi aduentum repudiat; vel potiùs mitiſſimum germen inhoſpitalem hominis duritiam refugit, ac repellit, ſicut autem ad inſitionem feliciter faciendam, ita & ad inſitum fouendum, & conſeruandum, blanda, ac mollia requiruntur, vnde ex ſententia Catonis ita Plinius ſubiungit: *Inſitum mollibus biſidorum viminum faſcibus, lingua bubula* (herbæ id genus eſt) *inſuper obtegi iubet, eamque illigari opertam ſtramentis.* Similiter ſanè, iuſtæ animæ, atque Chriſti vnio, quæ in ſacramentali inſitione per blandam manſuetudinem coaluit, per eandem fouetur, & conſeruatur. Porro autem cùm humilitas finitima ſit manſuetudini, imo ei coniunctiſſima ſoror, & vtramque Chriſtus coniunxerit, cùm imitationem noſtram expoſcens, dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Mirum non eſt, ſi humilitas pariter cum manſuetudine ad præfatam Chriſti cum anima inſitionem requiratur. Quod ſymbolicè in ipſa naturalis inſitionis arte contemplari licet. Plinius ibidem, opportunè diſputans ex qua arboris parte ſurculi ad inſitionem peti debeant, ait. *Virgilius ex cacumine inſeri vetat.* Et paulò inferius, de parte arboris ad recipiendam inſitionem aptiſſimè agens ſic habet: *Inſerere aptiſſimum, quam proximum terræ, ſi patiatur nodorum, truncique*

Iacob. 1.

Ezech. 34. Iſai 4. Zach. 3. Hier. 33.

Matth. 11.

Plin. lib. 17. cap. 14.

ratio,

ratio Deinde de modo collocandi ſurculos inſitos, ſic apponit: *Inſeruntur autem & inuerſi, cum id agitur, vt minor altitudo in latitudinem ſe fundat.* Quæ quidem egregia ſymbola ſunt ad ſignificandam humilitatem, quæ pro ſacramentali inſitione in anima requiritur. Primum, Chriſtus, qui ſurculus eſt, non ex cacumine potentiæ temporalis aſciſcitur, ſed potiùs ex radice humilitatis, iuxta illud: egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit. Deinde hic ſurculus inuerſus ad terram inſeritur, id eſt, humilitatem ſemper docens, vt arbor inſita, ideſt, homo non in ſuperbam altitudinem ramos tollat, ſed per humilitatem deprimat & in fructuoſam latitudinem ſe fundat. Tum etiam ſurculus arboris partem terræ proximam apperit, ideſt, humilitatem cum manſuetudine maximè quærit, vt cum anima per myſticam inſitionem coniungatur, & cum homine concorporetur. Cæterum, ſi de fructu huius inſitionis quęras, audiendus eſt Caſſiodorus, ſic dicens: *Arboribus, quod melius putatur, inſeritur & ad illas peregrina veniunt, vt de illorum ſuauitate dulceſcant.* Arbor enim humani cordis, quæ ſylueſtres & amaros iuxta ſuam naturam fructus edebat, prauas ſcilicet, cogitationes, & concupiſcentias, iniurioſa verba & iniqua opera, iam conſentaneum diuino ſurculo fructum effert, cœleſtia nimirum deſideria, & opera plane diuina, vt de ipſa meritò enuntiari poſſit illud Maronis. 1. Georg.

Exiit ad cœlum ramis felicibus arbor,
Miraturque nouas frondes, & non ſua poma.

Mirabile certè eſt, vt terrena arbor cœleſtia proferat poma, quæ accepta cœleſti ſurculo referre debet: nam qui Dei filius, qui Patris eſt verbum & imago, homini in Euchariſtia inſeritur, fit vt ad priſtinam Dei imaginem redeat. Quod aſſerunt Sanctus Irenæus his verbis: *Velut inſertionem accipientes verbum Dei, in priſtinam veniunt hominis naturam, quæ ad imaginem, & ſimilitudinem factus eſt Dei.* S. Irenæus lib 5. c. 10.

Capvt V.

Manſuetudo miram vim habet ad alliciendas & trahendas hominum voluntates.

CVm mites ex Chriſti ſententia poſſeſſuri terram dicuntur, terræ nomine non iſta intelligitur, quam pedibus corporeis calcamus; ſed homines, qui ſunt in terra. Sicut enim cum Apoſtoli ſal terræ dicuntur, non terra elementum accipitur, ſed homines, qui incolunt terram, vt interpretatur Sanctus Auguſtinus. Ita etiam in præſenti loco debet intelligi: Mites ergo poſſidebunt terram, quia per manſuetudinem hominibus dominabuntur, dum huius virtutis gratiâ ipſorum voluntates allicient, & ad nutum inflectent. Sicut enim Chriſtus per manſuetudinem hominum voluntates deuinxit: ita etiam ipſis hominibus vſuuenit. De Chriſto Iſaias, dum eius aduentum exoptaret, ait: *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ.* Isai. 16. Quod Sanctus Hieronymus de Chriſto intelligens, ipſi quatenus agno, id eſt, miti, ac manſueto, terræ dominium adſcribit. Id quidem altiori quadam ratione oſtenſum eſt, in Apocalypſi, vbi Ioannem Angelus ſic alloquitur: Apoc 5. *Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Et vidi, & ecce in medio throni agnum ſtantem tanquam occiſum, & veniēs accepit librum de dextera ſedentis, in throno, & aperuit librum.* Ioannes leonem audiuit, ſed agnum vidit. Leo vicit, ſed agnus aperuit: nam leonem egit, cùm vicit mundum, diabolum, & peccatum: at ſe agnum oſtentauit, cùm corda hominum obſerata aperuit, cùm diuinæ ſapientiæ volumen euoluit, & homines ad doctrinam humilitatis traxit. Id opere ipſo comprobatum habes, cùm Baptiſta clamauit: *Ecce agnus Dei.* Quid inde? *Et audierunt duo diſcipuli dicētem, & ſequuti ſunt Ieſum.* Ioan. 1. Vbi Sanctus Chryſoſtomus egregiè rerum conſequentiam expendit: *Intuere,* inquit, *hoc loco quod neque cum dixit: poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, neque cum dixit: non ſum dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti, quemquam lucratus eſt. Verùm cùm de Chriſti generatione verba habere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cœpit nempe ecce agnus Dei; tunc ſequuti ſunt eum diſcipuli.*

Simili planè ratione hominibus contingit, qui dum agni manſuetudinem referunt, hominum captiuant voluntates; cùm autem leones videri volunt eas prorſus alienant. Quod exemplo Roboam confirmat Petrus Damianus. 3 Reg. 12. *Si Roboam,* inquit, *ſenum conſiliis acquieſcens, populo mitia reſponderet, totum Iſraël ſui iuris imperio ſubdidiſſet, ſed quia coæuorum ſuorum ſuperbiæ credidit dimiſſis à ſe decem tribubus, ſublimem Regni potentiam humilem fecit.* S Petr. Dam. lib. 1. Epiſt. 16. ad. Alex. 2. Pont. Rom. Contrà verò Dauid, quia mitia ſemper, & verba, & opera prætulit, omnium animos ſibi obſtrinxit. Audi Sanctum Ambroſium de eo ita dicentem: *Dauid fortis in prælio, manſuetus in imperio, ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam peteretur inuitus, reſiſtens cogeretur, ſenex ne prælio intereſſet, à ſuis rogaretur, quod mallent omnes pro ipſo periclitari, quam ipſum pro omnibus.* S Ambroſ. 2. offic. c. 7. Manſuetudo ſanè, maxime erga inimicos exhibita, hominum animos, non ſolùm in magnam admirationem rapit, ſed ex eis eximiam beneuolentiam extorquet. Vnde milites Dauid, cùm eum in ſpelunca ad conſpectum hoſtis Saülis non exarſiſſe viderunt, eam erga ipſum conceperunt affectionem quam Sanctus Chryſoſtomus expreſſit his verbis: 1. Reg. 24. *Ex reuerentia quam hoſti praſtitit, reipſa perſpectum habuerunt, quàm beneuolum animum gereret erga ſuos. Nam qui mitis eſt erga eos, à quibus moleſtia affectus eſt, multò magis erit erga beneuolos, idcirco poſtea Dauidi non iam vt homini, ſed vt Angelo parebant.* S. Chryſoſt. hom 2. de Dauide & Saule. Huic tam miræ, qua præcelluit, manſuetudini, ipſemet Dauid vniuerſam ſuam adſcripſit fortitudinem, tam eam, qua hoſtes profligauit quam illam, qua ſubditorum animos ſibi firmiſſimè conciliauit: Hanc enim ob cauſam teredini ipſe ſe comparat: *Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus* 2. Reg. 23. Gloſſa hanc comparationem ſic ediſſerit: *Sicut vermiculus ligni tener quidem, & fragilis, & modicus apparet; fortiſſimum tamen lignum terebrat, & conſumit: ſic ille domi omnibus affabilis, quietus & humilis, in certamine publico robuſtum ſe, & intolerabilem hoſtibus*

Digitized by Google

ſtibus exhibebat. Breuiùs & ad rem noſtram expreſſius Lyra ſic explicuit: *Licet iſte vermiculus in ſe ſit molliſſimus, tamen perforat lignum durum: ſic Dauid in ſe manſuetiſſimus & mitiſſimus contra hoſtes rebellantes fuit fortiſſimus.* In hunc ſanè modum mites & humiles à vermiculi molliſſimi imagine non abludunt; per hanc tamen manſuetudinis mollitudinem robuſtas, & duras voluntates frangunt, & abſumunt.

Theodor. in orat. Iſaiæ. Id autem vt magis confirmemus ad manſuetudinem Chriſti redeamus, de quo eleganter Theodoretus dixit: *Chriſtus cùm manſuetudinis rete explicaſſet totam piſcatus eſt terram, quæ ſub cælo eſt.* Cùm ante Deus hamo aureo maieſtatis, & potentiæ piſcaretur, vix è mundano mari vnum aut alterum piſciculum extrahebat; cùm verò manſuetudinis rete expandit, totam piſcatus eſt terram. Similiter hominibus manſuetudo pro euerriculo eſt, quo omnium hominum voluntates expiſcantur. Nullus enim tam ferox, tam exors humanitatis eſt, qui non manſuetudine capiatur. Audi Cardinalem Petrum

Damian. ſupra, &c. Damianum id exemplo monocerotis comprobantem. *Monoceros ſiue vnicornis, qui rabida perſequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capiſe gremio blandæ virginis non pauescit.* Manſuetudo enim Rhinocerota, ideſt, ferocem animum mitigat, capit, & deuincit. Mo-

Eccleſ. 45. nocerotas quidem māſuetudine capiebat Moyſes, de quo dicitur, *in verbis ſuis monſtra placauit*, ideſt, mitiſſimus ſuis verbis ita dura, & ferocia Hebræorum corda demulcebat, vt pertinacem eorum furorem, mitigaret, & monſtroſam duritiem leniret eoſque quo vellet duceret. Præmiſerat enim: *Dilectus Deo & hominibus Moyſes* Gloſſa cauſam huius dilectionis aſſignans, ait: *Quia ſuauis, & mitis ſuper omnes homines.*

Num. 12. Nam vt dicitur: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Quam verò ex manſuetudine dilectionem omnium conciliabat, & ad ſuam voluntatem trahebat optimè edixerit Sanctus Ambroſius: *Quam*

S. Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 7. *miti ſermone, (* inquit, *) poſt iniurias appellabat populum, conſolabatur, in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus. Meritò æſtimatus eſt ſupra homines; vt vultus eius nec poſſent intendere, ſepulturam eius non repertam crederent, quia ſic ſibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro manſuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur.*

Si verò, quis ſine manſuetudine velit faſtu, atque potentia, & rerum ſplendore hominum beneuolentiam elicere, oleum planè, & operam

S. Bernard. ſerm. 5. in vigil. natiuit. perdet. Nam vt arguè Sanctus Bernardus dixit: *Hominibus ſine lenitate non pluſquàm Deo placere ſine fide poſſibile eſt.* Porrò quantùm præſtet manſuetudo, potentiæ ad cōciliandas hominum voluntates veteres ac ſapientes ſcriptores, & prudenter perſpexerunt & aptiſſimo apologo ſignificarunt, quem B. Petrus Dam. ſemel & iterum citatus ad rem noſtram luculenter retulit his verbis: *Illud ad mentem venit quod refertur in fabulis: Dicitur enim, quia dum quidam indutus Chlamyde viator incederet, Sol, & Eurus eum quaſi materiam ſibi propoſuere certaminis, quis videlicet è duobus ei Chlamydem potuiſſet auferre. Hoc itaque inter eos fœdere conſtituto, vt eum, qui victor exiſteret virens laurea coronaret. Cœpit Eurus violenter infremere, nubium volumina commouere: è contra viator Chlamydem ſtringere ſe ſeque, ne veſtem perderet, vndique conſtipare. Cùmque Diſcipulus Æoli caſſo labore deficeret, atque ſeſe cœptum poſſe perficere funditus deſperaret, illico ſol aurea cœpit ora detegere, micantibus terram radiis feruentioribus illuſtrare. Mox viator, cùm iam æſtibus nimij feruoris areſceret, vberque ſudor humefactis viſceribus ebulliret, proiecit Chlamydem, vt nimij caumatis temperaret ardorem. Ille ergo condicti certaminis promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo, & violentiam irrogando tentauit.*

Cæterùm vt manſuetudo vim hanc habeat poſſidendi terram, ideſt, humanis voluntatibus dominandi, perfecta debet eſſe, iiſque vitiis carere, quibus ſæpe manſuetudo imperfectorum labefactatur. Hæc autem imperfectæ manſuetudinis vitia aperit, prudentiſſimè Sanctus Gregorius, ex quo depromere & hoc loco ſubiicere operæ pretium duxi. Primum requiritur, vt manſuetudo ſit perpetua, & perſeuerantiæ tenore cōſpicua. Euenire enim non tarò ſolet, vt homo eo tempore, quo contumelias audit, nullo dolore pulſetur, & ita manſuetudinis fræno iram cohibeat vt innocentiam perfectè cuſtodiat. Sed cùm poſt paululum hæc ipſa, quæ pertulit, ad memoriam reuocat, igne ſe doloris inflammat, & argumenta vltionis inquirit De his ergo Sanctus Gregorius ait: *Manſuetudinem quam tolerantes iniuriam, habuerunt, retractantes in malitiam vertunt.* Turpis quidem lapſus, vt quem S Gregor. p. 3. Paſt. admonit. 10. Diabolus in publico certamine vincere non potuit, in occulta ſuggeſtionum dimicatione proſtret. Horum ruinam aptis comparationibus exprimit Sanctus Doctor ibidem: *Quibus ergo iſti ſimiles ſunt niſi his qui per fortitudinem in campo victores fuer; ſed per negligentiam poſtmodum intra vrbis clauſtra capiuntur? Quibus ſunt ſimiles, niſi his, quos irruens grauis languor à vita non ſubtrahit, ſed leniter veniens, recidiua febris occidit.*

Secundò, quia manſuetudinis lenitati, quaſi finitimum vitium adiacet torpor deſidiæ, ideo manſuetis inuigilandum eſt, vt vicinum vitium fugientes, ſollicitudinem virtutis, & æmulationem iuſtitiæ complectantur. Hoc quidem manſuetis admonendum ſuggerit idem Sanctus Gregorius. Quam admonitionem ex diuinis Idem 3 p. Paſt. admonit. 17. litteris ita præmunit: *Idcirco namque Spiritus ſanctus in columba, & igne monſtratur, quia videlicet omnes quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne Zeli ardentes exhibet.* Id confirmat Sanctus Doctor ex magiſterio Pauli, qui duos diſcipulos ſuos Titum, & Timotheum, & ſi eadem Charitate præditos, diuerſis tamen admonitionibus in prædicationis munere promouere conatur. Timotheum, namque admonens ait: *Argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina.* Titum quoque admonet 2. Timoth. 4. dicens: *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Quod admonendi diſcrimen conſideratiſſimè, & attentiſſimè conſiderans S. Gregorius ſubdit. *Quid eſt, quod doctrinam ſuam tanta arte diſpenſat, vt in exhibenda hac alteri imperium, atque alteri patientiam proponat, niſi quòd manſuetioris ſpiritus Titum, & paulò feruentioris vidit eſſe Timotheum? illum per æmulationis ſtudium inflammat, hunc per lenitatem patientia*

Digitized by Google

tientiæ temperat, illi quod deeſt, iungit; huic quod ſuperſt, ſubtrahit. Illum ſtimulo impellere nititur, hunc fræno moderatur.

CAPVT VI.

Mundi lætitia Beatitudinem mentitur quæ potiùs in luctu eſt.

AD luctum iam veniamus, qui tertio inter Beatitudines loco decoratur, ſic ait Saluator: Beati, qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur. Cùm igitur Chriſtus Dominus hoc loco luctus beatitudinem adſtruit, lætitiæ, ac voluptatis beatitudinem deſtruit, & totam hac de re mundi opinionem funditus euertit. Neque enim, vt mundus fallitur, dum fucata rerum ſpecie ducitur, beatitudo vlla in lætitia, & voluptate eſt, ſed potiùs demolitio beatitudinis. Sic docuit Ambroſius: *Melius, inquit, eſt ire ad domum luctus, quam ad domum gaudij: neque enim Adam de paradiſo deſcendiſſet niſi delectatione deceptus eſſet.* Terrena Adami beatitudo delectione non fundata, ſed euerſa eſt.

S. Ambroſ. lib. de fuga ſæcul. c. 1.

Lætitia verò ipſa, mundique gaudium, dum homini blanditur, & lenocinatur, id agere videtur, vt oſtendat, & ſuadeat, felicem, ac beatam vitam in eo ſitam eſſe. At occurrit ſapientium Princeps, & cùm ipſa lætitia & gaudio ſic expoſtulat: *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Lyra ita explicat: *Fruſtrà deciperis ſi putas felicitatem, quæ in virtute eſt, in gaudio eſſe.* Eodem recidit Titelmani expoſitio: *Fruſtrà deciperis, ſi putas poſſe ſatiare pectus hominis ſicut promittis.* Sanctus Hieronymus etiam ad hunc locum ait: *Septuaginta tranſtulerunt: riſui dixi circumlationem: Quia ridentes errore ſæculi rapiantur, & turbine, putantes breuia bona eſſe perpetua, & in his exultantes, quæ magis digna ſunt planctu.* Affinis eſt tranſlatio Symmachi, quæ habet: *Riſum reputaui tumultum.* Ex quo intelligi par eſt, quam longè abſit à gaudio mundi vera beatitudo, cum hæc ſita ſit in tranquilla, & immutabili bonorum poſſeſſione; riſus autem, & mundi gaudium nil aliud ſit, quàm circumlatio, tumultus, & turbo. Pagninus vertit: *Riſui dixi inſanire facis, & lætitiæ quid boni facis?* Inane quippe mundi gaudium inſanire homines facit, dum ita eorum mentem inuertit, vt iudicent cum Epicureis, Beatitudinem in lætitia, ac voluptate eſſe ſitam: inſanos hos citra iniuriam dixeris. Sic appellantur ab Auguſtino: *Riſus, inquit, eorum riſus eſt phreneticorum, ſapientes malunt ſe habere ſanos, & plangentes, quam phreneticos ridentes.* Phrenetici enim ridendo moriuntur, & ſimiliter homines mortiferis voluptatibus gaudentes breui perituri.

Eccleſ. 2.

S. Auguſt. tract. 3. in Ioan.

Quibus verò rationibus conſtet inſaniam eſſe, in mundi gaudio beatitudinem quærere, operæ pretium erit veſtigare? Primum, quia is, qui in terreno gaudio beatitudinem quærit, in apertiſſima via errat, inſanorum more. Hunc viæ errorem Hugo Cardinalis ad hunc locum ſic explicat: *Quia cùm mens ineptè gaudiū ſuum foras fundit, quaſi ad ſiniſtram pergens, rectum iter, quò in Deum gaudendo pergere debuerat, derelinquit, & hoc eſt, quod dicit: riſum reputaui errorem.* Viam vt inſanus errat, qui in beatitudinem tendens, non rectum gaudij cœleſtis iter, ſed ſiniſtrum terrenæ lætitiæ arripit. Gaudium enim iter eſt quo itur ad beatitudinē, ſed bipartita eſt via: nam gaudium de Deo recta, & certa via eſt: at gaudium de mundi bonis, non in beatitudinem, ſed in barathrum tendit. Porro inſani homines exordio viæ decipiuntur: nam iter diuini gaudij in lacu lachrymarum incipit, ſed in beatitudine terminatur, ideo dicitur: beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur; via verò mundanæ lætitiæ in amœno proſperitatis prato initium ducit. Quo ſane initio homines ſtulti deluſi iter atque iter arripiūt, & progredi non ceſſant, vſque ad æternæ mortis præcipitia, à quibus reuocare gradum, ſuperaſque euadere ad auras fieri non poſſe cognoſcunt. De hoc initio, quo via peccatorum fucatur, eleganter Hugo Cardinalis ait: *Via inferni facilis eſt in ſuperficie, quia floribus diuitiarum eſt cooperta; & hoc tantum in principio, ſed poſtea vlterius procedentibus eſt magis difficilis, in fine difficillima & amariſſima; quia tunc deficiunt flores, quibus tecta erat in principio.*

Hugo. Cardinal. in cap 5. ſapientiæ.

Cæterùm, cum via omnis in tres quaſi partes diuiſa ſit, principium, medium, & finem. De principio, atque fine nulla nobis eſt cum peccatoribus controuerſia: nobis enim cum illis conuenit, iuſtorum viam in principio luctuoſam, in fine lætiſſimam, ac beatiſſimam eſſe; peccatorum autem in exordio floridam, & lætam, in termino triſtiſſimam, miſerrimamque exiſtere. De medio tantummodo controuerſum eſt, vtra harum viarum felicior, ac beatior ſit? Id hoc loco examinandum eſt, quod peccatores facile repudiant extremæ viæ beatitudinem, dummodo conſequantur principij, atque medij felicitatem. Et quidem media peccatorum via triſtis, & miſera eſt, quia tenebroſa. Quod habes in Prouerbiis: *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* Has tenebras ipſimet peccatores in inferno agnoſcunt, & ſerò confitentur illis verbis: *Ergo errauimus à via veritatis & iuſtitiæ lumen non luxit nobis: & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Vbi in via ſua peccatores duplices tenebras agnoſcunt, ſcilicet, defectum luminis iuſtitiæ, quibus tenebris in operum iniuſtorum offendicula corruunt; & defectum etiam lucis intelligentiæ, quibus tenebris nolunt intelligere mala à ſe perpetrata, vt ea confiteantur. Has geminatas in via peccatorum tenebras argutè, & & enucleatè ediſſerit Sanctus Auguſtinus ad illa verba Pſalmi: *Quoniam tenebræ non obſcurabuntur à te,* vbi ſic habet: *Homines mali, homines peruerſi, cùm peccant, tenebræ ſunt, & cùm inſuper non confitentur peccata ſua, ſed ea defendunt, tenebrant tenebras ſuas. Ergo iam, ſi peccaſti, in tenebris es; ſed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminare tenebras tuas, defendendo autem tenebras tuas, eas tenebrabis. Et quando euades à duplicibus tenebris, qui in ſimplicibus laborabas?* Cùm igitur impiorum via tam tenebroſa ſit, audi quid de iuſtorum via ſapiens adiungit: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Hæc ſanè ſemita non ſolùm eſt lucida, ſed quaſi ipſamet lux ſplendens, lucidior ſemper fit vſque ad perfectum diem. Quomodo autem in iuſtorum

Prouerb. 4.

Sap. 5.

S Auguſt. in Pſal. 138.

Prouerb. 4.

ſemita

Digitized by Google

ſemita ſiue via lux deeſſe poſſit, cùm ipſi iuſti in ſuo & intellectu, & affectu clariſſimam lucem, partemque diei ſecum ferant. Quo ſenſu ſubtiliter explicuit hæc verba Sanctus Gregorius: *Iuſtorum ſemita,&c. in eorum enim animis bonum deſiderium atque intellectus lucis intimæ iam par diei eſt. Sed cùm vſque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cœleſtia regna perducti, in ea luce, quam deſiderant, iam minus aliquid habebunt.*

1.Gregor. hom 9 in Ezech.

Eccleſ. 21. Deinde peccatorum via lapidibus impedita,& offendiculis plena eſt, ſic habes in Eccleſ. *Via peccantium complantata eſt lapidibus: & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœna.* Peccantium ergo via non ſolùm in fine miſerrima,ſed etiam in medio lapidibus complantata. Lapides labores ſunt,& ærumnæ,quibus peccatores perſæpe in hac vita affliguntur. Vnde aptè Lyra hunc locum explicans ait: *Peccatores etiam in præſenti affliguntur malis pluribus. Propter quod in eorum perſona dicitur Sapient. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis,& perditionis: ambulauimus vias difficiles.* Ad quem locum Sapiêtię idem Lyra citra hyperbolem, vt ego opinor, dixit: *Frequenter plus laborant homines ad perficiendum ſua peccata,quàm iuſti ad iuſtitiæ opera & quàm bonus religioſus in ſurgendo ad matutinum pluribus noctibus ad Deum laudandum.* Contra verò via iuſtorum non lapidibus complantata, ſed lenis & plana eſt iuxta illud Prouerbiorum: *via iuſtorum abſque offendiculo.* Hoc eſt,recta,plana,& ſecura, quo fit,vt in ea non ſolùm progrediantur, ſed alacriter etiam currant ſicut faciebat ille qui dicebat: *In via mandatorum tuorum cucurri,cum dilataſti cor meum.* Præmiſerat autem de via peccatorum Sapiens: *Iter pigrorum,quaſi ſepes ſpinarum*; qua nimirum aculeatis affectibus perſæpe punguntur & magno dolore cruentantur. Nam vt optimè Sanctus Paulinus ſcripſit: *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quieſcit animus, vt cruciatu careat: dum neceſſitudines, aut bonas amat,cum amittendi metu, aut malas odit,cum amittendi voto: in vtroque miſeriis ſuſtinendis ſemper obnoxius.*

Prouerb. 15. Pſalm.118. S.Paulin. Epiſt.39.

Ad hæc,peccatorum via lubrica eſt,ex luto nimirum diuitiarum,&,ex cœno voluptatum quo fit, vt turpiter ſæpe cadant, & inquinentur. De hoc cecinit Regius vates: *Fiat via illorum tenebræ,& lubricum,& Angelus Domini perſequens eos.* Vbi Hugo Cardinalis ait: *Viator,cui occurrunt & pariter concurrunt iſta tria,non poteſt non corruere. Quia enim incedit per noctem tenebroſam,per viam lubricam, & adhuc impellitur,non poteſt ſubſiſtere.* Contrà verò iuſtorum viæ non lubricæ, & cœnoſæ, ſed pulchræ ſunt: *Viæ eius pulchræ,& omnes ſemitæ eius pacificæ.* Ex Hebræo legunt multi: *Viæ eius viæ amœnitatis.* Chaldæus *via eius via ſuauitatis.* Procedunt enim hæ viæ per florida viridaria, quæ virenti colore recreant oculos: nam ſpes certa viatoris virtutis viam amœnat,& iucundam reddit.

Pſalm. 34. Prouerb. 3.

His ergo, aliiſque de cauſis media iuſtorum via beata,peccatorum verò infeliciſſima eſt,& ex omni parte laborioſa. Plus enim peccatores in via inferni peccando laborant, quam iuſti in via cœleſtis patriæ bene operando. Quod ſignificauit Deus per Hieremiam, cùm dixit. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium; vt iniquè agerent laborauerunt.* Quem locum egregiè ad rem noſtram ediſſerit Sanctus Ambroſius: *Laborant,* inquit, *homines loqui mendacium: nam veritatem tota facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit,quod dicit: nam qui verum vult dicere,non laborat. Ipſa enim veritas ſine labore loquitur. Ipſum mendacium hominum eſt labor labiorum ipſorum.* Sicut autem labia loquendo veritatem, non laborant; loquendo mendacium labore fatigantur: ita reliqua corporis membra faciendo veritatem, id eſt, bona opera,parum laborant: at faciendo mendacium, id eſt, praua opera, fatigantur,& ſudant. Quod ſubinde addidit Auguſtinus inquiens: *In omni enim opere malo labor eſt, & omne opus malum cogitatum mendacium ducem habet. Non enim eſt veritas niſi in opere bono.* Hanc Auguſtini doctrinam luculentiùs,& explicatiùs tradidit S.Gregorius dicens: *In omni quod iniquus agit, tribulatione & anguſtia vallatur; quia cor eius anxietate,& ſuſpicione confunditur. Alius occultè appetit aliena diripere, qui laborat in cogitationibus, ne deprehendi valeat. Alius relicta veritate mentiri deliberat, vt audientium animum fallat; ſed quantus labor eſt, ſolicitus cuſtodire,ne ipſa eius fallacia deprehendi queat. Ponit quippe ante oculos quid ſibi à virtutem ſcientibus reſponderi poſſit,& cum magno cogitatu pertractat,quomodo per argumenta falſitatis documenta veritatis exuperet. Hinc inde ſe circumtegit,& contra hoc, vbi deprehendi poterit, veritati ſimilem reſponſionem quærit: qui ſi velit verum dicere vtique ſine labore potuiſſet. Plana quippe veritatis via, & graue eſt iter mendacij. Vnde & per Prophetam dicitur, docuerunt linguam ſuam loqui mendacium vt iniquè agerent, laborauerunt. Et bene de eodem dicitur: terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum; quia apud ſemetipſum in labore timoris deficit, qui ſecuritatis ſociam viam veritatis reliquit.* Via ergo veritatis ac virtutis ſuauis & plana; mendacij verò & peccati aſpera & ardua. Eſt enim peccatorum via,cùm ſuperbè honores,& dignitates ambiunt, montuoſa: cùm auarè diuitiarum lucris inhiant,vel iracundiæ litibus dimicant, lapidoſa,cùm gulæ,atque luxuriæ ſeruiunt,lutoſa, atque cœnoſa. Hoc quidem multiplici,labore affliguntur, quia mendacij iter terentes,veritatis,ac cœleſtis patriæ viam reliquerunt id etiam habes in Eccleſ. *Labor ſtultorum affliget eos; quia neſciunt in vrbem pergere.* Vbi Hugo Cardinalis ſic habet: *Quia neſciunt, id eſt ſcire nolunt ſigna viæ regiæ,quæ ducit ad ciuitatem cœleſtem,hoc eſt, cruces pœnitentiæ,& aceruos lapidum id eſt, dura opera ſatisfactionum.* Hæc enim ſigna viam cœleſtis Hieruſalem in principio indicant,poſtmodum plana & amœniſſima oſtenditur. Licèt enim à lachrymis initium ſumat, tamen veriſſimum eſt, quod Sanctus Gregorius docet his verbis: *Fit plerumque vt ipſis piis fletibus, illa interim gaudij claritas erumpat.* Pergat ergo prudens viator ad veram beatitudinem, & regiam cœleſtis ciuitatis viam teneat,eamque, quæ ad tartara ducit,vigilanter fugiat; nec ex viarum initiis totam ipſarum ſeriem pendat: ſed Sanctum Gregorium ita monentem audiat: *Ab æterna ſolemnitatis gaudio nulla nos aduerſitas reuocet, quia & ſi quis ad locum propoſitum ire deſiderat, eius deſiderium qualibet viæ aſperitas non immutat. Nulla ergo nos proſperitas blandiens ſeducat,*

Hierem 9. S.Auguſt. in Pſal.139. S.Gregor. lib.12 mor. cap.20. Eccleſ.10. S.Gregor. lib.1. mor.c 5. Idem hom.14.in Euang.

Digitized by Google

cat, quia ſtultus viator eſt, qui in itinere amæna prata conſpiciens obliuiſcitur ire, quò tendebat.

CAPVT VII.

Lugentes peccata propria conſolationem conſequentur.

NVnc beatum hunc luctum virtutis exponamus, & quidem de lugentibus propria peccata interpretantur hanc Beatitudinem complures Patres. Hilarius ad hunc locũ ait: *Lugentes hic dicuntur, non orbitates, aut contumelias, aut damna mœrentes, ſed peccata vetera flentes.* Subſcribunt Hieronymus, & Chryſoſtomus, atque etiam Ambroſ. vbi etiam ſic adiungit. *Et bene tertia benedictio eſt peccata deflentis, quia Trinitas eſt, quæ peccata condonat.* Qui ergo peccata propria lugent beati dicũtur; quia nimis profectò conſolationibus afficientur. Id ſatis colligitur ex illo Pſalmi loco, vbi Regius vates fideles omnes diuinis conſolationibus exuberare optãs, ad potiendum eis eos his verbis inuitat: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.* Ad maximã & perfectam conſolationem, quæ exultatione, & iubilo ſignificatur, omnes vocat: nam vt hic Lyra definit: *Exultatio dicitur quaſi extra exultatio, quod fit, quando mentis deuotio reſultat exterius in ſenſibili ſigno. Similiter iubilus dicitur cordis gaudium ita intenſum, quod non poteſt interius contineri, quin appareat in ſigno exteriori.* Sed ecce quaſi oblitus huius inuitationis, aliam mox contrariam inuitationem ita ſubiungit: *Venite adoremus & procidamus & ploremus antè Dominum.* Hæ duæ inuitationes ſibi cohærere minimè videntur: nam ſi ad exultationem & iubilum vocat, cur illico ad proſtrationem, & lachrymas inuitat? Optimo ſanè iure. Cùm enim ſciret neceſſarias eſſe lachrymas ad conſolationem obtinẽdam: *Nam beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Conſentaneè poſt inuitationem ad gaudium, pariter inuitat ad luctum id eſt, ad lachrymas pro peccatis præteritis. Vnde ad hunc locũ S. Auguſt. ait: *Si de peccatis, quæ vos longè fecerũt, ſolliciti eſtis, plorate: lachryma extinguit flammam peccati, quæ in conſcientia ardet.* Quaſi diceret, ſi cùm vos ad exultationem, & iubilum voco, longè factos eſſe per peccatum doletis, & fore, vt nõ poſſitis venire formidatis, plorate, quia per lachrymas ad iubilũ venitur, & beati ſunt qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Porro qui peccata lugent, triſtitiæ ſentes extirpant, & in horto conſcientiæ lætitię germinã plantant. Vnde ad illa verba Pſalmi, *lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* S. Greg. ita ſcripſit: *Rigat ergo lachrymis ſtratum ſuum, quia continuo luctu & dolore carnis maculas diluit, & cordis duritiam imbre compunctionis emollit; vt ſicut hortus recepta ſuam pluuia euidenter germinat: ita caro lachrymarum fluentis rigata bonorum operum, & iuſtitiæ germen emittat.* His autem germinibus hortus conſcientiæ lætitia floreſcit, & quaſi ridet. Ipſæ lachrymæ ipſæ huius floridi germinis conſolationem præſagiunt, & prænuntiant. Quod eleganter annotauit S. Zeno vbi de vite ſpirituali ſic ediſſerit: *Tum ſolemniter plorans, clementer imbre ſuo rorat, conceptaque muſti felicibus lachrymis fluenta denuntiat.* Cùm peccator, qui erat ſicut myrtica in deſerto, fit ſpiritaliter vitis, & vera cõtritione plorat, conceptum iam æterni gaudij muſtum denuntiat; vitis enim quæ non plorat neutiquam gaudium, ſed ſuam ariditatem portendit. De his plorantibus peccatoribus Dominus per Hieremiam pronuntiat: *Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos.* Quæ verba in noſtram ſententiam exponit S. Gregor. Thaumaturgus. *Noſtrum* (inquit) *luctum Dominus noſter per fructus pœnitentiæ in gaudium ſe conuerſurum affirmat.* Habent lachrymæ vim miram eliciendi conſolationem à Deo, vnde Gloſſa ait, *Oratio Deum lenit lachryma cogit; hæc vngit, illa pungit.* Hanc ex Hieremia permiſſionem luculentiùs expreſſit Dominus per Iſaiam, vbi Chriſtus ſe miſſum à Patre ad hoc teſtatur, vt cõſolaretur omnes lugentes *vt ponerem conſolationem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Loco illius particulæ, *vt ponerem conſolationem lugentibus.* Legunt plures, *vt ordinarem conſolationem.* Hic autem eſt ordo conſolationis, vt eam præcedant lachrymæ pro peccatis. Quare ad prima verba *vt conſolarer lugentes.* Gloſſa interlinealis ait: *Lugentes peccata ſua, vnde; beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.* Hanc autem conſolationem multis verbis exaggerat, quæ à Lyra ſic explicantur: *Coronam pro cinere, ideſt, abiectione; oleum gaudij, ideſt conſolationem mentis pro luctu interiori: pallium laudis, id eſt, gaudiũ exterius pro ſpiritu mœroris, id eſt, pro luctu exteriori.* Hæc verò tria conſolationis inſignia luculentiùs & explicatiùs traduntur ab Hugone Cardinali his verbis: *Tria dicit, quæ ſunt in pœnitente in præſenti, & in futuro, remunerabuntur: cinis in memoria mortalitatis, & vilitatis ſuæ, contra ſuperbiam mentis: luctus contra concupiſcentiã oculorum, vt per quæ peccauit homo concupiſcendo, per hæc puniatur, plorando: ſpiritus mœroris oſtenſus per habitum lugubrem pœnitentis, qui domat laſciuiam carnis. Hæc tria notantur Hierem. 6. accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum fac tibi quaſi vnigeniti, planctum amarum valde. Cilicio, contra carnis concupiſcentiam; cinere, contra mentis ſuperbiam luctum fac contra oculorũ concupiſcentiam. His tribus reſpondent tria; corona, oleum, & pallium. Dominus enim dabit coronam æternitatis, pro cinere mortalitatis; vel coronã honoris, pro cinere humilitatis: & hæc corona ad conſolationem pertinet, iuxta illud eiuſdem Iſaiæ, erit Dominus corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui. Dabit itẽ Dominus oleum gaudij æternæ felicitatis: Dominus enim aquas doloris cõuertit in vinum, vel oleum æternæ iucũditatis. Dabit item pallium laudis, ideſt, laudabile, ſeu ſtolam gloriæ, pro habitu lugubri, ſecundum illud Pſalmi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Ille ergo peccata ſua perfectè luget, qui ea in cinere, in cilicio, in ſpiritu mœroris, ſeu luctu quaſi vnigenitum plangit, ſed qui ita trifariam perfectè luget, trifariam etiam cõſolabitur, in corona, oleo, & pallio, vt eius cõſolatio omnes numeros perfecti gaudij contineat, meritóq; pronũtiet Dominus; beati qui lugent; quoniã ipſi cõſolabuntur vnde cõſolatio hæc, ſublimis eſt in corona, blãda in oleo, integra in pallio. Sublimis in corona; *Nã vt illud* gaudium excelſum & regiũ eſt, cùm quis (quod non ſemel cõtigit) ex humili ſtatu, miſeraque fortuna ad regiam coronam cooptatur: ſic homo eximiè gaudet, cùm è cinere

S. Ambroſ. in cap. 6. Lucæ.

Pſalm. 94.

Pſalm. 6

S. Zeno in Pſal. 79.

Hierem. 31.

S. Gregor. Thau. ſerm. 2. in Annunt. B. M.

Gloſſa in cap. 3. Thobiæ.

Iſai. 6.

Iſai. 28.

Pſalm. 29.

atque ſtercore peccati ad ſolium regiæ gloriæ ſuſtollitur. Blanda etiam, vt oleum eſt iſthæc conſolatio: nam Deus peccata lugentibus blandiſſimam ſe matrem exhibet. Vt enim puerulum offendentem, & cadentem, & ictus dolore lugentem mater è terra tollit, complectitur, in ſinum colligit, lachrymas abſtergit, & blandiſſimis verbis conſolatur: ita Deus hominem occaſione offendentem, peccato cadentem, ſi lugeat, & in Dei miſericordiam, ac in matrem ſuſpiciet, ipſa eum cœleſtis auxilij manu ſubleuat, in ſinum pietatis admittit, & blandiſſima conſolatione delinit. Audi ipſum Dominum Iſai.66. ita affirmantem: *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* Deinde peccatorum lugentium conſolatio integra & perfecta eſt, quæ pallij inſtar, totum hominem cooperit, quia animam & corpus circumdat. Pſalm.29. Hinc vox illa peccatoris, *conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*, ac ſi dicat: pro ſacco luctus, atque mœroris, pallio lætitiæ me circumdediſti. At verò mundani gaudij pallium non poteſt animam & corpus operire: Iſai.28. nam de hoc dicitur: *pallium breue vtrumque operire non poteſt.* At pallium gaudij Chriſti vtrumque operit. Quod expertus Regius Vates dicebat *cor meum & caro mea exultauerunt in* Ruth.3. *Deum viuum.* Vnde poteſt bene anima Chriſto dicere, quod typicè Ruth dixit ad Booz, *extende pallium tuum*, vbi Gloſſa ait: *Charitatem.* Charitas enim Chriſti pallium eſt, quod leniter animam & corpus gaudio fouet, & cooperit: at mundo fruſtrà dicitur, extende pallium tuum, quando ita breue eſt, vt vtrumque operire non poſſit. Gaudium ergo Chriſti lugentes peccata ſua perfectè conſolatur. Quamobrem Sanctum Gregorium admonentem au- S. Gregor. hom. 2. in Euang. diamus: *Vita noſtra ad tempus amareſcat in pœnitentia; ne æternam amaritudinem ſentiat in vindicta. Per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur, veritate pollicente, quæ ait: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Ad fletum verò per gaudia peruenitur, hac eadem veritate atteſtante, quæ ait: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis, & flebitis.* In alia Homilia Hom. 37. in Euang. ita ſimiliter monet: *Qui autem relinquere omnia non poteſt, cum adhuc longè eſt Rex, legationem mittat lachrymarum. Nam quod adhuc moram facit venire, legationem pacis ſuſtinet.* Qui enim hanc legationem lachrymarum mittit ad Regem, ſecutus pacem & conſolationem de remiſſis peccatis renuntiandam expectet. Sic planè expectabat Regius Vates, cùm in Pſalmo. Pœnitentiæ miſſa lachrymarum legatione dicebat: *auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.*

CAPVT VIII.

Qui aliena peccata lugent, mirè conſolabuntur.

COnſolatio lugentibus promiſſa de lugentibus peccata propria ab his Patribus intelligitur, quos in exordio præcedentis capitis produximus. Alij de lugentibus peccata aliena S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. acceperunt in quibus Chryſoſtomus ſic ait: *Et qui ſua quidem peccata lugent, beati ſunt, ſed mediocriter; Beatiores autem ſunt qui aliena lugent peccata; tales conuenit eſſe Doctores.* Quem ſenſum etiam amplectens S. Hieronym. dixit: *Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, ſed de peccatis, & vitiis mortuorum. Sic fleuit Samuël Saülem & Paulus eos, qui poſt immunditiam, pœnitentiam non egerunt.*

Hi ergo qui aliena peccata lugent, Domino atteſtante conſolabuntur. Id in Samuële flente Saülem (de quo proximè Hieronymus) videmus. Hic namque ſic flebat Saülem, vt obiurgaretur à Domino illis verbis: *Vſque quò tu luges Saül,* 1. Reg.16. *cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethelehemitem. Prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Samuël quidem Saülem lugens eximia conſolatione afficitur, dum ad vngendum Dauidem deſtinatur, in cuius regno ſupremi Regis, & ſeruatoris mundi, imperium initiabatur. Quod enucleatè & conſiderauit & ſcripſit Rupertus. *Samuël*, inquit, *lugendo talem conſo-* Rupert. lib. 9 de gloria & honore filij hom. *lationem conſequutus eſt, vt miſſus à Domino vngeret Dauidem Regem, & ſalutis temporalis Ducem, & ſalutis æternæ fontem, ſiue originem, id eſt, patrem Saluatoris Chriſti.* Cæterum ita Chriſtus Dominus ſatagit cōſolationis eorum, qui aliena peccata deflent, vt ad hoc ſe in mundum miſſum à Patre dicat: *Miſit me vt conſola-* Iſai 61. *rer omnes lugentes; vt ponerem conſolationem lugentibus Sion*, vbi Hugo Card. ſic exponit: *Lugentibus Sion, id eſt, peccata Eccleſiæ militantis plangentibus*, ſed aduerte ſingularem illum loquendi modum; *vt ponerem conſolationem lugētibus Sion.* Ac ſi conſolatio hæc character eſſet, ſiue ſignum quod ponitur in lugentibus Sion. Et ſanè ſi rem attentè conſideres, ſignum eſt poſitum in lugentibus Sion Audi Dominum Angelo Ezech 9. ita mandantem: *Signa thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Hieruſalem.* Qui peccata Hieruſalem, id eſt, Eccleſiæ lugent, ſigno futuræ lætitiæ, Domino iubente, notantur. *Thau* enim vt hîc docet S. Hieronymus, cui conteſtatur Lyra, vltima littera eſt in ſancto linguæ ſanctæ alphabeto: at in alphabeto Dei vltima littera gaudium & lætitia eſt beatitudinis, quæ lachrymarum, & dolorum eſt terminus. Prætereà ſi cum Hieronymo, Hugone Card. & Lyra, per *thau* crux Chriſti intelligatur, quod hæc littera crucis figuram referat, dicendum eſt, lugentibus crucem in fronte quaſi ſignum lætitiæ poni; quia de cruce Domini intelligitur à Pſalm.4. quibuſdam illud Pſalm. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Ita interpretantur Gloſſa, & Hugo Card. qui ad hunc locum ait: *Vultus Dei eſt crux Chriſti, cuius ſignaculum nobis impreſſum eſt in Baptiſmo; & quia ex hac ſignatione lætatur homo ſpiritualiter, ſubdit: dediſti lætitiam in corde meo.* Qui igitur peccata aliena lugent lætiſſima crucis nota ſignantur, vt meritò de eis Chriſtus per Prophetam dixerit; *Vt ponerem conſolationem lugentibus Sion.*

Obſeruatu dignum eſt, quod ad propoſitum admonet Chryſoſtomus, luctum pro peccatis alienis & propriis non leuem & perfunctorium, ſed intimis ſenſibus conceptum & effectu ipſo conſpicuum eſſe debere. *Si enim*, inquit, *qui filios vel proximos mortuos lugent, toto illo doloris ſui tempore nec pecuniarum, nec gloriæ amore tenentur, non inuidia conſumuntur,* non

Digitized by Google

non iniuriis permouentur, nec aliis vitiis obſidentur, vt pote ſolis luctibus mancipati: multò magis qui peccata lugent, ſicut ea lugere dignum eſt, celſiorem hanc Philoſophiam debent oſtendere. Conſonat Sanctus Bernardus ſic inquiens: *Quoſdam lugentes conſpicio, ſed ſi de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facilè illico ſoluerentur in riſum: nunc autem cùm abundantiùs otioſa & ſcurrilia verba profluant, quàm priùs lachrymæ, lachrymas huiuſmodi de iis eſſe non arbitror, quibus conſolatio diuina promittitur, quandoquidem tam facilè poſt illas conſolatio vilis admittitur.*

S. Bernard. ſerm. 2. de aduentu.

Capvt IX.

Lugentes quia peregrinantur, Dominus conſolab.tur.

PRæter expoſitiones ſuperioribus capitulis relatas, eam alij Doctores amplectuntur, quæ docet, conſolationem his promitti lugentibus, qui ideo lugent, quod à Domino in terra peregrinantes, & abſentes, non poſſint concupita eius præſentia frui. Hi enim qui Deum ardenter diligunt, habere eum præſentem vehementiſſimè concupiſcunt, quo fit, vt cum ab eius præſentia ſe remotos conſiderant, amarè lugeant, qui tamen dulcedine diuinæ conſolationis non fruſtrantur. Hanc certè & luctus & conſolationis beatitudinem primi obtinuerunt Apoſtoli, de quibus Guarricus Abbas ait: *Neſcio ſi Spiritui ſancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior ſit. Puto, quia nec in Apoſtolis locum inueniſſet Paracliti conſolatio, niſi quia lugebant ſe deſolatos.* Spiritus certè ſanctus Paraclitus, ideſt, conſolator dicitur: ſed quorum ſit conſolator, tunc oſtendit, cum in columba apparuit; vt enim columba gemitibus gaudet, & gemitum pro cantu habet: Ita Spiritus ſanctus eorum luctum amat, qui Domino abſente ſe deſolatos dolent. Ideo in Apoſtolorum cordibus hæc columba nidum ſuum collocauit, quia Chriſtum iam abſentem ſemper ſuſpirabant. Hinc iuſti omnes, qui ſpiritus ſancti impulſu mouentur, columbæ vocem habent, ideſt, gemitum: Peccatores verò, qui non abſentem Dominum conſiderant, ſed bonis præſentibus gaudent, non columbæ, ſed corui vocem edunt. Audi Sanctum Auguſtinum ita dicentem: *Cui bene eſt in hoc ſæculo, imo qui putat, quòd bene ei ſit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exultat, habet vocem corui; vox enim corui clamoſa eſt, non gemebunda. Qui autem nouit peregrinari ſe à Domino, gemit, & bene gemit.* Bene quidem gemit quia his columbis, non verò illis coruis promittitur à Domino conſolatio.

Guarric. Abbas ſerm. 2. de Pentecoſt.

S. Auguſt. tract. 6. in Ioan.

Hac etiam de cauſa lugebat, & gemebat columba illa Maria Magdalena, nam rogantibus Angelis: *Mulier quid ploras? dicit illis: quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt.* Solam Domini abſentiam lachrymarum ſuarum cauſam eſſe teſtatur; meritò ſubinde eam præſentia ſua Dominus dignatur, & ſuauiſſimo alloquio conſolatur. Similiter flebat, & ſimilem conſolationem nactus eſt Regius vates, cùm dixit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Quaſi dicat, inquit Lyra, *iſtæ lachrymæ auferebāt mihi appetitum comedendi; ſicut dicitur de Anna:* Porro illa flebat, & non capiebat cibum. Dauid ergo tam continuò & amarè flebat, vt die ac nocte, ideſt, tempore prandij, & cœnæ, vt quidam explicant, nullum cibum caperet, ſed loco cibi, lachrymis paſceretur. Tota autem lugendi cauſa erat Dei ſui abſentia, quam etiā improbi & exprobrabant, ſed quàm certò ſub hunc luctū conſolationem ſibi polliceatur, ita ſubdit: *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domū Dei. In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis.* Egregiè S. Aug. hanc lugentis conſolationem exponit: nam per tabernaculum fideles iuſtos intelligens, ait: *Tabernaculum Dei in terra fideles ſunt, in quibus iſte iam multa miratur, ſcilicet, quod in corpore non regnat peccatum, ſed eſt arma iuſtitiæ & quod anima obedit Deo, tolerat aſpera, & tendit in alta & huiuſmodi. Tranſit hæc etiam, & ſtupet; cùm peruenit vſque ad domū Dei mente: De qua ſonat ei mira ſuauitas. Sicut mos erat feſta colentibus ante domos ſymphonias conſtituere. Sonat, dico exultatio, & confeſſio: ſonus epulantium, id eſt, de refectione æterna gaudentium.* De æterna prorſus feſtiuitate ſonat quid dulce cordi, quo is, qui die ac nocte lugebat, ineffabili modo recreatur. Hac enim ratione diuina bonitas, velut amantiſſima mater, filios ipſius abſentiam lugentes blandiſſimè conſolatur iuxta illud Iſaiæ. *Quomodo ſi cui mater blanditur: ita ego conſolabor vos.* Iſai. 66.

Ioan. 20.

Pſalm 41.

Capvt X.

Iuſti lugentes ex ſolo Deo conſolationem admittunt.

SAnctus Greg. præfata verba. *Beati qui lugent, &c.* Sic explicat, vt iuſti lugentes beati, & cōſolatione donandi dicantur, quia ex nulla creatura in ſuo luctu conſolationem admittunt, ſed ex ſolo bonorū omnium fonte haurire ſatagūt. Id Regius vates præſtitit cùm ait: *Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus ſū,* fatetur, ſe omnē ex creaturis conſolationē reſpuere & in ſolo Deo memoria & animo delectari. Quo in loco emphaſim habet lectio S. Greg. quę eſt huiuſmodi: *Negaui cōſolari animā meam.* Cū enim inferior animę pars mundi tribulationibus & ærumnis afflicta eſt, mox ad creaturas inueniendæ conſolationis gratiâ, delabitur, & doloris leuamen ab illis emendicat: at in perfectis viris pars animæ ſuperior, ideſt, mens inferiori ſuæ huiuſmodi conſolationem negat, & abitum ad creaturas abiudicat, idque ſignificatur hoc verbo *negaui conſolari animam meam.*

S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 27.

Pſalm 76.

Porrò quàm perfectè hoc iuſti præſtent eorum nomine affirmat idem propheta, cùm ait: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terrā.* Vbi Hugo Card. ſic ad rem noſtrā exponit: *In perſona iuſti tentati dicitur: quid mihi eſt in cœlo, &c.* Quaſi dicit: *Nullam Domine cōſolationē immittis mihi de cœlo, & tamen nihil terrenum quæro à te.* Iuſtus enim tentationis pondere afflictus à ſolo Deo conſolationem expectat, quæ dum differtur, nullum aliud ſolatium, nec in terra nec in cœlo quærit. Quibus conſentaneè ſubiungit: *Defecit caro mea & cor meum.* Quæ verba optimè explicuit Gilibert. *Defecit,* inquit, *caro mea, & cor meū,*

vt nec carnalis affectus nec cordis mei ſenſus in nulla reſpiret creatura , ſed ſit Deus cordis mei pars. Hæc planè ſanctorum eſt conſuetudo , hæc illorum mens , vt etiam pondere tribulationis grauati, atque afflicti ſic deficiant à creaturis , vt in nulla earum velint conſolatione reſpirare; ſed in ſolo Spiritu ſancto , qui Paraclitus dicitur, ideſt, vnicus cõſolator. In hoc ſpiritu reſpirabat
Pſalm. 118 Dauid qui ſanctorum nomine dicebat. *Os meum aperui , & attraxi ſpiritum* vbi Hugo Cardin. ſic ait: *Attraxi Spiritum ſanctum , & ideo aperui os meũm vt paſtum reciperem diuina conſolationis.* Contra peccatores cùm tribulationibus anguſtè premuntur,& quaſi faucibus tenentur, os ſuum aperiunt,& ſpiritum, ſeu ventum terrenæ conſolationis attrahunt , quo reſpirantes , recreentur. Id ſignificauit Hieremias, cùm dixit:
Hierem. 2. *Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* Cuius loci ſenſus ex multorum ſententia eſt ; vt ſicut onager cum fame,& ſiti maximè cruciatur,attracto vento,& odore paſtus atque aquarum , recreatur, & hilareſcit: ſic peccator rerum inopia , vel quauis alia tribulatione triſtatus,in amata mundi bona ſuſpirat,& eorum odorem quaſi reſpiratione trahens conſolatur.

Sed ad iuſtos redeamus, quorum animæ cum in ſuo ſunt luctu, quærendæ conſolationis gratiâ, nequaquam extra ſe exeunt ; ſed in cordis arcano conſiſtentes , ſolius Dei conſolationem expectant. Quod Regius Vates pulchro ſchemate ſignificauit. Nam poſtquam ſuum luctum
Pſalm. 41. ſatis indicauit illis verbis : *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die,ac nocte,dum dicitur mihi quotidie,vbi eſt Deus tuũs ?* Quem ipſe conſolationis potum in tanta lachrymarum tempeſtate peteret,ſine vllo verborum interſtitio , ita ſubiungit : *Hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam.* Quaſi diceret:quando in lachrymarum torrente magnis triſtitiæ quaſi voraginibus ſubmergebar, nequaquam effudi animam meam extra me , vt in creaturis conſolationem quærerem , ſed in me effudi , vt in cordis mei clauſtro conſolationem expectarem. Hanc expoſitionem perſtrinxit Caſſiodorus his verbis : *Liquefacta eſt anima mea in me , non extra , ſed in ſe compuncta reuertitur.* Hoc eſt , quamuis anima mea igne doloris,& tribulationis liquefacta eſt, non tamen extra ſe funditur ad conſolationem
S.Gregor. lib. 22. Moral. c. 3. quærendam,ſed in ſe ſemper reuertitur , & intra ſe arctè concluditur. Quod egregiè Sanctus Gregorius confirmat, inquiens : *Solerter ſancti ne corporeis ſenſibus nimis ad exteriora dilabuntur, continuo ſtudio intra mentem ſuam occulta cuſtodiæ diſciplina ſe colligunt , vt tantò magis inueniantur interiùs integri , quantò minùs ſunt exteriùs fuſi.*

Verùm ſancti non ſolum quærendæ conſolationis gratiâ exterius non exeunt,ſed ne ipſæ externæ conſolationes ad animam ingrediantur, arte diſciplinæ oſtio diligẽter ſe claudunt. Quod Sanctus Auguſtinus ad illa verba: *Renuit conſolari anima mea* attentiſſimè admonuit , dicens: *Tantũ tædium & triſtitia pro peccatoribus, ſi quidẽ ſis me occupauit contra, vt omnẽ conſolationem claudet ſe anima mea.* Sic omnes ſancti faciunt; at peccatores quàm ſecus ? Hi ſenſuum ſuorum ianuas pandunt , & tum ad veſtigandas creaturarum conſolationes exeunt , tum ipſas aduenientes obuiis manibus excipiunt, & ad penetralia cordis admittunt.

Ex quibus debet intelligi ſanctos Lugentes iure optimo poſſe à Deo poſtulare conſolationem diuinam , qui pro eius amore cunctam repudiarunt humanam. Hoc titulo Dauid petebat, Pſal. 118.
cùm ſic Deum orabat : *Quando conſolaberis me? quia factus ſum ſicut vter in pruina.* Quaſi dicat: inquit Hugo Cardinalis : *Quando conſolaberis me ? Et conſolari debes, quia carnales conſolationes renuo,& ideo factus ſum, ſicut vter in pruina: vter qui fit de corio mortui animalis , ad pruinam poſitus reſtringitur : & ſignificat illos , qui corpus quod eſt mortale caſtigant , & à noxiis deſideriis conſtringunt, exponendo illud pruina id eſt, tribulationibus,& diſciplinis.*

CAPVT II.

Iuſti lugentes in nulla prorſus creatura ſolent conſolationem quærere.

EAndem Sancti Gregorij expoſitionem in hoc ſequimur capite,ac in præcedenti:nam quod in eo generatim, & vniuerſè docuimus,in hoc ſigillatim oſtendemus , iuſtos videlicet , lugentes in nulla prorſus creatura velle conſolationem habere. Quod vt perſpicuum fiat , earum capita attingere operæ pretium erit. Primo quidem ex diuitiis conſolationem nolunt admittere , ita explicat Sanctus Gregorius verba illa Pſalmi : *Negaui conſolari animam meam,* Pſalm 76.
vbi ſic habet : *Plerumque huius ſæculi diuites* lib. 18. mor. c. 27.
ſolent mentis tædio affecti , bona temporalia accepta conſpicere , & triſtitiam delinire. Cùm enim mœrore quodam ſe tangi ſentiunt,equos aſpiciunt, auri,argentique ſui vaſcula contemplantur , prædia circumeunt. Cúmque per hæc temporalia oculos libenter trahunt , obortum animi mœrorem vincunt. At Dauid, iuſtique omnes cuncta hæc bona deſpicientes dicunt : *Renuit conſolari anima mea* & diuinam ſolummodo conſolationem magnificientes addunt : *Memor fui Dei,& delectatus ſum* Similiter Sanctus Iob , qui diuitias,vt pote Rex, immenſas poſſidebat , nequaquam ab eis, cum tædio,vel triſtitia tangebatur, conſolationem petebat , vt ipſemet etiam cum execratione teſtatur illis verbis : *Si lætatus ſum* Iob 31.
ſuper multis diuitiis , & quia plurima reperit manus mea. Vbi Sanctus Gregorius ſic ad rem noſtram ait : *ſancti viri in huius peregrinationis ærumna, de multa abundantia minimè lætantur, quam videlicet pro amore cœleſtis patrimonij, aut largiendo diſpergunt , aut deſpiciendo deſerunt.* Sancti ergo viri in ærumnis,ac luctu diuitiarum conſolationem non quærunt , quas potius à ſe repellunt. Quamuis autem , vt eſt vita noſtra fragilis, ſit diuitiarum ſubſidiis neceſſariò vtendum , ſancti tamen ſtrictè ad neceſſitatem,non laxè ad conſolationem , ſiue voluptatem vtuntur. Quod de eis teſtatur Regius vates cùm canit: *In flumine pertranſibunt pede.* Vbi Hugo Pſal. 65.
Cardin. expendens , quod ſingulariter dixerit: *In pede* ſcitam illam ſententiam dixit, quã ſupra laudauimus, nec pudet nunc opportunè iterare. Sic ille ait: *flumen vocantur diuitiæ , quia fluunt affluunt , & effluunt. Et dicitur pede in ſingulari*

quia

Digitized by Google

quia vnum tantum pedem debemus mergere in aquis huius fluminis, vt ſumamus de rebus tranſitoriis tantùm ad neceſſitatem, & non ad voluptatem. Duo enim pedes ſunt neceſſitas & voluptas. Hoc flumen pertranſeunt mali duobus pedibus; quia accipiunt bona tranſitoria & ad neceſſitatem, & ad voluptatem; boni verò vno tantùm pede neceſſitatis. Perfecti igitur viri ex flumine diuitiarum aquas hauriunt ad menſuram neceſſitatis, non ad redundantiam conſolationis: Dum autem diuitiarum conſolationem reſpuunt, Dei lætitiam inueniunt. Vnde adiungit Propheta: *Ibi lætabimur in ipſo.* Hoc eſt, vbi flumen terrenorum bonorum vno pede tranſierimus, & eorum conſolationem in huius vitæ luctu non quæſierimus, ibi lætabimur in ipſo. Nam qui in vitiis non lætantur, ſed lugent, ipſi in Deo conſolabuntur.

Hierem. 17. Secundò, nec à reliqua mundi proſperitate conſolationem capere volunt. Teſtor Hieremiã, qui cùm rebelli Principum, ac populi contradictione, & oppugnatione affligeretur, dixit: *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens & diem hominis non deſideraui; tu ſcis*, vbi Gloſſa interlinealis, diem hominis explicat, *vitam longam, vel proſpera huius ſeculi.* Seditione contra eum concitata non vult ſe conſolari ſpe longioris vitæ vel proſperitates ſæcularis, ſed ex ſolo Deo conſolationem expetebat, & expectabat. Hieremiæ congruit Sanctus Iob, & lucidioribus ſymbolis idem de ſe teſtatur: Iob 31. *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè & lætatum eſt in abſcondito cor meum.* Cum Sanctus Iob mundanis ærumnis & vitæ tædio affligebatur vt conſolatione aliqua reſpiraret, minimè ſolem fulgentem & lunam clarè incedentem aſpiciebat, id eſt; mentis oculos in mundanæ proſperitatis lucem non iniiciebat. S Gregor. lib. 22. mor. c. 3. Nam vt ſcribit Sanctus Gregorius: *Sancti viri præ illius lucis internæ dulcedine ab hac exteriori animum luce quaſi à tenebris auertunt, multùmque ſecum intrinſecus contendunt, ne huius lucis, quæ fulget extrinſecus, delectatione rapiantur.*

Tertiò, nec ab amicis, qui prauis ſint moribus conſolationem iuſti captant, vt conſtat ex Sancto Iob, Iob c 2. cuius amici, *condixerant, vt pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur*, ſed de iſta eorum conſolatione quid ipſemet Iob pro- Iob cap 16. nuntiat, audiamus: *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis.* Ad quæ verba Gregorius optimè oſtendit: S. Gregor. lib 13 mor c. 1. Cur peccatores oneroſi conſolatores exiſtant: *Praui, inquit, cùm laborare bonos in aduerſitate conſpiciunt, in eo quòd illos conſolari appetunt, mala eis perſuadere conantur. Vnde non immeritò bonorum mentibus oneroſa fit eorum conſolatio; quia inter verba dulcedinis virus propinare cupiunt erroris, & dùm dictis lenibus dolores quaſi leuigant peccati onus imponere feſtinant.*

Quartò, nec ab amicis quidem qui iuſti ſint, conſolationem ſuſcipiunt. De hoc enim conſolationis genere intelligit Sanctus Auguſtinus Pſalm 76. illud Pſalmi, *renui, conſolari anima mea:* Nam ibi ſic habet: *Quò enim ſe verteret ad conſolationem, quem occupauerat tædium de peccatoribus relinquentibus legem Dei? Quo ſe verteret? Ad hominem Dei quemlibet? In multis iam fortè iſte expertus erat magnam tribulationem qui magis de illorum aliqua delectatione præſumpſerat. Videntur enim aliquando iuſti homines, & gaudetur ad eos, & neceſſe eſt, vt gaudeatur, quoniam charitas ſine gaudio tali eſſe non poteſt. In his autem in quibus gauiſus eſt homo, ſi fortè aliquid prauum contigerit, quomodo ſæpe contingit, quanta lætitia ibi erat, tantus mœror accedit: ita vt poſtea iam timeat homo laxare habenas gaudiorum, timeat ſe lætitiæ committere, ne quãtò magis lætatus fuerat, tantò amplius ſi aliquid contigerit contabeſcat. Percuſſus ergo ſcandalis abundãtibus quaſi multis vulneribus, clauſit contra ſe humanam conſolationẽ, & negauit conſolari animam ipſius.*

Quintò. Quid mirer ſi ſancti lugentes, nec iuſtorum ſemper admittant conſolationem, cùm & ipſos Angelos conſolatores renuant. Id conſtare videtur ex Maria Magdalena, quæ cùm ad monumentum fleret, Ioan. 20. *vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum.* Cur quæſo conuertitur retrorſum? Cur terga vertit coram Angelis? Cur tales aduerſatur conſolatores? Cur candidas, ac ſplendentes eorum veſtes non aſpicit? Cur blanda de ſuis lachrymis ipſorum verba non conſiderat? Reſpondit hic eleganter ad rem noſtram Origenes his verbis: *Maria doloribus confecta tota in exceſſu mentis poſita nullam recipit conſolationem, ad nullum tendit conſolatorem, ſed intra ſe cogitat, dicens: Proh dolor qualis eſt iſta conſolatio? Oneroſi ſunt mihi omnes conſolatores, grauant me, & non conſolantur. Ego autem quæro creatorem, & ideo mihi graue eſt ad videndum omnis creatura. Nolo Angelos videre nolo cum Angelis manere; quia poſſum dolorem augere, & non poſſum penitus delere.* Cum dolor & afflictio ex amore naſcatur, in ſola te amara conſolatio inuenitur.

CAPVT XII.

Quam magnæ ſapientiæ ſit in ſolo Deo conſolationem quærere.

CVm iuſti lugentes & in ſolo Deo, vt ſuprà oſtenſum eſt, conſolationem quærentes, beati dicuntur, abſque dubio ſapientes prædicantur: nam cùm eos qui lugent, & in mundo conſolationem non quærunt, mundus miſeros, ac inſipientes iudicet; Chriſtus cõtra, eos beatos, atque adeo ſapientes prædicat. Sicut Patres hoc loco annotant. Et quidem, multis nominibus ſapientes dicendi ſunt, qui non in creaturis, ſed in ſolo Deo cõſolationem quærunt. Primò, quia in ſolo magnam, & omnibus numeris perfectã cõſolationem lugentes inueniunt. Id docere voluit Paulus, cum Deo ſic gratias agit: 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Dicit quidem *totius*, id eſt, perfectæ conſolationis, vt Gloſſa exponit, & meritò, cùm totum idem ſit, ac perfectum, teſte Ariſtotele: totum autem & perfectum eſt id *cui nihil deeſt*, vt ipſe definit: at conſolationi diuinæ nihil omnino deeſt, atque adeo perfecta eſt. Eſſe autẽ perfectam, & omnibus numeris abſolutam Dei conſolationem, Gloſſa ita declarat: *Totius conſolationis,*

Digitized by Google

conſolationis, ideſt, perfecta; quia non minus eſt tribulatione ſolatium. Solatium enim Dei facilè pellit triſtitiam tribulationis; quia non minus, ſed maius eſt ipſa tribulatione,& triſtitia. Maius autem eſſe in ſe conſtat, quia ſolatium in ſe conuertit triſtitiam. Quando enim duo pugnant, id maius,& fortius eſt, quod alterum in ſe conuertit; vt cum vinum æqualem aquæ portionem in ſe commutat. Dei autem conſolatio vim habet conuertendi in ſe totam tribulationis triſtitiam, iuxta illud Ioannis, *triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Contra mundi gaudium non eſt perfectum, neque æquale triſtitiæ, atque adeo eam non poteſt è corde eliminare. Documento nobis ſit Aman, cuius triſtitiam ex leuiſſima cauſa obortam, tanta ad ſpeciem conſolatio ex immenſis diuitiis, honoribus, & potentia conflata delinire non potuit. Mundi quippe conſolatio, quantumuis magna videatur, leuem triſtitiam in ſe non poteſt conuertere, vt pote parua,& imperfecta.

Ioan. 16.

Deinde, ad hâc diuinæ conſolationis magnitudinem,& perfectionem oſtendendam, ſubiungit Paulus: *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.* Primum enim diuina conſolatio vniuerſalis eſt, ad omnem prorſus tribulationem ſe extendens: *In omni,* inquit, *tribulatione noſtra;* nullum enim genus triſtitiæ eſt, cui non facilè diuina conſolatio medeatur; quod mundanę cōſolationi minimè quadrat. Præterea tanta eſt hæc Dei conſolatio, vt non ſolùm lūgentis animum impleat: ſed ex ipſo etiam ad quamplurimos redundet: plenus ſibi, ſuperplenus aliis ideo ait; *vt poſſimus & ipſi conſolari eos, &c.* Sicut enim ſol, luna,& ſtellæ tantùm luminis acceperunt, vt non ſolùm ipſæ clariſſimè fulgeant, ſed aliis etiā rebus impertiant claritatem: ita iuſti lugentes tam abundè à Deo conſolantur, vt in alios lugētes ſuam & ipſi deriuent conſolationem. Vtrumque autem, ſcilicet, & quòd ipſi diuina conſolatione impleantur,& quod alij de plenitudine eorum accipiant, pulchrè admodum ſignificauit Spiritus ſanctus, vbi ſponſus ad ſponſam intempeſta nocte veniens, vt aperiat, rogat; Chriſtus ſcilicet animam in obſcura tribulationis nocte iacentem viſitans & eam conſolari deſiderans, vt omnes interpretes confitentur. Nunc autem quo argumento alliciat, vt ſibi ad penetralia cordis aditum præbeat, operæ pretium erit conſiderare: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Rore quidem cœleſtis conſolationis &c, ſuaui deuotionis ſtillicidio eam procul dubio implere deſiderat. Audi Gilibertum, qui ſic Chriſtum inducit loquentem ſponſum: *Aperi mihi, ſoror mea, inebriabo te guttis meis. Non accedo ſterilis, ſed madens ſuauiter, illabente rore gratiarum. Aperi mihi iam quaſi nouus accedo,& recenti rorans affectu: ros tibi fluet, & Deitatis mea inſtillabo arcana. Caput meum plenum eſt rore; ipſe eſt ros, ipſe illabitur animæ, & eius medullas irrigat.* Eodem ſpectauit Sanctus Ambroſius hunc ipſum locum tractans: *Sicut ros cœli nocturnas amouet ſiccitates: ità ros Domini noſtri Ieſu Chriſti nocturnis ſeculi tenebris æternæ vitæ ſtillauit humorem. Hoc igitur caput ſibi abundat, rorat aliis; & bene abundat caput Chriſti, qui plenus eſt, nec liberalitatibus exhauritur ſuis, aut diuturna deficit largitate.* Ros capitis

Cant. 5.

Gilibert. ſerm 43. in Cant.

S. Ambroſ. lib 2. de Virginib.

Chriſti nocturnam animæ amouet ſiccitatem, id eſt, tædium, ac mœſtitiam ex tribulatione ortam & cum caput plenum ſit, animæ ſinum facilè implet. At per huius capitis cincinnos rore plenos iuſti, ac ſancti viri intelliguntur. Ita Sanctus Paulinus. *Caput,* inquit, *Chriſti Deus, & crines eius electio ſanctorum in Chriſtò, quibus Pater gaudet in illo. Ros, vt ſcimus, non eſt imbris humor ſed refrigerij, quo reficiuntur arida ab æſtu diurno gramina.* Similiter interpretatur crines Gillibertus. *Caput meum,* inquit, *plenum eſt rore, eoque madent cincinni, qui adhærent illi, qui de ipſo per gratiam oriuntur, & ordinatione ſua, quaſi quidam diſtincti cincinni perſeuerant in eo.* Aptè quidem capillis Chriſti Sancti comparantur: nam vt benè Pannonius: ſicut capilli de capitis ſubſtantia non ſunt, de eius tamen virtute procedunt: ſic ſancti diuinitatis ſubſtantiam non hauriunt, virtutem tamen gratiæ à Chriſto accipiunt. De rore ergo capitis cincinni implentur,& inde ſtillicidia in corporis membra deriuātur; quia ſancti cœleſtis conſolationis rore à Chriſto abundant, vt vitalem humorem rorantes poſſint & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Vnde idem Gillibertus animam Chriſti ſponſam tribulationis ſiccitate aridam ibidem ſic monet: *Accede ſponſa ad hoc caput dilecti, & cincinnos eius; ſtringe rorantes crines, multum inde dulciſſimi liquoris elicies: pleni ſunt guttis noctis, guttis occultis, ſed non ignota dulcedine refrigerantibus.* Quis Ioannem & Paulum Apoſtolos, quis Euangeliſtas, quis Prophetas, atque Doctores madentes Chriſti cincinnos non dixerit, ex quibus ſponſa Chriſti anima dulciſſimum conſolationis rorem facilè poſſit exprimere.

S. Paulinus Epiſt. 4.

Gilibert. ſuprà.

Pannon. in cap. 1. Apoc.

Ad hæc, tanta eſt, ac tam perfecta Chriſti conſolatio, tam plenum eſt hoc ſuauiſſimo rore ipſius caput vt vel ſola eius memoria conſolationis ſuauitate anima perfundatur. Expertus hoc Regius vates dicebat: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.* Quem locum tractans Sanctus Gregorius ait: *Ac ſi apertè Propheta dicat: terrenarum rerum me nec abundantia refouet; auctoris autem mei, quem adhuc videre non valeo, vel ſola memoria delectat.* In quem ſenſum explicat ad hunc locum Hugo Cardin. illud Oſeæ: *Memoriale eius quaſi vinum libani,* vt memoria hominis iuſti quando Dei recordatur, ipſum conſoletur,& lætitia afficiat, non minùs, quàm vinum libani, id eſt, vinum conditum ſpeciebus aromaticis in libano naſcentibus. Sic enim accipit Gloſſa, cùm ait: *Vinum Libani poteſt dici diuerſis pigmentis conditum, vt ſuauem odorem emittat.* Chriſtus ergo in memoria iuſti lugentis exiſtens pro vino libani eſt, eius cor ſuauiſſima conſolatione fouens. Non abſimile huic eſt, quod myſticè de Chriſto quoque dicitur: *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris.* Nam cùm Ioſiæ nomen interpretetur *in quo eſt ſacrificium*, abſque dubio Chriſtum adumbrat, cuius memoria animum lugentis oblectat, ſicut thymiama ex ſuauiſſimis aromatibus compoſitum. Meritò Dauid qui in mundi bonis renuebat conſolari, pariter dicebat: *Memor fui Dei, & delectatus ſum,* vbi notanda eſt Auguſtini lectio, quæ ſic habet: memor fui Dei, & delectatus ſum, & garriui. Quaſi delectatio ante lugentis vſque ad cantum

Pſalm. 76.

S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 17.

Oſeæ 4.

2. Cor. 1.

Digitized by Google

tum ſimilem auium, ſiue garritum proceſſerit, garriendo videlicet, id eſt, crebrò, & ſuauiter Dei laudes canendo. Sicut enim Philomela poſt diuturnum, ac lugubre hyemis ſilentium, nouo veris tempore ineunte, continuis diebus, atque noctibus mille diſcrimina vocum ſuauiter garrit: Ita iuſtus per memoriam Dei luctu depoſito magna cordis lætitia Dei laudes ſemper canit. Sit ergo iuſtus Dei Philomena, (ſic Luſciniam nonnulli vocant, quamuis alij dicant Philomelam,) Philomena autem à *Philos*, hoc eſt amans, & à *Mene*, hoc eſt defectus, ſiue Luna dicitur, quia ardenter amat, & præ amore deficit: ſic qui Dei amore ardet, deficit ſuauiſſimo igne, quaſi abſumptus, nec delectationem, ac conſolationem à Deo infuſam poteſt ſuſtinere. Vnde conſentaneè Propheta poſtquam dixit: *Delectatus ſum & garriui*, addidit, *& defecit ſpiritus meus.* Verè Philomena, id eſt, amore deficiens, qualis erat ſponſa illa, quæ dicebat: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Loquitur Chriſtus, cùm deuotionem ei, & conſolationem infundit; tunc liqueſit, id eſt, amore deficit.

Cant. 5.

Meritò igitur magnæ ſapientiæ eſſe dicimus, vt lugentes in ſolo Deo conſolationem quærant, & conſentaneè condemnamus ſtultitiæ eos; qui luctus conſolationem à mundi bonis petendam eſſe iudicant. Audi Sanctum Gregorium contra hos ſententiam ferentem: *Scriptum*, inquit, *eſt: cor ſtultorum vbi lætitia:* & Iob, ait: *Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium: quia tantò veriùs ſtulti ſunt, quantò maiora perdentes in minimis lætantur.* Optima ſanè ratio, nam ſtultorum eſt in paruis gaudere, cùm magna amittunt; vt paſſim videmus in inſipientibus pueris, qui quo tempore patrem perdunt, pomo donati conſolantur: quibus certè ſimiles ſunt peccatores, ſiquidem parentem Deum, & æternam eius hæreditatem perdentes, puerilibus mundi munuſculis deliniti lætantur. Reliquum eſt, vt magnô & ſapienti animo hanc ſtultorum conſolationem reſpuentes dicamus cum Regio vate, *Pars mea Deus in æternum.* Aptè S. Hieronymus, ſcripſit: *Dedignamur cum his tranſitoriis fieri pars: nimis auarus eſt, cui non ſufficit Deus.* Sed hanc partem à Dauide optatam eleganter, & piè expendit Gilibertus. *Si hanc partem*, (inquit,) *Perdidero, inanis, & vacuus remanebo, quaſi terra ſitiens, & quaſi vas perditum: & ita vacuo vaſi tuæ plenitudinis portionem infunde. Quid parcis torrenti voluptatis? Heu quaſi raptim tranſit torrens iſte in noſtris conuallibus; ſed trahunt me poſt ſe in æternum deſiderium deliciæ impertitæ.*

S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 17.
Pſalm. 72.
Gilibert. ad c. 2. Cant.

Capvt XIII.

Deus iuſtos lugentes ſpe æternæ beatitudinis mirificè conſolatur.

Cvm Chriſtus Dominus lugentibus conſolationem promittit non tantùm de futura; ſed de præſenti etiam conſolatione quam per ſpem ſuis concedit, intelligenda eſt eius promiſſio: Sicut enim iuſtos in futura vita per præſentis beatitudinis poſſeſſionem perfectiſſimè conſolatur. Ita in hoc ſæculo per ſpem eiuſdem beatitudinis eos ſuauiſſima conſolatione recreat. Sicut enim triſtes amæno & ſpatioſo camporum, vel pulchrarum rerum proſpectu recreantur, & animum erigunt. Ita qui virtutis gratiâ ærumnis afflicti lugent, cùm per ſpem æternæ beatitudinis pratu contemplantur, animum cœleſti conſolatione mirificè leuant. Ad illuſtrandum hoc aptè quadrat collatio ſpei cum lapide pretioſô, qua vtitur Sanctus Bonauentura: *Spes,* (inquit) *eſt ſicut margarita, vel gemma: nam ſicut gemma eſt perlucida; ſic ſpes eſt quodammodo diaphana; quia per eam videntur, & ſperantur loca cæleſtia. De ipſa dicitur, gemma gratiſſima expectatio præſtolantis.* Sicut ergo olim ſolemne fuit per lapides pretioſos perlucidos & grati coloris alia ſpectare; tradit enim Sanctus Iſidorus Neronem gladiatorum pugnas interpoſito virenti Smaragdo ſpectare ſolitum, ex quo fiebat, vt cuncta eodem colore imbuta oculis ſeſe offerrent, & iucundius ſpectaculum redderetur: Ita ſpes inſtar eſt lapidis pretioſi, pulchri, & perlucentis, qui obiectus oculis æterna bona pulcherrima oſtendit, & cor ingenti lætitia afficit. Hanc expoſitionem confirmat multorum lectio, qui ex Hebræo vertunt. *Lapis gratiæ munus oculis Domini eius.* Et Caietanus, *Sic lapis gratiæ munus in oculis Domini eius; quocumque ſe verterit intelligere faciet eum.* Hoc videmus, maximè in martyribus, quibus acerbiſſima martyria ſpectacula erant iucundiſſima, quia per interpoſitum ſpei Smaragdum illa contemplabantur. Vnde Sapientia de ipſis martyribus dicit: *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt,* id eſt, benè tincta ſeu imbuta viridi immortalitatis colore, quo viridia etiam gratique proſpectus ipſa tormenta redduntur. Omnes ſimiliter iuſti, cùm per ſpei Smaragdum temporalia mala, ærumnaſque vitæ huius contemplantur, quaſi viridia hoc eſt, facilia; & leuia redduntur, ſi cum bonis ſperatis comparantur. Audi Sanctum Gregorium dicentem: *Electi quique dum mundi huius aduerſa patiuntur, cum inhoneſtates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, eſſe grauia, quibus exercentur, penſant; ſed cùm mentis oculum ad æterna patria conſiderationem tendunt, ex comparatione premij, quam ſit leue, quod patiuntur, inueniunt.* En quam optimo iure dictum eſt de ſpe à Salomone iuxta relatam verſionem: *Lapis gratiæ munus in oculis Domini: quocumque ſe verterit intelligere faciet eum.* Nam cum homo ſe vertit ad ea, quæ maiorem in modum in vita ſunt terribilia, contumelias, rerum damna, & corporis cruciatus, eaque per interpoſitum ſpei Smaragdum contemplatur, prudenter intelligit, *Quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Ex quo fit, vt facilè quæuis aduerſa mala tolerentur. Vnde Sanctus Gregorius, de Apoſtolo Paulo eleganter dixit: *Sed quomodo remunerationis linteo ſudores tanti laboris tergat, ipſe denuntiat,* dicens: *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c.* Deus ergo electis ſuis lugentibus ſpem dedit tanquam Smaragdum, quo iucundè vitæ mala intuerentur, & velut linteum, quo ſudores laboris, & lachrymas triſtitiæ abſtergerent.

S. Bonau. in dict. ſalut tit 5. c. 4.
Prouerb. 17.
S. Iſidor. lib. 16. Ethimol. cap 7.
Sap. 3.
S. Gregor. lib. 8 mor. cap. 7.
Ad Rom. 8.
S. Gregor.

Digitized by Google

Dedit etiam ipſis ſpem tanquam baculum conſolationis,quo in ærumnoſo vitæ huius itinere vacillantem animum ſuſtentarent. Quod
Exod. 12. ſignificatum typicè eſt in Exodo, vbi filiis Iſraël de Ægypto excedentibus,& in terram promiſſionis properantibus, præcepit Deus, vt vnuſquiſque baculum manibus teneret, id eſt,
S.Gregor. Nyſſen in vita Moſis. ſpei conſolatione aduerſùs viæ moleſtias,id eſt, vitæ ærumnas firmaretur. Ita Symbolum hoc intellexit S. Gregorius Nyſſenus: *Baculus,* inquit, *quo & feras repellimus,& nonnunquam ſuſtentamur, ſpes eſt. Hac enim ſola inducimur, vt labores ſimul,& dolores ſufferamus;hac feſſos animos recreemus.*

Neque ſolùm vt baculus in terra, ſed etiam pro anchora conſolationis in mari nobis eſt ſpes. Quoniam enim amariſſimum vitæ huius mare ſulcamus,ne triſtitiæ,& lachrymarum fluctibus obrueremur firmiſſimum ſolatium ſpei, tanquam tutiſſimum anchoræ ſubſidium, nobis
Hebr. 6. à Deo oblatum eſt. Sic enim docet Paulus: *Firmiſſimum*, inquit, *ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam & incedentem,vſque ad interiora velaminis.*Quæ verba optimè expendit S.Auguſtinus,inquiens:
S Auguſt. in Pſal.64. *Spem iam in terram Sanctam quaſi anchoram præmiſimus ne in iſto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergo de naui,quæ in anchoris eſt,rectè dicemus, quod iam in terra ſit, adhuc quidem fluctuat, ſed in terra quadam educta eſt contra ventos,& tempeſtates: ſic contra tentationes huius peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in illa ciuitate Hieruſalem facit nos modò non arripi in ſaxa.* Vt ergo fluctuantium anchora, ſic lugentium ſpes vnicum eſt ſolamen, & quidem firmiſſimum, quod nimirum nulli triſtitiæ fluctus poſſint diſrumpere. Quod attentè
Habacuc. 6. annotauit Hugo Cardinalis, dicens: *Nota quod dicit fortiſſimum ſolatium habeamus,qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem. Si enim tenuerimus ſpem nobis oblatam à Deo, inueniemus ſolatium in tribulationibus,refugium in tentationibus.* Subinde oſtendit cur ſolatium ex ſpe diuina ortum dicatur fortiſſimum, inquiens: *Solatium autem diuinum dicitur fortiſſimum, quia fortiſſimos milites facit; ad differentiam ſolatii mundani,quod debiles,& effœminatos reddit.* Adiungit egregiam aliam rationem,his verbis: *Solatium Dei fortiſſimum eſt, quod habetur per ſpem, quia qui ſperat, non ſolùm vincit fortiter aduerſa, ſed etiam ſolatium ſuum, & gaudium habet in aduerſis. Vnde dicitur:non ſolùm autem*
Rom. 5 *ſperamus, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Ideò qui ſperat, gaudium ſuum in tribulatione habet,nec à triſtitia tribulationis tangitur; quia ſpes, qua munitus eſt, participatio quædam eſt cœleſtis beatitudinis. Ob hanc participationem
ſuprà. Sanctus Auguſtinus, dixit: *Spem iam in terram Sanctam quaſi anchoram præmiſimus.*Et Sanctus Chryſoſtomus ad hunc locum Pauli, ait: *Per ſpem iam in cœlo ſum*,quia nimirum participatio quædam eſt cœleſtis beatitudinis. Sicut ergo beatus, quia beatitudinis poſſeſſione armatus eſt, ita impoſſibilis redditur, vt nec ab igne, nec à gladio, nec ab vlla re alia lædi vllo modo poſſit: ſimiliter modò per ſpem, quia participatio eſt beatitudinis, ita homo munitur, vt in media tribulatione à triſtitia tribulationis non tangatur, ſed quodammodo impaſſibilis redditus, ſuum gaudium in tribulatione habeat. Huius rei nobis Sancti Martyres documento ſint, de quibus dicitur: *Non tanget illos tormentum mortis*, id eſt, non tanget illos intima & maxima Sap. 3.
mortis triſtitia. Nam vt S.Bernardus dixit: *Triplex eſt mortis tormentum: dolor in exitu, horror in tranſitu,pudor in conſpectu gloriæ Domini.*Cùm autem mors omnes tangat; hoc tamen tantæ triſtitiæ tormentum tangit tantummodo malos. Vnde hoc iuſtorum tam ingens bonum? Quid illud eſt, quod in morte ipſa ſic impaſſibilem reddit iuſtum, vt à tanto triſtitiæ tormento non tangatur? Profectò ſpes beatitudinis æternæ particeps. Quamobrem ſuprà à Sapiente ſubiungitur: *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.* Quia ergo Sanctorum Martyrum, & omnium electorum ſpes tantum guſtum beatitudinis æternæ participat,vt immortalitate plena ſit, inde eſt,vt ipſos Sanctos quaſi impaſſibiles, & extremæ triſtitiæ reddat immunes; rumpendo videlicet triplicem illum funiculum, quo mors homines conſtringit,id eſt,tormentum triplex,quod Sanctos non attingit. Quod S. Gregorius confirmat ex illa Prouerbiorum ſententia: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.* Et ſubiungit: *Quia enim recti quique in alto intentionis ſuæ vertice ſibi ſunt, dum mortem moriendo, non ſentiunt,miro modo eos reproborum iacula, & feriunt,& non contingunt.* Quis verò ſit altus iſte intentionis vertex, cui tribuitur mortem moriendo non ſentire,paulò ante declarauerat Sanctus Doctor, qui de Paulo vinculis conſtricto, ait: *Exterius tunc catena eum religabat, mente tamen in ſublimibus poſitus fuerat, quia iam per ſpei ſuæ certitudinem in cœleſtibus ſedebat.* Qui ad hunc cœleſtis ſpei verticem ſublati ſunt, moriendo mortem non ſentiunt; quia eorum animum iacula triſtitiæ non attingunt. Opportunè S. Chryſoſtomus, iuſtum cum cœlo componens, ait: *Cælum altius eſt imbribus, ac pluuiis: cœlum quidem cum nubibus obducitur, pati putatur, ſed nihil patitur: ſic & nos etiam ſi putamur pati,nihil patimur, id eſt, triſtitia quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur.*

S.Bern. in medit.

S. Gregor. lib. 6. mor. cap. 8.

Prouerb. 12.

S. Chryſoſt. hom. 15. in Ep. ad Heb.

Alia quoque ratione explicari poteſt præfata Hugonis ratio, vt videlicet, ideò dicatur fortiſſimum ſolatium ſpei, ſiue ſpes fortiſſima ad conſolandum, quia ex ipſa triſtitia & lachrymis conſolationem elicit, & quaſi exprimit,vt homo ſugat mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Id mihi ſignificaſſe videtur S.Gregor.Nyſſenus obſcuris quibuſdam verbis, quæ huiuſmodi ſunt: *Hac de cauſa triſtem hanc lachrymarum affectionem in natura inſtituit Deus, vt eſſet viaticum bonorum, quæ ſperantur participationis.* Non abſurdè lachrymæ ideò dicuntur viaticum participationis bonorum,quæ ſperantur; quia ipſa ſpes ex lachrymis elicit conſolationem, quæ eſt participata quædam deriuatio æternorum bonorum: nec enim aliter lachrymæ poſſunt eſſe viaticum, quo nomine ſignificatur, quidquid iter agendi cauſa neceſſarium eſt, ſiue cibus ſit,ſiue pecunia ad victum expendenda. Propterea triſtitia ſecundum Deum ſolatij mater dicitur, quæ certè gaudium pariet, ſi iuxta ſpem obſtetricem habuerit. Et quidem piam triſtitiam ſolatij matrem eſſe, Chryſoſtomus,

S.Greg. Nyſſen. orat. de dormientibus.

Digitized by Google

S Chryſoſt. hom. 65. ad Pop.

mus, ſic aſſerit: *Triſtemur potiùs triſtitia gaudij genitrice, lachrymas fundamus, multam ſeminantes voluptatem.* Triſtitia certè ex virtute ſuſcepta obſtetricante ſpe ſemper gaudium parit.

DE LEGE GRATIÆ, LIBER QVARTVS.

Capvt Primvm.

Famem humani cordis bona dumtaxat virtutis poſſunt ſatiare.

ALTERAM iam Beatitudinum claſſem attingimus, quibus proficientes percurrent ad perfectionis montem per virtutum opera in quibus miſericordia præſtat, & ad ea ardens impellit perfectionis deſiderium. Quod ſic commendauit Dominus: *Beati qui eſuriunt, iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Maximum profectò Chriſtus Dominus præmium pollicetur. Id ſanè quod cuncta mundi bona præſtare nequeunt, perfectam videlicet cordis ſaturitatem. Nam qui non eſuriunt, & ſitiunt, id eſt, amant iuſtitiam, nunquam ſaturabuntur, quantumuis animi ſinum cunctis mundi bonis onerent, atque repleant. Sapienter enim S. Bernardus, dixit: *Magis famem hac prouocant, quam extingunt: panis namque animæ iuſtitia eſt, & ſoli Beati, qui eſuriunt illum, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nullum autem mundi cibum poſſe famem humani cordis ſatiare, ita ſubinde teſtatur: *Cæterùm nec amator pecuniæ dicet aliquando ſufficit: nec libidinoſus ſatiabitur voluptate: ſic & crudelis quiſque ſemper ſanguinem ſitit: & ambitioſus, aut cupidus laudis humanæ, adeptis dignitatum titulis, ſeu fauoribus nullum exinde capit omninò remedium, ſed deſiderio æſtuat ampliori.* Hi ſunt cibi omnes, ad ſpeciem quidem ſuauiſſimi, quos mundi menſa oſtentat; nullus tamen eorum animi famem vnquam ſatiabit. Cuius congruam inſinuat rationem, idem Bernardus: *Ita fit, inquit, vt per varia, & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus, inani labore diſcurrens fatigetur, non ſatietur, dum quidquid famelicus ingluuierit, parum reputet ad id, quod ſupereſt deuorandum: ſemperque non minus anxiè cupiat, quæ deſunt, quàm quæ adſunt latè poſſideat.* Aliam rationem accipe. Is cibus poteſt ſatiare cor, qui eſt in corde; nam qui eſt in penuario minimè ſatiabit famelicum: At cuncta mundi bona extra cor ſunt. Ita ratiocinatur Sanctus Auguſtinus, ad illa verba Pſalmi: *Edent pauperes & ſaturabuntur,* vbi ſic habet: *Dominus eſt diuitiæ pauperum, ideò inanis eſt domus, vt cor plenum diuitiis ſit. Diuites quærant, vnde arcam impleant, & pauperes quærant, vnde cor impleant: & videte fratres, qui verè pauperes ſunt, cuius rei diuites ſint, quia in arca, non in horreo; viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.* Cùm homo ex cibo viuat, ideò pauperum corda viuent in ſæculum ſæculi, quia in ſe cibum in perpetuum ſatiantem habent; peccatorum verò corda minimè poſſunt ſatiari, & viuere, quia non in ſe, ſed in arca ſua habent bona.

S. Bern. ſuper Ecce nos reliquimus omnia.

S Bern. tract de diligend. Deû.

Pſal. 21.

Si rurſum quæras cur mundi bona non poſſint ſatiare animam? Sanctus item Bernardus hanc quoque rationem offert: *Quia ſunt naturales cibi animæ.* Satietur talpa terra, Chamæleo aëre, piſcis aqua, Salamandra igne, ſi fortè ſint ipſis natiua nutrimenta; cætera quidem animalia hiſce rebus minimè paſcuntur; quia non ſunt eorum naturales cibi. Similiter anima rationalis, cui bonum ſecundum rationem ſolus cibus eſt naturalis, ſolo eo ſatiari poteſt; at diuitiis, honoribus, & voluptatibus expleri non poterit; quia non ſunt eius naturales cibi. Quamobrem Dauid, qui his rebus, quippè Rex affatim abundauit, huiuſmodi ciborum inanitatem expertus clamabat: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quid mirum, ſi id animæ contingat, cum corporeis quoque ſenſibus vſu veniat. Audi Eccleſiaſtem: *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris impletur auditu.* A minori ad maius probat Salomon non poſſe cor hominis mundanis bonis expleri: nam ſi exigua ſenſuum vaſcula mundali aqua impleri non poſſunt, quî poterit cor infinitæ capacitatis vas? Sic intellexit hunc locum Hugo Cardinalis, cùm dixit: *Ideò non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur; quia affectus hominis maius quid, quam ſit mundus, deſiderat. Capax enim Dei eſt, nec minus ei ſufficit.* Ac ſi diceret: corporei ſenſus naturam animi æmulantes nullis pulchritudinibus, & concentibus exaturari queunt. Cum ergo corporis ſenſus conuenientibus ſibi, & naturalibus cibis ſaturari non poſſit, quis miretur, non poſſe animum bonis illis expleri, quæ non ei ſunt naturales cibi? Vnde Sanctus Bernardus, dixit: *Non magis inſaniet, qui corpus vento, quam qui putet ſpiritum rationalem rebus poſſe corporalibus ſatiari, & non eo ſolum, qui replet in bonis deſiderium, vt docet Dauid.* Bona quidem temporalia, quia non ſunt animæ naturales cibi, nullam habent cum ea proportionem, ſeu conuenientiam; ex quo fit, vt eam non poſſint explere. Sicut enim Sapientia non poteſt implere arcam, quia nullam cum ea habet analogiam: Ita aurum non poteſt explere cor.

S. Bernard. tract. de diligend. Deû.

Eccleſ. 1. 8.

S Bernard. tract. de diligend. Deû. cap 2.

Pſalm. 102.

Adiunge dictis, & hanc rationem. Quilibet cibus temporalis boni nouam famem ingerit, quia nouam indigentiam homini adducit; quæ ſanè fames quædam eſt: at cibus, qui nouam famem ingerit, minimè poteſt ſatiare. Documento tibi ſint diuitiæ, quas ſi congeſſeris, indigebis ſeruis, cuſtodibus, & rebus plurimis, qui timorem arceant perdendi eas opes. Ideò Salomon dixit: *Vbi multa ſunt opes, multi, & qui comedunt eas.*

Eccleſ. 5.

Cùm autem mundi bona cor hominis ſatiare non poſſint, fit vt abſentia vehementer deſiderentur; præſentia verò ab expertis vehementius contemnantur. Quod prudenter animaduertit Sanctus Proſper, cùm ait: *Inter temporalia & æterna hoc intereſt, quod temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur: vileſcit autem cum aduenit: non enim ſatiat animam, niſi incorruptibilis gaudij vera & certa æternitas. Æternum verò ardentius diligitur adeptum,* quam

S. Proſper. lib. ſent. ex Aug.

Digitized by Google

quam deſideratum: nemo enim plus de illo exiſtimat quam qui habet, nec fiat vilius, quia ſperatum eſt amplius. Sed tanta ibi eſt excellentia, vt multò plus adepta ſit charitas, quam vel fides credit, vel ſpes deſiderat. Ideò ergo vileſcunt animo adepta mundi bona, quia, quam ex ipſis opinione conceptam ſperabat ſaturitatem, minimè
2. Reg. 13. inuenit. Fame fruendæ Thamaris tabeſcebat Amnon: Sperabat mira illa ſpecie vndequaque animum, atque corpus explere, ſed experientia deluſus, adeò doluit, adeo bonum illud viluit, vt dicat ſcriptura: *Et exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis, ita vt maius eſſet odium; quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* Mira eſt ergo hominum ſtultitia, qui frequenti experimento prudentiam non ediſcunt, & ſimilem in rebus omnibus fallacem ſaturitatis promiſſionem eſſe non credunt, cum ſit in omnibus eadem mentiendi, atque fallendi cauſa.

Capvt II.

Diligentiſſimè in virtutis incrementum incumbendum eſt.

DEſideria virtutis, fameſque iuſtitiæ ad eius dirigitur incrementum, & profectum. Quapropter ij Beati à Chriſto prædicantur, qui eſurientium inſtar, & ſitientium auidè cibum, & potum, ita ipſi diligenter iuſtitiam, id eſt, vniuerſam virtutem ſemper quærunt, & eam quotidie augere enixè ſatagunt. Ita Sanctus Hieronymus explicat hunc locum: *Non*, inquit, *nobis ſufficit, velle iuſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famem, vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus.* Id ergo nobis commendatur hoc loco, quod in Apo-
Apoc 27. calypſi omnibus mandatur, illis verbis: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc.* In hoc iuſtorum caput nobis proponitur exemplum quod imitari debeamus.
S. Bern. Epiſt. 253. Pſal. 18. Audi Sanctum Bernardum: *Ipſe Dominus quandiu in terra viſus eſt, nõn ſtetit, ſed pertranſiit benefaciendo. Pertranſiit ſicut non infructuosè, ita non remiſsè, non pigrè, non lento gradu, ſed exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi.* Tunc Chriſtum currentem ſequimur, & conſequimur, cum in virtutem per ardua quaſi currentem indefeſsè, ſequentes currimus, & auidè apprehendimus, Is honeſtiſſimus curſus eleganti Symbolo deſcriptus eſt à Canallio Camillio in inſigni Caroli Antonij Gandulphi, vbi depinxit ceruam fugientem per viâs aſperas & difficyles ad montes, & duos canes eam inſequentes quorum alter albus, & alter niger, cum hiſce verbis, *Donec capiam.* Quo ſignificat hominem, qui demonſtrat, ſe velle perſequi virtutem quoad eam obtinere poſſit. Cerua enim ſignificat virtutem, quæ videtur fugere per locâ ardua: Duo canes ſignificant duos ipſius hominis appetitus, iraſcibilem ſcilicet, & concupiſcibilem, quibus rationi ſubiectis, homo virtutem adipiſcitur. Hos venatores ſe pro pulcherrima cerua fatigantes adhortatur Pau-
1. Cor 9. lus, illis verbis, *Sic currite, vt comprehendatis.* Sed memorare iuuat ſtrenuum ipſum venato-
rem acriter & alacriter currentem, qui ait: *Se-* Philip 3.
quor autem ſi quomodo comprehendam, vbi Gloſſa ait: *Sequitur non paſſibus corporis, ſed mentis affectibus.* Affectus famis, & affectus ſitis duo canes ſunt quibus ceruam inſequebatur, ſubiungit Paulus: *Vnum autem quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor.* Hoc eſt, vnum autem perſequor, & id quidem hoc modo: quæ retro ſunt, obliuiſcor, tum bona opera, quæ non recolo ad præſumendum, tum mala tranſacta, quæ non recogito ad delectandum, tum bona temporalia, quæ non curo ad poſſidendum, nec poſſideo ad amandum; ſed more venatoris currentis, ſiue venatici canis, ad anteriora extendo me ipſum, vt deſtinatum perfectæ virtutis bonum comprehendam.

Hunc iuſtorum curſum ad conſequendam perfectam virtutem cum curſu ſolis, ſiue lucis
compoſuit Sapiens: *Iuſtorum*, inquit, *ſemita* Prouerb. 4.
quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectum diem. Vbi optimè Hugo Cardinalis, ait: *Iuſtorum vita dicitur ſemita propter tria; ſcilicet munditiam, breuitatem, rectitudinem. Hæc ſemita à nocte peccati incipit & per lucem gratiæ tenditur, & in die gloriæ terminatur.* Vnde in Canticis dicitur: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.* Iuſtus ergo pulſis peccati tenebris, & ſuſceptis auroræ radiis, id eſt, diuinæ gratiæ ſplendore lucens, perpetuo eiuſdem lucis incremento procedit vſque ad perfectam luminis gloriæ diem. In qua ſponſus inuenitur cubans in meridie. Impenſe quidem ille errat, qui exiguo virtutis lumine contentus, ad maiorem comparandam lucem procedere non curat. Hi ſtultum fatuarum Virginum conſi-
lium ſequentes merito reprehenduntur à Sal- Saluian. lib. 1. ad Eccleſ. Cathol.
uiano, his verbis: *Emicuiſſe in eis quiddam luminis puto, cum & ipſæ extinguendas forte lampadas formidauerint: habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui. Ex quo intelligimus id quod parum eſt, quaſi nihil eſſe: quia nequaquam omninò prodeſt illico extinguendum lumen accendi, nec iuuat aliquid illuceſcere, quod in ipſo ortu habeat occaſum, & ad hoc tantummodò habere initium viuentis, vt poſſit finem habere morientis.* Audiant hoc innumeri fideles qui ieiunio, & piis operibus, & Sacramentali confeſſione in maiori Quadrageſimæ hebdomada, quaſi infundentes oleum, conſcientiæ lampada exornant, & gratiæ lumen accedunt vſque ad primum diem Paſchæ duraturum: hi plane cum fatuis Virginibus à cœleſtis ſponſi nuptiis excludentur. At iuſtorum lux magis ac magis ſemper clareſcit, & vſque ad perfectum æterni fulgoris diem non deſinit augeri.

In quo iuſti cygnum imitantur, qui quo ma-
gis ſeneſcit, & dulcius canit, vt tradit Valeria- Valerian.
nus. Similes ſunt etiam palmæ, quæ ſola inter lib. 23.
omnes arbores, quo magis ſurſum tollitur, eo amplior, & robuſtior inuenitur cum cæteræ arbores iuxta ſtirpem ſint ampliores, & deinceps graciliores excreſcant. Quamobrem in Canticis animæ iuſtæ dicitur: *Statura tua aſſimilata*
eſt palma. Vbi Sanctus Gregorius, ſic ſcribit: Cant. 7.
Palma quippè dum deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur: ſic ſancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad maiora creſcendo

vſque

vſque ad amplitudinem perfectæ charitatis peruenit. Sic autem iuſtorum virtus paulatim amplificari debet, & in bona opera extendi, vt vnumquodque bonum opus vim habeat producendi aliud, quo fiet vt virtutis propagatio non intermittatur. Ad confirmandum hoc acutè Origenes traxit allegoriam illorum verborum quæ Deus dixit: *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Nam per arbores homines, per poma, ſiue fructus bona opera intelligens, ait: *Non ſolum iubet Deus lignum fructiferum, ſed & faciens ſemen, cuius ſemen in ipſo ſit, vt ſemper ex iis ſeminibus, quæ in ſe habet, fructum poſſit afferre: & nos ergo ita debemus, & proferre fructum, & ſemina habere in nobis ipſis, futurorum fructuum, quæ ſunt bona opera.* Sicut ergo arbor ita edit fructum, vt in ipſo pariter includat ſemen futurorum fructuum, quibus virtus arboris perpetuò propagatur: ita nos non ſolùm boni operis fructum debemus efferre, ſed ipſi operi alterius boni operis ſemen conferre, vt ſic bonorum operum ſeries & conſequutio perpetuò diducatur. Si verò quæras, quod nam ſit illud, quod in bono opere conſtitutum, ſemen eſt alteriùs operis? Reſpondeo eſſe operandi feruorem, quem Chriſtus famem, ſitimque iuſtitiæ appellauit: nam qui abſque feruore ſpiritus, ac tepide, & ab alio coactus bene operatur, non in ſe ipſo, ſed in alio eſt bene operandi ſemen; qui autem feruidè opus bonum efficit, in ipſo inſerit quandam aliorum operum quaſi ſeminalem facultatem. His quadrat illud: *Ardet ad æthera virtus.* Ex his erat Dauid, de quo dicitur: *Dauid proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior; domus autem Saul decreſcens quotidie.* Iuſti ſimiliter quotidie proficientes & robuſtiores: quia indies orationi ieiunium, ieiunio eleemoſynam, eleemoſynæ opera iuſtitiæ adiungunt: Peccatores verò hæc opera ſemper omittunt. Hoc quidem iuſtorum inſtitutum mirè elucet in Maria Magdalenæ, quæ quotidie proficiens, & ſe ipſa robuſtior in Euangelio inuenitur. Bis enim effudit pretioſum vnguentum ſuper Chriſti corpus; primo in domo Phariſæi, ſecundo cum iam eſſet proximus paſſioni.] Et licet prima vnguenti effuſio, ſatis liberalis fuerit; Secunda tamen multo fuit liberalior, & perfectior, quæ ſecundum Matthæum. *Fuit nardi piſtici pretioſi*, adeò pretioſi, vt diſcipuli pluſquam trecentis denariis vendi poſſe exiſtimauerint; erat enim tanta ſuauitate fragrans, vt domus tota eius odore impleretur. Ad hæc primum vnguentum ſuper pedes; ſecundum ſuper caput effudit: primum integro manente vaſculo; ſecundum fracto alabaſtro. Ecce quam ſe ipſa robuſtior, Maria quotidie proficiebat, & non ſolum operum quantitate ſed etiam qualitate augebatur.

Origen. hom. 1. in cap. 1. Geneſ.

2. Reg.

Matth. 26.

Ioann 12.

CAPVT III.

Maxima laus & gloria auidè ſtudium proficiendi arripere & fame augendæ virtutis laborare.

CHriſtus Dominus eſurientes, & ſitientes iuſtitiam beatos, & interna, atque æterna ſaturitate donandos prædicat; quia hi præcipua laude, & glorioſa prædicatione ſunt digni, qui quod à Deo acceperunt bonum, iugi incremento amplificare ſtudent: nam fames & ſitis iuſtitiæ vehemens deſiderium, & ſtudium proficiendi in virtutibus ſignificat, vt ſuperiori capite ex Hieronymo vidimus? Ob hanc autem famem maximè laudabiles eſſe homines, id in primis oſtendit, quod ad tertium Geneſis caput Sacri interpretes diſputant: cur nimirum Deus hominem creaturarum primatem & mundi Regem in exordio creationis non laudauerit, cum cæteras inferiores creaturas tunc temporis laude ſua exornauerit? Singulas enim creaturas recens natas ſigillatim laudabat, illis verbis: *Vidit Deus quod eſſet bonum*; hominem verò qui flos eſt naturæ, nulla laude decorauit. Cur ergo Deus veſtigia pedum ſuorum laude digna ducit; opus verò manuum, imò oris, vt dixit Tertullianus, & pulcherrimam ſui ipſius imaginem laude non dignatur? Rationem reddunt interpretes huiuſmodi; inferiores creaturæ totam naturæ ſuæ perfectionem ſimul acceperunt, nec reſtat bonorum acceſſio quam labore ſuo poſſint adquirere: Cœlum enim & aſtra, terra, & reliqua elementa; lapides pretioſi, metalla, & animalia, vniuerſam naturæ ſuæ perfectionem in creatione acceperunt, quæ meritò in principio à Deo laudata eſt; quia non erat futurum, vt ad aliud perfectionis augmentum procederent. At homo in prima conditione nobiliſſimus, & perfectiſſimus à Deo factus eſt: Ita tamen, vt ad ampliorem virtutis ingenitæ perfectionem, & poſſet, & deberet quotidie progredi, ex quo quia pendebat eius laus, hæc iure optimo non in principio datur, ſed in finem differtur; tunc enim conſtabit verum in virtute profecerit, pariterque liquebit, an dignus ſit laude. Nemo enim laudari, adeò meretur, quod ingenti aliquo bono gratis ſit donatus, ſicut qui proprio labore, & induſtria donum egregiis acceſſionibus amplificauerit.

Et quidem nemo meritò laudabitur, quod locupletem à parentibus hæreditatem ſuſceperit; ſed quod eam proprio labore, & induſtria ampliorem reddiderit. Ita homo non laude dignus iudicatur quod pretioſiſſima Dei parentis imagine ſit ditatus. Sed quia eam multiplici ſpiritualium opum incremento cumulauit. Is enim filius Sapiens eſt; qui bona à patre relicta non ſolum ſeruat, ſed magnis acceſſionibus exaggerat. Hoc titulo à Patriarcha Iacob filius Ioſeph laudatur, cum dixit: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* vbi benè Lyra: *Duplicatur hic vox accreſcens, quia notabiliter præ cæteris fratribus creuit in bonis ſpiritualibus, & temporalibus.* Optimè etiam Hugo Cardinalis, ait: *Filius per amorem; accreſcens per operationem.* Rupertus planius ad rem noſtram: *Filius accreſcens Ioſeph, ſubauditur effectu: creuit enim in terra paupertatis ſuæ, & magnus vehementer eſt effectus.* Sanctus Hieronymus, ſic legit: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens ſuper fontem.* Nam vt arbor iuxta fontem plantata, & facilè excreſcit, & vberrimum effert fructum: Ita Ioſeph copioſiſſimis bonorum operum fructibus in dies augebatur. Huc ſpectat lectio Lypomani ex Hebræo, quæ ſic habet: *Filius fructifer Ioſeph iuxta fontem.* Similiter Chaldaica legit:

Gen. 49.

Hugo. Card.

S. Hieron. in qu. Heb.

Digitized by Google

legit: *Filius accreſcens Ioſeph, filius qui benedicetur, quaſi vitis quæ plantata eſt iuxta fontem aquarum.* Hebræi autem, vt refert Lypomanus, ſic legunt: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, pluſquam fons*, vt verſio illa, *ſuper fontem*, comparatiuè ſit accipienda. Sicut enim fons in ortu inops, & per modicos riuulos diffluens, ſic frequentibus aliorum riuulorum, & pluuialium aquarum acceſſionibus excreſcit, vt in maximum fluuium euadat: Ita accidet Ioſeph. Sicut ergo Ioſeph ſingulariter à Patre laudatur quod præfatis modis accreuerit: Ita illi digni ſunt laude qui eſurientes & ſitientes iuſtitiam, ſimiliter augentur. Quoniam videlicet filij ſint iterum, atque iterum ſpiritualibus opibus accreſcentes. (Pſalm. 1.) *Sunt tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Vel tanquam ea vitis, de qua Regius vates agens de vinea Eccleſiæ, ait: (Pſal. 79.) *Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius Cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius,* vbi Caſſiodorus: *Vites*, inquit, *quæ arbores aſcendunt, arbuſta nominantur.* Per cedros Dei, id eſt, excelſas. S. Auguſtinus potentes, & ſuperbos intelligit. Illæ ergo vites in vinea Eccleſiæ laudantur quæ altitudine vitæ operiunt, & obſcurant eos, qui in ſæculo maximè beati putantur: & palmites virtutum, ac propagines bonorum operum vſque ad mare, id eſt, immenſo protendunt incremento. Sed harum vitium, vel illarum arborum fructuoſus & indefeſſus profectus potiſſimè ſignificatus, (Ezech 37.) vbi ad ripas torrentis, qui ex Sanctuario egrediebatur, ligna vidit iuſtos quoſdam ſignificantia, de quibus ait: *Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum. Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius. Per ſingulos menſes afferet primitiua: quia aquæ eius de Sanctuario egredientur & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Vbi S. Hieronymus explicans eam particulam: *Per ſingulos menſes afferet primitiua*, ſic habet: *In renouatione ſui primitiua dabunt, vt ſcilicet, omnes credentium fructus primitiæ ſint.* Cùm primitiæ ſint primi fructus ex agro, vel ex arboribus ſuſcepti, qui Deo offeruntur, qui fieri poteſt, vt omnes harum arborum fructus, id eſt, omnia iuſtorum bona opera primitiæ ſint? Hoc enim perinde eſt, ac ſi vniuerſam ſegetem primitias diceres. Cur ergo omnia iuſtorum bona opera primitiua dicuntur? Quia profectò hi qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam in ſingulis operibus illud Dauidicum vſurpant: *Ego dixi nunc cœpi:* Et tam feruenti, tam integro, tam renouato animo quæuis bona opera faciunt, vt ſingula quæque omnium prima eſſe videantur. Iuſti ergo, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, meritò cum Ioſepho Patriarcha laudantur; quia ſiue eos vites, ſiue arbores, ſiue fontes dixeris, in miram magnitudinem meritorum excreſcunt. Cum ergo huiuſmodi iuſtus, vt Ioſeph, *Filius accreſcens* dicitur, congruè hæ duæ voces coniunguntur: nam eſuriens & ſitiens iuſtitiam eodem iure dicitur accreſcens & filius; qui enim virtutum profectu non eſt accreſcens, nec filius dicitur, ſed filiolus appellatur. Id quidem aptiſſimè annotauit Rupertus, (Rupert. lib. 11. comment. in Ioan. 13.) vbi expendens verba illa Chriſti ad diſcipulos: *Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum:* Quærenſque cur non filios, ſed filiolos appellauerit, ait: *Vno eodemque nomine, dum dixit filioli, maternam ſui amoris gratiam, & infirmam tum temporis Apoſtolorum deſignat infantiam; nam ex quo fortes facti ſunt, ſpiritu Sancto armati, filij ſunt; nunc autem quia timidi ſunt, & patrem ſequi non valent, filioli ſunt.* Similiter S. Thomas verbum hoc commentatur: *Filiolos appellat, quia adhuc erant filij paruuli, non firmati, non perfecti virtute ex alto.* Eſuriens ergo, ſitienſque iuſtitiam & filius, & accreſcens nuncupatur, ob idque laudatur à parente Chriſto quia hi maximè laudabiles ſunt, qui fame, atque ſiti iuſtitiæ ſpiritualibus diuitiis in dies augentur.

Quod de filio diximus, ſimiliter in ſeruo verum eſſe inuenimus. Nec enim ille ſeruus laudatur, qui magnam à Domino pecuniæ ſummam accepit ad negotiandum; ſed qui fideliter, & vtiliter pecuniam auxit. Nam ſoli illi ſerui, qui duplicatum retulere talentum, laudantur à Domino, illis verbis: *Euge ſerue bone, &c.* (Matth. 25.) Ad quæ verba S. Gregor. ait: (S. Gregor. hom. 9. in Euang.) *Seruus ergo qui geminata talenta retulit, laudatur à Domino & ad æternam remunerationem perducitur. Vnde dicitur, Euge ſerue bone, &c.*

Æquali quoque ratione, non viator ille laudatur, qui ſe attentè, & prouidè apparat ad iter agendum, ſed qui partes omnes viæ diligenter percurrit, & ad deſtinatam vrbem peruenit: Ita etiam in ſpiritali via contingit. Quo nomine laudantur à Luca parentes Baptiſtæ, illis verbis: *Ambo iuſti apud Deum, incedentes in omnibus mandatis.* (Luc. 1.) Quæ verba egregiè ad rem noſtram pendit Chryſologus, (Chryſolog. ſerm 91.) inquiens: *Incedentes dixit, vt eos oſtenderet cucurriſſe virtutibus non ſtetiſſe & ambulaſſe in via iuſtitiæ, nec remanſiſſe in itinere mandatorum.* Sed ad mandatorum plenitudinem perueniſſe. Hoc præſtant, qui in hac via, cuius terminus eſt cœleſtis patria eſurientes & ſitientes iuſtitiam, omnes virtutes percurrunt, vt de eis dictum intelligatur, illud Pſalmi: (Pſalm. 83.) *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* vbi Hugo Cardinalis, ait: *Ibunt proficiendo de virtute in virtutem, id eſt, de actu vnius virtutis in actum alterius virtutis, vel in eandem virtutem maiorem. Iter iſtud figuratum fuit in itinere filiorum Iſraël: quo per diuerſas deſerti manſiones peruenerunt ad terram promiſſionis. Per diuerſas enim manſiones,* (Num. 33.) *ſignificantur diuerſæ virtutes. Per terram promiſſionis æterna patria deſignatur.* Omnes quidem virtutes partes, ſeu gradus ſunt viæ, vulgò *Iornadas*, quas omnes percurrere debet viator, & percurret haud ægrè, ſi eſurit & ſitit iuſtitiam, vt ſaturetur videndo Deũ Deorum in Sion. Quo quidem in itinere is ſolus viator laudabitur, qui tranſactis omnibus viæ partibus, ac manſionibus ad cœleſtem patriam peruenerit. Hinc Salomon (Prouerb. 31) de fœmina illa heroina, quam eleganti elogio celebrat, dixit: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Quaſi dicat: non ſolum laudanda eſt cum in via it de virtute in virtutem; ſed tum maximè cum exacto itineris curſu peruenit ad portas cœleſtis ciuitatis. Sic Hugo Cardinalis, hic intelligit: *Laudent eam in portis, id eſt, in ingreſſu cœleſtis patriæ, in exitu omnis imperfectionis, & miſeriæ.* In fine enim laudandus eſt homo, ſi in medio profecit & naturam ſuam virtutibus

tutibus

Digitized by Google

tutibus auxit. Ideo dixit: *Laudent eam opera eius.* Quæ proinde opera non prima debent eſſe, quæ facile à virtute in virtutem deflectunt, ſed poſtrema, iam nimirum longo profectu confirmata: hæc enim ſola ad extremam hominis laudem idonea iudicantur. Quod egregio typo ſignificatum à Deo eſt his verbis: Leuit. 19. *Quando ingreſſi fueritis terram & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem omne annis fructus ſanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus congregantes poma, quæ proferunt.* Cuius allegoriæ ſenſum ſapienter enucleat Sanctus Gregorius. S.Gregor. citatus à Gloſſa. *Ligna*, inquit, *pomifera opera ſunt virtutibus fœcunda. Præputia auferimus, cum de inchoationis infirmitate ſuſpecti, primordia operum noſtrorum non approbamus. Poma quæ germinant, noſtris eſibus non aptamus; quia cum primordia laudantur boni operis, non debet hoc paſcere animum operantis, nedum laus ſuauiter capitur, fructus boni operis] intempeſtiue comedatur. Qui igitur inchoata virtutis laudem receperit, quaſi plantati ligni fructum ante tempus comedit.* Ad quam ſane allegoriam reſpexiſſe videtur Salomon, cum dixit: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Nam cum anima iuſta poſt profectum itineris, finita via virtutis ad portas cœleſtis ciuitatis conſiſtit, tunc opportunè dicitur vt detur ei de fructu manuum ſuarum; tunc enim à fructu plantatæ arboris ablata ſunt præputia, nec ſunt immundi primi fructus, quia laudem de primordiis bonorum operum non appetimus: tunc opportune anima comedit fructum manuum ſuarum, id eſt, recipit laudem bonorum operum, cum poſt tranſactos quatuor annos, id eſt tempus corruptibilis vitæ, quæ quatuor elementis ſuſtentatur, in quinto anno, id eſt, in fine vitæ comedit munda poma laudabilia Domino, & laudant eam in portis opera eius.

Capvt IV.

Fames & ſitis quibus in iuſtitia, ſeu virtute proficimus, gratiſſima Deo.

NOn mirum ſi eſurientes & ſitientes iuſtitiam, id eſt, vehementer eam deſiderantes, & in ea proficientes, vt ſupra explicuit Hieronymus, Dominus beatos prædicet, & à ſe ſaturandos aſſeret, quia huiuſmodi ſitis & fames proficiendi eſt quidem ipſi gratiſſima. Nil enim pio parenti magis gratum, quam quod eius filij in pietate enixe proficere ſtudeant. Id quidem adumbratum fuit in Geneſi, vbi in ablactatione Iſaac, Gen 11. S. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 7. *fecit Abraham grande conuiuium.* De quo S. Ambroſius ita ſcripſit: *Non quia à nutricis lacte ſubductus eſt puer magnum conuiuium exhibuit Abraham; ſed quia idoneus habitus eſt Iſaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento non adhuc (vt Corinthij) lacte potandus, ſed epulis ſolidioribus mandatorum cœleſtium mentis ſuæ lacertos firmans.* Conſonat Procopius ad prædictum locum, & expreſſius ad rem noſtram ſic habet: *Magnum enim conuiuium, & iucundum ſpectaculum eſt Deo Patri videre in Chriſto regeneratum relinquere infantulia alimenta, & ad perfectionem contendere.* Non immerito quidem aliqui Doctores autumant, hac maxime de cauſa (vt reliqua præteream) pueros Chriſto Domino tum gratos ſemper fuiſſe, vt illos exciperet, amplexaretur, & benediceret, quod nimirum puerorum ætas nondum ſtatum fixit, ſed paulatim ſtatis à natura incrementis perenniter augeſcit. Quo quidem virtus iuſtorum, & perfectio ſanctorum ſatis innuitur: nec enim virtus, aut feſſa labore, aut tædio, faſtidiove bene operandi ſuccumbens vnquam proſternitur; contra vero Deo ingratum eſt, fideles ſuos infantili ſemper eſſe virtute, nec ad virilem moram perfectionem aſſurgere. Vnde Prou. 1. illud Prouerbiorum. *Vſque quo paruuli diligitis infantiam?* Et Iſaias ait: Iſai. 65. *Puer centum annorum morietur*, id eſt qui longum vitæ ſpatium iam traduxit, & adhuc factis puerilibus detinetur, æterna, morte mulctabitur. De electis vero ibi adiungit: *Non erit ibi amplius infans dierum.* Quod Sanctus Gregorius ſic exponit: S. Gregor. lib. 17. mor. cap. 24 *Infans dierum eſt qui iam diu vixit, ſed adhuc mente paruulus eſt.* Cuiuſmodi infantes increpat ſapientia dicens; *vſque quo paruuli diligitis infantiam?* Erit tamen in numero electorum ille infans dierum, qui & ſi aliquando deſidia infantili torpeat; admonitus vero, citò virili in proficiendo conſtantia feruet. Sic contingit Apoſtolis, quibus Dominus pueros appellans dixit: pueri, *Nunquid pulmentarium habetis.* Quod expendens Chryſologus, ait: Ioan. 21. S.Chryſol. ſerm. 78. *Quia eos fides virtute reſpexerat deſtitutos & à virili robore inuenerat perdeiectos; arguit tales, pueros nuncupando. Ibi erat Petrus, qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortiſſimos milites, ſed pueros compellat vt timidos, & quos idoneos needum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad menſam.* Quamobrem Paulus Ad Epheſ. 4. poſtquam dixit, *ne ſimus paruuli fluctuantes ſic hortando ſubiungit: veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Vbi Hugo Cardinalis optime exponit particulam illam *per omnia. Creſcamus* (inquit) *per omnia membra ſpiritualis hominis, vt non tantùm creſcat lingua ad ardua, & ſublimia prædicanda, ſed manus ad agenda.* Charitati autem attribuit hoc loco Paulus membrorum augmentum, quia vt idem Hugo ſubiungit: *Charitas diffunditur per omnia opera, quia irriguum eſt omnium operum.* Vel quia in ſpirituali homine charitas eſt vitalis calor, Stomachi, quo fit augmentum, maximè famem, & ſitim excitando. Petit autem Apoſtolus, vt creſcamus *in Chriſto, qui eſt caput*, vbi non otioſe poſuit vocem *caput*, ſed vt nos ad ſpiritale augmentum inſtigaret: abſurdum enim, & turpe eſſet, vt homo, qui tam magnum habet caput, paruulus ipſe, ac puſillus maneret. Monet igitur nos Paulus tam ſtudioſe, vt creſcamus, quia ſatis ipſi perſpectum erat, quam gratus ſit Deo iſte profectus, qui per famem & ſitim iuſtitiæ fieri ſolet.

Cæterum adeo gratus eſt Deo ſtudioſus hic animarum profectus, vt id ſibi in ſponſa ſingulariter placere, pulchrumque videri dicat illis verbis: Cant. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Quem locum S. Ambroſius ad illa Pſalm. 118. verba *greſſus meos dirige, &c* de ſtudio proficiendi in virtute explicans ait: *Non eſt dubium greſſus hic Eccleſiæ vel animæ profectus ſignificari.*

Ergo ſpecioſam ſignificat animæ pulchritudinem, quæ carne tanquam calceamento vtitur, & in ipſo impedimentum non patitur, ſed inceſſus decore præcellit. Quod fit, ſi calceamentum ſuum non inquinet luto corporali. Pulchri ergo animæ greſſus ſunt ſtudioſi in virtute progreſſus, qui ita ſunt ſponſo grati, vt huiuſmodi animam filiam Principis pulcherrime gradientem appellet.

Quamobrem ſponſa, quæ ſponſi cœleſtis voluntatem probè deguſtarat, cum gratiſſimum ei obſequium præſtare vellet eum ad contemplandum animarum profectum inuitat, cum ait: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum: commoremur mané, ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica.* (Cant. 7.) Ager, ipſo exponente Domino, eſt hic mundus: in agrum cum ſponſa ſpõſus egreditur, cum humanæ carnis lacinia indutus in mundo conuerſatur, quando per fidem habitat in nobis. Quid autem ſit videre, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, & ſi floruerunt mala punica. Egregiè ad rem noſtram explicat hic S. Gregorius his verbis: *Si floruit vinea, conſpicit; quia omnem profectum Eccleſiæ diſtricto examine perpendit. Videt ſi flores fructus parturiunt; quia perſpicit ad quem profectum teneri quique, atque imperfecti excreſcunt.* Similiter exponit ſequentia verba de profectu, quem perfecti in minores deriuant. Iucundiſſimum ergo Chriſto ſpectaculum eſt videre fideles virtutibus proficientes.

Sicut enim medicus gaudet, cum ægrotum fame pullari videt, quod certum eſt conſequutæ iam ſanitatis indicium. Ita Chriſtus gaudet, cum credentes videt iuſtitiam eſurientes, id eſt, profectum virtutis vehementer deſiderantes, quia iam ſalutem aſſequutos iudicat. Quam rationem S. Ambroſius perſtrinxit, inquiens: *Poſtquam delicta defleui, eſurire incipio, & ſitire iuſtitiam. Æger enim cùm in graui morbo eſt, non eſurit. Vnde ait: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* (S. Ambroſ. in cap. 6. Luc.) Eſurientes ergo iuſtitiam id eſt, in eius profectum incumbentes, maximè placent Deo, quaſi ſalutem perfectam aſſequuti.

Adeo denique Deo placent, vt ex his proficientibus maieſtatis ſuæ ſolium extruat. Nam Iſaias teſtatur: *Anno quo mortuus eſt Rex Ozias vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, &c.* (Iſai 6.) Quid ergo per hoc ſolium ſignificetur, optime exponit S. Gregor. inquiens: *Quid namque eſt eius ſolium niſi creatura humana, cui per intellectum, quem dedit præſidet? Quod videlicet ſolium excelſum & eleuatum dicitur; quia natura humana ad cœleſtem gloriam eleuata proficit.* (Hom. 14. in Ezech.) Igitur dum natura humana virtutibus proficiens eleuatur, ſolium Dei eſſe meretur.

CAPVT V.

Quantumuis profecerimus ſemper debemus habere maioris profectus famem.

QVam ardenter, & inceſſabiliter perfectio ſit appetẽda, ſatis indicauit ſaluator, & S. Hieronymus explicuit dicens: *Non nobis ſufficit velle iuſtitiam niſi iuſtitia patiamur famem; vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus.* Nullus quippe in hac vita eſt gradus virtutis, quo fames iuſtitiæ ita ſatietur, vt maiorem iuſtitiæ perfectionem non appetat; vera enim virtutis fames ſemper noua virtutis opera eſurit. Nullus quidẽ terminus circumſcribendus eſt in exercitatione virtutis, cum ſcala Iacob per gradus à terra in cœlum ſubrecta non niſi in Deo conſiſtat, qui omnino infinitus ac ſempiternus eſt. De hoc S. Bernardus luculenter edisſerit: *Vera virtus* (inquit) *finem neſcit, tempore non clauditur. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, ſatis eſt; ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipauit famulatui. Audi vocem iuſti: in æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum. Proinde iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Sempiterna itaque iuſtitia eſuries ſempiternam meretur refectionem.* (S. Bernard. Epiſt. 253. — Pſalm 118. — Pſal. 110.) Hunc perpetuum iuſtorum profectum Chriſtus in electa ſponſa & expetiuit, & poſtulauit, cum ſic eam alloquitur: *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis.* (Cant. 4.) Vbi S. Greg. Nyſſenus, ideo ſæpius vocari dicit, vt nunquam deſinat venire, ſed ſemper ad ſublimiora enitatur, egregieque contextus myſterium ſic annotat: *Poſtquam ſponſus dixit tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, ſtatim ſubdit: veni de libano, &c. Ne ſcilicet propter hoc teſtimonium ſtulto faſtu elata, in progreſſu ad altiora impediatur, quaſi diceret: cum ad hanc ſublimitatem perueneris, ne ſubſiſtas in aſcẽdendo, quaſi iam perfectionem aſſecuta ſis.* Igitur ea etiam anima, quæ tota pulchra eſt, & in qua macula nulla eſt, ſemper debet ad altiora contendere. Quamuis enim tota ſit pulchra, nec maculam habeat, non tamen habet totam pulchritudinis perfectionem, quam poteſt continuo ſtudio comparare. Nam vt ſcitè Bernardus ait: *Solus Deus profectum accipere non poteſt, quia defectum habere non poteſt.* (S. Bernard. in medit.) At homo, qui ſemper poteſt deficere, ſemper debet proficere.

Id quidem in Angelis ſymbolice adumbratum eſt. Nam iuxta Iſaiam Seraphim iuxta Dominum perpetuo alas mouebant, ſiquidem, vt ibi dicitur, *duabus volabant.* (Iſai. 6.) At quo volabant, quandoquidem à Deo nunquam recedebant. Profectò volabant, quia cognitionis & amoris alis perpetuo ad Deum tendebant; & eos ſignificabant, qui virtutibus proficientes magis ſemper ad Deum accedunt. Cherubim quoque id nobis adumbrarunt, de quibus currum Dei trahentibus dicitur *coram facie ſua ambulabant, gradiebantur, nec reuertebantur.* (Ezech. 1.) Et Iacob vidit in typica ſcala *Angelos aſcendentes & deſcendentes;* (Gen. 28.) nullos ſtantes. Quod optimè explicat Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Opinor ego,* inquit, *vitam cum virtute coniunctam Iacobo per ſpeciem ſcalæ effingi, atque informari; vt & ipſe diceret, & poſteris traderet, quod aliter ad Deum erigi, ac extolli non licet, niſi quis ſemper ſuperna contueatur, ac ſpectet, & ſublimium rerum deſiderio continenti teneatur, vt non contentus ſit in iis quæ rectè fecerit;* (S. Nyſſ. orat. 5. de Beatitud.)

Digitized by Google

fecerit, & conſequutus ſit, manere, ſed in damno ponat ſi ſuperiora non attingat, & aſſequatur. Scala igitur Iacob virtus eſt, quæ cum plurimos habeat gradus, in nullo eorum debet homo fidelis conſiſtere; ſed vſque ad Deum, qui in ſummitate erat ſcalæ, peruenire.

Porro, non ſolum Angeli, ſed etiam Dominus Angelorum, qui vndique perfectiſſimus proficere non poteſt; tamen docendi gratia, profectum nunquam intermittendum in ſeipſo nobis commendauit. Nam ſponſæ quærenti *dic mihi vbi*
Cant. 1. *paſcas, vbi cubes:* Reſpondit ipſe: *egredere & abi*, ſcilicet, vt prætereuntem ſequeretur, qui non quieſcit, non cubat, ſed pertranſit benefaciendo. Pulchre ibi Sanctus Bernardus: *Currentem video, cubantem non video.* Currentem quippe videre licet eũ, *qui exultauit vt gigas ad currendam viam*; quam ita perpetuo curſu percur-
Pſalm. 18. rit, vt fuerit *à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Vbi Sanctus Auguſtinus ſic ad rem noſtram: *Cucurrit, & non ſtetit in via mundi.* Sed cum egreſſio eius fuerit à ſummo cœlo, id eſt, à Patre, mirabili curſus circuitu peruenit ad ſummum ipſius cœli, iuxta illud
Ioan. 6. Ioannis: *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Nunquam in via ſtetit, ſed ſemper in curſu profecit. Vnde apud Lucam expreſsè habes: *Et Ieſus pro-*
Luc. 2. *ficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum*
S. Gregor. Naz. apud S. Thom. in catena. *& homines.* Quod Sanctus Gregorius Naz. ſic explicat: *Dicitur autem ſecundum humanitatem proficere, non quod ipſa ſuſcipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta, ſed ex eo quod paulatim manifeſtabatur.* Quamuis enim nunquam in ſe proficeret, qui cunctis perfectionis numeris erat abſolutus, hominum tamen oculis profectus ſpecimen præbebat, vt perpetuo virtutis augmento operam & ipſi nauarent. Enim vero ſapientiæ & gratiæ incrementum in Chriſto, non ad habitus pertinuit, ſed ad effectus; ſiue actus,
S. Thom. 3. p. q. 7. art. 12. Caietan. ad c. 2. Lucæ. vt docet Sanctus Thomas. Quam ſententiam Patres omnes ſequuntur. Et Caietanus ſic explanat: *Chriſtus proficiebat actibus ſapientiæ, procedendo de ſapientibus actibus ad ſapientiores. Similiter intellige de gratiæ profectu, apud Deum & homines: quoniam erat in veritate progreſſus, ad ampliora merita apud Deum, & apparebant apud homines.* Hæc ille. Quam doctrinam apto exemplo illuſtrat Sanctus Vincentius Fer-
S. Vincent. ſerm. infra Octau. Epiphan. rerius, inquiens: *Chriſtus non profecit in ſapientia habitualiter, ſed effectualiter; quia quanto magis creſcebat in corpore, tanto maiores effectus oſtendebat ſapientiæ. Exemplum de ſole eſt, qui licet tantam claritatem habeat hora prima, quantam hora tertia habitualiter, & tantam hora tertia, quantam in meridie; tamen ſol effectualiter proficit in claritate; quia maiorem claritatem oſtendit hora tertia; quam prima, & in meridie maiorem; ita Chriſtus ſol iuſtitiæ, &c.* Similiter iuſti pro ſuo modulo ſolem iuſtitiæ imitantes, procedunt à claritate in claritatem & creſcunt vſque ad perfectum diem.

Reliquum eſt, vt omnes alacri, & ſtrenuo animo omnes virtutis gradus percurrere curemus, & in nullo ſiſtamus. Optime Hugo Vi-
Hugo. Victor. lib. 2. de arca morali c. 6. ctorinus agens de tribus arcæ manſionibus, & de cubito, in quo conſummabatur, ait: *In prima ergo manſione eſt cognitio, in ſecunda opus, in tertia virtus: in ſupremo præmium virtutis Domi-*
nus Ieſus Chriſtus. Per has manſiones ſemper aſcendendum eſt, quouſque perueniamus ad Chriſtum. Similiter in ſcala Iacob per omnes gradus procedendum eſt, quouſque attingamus ſupremum, qui eſt ingreſſus regni cœleſtis. Illud intelligentes quod aduertit Sanctus Bernardus. *Vidit,* (inquit) *Iacob ſcalam & in ea An-* S. Bernard. Epiſt. 253.
gelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit; ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur vniuerſi: quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ, nihil medium inueniri; ſed neceſſe ſit ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere, vt ergo non deficiamus, ſemper proficiamus: vt è ſcala cadere non contingat, ſemper aſcendamus.

Caput VI.

Vera iuſtitiæ fames, ac ſitis, quidquid in virtute amarum eſt facile deuorat.

Iure optimo Chriſtus Dominus eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam, pollicetur iucundiſſimam ſaturitatem, quandoquidem ex hac fame & ſiti fit, vt quidquid in iuſtitia, ſiue virtute amarum, vel acerbum eſſe videtur virtutis ipſius gratia, alacri animo deuorent, atque concoquant. Nam inſulſos virtutis labores commendat appetitio, durum pœnitentiæ, ac mortificationis panem, tenerum reddit, ac gratiſſimum: amaram contumeliarum aquam, in nectar vertit, eſtque omnium ærumnarum ſuaue condimentum. Contra, qui iuſtitiæ fame, & ſiti caret, faſtidioque tenetur, ſuauiſſimas virtutum epulas repudiat, ac reiicit. Nam vt dicitur in Prouerbiis: Prouerb. 27.
Anima ſaturata calcabit fauum; & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet, virtutum fauum dulciſſimum ſaturata; faſtidioſaque anima conculcat; atque eſurit, amaros labores pro dulcibus cibis ſumit. Vnde Beda hunc in locum: *Anima* (inquit) *eorum, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, etiam aduerſa ſæculi pro Domino, imo ipſam mortem perpeti dulce habet: ſciens ſe per poculum amaritudinis ad gaudia perpetua ſalutis eſſe venturam.*

Poteſt hoc confirmari ex ipſa naturali corporis fame & ſiti. Nam vt Seneca ait: *Nihil contem-* Senec.
nit eſuriens: fames mihi commendabit quodcumque comprehendero. Et alibi: *Malum panem tene-* Epiſt. 119. Epiſt. 123.
rum tibi, & ſiligineum fames reddet. Quæ ideo veteri etiam prouerbio, optimum condimentum, ſiue obſonium dicitur. Exemplis hiſtoriæ ſcatent. Regi Ptolemæo Lagi filio Ægyptum peragranti, comitibus non conſecutis, cum cibarius panis in caſa datus eſſet, negauit vllum cibum vnquam ſibi viſum ſuauiorem. Similem in modum Cyrus iunior, cum in fuga aridis ficis, & pane hordeaceo veſceretur: Dij boni, inquit, cuiuſmodi voluptatis hactenus inexpertus fui; videlicet nunquam eſuriens cibum ſumpſerat. Artaxerxi præ ſiti iam deficienti Eunuchus Pribarzanes à ruſtico quodam ſordidum vtrem detulit, putris aquæ cotylas octo continentem. Eã aquam cum Rex totam ebibiſſet, rogatus ecquid illi placuiſſet ille potus? Deo teſtatus eſt, ſe nũquã

Digitized by Google

vinum potaſſe iucundius, nec vllam aquam
quamuis puriſſimam ſibi viſam iucundiorem.
Eundem certè in modum iuſtitiæ fames, quid-
quid in virtute aſperum, quidquid horridum ap-
paret, iucundum efficit, ac delectabile.

Durus plane panis eſt diuturnus in operando
labor, ſed hic panis ab eſuriente iuſtitiam ſuaui-
Pſalm 127. ter editur. Audi Regium vatem *Labores manuum
tuarum, quia manducabis; beatus es, & bene tibi
erit.* Non ſolum laborum fructum, ſed ipſos la-
bores comedit qui famem habet iuſtitiæ, quod
hoc loco annotat S. Aug his verbis: *Laborei fru-
ctuum dicit, cum deberet dicere fructum laborum:
ſed quia & labores cum gaudio ſumuntur propter
ſpem, & ipſi iucundant, & modo ſunt cibus, ſed iu-
cundior eorum fructus erit, quando ſancti venient
cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

Prætereà amarus cibus eſt opprobrium, ſiue
ignominia, at fame iuſtitiæ ita conditur, vt dul-
cis reddatur. De huiuſmodi enim iuſtitiæ fame-
Thren. 3. lico Hieremias ait: *Dabit percutienti ſe maxillam,
ſaturabitur opprobriis.* Hæc vox *ſaturabitur* ma-
gnam iuſtitiæ famem indicat, quæ vel oppro-
briis pro ipſa iuſtitia delectabitur, atque adeo
eis ſaturari, & expleri vehementer appetat. Sic
exponit Rupertus, inquiens: *Saturabitur oppro-
briis, ideſt, opprobria ſuſtinere pro iuſtitia illi dul-
ce erit.* Et alio in loco idem Doctor de Christo
Rupert. lib 4. in Apocalyp. ſuper c. 5 & in c 40. Hieremiæ. locum intelligens, ait: *Saturabitur opprobriis, nec
enim inuitus, ſed præ nimia dilectione noſtri, ſic
illa ſuſcipiet tanquam panem ſaturitatis. Singuli
quique noſtrum perſecutionem pro iuſtitia patien-
tes demus percutienti maxillam, & ſaturemur op-
probriis, videlicet libenter accipiendo mala præ-
ſentia, vt futuris ſaturemur bonis.* Concinit
S. Thomas hoc loco cum ait: *Saturabitur oppro-
briis, ideſt, delectabitur, quaſi per hoc veniam ſpe-
rans.* Qui enim iuſtitiam eſurit, opprobrium pa-
nem delectabilem iudicat. Eodem modo Hugo
Card. interpretatur: *Saturabitur*, inquit, *oppro-
briis; id eſt gaudebit de eis.*

Deinde acerbus cibus, ac potus eſt continuus
fletus ex opprobriis inſultantium ortus. Sic fle-
Pſalm. 41. bat Regius vates, & perpetuo flebat, toto nimi-
rum tempore inſultationis, vnde ait, *dum dicitur
mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Vbi Caſſiodorus
inquit: *Cauſa lachrymarum inſultatio iugis pra-
uorum.* Sed quid de huiuſmodi lachrymis ipſe
Dauid iudicet ibidem adiungit: *Fuerunt mihi
lachrymæ meæ panes die ac nocte* vbi bene Caſ-
ſiodorus: *Non amaritudo vel peremptio, ſed panes
ſine refectio.* Lachrymas ergo ex prauorum per-
ſecutione ortas, vt ſuauis refectionis panes die
ac nocte, ideſt, pro prandio, atque cœna Prophæ-
ta comedebat. Vnde quæſo tam ingratum cibū,
atque potum adeo ſuauem, atque dulcem duce-
bat? Profectò ex fame, & ſiti iuſtitiæ, per quam
Deo optabat coniungi. Sic enim ibi attexit: *Siti-
uit anima mea ad Deum fontem viuum: quando
veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Hanc ſuam
ſitim cum ceruí ſiti componit his verbis: *Quē-
admodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum:
ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Ex ſiti ergo
& fame iuſtitiæ, per quam ad Deum accedere
cupiebat, ortum eſt, vt durum inſultationis pa-
nem, & amarum lachrymarum potum, tanquam
ſuauem & dulcem deuoraret. Sed iuuat hoc lo-
co ipſius etiam ſitis originem cum Auguſtino
annotare. Nam ceruorum ſiti S. Doctor hanc cau-
ſam aſſignat: *Ceruus ſerpentem naribus haurit,
vnde veneno æſtuans, fontem ad bibendum arden-
tiſſime deſiderat.* Itaque ex deuictis ſerpentibus
& conſumpto veneno ſitim concipit ardentiſſi-
mam qua ad fontem tota appetitione anhelat.
Similiter, vt ſubdit Auguſtinus: *Conſumptis vi-
tiis amplius deſiderat perfectus.* Iuſtus enim, cum
perfectæ virtutis, atque roboris eſt, ſpiritu quaſi
haurit ſerpentes, id eſt, vitia penitus ex animo
pellit, & conſumpto peccati veneno, tantam iu-
ſtitiæ ſitim concipit, quæ exſaturari ſolum poſ-
ſit in viuo fonte, qui vt hîc habet Hieronymus,
Chriſtus eſt, vnde bona omnia fluunt.

Sed ad eam famem, ſitimque iuſtitia, quæ
cuncta virtutis dura, atque ardua facile deuoret,
redeamus. Hanc quidem famem Regius prophe- Pſal 83.
ta & ſuo & iuſtorum nomine ſatis ardentem
exprimit cum ait: *Quam dilecta tabernacula tua
Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima
mea in atria Domini.* Et paucis interiectis ſub-
dit: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Quę
omnia complectens S. Bernard. tres has manſio- S. Bernard. ſerm. 4. in dedicat. Eccleſ.
nes diſtinguit, tabernacula, atria, domus, & de eis
ita diſſerit: *In tabernaculis eſt gemitus pœnitētiæ;
in atriis guſtus lætitiæ; in domo ſatietas gloriæ: in
tabernaculis primitiæ Spiritus; in atriis diuitiæ; in
domo plenitudo, vbi bona illa menſura conferta, &
coagitata, & ſuper effluēs detur in ſinus noſtros.* In
tabernaculis quidem partes pœnitentiæ intelli-
guntur, quarū miniſterio primitiæ ſpiritus pec-
catori donantur: atque adeo in hac prima man-
ſione iuſti pœnitentes inhabitant: nam vt idem
Bernardus ait: *Tabernacula laborantium ſunt, & Idem ſanctus ſerm. 42. ex paruis.
militantium.* In atriis vero diuitiæ virtutum in-
telliguntur, atque adeo in eis iuſti omnes profi-
cientes, & perfecti commorantur. Nam vt idem
S. Doctor etiam dixit: *Atria ſunt domui vicina;* Ibidem.
amplitudinem habentia. Porro autem, quantam
famem, atque ſitim iuſtitiæ habeant iuſti in
atriis commorantes, ſatis expreſſit Pſalmogra-
phus præfatis illis verbis; *concupiſcit & deficit
anima mea in atria Domini.* Sicut enim præ ni-
mia fame vel ſiti homo ſolet deficere: ita iuſtus
præ nimio deſiderio, vel amore iuſtitiæ. Sic ex-
plicat hunc defectum Hugo Card. *Concupiſcit*,
inquit, *& deficit anima, ideſt; languet amore, ſicut
ſponſa quæ concupiſcebat, & deficiebat.* Gloſſa ve-
ro interlinealis hunc defectum non tam ex amo-
re, quam ex triſtitia ortum dicit. *Deficit*, inquit,
ex triſtitia quia non habet, quod deſiderat. Cæte-
rum huiuſmodi fames maximum quemque vir-
tutis laborem facile abſorbet. Ad quod ſignifi-
candum propheta ſubiungit: *Elegi abiectus eſſe
in domo Dei mei, magis quam habitare in taber-
naculis peccatorum.* Vbi Gloſſa ex Auguſtino Cant. 5.
deprompta hanc ſententiam cum ſuperioribus
connectens ſic ad rem noſtram exponit: *Propter
quod elegi, & ſi poſſem regnare, abiectus eſſe opi-
nione hominum, in Domo Dei, in Eccleſia. Ecce
quam dulce faſce torcularis premi.* In extremis
his verbis alludit ad titulum Pſalmi, qui inſcri-
bitur *pro torcularibus*, quibus dulce eſt premi
propter ardens deſiderium iuſtitiæ, quæ in atriis
Dei inuenitur. Quamuis enim acerbiſſimum vi-
detur, faſce torcularis premi, fames tamen iuſti-
tiæ difficultates omnes facile vorat.

Quod etiam typice præſignatū inuenies in Iſa-
char quam tribum Moyſes morti proximus hoc Deut. 33.
elogio honeſtauit: *Lætare Iſachar in tabernaculis*
tuis,

tuis, populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas iuſtitiæ, qui inundationem maris quaſi lac ſugent. Hæc tribus eos de Eccleſia adumbrat qui ardenter eſuriunt, ſitiuntque iuſtitiam, vt ea manifeſtè indicant, quæ de eis prædicat: quod videlicet in tabernaculis lætabuntur, dum in ſecreto otij contemplationi vacabunt: quod in publico actionis populos ad virtutis montem vocabunt, & ibi iuſtitiæ, ideſt, veræ ſanctitatis victimas immolabunt. Qui autem ita eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam facile præſtant quod ſequitur *inundationem maris quaſi lac ſugent.* Lyra ſic: *Ideſt tribulationem vitæ præſentis dulciter per patientiam ſuſtinebunt.* Tanto enim animi ardore iuſtitiam ſitiunt, vt coniunctam cum ea amaram mundi tribulationem quaſi lac dulciſſimum ſugant.
Iob 6. Nonne Sanctus Iob ſiti iuſtitiæ æſtuans inundationem maris quaſi lac ſugebat, cum affirmabat, *quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Vbi S. Gregorius ſic
S Gregor. lib 7 mor c.7. ad rem noſtram habet: *Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid ſibi in hac vita amarum ſit, dulce æſtimat: omne quod affligit, requiem putat: tranſire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam poſſit; funditus extingui in infimis deſiderat, quo verius ad ſumma conſcendat.*

Capvt VII.

Omnem mundi cibum faſtidit iuſtitiæ Fames.

Hoc inter alia magnum beneficium præſtat iuſtitiæ fames, vt mundana omnia faſtidiat. Sic enim comparatum eſt, vt qui veram virtutis famem, ac ſitim habeat, eam de mundanis exſatiare minime quærat. Ei namque, qui ardenter iuſtitiam eſurit, cibi omnes, quos mundani auidiſſimè expetunt, inſulſi ſunt. In hanc quidem ſententiam trahit Sanctus Gregorius illud
Iob 6. Iob, *aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* ſermones feſtiui, Iocoſi, & de rebus temporalibus varij, cibi ſunt mundanis gratiſſimi: at iuſtis eſurientibus iuſtitiam penitus in-
S. Gregor. lib. 7. mor c.6. ſulſi. Quod Sanctus Doctor ſic affirmat: *Verba quippe carnalium quaſi cibum ſe noſtris mentibus ingerunt, vt in delectationis ventrem rapiantur: ſed electus quiſque inſulſum cibum non comedit, quia prauorum dicta diiudicans ab ore cordis repellit.* Inſulſus iuſtis hic cibus ſermonis eſt, quia caret illo ſale, quem comendat Paulus, cum
Ad Coloſ 4. ait: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Neque ſolum inſulſus ſermonis mundani cibus, etiam ineptus à Gregorio dicitur; quod ſtomachum iuſti hominis grauet, & eum minime nutriat. Ideo ſubdit: *Sancti igitur cum æternitatis deſiderijs anhelant, audire iam quæ mundi ſunt, graue ſibi, ac deprimens pondus iudicant. Valde namque inſolens, atque intolerabile æſtimant, quidquid illud non ſonat, quod intus amant.* Hos vanorum ſermonum cibos apponebant Regi illi, quibus cibos omnes expertus dicebat:
Pſalm. 118 *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.*

Præterea mundani cibi ſunt diuitiæ, honores, voluptates, ſed hos cibos faſtidit, & reſpuit, qui per famem iuſtitiæ internæ refectionis cibum concupiſcit. Huius enim iuſti eſt vox illa Pſalmi, *Concupiſcit & deficit anima mea in atria* Pſalm 83.
Domini. Quæ verba optimè expendit idem Gregorius inquiens: *Concupiſcunt, ſed non deficiunt, qui iam quidem cæleſtia appetunt; ſed* S Gregor. lib. 8. mor.c 19.
adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè laſſantur. Concupiſcit vero, & in atrio Dei deficit, qui cum æterna deſiderat, in amore temporalium non perdurat. Quam doctrinam veram Sanctus Doctor eundem Pſalmi locum tractans; Idem S. lib. 4. mor c.39.
expreſſius & explanatius tradit his verbis. *Iuſti quo robuſtius æterna appetunt, eo à temporalibus ſalubri defectione laſſantur; vt tanto quis frigeſcat à ſtudio ſæculi, quanto ſurgit ardentior in amorem Dei. Quem ſcilicet, ſi perfectè arripit, mundum etiam plene derelinquit: & eo funditus temporalibus moritur, quo ad ſupernam vitam altius afflatu æternitatis animatur.* Iuſti ergo quo ardentiorem interni & æterni cibi famem habent, eo mūdanos cibos maiori faſtidio reſpuūt.

Quod etiam in Iacob typice præſignatum eſt. Nam cum tota nocte cum Angelo luctaretur, tetigit Angelus fæmoris eius neruum, qui ſta- Gen. 32.
tim emarcuit, & manſit claudus. Quando luctatus eſt cum Angelo, qui Deum referebat, quando fortiſſimum ſe præbuit; ſi quidem contra Deum præualuit; tunc læſo vno pede, in temporalibus ſalubriter defecit. Id vt totum hoc argumentum acceptum Gregorio referamus, ex S. Gregor. lib 4. mor.c.40.
ipſo audire iuuat, qui ait: *Iacob qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit; quia qui vero amore ſublimia reſpicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere deſiderijs neſcit. Vno enim pede innititur, qui ſolo Dei amore roboratur: & neceſſe eſt, vt alius marceſcat; quia mentis virtute creſcente oportet procul dubio, vt carnis fortitudo torpeſcat.* Neceſſe eſt, vt qui ardentis deſiderij, ſiue amoris fame iuſtitiam eſurit, carnis mundique cibos continuò faſtidiat: neque enim vtramque famem ſimul habere poteſt, ſicut nec integrum Iacob vtrumque pedem.

Capvt VIII.

Efficacia ſunt ea deſideria quæ iuſtitiæ famem comitantur.

Cvm Chriſtus Dominus eſurientes & ſitientes iuſtitiam beatos prædicat, eam famem, id eſt, deſiderium iuſtitiæ commendat, quod acre ſit & efficax, quod opere ipſo vim ſuam, & efficacitatem teſtetur: nam ille vere famem ac ſitim habet, qui potui, atque cibo quærendo diligenter incumbit. Teſtor filium prodigum, qui dura fame preſſus paternæ domus panes vehementer expetebat. Quid inde? *In ſe reuerſus dixit: ſurgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei Pa-* Luc. 15.
ter peccaui, &c. Vbi Sanctus Ambroſius S. Ambroſ.
ait: *Hæc apud ſe dixit; ſed non ſatis eſt dicere, niſi ad Patrem venias.* Similiter ille veram habet lib. 7. in Luc.
ſitim, qui re ipſa quærit fontem. Hanc ſitim expoſcit Chriſtus, cum ait: *Si quis ſitit veniat ad* Apoc. 21.
me, & bibat. Quam ſitim expertus Regius vates dicebat: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad* Pſalm. 41.
fontes aquarum ita deſiderat anima mea ad te Deus. Ceruus namque non vtcumque ſed celerrimi curſus impetu fontem quærit. Ita explicat Sanctus Bernardus verba illa Iſaiæ: Iſai. 21.

Si quæritis quærite, id eſt, ſi quæritis vero deſiderio, quærite ſimul & opere. Sic quærebat ſponſa, cum dicebat: *Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas.* Cant. 3.

Cum autem illa deſideria efficacia ſint quæ opere complentur, ea deſideria debet anima concipere, quæ opere pariat; ne audiat illud Iſaiæ *venerunt filij vſque ad partum, & non erat virtus pariendi.* Iſai 37. Sic enim accipit hæc verba Gloſſa interlinealis cum ait: *Venerunt conſilia noſtra vſque ad partum & non erat virtus explendi.* Huiuſmodi animæ ſunt illæ prægnantes quibus Dominus mortem minatur *væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, Math. 24. vbi Sanctus Hieronymus ita commentatur: *Væ illis animabus, quæ non perduxerunt ſua genimina in virum perfectum.* Quamobrem anima non ſolum deſiderando debet virtutem concipere, ſed fortiter operando, eam robuſtam & armatam parere. Quod ſapientes antiqui ſignificare voluerunt, cum finxere Mineruam natam eſſe ex capite Iouis, & adultam, & armatam proceſſiſſe ſicut interpretatur Fulgentius. S Fulgent. Lib. 2. Perfecta ſapientia id eſt, virtus, quæ in animo ſapientis maturo conſilio & vero deſiderio concepta eſt, robuſto & perfecto opere adulta & armata procedit. Sed omiſſis antiquorum fabulis, id certum eſt, Deum deſideria, non tam in conceptu, quam in partu æſtimare. Quod ſatis exploratum habens ſponſa ſponſum ita inuitabat: *Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt*, Cant. 7. vbi ad rem noſtram ſic habet Hugo Cardinalis: ſi flores fructus parturiunt, id eſt, *ſi bonum propoſitum ſequatur opus bonum; vt fructus ſint virtutum ſodalitas, & ſpiritualium chariſmatum vbertas, quæ operibus exterioribus ſe oſtendunt.* Anima quippe, arbor eſt, cuius flores ſunt deſideria, opera & virtutes fructus, quos flores tunc parturiunt, cum fœcundæ mentis virtute bona deſideria virtutum opera edunt atque nutriunt.

Id Salomon ſubtili ſymbolo adumbrauit, cum de fideli anima longum texit ſermonem, ſub typo heroinę illius, quam miris laudibus celebrat. *Digiti eius*, inquit, *apprehenderunt fuſum*, cuius loci ſenſum enucleans S. Auguſtinus ſic ait S. Auguſt. ſerm. 217. de temp. *Diligenter attende in lanificio duo inſtrumenta colum & fuſum: in colo quidē lana inuoluta eſt quæ filo ducenda; tranſeat in fuſum. Quod in colo inuolutum eſt, adhuc in ſiniſtra eſt, & nondum in fuſo, quod in fuſum collectum eſt, iam præteritū eſt. Opus ergo tuum in fuſo ſit, non in colo; in colo enim eſt, quod facturus es; in fuſo quod feciſti.* Mollia, & inefficacia deſideria lana ſunt ſemper in colo manens, & in ſiniſtra parte exiſtens; quia nimirum frequenter reprobi huiuſmodi habent deſideria, quæ neceſſe eſt vt per efficaciam tranſeant ad fuſum, qui manu dextera voluitur, cum bonū deſideratū ſtrenua operatione perficitur. Ex hoc ſpiritali mundi officio, id elucratur anima, vt habeat internam, & ſubtilem veſtem deſideriorum, & externam, ac corpulentiorem operum, quoniam vtramque coniungere, & induere neceſſe eſt. Hoc etiam in præfata matrona adumbratum eſt, de qua ibidem Salomon: *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Quod Auguſtinus ſic ediſſerit: *Quæritur autem à nobis quid ſit lana; & quid ſit linum?* Sup. Sic autem reſpondet: *Lanam corporale aliquid puto, linum ſpirituale: hoc coniicere audeo ex ordine veſtimentorum noſtrorum, interiora ſunt enim veſtimenta linea, lanea vero exteriora: quidquid corpore operamur in promptu eſt; quidquid ſpiritu in ſecreto.* Subinde addit: *Inuenis alium dicentem ſibi: ſufficit mihi in conſcientia Deum colere, Deum adorare, quid mihi opus eſt, aut eccleſiam ire, aut viſibiliter miſceri Chriſtianis, iſte lineam vult habere ſine tunica.* Qui ergo bonis deſideriis contentus ad bona opera procedit, is ſolo induſio veſtitus, fere nudus incedit.

Has etiam deſideriorum, atque operum duplices veſtes ſignificauit Salomon cum parietes templi veſtiuit, & exornauit in hunc modum: 3. Reg. 6. *Fecit picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & progredientes.* Quæ verba Hugo Victorinus ad alegoricum ſenſum vocauit. Hugo. Vict. lib. 3. de clauſtro animæ c. 21. *Prominent* (inquit) *picturæ variæ de pariete, & egrediuntur, dum ea quæ cogitantur in animo, vt luceat lux veſtra coram hominibus, opere perficiuntur.* In qua profecto pictura optimè depicta sūt efficacia deſideria: hæc enim ita pinguntur in animo, vt extra emineant & progrediatur, inefficacia & mollia ita animo hærent, vt extra non promineant.

Cœterum, vt efficacia ſint deſideria, opus eſt, vt in comparandam fortitudinis virtutem homo maximè incumbat: nam ſine hac virtute homo ſcatet quidem deſideriis, ſed debilibus, & inefficacià laborantibus. Prouerb. 21. De huiuſmodi enim hominibus ait ſapiens: *In deſideriis eſt omnis otioſus.* Et alibi: *Vult & non vult piger.* Vult quia deſiderat virtutem, cum eius conſiderat dignitatem; non vult, cum eiuſdem animaduertit difficultatem. Hanc deſideriorum inefficaciam ſonat illa quoque ſententia: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo: ita piger in lectulo ſuo.* Sicut enim oſtium ita ſemper vertitur, vt cum modo aperiatur, modo claudatur; nunquam tamen à cardine recedit: ita piger pulchritudinem virtutis contemplans, toto panditur pectore ad eam excipiendam; cum vero eiuſdem difficultatem cogitat, ſe penitus claudit: non aliter ac cochlea; quæ dum attactu molle quid ſenſit, è teſta egreditur, ſeque quantum poteſt, diſtendit: at ſi aſperum quid offendat, protinus refugit, & intra teſtam ſe colligit. Dum autem piger huiuſmodi vanis deſideriis ludit, ita in ipſis, quia circa virtutem verſantur, ſibi placet, vt in ſuis aureis capillis impius Abſalon. Anton. Riccard. in comment. ſymbol. to. 1. 2. Reg. 18. Nam vt philoſophatur Anton. Riccard. Abſalon per cæſariem auream ſuſpenſus de quercu ſignificat eos, qui in virtute, quæ eſt capitis, id eſt, mentis ornamentum, gloriantur, ſed quia eam ſolum in capite deſiderandò habent, nec manu exercent, dum per virtutis legem in qua gloriantur, iudicantur, & condemnantur, quaſi de cæſarie aurea ſuſpenduntur.

CAPVT IX.

Fames iuſtitiæ mater eſt diuitiarum ſpiritualium.

EOs qui eſuriunt, ſitiuntque iuſtitiam iure optimo Dominus beatos, & ſaturandos appellat, quod hæc iuſtitiæ fames, atque ſitis ſpirituales parit, paratque diuitias, quibus homo & beatus eſt, & affatim ſaturatur.

Digitized by Google

tatur. Nam cum fames hæc animæ nil aliud ſit quam diligens, & feruens deſiderium iuſtitiæ, huius certe diuitiæ tunc comparantur, cum robuſto, ac feruenti deſiderio quæruntur. Quod vt intelligat piger ad formicam mittitur à Salomone illis verbis: *Vade ad formicam, ô piger, &c.* Nam formica Symbolum eſt magnarum diuitiarum, quæ ex feruenti diligentiæ ſtudio naſcuntur. Quare Alexander ab Alexand. docet formicas illas, quæ ingeſſerunt tritici grana in os Midæ dormientis ſignificare diuitias, & immodicas opes illi per diligentiam futuras. Iure quidem optimo ſedulitatis ac diligentiæ Symbolum formicæ dicuntur. Nam vt Plinius verè de eis narrat: *Operantur & noctu plena luna iam in opere, Qui labor? Quæ ſedulitas?* Mox addit: *Silices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam: ne quis dubitet qualibet in re quid poſſit quantulacumque aſſiduitas.* Igitur vt formica indefeſſæ ſedulitatis opera annonam ſibi comparat: ita homo fame iuſtitiæ, id eſt, aſſiduæ diligentiæ auiditate ſpirituales opes abunde parat. Idem Salomon docuit illis verbis: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium diuitias parat.* Manus valida fortium fames eſt iuſtitiæ, id eſt, diligens ſtudium proficiendi, quo diuitiæ parantur. Quod vt confirmem, exemplum è Plinio petere operæ pretium erit, qui ſic habet: *C. Furius Creſſinus è ſeruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex ampliſſimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cum in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piſo) bene curatam, ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. Poſtea dixit: venefica mea Quirites hæc ſunt: nec poſſunt vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliaſque & ſudores. Omnium ſententiis abſolutus ideo maiores fertiliſſimum in agro oculum Domini eſſe dixerunt.* Oculus quidem Domini, id eſt, vigilans diligentia potiſſimè diuitias parat.

Prouerb. 6. — Alex. lib. 2. cap. 31. — Plin lib. 11. cap 30. — Proueb. 10. — Plin. lib. 18. cap. 6.

Id quidem non iam exemplo graui huius, & ſtrenui aratoris; ſed egregio fortis mulieris typo iuuat adſtruere, quæ attentiſſima vigilantia, & ſtudioſiſſima diligentia comparandis & augendis diuitiis operam nauaſſe deſcribitur, vt eſſet Symbolum eius animæ, quæ per famem iuſtitiæ, id eſt, vigilantem, ac diligentem auiditatem ſpiritualium Chariſmatum congerit. De hac ergo inter alia Salomon ait: *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Naui inſtitoris comparatur ob inſtantiam in acquirendis opibus. Sedulus enim mercator inſtat in laboribus & periculis. Ideo cecinit Poëta

Prou. 31.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

Similitudinem illam nauis bene exponit Hugo Cardinalis his verbis: *Sicut ergo nauis inſtitoris onerata mercimoniis quæ in patria eius abundant, portat ea per mare, vt eis venditis cariora domi reperiret: ſic Eccleſia diuitiis bonorum operum, tribulationum, tentationum, perſecutionum, miſeriarum, gaudet onuſtari, quibus maiora bona gratiarum mercetur.* Anima quidem quæ fame iuſtitiæ inſtigatur, nauis eſt inſtitoris, quæ velociſſimè per mare mundi huius diſcurrens, & ad portum diuinæ liberalitatis appellens, mirabili bonorum operum, & gratiarum commercio copioſiſſimè diteſcit. Neque ſolum in mari, ſed in terra quoque negotiatur, & inſatiabili acquirendi fame; *conſiderauit agrum, & emit eum.* Per hunc agrum aliqui Chriſtum intelligunt, de quo in Geneſi: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni.* Ager roſis charitatis, violis humilitatis, liliis caſtitatis, & omnium virtutum floribus pulcherrimè vernans. Alij hunc agrum regnum cœlorum interpretantur iuxta illud, *ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Alij denique Sacram Scripturam accipiunt, quæ ager eſt floribus ſententiarum redolens, & fructibus bonorum exemplorum pinguis, de quo Dominus, *& pulchritudo agri mecum eſt.* Hunc agrum quomodocumque accipiatur, anima ſanctis deſideriis, & virtutum operibus mercatur, & admodum diues, & opulenta redditur. Hac iuſtitiæ fame incitata, *de fructu manuum ſuarum plantauit vineam*, id eſt vniuerſitatem virtutum. Porro neceſſariam eſſe famem, & ſitim iuſtitiæ ad agrum comparandum, vineamque plantandam, ſatis indicat Auguſtinus inquiens: *Qualis eſt ager ille? Quæ pulchritudo illius eſt? Inardeſcamus ad eum poſſidendum: ipſe enim eſt, de quo dixit Deus, & pulchritudo agri mecum eſt. Ager iſte ſegnem amatorem non amat.* Quaſi dicat: Solus iſte ager te prorſus diuitem faciet; ſed neceſſarium eſt, vt acri animæ fame inardeſcas ad poſſidendum, & non ſegnis, ſed ſtrenuus amator illius ſis. Subinde monet: *Collige pretium, hoc enim agit hæc mulier, de fructibus manuum ſuarum plantauit poſſeſſionem.* Cum autem de vineæ huius vino guſtaſſet, & de fructibus agri comediſſet, adeo noua fame, & ſiti ſpiritualiter diteſcendi accenſa eſt, vt diebus noctes adiungeret laborando, lucernam noctu non extinguendo: ideo ſubdit Salomon: *Guſtauit & vidit; quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.* Hæc ergo mulier tanto auiditatis ardore, & ſedulitatis labore diuitias parans Symbolum eſt animæ, quæ fame & ſiti iuſtitiæ accenſa ſpiritales abunde comparat.

Hugo Card. — Gen 27. — Matth. 13. — Pſal. 49. — S. Auguſt. ſerm. 117. de tempor.

Hæc plane fames, ſitiſque iuſtitiæ tam idonea eſt ad ſpirituales opes comparandas, vt breui temporis ſpatio id præſtet, quod longo aliàs eſſet faciendum: nam pernici meritorum curſu longa compenſat tempora, nec anguſtæ damna ſentit ætatis. Quamobrem ſanctus Ambroſius de Valentiniano Imperatore ſermonem habens, ait *iſtud tamen dolendum, quod primæua obierit ætate; gratulandum autem, quod virtutum ſtipendiis veteranus diſceſſit.* Diligenti nimirum, ac efficaci virtutum deſiderio vitæ breuitatem penſauit. Quod ſimiliter ſanctus Bernardus de religioſo alio viro ita prædicauit: *Quanta ſanè tempora, non longæuitate, ſed longanimitate, non annorum ſerie, vel dierum numero, ſed mentis deuotione, & inextinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis, non immerito vendicauit.* Ex quo intelligi par eſt, cum, qui longanimi deuo-

S. Ambroſ. orat. funebri de obitu Valentiniani. — S. Bernard. epiſt. 254.

Digitized by Google

tione, & inextinguibili proficiendi deſiderio, id eſt, perfectæ iuſtitiæ fame, æterna ſiue infinita ſpatia complectatur, atque percurrat; tanta ſibi etiam in comparandis cœleſtibus opibus poſſe non immerito vendicare, iuſti autem fame iuſtitiæ, id eſt ardenti virtutis deſiderio æterna tempora complectuntur. Nam vt idem Bernardus attexit: *Non enim iuſtus ad annum, inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes in æternum.*

Capvt X.

Iuſtitiæ fames iugiter ſolet creſcere in iuſtis.

SIc iuſti perfectionem eſuriunt, ſic perfecti iuſtitiam ſitiunt, vt perpetua fame & ſiti ad vitæ cibos anhelent. Perpetua quippe fames perpetuam, ac perfectam ſaturitatem meretur. Neque ſolum perpetua; ſed in dies maior eſt iſthæc iuſtorum fames. Quod quidem ex multis cauſis procedit, quas veſtigare, & expendere operæ erit pretium. Primum, id ex diuina fieri ſolet diſpenſatione: Deus enim, quo magis in iuſtis creſcat interni, ac æterni cibi fames, ipſius cibi exhibitionem ſolet differre: eſt enim hæc fames tam ſalutaris animæ, vt deſideratum cibum ad tempus amoueat, quo eiuſdem fames magis ac magis augeatur. Quod experta ſponſa in ſponſi ſui deſiderio anhelans clamat:

Cant. 5.

In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Quæ verba expendens Sanctus Gregorius ait:

S. Gregor. lib. 5. mor. cap. 3 ſiue 4.

Abſcondit ſe ſponſus, cum quæritur, vt non inuentus ardentius quæratur: & differtur quærens ſponſa, ne inueniat, vt tarditate ſua capacior reddita multiplicius quandoque inueniat, quod quærebat. Ecce ſponſa cibum vitæ quærens retardatur, vt creſcente famis deſiderio, animæ ſinus, ſiue cordis ſtomachus ad cibum ſuſcipiendum, & concoquendum dilatetur. Id contingit Mariæ Magdalenæ, cui Dominus ſuam

Ioan. 20.

diu negauit præſentiam, vt copioſius, & ſuauius caperet, quod quærebat. Nam cum ſtaret ad monumentum, Dominum quem credebat ablatum diligentiſſima amoris auiditate quærebat. De quo Origenes ſic habet:

Orig. hom. ſup. hunc locum.

Petrus & Ioannes timuerunt, & ideo non ſteterunt: Maria autem non timebat; quia nil ſuſpicabatur ſibi ſupereſſe, quod timere deberet. Perdiderat vitam animæ ſuæ, & iam ſibi melius arbitrabatur fore, mori, quam viuere; quia forſitan inueniret moriens, quem inuenire non poterat viuens, ſine quo tamen viuere non valebat. Sed cum iam præſens eſſet Dominus ſe celabat, nec Mariæ tam anxiè quærenti ſe apertè manifeſtare volebat, potius interrogabat: *Mulier quid ploras? Quem quæris?* Profecto nimio amore famelica panem vitæ quærebat. Vnde Origenes hic: *Non habet vnde ſatiet animam ſuam eſurientem, niſi te, Domine, manifeſtando porrigas illi panem corporis tui, & ſi non vis, vt deficiat in via, reſrigera, & conforta viſcera animæ eius dulcedine ſaporis tui. Tu es enim panis viuus, qui habes in te delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis.* Cur ergo Dominus tam amanti Diſcipulæ manifeſtationem ſuam protrahebat? Planè vt dilatione capacior reddita, multiplicius, vt dicebat Sanctus Gregorius, inueniret, quod quærebat. Quamobrem ſubdit Origenes. *Simpliciter quærebat te, & veraciter inuenit te, & non eſt derelicta à te; ſed plus eſt conſequuta per te, quam expectauerat à te.* Quærebat enim & expectabat Dominum mortuum, & inuenit non ſolum viuentem, ſed in gloria Patris, triumphantem. Id luculentius, & explicatius tradit Gregorius, de Maria enim ſic habet: *Quæſiuit ergo prius, & minimè inuenit; perſeuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret. Actumque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent, quod inueniſſent.* Et paucis interiectis addit: *Prius ergo non inuenimus quæritur, vt poſt inuentus ſtrictius teneatur. Sancta enim deſideria, vt prædiximus dilatione creſcunt; ſi autem dilatione deficiunt, deſideria non fuerunt.* Ideo ergo fames iuſtitiæ, id eſt, ardens deſiderium virtutis ſemper in iuſtis creſcit, quia à Domino deſideratum bonum abſconditur, vt ardentius quæratur.

Secundo, ideo in iuſtis ſemper creſcit fames iuſtitiæ; quia id conſentaneum eſt naturæ ipſius iuſtitiæ, ſiuè virtutis, quæ quanto cæteris rebus pretioſior eſt, & immortalior, tanto ipſius amor eſt in dies ardentior. Aliarum certè rerum deſiderium ocyus defloreſcit, atque marceſcit, nec mirum cum earum rerum ſit, quæ facile, ac cito ipſæ marceſcunt, & pereunt, at virtus ita natura ſua excellit, ac præſtat, vt cum cœperit amari, magis perpetuo excitet ſui deſiderium, ac famem. Id exemplo deſiderati theſauri adſtruit ſanctus Gregorius:

S. Gregor. lib. 5. mor. cap. 3.

Omnes, inquit, qui fodiendo theſaurum quærunt, cum fodere altius cœperint, ad laborem inſtantius inardeſcunt; quia quo ſe theſauro abſcondito iam iamque appropinquare æſtimant, eo in effodiendo enixius laborant. Qui igitur plenè mortificationem ſuam appetunt, quaſi effodientes theſaurum quærunt; quia quanto fiunt viciniores ad finem, tanto ſe exhibent ardentiores in opere. Laborando ergo non deficiunt, ſed magis ad vſum laboris creſcunt; quia quo iam præmia propinquiora conſiderant, eo in opere delectabilius exudant. Virtutis ergo deſiderium non conſumitur vſu, non deficit laborando, ſed potius vires acquirit eundo, quia ſummum quærit theſaurum. Gregorio concinit Chryſoſtomus, & dictis hæc addit:

Chryſoſt. hom. ſuper oratione Annæ.

Qui theſaurum effodiunt, licet infinitas capiant diuitias, non prius abſiſtunt, quam totum exhauſerint, non enim vt multa tollant, ſed vt nihil relinquant; hæc eos præcipue cura tenere ſolet. Multo magis hoc nos in diuinis facere theſauris oportet, tandiu effodere, quoad totum exhauſerimus apparens. Apparens autem dixi, quoniam omnia exhaurire non datur. Quam ob rem iure optimo Seneca in prouerbio, hominum ſocordiam incuſat: *Vt auri (inquit) aliquid extrahamus, terram euertimus; vt ſummum bonum occupemus & ſapientiam reperiamus pectus ſcrutari piget.* Id peccatoribus, & imperfectis vſu venit; iuſti vero feruentes, quo magis deſiderij fame ad cœleſtes theſauros aſcendendo ſe extendunt, magis deſiderando dilatantur. Quapropter perfecta anima ab ſponſo laudatur illis verbis.

Cant. 7.

verbis : *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Vbi Sanctus Gregorius ad inſtitutum noſtrum , ſic habet : *Palma quippe dum creſcit deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur ; ſic ſancta anima ab imis ad minima incipit ; & paulatim ad maiora creſcendo vſque ad amplitudinem perfectæ charitatis peruenit.* Tertio, ideo fames iuſtitiæ in dies in iuſtis creſcit, quia qua re videbitur explenda, & ſatianda, ea magis excitatur, & acuitur, nempe ipſo cibo interno iuſtitiæ ; nam quo magis quis hoc cibo veſcitur , eo maioris deſiderij fame tenetur. Id ipſa ſapientia , id eſt, perfecta virtus clamat : *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Eccleſ. 24.

Vbi Hugo Cardinalis ſic : *Qui edunt me ſibi incorporando intellectu & affectu , adhuc eſurient me ; quia quanto profundius ſentitur ſapientia , tanto ardentius concupiſcitur.* Idem intellige de ſiti, quæ ſimiliter ſignificat ardens deſiderium virtutis ; & eo tantum differt à fame , quod hæc ſolum nomen habet , vbi difficilis eſt virtus ; ſitis vero vbi facilis , vt interpretes annotant; vtrobique vero tam ſuauis eſt , vt ſiue comedendo , ſiue bibendo ſatians non ſolum faſtidium non generat , ſed maioris deſiderij famem & ſitim excitat. Audi Sanctum Bernardum:

S. Bernard. hom. 1. ſup. Miſſus eſt.

Qui edit me , adhuc eſuriet &c. vtique , *propter ſaporis dulcedinem hoc dicebat , qui ſemel guſtatus magis excitat appetitum. Bonus fructus , qui animarum eſurientium & ſitientium iuſtitiam , & eſca, & potus eſt.* Sed de hoc luculentius & explanatius diſſerit Gregorius.

S. Greg. hom. 36 in Euang.

Hoc diſtare (inquit) *inter delicias corporis , & cordis ſolet , quod corporales deliciæ , cum auidè eduntur , comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales deliciæ tanto à comedente amplius eſurinntur, quanto , & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis ſaturitas faſtidium generat , in iſtis ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant ; quia quanto magis earum ſapor percipitur , eo amplius cognoſcitur , quod auidius ametur. Idcirco non habitæ amari non poſſunt , quia earum ſapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Pſalmiſta nos admonet, dicens : guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

Pſalm 33.

Ac ſi aperte dicat : ſuauitatem eius non cognoſcitis ſi hanc minime guſtatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem amare valeatis. Quia ergo homines internas , æternaſque delicias non comedunt ; idcirco eas non eſuriunt ; cum vero homo ſine deliciis viuere non poſſit, illico ad terrenas ſe conuertit quarum & fame tabeſcit , & experientia edendi non quieſcit, quia dum comedit grauiter faſtidit.

Capvt II.

Quomodo ſitis bonorum temporalium inſatiabilis ſit.

CVm Chriſtus Dominus eſurientes iuſtitiam beatos appellet, conſequens eſt , vt ſitientes bona temporalia miſeros iudicet, eo præcipuè titulo quod inſatiabili ſiti ſemper cruciantur ; ſoli enim, qui ſitiunt iuſtitiam ſaturantur. At peccatores miſeri omnino ſunt , quia & ſiti ipſi deficiunt , & bibendo nihil proficiunt. Nam vt bene Hugo Cardinalis ad illa verba:

Hugo. Cardinalis in cap. 24. Eccleſ.

Qui bibunt me , adhuc ſitient : duplex eſt ſitis, vna defectus, altera affectus , ſiue deſiderij. Illa eſt peccatorum , iſta iuſtorum. Quam diuiſionem ſic intelligo, vt ſitis peccatorum , quæ deſiderium etiam eſt , dicatur ſitis defectus ; quia ex defectu cordis naſcitur , quemadmodum ſitis animalium ex defectu vitalis humidi oritur: at iuſtorum ſitis dicitur , ſiue deſiderij, quia non ex defectu ſubiecti, ſed ex perfectione obiecti originem ducit, non aliter ac ſitis beatorum ſpirituum ex Chriſti pulchritudine orta , iuxta illud Petri : *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Igitur ſicut iuſti ſua ſiti nunquam deficiunt ſed ſemper proficiunt , & ſaturantur : ita peccator ſua nunquam proficit, ſed ſemper deficit, & inſatiabiliter appetit.

Hanc ob cauſam Sanctus Ambroſius amatores mundi comparat arundini , quæ ob defectum natiuæ humiditatis nimis arida ſemper fluuios ſitit :

S Ambroſ. lib. 6. in Luc.

Quin etiam (inquit) *vt arundines amant fluuios : ita iſtos labentia mundi, & caduca delectant. Merito arundines, quia nulla validioris naturæ radice fundantur.* Magnates quoſque mundi amatores iure optimo arundines dixeris : quia licet totis fluminibus alluantur , defectu vitalis humiditatis ſemper laborant, & nulla validioris naturæ radice fundantur. Hinc fit , vt nulla mundanarum aquarum copia horum corda ſatientur. Quamobrem Gouſchelius de cupidorum corde intelligit illud.

Gouſchel. lib 6 elocut. Sacr. ſcrip. Eccleſ. 1.

Omnia flumina intrant in mare , & ipſum non redundat. Nam cunctis mundi bonis ſitis mundanorum non expletur. Quocirca de auaro dicitur: *Auarus non impletur pecunia.*

Eccleſ. 5.

Ad hæc , ob defectum cœleſtis humiditatis peccator ſemper duplici illa ſiti torquetur , quæ ſymbolo geminatæ ſanguiſugæ à Salomone ſignificatur :

Prouerb. 30.

Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer , affer. Porro ſitim ex defectu peccatoribus naſci , ſatis apertè indicat multorum , maximè Rabbinorum lectio, qui ex Hebræo ſic vertunt : *Priuationis duæ ſunt filiæ , &c.* Hoc eſt, ex priuatione , ſiue defectu cœleſtis roris , quo hominum corda vitaliter humectantur, duæ naſcuntur filiæ , id eſt , duplex ſitis , qua mundi diuitias & voluptates ardentiſſimè cupiunt. Atque vt diuitiæ, voluptates , & honores , tria ſcilicet , mundi bona comprehenderentur , Septuaginta ita tranſtulerunt : *Sanguiſugæ tres filiæ erant dilectione dilectæ , & tres ipſæ non ſaturauerunt eam.*

Nizetas in orat. 20. Naz.

Nizetas ſequutus hanc tranſlationem , per ſanguiſugam concupiſcentiam, per tres eius filias , appetitionem honorum, diuitiarum , & voluptatum intelligit. Similiter exponunt Beda & Sanctus Bernardus.

Beda in hunc locum. Ber. ſerm. ad illa verba. Dixit Simon Petrus, &c.

In eo tantum differunt , quòd Beda in ſanguiſuga matre intelligit Diabolum ; Bernardus vero propriam voluntatem. Tres ergo cupiditates, quæ ardentiſſimè ſemper ſitiunt honores, diuitias, voluptates , nunquam matris ſuæ concupiſcentiæ defectum poſſunt reficere, & miſeram ariditatem , humectare. Has tres inſatiabiles ſanguiſugæ filias ænigmaticè ſubinde ſignificat Salomon his verbis : *Tria ſunt inſaturabilia : os vuluæ ; & terra quæ non ſatiatur aqua:*

ignis vero nunquam dicit ſufficit. Nam interpretes per os vuluæ, voluptatis venereæ, ſiue luxuriæ cupiditatem: per terram, quæ non ſatiatur aqua, auaritiæ affectionem; per ignem vero non dicentem ſufficit, ambitionem intelligunt. Concupiſcentia ergo ſanguiſuga eſt, quæ tres has filias, id eſt, cupiditates parit; quæ quamuis ſemper dicant, *affer, affer*: nunquam tamen matrem ſatiare poſſunt.

S. Ambroſ. lib. 1. de Abel & Cain cap 4. Philo lib de mercede meretric.

Prima ſanguiſugæ filia eſt libido, ſiue ſitis carnalium voluptatum, quæ meretricis inſtar nunquam expletur. Quapropter ſanctus Ambroſius, & Philo voluptatum libidinem cum procaci, & inſatiabili meretrice eleganter componunt.

Secunda filia ſanguiſugæ eſt diuitiarum cupiditas, quæ quantaſlibet imbibat opes expleri non poteſt: quocirca à Salomone dicitur *terra, quæ non ſatiatur aqua:* Vbi Lyra per hanc inſatiabilem tellurem arenam, vel ſabulum innui docet; hoc enim præ cæteris eſt aquarum bibulum. Sicut ergo arena incidentes pluuias, ſic cupiditas pecunias ebibit. Et quidem arenæ tanta eſt aquæ bibacitas, vt ſi quando vberior pluuia è cœlo decidens ipſam perfuderit, paulo poſt exareſcat, & nouam pluuiam ſitibunda expectet: Idem de auaritia iudicium eſt: nam licet in illam innumerabiles copiæ vbertim influant, è veſtigio ſicca in morem arenæ, alias poſt alias ſitit, ac deperit. Ob hanc inſatiabilem cupiditatis ſitim, cum hydropico comparatur auarus à Chryſoſtomo. *Rectè* (ait) *quidam dixit auaros eſſe hydropicos: quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore, magis vruntur: ita etiam auari multas circumferentes pecunias, plures concupiſcunt.* Cauſam autem egregiam ſic extexit: *Cauſa autem eſt; neque illi in quibus conuenit locis aquam habent; neque iſti diuitias, in quibus conuenit affectionibus.* Senſus eſt, ſicut hydropicis aqua ſimul, atque percolata eſt ab ſtomacho, & viſceribus ſtatim ad venas extimas tranſit, & cutem inter & carnem fluit, vnde fit, vt aqua, quæ viſceribus refrigerium præberet, ſi introrſum illis hærens, calorem foras excuteret, eadem ad externa fluens calorem intro compellat, & ſitim accendat: ſic etiam in auaris pecuniæ, atque diuitiæ, quo plures ſunt, eò maiorem ſui ſitim inflammant, quia eas non in quibus conuenit cogitationibus, & affectionibus habent: nam ſi in affectionibus miſericordiæ, & viſceribus charitatis eas haberent, & intima viſcera refrigerarent, & concupiſcentiæ calorem foras pellerent, atque inde ſani ipſi pauperibus ſubuenirent; ſed quia parcitati ac ſordibus, & vanis ſumptibus ſeruant, peſſimo concupiſcentiæ calore, & ardentiſſima cupiditatis ſiti perpetuo laborant. Deinde non in quibus conuenit cogitationibus diuitias habent, quia cum diuitiæ in deſpicientia, & contemptu ſunt, tunc quidem etiam panis, & anguſtæ deſiderium explent: at cum in æſtimatione, & admiratione locantur, licet quis immenſas facultates nactus fuerit, plures ac plures inexplebili ſiti concupiſcit. Quam etiam venuſto ſymbolo exaggerat Sanctus Gregorius Naz. qui ſic ſcribit:

S. Chryſoſt. hom. 15. in epiſt. 1. ad Cor.

Naz. in Iambicis aduerſus pecuniæ amatores.

Eſt viperarum quodpiam Dipſas genus,
Quas ſolitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale ſit nomen docet:
Huic namque morbus, quem parit nomen dedit.
Perit bibendo quiſquis hac ictus fuit.
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quouſque nimio turgidus potu crepat
Vita cadente, ſæua ſic cadit ſitis.

Id ſubinde auaris accommodat, quorum cupiditas Dipſas eſt, cuius veneno anima tam inſatiabili ſiti ardet, vt nulla diuitiarum copia poſſit expleri, ſed potius tetro cruciatu pereat.

Tertia filia ſanguiſugæ eſt ambitio, quæ meritò voraci igni comparatur: nam quo plures honores ac dignitates corripit & tenet, eo acrius inflammatur. Optime Seneca. *Nunquam*, inquit, *improba ſpes, quod datur ſatis eſt, omnia meruiſſe ſe exiſtimat, nec ſatis pretio æſtimatum putat. Maiora enim cupimus, quo maiora venerint, intemioque concitatior eſt, ambitio enim ſiue cupiditas, vt flamma infinita vis, acrior eſt, quo ex maiori incendio emicuit.* Infinitam flammæ vim dixit, quia flamma magnitudinis terminum non habet, ſed lignis additis maior, ac maior euadit ſine fine.

Senec lib. 2. de benef.

CAPVT XII.

Auari inexplebili fame diuitiarum ſemper laborant.

FAmi, atque ſiti iuſtitiæ pollicitus eſt Chriſtus perfectiſſimam ſaturitatem; quam tamen nunquam aſſequitur bonorum temporalium, maxime diuitiarum fames. Vnde iuſti, qui eſuriunt iuſtitiam, dulciſſima ſaturitate explentur: ac peccatores auari ita eſuriunt diuitias, vt nunquam ſaturentur, ſed inexplebili fame torqueantur. Hanc eorum inſatiabilem famem apta ſimilitudine explicuit Seneca. *Vidi* (inquit) *aliquando canem miſſum à Domino, fruſta panis, aut carnis aperto ore captantem, quidquid excipit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem venturi inhiat: idem accidit nobis; quidquid expectantibus nobis fortuna proiicit, illud ſine vlla voluptate dimittimus, ſtatim ad rapinam alterius recti, & attoniti aſpiramus.* Non minus apte in onocrotalo ſignificati ſunt: Eſt enim auis ſemper famelica, roſtrumque & collum oblongum habet. Quamobrem in Leuitico inter aues immundas numeratur. Vbi Heſychius ſic habet: *Hæc auis longi colli eſt, & cibum ex profunditate terræ, vel aqua (vt dicitur) trahit, nec eſt imitanda; homo enim ad ſuperiora debet tendere, nec de inferioribus ſollicitus eſſe.* Auari quidem hanc auem imitantur, nam ardenti pecuniæ fame agitati, longo auaritiæ collo ex profunditate terræ vbi aurum latet, cibum extrahere conantur. Congruit his Hugo Cardinalis, qui ſic ait: *Onocrotalus eſt auis, quæ ſonitum facit in aquis, ſimilitudinem habens cygni, innumera in faucibus congerens: & ſignificat auaros.* Quia vero in mundo peccatis vaſtato frequentes ſunt hæ aues, ideo per Sophoniam

Senec epiſt. 35.

Leuit. 11.

Digitized by Google

Sophon. 2.

niam de Niniue deſtructa typicè dicitur: *Onocrotalus & hericius in liminibus morabuntur.* Vbi ſeptuaginta pro onocrotalis habent *Chamaleontes*, qui benè pro onocrotalis ſubſtituuntur; ſunt enim & ipſi auarorum diuitias ſemper eſurientium aptum ſymbolum. Vt enim Chamæleo ſolo aëre paſcitur, quem perpetuo inſatiabiliter haurit. Ita auarus vanas, ac ventoſas diuitias famelico ſemper deſiderio aſciſcit. De Chamæleonte, Plinius ait: *Ipſe celſus hianti ſemper ore*: quod auari hominis famem exprimit. Oculi etiam Chamæleontis inſatiabiles, auari oculos optimè adumbrant. De illis enim Plinius ita: *Oculi in receſſu cauo, tenui diſcrimine prægrandes, & corpori concolores: nunquam eos operit: nec pupillæ motu, ſed totius oculi verſione circumſpicit.* Talibus oculis auari inexplebilem diuitiarum famem ſatis indicant. Quam antiqui ſignificare voluerunt, cum finxere Midam Apollinem petiiſſe, vt quidquid tangeret aurum fieret, quo impetrato fame peritutum fuiſſe, niſi ter in Pactolo caput lauiſſet, quod interprete Fulgentio ſignificat, auarum ſemper famelicum eſſe, vel potius emori fame. Cuius ſatis teſtimonium in paratis ſupra modum, & neceſſitatem diuitiis clariſſimè extat. Nam ſicut animalia nimis famelica, & voracia multo plura ad victum parant quam egeant: Lupus enim qui vna oue indiget, decem cogente fame trucidat: ſic auarus, cum natura paucis contenta ſit, infinitam pecuniæ vim conatur congerere. Quamobrem auarus rei omnium voraciſſimæ, ſcilicet, inferno comparatur. Vnde Abacuc dicit: *Dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Vbi Hugo Cardinalis ait: *Nabuchodonoſor per cupiditatem dilatauit quaſi infernus animam ſuam inſatiabiliter.* Et in Prouerbiis in perſona auarorum ſcribitur: *Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem.* Ideo dixit Hieronymus: *Auarus eſt ſicut infernus, inſatiabilis eſt enim, & quo amplius rapit, & deuorat, eo amplius rapere ſitit, quod deuoret.* Similiter ſanctus Auguſtinus ait: *Auarus inferno eſt ſimilis: infernus enim quantoſcumque deuorauerit, nunquam dicit ſatis eſt; ſic & ſi omnes theſauri confluxerint in auarum, nunquam ſatiabitur.* Ex quo debet intelligi, quam optimo iure Sapiens dixit: *Auarus non implebitur pecunia.*

Plin. lib. 8. cap. 33.

Fulgent. lib. 2.

Abacuc. 2.

Prouerb. 1.

S. Auguſt. lib. de ſalut. documento cap. 30.

Eccleſ. 5.

Capvt XIII.

Miſericordes quo iure Dei miſericordiam conſequentur.

SAtis de fame perfectionis egimus, nunc de exercitio eius per miſericordiæ potiſſimum opera agamus, ad quæ nos inuitat Saluator hoc miſericordiæ elogio: *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Mira miſericordiæ prærogatiua, vt per humanam, diuinam miſericordiam conſequamur. Quaſi venalem enim Deus nobis miſericordiam ſuam propoſuit, quam noſtra miſericordia veluti emimus & noſtram facimus. Audi Chryſoſtomum: *Nundinæ nobis mirabiles ſunt: quandiu nundinæ perdurant, demus eleemoſynam, ſalutem emamus, &c.* Et quidem in his nundinis eam Dei miſericordiam nobis metemur, qua nobis regnum ipſum cœlorum elargitur. Quapropter ſanctus Auguſtinus ait: *Felix operarius, cultor eleemoſynarum, eo quod ære ſuo comparauerit cœlum.* Concinit Chryſoſtomus: *Duæ* (inquit) *vitæ propoſitæ ſunt, temporalis & æterna; vendit illas Deus. Cæterum æternam nobis vili pretio dare mauult. Et poteſt, inquies, æterna vita pecuniis emi? Poteſt, ſi noſtra in pretium demus.* Quod typice adumbratum eſt in eo quod Salomon ex oliua fecit oſtiola intimæ partis templi, quæ Sancta Sanctorum dicitur, & cœlum repræſentat, vt ſcripſit Paulus ad Hebræos: Signum eſt miſericordiæ oliua; quis ignorat? Oſtia vero ex oliua in Sanctis Sanctorum fabricata ſignificant miſericordiam ingreſſum nobis in Sancta Sanctorum, id eſt, cœlum aperire. Etenim cœli oſtia ex miſericordia ſunt fabricata. Ex monte oliuarum aſcendit in cœlum Chriſtus: ex monte miſericordiæ aſcendet Chriſtianus: nam miſericordia cœlum emitur.

S. Chryſoſt. hom. 5. de Pœnit.

S. Auguſt. lib. 50. hom. hom. 39.

S. Chryſoſt. epiſt. 2. ad Timoth. hom. 6.

3. Reg. 6.

Quia vero ad fores cœleſtis regni diuina iuſtitia aſſidet, cauſas ingredientium diſcutiens, ne timeat homo miſericors; quia miſericordia iudicem delinit, & iudicium quaſi corrumpit, vt ſic dicam. Quod illuſtrare licet ex illo Iacobi: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia iudicium.* Hoc eſt, iudicium vires magnas habet aduerſus eos, qui non faciunt miſericordiam, non autem contra eos, qui miſericordiam exercent, cuius hanc attexit rationem: *Superexaltat autem miſericordia iudicium.* Quæ ſententia grauida eſt ſenſuum & multifariam ab interpretibus ſacris exponitur; omnes tamen explicationes eodem recidunt, videlicet, hominem, miſericordia comite, ſecurum ad iudicium accedere, quia *ſuperexaltat miſericordia iudicium.* Aliqui metaphoram putant à trutina deſumi, quaſi in iuſtiſſima Dei libra, ſiue bilance, in vna lance iudicium collocetur, in altera vero miſericordia, cæterum miſericordia iudicio præponderet, ideoque lancem, in qua iudicium eſt, eleuet, aſſurgereque faciat; quia ſcilicet, maioris ponderis eſt, quam iudicium. Quapropter fideles in id magno ſtudio nauare debent operam, vt lanceam miſericordiæ eleemoſynis, & aliis miſericordiæ operibus abunde onerent, vt iudicio præponderantes à diuina iuſtitia minime lædantur. Alij vero in hac Iacobi ſententia ſignificari putant, miſericordiam ſuperexcedere iudicium quantum ad effectus, & quaſi in loco altiori eſſe, quod Sanctus Auguſtinus ſignificatum in eo exiſtimat, quod propitiatorium ſuper legem eiuſque iudicia fuit collocatum. Ideo ergo miſericordia miſericordiam conſequitur; quia ipſa Dei miſericordia miſericordes ad ſe aduocat, & in altiſſimo, ac tutiſſimo loco ſua protectione à diuina iuſtitia defendit. Hanc expoſitionem firmiter fulcit Syriaca lectio, quæ ſic habet: *Exaltati eſtis per miſericordias ſuper*

Iacob. 2.

Digitized by Google

ſuper iudicium: quoniam miſericordia hominem ſuperexaltat, & extollit in iudicio, ne condemnetur. Expende illud *exaltati eſtis per miſericordias*, quaſi homo operibus miſericordiæ plurimorum graduum ſcalam altiſſimam ſibi ſtruxerit, qua ſupra iudicium exaltatur, ne à diuina iuſtitia condemnetur. Per hanc ſcalam, manum pariter porrigente diuina miſericordia tutiſſimum locum miſericors aſcendit. Præterea in Græco textu ſic legitur: *Gloriatur ſeu exultat miſericordia aduerſus iudicium*, tanquam victrix, vt annotat Caietanus, quoniam ſcilicet iudicium ſuperat, & de iudicio triumphat; miſericordia enim hominem munit, vt Dæmones vincat, qui in iudicio ſunt accuſatores. Nam vt hoc loco ait Oecumenius: *Miſericordia oleo, quo athletæ corpora vngebant, ſimilis eſt: dat enim oleum elabi, ne ab aduerſariis teneantur; & ita in iudicio vniuerſali miſericordia noſtra erga egenos dabit effugere impetus, ac pericula; quæ à Dæmonibus accuſatoribus noſtris imminebunt.*

Prætermittendum autem non eſt, miſericordiam vt hunc tam excelſum præſtet effectum, ex corde naſci oportere. Scitè enim Sanctus Remigius ad hunc locum Matthæi dixit: *Miſericors dicitur, quaſi miſerum habens cor, quia alterius miſeriam quaſi ſuam reputat, & de malo alterius quaſi de ſuo dolet.* Cum ergo miſericordia à corde dicatur, à corde debet incipere, & inde ad os, manuſque tranſire. Ad os inquam, ita vt blandis verbis opis indigentem compellet, miniméque acerbis iuxta illud: Eccleſ. 18. *In omni dato non des triſtitiam verbi mali: nonne ecce verbum ſuper datum bonum? Sed vtraque cum homine iuſtificato.* Neque vero ſatis verba ſunt, accedant opera iuxta illud Ioannis: 1. Ioan. 3. *Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate.* Quapropter Sanctus Gregorius: S. Gregor. lib. 20. mor. cap. 14. *Dilectio (inquit) noſtra ſemper exhibenda eſt, & veneratione ſermonis, & miniſterio largitatis.* Ad hæc, tunc maxime miſericordiam ex corde eſſe cognoſcimus cum proximi indigentis preces minime expectamus, ſed vltro non petenti tribuimus. Quod docet Auguſtinus: S. Auguſt. lib. 50. hom. hom. 39. *Perfecta, inquit, miſericordia eſt, vt ante occurrat eſurienti cibus, quam roget mendicus.* Perfecta plane miſericordia quæ ex corde eſt, feſtina eſt, preces antegreditur, non precibus extorquetur. At ſemper mendicorum preces præcedunt: ſi enim ore tacet, ipſa paupertate loquitur. Vnde idem Auguſtinus: Sup. *Si tacet, inquit, mendicus, loquitur pallor in facie, &c.* Hinc illud Sancti Chryſologi: Chryſolog. ſerm. 121. de Lazaro & diuite. *Deus (inquit) ad aperiendum cor diuitis totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo diuite tot eſſent pauperis ora, quot vulnera.*

Capvt XIV.

In iudicio Dei inuenient miſericordiam qui miſericordes ſunt.

TVnc miſericordes maxime miſericordiam inuenient, cum tempus eſt maximæ iuſtitiæ in iuſtiſſimo iudicio Dei prout ſancti conteſtantur Patres. Sanctus Auguſtinus ait: *Si feceris miſericordiam, expectabis ſecurus iudicium: ſecurus de miſericordia Dei, quia miſericordiam prærogaſti; iudicium autem ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam.* S. Auguſt. in Pſal. 147. Conſonat ſanctus Chryſoſtomus inquiens: *O ſingularem eleemoſynæ vim; ſola ad diuinum tribunal irrepit. Ne timeamus, ante iudicium manus protendentem. Ne iudicem metuamus, qui ſe accepiſſe, minimè inficiatur.* S. Chryſoſt. apud Damaſc. lib. 2. Parallelor. c. 16. Verè non eſt timendus iudex, qui munera libenter accepit, quæ eius oculos excæcant, ne videant crimina. Nemo ſeuerus iudex eſt in eum, à quo blandus munera accipit. Sic Chriſtus minime duro iudicio vult in eum animaduertere, cuius dono delectatur. Ex aduerſo, contra immiſericordes duriſſimus eſt iudex; quia iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam. Vnde mittens Dominus pauperes diſcipulos ſuos ad prædicandum, mandat, vt puluerem ciuitatis, in qua hoſpitio non recipiuntur, de pedibus excutiant. Matth. *Excutite (inquit) puluerem de pedibus veſtris.* Cur ita? Reſpondit Tertullianus inquiens: Tertullian. lib. contr. Marcion. *Cum iubet puluerem excutere de pedibus in eos, à quibus excepti non fuiſſent, & hoc in teſtimonium mandat fieri; inhumanitatemque in teſtationem redigi iubet, iudicem minabatur.* Vt iudicem minatur, qui immiſericordis ciuitatis puluerem reſpuit; ita Patrem pollicetur, qui aliquid à miſericordi accipit. Id bene colligi poteſt ex Ioanne, vbi iudicium paterna miſericordia plenum egit in cauſa aduenæ. Ioan. 8. Notauit autem Sanctus Ambroſius hanc in iudicando benignitatem à vicino eleemoſynarum loco manaſſe: S. Ambroſ. epiſt. 76. nam ſic ſcripſit: *Hoc adulteræ iudicium in templo Dei poſitus exercet, ſicut ſcriptum eſt infra: hæc verba locutus eſt Ieſus, in gazophilacio, docens in templo. Quid eſt gazophilacium? Collatio fidelium: ſumptus pauperum, requies egenorum.* Gazophilacium erat templi theſaurus ad egenorum eleemoſynas: iuxta hunc theſaurum iudicium miſericordiæ erga peccatricem exercet, quo teſtatum maneret, eos, qui theſaurum miſericordiæ in cœlo recondunt, poſſe ſibi miſericordiæ iudicium certiſſimè polliceri.

Nemo id quidem mirabitur, ſi aduertat animum in eos aduocatos, qui in hoc iudicio miſericordium cauſæ patrocinantur. Et primum quidem ipſa miſericordia, cui ſemper ipſi ob ſecundarunt, hoc patrocinium ſuſcipit. Quale autem hoc ſit luculenter, ac eleganter explicat Sanctus Petrus Chryſologus inquiens: S. Pet. Chryſ. ſerm. 8. *Eſt in cœlis miſericordia ad quam per terrenas miſericordias peruenitur. Domine, inquit, in cœlo miſeri*

miſeri

miſericordia tua. Dicturus cauſam in iudicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordia certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolum cauſam prævenit, anticipat cognitorem, ſed etiam ſententiam reuocat, abſoluit addictos. Quod Niniuitæ probant, quos iam ſententiæ ſubiectos, pœnæ traditos ad victimam ſtantes, morti deditos, miſericordia ſic rapuit, ſic tenuit, ſic prævenit, vt maluerit Deus deduci ſententiam, ne miſericordiæ quid negaret. Fratres per miſericordias pauperum miſericordiam paremus, vt poſſimus eſſe de pœna liberi, de ſalute ſecuri. Beati, inquit, *miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Secundo tota Eccleſia patrona eſt hominis miſericordis, id

Pſal 40.

colligitur ex Regio vate, qui ait: *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum.* Ex quo loco idem Chryſolog.

Idem Chryſol. ſerm. 15.

ſic ratiocinatur. *Non dixit conſeruat, & viuificat, ſed dixit: conſeruet & viuificet. Dixit, non vt vt denuntiantis vox ſit iſta, ſed rogantis. Qui audiuit rogantem egenum, ecce audit orbe toto pro ſe Eccleſiam ſic rogantem Dominus conſeruet eum, & viuificet eum.* Quid autem non conſequetur is pro quo tota Eccleſia rogat? Tertiò, pauperes ipſi, qui eleemoſynam accipiunt, pro miſericordibus ſunt in cœlo aduocati. Quapropter

S. Hildebert. Ep. 61.

Hildebertus ſcribit his verbis: *In cœlo nulli melius pro reis agunt, quàm pauperes aduocati. Pauperes ante ſupremum Tribunal in propulſandis delationibus obtinent principatum. Vnde fit vt bene ſperes de iudice quiſquis pauperum meretur interuentum. Pro quo eorum voces conualeſcunt ſententiam non timet capitalem.* Opportunè Sanctus

S. Chryſoſt. in cap 22. Lucæ.

Chryſoſtomus, ait: *Iudex noſter per pauperes corrumpitur. Fac ergo per pauperis manum iudicis poſticum pulſes. Etenim ille munera tua per eum accipit, ac leges adulterat. Accipit inquam atque ex iuſto benignus efficitur: accipit inquam, & veritati miſericordiam anteponit, ac cum*

Idem hom. in Pſal. 38.

peccatorum lance pauperum contra perpendit. Ac rurſus: *Si Deus à nobis fœnori accipit, ergo noſter eſt debitor, vtrum ergo eum habere vis iudicem, an debitorem? Debitor creditorem veretur; Iudex eum, qui in iudicium adductus eſt, non veretur.* Itaque cum miſericordiæ eleemoſynarumque theſauri, quos homo miſericors in cœlo recondit ad propulſanda imminentia quæque mala plurimum valeant, tum maxime pro extremo iudicij periculo ſunt ſalutares. Enim verò hoc ferè præcipuum eſt diuitiarum emolumentum, vt poſſidentem muniant, & illi pro vrbe ſint tutiſſima, atque omni murorum, militumque præſidio cincta ad obſiſtendum hoſtibus, infortuniis, calamitatibus & reliquis malis. Quod Salomon

Prouerb. 10.

apertè ſignificauit, dicens: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Sed cum diuitiæ contra imminentia huius vitæ mala ſint pro vrbe munitiſſima; multò magis id præſtant in extremo iudicij periculo, ſi homo eis rectè ſit vſus in pauperum ſubſidium; In hunc enim ſenſum S. Ambroſius præfatum locum explicans, ait: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius, id eſt, vrbs cœleſtis Hieruſalem, quam diues ingreditur, bona ſua, & fortunas pauperibus liberaliter, & effuſè diſtribuens.*

Caput XV.

Miſericordia erga miſeros cœleſtis, & perfectiſſima virtus eſt.

Qvoniam ſimilitudo morum voluntates conciliat: Sic Deus quia miſericors, in miſericordes propenſus eſt, & amat cognatam ſuæ naturæ virtutem miſericordiæ planè cœleſtis & perfectiſſimæ, cuius quidem perfectionem reſpiciens S. Ambroſius, dixit: *Bona eſt miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit; quia imitatur perfectum Patrem.* Cui conſonat S. Greg. inquiens: *Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectius ſentit dolores alienos.* Et quidem mirum non eſt, ſi tanta ſit miſericordiæ perfectio, cum diuinam perfectionem æmuletur, vt dicebat Ambroſius. Quamobrem S. Gregor. Nyſſen. miſericordem vocat. *Inſignitũ propria nota Deitatis.* Deo enim, cuius natura eſt bonitas nil tam proprium eſt, quam miſereri ſemper, & parcere. Idcirco S. Gregor. Naz. dixit: *Nil tam diuinum homo habet, quam de aliis benemereri: Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Vnde S. Ambroſius meritò affirmat: *Nihil tam commendat Chriſtianum animum quam miſericordia.*

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 11.
S. Gregor. lib. 19. mor. cap. 3.
S Gregor. Nyſſen. lib. de beat.

Porrò, cum miſericordia adeò perfecta virtus ſit, facilè virtutibus aliis antecellit. Quod concinnè, & luculenter monſtrat Hugo Victorinus, vbi explicans vnctiones, quibus Maria Magdalenæ vnxit ſemel Domini pedes, iterum caput, ac tertio corpus ad ſepulturam, docet has tres odoratas, & aromaticas confectiones totidem ſignificare virtutes, quibus Chriſtum vngimus, & honore proſequimur: nam pedes vnguntur contritione, caput gratitudine, corpus miſericordia; qua omnes & beneuolos & inimicos complectimur, ſic ille ait: *Mulier igitur, id eſt anima peccatrix pedes iſtos vngit, malitiam in mortariolo cordis terendo. Anima iuſtificata caput vngit, de tollatis ipſi beneficiis, capiti ſuo, id eſt Deo, non ſibi attribuens, gratias agendo. Ieſum ipſum, id eſt, totum corpus vngit pia mulier, charitatem ſuam vſque ad inimicos corporaliter & ſpiritaliter exercendo; in corpore enim Chriſti, quod eſt Eccleſia boni & mali tolerantur. Primum, quamuis pedibus offeratur: non eſt tamen vile, cum de eo dictum ſit & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Eſt enim odor vitæ ad vitam. Nec ſolum ad terrenam ſed ad cœleſtem etiam Eccleſiam attingit odor pœnitentis, teſte enim veritate; gaudium fit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Huius vnguenti ſpecies in propriis hortulis inuenimus. Quis enim de proprio ſuo ad manum non habeat iniquitates, & peccata, ſi non diſſimulat? Secundo autem aromata, beneficia ſcilicet Dei, procul & de vltimis finibus ea accipit: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt. Non eſt igitur pauperis hoc vnguentum, de quo nimirum, quia tangi caput illud venerandum non ducit indignũ, indicat honoris eſſe inſigne. His duobus tertium præfertur; Sanatiuum enim eſt, de quo dicitur à Domino: Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Primum itaque bonum, ſecundum melius; tertium optimum.* Planè perfectiſſima virtus eſt, quæ inter perfectas virtutes eminet: planè cœleſtis virtus eſt, quæ cœleſtibus virtutibus anteſertur.

Hugo. Victor. lib. 2. miſcel tit 60.
Ioan 12.

Pſal. 88.

Et quidem cœleſtem virtutem eſſe miſericordiam apertè prædicauit Regius vates vbi cum Deo ſermonem habens, ait: *Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis: præparabitur veritas tua in eis.* Quo loco Hugo Cardinalis paſſiuè, & actiuè accipit vocem *miſericordia.* Paſſiuè hoc modo; *Miſericordia tunc ædificatur in cœlis, cum opera miſericordiæ cumulantur.* Illud autem *in æternum* ad perſeuerantiam in operibus miſericordiæ refert Hugo, quod ſint multi, qui inceptam miſericordiam omittunt, de quibus per Oſeam dicitur, *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* De his autem qui perſeueranter miſericordiam exercent dicitur in Sapientialibus: *Hi ſunt viri miſericordiæ quorum pietates non defecerunt.* Cum ergo pro cæteris virtutibus manſiones in cælo variæ ſint. Nam vt aduertit Nazian. *Vt varij vitarum delectus, ita multa quoque apud Deum manſiones, quæ cuique pro merito ſuo, & dignitate diuiduntur, & diſtribuuntur.* At miſericordiæ non manſio aſſignatur, ſed cœleſtis domus ædificatur; *Quoniam miſericordia ædificabitur in cœlis.* Secundò, actiuè accipit Hugo prædictam vocem *miſericordia*, vt videlicet ſit in ablatiuo caſu, quaſi per illam, vel eius manu ædificetur in cœlis æterna manſio: *Vel miſericordia*, inquit, *eſt ablatiuus caſus, id eſt, per miſericordiam, aut miſericordiæ opera ædificabitur in cœlis æterna manſio.* Cum igitur ſingulis virtutibus ſingulæ manſiones in cœlo ædificentur, ſola miſericordiæ manus architectatur; & quidem eius arte tam firmum opus euadit, vt in æternum duret. Ideò enim dicitur: *In æternum miſericordia ædificabitur.* Sequens verò huius loci pars: *Præparabitur veritas tua in eis*, Eleganter ab Hugone præfatæ explicationi attexitur his verbis: *Domus autem non ſufficit ſine cibo, vnde addit: præparabitur veritas tua in eis. Quaſi cibus præparabitur comedendus in aula Regia: veritas enim, quam tunc plene cognoſcemus paſcet nos, & reficiet. Hæc eſt vita æterna; vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ad hanc miſericordiæ domum alluſit S. Chryſoſt. cùm dixit: *Domum in cœlis manus pauperum ædificant.*

Oſeæ 6.

Eccleſ. 44.

Nazianz. orat. 26.

Chryſoſt. hom. 32. in in Epiſt. ad Hebr.

Capvt XVI.

Miſericordes ipſam ſuam miſericordiam theſaurizantes in cœlo conſequuntur.

COeleſtis iſta miſericordiæ virtus vberes in cœlis fructus recondit, atque idcirco dici poſſent miſericordes conſequi miſericordiam, quia non ſolum Dei miſericordiam conſequuntur, ſed ſuam quoque ipſam, ſcilicet, eleemoſynam quam faciunt inuenientes cum fœnore multiplicatam in cœlis, quandoquidem ij qui pauperibus eleemoſynas erogant in cœlo theſaurizant, quia locupletiſſima præmia eos in cœlo manent, qui pro exiguis munuſculis ſpirituales & æternos theſauros, & in præſenti, & in futura vita inuenient. De his ſpiritualibus opibus, quæ miſericordiæ conceduntur, piè & eleganter diſſerit Chryſoſtomus, vbi inter alia dixit: *Eleemoſyna fons puriſſimus eſt, iuxta quem, non pinus, & quercus & cypariſſi, ſed planta illis multò preciores, amor Dei, laus hominum, gloriaque in Deo, beneuolentia ab hominibus, peccatorum abolitio, multa fiducia, opum contemptus. Hic fons parit flumen illud, quod ſalit in vitam æternam.* Similiter de eo, qui nudum veſtit dixit Sanctus Ambroſius: *Si nudum veſtias, te ipſum induis iuſtitia.*

S. Chryſoſt. hom. 22. in acta Apoſt.

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 11.

Planè ei, qui peregrinos ſuſcipit, quod præclarum eſt miſericordiæ genus, magnus retribuitur præmij theſaurus. De quo Chryſoſtomus, ſic habet: *Patriarcha Abraham pro foribus ſedens, introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piſcator iacto in mare reti, piſcem quidem attrahit; attrahit autem frequenter aurum & margaritas: & hic itidem rete captans homines, piſcatus eſt tandem & Angelos.* Miſericordiæ rete nil non pretioſum piſcatur, & extrahit è mari diuinæ beneficentiæ. Conſonat Sanctus Ambroſius, vbi de eodem Patriarcha, ait: *Ante oſtium ſedebat Abraham in meridie, quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentus. Meritò illi Deus apparuit quia fructum hoſpitalitatis ſtudioſiſſimè requirebat.* Et paulò inferius: *Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium, Deum, atque Angelos eius hoſpitio ſuſcipit. Et cum hoſpitem ſuſcipis, Deum ſuſcipis, dicente Domino, hoſpes eram, & non collegiſtis me: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Miſericordia ergo non ſolos Angelos, ſed etiam Deum expiſcatur. Sanctos etiam omnes piſcatur hæc hoſpitalitatis miſericordia: vnde idem Ambroſius, dixit: *Si peregrinum ſub tectum inducas tuum, ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias & æterna tabernacula.* Quis theſaurus hoc opulentior, vt ſuſcepto peregrino, Angelos, Deumque ſuſcipias, & Sanctorum omnium amicitiam ineas, & ipſorum tabernacula adeas? Quem theſaurum ſubodorata eſt Raab meretrix, cùm non ſolum peregrinos exploratores hoſpitio ſuſcepit, ſed ne eos proderet, etiam capitis periculum ſubiit. De qua proinde S. Auguſtinus, ſic pronuntiauit: *Illa ſi à ſuis ciuibus eſſet occiſa pro miſericordiæ opere, vitam iſtam pretioſa in conſpectu Domini morte finiuiſſet: & erga exploratores eius beneficium inane non fuiſſet.*

S. Chryſoſt. con. 2. de Lazaro.

S. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 5.

Math. 25.

S. Ambroſ. lib. 1 offic. cap. 11.

S. Auguſt. lib. contra mend. c. 17.

Prætereà egregias, ac Regias coronas miſericordes piſcantur. S. Chryſoſtom. Amaranthinas, & immarceſſibiles coronas miſericordibus aſſeruari dicit. Quin etiam exploratum eſt, nullam coronam abſque miſericordiæ ope donari. Triplex enim corona, vel aureola numeratur, qua Deus Sanctos ſingulariter exornat. Prima eſt virginitatis, quæ abſque eleemoſyna, & pietate non ſolet concedi, prout fatuæ illæ virgines oſtenderunt, quæ, quoniam oleo miſericordiæ eſſent deſtitutæ, à regalibus nuptiis repulſæ, coronas virginitatis perdiderunt. Secunda corona eſt martyrij, hanc itidem non ſolet ſuſcipere caput, quod oleo miſericordiæ non ſit delibutum. Nam vt optimè infert Chryſoſtomus: *Quomodo ſanguinem ſuum profundet, qui pecunias ſuas pro Chriſto effundere timet.* Tertia eſt Doctorum, quæ per miſericordiam etiam poteſt comparari: ille enim tanquam doctus & ſapiens valet coronari, à quo pecunia in pauperum ſubſidium profunditur. Audi Salomonem:

S. Chryſoſt. hom. 33. ad pop.

ſuprà.

Digitized by Google

Proverb. 14. monem : *Corona ſapientum diuitiæ eorum.* Vbi Hugo Cardinalis, ſic interpretatur, vt per diuitias in pauperum vſum benè diſtributas corona ſapientum acquiratur.

Eccleſ. 11. Quamobrem idem Salomon ad omne miſericordiæ opus exhortans, ne de præmio dubitemus, admonet : *Mitte*, (inquit) *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum*, vbi Sanctus Gregorius Thaumaturgus optime exponit, his verbis : *Quamuis id ſtatim perdidiſſe quibuſdam videaris, quemadmodum ſi panem in aquam conieciſſes ; tamen progreſſu temporis nequaquam infrugifera tibi apparebit beneficentia.* Plurima de miſericordia oporteret diſſerere, niſi alio id loco præſtiterimus.

Nihilominus appendam nonnulla, quæ de laudibus miſericordiæ elegantiſſime diſſeruit S. Valerianus, cuius vnicum elogium pro multis erit.

Caput XVII.

Exhortatio ad miſericordiam. Ex S. Valer. hom. 7.

SI reſpiciamus omnes iuſtitiæ gradus, per quos opus Religionis inſtruitur, non inuenies cui non apud Dominum gratioſa ſeruitus locum compararet dignitatis. Sed hæc ipſa, fides quæ in nobis operatur, quamuis humano labore proficiant ; ad Dominum referenda ſunt : per quem, & in quo ſi qua ſunt bene geſta conſiſtunt, & in poſterum quibuſque profutura ſeruantur. Vnde nemo Sapiens Dei beneficia ſuis virtutibus æſtimet applicanda, ne audiat illam

1. Cor. 4. Apoſtoli ſententiam, dicentis: Quid habes, quod non accepiſti, aut ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis ? Scimus quidem, dilectiſſimi, quod iuxta Euangeliorum fidem, quæ beatitudinis commiſſa commemorat, homini iuſtitia in cœleſtibus locum fecit, id eſt, promiſſionem Paradiſi, & æternam repromiſſionis, gratia manſuetudinis, & humilitatis obtinuit ; cordis puritas Chriſtum videre meruit, miſericordia conſimilem mercedem retributionis accepit : pacis iucunditas multis inter filios Dei locum parauit : pœna Sanctorum victoriæ coronam, & cœleſtis regni gloriam ex virtutum meritis adquiſiuit. Sed hæc omnia vna, atque eadem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem iuſtis laboribus præſtat, ac bonæ voluntati quæcumque ſunt optima ſubminiſtrat. Vnum eſt ſane, & permimium ; quod ex illa miſericordiæ ſede deſcendit, in quo ſibi quotidie iuſte poſſit mortalis homo gloriari : hoc eſt refectio pauperum, & redemptio captiuorum : ſi tamen ipſam non aut iactantia diſſipet, aut triſtitia

Matth. 25. ingrata conturbet. Audiſtis ecce Euangeliſtam dicentem: Venite benedicti patris mei, poſſidete mecum regnum cœlorum promiſſum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare ſitiui, & dediſtis mihi bibere, nudus eram, & veſtitis me. Videtis ergo quod ſi gloriari cuiquam oportet, non niſi in hoc opere conuenit gloriari, in quo paſci, ac veſtiri ſe Dominus præcipit ; Et in dies famem ſuam portiuncula panis fracti poſtulat ſaturari. Si vultis ergo, vt non ſit inanis noſtra gloriatio, primo loco abundantibus eleemoſynis ſummi regis redimamus amicitias : & vt nobis pateat cœleſte regnum, omne miſericordiæ ſtudium conuertamus ad Dominum. In cuius amore non otioſè, aut negligenter pauperum tractandæ ſunt lachrymæ : ne ille, qui totum orbem ſolet paſcere, ad noſtram confuſionem inter mendicos videatur eſurire. Contemplare denique ſingulorum neceſſitates, & noſtri erga miſeros ſollicitudinem, ſaluatoris: Et intellige ibi eſſe Chriſtum noſtrum, vbi abundantiam videris lachrymarum. Nec enim longè tibi quærendus eſt Dominus, ſi non ſis auarus : Expectat nos ecce foris, cum illa ſuorum turba famulorum. Non enim tibi errandum eſt oculo, vt dubites circa quem potiſſimum opus miſerandæ erogationis impendas. Ipſum ſcias eſſe Chriſtum noſtrum, quem videris nudum, quem aſpexeris cæcum, quem oſtenderis claudicantem, quem pannis inuolutum, quem videris ſordida veſte contectum. In hac denique veſte, cum à Magis quæreretur, inuentus eſt: & cum in præſepi poſitus iaceret, ſub hoc habitu apertis theſauris munera oblata ſuſcepit. Ad hæc reſpon-

det illa Euangelica ſententia, quæ dicit: Theſau- Matth. 6.

rizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt. Hi ſunt illi theſauri, qui cœleſtibus meritis deputatur, quos nulla res aduerſa contaminat: hoc eſt, facultatum per miſeros diſpenſata ſubſtantia. Audi itaque primo in hoc loco conſilium meum, quicumque diuitiarum abundantia gloriaris. Si times tineā, commenda : ſi furem metuis, in ſuperiore parte commenda. Ecce habes idoneum cuſtodem, qui opes tuas ſeruet tibi, in æternum, & in ſæculum ſæculi profuturas. Addit hæc: Nolite vobis theſaurizate theſauros in terra. Nam ab re eſt, dilectiſſimi, quod admonet Dominus, ne quis theſaurum ſuum terræ commendet. Frequenter enim videmus congeſta terræ vitio periclitari, & opes nimium defoſſas quadam limi tabe conſumi. Vnde vtilius iudico eſſe commodare, quam abſcondere, & fœnori magis credere, quam terræ deputare. Stultitiæ autem genus eſt, clauſum tenere, quod poteſt multiplici labore proficere, & ad vſum æternæ vitæ fructum exhibere iuſtitiæ. Moneo ergo, ne quis incerta abſcondat theſaurum ſuum; hoc eſt, ne quis terrenis actibus cœleſtis animæ dignitatem deputandam putet. Illius autem theſauros tinea comedit, qui vanitati ſeruit, & vitam ſuam in huius mundi pompa conſtituit. Tinea igitur, dilectiſſimi, vermis eſt inuidiæ, & auaritiæ: qui ſecreta cordis ſolus poſſidet, ſolus quæ ſunt in abolitis congeſta conſumit. Furem vero Diabolum credite, qui & bonis operibus inſidiatur, obiecta ſæculi pompa blanditur : & vt hominem à conſortio regni cœleſtis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inſerit, ita ſuperbiam nutrit, & deſideria carnis, ſtimulo cupiditatis accendit; quæ ſicut ſcriptura dicit, mergunt ho-

minem in interitum. Non dubiè autem ille pœ- 1. Tim. 6.

nis exonerat profundū, qui theſauros ſuos præmittit ad cœlum. Audite quid Dominus offerat. Venite benedicti Patris mei, poſſidete mecū re-

gnū promiſsū vobis à conſtitutione mundi. Eſu- Matth. 25.

riui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere : nudus eram, & veſtitis me. Quis,

dubitet poſt hanc vocem de hoc ſæculo cum tota patrimonij ſui pompa migrare? Stultitia profectò vanitas eſt, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quàm cœleſte regnum, magis ſæculo placere, quàm Chriſto. Si quis itaque vult locum inuenire in cœleſti ſede, non deſinat indigentibus neceſſaria miniſtrare. Sed fortè dicat aliquis, tenues ſunt facultates meæ, non patiuntur tantas erogationis expenſas. Si tibi aliquis domum præclaram huius temporariæ poſſeſſionis offerret, nonne pretio collato vndique nummos aggereres? & ſi fortè ſacculi, tui pondus non ſufficeret, rem tibi neceſſariam mutuata pecunia comparares, donec ampliata nouo ceſpite poſſeſſione gauderes? Ecce poſſeſſio tibi regni cœleſtis offertur, & quidem parui pretij mercede taxata; quæ poſſit etiam ab illo facilè emi, qui non ſolet de paupertate cauſari. Videamus autem quid ſit, quod à te pretij nomine poſtulatur, cibus, potus, & veſtitus. Ad hæc non inuenio cui erogatio quotidiana ſuppetat. Si requiras; fortè horreis tuis annonæ ſpecies exuberat, & nouas vini cellulas antiqui guſtus fama commendat. Quid tibi prodeſt ſeruare iſta, ſi neſcias lucratiuis ſtudere commerciis? Sed dicis: Pauper ſum. Nunquid ſub hac voce illis excuſare te poteris, quibus pretia ſpecierum pro temporum ſterilitate deponis? Sine cauſa exiguitatem tuæ facultatis accuſas; potes habere quod vendas, non potes habere quod dones. Non ſine cauſa dictum eſt: Frange eſurienti panem tuum. Ad inhumanos puto pertinere iſtam ſententiam: quorum panes reconditos, & incontaminatos ſolet caries exeſa conſumere. Frange ergo eſurienti panem tuum, ne pereat, & te à conſortio regni cœleſtis excludat. Addit ad hæc: Et domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris. Qui ſunt domeſtici noſtri? neceſſario omnes, qui nobis ſunt naſcendi lege coniuncti. Quid eſt quòd in faciendis eleemoſynis non eſt cuiuſquam excipienda perſona, nec habendum electionis iudicium? quia res quæ neceſſitati ſeruit, erogationis ordinem non requirit. Quid autem ibi eſt opus quærere, vtrum Chriſtianus, an Iudæus, vtrum hæreticus, an gentilis. Vtrum Romanus, an Barbarus, vtrum liber, an ſeruus ſit ille qui poſtulat? Vbi incumbit neceſſitas, non opus eſt, vt perſonam diſcurias: ne cum indignos miſericordia ſegreges, Dei filium pariter amittas. Vnde autem ſcire poſſumus, in qua parte terrarum habitet Chriſtus? Vbique credendus eſt eſſe, qui totum noſcitur poſſidere. Sequitur ſuperiora: Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua antè orientur, & præibit te iuſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis ad Dominum, & Dominus exaudiet te. Adhuc te loquente dicet: Ecce adſum. Et hoc propter fracti panis particulam, quàm plus putas acquires, ſi maiora præſtaueris? Audite Euangeliſtam dicentem: Beati miſericordes, quoniam ipſis miſeribitur Deus. Multi quidem gradus ſunt miſericordiæ: ſed requirendum eſt, qui potiſſimum exiſtant. Principatus miſericordiæ eſt quidem, lapſo manum porrigere, erranti viam ſalutis oſtendere, infirmos viſitare, in tribulatione poſito ſolatiis inhærere, ſed illa eſt præcipuè expectanda miſericordia, eſurientem

Math. 5.

paſcere, nudum veſtire, captiuum redimere, ad tempus non habenti neceſſaria commodare. Inuenimus aliquoties præterea multa genera miſericordiæ, quibus ſe vulgo ſtudia humana commendant: quæ cum nullum exhibeant miſericordiæ fructum; miſericordiæ tamen mentiuntur affectum. De his enim dicit Iacobus in Epiſtola ſua: Si frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat aliquis veſtrum: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis eis quæ neceſſaria ſunt corpori, nihil vobis prodent. Quis non oderit tale genus miſericordiæ, vbi oris elegantia infimo pietas otioſa blanditur, & infructuoſæ cœlo lachrymæ porriguntur? Quid iuuat alienum flere naufragium, ſi negligas corpus expoſitum? aut prodeſt animum excruciare dolore alieni vulneris, ſi deneges poculum ſanitatis? Non paſcunt eſurientem blanda colloquia, nec veſtiunt alienam nuditatem infructuoſa conſilia. Quid iuuat fomentis mollibus palpare mendicum, ſi non reficias famè moriturum? Quod iſtud genus eſt miſericordiæ, vt hominem velis viuere, & nolis in neceſſitate ſeruare? Crudelis eſt profectò pietas, quæ neſcit dolere miſeris, & neſcit ſubuenire perituris. Quid amplius quæritis, dilectiſſimi, pro erogatione fracti panis? etiam ſi non fuiſſet vobis cœleſtis regni portio repromiſſa, ſufficere peccatoribus deberet illa ſententia, quæ mortalibus ſpem futuræ ſalutis, & lætitiam perpetuæ detulit ſecuritatis. Nam ſi reſpiciatis ad veſtri laboris fructus, & cœleſtis indulgentiam pietatis, multò plus recipitis, quàm datis. Ecce pro paſtu pauperum in Euangeliis cœlorum vobis regnum promittitur: pro erogatione fracti panis, & hoſpitij receptaculo, vel nuditati corporis veſtimento, opem ſuam vobis inuocantibus per Prophetas Dominus pollicetur: in Pſalmis. Iuſtitia miſericordiæ veſtræ in ſæculum ſæculi collocatur. Si comparemus terrenis cœleſtia, ſatis paruo conſtat res tam pretioſa commercio: aut quanta pars eſt eleemoſynæ veſtræ ad illa quæ videtur mortalibus Dominus præſtitiſſe? Ecce nos damus terrena, ille cœleſtia; à nobis temporanea offeruntur, ille ſempiterna largitur. Vultis ſcire quantum diſtent à cœleſtibus donis veſtri ſenſus. In comparatione beneficiorum non eſt eadem ratio, diuitias accipere perpetuas, & dare quæ erant peritura. Ante omnia illis lachrymis conſulendum eſt, quas nuper furor cruentæ hoſtilitatis indixit. Nec enim deeſt in quo ſe opere bona voluntas exerceat. Nam quod peius eſt, multos videmus de ſua, ſuorumque redemptione ſollicitos, quibus manus porrigenda eſt. Sed dicis, pauper ſum. Nec nos quemquam ſuademus dare quod non habet, ſed cuius facultas tam tenuis eſt, vt non poſſit redimere captiuum, ſaltem illud quod eſt nimium addat ad pretium; vt vel paruo nummo videatur ſatisfeciſſe mandato.

Iacob. 2.

* * *

DE

Digitized by Google

DE LEGE GRATIÆ, LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

Idoneum mundis corde præmium eſt Deum videre.

AD tertiam iam perfectorum claſſem accedimus, ad quam ſpectat illa Chriſti Beatitudo: Beati mundi corde quoniam ipſi Deum videbunt, vbi promittit Chriſtus Dominus mundis corde Dei viſionem, & quidem iure optimo: nam ſiue de viſione clara in patria, ſiue de imperfecta in via promiſſionem intelligas, mundis corde optima ratione congruit. Quod probè intelligens Regius vates, dicebat: *Quis aſcendet in montem Domini*, id eſt, in cœlum altiſſimum, *aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Et reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde.* Duplici, ait, opus eſſe munditia, manuum, id eſt, operum, & cordis, id eſt, cogitationis, atque affectus. Corde mundo videtur Deus, quemadmodum oculo mundo videtur Sol. Neque immundo oculo videri poteſt Sol mundiſſimus; neque impuro corde videri poteſt Deus puriſſimus. Aptiſſimè, ait Plato: *Impuro purum attingere, nefas eſt.* Neque verò ſolum in cœlo, ſed in terra etiam hi, qui mundo corde prædi ti ſunt, Deum videbunt. In cœlo quidem perſpicient, & vt Paulus ait; *Facie ad faciem*, in terra autem per contemplationem. Qui enim purum ab omnique terrenæ fæcis contagione ſegregatum cor habent, hi Deum contemplantur, contemplationiſque deliciis fruuntur. Qui verò terrenis voluptatibus ſe ſe manciparunt, porcis ſimiles, in terram conuertunt oculos, cœlumque minimè ſuſpiciunt. Audi S. Gregor. Nyſſen. *Vt porcorum oculi natura in terram conuerſi rerum cœleſtium aſpectum non habent: ſic animus corporis luxu perditus, cum ad humilia, & ad ea, quæ ſunt pecudum inclinatus ſit, non ad cœlum amplius cernere poterit.*

Pſal. 23.

Plato, in Phædone.

S. Greg. Nyſſen. lib. de virg. cap. 5.

Qui autem mundos cordis oculos habet, Deum in contemplatione intuetur, non ſolum in ſe ipſo, ſed in imagine ſua, quæ in corde mundo effulget. Hoc modo S. Gregor. Nyſſen. intellexit Chriſti verba: *Beati mundo corde, &c.* vt ſit ſenſus: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum in ſe habebunt & in ipſo mundo corde, veluti imagine Dei, Deum videbunt. Sic enim ait: *Qui cor ſuum ab omni creatura, atque vitioſa affectione expurgauit, in ſua ipſius pulchritudine, diuinæ naturæ imaginem intuetur.* Id apta ſimilitudine exponit: *Quemadmodum enim hi, qui in ſpeculo ſolem vident, etiamſi cœlum ipſum fixis oculis non contueantur, in ſplendore ſpeculi ſolem vident: Ita vos etiam, ſi vires vobis non ſuppetant, ad contemplandum lumen inacceſſum; ſi ad eum, qui ab initio in vobis conſtitutus eſt, animi decorem, ac gratiam reuerſi fueritis, in vobis ipſis, quod quæritis, habetis. Puritas enim, & vitiorum, affectuumque vacuitas, & ab omni malo alienatio Deitas eſt.* Iuſtus ergo in mundo corde Deum contemplatur, ſicut in puro fonte totum cœlum intuetur. Mundum enim cor imago eſt diuinæ puritatis, & cum ſe intuetur, diuinæ puritatis effigiem contemplatur. Nam vt ait idem Nyſſenus: *Qui corde mundo præditus eſt, dum ſuam puritatem intuetur, per imaginem, formam principalem animaduertit.* Quod cum ita ſit, maximopere curare debet homo vt ſordes cordi obductas per pœnitentiam abluat, & per accuratam vitæ rationem quotidie abſtergat; ſic enim fiet vt principalis formæ ſimilitudinem recuperet, & diuinæ lucis ſplendore fulgeat. *Quemadmodum*, inquit, Nyſſenus, *in ferro fieri ſolet, cum id quod paulo ante nigrum erat, per cotem detracta rubigine ſplendores quoſdam in ſe, ad ſolem refulgens, & nitores edit: Ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat, cum ſordes rubiginoſas abſterſerit, rurſus cum originali, & principali forma ſimilitudinem recuperabit.*

Nyſſen. lib. de beat.

ſuprà.

Cæterum, ſicut omnes, qui mundo ſunt corde in clariſſima virtutum puritate, tanquam in Dei imagine Deum intuentur, ita qui immundum gerunt cor, in ſe ipſis immundiſſimum cernere poſſunt Dæmonem. De quo diſertè agit idem Nyſſenus: *Si beati,* (inquit) *ſunt qui puro corde præditi ſunt, miſerabiles omninò ſunt, qui mentem ſordidatam habent, quoniam faciem aduerſarij intuebuntur. Item, ſi ipſa diuina effigies imprimitur vita cum virtute coniuncta, perſpicuum eſt, quod vita vitioſa forma ac facies aduerſarij exiſtit.* Igitur immundi homines non ſolum in futura vita Diabolum in ſeipſo videbunt; ſed modo in ſe ipſis etiam intuentur; immundus enim ſpiritus immundo corde cernitur.

CAPVT II.

Mundando & purificando cordi operam diligenter nauare debemus.

CVm cor mundum & beatum à Domino prædicetur, & tanto præmio donandum aſſeratur, oportet vt ad ipſum mundandum ac purificandum omnibus diligentiæ neruis contendamus. Multa quidem id à nobis exigunt. Primum, quia tota hominis, vitæque puritas ex puritate mundi cordis oritur. Nam vt S. Thomas, ait: *Tota animi puritas exterior eſt à puritate interiori.* Et S. Aug. *Si volueris, vt exteriora munda ſint, interiora mundato.* Sicut enim riuulorum puritas à puritate mundi fontis procedit: ita actionum, morumque mundities à corde mundo dimanat. Non poteſt riuulus purus eſſe, ſi fons, ex quo effluit, ſit impurus; nec poteſt opus eſſe mundum, Deoque gratum, ſi cor ex quo emanat ſit immundum. Vnde illud Auguſtini. *Deus cor interrogat, non manum, &c.* Nam ex munda cordis radice quæ charitas eſt, mundi fructus efferuntur; ex immunda vero radice, quæ cupiditas eſt, immunda germina fructificantur. Vnde optimè idem Auguſtinus, ait: *Iſtæ duæ radices in duobus agris à duobus plantantur agricolis. Vnam in cordibus bonorum plantat Chriſtus;* alıam

Matth 23.

S. Auguſt. in Pſal. 125.

Idem ſer. 12. de verb. Apoſt.

S. Auguſt. ſerm. 44. de temp.

Digitized by Google

aliam in cordibus malorum plantat Diabolus. Nec de charitatis radice naſcetur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni. Ex quo meritò Sanctiſſimus Pater omnes hortatur: *Conſideret quiſque agrum cordis ſui, & qui in ſe charitatem viderit, gaudeat, & germina in ſe ſancta cuſtodiat. Qui verò in agro cordis ſui qualemcumque ſtirpem cupiditatis inſpexerit, Chriſto adiuuante, extirpet cupiditatem, & plantet charitatem: nam quamdiu hoc facere noluerit fructus bonos afferre non poterit.* Toto igitur corde cordis puritas & ſanitas procuranda eſt, ſiquidem fons, radixque eſt probitatis. Præterea quia cor hominis templum Dei eſt, quod mundiſſimum eſſe decet. Quapropter Sanctus Hieronymus exponens præfata verba: *Beati mundo corde*; ſic ait: *Mundus autem Deus à mundo corde conſpicitur. Templum enim Dei non poteſt eſſe pollutum.* Concinit Origenes, inquiens: *Cor noſtrum altare eſt. Quis autem ferat altare Dei conſpurcari.*

Origen. hom 25. in Matth.

Ad hæc, homo qua Chriſtianus eſt non externam virtutis ſpeciem, ſed internam cordis mundiciem procurare debet. Ars quidem corda minimè curat. Pingit eximiis coloribus hominis imaginem pictor; ſtatuam ſtatuarius fabricatur: de vultu, veſtibus, externaque ſpecie ſolummodo ſoliciti ſunt; de corde nulla cura. Artem imitatur hypocriſis, quæ artificio ſimulationis pollet. Similes pictoribus & ſtatuariis hypocritæ, quales olim erant Phariſæi, de quibus Dominus: *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Natura verò & gratia cor maximè curant. Prima naturæ cura, dum homo gignitur, cordis eſt, vt Ariſtoteles ſentit: nam cor primum ex membris omnibus procreari affirmat: *Cor*, inquit, *Animantium ſanguine præditorum primum gignitur, &c.* Plinius quoque ait: *Cor primum naſcentibus formari in vtero tradunt, &c.* Sanctus etiam Baſilius, ſic habet: *Natura cor præmolitur, ac vice fundamenti præſtruit, &c.* Natura ergo primam curam in cor producendum confert: gratia primam curam ad cor expurgandum adhibet. At hypocritæ, bonæ virtutis mali pictores; externam quandam iuſtitiæ imaginem depingunt de corde parum ſolliciti. Id videre licet in Phariſæis, qui externum pingebant vultum iuxta illud Matthæi. *Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Pingebant item os & labia. *Populus*, inquit, *hic labiis me honorat.* Veſtes quoque pingebant: *Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* At cor parum curabant: *Cor*, ait, *eorum longè eſt à me.* Contra verò gratiæ princeps, & auctor Chriſtus, pulcherrimæ iuſtitiæ & beatitudinis pulcherrimus pictor, non externam ſolum beatitudinis, & virtutis effigiem; ſed internam quoque medullam, & cor diuinis verbis exprimit. *Beati*, inquit, *mundo corde.* Non eſt ſatis ad beatitudinem externa virtutis ſpecies, internum cor purum, omnique vitio expurgatum adiungere oportet. Non ſatis eſt ieiunare, orare, eleemoſynas largiri, cæteraque Chriſtiana officia externa præſtare, cor hæc omnia flagitant, quod pura intentione mundum munda faciat & opera: Sunt autem complures, qui externum hominem aſſimulata virtutis ſpecie condecorant; quamplurimi etiam, qui exteriori ornatu, & elegantia excolunt, qui tamen cordis, ſiue conſcientiæ munditiem contemnunt, & prauatum affectionum, atque vitiorum ſordibus inquinari patiuntur. Contra quos Chryſoſtomus, ita ſcribit: *Multa via exterioris ornatus exhibentur: magna cura & vigilia eius rei multos exagitat: animæ verò decus, & purgatio penitus negligitur. Nam ſi conſcientiam ſingulorum cernere poſſemus, multos ibi vermes, multam ſaniem, atque incomparabilem reperiremus fœtorem: cupiditates dico improbas, quæ vermes ſpurcitia mirum in modum excedunt.*

Math 15.

Ariſtot. lib. de iuuẽt. & ſeneɛ. c. 4.
Plin. lib 1. cap. 37.
S Baſil. Pſal. 1.

Math. 6.
Matth. 15.
Matth. 23.

S. Chryſoſt. hom. 74. in Matth.

Si quæras, qua ratione cor purum, ac mundum ſeruare poſſis; in promptu eſt reſponſio: cor immundum efficit mundus. Mundus enim plenus ſordibus criminum cor inquinat. A mundo ergo & corpore ſegregandum eſt cor, ſi mundum vis habere cor. Audi Platonem: *Purificatio in hoc conſiſtit, vt quam maximè poſſumus, animum à corpore ſeiungamus, eumque aſſuefaciamus per ſe vndique à contagione corporis ſeuocari & colligi.* Nam iure quidem optimo Chyſoſtomus cor mundi atque corporis voluptatibus mancipatum luteum appellat. *Nihil*, inquit, *cor facit adeo graue, vt libido, & ad ea, quæ ad hanc vitam pertinent, affectio, & terræ affixum eſſe. Quod tale eſt cor, non errauerit, qui cor luteum appellauerit.* Ne ergo luteum cor fiat, ſurſum corda ſunt leuanda; vt quotidie clamat Sacerdos. Alis proſſus virtutum ſurſum tolli debet, quæ alæ, ſi deſint, præceps in mundi cœnum, lutumque carnale decidit, & in eo ſe ſe volutat, atque putreſcit. Vnde illud Auguſtini. *Leua cor in cœlo, ne putreſcat in terra.* Quia verò carnis, mundique illecebræ, vi magna in cor ſe inſeruunt, & intrudunt; diligenti, & ſtrenua cuſtodia ſeruandum eſt, vt mundum ſit. Et quidem Salomon non quamcumque ſed omnem cuſtodiam ad hoc iure flagitat: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum*; quia *ex ipſo vita procedit.* Si vitam diligis, vitæ fontem vigilanter cuſtodi. Naturam ipſam imitare, quæ hunc vitæ theſaurum penitus reclufit. Et vt Plinius, ait: Muro veluti quodam muniuit: nam condi ſcripſit: *Intra præmolli, firmoque opertum membranæ inuolucro munitum coſtarum, & pectoris muro; vt par erat, præcipuam vitæ cauſam & originem.* Si vero non ſolum cor, ſed mundum cor habes, paradiſum cuſtodiendum tenes. Recole illud Geneſis: *Collocauit ante paradiſum Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Statue ergo pro foribus tui paradiſi vigilantem prudentiam, & ſtrenuam fortitudinem, ne tartareus irrepat ſerpens, ſuoque illud ſordidiſſimo, peſtiferoque veneno contaminet. Multa ad puritatem cordis & munditiem animi ſpectantia alibi diſſerimus. Quapropter ſuperſedendum eſt.

Plato. in Phædone.
S. Chryſoſt. in Pſal. 4.
S. Auguſt. ſerm. 30. de tempore.
Prouerb. 4.
Plin. lib. 11. c. 37.

CAPVT III.

Interna animi pax quædam Beatitudo eſt.

PRoperemus ad alia; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Aliqui Patrum eos intelligunt,

Digitized by Google

S. Ambroſ. in cap. 6. Lucæ.

telligunt, qui in ſe pacifici interna pace & tranquillitate fruuntur. Ideò Sanctus Ambroſius, ait: *A te pacem incipe, vt ſic pacem aliis feras: vnde ſequitur Beati pacifici.* Similiter Sanctus Hieronymus: *Pacifici,* inquit, *dicuntur beati, qui primum in corde ſuo, deinde inter fratres diſſidentes faciunt pacem. Quid enim prodeſt, alios per te pacari, cum in tua anima ſint bella vitiorum?* Explicatius id tradit Sanctus Auguſtinus: *Pacifici,* (ait) *in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes & ſubiicientes rationi, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita ordinata ſunt omnia, vt quod eſt in homine præcipuum, & excellens imperet cæteris reluctantibus, quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia: atque id ipſum, quod excellit in homine, id eſt, mens & ratio ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperioribus ſubiiciatur. Et hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis.* Hanc etiam expoſitionem plures alij Doctores complectuntur.

S. Auguſt. in ſer. Domini in monte

Porrò, huiuſmodi pacificos, in hac etiam mortali vita, beatos eſſe, ex præfatis Auguſtini verbis non leuiter adſtrui poteſt. Nam hominem fieri regnum Dei affirmat, cum in eo per internam pacem ordinata ſunt omnia, ſuprema, media, & infima. At quomodo poteſt non eſſe beatus, qui regnum Dei in corde ſuo continet? Cum ergo pacifici ſint, quibus Dominus dixit: *Regnum Dei intra vos eſt*, abſque dubio beati dicendi ſunt. Regnum enim hoc Dei pax cordis eſt, quæ à rerum internarum ordine manat; ex qua ordinatiſſima; & tranquilliſſima pace tantum gaudium naſcitur, vt meritò à Domino regnum Dei dicatur. Sic enim intellexit Sanctus Gregorius Nazianz. *Forſitan,* inquit, *regnum nobis inſitum dicit, inditam animabus noſtris lætitiam per Spiritum ſanctum; ès enim eſt velut imago & arra perennis lætitiæ, qua in futuro ſæculo Sanctorum animæ gaudent.* Hanc ſententiam complectitur Hugo Cardinalis, & non ſolum ſolide, ſed eleganter confirmat, his verbis: *Regnum Dei eſt bona conſcientia quæ habet tres ciuitates ad Rom. 14. non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Regnum quidem Dei intra conſcientiæ, ſiue cordis, terminos continetur: habet autem tres opulentas, ac delicioſas ciuitates, ſiue prouincias, iuſtitiam generalem, pacem, & gaudium in Spiritu ſancto. Quis ergo beatum non dicat cor, quod tantum, tanque mirificum includit regnum? Quod quidem regnum pace mirabili circumdatum eſt. Sicut enim de cæleſti regno Sanctus Auguſtinus dixit: *Cæleſtis Hieruſalem muros de pace conſtructos habet.* Ita etiam regnum Dei in corde pacifici exiſtens, tanta pace circumuallatur, vt nulla illud hoſtium irruptio valeat perturbare, iuxta illud Pſalmi, *Qui poſuit fines tuos pacem.* In Regni finibus, vbi frequentes eſſe ſolent hoſtium irruptiones, ad eos arcendos, & propulſandos, caſtrum extruxit Deus, quod pax nuncupatur. Quis non beatum dicat talis Regni poſſeſſorem.

Luc 17. — S. Gregor. Nazianz. citatus à S. Thom in Catena. — Rom. 14. — S. Auguſt. ſerm. 68. de temp. — Pſalm 147.

Ex caſtro hoc, tam ſtrenue, ac feliciter pugnant pacifici, vt nullo aduerſitatum impetu, nullis calamitatum tumultibus moueantur. Audi Sanctum Gregorium: *Sancti viri, qui nihil huius mundi appetunt, nullis in corde tumultibus premuntur.* Luculentiùs & expreſſiùs Sanctus Ambroſius: *Perfectorum eſt* (inquit) *non facilè mundanis moueri, ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſus inſurgentes fluctus ſæcularium procellarum, mentem immobilem fida ſtatione placidare. Hoc firmamentum Chriſtianis mentibus Chriſtus inuexit, pacem in terram inuehens animis probatorum.* Vir enim pacificus adeò rationis vigore, & mortificationis ſtudio animæ paſſiones edomuit, ac cicurauit, vt eius tranquillitatem non perturbent, iuxta illud Iob; *Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Beſtiæ terræ ſunt corporis, ſiue carnis appetitiones; hæ virum improbum diſcerpunt, ac laniant: at viro verè pacifico pacificæ ſunt. Quod ſi aliquando fremant, ac rugiant, tamen quia cauea continentur, morſum nequeunt infigere. Quod ad hunc locum optimè obſeruauit Sanctus Gregorius: *Beſtiæ,* inquit, *intra continentiæ clauſtra redactæ, etſi adhuc tentando rugiunt, vſque ad morſum tamen illicitæ actionis non excedunt.* Quam verò excellens ſit hæc pax, non tacuit Ambroſius ſupra: *Iſta pax ſublimior, quæ corporalium paſſionum excludit illecebras, perturbationeſque mitigat; quam ea, quæ barbaricos ſedat incurſus. Plus eſt enim clauſo intra ſe hoſti reſiſtere quam remoto.* Per hanc ergo internam cordis pacem, adeò omnes interioris, ac exterioris; ſuperioris, ac inferioris hominis partes compoſitæ, ordinatæ, ac pacatæ ſunt, vt vnum reddant, ſine diuiſione regnum, vnam iugis tranquillitatis imaginem. Audi rurſus Sanctum Ambroſium: *Vetus,* inquit, *dictum eſt: aſſueſce vnus eſſe, vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſeruans ſemper imaginem, quam acceperit.* Quid ergo tam mira pace beatius.

S. Gregor. — in c. 5 Iob. — S. Ambroſ. lib. 2. de Iacob & vita beata, c. 6. — Iob 5. — S. Ambroſ. Epiſt. 82.

Hoc tamen loco prætermitti non debet, inde veram pacem, ac tranquillitatem cordi innaſci, quod nulla mundi bona auide concupiſcat. Vnde optimè Sanctus Gregorius, dixit: *Sancti viri qui nihil huius mundi appetunt, nullis in corde tumultibus premuntur.* Quod optimè confirmatur ex illis verbis, *poſuit fines tuos pacem.* Nam multi ex Hebræo legunt: *poſuit fines tuos nihil.* Quaſi idem ſint, & nihil concupiſcere, & pacem habere.

S. Gregor. ſupra. — Pſalm. 147.

Contra verò mundi amatores, auari, ambitioſi, & voluptatibus dediti, quia terrena bona ardenter amant, grauiſſimum bellum in corde tolerant, & moleſtiſſimis perturbationibus cruciantur. Quod Sanctus Gregorius, ſic docuit: *Omnes qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo aliquid videri volunt, denſis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. Dumque deſideriorum turbas intra ſe excitant, proſtratam mentem pede miſeræ frequentationis calcant.* Hi quidem tam longè ſunt à beata pacis tranquillitate, vt quaſi volubili & inquieta ſemper mola verſentur, iuxta illud Pſalmi, *In circuitu impij ambulant.* Quapropter idem Sanctus Gregorius terrenam actionem inquietæ molæ mentem verſanti ſimilem eſſe ait: *Quid,* inquit, *per molam niſi actio terrena ſignificatur, quæ dum colla mentis per ſtulta deſideria conſtringit mentem in circuitum laboris mittit.* Ob eandem cauſam peccatorum cor rotæ carri ab Eccleſiaſtico comparatur: *Præcordia fatui quaſi rota carri.* Quod bene exponit Hugo Cardinalis: *Præcordia,* inquit,

S. Gregor. in cap. 3. Iob. — Pſalm. 11. — Idem S. Gregor. lib. 6. moral. c. 17. — Eccleſ. 33.

Digitized by Google

quit, *fatui, id eſt, interiores cogitationes, & affectiones, quaſi rota carri, qui ſemper murmurat, & nunquam in eodem ſtatu permanet, & lutum calcat: & quoniam poſterius eleuatur anterius cadit. Pſalm.* 82. *Deus meus pone illos vt rotam.* Peccator ergo ſæculi amator, quantumuis exterius beatus appareat, miſerrimus quidem eſt, quia beata pacis tranquillitate caret, & turbulento cogitationum, & affectuum tumultu, belloque agitatur. Audi Chryſoſtomum dicentem:

Chryſoſt. in fine. Pſal. 4.

Sane ſi hac pace homo non fruatur, etiamſi ſit extrinſecus ſumma pax, eſt omnium, qui viuunt in terra, miſerrimus. Neque enim quæcumque ſunt feræ gentes tam atrox bellum gerunt, quam improba, ac nefaria cogitatio, quæ verſatur in penetralibus animi, & quæ non caſtigatur, intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens deſiderium, & in res, quæ ad hanc vitam pertinent, affectio. Illud enim eſt bellum externum, hoc internum Contrà verò pacifici beati, in quibus cum tranquillitate ordinata ſunt omnia: nam iuxta definitionem Auguſt. *Pax eſt tranquillitas ordinis; ordo autem eſt parium, diſpariumque ſua loca tribuens diſpoſitio.*

S. Auguſt. lib. 19. de ciuit. c. 13.

Capvt III.

Pacifici iure optimo filij Dei vocantur.

QVoniam Domino authore pacifici tam præcelſo donantur præmio, vt filij Dei ſint vocandi, quo nomine nihil poteſt eſſe ſublimius: nam vt Gloſſa, ait: *Maximam dignitatem habent pacifici, ſicut qui filius Regis dicitur, in domo Regia ſummus eſt.* Cum inquam, tam nobili nomine gaudeant pacifici, operæpretium erit oſtendere, quam congruis rationibus tantus dignitatis titulus eis conueniat. Primum, filij Dei meritò dicuntur pacifici, quia pax hæreditas Dei eſt, quam filius ſuis relinquit; qui autem hæreditatem accipiunt filij Dei dicendi ſunt. Hanc rationem ediſſerit S. Auguſtinus, inquiens: *Hæreditas noſtra pax eſt, quia filij ſumus, habemus hæreditatem, quæ pax eſt. Et videte, quia exhæredati ſunt, qui non amant pacem. Qui amant pacem ſunt hæredes, de quibus dicitur, beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: ſi autem filij & hæredes.* Hanc pacis hæreditatem filiis ſuis Chriſtus quaſi teſtamento reliquit, cùm dixit: *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Quæ verba exponens Sanctus Hieronymus, ait: *Hæc eſt ſaluatoris hæreditas. Ibi in Hieruſalem, quæ interpretatur pax, confregit potentias, arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* Terreni quidem Principes apparatiſſima armamentaria, in quibus cuncta armorum genera continentur, legare filiis ſolent, quibus hoſtes poſſint vlciſci: at Princeps pacis Chriſtus filiis ſuis pacem hæreditatem relinquit.

S. Auguſt. in Pſal. 124.

Ioan. 4.
S. Hieron. Epiſt. 75.

Secundò, pacifici filij Dei vocantur, quia ſicut æterni filij qui per cognitionem procedit, propria eſt ſapientia: Ita etiam pacificis ſapientia congruit, atque adeò filiationis adoptio. Porrò ſapientiam propriam eſſe hominis pacifici indicat Auguſtinus, cùm ait: *Hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita conſummati perfectique ſapientis.* Expreſſiùs id docet, vbi ſingula Spiritus ſancti dona ſingulis his beatitudinibus applicans huic ſeptimæ, ſapientiam ſic commendat: *Poſtremo eſt ſeptima ipſa ſapientia, id eſt, contemplatio veritatis pacificans totum hominem, & ſuſcipiens, ſimilitudinem Dei, quæ ita concluditur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Hoc idem magis explicans, ait: *Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata ſunt omnia, nullúſque motus aduerſus rationem rebellis eſt.* Et rurſus: *Pacificis Dei ſimilitudo eſt tanquam perfectè ſapientibus, formatiſque ad imaginem Dei, per generationem reformati hominis.* Meritò quidem pacificis adſcribitur ſapientia, quæ, vt proximè notauit Auguſtinus eſt contemplatio veritatis: nam per pacis tranquillitatem idonei omninò ſunt ad contemplandam veritatem. Quod dilucidè monſtrat Sanctus Diadochus Epiſcopus Photienſis, ſimilitudinem maris ad hoc explicandum adhibens. *Mare,* (inquit) *cum tranquillum eſt vſque ad fundum eſt piſcatoribus perſpicuum, ita vt tunc nihil fere ibi piſcium eos lateat; cum vero ventis agitatur, tegit tempeſtate turbida, quæ in placida tranquillitate largiter facit perſpici. Quod quidem menti, quæ in contemplatione verſatur, euenire ſolet, tunc maximè, cum fundum eius ira iniuſta turbatum eſt.* Qui igitur in tranquilla mente piſcatur, veritates quamplurimas veluti piſces capit, quibus perfectam comparat ſapientiam: at in turbato mari nihil videt. Hoc enim turbatum mare illud eſt, quod Iob dum locus ſapientiæ inueſtigatur, apertè fatetur, minimè in ipſo inueniri: *Mare loquitur, non eſt mecum.* Ad quæ verba Sanctus Gregorius, ſic ad rem noſtram habet: *Quid maris nomine, niſi ſæcularium mentium amara inquietudo ſignatur? Rectè enim mare vita ſæcularium dicitur, quia dum procelloſis actionum motibus concitatur, ab interna ſapientiæ quiete, atque ſtabilitate disiungitur. Nullus ergo ſapientiam plene recipit, niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit.* Ideò ergo in mari mundi huius ſapientia non inuenitur, quia pacis exſors, inquietudinis fluctibus agitatur. Ideò Ægyptus tenebris ignorantiæ obſidetur, quia muſcis terrenarum curarum percutitur, ſicut annotauit Gregorius. At pacifici filij Dei meritò vocantur, qui filiorum Dei caractere, id eſt ſapientia inſigniuntur.

S. Auguſt. in ſerm. Domini in mõte, cap. 2. cap. 3.

cap 4.

Diadoch. lib. de perf. ſpirit. c. 26.

Iob 26.

S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 25.

Tertiò, pacifici filij Dei vocantur, quia Dei imaginem referunt, & per pacem Chriſtum repræſentant, de quo Iſaias, ſic vaticinatur: *Vocabitur nomen eius Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Duces atque Imperatores à bello ſibi titulos pepererunt. A bello Africano Africani, ab Aſiatico Aſiatici, à Macedonico Macedonici ſunt appellati. Dux noſter, Imperatorque Optim. Maxim. Dei filius, non à bello, ſed à pace titulum habere voluit. Hic eſt verus noſter Melchiſedech, Rex Salem, id eſt, pacis, vt Paulus interpretatur. Hic noſter Salomon, hoc eſt, pacificus. Denique hic pax noſtra: nam vt Apoſtolus, ait: *Ipſe eſt pax noſtra.* Pacem ille admirabilem in ſe habuit; nihil enim pugnæ, nihil intra ſe habuit inteſtinæ ſeditionis, nihil inter carnem & ſpiritum diſſidij, nihil inter rationem & appetitum diſcordiæ, nihil inter diuinam, humanamque

Iſai. 9.

Ad Epheſ. 2.

Digitized by Google

que naturam diſſenſionis. Pacem in ſe habuit, pacem quoque hominibus loquutus eſt iuxta Zachar. 9. illud Zachariæ, *loquar pacem gentibus.* Et Pau- ad Epheſ. 2. lus ait: *Veniens Euangelizauit pacem vobis.* Pacẽ Iſai. 53. per ſummos cruciatus illis promeruit, & Iſaias. Epheſ. 2. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Hoc eſt, puni- S Chryſoſt. in comment. tio & caſtigatio, quæ nobis pacem peperit ſuper eum fuit: *Interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Chriſti enim morte inimicitiæ, quæ inter Deũ, & homines erant, mortuæ ſunt. *Mors Christi* (ait Chryſoſtomus) *inimicitiam vulnerauit, interemit, ac perdidit.* Cum ergo pacifici paternam S. Auguſt. lib. 1. de ſer. Domin. in monte cap. 8. pacis imaginem imitentur, iure optimo filij Dei vocabuntur. Nam vt optimè Sanctus Auguſtinus: *Vtique filij Dei ſimilitudinem pacis debent habere*: Per hanc nimirum ſimilitudinem Patris imaginem referunt.

CAPVT V.

Chriſtianus pacem cum proximo diligenter ſeruare debet.

ALiqui Patrum eos à Domino hoc loco pacificos appellari exiſtimant, qui depoſitis ſimultatibus, pacem cum proximo habent. In his Chryſoſtomus ad præfata verba ſic ait: *Pacifici* S Chryſoſt. hic & S. Hilarius. *autem ad alios ſunt, qui immemores malorum diligunt pacem.* Sanctus Hilarius ad hunc locum ſic habet: *Pacifici filij Dei vocabuntur: parentis enim omnium Deus noſter eſt; neque aliter tranſire in nuncupationem familiæ eius licebit, niſi fraterna inuicem charitatis pace viuamus.* Cum ergo Chriſtus Dominus hos pacificos & beatos, & filios Dei appellandos prædicat, ad mutuam fraternæ charitatis pacem, nos procul dubio inuitat.

Hanc quidem pacem amplecti debemus, quam efficaciter nobis Paulus ſuadet, cum ait: Ad Rom. 14. *Quæ pacis ſunt ſectemur.* Quomodo autem pacem cum proximo conſequi poſſimus, ſubiungit: *Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem*, ideſt, vnuſquiſque proximi commoda quærat, vt pacem cum eo ſeruet. Pro- Rom. 15. ponit Chriſti exemplum: *Etenim Chriſtus non ſibi placuit; ſed ſicut ſcriptum eſt: improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me.* Vbi S. Chryſoſt. ita ſcripſit: Quid eſt, non *placuit Chriſtus ſibi*? Reſpondet: *Poterat nulla ferre opprobria, poterat, quæ paſſus eſt, non pati; ſi quæ ſua erant ſpectare voluiſſet. Verum noluit, ſed quod noſtrum erat reſpiciens, quod ſuum, neglexit.* Itaque *Chriſtus non ſibi placuit.* Idem eſt, ac ſi diceret; non ea quæſiuit Chriſtus, quæ carni naturaliter placent, ideſt, quietem, voluptatem, dolorum omnium fugam, ſed laborem, cruciatus, crucis mortem pro ſalute noſtra. Vel Chriſtus non fecit voluntatem ſuam humanam, naturalem carnis, quæ cruciatum refugiebat naturali- Matth. 26. ter, iuxta illud: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Qui perfectam cum proximo pacem velit habere, hoc exemplum debet complecti, vt non voluntatem noſtram exequi velimus, non noſtris commodis ſtudeamus, ſed proximi. Quod Paulus neceſſarium ad pacem conſeruan- Philip. 2. dam eſſe conſiderans, ait; *Non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum.* Hoc autem difficile animaduertens alibi addit: *Pacem* Ad Hebr. 12. *perſequimini in omnibus*, vbi Theophylactus ait: Theoph. *Reputa, quod dixit Paulus: pacem perſequimini, hoc eſt, pacem etiam remotam, ac quæ procul eſt, ſtudete comprehendere, ad vos ipſos attrahentes.* Tunc quidem humanis oculis pax ſepoſita, & remotiſſima eſt, cum per propria incommoda comparanda eſt. Vnde etiam Regius Vates mo- Pſalm. 33. net: *inquire pacem, & perſequere eam.* Cum pax in propriis incommodis quærenda eſt, difficile admodum inuenitur, ideo ait: *Inquire.* Et quia cum ita pax quæritur, fugere videtur, addit: *Et perſequere eam.*

Atqui Paulus talem fidelium pacem exoptat, qualem inter corporis membra videmus: ideo Coloſſ. 3. ait: *In qua pace vocati eſtis in vno corpore.* Vbi Theodoretus ſic: *Deus qui vocauit, vnum corpus ex vobis omnibus conſtituit; id ergo ne diuidatis.* Et Oecumenius: *Ordinauit Chriſtus, vt pacem habendo, omnes vnum corpus efficiant, & ipſe ſit noſtrum caput. Vt hoc modo mutuum inter nos diſſidium fugiamus.* Similiter Sanctus Chry- S. Chryſoſt. hom. 14. in Ioann. ſoſtomus dixit: *Non quantam amicus amico debet propinquitatem tantam nos habere inuicem oportet; ſed quanta eſt membri ad membrum: hac amicitia aliam maiorem nemo vnquam inuenire poſſet. Nolimus inuicem alter alterum contemnere, ne nos ipſos contemnamus. Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet.* Ad hanc autem membrorum vnionem fouendam quid Deus prouiderit, expendit ibidem Sanctus Doctor his verbis: *Propterea hunc mundum tanquam domum vnam nobis Deus largitus eſt, vnũ ſolem omnibus lucere fecit, vno nos tecto, cœlo videlicet, operuit. Vnam cunctis menſam, hoc eſt, terram communicauit. Impartitus eſt aliam longe maiorem, vnam tamen (ideſt, menſam Euchariſtiæ) vnum generationis modum omnibus largitus eſt ſpiritualem. Vna nobis, & communis in cœlo patria.* Cum igitur hæc omnia, quæ Chryſoſtomus recenſet, ad mutuam pacem, qualis reperitur in membris vnius corporis, nos obligent, tum vero maximè ſacra Euchariſtiæ menſa, de qua Paulus ait: *Vnus panis, & vnum cor-* 1. Cor. 10. *pus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Ac ſi diceret; quia omnes in Euchariſtia de vno pane, & de vno calice participamus, vnum corpus eſſe debemus, dum omnes quaſi membra, in eodem corpore, cuius caput eſt Chriſtus, arctiſſima pacis vnione copulamur. Et quidem vnionem Chriſtiani populi cum Chriſto capite, illa aqua indicari, quæ in calice admiſcetur vino testatur Concilium Tridenti- Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 7. num his verbis: *Cum aquæ populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur, ſcilicet mixtione aquæ, & vini in calice.* Aptiſſime ediſſerit S. Cyprianus: *Quando* (inquit) *in* S Cyprian. Epiſt. 63. *calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt commixtio illa non poſſit ab inuicem ſeparari. Vnde Eccleſiam, ideſt, plebem in Eccleſia conſtitutam fideliter & firmiter in eo quod credidit perſeuerantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto quominus hæreat ſemper; & maneat indiuidua dilectio.*

CAPVT

Capvt VI.

Pax cum proximo, cuius præmium eſt Dei filiatio, perfectiſſima eſſe debet.

CVm pacificis Dominus pollicetur filios Dei eſſe vocandos, ſumma eos profectò dignitate dignatur, quo ſatis indicat perfectiſſimã, ac omnibus numeris abſolutam eam pacem eſſe debere cui tantum præmium conceditur. Quod benè adſtruit S. Leo: *Gratiæ,* (inquit) *Patris non diſcordes, neque diſſimiles, ſed idem ſentientes, vnumque amantes adoptauit hæredes. Ad vnam reformatos imaginem oportet animum habere conformem.* Eos quidem quos filiorum Dei nomine Chriſtus extollit, tam concordi pace vult eſſe conſimiles, vt vna ex omnium animis pacis imago formetur. Parem animorum pacem eodem titulo diuinæ filiationis exigit S. Cyprianus: *Pacificos,* inquit, *& concordes, atque vnanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit, & quales nos facit, ſecunda natiuitate, tales vult renatos perſeuerare, vt qui filij Dei eſſe cœpimus in Dei pace maneamus, & quibus Spiritus vnus eſt, vnus ſit & animus & ſenſus.* Vt ergo diuina filiatione quam in ſecundæ natiuitatis regeneratione ſuſcepimus, digni ſimus; pacifici, concordes, vnanimes, vnoque ſenſu præditi eſſe debemus.

S. Leo. ſerm. 6. de Natiuit.

S. Cyprian. lib. de orat. Domini.

Vt hanc perfectam pacis vnionem inter ſe fideles conſequantur, trifariam pax eſt habenda corde, ore, opere. Aliqui enim, quam in corde pacem non habent, verbis ſimulant; vel quam verbis mentiuntur, operibus minimè conteſtantur. Pax autem, vt vera, integra, atque perfecta ſit, & corde retinenda, & verbis ſignificanda; & operibus exequenda eſt. Primùm ergo corde eſt complectenda. Hanc exigit Paulus, cùm ait: *Pax Dei exultet in cordibus veſtris, in quo & vocati eſtis in vno corpore.* Vbi pro voce *exultet* verbum Græcum ſignificat etiam vinco in certamine, & brauium, vel palmam fero. Vnde Pagninus vertit: *Pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris.* Biblia Regia: *Pax Dei ſuperet in cordibus veſtris.* Pugnant quidem in corde iracundia contra proximum & pax ſeruanda cum eo: monet ergo Paulus, vt in hoc certamine pax ſuperet, & palmam victoriæ ferat, & tanquam victrix exultet: at iracundia mœſta, victaque recedat. Hunc ſenſum amplectitur, hoc loco Chryſoſtomus. *Si duæ,* (inquit) *pugnent cogitationes, ne ſtatuas iram, nec violentiam, & inſultationem tenere brauium, ſed pacem.* Chryſoſtomum ſequuntur Græci Patres, vt aſſolent. Hæc autem pax dicitur Dei, quia ſicut per iram pugnat in corde Diabolus, ita per pacem Deus; vt inde intelligas, quàm merito tibi probro dabitur, ſi vincat ira.

Coloſ. 3.

Deinde pax verbis etiam eſt conſeruanda; ex pace ſiquidem cordis, pax oritur oris. Cor pacatum ac tranquillum tranquilla & pacificatoriã verba profert. At cor ira concitatum iracunda verba, pacemque diſturbantia in os, quemadmodum furens mare tumidos fluctus in littus deuoluit. Vide quid dicat ſcriptura: *Fratres oderant Ioſeph, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Erat in corde odium, & ſic verba pacifica ex ore pellebat, & ſuggerebat amara. Multum quidem habent ponderis ad conficiendam pacem verba pacifica; nam vt dicitur in Prouerbijs: *Reſponſio mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem.* Cum blandus, & mollis ſit ſermo, duritiem tamen iræ confringit, & diſſipat. Sicut enim diſploſus bombarda globus in telluris aggerem, vel in molliorem lanam incurrens, hebetatur, ac ſiſtitur; idem verò in prævalidum murum perlatum, diſrumpit, ac labefactat. Et ſicut fulmen mollìori carni parcere; oſſa verò prædam comminuere ſolet. Sic etiam iræ impetus in mollem, & ſuauem ſermonem incidens, obtunditur, & hebetatur; in durum verò ſermonem incurrens, crudelius ſæuit. Elegans etiam eſt ad id ſignificandum Sancti Gregorij Nazianzeni collatio, vbi docens modum, quo iræ impetus ſit retardandus, & eludendus ait:

Gen. 37.

Prouerb. 15.

S. Gregor. Nazian. Poëm. de irac.

At læſit me. Tu caue, vt lædas item.
At cœpit ille. Protinus verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandiſſimus
Solutus inſtar fluctuum ad terram illicò,
Aut vt procella, cum nihil renititur.

Senſus eſt, vt ſicut tumentes ſæui maris fluctus cum in molliſſimas littoris arenas incurrunt, franguntur, & ſoluti recedunt: at ſi in durum ſcopulum impingunt, ſpumas in cœlum iaculari ſolent: ita iræ ſpumantis vndæ in ſuaues, ac blandos ſermones incidentes retardantur atque ſoluuntur. At iræ vox, ſiue clamor, ſi in durum alterius ſermonem incurrat, nimium in modum excreſcit, & multiplicata voce reſpondet; non aliter ac humana vox, cum in præruptas, ac duras montium concauitates offendit, echo multiplicata recurrit. Quaſi ſimilitudine vtitur Sanctus Baſilius: *Vox illi aſpera. Sit tibi mitis, & non durus ſermo. Neque enim ſic in locis deſertis, & ſolidis cautibus Echo in ipſos clamantes intempeſtiue infringitur: ſicut in hominem inſultum & contumelioſum contumelia reuertitur. Imo ſonus quidem ibi idem redditur; contumelia vero augmentata recurrit.* Quamobrem Eccleſiaſticus ſic monet: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Si pacem cum amicis ſeruare, ſi inimicos tibi vis reconciliari, & multorum amicitiam comparare, linguam habe eucharim, id eſt, gratioſam. Et vt eſt in Græco textu, beneloquentem, placidam, pacificam. Huiuſmodi quidem lingua; quæ in iracundiæ occaſione placida, ac lenis eſt, præterquam quod amicos multiplicat, etiam probi viri inſigne eſt, quod ſignificatur, illis verbis: *Lingua eucharis in bono homine abundat.* Quam bonum autem ſignum ſit huiuſcemodi linguæ lenitas ex Plutarcho illuſtrare licet, qui ait: *In febri bonum eſt, ſed melius in ira linguam teneram ac lenem habere.* Teneram vult nos habere linguam, & benedictione plenam, nec iracundiæ febri exaſperatam. Sanctus Petrus: *Non reddentes* (inquit) *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis.* Æquum plane eſt, vt qui benedictionis hæres eſt, benedictionem, non maledictionem, in ore gerat. Quia verò contentioſus ſermo, & propriæ ſententiæ nimis tenax, iram ſolet concitare, & pacem dirimere, rogat omnes

S. Baſil. orat. de irac.

Eccleſ. 6.

Plutarch. de cohib. irac.

1. Cant. 4.

Paulus:

Digitized by Google

1. Cor. 1. Paulus: *Obſecro vos, vt id ipſum dicatis omnes.* Id autem maximè neceſſarium eſt Doctoribus & & doctis hominibus, quod idem Paulus, ſic admonet: Ad Philip. 2. *Vnanimes id ipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Quapropter Dominus, cum de Doctoribus, atque Marci 9. doctrina, quam ſal appellat, diſſerit, ait: *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* His enim qui ſale doctrinæ abundant, proximum vitium eſt, per inanem gloriam contendere, quod pacis venenum eſt: Vnde cum dixiſſet: *Habete in vobis ſal*, meritò adiunxit: *& pacem habete* S. Chryſoſt. hom. 11. in Matth. *inter vos.* Ideò Sanctus Chryſoſt. hæc verba explicans, ait: *Sunt ſales ſal non habentes; qui enim non ſunt pacifici, ſal ſunt inſulſum.* Quod luculentius tradit Sanctus Gregorius, his S. Gregor. 2.p. Paſtor. cap. 4. verbis: *Cum Rhetor ſe ad loquendum præparat, ſub quanto cautelæ ſtudio eloquatur, attendat: ne cum fortaſſè ſapiens videri deſiderat, vnitatis compagem inſipienter abſcindat. Hinc namque veritas dicit: habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Per ſal quippè verbi ſapientia deſignatur: qui loqui igitur ſapienter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur.* Idem 3. p. Paſt. admonit. 23. Et alibi de omnibus doctis locum ediſſerens, inquit: *Sæpe dum quoſdam maior ſcientia erigit, à cæterorum ſocietate disiungit, & quaſi quo plus ſapiunt, eo à concordiæ virtute deſipiſcunt. Hi itaque audiant quid per ſe metipſam veritas dicat: habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. Sal quippè ſine pace non eſt virtutis donum, ſed damnationis argumentum. Quo enim quiſque melius ſapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcuſabiliter, & multò maius merebitur ſupplicium: quia prudenter, ſi voluiſſet, potuit euitare peccatum.* Idem in Regiſtro, lib. 7. in dict. 15. c. 193. ad Epiſc. Hieroſol. & Anaſt. Presbyt. Et rurſus ait: *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Quid per ſal niſi ſapientia deſignatur? Paulò atteſtante, qui ait: ſermo veſter in gratia ſemper ſale ſit conditus. Quia ergo per doctrinam verbi cœleſtis ſal habere vos nouimus, reſtat vt per charitatis gratiam etiam toto corde pacem inter vos teneatis.* Contra eos quidem, qui Salem ſapientiæ habent, & tamen pacem non ſeruant, acriter inuehitur Iacobus: *Quod ſi ze-* Iacob. 3. *lum,* (inquit) *amarum habetis inter vos, & contentiones ſint in corde veſtro, nolite & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia deſcendens de ſurſum, ſed terrena, animalis, Diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica:* Qui ſalis ſapientiam habent, & tamen zelum amarum, & contentiones fouent, ſal infatuatum tenent, id eſt, ſapientiam terrenam, animalem, Diabolicam. Sal enim verum, & ſanum, id eſt, cœleſtis ſapientia pudica eſt, & pacifica. Cur autem ſic appelletur, explicat S. Gregorius: S. Gregor. 3.p. admonit 23. *Pudica,* (inquit) *dicitur, quia caſtè intelligit; pacifica autem, quia per elationem, ſe minimè à proximorum ſocietate disiungit.*

Tertia pax eſt operis. Pacis autem opera illa ſunt, quibus vel pax conſeruatur, vel odia, rixæque ſedantur. Neminem lædere, omnibus pro viribus beneficia præſtare, id demum eſt, pacem opere ſectari. Cùm hoſtem beneficio proſequeris, pacem perſequeris, & ipſam opere inquiris. Oſeæ 11. Dominus per Oſeam, ait: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Tu ſimiliter in funiculis Adam, hoc eſt, hominis, quæ ſunt beneficia, in vinculis charitatis, inimicos traho. Sic Saülem traxit Dauid: Cum 1 Reg. 24. enim Saül à Dauide ſibi vitam in ſpelunca condonatam intellexit, leuauit vocem ſuam, & fleuit, dixitque ad Dauid: *Iuſtior es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Fratrem Eſau, cum placare vellet Iacob, Geneſ. 32. dixit: *Placabo illum muneribus.* Abigail quoque muneribus Dauidem placauit. Ethnici quo- 1 Reg. 25. que exemplum accipe quod narrat Seneca. De- Senec. lib. 1. de clem. latum ad Cæſarem Auguſtum indicium eſt. L. Cinnam inſidias ipſi ſtruere, vnus ex conſciis deferebat. Dum augeretur, & rem verſaret animo, Liuiæ vxoris conſilium cepit. Suaſit autem illa, vt ignoſceret. Cinnam vocat, inſidias aperit. Ad extremum orationem, ſic concludit: *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu debeas: Poſt hæc detulit vltrò conſulatum; queſtus quòd non auderet petere. Beneficio, & clementia inſidiatoris furorem reſtinxit; amiciſſimum, & fideliſſimum deinceps habuit.* Noli vinci ab Ethnico imperatore, vir Chriſtiane. Sed, vt Paulus, ait: Rom. 12. *Noli vinci a malo; ſed vince in bono malum.*

CAPVT VII.

Qui filij Dei eſſe volunt, pacem in aliis enixè debent procurare.

QVi præmium diuinæ filiationis, pacificis à Domino promiſſum conſequi cupiunt, non ſolum pacem ipſi cum proximo habere, ſed quantum in ipſis eſt, alios etiam diſſentientes ad pacis concordiam debent reuocare. De his enim à Patribus quoque verba Domini intelliguntur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* S. Ambroſius, ait: *A te pacem incipe, vt ſic pa-* S. Ambroſ. in cap. 6. Lucæ. *cem aliis feras, vnde ſequitur: Beati pacifici.* S. Hieronymus: *Pacifici autem dicuntur beati,* S. Hieron. *qui primum in corde ſuo, deinde, & inter fratres diſſidentes faciunt pacem.* S. Chryſoſtomus: *Pa-* S. Chryſoſt. *cifici ad alios ſunt, qui inimicos in pace reconciliant.* Eandem expoſitionem alij quoque Patres complectuntur.

Cur verò huiuſmodi pacifici filij Dei appellentur, optimam, rationem tradit S. Chryſoſtomus ad hunc locum: *Cum pacifici, inquit, dicantur, qui alios diſſidentes in concordiam reuocant; iure etiam filij Dei appellantur, quia vnigeniti hoc præcipuum fuit opus, diſtantia copulare, conciliare pugnantia.* Hoc præcipuum conciliandi munus, quod in Chriſto excelluit, expendit egregiè idem Chryſoſtomus: *Magnum, inquit,* S. Chryſoſt. in comm. Epiſt. ad Coloſſ. 1. *eſt reconciliari, quod vero per Chriſtum hoc factum eſt, maius eſt. Atque hoc quoque ipſo maius eſt illud, quod per ſanguinem eius factum eſt, & non ſimpliciter per ſanguinem, ſed quod amplius etiam eſt per crucem. Itaque quinque ſunt hic præcipua; & admiranda. Deo nos reconciliauit; reconciliauit, inquam Chriſtus per ſe ipſum, per mortem, per crucem.* Nec ſolum Deo, ſed etiam An- Ad Coloſſ. 1. gelis nos reconciliauit, quod ſignificant verba Pauli: *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue*

quæ

Digitized by Google

quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. In terris erant homines, in cœlis Deus, & Angeli: ter enim homines Angelis cœleſtibus reconciliati ſunt. S. Auguſtinus. (S. Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap.62.) *Per ſacrificium,* inquit, *in quo mediator eſt immolatus, pacificantur terreſtria cum cœleſtibus, & cœleſtia cum terreſtribus.* Quia pacifici in munere alios reconciliandi, ſimiles ſunt filio Dei, meritò filij Dei vocantur.

Quapropter pacifici tantæ dignitatis munus conſiderantes, in coniungendas proximorum voluntates diligenter incumbunt. Ideò de eorum (Prouerb. 15.) lingua dicitur: *Lingua placabilis lignum vitæ.* Eſt enim lingua, quæ alios ad concordiam reuocat, ſimilis arbori vitæ, quæ in medio paradiſi erat plantata: Nam quemadmodum arbor illa fructus ſui vi quatuor qualitatum, quibus homo conſtat, diſſidia componebat, eaſque ex actione, & reactione diſcordantes ad eam temperiem, & æqualitatem reducebat, quam natura humani corporis requirit: ſic lingua lenis, & pacifici hominis eas voluntates, quæ non minus, quàm calor, & frigus: humiditas, & ſiccitas, inter ſe pugnant, ad pacis temperiem, & concordiam reuocat. Cùm ergo tam mirus ſit pacificantis linguæ fructus, non mirum eſt, ſi Deus ipſe eum ſibi adſcribat per Iſaiam, inquiens: (Iſai. 57.) *Creaui fructum labiorum pacem.* Dulciſſimus quidem, ac ſaluberrimus fructus, vtpote arboris vitæ. Sicut ergo fructus illius arboris, & nutrimentum erat membrorum & diſſidentium humorum medicamentum: Ita lingua placabilis, cum diſſidia, odia, rixaſque extinguit, egregiam medicinam affert, & diſcordantium voluntatum pacem, veluti fructum profert. Vnde Septuaginta vertunt: *Suauitas linguæ lignum vitæ.* Talem fuiſſe linguam (Cant. 4.) ſponſæ indicat ſponſus, cum ait: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Quemadmodum enim vitta crines colligat: Ita dulce pacificorum eloquium multorum voluntates diſſidentes colligit, & concordia coniungit, atque conſtringit. Sunt autem pacificorum labia coccinea, quoniam Chriſti ſanguinem, paſſionemque loquuntur, vt tam admirabili propoſito exemplo, pacem perſuadeant. Hanc vittæ expoſitionem amplectitur Hugo Cardinalis hoc loco, inquiens: *Sicut vitta crines, ne effluant, capiti, & ſibi inuicem conſtringendo adunat: Ita iuſti verbo & exemplo fideles quoſque capiti ſuo, id eſt, Chriſto conſtringunt, & eos vinculo pacis, & mutua charitatis colligant.* Denique, oliuæ (Gen. 8.) ramum, pacis ſignum, columba ore præfert. Ita etiam pacifici columbis manſuetudine ſimiles, pacem ferunt ore, non diſcordiam.

Porrò autem, ſicut pacifici, ob procuratam aliorum pacem, filij Dei vocantur: Ita etiam ſuſurrones ob diſſeminatam diſcordiam, filij Diaboli meritò dicuntur. Quemadmodum enim Diabolus. *Zizania ſuperſeminauit in medio tritici.* Sic pacis perturbatores diſſidia in medio hominum ſeminant, imitatores, filiique Diaboli. Audi Chryſoſtomum. (Chryſoſt. hom. 3. Ep. ad Coloſſ.) *Tantum bonum eſt pax, vt filij Dei vocentur, qui ipſam efficiunt, & conſtituunt: merito, nam & filius Dei ad hoc in terram venit, vt quæ in terra ſunt, & quæ in cœlis pacificaret. Si vero pacifici filij Dei ſunt; qui nouandis rebus ſtudentes diſſidia faciunt, filij ſunt Diaboli.* Similiter S. Gregorius, ait: *Si filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, proculdubio Sathanæ ſunt filij, qui pacem confundunt.* Hi quidem Diaboli filij parenti ſuo morem gerunt, & iurgia ſeminando gratiſſimum ei faciunt obſequium. Vnde S. Gregorius ſubiungit: (S. Gregor. 3. p. Paſtor. cap. 24.) *In vno malo innumera peragunt, quia ſeminantes diſcordiam; charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt. Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis; nihil eſt delectabilius Diabolo extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia, dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit.* Symbolicè id ſignificatum eſt in Apocalypſi, vbi vidente Ioanne: (Apoc. 6.) *Exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei, vt ſumeret,* (id eſt, tolleret) *pacem de terra & datus eſt ei gladius magnus.* Equus rufus tyrannos ſignificat, martyrum ſanguine cruentatos; eques Diabolum, qui veluti equos, iniquos tyrannos moderabatur, pacemque de terra tollebat. Datus eſt tunc illi gladius magnus: dant etiam ſuſurrones Diabolo gladios magnos, id eſt, linguas, qui gladij acuti dicuntur. His ille pacem de terra tollit, immittitque iurgia, odia, ac diſſidia. Vnde illud ſapientis: (Pſal. 56.) *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Item: (Eccleſ. 28. Ibidem.) *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit.* Ecce quam magnum gladium impius ad pacem turbandam Diabolo dat, quem vt filius imitatur.

Capvt VIII.

Chriſtianus pacem cum Deo diligentiſſimè debet ſeruare.

Hanc pacificorum beatitudinē iuxta varias Sanctorum Patrum expoſitiones, per varia capita tractauimus; quoniam vero aliqui Patres & interpretes per hos pacificos eos etiam intelligunt, qui pacem cum Deo ſtudent ſeruare, in horum quoque gratiam, quàm ſit conueniens hanc cum Deo pacem ſeruare, in præſenti oſtendemus.

Id quidem mirificè oſtendit Apoſtolus, cùm ait: *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* (Ad Philip. 4.) Dubium eſt, cur Paulus aſſerat pacem inter Deum & homines, omnem exuperare ſenſum, ſiue intellectum: nam Græcè pro ſenſu eſt mens. Cum autem multifariam ab interpretibus reſpondeatur, omnes quidem explicationes propoſitum oſtendunt. S. Ambroſ. de mente aduerſariorum locum videtur interpretari, his verbis: *Hoc idcirco dixit Apoſtolus, quia qui cum Deo habet pacem, non timet omnem mentem aduerſam.* Senſus erit: pax Dei exuperat omnem mentem, & intellectum aduerſariorum, omnes videlicet eorum machinationes, inſidias, ac cogitationes. Hæc enim pax tanta eſt, vt nullis prauorum inſidiis, ac machinationibus perturbetur. Pax quidem quæ inter homines intercedit, quantumuis firma, & ſtabilis videatur, mendaciis, & leuibus ſæpe ſuſpicionibus facilè diſſoluitur: atque inter Deum, & hominem eſt, niſi hic velit nunquam dirimitur. Pax humana ſimilis eſt torrenti, qui

Digitized by Google

qui quod non habeat perennem fontem facilè ſiccatur: at pax cum Deo flumini eſt ſimilis; quia ex perenni diuinorum mandatorum obedientia dimanat. Vnde per Iſaiam dixit Deus:
Iſai.48. *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.* Gratia enim diuina, quæ obedientiæ mandatorum coniuncta eſt, perennis fons eſt, ex quo pax perpetuo fluit.

Deinde alij ſic verba Pauli accipiunt, vt illud, *quæ exuperat omnem ſenſum* ſignificet id quod ſonat, videlicet, pacem Dei non poſſe comprehendi intellectu, & perfectè cognoſci in hac vita. Et quidem verbum Græcum, quo vtitur Paulus, ſignificat ſupereminere, & excellere. Eſt ergo ſenſus: pax Dei, quæ exuperat & vincit omnem hominum intellectum, cuſtodiat corda veſtra, &c. ſuperat autem pax Dei omnem mentem, quia quantum bonum ſit, quam expetendum, quam magno præmio donandum, nullus hominum intellectus perfectè in hac vita cognoſcit.

Præterea alij pacem inter Deum & hominem ſuperare intelligunt omnem intellectum, quoad modum, quia videlicet modus, quo per Chriſtum pax hæc nobis eſt comparata, admirabilis eſt, omnemque mentem excedit. *Reconciliatio*, ait Theophilactus, *quam Deus cum hominibus fecit, excedit omnem intellectum, nedum humanum, ſed etiam Angelicum.* Perinde, ac ſi dicat Paulus, Deus hac ratione nos liberauit, vt ne vllus quidem intellectus comprehendere poſſit. In cuiuſnam quæſo mentem ad faciendam cum hominibus pacem, Dei incarnatio, tormenta, crux, & acerbiſſima mors venire potuiſſent? Niſi Deus hæc feciſſet, quis ea cogitando aſſequi valuiſſet? Vnde Chryſoſtomus: *Pax Dei, quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. Quis enim ſperauit tanta aduentura bona? Pro inimicis tradere ſuum filium non recuſauit, vt pacem nobiſcum faceret.* Ad hunc mirabilem pacis conficiendæ modum ſpectat, quod offenſus ipſe ad pacem inuitat, & legatos mittit pacis, iuxta
2. Cor.5. illud Pauli: *Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Item: *Deus propoſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quod
S.Gregor. hom.22.in Euang. expendens ſanctus Gregorius ait: *Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccando fecimus; & tamen ad nos Deus legatos ſuos prior miſit.* Similiter in hunc locum Chryſoſtomus: *Quid* (inquit) *huic excellentiæ par fuerit? Deus contumelia affectus non ſolum non exigit pœnam, ſed & dedit filium ſuum, vt conciliemur, & poſtquam qui acceperant, non ſunt conciliati, ſed & occiderunt, iterum miſit alios legatos obſecrantes, &c.* Mittit Deus legatos pacis, mittit concionatores, qui rebelles homines, atque improbos in Dei gratiam, pacemque reuocent. At ſæpe infecta pace mœſti redeunt,
Iſai.33. iuxta illud Iſaiæ: *Angeli pacis amarè flebunt.* Quæ verba ſanctus Hieronymus de Apoſtolis interpretatur, quos Deus Angelos, ſiue nuncios, paciſque legatos ad Iudæos miſit. Cum vero plerique pacem repudiaſſent oblatam, magno cum dolore Angelorum pacis, euerſi totoque orbe diſperſi ſunt. Nos vero audiamus pacis Angelos; lugeamus, ne lugeant ipſi, peccata noſtra deploremus, vt lætentur, pacem cum Deo conficiamus, vt exultent. Legati ſiue Angeli pacis concionatores, prælati, & confeſſarij ſunt, pacem inter nos, Deumque conciliantes amarè flent, ſi nos criminaflemus. Lætantur, non quia flemus, ſed quia ad pœnitentiam flemus, iuxta illud Pauli: *Gaudeo,* 2.Cor.7. *non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam; contriſtati enim eſtis ſecundum Deum.*

Vt autem peccator pacem cum Deo ineat, per confeſſionem, & pœnitentiam iuſtificari debet. Vnde Paulus ait: *Iuſtificati ergo ex fide* Ad Rom.5. *pacem habeamus ad Deum.* Quocirca peccatrici mulieri, poſtquam peccata lachrymis abluit, dicitur à Domino: *Vade in pace.* Et S. Hiero- Luc.7. nymus obſeruat, Pauli epiſtolas non prius pa- S. Hieron. epiſt.139 ad Cyprianum. cem, poſtea gratiam, ſed verſa vice, prius gratiam habere, poſtea pacem quia pacem, non niſi remiſſis per gratiam peccatis, conſequimur. *Omnes* (inquit) *epiſtolæ Pauli in ſalutationis principio, non prius pacem habent, & ſic gratiam; ſed ante gratiam, & ſic pacem, vt donatis nobis peccatis noſtris, pacem Domini conſequamur?* Cæterum, vt peccatores per pœnitentiam præfatam pacem comparant: ita iuſti per conformem cum Deo voluntatem, eandem conſeruant: amicis enim firma pace concordibus vna debet eſſe voluntas. Hinc ſanctus Leo dixit: *Quid eſt pacem habere ad Deum, niſi velle quod iubet,* & nolle quod prohibet? *Si* S. Leo ſerm.6. de Natiuit. Domini. *enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates, neque vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt peruenire concordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent, & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi?* Et alio in loco ait: Idem & ſerm.9. *Chriſtiano vera pax eſt à Dei voluntate non diuidi, & iis ſolis, quæ Deus diligit, delectari.*

Capvt IX.

In perſecutione patientes impaſſibilitatis dote quodammodo donantur.

Verticem iam huius montis attingimus, extremam ſanctimoniæ lineam duxit Saluator, cum dixit: *Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hoc quidem expendere erit operæpretium. Et quidem cum æterna beatorum gloria, qua in cœlo fruuntur, ex quatuor corporis glorioſi dotibus, impaſſibilitate, claritate, ſubtilitate, agilitate, quam magna, & ineffabilis ſit intelligatur; ex eiſdem intelligere licet, quam mira ſit beatitudo, quam Chriſtus perſecutionem patientibus adſcribit.

Primum, impaſſibilitatis dotem non obſcure eis attribuit Elias Cretenſis inquiens: *Qui pro* Elias Cret. in orat. 3. Naz. *Deo patitur, futuræ Deificationis pignora iam accepit, tum etiam cum patitur: cum inuictus, atque omni cruciatu ſublimior reperiatur.* Senſus eſt: qui pro Deo patitur, eo ipſo tempore, quo patitur, futuræ Deificationis, id eſt, gloriæ pignus, id eſt, quaſi dotem quandam accipit, quæ in eo conſiſtit, vt inuictus, & omni cruciatu ſublimior reperiatur, id eſt, impaſſibilis quodammodo eſt, dum quaſi non

Digitized by Google

patiatur, inuictus, & ſublimior omni cruciatu inuenitur. Id de omnibus martyribus Nazianz. aſſeruit: *Velut in alienis corporibus, imo quaſi corporum expertes dimicarunt.* Hoc eſt, tanquam impaſſibiles. Plano iure optimo eos impaſſibiles dixeris, qui ſine morte, & ſine dolore patiuntur; huiuſmodi autem ſunt perfecti quique charitate flagrantes, & patientiæ ſtudentes.

Naz. orat. 1. contra Iulianum.

Audi Tertullianum: *Si patientia incubabo, non dolebo.* Metaphoram à lecto aſciuit, nam lecto proprie incubare dicimur. Omnes autem qui ægrotantes lecto incubant, id quærunt, vt mollius quieſcant, & minus doleant; at ſolus ille non dolebit, qui patientiæ incubabit: Solus enim patientiæ thorus hanc vim habet, vt hominem indolentem, & impaſſibilem reddat.

Tertullian. in opere de patientia.

De his enim Clemens Alexandrinus dixit: *Viuentes in habitu impaſſibilitatis.* Solus quidem patientiæ habitus ita hominem munit, vt impaſſibilem reddat. Quocirca, qui perſecutione, vel graui tribulatione premitur, exiſtimatur quidem dolere; ſed ſi perfectæ patientiæ eſt, potius gaudet. De his enim Paulus non dixit ſimpliciter, quod dolerent; ſed *quaſi dolentes, ſemper autem gaudentes.* Vbi ſanctus Chryſoſtomus ſic habet: *Exiſtimamur quaſi in dolore ſimus; nos autem voluptatem habemus ingentem.*

Clem. Alex. lib. 7. ſtrom.

2. Cor. 6.

Chryſoſt.

Exod. 3.

Rubus, quem vidit Moyſes, videbatur quidem ardere, atque conſumi; ipſe tamen impaſſibilis nihil à flamma lædebatur: Symbolum erat Eccleſiæ, quæ perſecutionum igne videtur abſumi, cum ipſa in perfectis integra, & impaſſibilis maneat. Appoſite Gloſſa ordinaria: *Alij in rubo flammante Eccleſiam intelligunt, quæ perſecutionibus inflammatur, ſed loquente in ſe Domino, non crematur.* Quid enim mirum, ſi rubum natura infirmum Deus in eo exiſtens incremabilem, & impaſſibilem redderet? Specialius ad quemlibet iuſtum hanc allegoriam deriuat Hugo Cardinalis. *Ignis* (inquit) *in rubo, tribulatio in anima iuſti*: quæ nimirum ardet, ſed non conſumitur, nec aliquid mali patitur. Rubus quidem patiebatur, quia ardebat; ſed cum quadam impaſſibilitate, quia flamma eum non conſumebat: ita ſane iuſti perfecti in perſecutionibus, & tribulationibus patiuntur; ſed cum quadam impaſſibilitate, quia diuino occupati gaudio, non dolent. Vnde ſanctus Thomas opportune admonet: *Tu ergo cum non poſſis eſſe impaſſibilis, eſto ſaltem cum quadam impaſſibilitate patiens.* Hoc eſt, cum natura non ſis impaſſibilis, ſic patere, vt quodammodo impaſſibilis eſſe videare. Id autem quamuis naturæ ſit impoſſibile, pronum tamen eſt gratiæ, quæ diuino gaudio ſic ſolet hominem inebriare, vt ab aduerſa fortuna pulſatus, & à perſecutoribus iniuriarum verberibus ictus, minime doleat.

S. Thom. opuſc. de Euchar.

S. Cyprian. in ſerm. de Cœn. Dom

Audi ſanctum Cyprianum dicentem: *Non terrent crucifixi hæredes mortis ſupplicia; inebriati enim, non habentes ſenſum huius mundi, cruci hæremus.* Inde non dolent, quia non habent ſenſum huius mundi, quo mundi mala poſſint ſentire, & pati. Perfecti ergo viri dotem impaſſibilitatis quodammodo nacti, merito beati dicuntur.

CAPVT X.

Quadam velut claritatis dote decorantur patientes propter iuſtitiam.

OStendimus ſuperiori capite, eos, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, iure optimo à Chriſto beatos appellari; quandoquidem impaſſibilitatis dotem beatorum propriam participant; nunc alias etiam gloriæ dotes memorabimus. An earum participatio aut analogia in illis aliquo modo ſplendeat. Et quidem de charitate haud difficilis erit comprobatio. Nam Chriſtus Dominus tormenta ac paſſionem ſuam clarificationem appellauit illis verbis: *Nunc clarificatus eſt filius hominis,* id eſt, *glorificatus*, vt alij legunt, atque idem omnino eſt. Quod de paſſione, & cruce vno ſenſu Patres intelligunt. Eodem modo ſanctus Hieronymus interpretatur illud Ioannis, *Pater clarifica me.* Sanctus Chryſoſtomus ſic exponit: *Confeſtim in ipſa cruce, ea quæ clara ſunt, apparebunt. Sol namque auerſus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, multa corpora eorum, qui dormierunt ſurrexerunt: hæc etiam via eas, quæ ceciderunt, diſcipulorum cogitationes reſtituit, & ſuadet non ſolum non triſtari, ſed etiam lætari.* Hanc eandem claritatis rationem eleganter admodum tradit ſanctus Hilarius his verbis: *Iam nunc conſpuendus, crucifigendus erat, ſed clarificat Pater filium. Sol de curſu operis deficit, & interitum ſuum cum eo reliqua mundi elementa ſenſerunt, ad onus Domini in cruce pendentis terra tremuit, & in eum qui moriturus erat, intra ſe conteſtata eſt, non capere. Proclamat centurio: vere filius Dei erat iſte: prædictioni conſentit effectus: Dominus dixerat: clarifica filium tuum. Centurio verum Dei filium confitetur: ne quis credentium ambigeret, quod aliquis perſequentium non negaſſet.* Similiter Auguſtinus paucis rem abſoluens ait. *Quod ergo ait: Pater venit hora, clarifica filium tuum; ſic intelligendum eſt, tanquam dixerit: venit hora ſeminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis.* Ex quibus debet intelligi, in humilitate tribulationis, ac perſecutionis eſſe tanquam in ſemine abſconditam claritatem, quæ cito ex ipſa humiliatione ſit efferenda, & producenda; iuxta Auguſtini ſententiam. At vero vt volunt S. Hilarius, & Chryſoſtomus non ſolum abſcondita in ſemine, ſed manifeſta in fructu reperitur claritas in perſecutione, ac tribulatione. Similiterque fit in omnibus iuſtis, qui propter iuſtitiam patiũtur perſecutionem, quam Deus & interna mentis, & externa nominis claritate dotauit. Vt enim ferrum, vel lima, vel laborioſa terræ colliſione ſplẽdet: ita iuſtus perſecutione clarior, & illuſtrior redditur. Quapropter S. Epiphanius loquens de Chriſto ait: *Propterea primum moritur, vt mortis teſtamentum confirmet, deinde à mortuis reſurgit, vt à gloria ad gloriam tranſeat*, id eſt, à gloria crucis ad gloriam reſurrectionis, vnde Paulus ait: *Chriſtum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Vt hanc gloriæ, & honoris coronam in ipſa morte obtinuiſſe intelligatur, ſicut intellexit œcumenius, & explicuit his verbis: *Gloriam & honorem vocat crucem,*

Ioan. 13.

S. Hieron. epiſt. 150. Ioan. 17.

S. Chryſoſt. hom. 71. in Ioan.

S. Hilar. l. 3. de Trinit.

S. Epiphan. hæreſ. 66.

Ad Hebr. 2.

Digitized by Google

crucem, neque enim tam Deo dignum erat, tamque glorioſum feciſſe cœlum & terram, ſicut quòd propter nos dignatus fuerit crucifigi. In ipſa ergo morte clarificationem, ſeu claritatem ſuam, id eſt, diuinitatis ſuæ notitiam, quam à Patre petiuit, conſecutus eſt: Ibi enim tanta diuinitatis ſuæ præbuit argumenta, tantaque gloriæ, & honoris oſtentauit inſignia, vt centurio proclamauerit: *Vere filius Dei erat iſte.* Similiter igitur, qui pro Chriſto patiuntur, in ipſa perſecutionum & tribulationum paſſione prærogatiuam claritatis, id eſt, claritatem mentis, & nominis aſſequuntur. Ipſa enim calamitatum perpeſſio corona gloriæ eſt. Hinc illud ſancti Hieronymi: *Suppliciis ſuis coronantur.* Et Chryſoſtomus ait: *Liuoribus quos ei verbera ſæpius inferebant, quaſi quibuſdam gloriabatur coronis.* Et alibi: *Martyres,* inquit, *cum beatos vocamus, ex vulneribus primum beatificamus, & tum ex præmiis: ex plagis, & tum ex coronis repoſitis.*

S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam.
S. Chryſoſt. hom. 8. de laudibus Pauli. & hom. ſuper orat. Ennæ.

CAPVT XI.

Haud deeſt perſecutionem patientibus agilitas, cuius velut dote commendantur.

VT beatitudo, quam Chriſtus patientibus perſecutionem promittit ſatis conteſtata maneat, bonum etiam agilitatis illas participare, operæ pretium erit oſtendere. Id autem procliue erit, ſi Seraphicum Doctorem adeúntes, quæ de huiuſmodi dote docuit, expendamus. Et quidem docens beatorum corporibus dotes gloriæ in id à Deo concedi, vt corpus ſpiritui beato penitus conforme ſit, de agilitate ſic ait: *Quia vero ſpiritus beati promptiſſimus eſt ad tendendum in Deum, ideo in corpore glorioſo debet ſumma agilitas reperiri.* Deinde idem Doctor docens agilitatem concedi cum reſpectu ad dilectionem, qua anima beata Deo coniungitur, ſic habet: *Agilitas eſt, vt coniungatur anima Deo, impaſſibilitas, vt non retrahatur; &c.* Subinde vero diſtinguens has dotes penes cauſam materialem aſſerit eas opponi quatuor defectibus, quos corpus humanum contrahit ex quatuor elementis, quibus coaleſcit, & de agilitate ſic ſubdit: *Corpus ab igne, qui conſumit, habet animalitatem ſecundum quam alimoniis reddit ponderoſum, contra quem defectum habet agilitatem.* Ex his tribus Bonauenturæ pronuntiatis haud difficile erit monſtrare, agilitatis dotem eos, qui propter iuſtitiam patiuntur, quodammodo æmulari. Primum, iuxta primum pronuntiatum, qui propter iuſtitiam patitur perſecutionem, ſeu tribulationem, & animo & corpore promptiſſimus eſt, & valde agilis ad tendendum in Deum. Ideo de iuſtis dicitur; *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Quem locum ad rem noſtram Hugo Cardinalis ſic exponit: *Multiplicantur infirmitates, id eſt, tribulationes ſanctorum, & poſtea accelerauerunt; quia huiuſmodi tribulationes, & perſecutiones ſunt quaſi compendium citius veniendi ad Deum, & tales*

Bonauent. in breuiloquio part. 7. cap. 7.
Et in centiloquio part. 4. ſect. 3.
Pſalm 15.

expediti ſunt ad eundem. Tribulationes quidem, & perſecutiones hominem iuſtum per ſe promptum, magis agilem reddunt ad tendendum in Deum. Vnde ſanctus Gregorius dixit: *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.* Perſecutionibus enim quaſi calcaribus icti, celerius ad Deum currimus. Id in ceruo bene adumbratum, qui dum pugnat cum ſerpentibus magna ſiti accenſus ardenter appetit fontem, quem ſane ceruum ad fontem currentem, ſi canes pariter inſequantur, multo velocius currit: ita iuſtus, victis peccatorum ſerpentibus ardore charitatis æſtuans, Deum fontem viuum vehemẽter deſiderat. Sicut Pſalmographus clamat: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Sed dum currit ad vitæ fontem, vt veniat, & appareat ante faciem Dei, canes ſibi adlatrantes ſentit, id eſt, homines inſultantes, *qui dicunt ei quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Vnde ſanctus Auguſtinus ait: *talis ceruus dum currit, patitur inſultantes, vt velocius currat.*

S. Gregor. lib. 5. mor. cap. 5.
Pſal 41.
In Pſal.

Ex ſecundo pronuntiato ſancti Bonauenturæ habes corporis glorioſi agilitatem in eo deſeruire animæ beatæ vt Deo penitus coniungatur: at id muneris præſtat etiam perſecutio & tribulatio, quam iuſtus propter iuſtitiam patitur. Quod aperte indicauit Sapiens, dicens: *Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo.* Tribulationes à Deo immiſſæ ſuſtentationes dicuntur Dei, quia per eas Deus nos ſuſtentat, ne cadamus per ſuperbiam. Vnde Regius vates ait: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Et alibi: *Da mihi auxilium de tribulatione.* Cum vero ſapiens hæc duo coniungit, vt videlicet voluntarie, & patienter Dei ſuſtentationes, ſeu tribulationes patiamur, & Deo coniungamur, innuit hæc duo copulata eſſe, vt nimirum per tribulationes Deo coniungi debeamus. In quam ſententiam explicat hæc verba Hugo Cardinalis, additque hoc quaſi typice adumbratum eſſe in Dauide. *Vnde* (inquit) *legitur, quod anima Ionathæ conglutinata eſt anima Dauid, qui patienter, & pacifice ſuſtinebat perſecutionem Saulis.* Ex perſecutionibus ergo propter iuſtitiam toleratis gluten fit, quo anima Deo coniungitur. Sicut ergo agilitatis dos animæ deſeruit, vt Deo melius coniungatur: ita etiam tribulatio, ac perſecutio animam iuſti à terrenis bonis ſeparat, & Deo copulat.

Eccleſ. 2.
Pſal. 22.
Pſal. 59.
1. Reg 18.

Denique iuxta tertium Seraphici Doctoris pronuntiatum dos agilitatis corpori humano grauitatem, & terreum pondus adimit, & leuiſſimum efficit: quod item munus tribulatio præſtat. Nam vt aquæ diluuij arcam, quæ maximo pondere in terra iacebat, in altum leuarunt: ita tribulationum vndæ hominem, quaſi nullius ponderis ſit, in ſublime tollunt. Enim vero tribulatio hominem quaſi immunem ponderis reddit; quia ea omnia, quæ cor illius grauant, ab ipſo corde amouet, & pellit. Grauat quidem cor terrena fluxæ carnalitatis affectio, & exterioris hominis animalitas, cui Bonauentura ſupra pondus aſſignauit; hæc autem ponderoſa carnis affectio, & animalitas ita perſecutionis ſale ſiccatur, ita tribulationis igne corrũpitur, & abſumitur, vt amota hac grauitatis cauſa

Digitized by Google

cor omnino agile, atque leuiſſimum reddatur. In quam ſententiam ſanctus Gregorius explicat illud Pauli. *Et licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Id eſt, quanto magis corrumpitur homo exterior, in quo grauitas eſt, tanto plus homo interior renouatur, & agilior, & leuior ad aſcendendum redditur: Sic enim ſubdit ſanctus Doctor: *In eo quod caro flagellis afficitur mens ad appetenda altiora ſublimatur.* Quod vt confirmet, argute, & acutè vſurpat verba illa Iobi: *Homo naſcitur ad laborem & auis ad volatum.* Cuius ſententiæ partes ita connectit, vt homo mundanis affectionibus grauis, per laborem tribulationis ita reddatur *leuis*, & ad volandum agilis, vt ex homine euadat in auem; ſic enim habet: *Homo ergo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum; quia inde mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis durius laborat.* Exemplum Pauli ſubinde proponit his verbis: *An non quaſi auis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduerſa ſuſtinens dicebat? noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Quia enim in terra grauem perſecutionem vt homo patiebatur, ideo in cœlo, vt auis verſabatur. Tribulatio eam ipſi agilitatem ingerebat, vt depoſita hominis grauitate in auis leuitatem tranſiret.

S. Gregor. lib. 6. mor. cap. 5.
2. Cor. 4.
Iob cap. 5.

Capvt XII.

Perſecutionem patientes etiam ſubtilitatis bono quodammodo donantur.

AD beatitudinem eorum, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam adſtruendam ex dotibus glorioſi corporis ſola reſtat ſubtilitas, quam ipſos etiam quodammodo decorare monſtrabimus ex doctrina Seraphici Doctoris, ſicut & in ſuperiori capite. Igitur ſanctus Bonauentura de hac dote ſic habet: *Quia ſpiritus beati dilectione illius ſummi ſpiritus eſt ſummè ſpiritualis effectus, ideo in corpore habere debet correſpondentem ſubtilitatem, & ſpiritualitatem.* Deinde alibi de eadem dote ait: *Subtilitas eſt, vt nihil interponatur inter diligens & dilectum.* Præterea docens ibidem, corpus noſtrum ex quatuor elementis, quibus concretum eſt, quatuor defectus contrahere, quos quatuor dotes gloriæ ab eodem corpore pellunt, & defectum ab aëre prouenientem à ſubtilitate amoueri aſſerens, ait: *Ab aëre, qui cedit cuilibet impellenti, corpus habet infirmitatem, contra quam habet ſubtilitatem, ſiue penetrabilitatem, per quam corpori glorioſo erit peruium omne durum.* In quibus locis, ſi attentè animaduertas, omnia cauſarum genera, ex quibus dos ſubtilitatis corpori ingeneratur, complexus eſt. Nam eius cauſa efficiens eſt ſumma ſpiritualitas animæ beatæ; finalis vero, vt inter diligens & dilectum nihil interponatur; materialis autem corpus defæcatum & expurgatum defectu elementari. Iuxta hæc ergo tria pronuntiata haud ægrè adſtruetur quod diximus.

S. Bonauent. in breuiloquio part. 7. cap. 7.
Et in centiloquio part. 4. ſect. 2.

Primum, qui perſecutionem patitur propter iuſtitiam per ipſas perſecutiones & tribulationes maxime ſubtilis, & ſpiritalis efficitur, non ſolum corde, ſed quodammodo etiam corpore. Id videtur inſinuare Pſalmus octuageſimus tertius, cuius titulus eſt, *pro torcularibus.* Quem titulum ſanctus Auguſtinus explicans, & per torcularia tentationes intelligens, ait: *Præpara animam tuam ad tentationem, ecce torcular. Conteruntur, exuuntur integumentis carnalium deſideriorum, quaſi vinaciis exuuntur veteri homine, & in apothecam Dei defluunt.* Vt ergo vua in vite, & oliua in arbore, integro, & craſſo corpore ex permixtis elementis concreto conſtant; at vbi torculari premuntur, craſſiora ſeparantur & ſubtiliora, quæ manent, eliguntur: ita quidem homini viſu venit, in arbore proſperitatis quaſi pendens, craſſa veteris Adam corpulentia induitur, terrenis cogitationibus, & affectibus ſpiſſatur: at in torculari perſecutionis conteritur, integumentis carnalium deſideriorum exuitur, & quaſi vinaciis veteri homine ſpoliatur, & hoc modo ſubtilis in apothecam Dei defluere cernitur. Hic autem, qui tantum è torcularibus fructum ſuſcepit, ſic in exordio huius Pſalmi lætus fatetur: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Non ſolum cor, ſed caro etiam exultat, quia quamuis hæc pondere propriæ corruptionis grauatur, tamen ab ſpiritu quodammodo fit ſpiritualis & ſubtilis, vt exultare, & in altum poſſit aſcendere. Vnde Propheta non ſolum ſpiritum, ſed etiam carnem appellauit paſſerem, ſubiungens: *Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum.* Nam ſanctus Auguſtinus per paſſerem ſpiritum, per turturem carnem intelligit, inquiens: *Duobus duo reddit. Cor vt paſſer; caro vt turtur. Corde cogitamus Deum; quaſi volet paſſer ad domum; carne agimus opera.* Sicut ergo auis ſubtili volatu alta penetrat: Ita etiam caro ſubtilitate ab ſpiritu mutuata, fit turtur, quæ per exteriora bona opera in cœlum tollitur. Caro enim caſta gemitibus, & maceratione corporis tenuata, turtur eſt, quæ bonorum operum exercitio cœleſtia petit. Hac ergo ratione cor atque pariter caro exultant in Deum viuum, vel vt Hugo Cardinalis exponit: *Cor exultat per deuotionem, caro per hilaritatem.* Per tribulationem ergo caro ſubtilis, ac ſpiritualis fit. Qui hoc donum per tribulationem mortificationis accepit, laudat Deum in tympano, iuxta illud Pſalmi: *Laudate eum in tympano & choro.* Nam tympanum eſt caro tribulationibus & mortificationibus ita macerata, vt de craſſa, & corruptibili in ſubtilem, & ſpiritualem mutetur. Vnde Gloſſa interlinealis, *in tympano, id eſt, carne mutata ſine omni corruptione.* Explicatius id tradit ſanctus Gregorius his verbis: *In tympano ſicca & percuſſa pellis reſonat: quiſquis itaque corpus affligit, Deum in tympano laudat.* Huius quidem caro maceratione tribulationum ſubtilior & ſpiritalior quotidie redditur.

Pſal. 83.
Pſalm. 150.
S. Gregor. 3. p. Paſt. admonit. 23.

Quia vero iuxta ſecundum pronuntiatum Bonauenturæ dos ſubtilitatis à Deo conceditur, *vt nihil interponatur inter diligens & dilectum*, id quoque perſecutio, ſeu tribulatio præſtat;

Digitized by Google

præſtat; remouet enim interpoſita impedimenta, vt anima iuſti liberum acceſſum habeat ad dilecti Dei vnionem, quod Paulus aperte docet: *Iuſtificati* (inquit) *ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem & habemus acceſſum.* Cum Chriſtus nobis aditum patefecerit, & acceſſum expedierit ad Deum diligendum, id media tribulatione præſtat, quod Paulus ita adiungit: *Gloriamur in tribulationibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio vero ſpem; ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* A tribulatione gradatim ad charitatem peruenit, qua vnimur Deo; dum autem ad charitatem pergit ea impedimenta amouet, quibus peccatores, etiam cum tribulantur præpediuntur, de quibus impedimentis ſanctus Bernardus ait: *Sicut ſanctis & electis tribulatio patientiam operatur; patientia autem, &c. Sic damnandis è contrario, tribulatio parit puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit.* Hæc impedimenta damnandorum tollit electis tribulatio, quæ eos vſque ad perfectum Dei amorem ſine obſtaculo deducit. Quod etiam ſponſa ſymbolice ſignificauit: cum enim amore ſponſi flagrans ad eius amplexum accedere vehementer optaret, ait: *Quæſiui, & non inueni illum, vocaui, & non reſpondit mihi.* Vbi ſanctus Gregorius ita ſcribit: *Quærit ſponſa dilectum, ſed non inuenit, quia à Deo inſpirata mens aſſidue ſuauitate illa intima perfrui concupiſcit; ſed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat, & non reſpondetur ei: quia & orationibus & operationibus ſuis dulcedine illius præſentiæ ſatiari appetit, ſed ad votum ſuum hoc quod inuocat non occurrit.* Cum ergo dulciſſima ſponſi præſentia frui vehementer optaret, id orationibus, & bonis operibus aſſequi non potuit: qua ergo ratione acceſſum habuit? Profecto tribulatione perſecutionis, quæ tanquam dos ſubtilitatis, præſtat, vt nihil interponatur *inter diligens & dilectum.* Sic enim ipſa ſponſa ſubiungit: *Inuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem. Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.* Sic percuſſa & vulnerata, pallioque ſpoliata inuenit ſponſum, id eſt, dulciſſima eius præſentia frui datum eſt, vt nihil iam inter eam, & dilectum interponeretur. Quæ verba optime exponit Hugo Cardinalis, qui per cuſtodes Prælatos, & Doctores intelligens, ait: *Percuſſerunt me duris increpationibus & obiurgationibus. Vulnerauerunt me gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, quo dolorem pœnitudinis intulerunt. Tulerunt pallium meum, vt nuda nudum ſequerer, me omnia relinquere fecerunt.*

Ad Rom. 5.

S. Bernard. epiſt. 12. ad Abb. ſancti Nicaſij.

Cant. 5.

In tertio pronuntiato affirmat Seraphicus Doctor: *Per ſubtilitatem, ſiue penetrabilitatem corpori glorioſo eſſe peruium omne durum.* Similiter quidem per perſecutionem ac tribulationem patienter toleratam omne, quod in hac vita durum eſt, peruium homini fit. Teſtor Regem illum, qui cum hoſtium bello premeretur, & fortiſſime perſecutionis muro cingeretur, quaſi dote ſubtilitatis eſſet præditus, dixit: *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.* Lyra per murum tentationem intellexit, quæ, licet duriſſimus ſit murus, peruia tamen eſt iuſto patienti: *Tranſgrediar,* inquit, *murum, id eſt, tentationis obſtaculum, quæ impedit proceſſum in bonum.* S. Auguſtinus murum tribulationis pœnā interpretatur, quem murum peccata, velut opifices ædificaiunt: *Tranſgrediar,* inquit, *murum, quem inter homines, & cælum peccata conſtruxerunt.* Omnes quidem huius vitæ tribulationes peruiæ ſunt ei, qui eas patienter tolerat, nec ipſi obſtant, quominus ad vlteriora virtutis progrediatur. Caſſiodorus vero peccatorum congeriem intelligit, quæ murus eſt omnium duriſſimus. *Diruere non penitus poteſt homo, ſed ope Dei tranſit murum, obſtaculum peccatorum,* ſic ille. Huius muri ſtructuram eleganter deſcribit Hugo Cardinalis in hunc modum: *Murus eſt peccatum, quia ſeparat nos à Deo. Iſte autem murus fit ex luto luxuriæ, & latere auaritiæ, & palea inanis gloriæ, & cemento amoris mundi, lapidibus acidiæ, fundamentum eſt timor ſatisfaciendi, qui ſuſtinet totum murum. Latitudo eſt perſeuerantia in peccato. Altitudo præſumptio.* Hunc tam compactum, atque duriſſimum murum, is, qui tribulationem propter iuſtitiam patitur, facile tranſgreditur. At ſanctus Gregorius per murum omne viæ ſpiritualis obſtaculum generatim intelligit: *Murus,* inquit, *eſt omne quod itineri noſtro obiicitur, ne ad eum, qui diligitur, tranſeatur. Sed murum tranſgredimur, cum præ amore ſupernæ patriæ, quæque in hoc mundo fuerint obiecta calcamus.* Quacumque ergo ratione murus intelligatur, cum penetrat, ac tranſgreditur, qui propter iuſtitiam patitur: nam cum dos ſubtilitatis vt docuit Bonauentura, corpus roboret, ne cedat obſtaculis, & contra infirmitatem, quam ex aere traxit, vndique muniat, idem præſtat tribulatio, aut perſecutio propter iuſtitiam tolerata. Vnde ſubdit Gregorius: *Robuſti ex aduerſitate proficiunt; ſed infirmi ſæpe in deſideriis ſuis, ſi qua eis fuerint ex aduerſo obiecta, langueſcunt, & cum valida tribulatione pulſantur, puſillanimitate deficiunt.*

Pſalm. 17.

S. Gregor. lib. 26. mor. cap. 10.

CAPVT XIII.

Is qui patitur propter iuſtitiam, beatitudinem etiam eſſentialem quodammodo participat.

CVm ex Chriſti Domini verbis conſtet beatos eſſe, qui patiuntur perſecutionem propter iuſtitiam, idque ita eſſe quoad ſimilitudinem beatitudinis accidentalis ex glorioſi corporis dotibus ortam oſtenderimus, reliquum eſt, vt beatitudinem etiam eſſentialem eis quodammodo coaptemus. Quamuis enim hi qui propter Deum perſecutionem patiuntur, extrinſecus conuiciis, opprobriis, & variis iniuriis pulſentur, atque inde miſeri videantur, intrinſecus tamen ſolidam beatitudinem nanciſcuntur. S. Auguſt. dixit: *Intrinſecus eſſe beatitudinem noſtram, ſicut de anima Eccleſiaſtica ore prophetico dicitur: omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Nā extrinſecus maledicta, & perſecutiones, & detractiones permittuntur, de quibus tamen* magna

S. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 5.

Digitized by Google

magna merces eſt in cœlis, quæ ſentitur in corde eorum, qui poſſunt dicere, gloriamur in tribulationibus. Hanc intrinſecam beatitudinem in iuſtorum mente ſub ipſa tribulationum, & perſecutionum miſeria latere indicauit Dominus,
Marc.10.
cum præmium his, qui ob ipſius amorem cuncta terrena reliquerint, aſſignans, ait: *Accipiet centies tantum, nunc in tempore, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Vbi ad præmium & beatitudinem huius vitæ perſecutiones adiunxit; quia profectò ad internam animæ beatitudinem perſecutiones maximè pertinent, cum ipſis, & propter ipſas æterna beatitudo in corde iuſtorum prægustetur. Id quod Beda ad hunc Marci locum ſic ediſſerit: *Omnes qui propter regnum Dei temporalia ſpreuerunt, in hac vita perſecutionibus pleniſſima, eiuſdem regni gaudium fide certa deguſtant, atque omnium electorum delectatione fruuntur.* Non ergo mirum ſi perſecutiones ad huius vitæ præmium apponantur, quando ipſarum gratia æterni regni gaudium deguſtant, & omnium electorum delectationem prælibant: ſed propius ad inſtitutum accedamus. Enim vero, quia in ſcholis Theologiæ non ſatis eſt definitum; ſed inter nobiliſſimas ſancti Thomæ & Scoti familias controuerſum, in qua actione potiſſimum eſſentialis beatitudo conſiſtat, an ſcilicet, in viſione intellectus, vel potius in amore voluntatis, nec deſint, qui vtramque ſimul actionem ex æquo requirant, eandem nunc in tribulatione ſuo modo inueniri oſtendendum eſt.

Et quidem viſionem quandam, ſeu perfectiorem cognitionem Dei in tribulationibus reperiri, ſatis apertè indicat ſanctus Iob, vbi tantum diſcrimen conſtituit inter eam Dei cognitionem, quæ tempore tribulationum habetur, & eam, quæ in proſperitate conſpicitur, quantum eſt inter auris auditionem, & oculi viſionem: ſic enim de ſeipſo ait: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Ac ſi diceret, proſperitatis tempore tantum te audiebam, quia obſcuram de te habebam cognitionem; at nunc perſecutionibus, & calamitatibus vehementer afflictus, quaſi clarius te video. Ita hunc locum intellexit S. Gregor. inquiens:
S. Gregor lib.35.mor. cap.2.
His nimirum verbis apertè indicat, quia quanto viſus ſuperior eſt auditu tanto differt ab eo, quod prius extitit, & hoc quod poſtmodum per flagella profecit; quia interno oculo veritatis lumen magis conſpexit. Clarius id docuit idem S.Gregor.
lib.24. mor. cap.6. Iob 33.
vbi explicans verba illa Iob: *Videbit faciem eius in iubilo.* Sic habet: *Quia poſt tentationes, poſt immenſas amaritudines ſæpe mentis noſtræ in occulto gaudio lux veritatis erumpit, bene de hoc tentato homine ſubiungitur: Videbit faciem eius in iubilo.* Rationem huius optimam, paucis interiectis ita ſubiungit: *Menti enim noſtræ prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concremetur, & tunc mundatis oculis, illa lætitia patriæ cœleſtis aperitur. Prius à mentis acie, exurente triſtitia, interpoſita malorum caligo detergitur: & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis illuſtratur.* Quam vero cœleſtis ſit viſio, qua hoc incircumſcriptum lumen inter amariſſimas tribulationes contemplatur, attexit his verbis: *Ibi mens ex immenſo fonte infuſione ſuperni roris aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad id quod rapta eſt, contemplatur.* Subinde vero addit: *Hæc ipſa per contemplationem facta, non permanens viſio, ſed vt ita dixerim, quaſi quædam viſionis imitatio, Dei facies dicitur.* Quædam viſio Dei, atque adeo quædam beatitudo ex ipſis tribulationibus emergit, dum poſt afflictionem perſecutionum clarior in mente diuinæ lucis contemplatio radiat. In quam ſententiam idem Gregorius
Idem Greg. lib.14 c.7.
aduertit Patriarcham Iacob poſt longam cum Angelo luctam dixiſſe: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Nam poſt luctas certè tribulationum ac perſecutionum, Deus à iuſtis, quantum in hac vita fieri poteſt, quaſi facie ad faciem videtur.

Si vero eſſentialem beatitudinem in ardenti ac perpetuo charitatis amore conſtituas, etiam hunc ex ipſis propter iuſtitiam perſecutionibus, ac tribulationibus procedere, non erit difficile demonſtrare. Et quidem ſanctus Diadochus
S.Diadoch. de Perfect. ſpirit.c.21. 2.Cor.4.
noſtram erga Deum charitatem gloriam appellans, de ea intelligit illud Apoſtoli: *Quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, id eſt, æternum pondus charitatis, quod *æternum* ea ratione dici putat eius ſcholiaſtes Franciſcus noſter Turrianus, quia eodem Apoſtolo auctore: *Charitas nunquam excidit.*
1.Cor.13.
Gloria autem à Diadocho dicitur charitas; quia ad gloriam & beatitudinem hominis maximè ſpectat. Vnde S. Bernardus ait:
S.Bernard. lib. de modo bene mor. ſerm.3.
Summum bonum diligere ſumma eſt beatitudo, & quanto quiſque Deum amplius dilexerit, tanto magis beatus erit. Concinit Chryſoſtomus magnificis verbis amorem Dei commendans:
S Chryſoſt. hom. 5. in epiſt. ad Rom.
Amemus (inquit) *Deum, hoc magna certe merces, hoc cœlorum regnum, & voluptas, & deliciæ, & gloria, & honor, hoc lumen, hoc beatitudo infinita.* Hæc autem tanta beatitudo ex perſecutionibus, & tribulationibus naſcitur, vt interprete Diadocho docet Paulus illis verbis: *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vbi Græcè eſt: *Parit in nobis*: nam tribulatio virtute Spiritus ſancti fœcundata æternum gloriæ, id eſt, charitatis pondus parit. Porro cum parentum imaginem, & ſimilitudinem filij referre ſoleant, merito quis dubitet, quomodo tribulatio gloriam pariat, adeo ſibi diſſimilem? Huc facit quod Hieronymus
S. Hieron. in traditionibus Hebraicis in Geneſ.
tradit expendens illud de diſcoloribus virgis Iacob, quibus maculoſos, ac variegatos fœtus edendos curauit, poſt alia exempla, hoc ſcribit: *Scriptum reperitur in libris Hippocratis, quod quædam ſuſpicione adulterij fuerit punienda, cum pulcherrimum peperiſſet, vtrique parenti, generique diſſimilem, niſi ille ſoluiſſet quæſtionem monens quærere, ne forte talis pictura eſſet in cubiculo, qua inuenta mulier à ſuſpicione liberata eſt.* Ex quo fit, vt ſi mentis oculis obuerſetur Deus, eiuſque gloria dum tribulamur, tribulatio gloriam nobis pariat, ſibi quamuis diſſimilem: quod Paulus verbis conſequentibus expreſſit; nam poſt illa verba: *Gloriæ pondus parit in nobis*, continuo ſubdit: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Ex hac nimirum diuinorum contemplatione fit vt tribulatio, quæ fœdæ Æthiopiſſæ ſimilis habetur, pulcherrimum filium edat, id eſt, æternum gloriæ, ac charitatis pondus.

Digitized by Google

S.Diadoch. de perfect. ſpiritus cap.82.

Ex quibus poteſt intelligi, quam merito Diadochus dixit: *Si quis queat adhuc viuens mori per labores, hic prius quam moriatur, ſurrexit*, id eſt, laborum tribulatione, & mortificatione, quaſi quædam mors ſit, ad ſtatum reſurrectionis proceſſit, quæ eſt animæ in corpore beatitudo. Sicut igitur iuſto mors beatitudinem accerſit: ſic tribulationis mortificatio beatitudinem etiam huius vitæ comparat. Quia vero beatitudo non ſuppellex aliqua, ſed hæreditas, ac ſumma poſſeſſio hominis eſt, ſimiliter tribulatio hæreditas hominis dicitur, quod ſit, vt vidimus, cum beatitudine maxime coniuncta. Hinc
4. Iſaias, cum induxiſſet Dominum dicentem: *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas.* Id eſt, Diabolum tribulationum ardorem excitantem, *& proferentem vas in opus ſuum*, ideſt, bellica inſtrumenta tyrannorum, conatus, & perſecutorum molimina, & machinamenta aduerſus iuſtos; qui tamen huiuſmodi tribulatione proficiunt, concludit Prophæta, *hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini:* Vbi pulchre S. Hieronymus: *Ne caſſum* (inquit) *putes eſſe certamen, & præſenti morte finiri, hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, id eſt, regnum cœlorum, vita perpetua, retributio laborum.* Locupletiſſima ergo hominis poſſeſſio tribulatio, quæ quamuis hæreditas exilis, & macra & ſterilis eſſe videatur, pinguiſſimum beatitudinis fructum affatim effert. Eſt quidem tribulatio, & perſecutionum afflictio beata quædam hæreditas, quæ nos contingit ex paterna legatione, ac diſtributione. Etenim vt
ſ. ait Ambroſius: *Noueris Chriſtum ad crucem ſuam teſtatorem, teſtamentum bonum, non pecunia, ſed vita teſtantem, & pietatis officia deuidentem.* Et vbi quidem Patri ſpiritum ſpeciatim legauit, & Matri Virgini paranymphum, ſicut paranympho etiam matrem, militibus veſtes, ſepulturæ corpus, latroni paradiſum, quæ quaſi ſpecialia fuere legata; totum certe hæreditatis corpus toti Eccleſiæ mandauit, filiiſque fidelibus, nempe calicem paſſionis ſuæ præbibatum, crucem, clauos, ſpinas, ſputa, flagella, vibices, &c. Quæ bona moriens poſſidere repertus eſt teſtamento legaſſe, & tanquam ad hæredes ſuos tranſtuliſſe viſus eſt: bona ſane in cruce, & patente crucifixo tanquam in hæreditario fundo radicata, & fundata, ſuiſque hæredibus teſtamento, & hæreditario iure relicta. Hinc Sanctus

S.Cyprian. ſerm.de cœna Domini.

Cyprianus meritò intulit: *Non terrent crucifixi hæredes mortis ſupplicia.* Non inquam, vt nocumenta, ſed vt hæreditas beata delectant.

Caput XIV.

Perſecutionem patientes propter iuſtitiam perfecto etiam gaudio beati ſunt.

Beatitudinem eſſentialem beatum quoddam gaudium conſequitur, adeo illi connexum, vt ſæpe in Euangelio gaudij nomine ipſa beatitudo cenſeatur: ſic dicitur *intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25.) Cum ergo qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, beato quodam gaudio donentur, iure optimo à Domino beati dicuntur.

Porro quam ſolidum ac perpetuum ſit illud gaudium, quod iuſtos ob iuſtitiam afflictos perfundit, ſatis apertè indicauit Paulus dicens: *Quaſi dolentes, ſemper autem gaudentes.* (1. Cor. 6.) Vbi optime Sanctus Chryſoſtomus ait: non ſolum dixit gaudentes, ſed appoſuit ſemper. *Quid igitur huic vitæ par fuerit, in quam cum tanta inuadant aſpera, gaudium maius ſit.* (S. Chryſoſt. hom. 12.) Id confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus exemplo Marci cuiuſdam Martyris, qui cum ſenex eſſet & grauiſſimè torqueretur, ita tamen gaudebat, vt de eo ſic ſcribat, (S.Greg. Naz. orat 3. contra Iulianum.) *Ne in tormentis quidem animi hilaritatem reliquit; verum ex ipſis etiam cruciatibus delicias capiebat: adeo à doloribus, & moleſtiis remotus, ac ſi alienis periculis intereſſe, ſuppliciumque ſuum pompam, non calamitatem eſſe duceret.* Is certe cum ita gaudebat, & exultabat, Deum in tuba ductili, ideſt, in corpore ſuppliciis obdurato laudabat, iuxta illud Pſalmi: *Pſallite in tubis ductilibus.* (Pſal. 97.) In tuba ductili canit, qui corpore doloribus contuſo animo profuſè gaudet. Vnde hic Sanctus Auguſtinus. *Tribulatio tunſio eſt, profectus, productio: talis tuba erat Iob.* At tubæ cantus gaudium eſt patientis. Quare idem Auguſtinus de myſticis tubis ait: *Quæ per tribulationem diſtentæ edunt ſonum harmonicum.* Quam gaudij harmoniam expreſſit propheta continuò ſubiungens: *Iubilate in conſpectu Regis Domini, moueatur mare.* Iubilatio enim, ideſt, ineffabile gaudium tubæ harmonia eſt: qua mare mouetur, id eſt, quidquid diuina lex habet amaritudinis amouetur. In quem ſenſum idem Auguſtinus ſubdit: *Indulcetur mare legis ligno crucis in eo poſito.* Lex quidem Euangelica, ſi perſecutiones, ſi labores, ſi cruces ſpectes, mare eſt amarum, ſed dulcoratur ineffabili gaudio, dum ab eo qui propter ipſum Euangelium patitur crux Chriſti ad memoriam reducitur. Quo etiam ſpectauit Sanctus Ambroſius, cum dixit: *Sicut verbo ſuo adeſt Dominus, vt dulceſcant aquæ: ita præſtat in tribulationibus ſuam nobis præſentiam, vt afflictiones miteſcant.* (S.Ambroſ. lib. de Manſionib.) Alludit ad quintam Hebræorum manſionem, dum in deſerto vagarentur, quæ fuit in Marâ ſic appellata ab amaritudine aquarum, quas bibere non poterant, niſi prius iniecto ligno dulces à Moyſe redderentur. (Exod. 15.) Similiter quidem amariſſimæ tribulationum aquæ dulciſſimæ redduntur, dum crux atque paſſio Chriſti ad memoriam reuocatur. Vel certè lignum illud iniectum aquis cauſam ſignificat, ob quam iuſti patiuntur, quæ eſt Chriſtus crucifixus, ſiue iuſtitia, ac veritas, ideo dicitur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quæ ſanè cauſa cunctam ab aquis amaritudinem pellit, Dum perſecutiones, ac tribulationes ad gignendum gaudium fœcundat. Hæc cauſa gaudium gignebat in flagellatis Apoſtolis, de quibus dicitur: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* (Act. 5.) Quod expendens Chryſoſtomus ait: *Tametſi flagella non gaudij ſint occaſiones, ſed triſtitiæ & mœroris; nihilominùs flagella propter Deum, & cauſa propter quam flagellantur, gaudium eis pariebat.* (S. Chryſoſt. hom 23. in Geneſ.) Aptè dicit *pariebat*, quamuis enim tribulationes ex ſe ſteriles, ſunt tamen ab honeſtæ cauſæ ſpiritu fœcundatæ, pulcherrimum filium, ideſt, ineffabile cordis gaudium pariunt. Veriſſimum enim eſt, quod Sanctus Auguſtinus ait: (S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 2.) *Iuſtos*

Capvt VI.

Pax cum proximo, cuius præmium eſt Dei filiatio, perfectiſſima eſſe debet.

CVm pacificis Dominus pollicetur filios Dei eſſe vocandos, ſumma eos profectò dignitate dignatur, quo ſatis indicat perfectiſſimã, ac omnibus numeris abſolutam eam pacem eſſe debere cui tantum præmium conceditur. Quod bene adſtruit S. Leo: *Gratia,* (inquit) *Patris non diſcordes, neque diſſimiles, ſed vnum ſentientes, vnumque amantes adoptauit hæredes. Ad vnam reformatos imaginem oportet animum habere conformem.* Eos quidem quos filiorum Dei nomine Chriſtus extollit, tam concordi pace vult eſſe conſimiles, vt vna ex omnium animis pacis imago formetur. Parem animorum pacem eodem titulo diuinæ filiationis exigit S. Cyprianus: *Pacificos,* inquit, *& concordes, atque vnanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit, & quales nos facit, ſecunda natiuitate, tales vult renatos perſeuerare, vt qui filij Dei eſſe cœpimus in Dei pace maneamus, & quibus Spiritus vnus eſt, vnus ſit & animus & ſenſus.* Vt ergo diuina filiatione quàm in ſecundæ natiuitatis regeneratione ſuſcepimus, digni ſimus; pacifici, concordes, vnanimes, vnoque ſenſu præditi eſſe debemus.

S. Leo. ſerm. 6. de Natiuit.

S. Cyprian. lib. de orat. Domini.

Vt hanc perfectam pacis vnionem inter ſe fideles conſequantur, trifariam pax eſt habenda corde, ore, opere. Aliqui enim, quam in corde pacem non habent, verbis ſimulant; vel quam verbis mentiuntur, operibus minimè conteſtantur. Pax autem, vt vera, integra, atque perfecta ſit, & corde retinenda, & verbis ſignificanda; & operibus exequenda eſt. Primum ergo corde eſt complectenda. Hanc exigit Paulus, cùm ait: *Pax Dei exultet in cordibus veſtris, in quo & vocati eſtis in vno corpore.* Vbi pro voce *exultet* verbum Græcum ſignificat etiam vinco in certamine, & brauium, vel palmam fero. Vnde Pagninus vertit: *Pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris.* Biblia Regia: *Pax Dei ſuperet in cordibus veſtris.* Pugnant quidem in corde iracundia contra proximum & pax ſeruanda cum eo; monet ergo Paulus, vt in hoc certamine pax ſuperet, & palmam victoriæ ferat, & tanquam victrix exultet: at iracundia mœſta, victaque recedat. Hunc ſenſum amplectitur, hoc loco Chryſoſtomus: *Si duæ,* (inquit) *pugnent cogitationes, ne ſtatuas iram, nec violentiam, & inſultationem tenere brauium, ſed pacem.* Chryſoſtomum ſequuntur Græci Patres, vt aſſolent. Hæc autem pax dicitur Dei, quia ſicut per iram pugnat in corde Diabolus, ita per pacem Deus; vt inde intelligas, quàm meritò tibi probro dabitur, ſi vincat ira.

Coloſ. 3.

Deinde pax verbis etiam eſt conſeruanda; ex pace ſiquidem cordis, pax oritur oris. Cor pacatum ac tranquillum, tranquilla & pacificatoria verba profert. At cor ita concitatum iracunda verba, pacemque diſturbantia in os, quemadmodum furens mare tumidos fluctus in littus deuoluit. Vide quid dicat ſcriptura: *Fratres oderant Ioſeph, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Erat in corde odium, & ſic verba pacifica ex ore pellebat, & ſuggerebat amara. Multum quidem habent ponderis ad conficiendam pacem verba pacifica; nam vt dicitur in Prouerbiis: *Reſponſio mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem.* Cum blandus, & mollis ſit ſermo, duritiem tamen iræ confringit, & diſſipat. Sicut enim diſploſus bombarda globus in telluris aggerem, vel in molliorem lanam incurrens, hebetatur, ac ſiſtitur; idem verò in præualidum murum perlatum, diſrumpit, ac labefactat. Et ſicut fulmen mollíori carni parcere; oſſa verò prædam comminuere ſolet. Sic etiam iræ impetus in mollem, & ſuauem ſermonem incidens, obtunditur, & hebetatur; in durum verò ſermonem incurrens, crudelius ſæuit. Elegans etiam eſt ad id ſignificandum Sancti Gregorij Nazianzeni collatio, vbi docens modum, quo iræ impetus ſit retardandus, & eludendus ait:

Gen. 37.

Prouerb. 25.

S. Gregor. Nazian. Poëm. de irac.

At læſit me, Tu caue, vt lædas item.
At cœpit ille. Protinus verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandiſſimis
Solutus inſtar fluctuum ad terram illicò,
Aut vt procella, cum nihil remittitur.

Senſus eſt, vt ſicut tumentes ſæui maris fluctus cùm in molliſſimas littoris arenas incurrunt, franguntur, & ſoluti recedunt: at ſi in durum ſcopulum impingant, ſpumas in cœlum iaculari ſolent: ita iræ ſpumantis vndæ in ſuaues, ac blandos ſermones incidentes retardantur atque ſoluuntur. At iræ vox, ſiue clamor, ſi in durum alterius ſermonem incurrat, mirum in modum excreſcit, & multiplicata voce reſpondet; non aliter ac humana vox, cum in præruptas, ac duras montium concauitates offendit, echo multiplicata recurrit. Quaſi ſimilitudine vtitur Sanctus Baſilius: *Vox illi aſpera. Sit tibi mitis, & non durus ſermo. Neque enim ſic in locis deſertis, & ſolidis cautibus Echo in ipſos clamantes intempeſtiuè infringitur: ſicut in hominem mitiſtum & contumelioſum contumelia reuertitur. Imò ſonus quidem ibi idem redditur; contumelia verò augmentata recurrit.* Quamobrem Eccleſiaſticus ſic monet: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Si pacem cum amicis ſeruare, ſi inimicos tibi vis reconciliari, & multorum amicitiam comparare, linguam habe eucharim, id eſt, gratioſam. Et vt eſt in Græco textu, beneloquentem, placidam, pacificam. Huiuſmodi quidem lingua; quæ in iracundiæ occaſione placida, ac lenis eſt, præterquam quod amicos multiplicat, etiam probi viri inſigne eſt, quod ſignificatur, illis verbis: *Lingua eucharis in bono homine abundat.* Quam bonum autem ſignum ſit huiuſcemodi linguæ lenitas ex Plutarcho illuſtrare licet, qui ait: *In febri bonum eſt, ſed melius in ira linguam teneram ac lenem habere.* Teneram vult nos habere linguam, & benedictione plenam, nec iracundiæ febri exaſperatam. Sanctus Petrus: *Non reddentes* (inquit) *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis.* Æquum plane eſt, vt qui benedictionis hæres eſt, benedictionem, non maledictionem, in ore gerat. Quia verò contentioſus ſermo, & propriæ ſententiæ nimis tenax, iram ſolet concitare, & pacem dirimere, rogat omnes Paulus:

S. Baſil. orat de irac.

Eccleſ. 6.

Plutarch. de cohib. irac.

1. Cant. 3.

1. Cor. 1. Paulus: *Obſecro vos, vt id ipſum dicatis omnes.* Id autem maximè neceſſarium eſt Doctoribus & & doctis hominibus, quod idem Paulus, ſic admonet: Ad Philip. 2. *Vnanimes id ipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Quapropter Dominus, cum de Doctoribus, atque doctrina, quam ſal appellat, diſſerit, ait: Marci 9. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* His enim qui ſale doctrinæ abundant, proximum vitium eſt, per inanem gloriam contendere, quod pacis venenum eſt: Vnde cum dixiſſet: *Habete in vobis ſal*, meritò adiunxit: *& pacem habete inter vos.* Ideò Sanctus Chryſoſt. hæc verba explicans, ait: S. Chryſoſt. hom. 11. in Matth. *Sunt ſales ſal non habentes; qui enim non ſunt pacifici, ſal ſunt inſulſum.* Quod luculentius tradit Sanctus Gregorius, his verbis: S. Gregor. 2. p. Paſtor. cap. 4. *Cum Rhetor ſe ad loquendum preparat, ſub quanto cautelæ ſtudio eloquatur, attendat: ne cum fortaſsè ſapiens videri deſiderat, vnitatis compagem inſipienter abſcindat. Hinc namque veritas dicit: habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Per ſal quippè verbi ſapientia deſignatur: qui loqui igitur ſapienter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur.* Et alibi de omnibus doctis locum ediſſerens, inquit: Idem 3. p. Paſt. admonit. 23. *Sæpe dum quoſdam maior ſcientia erigit, à cæterorum ſocietate diſiungit, & quaſi quo plus ſapiunt, eo à concordiæ virtute deſipiſcunt. Hi itaque audiant quid per ſe metipſam veritas dicat: habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. Sal quippè ſine pace non eſt virtutis donum, ſed damnationis argumentum. Quo enim quiſque melius ſapit, eo deterius delinquit, & idcirco inexcuſabiliter, & multò maius merebitur ſupplicium: quia prudenter, ſi voluiſſet, potuit euitare peccatum.* Et rurſus ait: Idem in Regiſtro, lib. 7. in dict. 15. c. 193. ad Epiſc. Hieroſol. & Anaſt. Presbyt. *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Quid per ſal niſi ſapientia deſignatur? Paulò atteſtante, qui ait: ſermo veſter in gratia ſemper ſale ſit conditus. Quia ergo per doctrinam verbi cœleſtis ſal habere vos nouimus, reſtat vt per charitatis gratiam etiam toto corde pacem inter vos teneatis.* Contra eos quidem, qui Salem ſapientiæ habent, & tamen pacem non ſeruant, acriter inuehitur Iacobus: Iacob. 3. *Quod ſi zelum,* (inquit) *amarum habetis inter vos, & contentiones ſunt in corde veſtro, nolite & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia deſcendens de ſurſum, ſed terrena, animalis, Diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica:* Qui ſalis ſapientiam habent, & tamen zelum amarum, & contentiones fouent, ſal infatuatum tenent, id eſt, ſapientiam terrenam, animalem, Diabolicam. Sal enim verum, & ſanum, id eſt, cœleſtis ſapientia pudica eſt, & pacifica. Cur autem ſic appelletur, explicat S. Gregorius: S. Gregor. 3. p. admonit. 23. *Pudica,* (inquit) *dicitur, quia caſtè intelligit; pacifica autem, quia per elationem, ſe minimè à proximorum ſocietate diſiungit.*

Tertia pax eſt operis. Pacis autem opera illa ſunt, quibus vel pax conſeruatur, vel odia, rixæque ſedantur. Neminem lædere, omnibus pro viribus beneficia præſtare, id demum eſt, pacem opere ſectari. Cùm hoſtem beneficio proſequeris, pacem perſequeris, & ipſam opere inquiris. Dominus per Oſeam, ait: Oſeæ 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Tu ſimiliter in funiculis Adam, hoc eſt, hominis, quæ ſunt beneficia, in vinculis charitatis, inimicos traho. Sic Saülem traxit Dauid: 1 Reg. 24. Cum enim Saül à Dauide ſibi vitam in ſpelunca condonatam intellexit, leuauit vocem ſuam, & fleuit, dixitque ad Dauid: *Iuſtior es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Fratrem Eſau, cum placare vellet Iacob, Geneſ. 32. dixit: *Placabo illum muneribus.* Abigail quoque muneribus Dauidem placauit. 1 Reg. 25. Ethnici quoque exemplum accipe quod narrat Seneca. Senec. lib. 1. de clem. Delatum ad Cæſarem Auguſtum indicium eſt, L. Cinnam inſidias ipſi ſtruere, vnus ex conſciis deferebat. Dum augeretur, & rem verſaret animo, Liuiæ vxoris conſilium cepit. Suaſit autem illa, vt ignoſceret. Cinnam vocat, inſidias aperit. Ad extremum orationem, ſic concludit: *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu debeas: Poſt hæc detulit vltrò conſulatum; queſtus quod non auderet petere. Beneficio, & clementia inſidiatoris furorem reſtinxit; amiciſſimum, & fideliſſimum deinceps habuit.* Noli vinci ab Ethnico Imperatore, vir Chriſtiane. Sed, vt Paulus, ait: Rom. 12. *Noli vinci à malo; ſed vince in bono malum.*

Capvt VII.

Qui filij Dei eſſe volunt, pacem in aliis enixè debent procurare.

Qvi præmium diuinæ filiationis, pacificis à Domino promiſſum conſequi cupiunt, non ſolum pacem ipſi cum proximo habere, ſed quantum in ipſis eſt, alios etiam diſſentientes ad pacis concordiam debent reuocare. De his enim à Patribus quoque verba Domini intelliguntur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* S. Ambroſius, ait: S. Ambroſ. in cap. 6. Lucæ. *A te pacem incipe, vt ſic pacem aliis feras, vnde ſequitur: Beati pacifici.* S. Hieronymus: S. Hieron. *Pacifici autem dicuntur beati, qui primum in corde ſuo, deinde, & inter fratres diſſidentes faciunt pacem.* S. Chryſoſtomus: S. Chryſoſt. *Pacifici ad alios ſunt, qui inimicos in pace reconciliant.* Eandem expoſitionem alij quoque Patres complectuntur.

Cur verò huiuſmodi pacifici filij Dei appellentur, optimam rationem tradit S. Chryſoſtomus ad hunc locum: *Cum pacifici, inquit, dicantur, qui alios diſſidentes in concordiam reuocant; iure etiam filij Dei appellantur, quia vnigeniti hoc præcipuum fuit opus, diſtantia copulare, conciliare pugnantia.* Hoc præcipuum conciliandi munus, quod in Chriſto excelluit, expendit egregiè idem Chryſoſtomus: S. Chryſoſt. in comm. Epiſt. ad Coloſſ. 1. *Magnum, inquit, eſt reconciliari, quod vero per Chriſtum hoc factum eſt, maius eſt. Atque hoc quoque ipſo maius eſt illud, quod per ſanguinem eius factum eſt, & non ſimpliciter per ſanguinem, ſed quod amplius etiam eſt per crucem. Itaque quinque ſunt hic præcipua; & admiranda. Deo nos reconciliauit; reconciliauit, inquam Chriſtus per ſe ipſum, per mortem, per crucem.* Nec ſolum Deo, ſed etiam Angelis nos reconciliauit, quod ſignificant verba Ad Coloſſ. 1. Pauli: *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſine*

quæ

qua in terris, ſiue qua in cœlis ſunt. In terris erant homines, in cœlis Deus, & Angeli: ter enim homines Angelis cœleſtibus reconciliati ſunt. S. Auguſtinus. (S. Auguſt. in Enchirid. ad Laurent. cap.62.) *Per ſacrificium*, inquit, *in quo mediator eſt immolatus, pacificantur terreſtria cum cœleſtibus, & cœleſtia cum terreſtribus.* Quia pacifici in munere alios reconciliandi, ſimiles ſunt filio Dei, meritò filij Dei vocantur.

Quapropter pacifici tantæ dignitatis munus conſiderantes, in coniungendas proximorum voluntates diligenter incumbunt. Ideò de eorum lingua dicitur: (Prouerb. 15.) *Lingua placabilis lignum vitæ.* Eſt enim lingua, quæ alios ad concordiam reuocat, ſimilis arbori vitæ, quæ in medio paradiſi erat plantata: Nam quemadmodum arbor illa fructus ſui vi quatuor qualitatum, quibus homo conſtat, diſſidia componebat, eaſque ex actione, & reactione diſcordantes ad eam temperiem, & æqualitatem reducebat, quam natura humani corporis requirit: ſic lingua lenis, & pacifici hominis eas voluntates, quæ non minus, quàm calor, & frigus: humiditas, & ſiccitas, inter ſe pugnant, ad pacis temperiem, & concordiam reuocat. Cùm ergo tam mirus ſit pacificantis linguæ fructus, non mirum eſt, ſi Deus ipſe eum ſibi adſcribat per Iſaiam, inquiens: (Iſai. 57.) *Creaui fructum labiorum pacem.* Dulciſſimus quidem, ac ſaluberrimus fructus, vtpote arboris vitæ. Sicut ergo fructus illius arboris, & nutrimentum erat membrorum & diſſidentium humorum medicamentum: Ita lingua placabilis, cum diſſidia, odia, rixaſque extinguit, egregiam medicinam affert, & diſcordantium voluntatum pacem, veluti fructum profert. Vnde Septuaginta vertunt: *Suauitas linguæ lignum vitæ.* Talem fuiſſe linguam (Cant. 4.) ſponſæ indicat ſponſus, cum ait: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Quemadmodum enim vitta crines colligat: Ita dulce pacificorum eloquium multorum voluntates diſſidentes colligit, & concordia coniungit, atque conſtringit. Sunt autem pacificorum labia coccinea, quoniam Chriſti ſanguinem, paſſionemque loquuntur, vt tam admirabili propoſito exemplo, pacem perſuadeant. Hanc vittæ expoſitionem amplectitur Hugo Cardinalis hoc loco, inquiens: *Sicut vitta crines, ne effluant, capiti, & ſibi inuicem conſtringendo adunat: Ita iuſti verbo & exemplo fideles quoſque capiti ſuo, id eſt, Chriſto conſtringunt, & eos vinculo pacis, & mutua charitatis colligant.* Denique, oliuæ (Gen. 8.) ramum, pacis ſignum, columba ore præfert. Ita etiam pacifici columbis manſuetudine ſimiles, pacem ferunt ore, non diſcordiam.

Porrò autem, ſicut pacifici, ob procuratam aliorum pacem, filij Dei vocantur: Ita etiam ſuſurrones ob diſſeminatam diſcordiam, filij Diaboli meritò dicuntur. Quemadmodum enim Diabolus. *Zizania superſeminauit in medio tritici.* Sic pacis perturbatores diſſidia in medio hominum ſeminant, imitatores, filiique Diaboli. Audi Chryſoſtomum. (Chryſoſt. hom. 3. Ep. ad Coloſſ.) *Tantum bonum eſt pax, vt filij Dei vocentur, qui ipſam efficiunt, & conſtituunt: merito, nam & filius Dei ad hoc in terram venit, vt quæ in terra ſunt, & quæ in cœlis pacificaret. Si vero pacifici filij Dei ſunt; qui nouandis rebus ſtudentes diſſidia faciunt, filij ſunt Diaboli.* Similiter S. Gregorius, ait: *Si filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, proculdubio Sathanæ ſunt filij, qui pacem confundunt.* Hi quidem Diaboli filij parenti ſuo morem gerunt, & iurgia ſeminando gratiſſimum ei faciunt obſequium. Vnde S. Gregorius ſubiungit: *In vno malo innumera peragunt, quia ſeminantes diſcordiam; charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt.* (S. Gregor. 3. p. Paſtor. cap. 24.) *Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis; nihil eſt delectabilius Diabolo extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia, dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit.* Symbolicè id ſignificatum eſt in Apocalypſi, vbi vidente Ioanne: (Apoc. 6.) *Exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei, vt ſumeret,* (id eſt, tolleret) *pacem de terra & datus eſt ei gladius magnus.* Equus rufus tyrannos ſignificat, martyrum ſanguine cruentatos; eques Diabolum, qui veluti equos, iniquos tyrannos moderabatur, pacemque de terra tollebat. Datus eſt tunc illi gladius magnus: dant etiam ſuſurrones Diabolo gladios magnos, id eſt, linguas, qui gladij acuti dicuntur. His ille pacem de terra tollit, immittitque iurgia, odia, ac diſſidia. Vnde illud ſapientis: *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* (Pſal. 56.) Item: *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit.* (Eccleſ. 28. Ibidem.) Ecce quam magnum gladium impius ad pacem turbandam Diabolo dat, quem vt filius imitatur.

CAPVT VIII.

Chriſtianus pacem cum Deo diligentiſſimè debet ſeruare.

HAnc pacificorum beatitudinẽ iuxta varias Sanctorum Patrum expoſitiones, per varia capita tractauimus; quoniam vero aliqui Patres & interpretes per hos pacificos eos etiam intelligunt, qui pacem cum Deo ſtudent ſeruare, in horum quoque gratiam, quàm ſit conueniens hanc cum Deo pacem ſeruare, in præſenti oſtendemus.

Id quidem mirificè oſtendit Apoſtolus, cùm ait: *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* (Ad Philip. 4.) Dubium eſt, cur Paulus aſſerat pacem inter Deum & homines, omnem exuperare ſenſum, ſiue intellectum: nam Græcè pro ſenſu eſt mens. Cum autem multifariam ab interpretibus reſpondeatur, omnes quidem explicationes propoſitum oſtendunt, S. Ambroſ. de mente aduerſariorum locum videtur interpretari, his verbis: *Hoc idcirco dixit Apoſtolus, quia qui cum Deo habet pacem, non timet omnem mentem aduerſam.* Senſus erit: pax Dei exuperat omnem mentem, & intellectum aduerſariorum, omnes videlicet eorum machinationes, inſidias, ac cogitationes. Hæc enim pax tanta eſt, vt nullis prauorum inſidiis, ac machinationibus perturbetur. Pax quidem quæ inter homines intercedit, quantumuis firma, & ſtabilis videatur, mendaciis, & leuibus ſæpe ſuſpicionibus facilè diſſoluitur: atque inter Deum, & hominem eſt, niſi hic velit nunquam dirimitur. Pax humana ſimilis eſt torrenti, qui

Digitized by Google

qui quod non habeat perennem fontem facilè ſiccatur: at pax cum Deo flumini eſt ſimilis; quia ex perenni diuinorum mandatorum obedientia dimanat. Vnde per Iſaiam dixit Deus: *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.* Gratia enim diuina, quæ obedientiæ mandatorum coniuncta eſt, perennis fons eſt, ex quo pax perpetuo fluit.

Iſai.48.

Deinde alij ſic verba Pauli accipiunt, vt illud, *quæ exuperat omnem ſenſum* ſignificet id quod ſonat, videlicet, pacem Dei non poſſe comprehendi intellectu, & perfectè cognoſci in hac vita. Et quidem verbum Græcum, quo vtitur Paulus, ſignificat ſupereminere, & excellere. Eſt ergo ſenſus: pax Dei, quæ exuperat & vincit omnem hominum intellectum, cuſtodiat corda veſtra, &c. ſuperat autem pax Dei omnem mentem; quia quantum bonum ſit, quam expetendum, quam magno præmio donandum, nullus hominum intellectus perfectè in hac vita cognoſcit.

Præterea alij pacem inter Deum & hominem ſuperare intelligunt omnem intellectum, quoad modum, quia videlicet modus, quo per Chriſtum pax hæc nobis eſt comparata, admirabilis eſt, omnemque mentem excedit. *Reconciliatio*, ait Theophylactus, *quam Deus cum hominibus fecit, excedit omnem intellectum, nedum humanum, ſed etiam Angelicum.* Perinde, ac ſi dicat Paulus, Deus hac ratione nos liberauit, vt ne vllus quidem intellectus comprehendere poſſit. In cuiuſnam quæſo mentem ad faciendam cum hominibus pacem, Dei incarnatio, tormenta, crux, & acerbiſſima mors venire potuiſſent? Niſi Deus hæc feciſſet, quis ea cogitando aſſequi valuiſſet? Vnde Chryſoſtomus: *Pax Dei, quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. Quis enim ſperauit tanta aduentura bona? Pro inimicis tradere ſuum filium non recuſauit, vt pacem nobiſcum faceret.* Ad hunc mirabilem pacis conficiendæ modum ſpectat, quod offenſus ipſe ad pacem inuitat, & legatos mittit pacis, iuxta illud Pauli: *Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Item: *Deus propoſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quod expendens ſanctus Gregorius ait: *Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccando fecimus; & tamen ad nos Deus legatos ſuos prior miſit.* Similiter in hunc locum Chryſoſtomus: *Quid (inquit) huic excellentiæ par fuerit? Deus contumelia affectus non ſolum non exigit pœnam, ſed & dedit filium ſuum, vt conciliemur, & poſtquam qui acceperant, non ſunt conciliati, ſed & occiderunt, iterum miſit alios legatos obſecrantes, &c.* Mittit Deus legatos pacis, mittit concionatores, qui rebelles homines, atque improbos in Dei gratiam, pacemque reuocent. At ſæpe infecta pace mœſti redeunt, iuxta illud Iſaiæ: *Angeli pacis amarè flebunt.* Quæ verba ſanctus Hieronymus de Apoſtolis interpretatur, quos Deus Angelos, ſiue nuncios, paciſque legatos ad Iudæos miſit. Cum vero plerique pacem repudiaſſent oblatam, magno cum dolore Angelorum pacis, euerſi totoque orbe diſperſi ſunt. Nos vero audia-

2. Cor.5.

S.Gregor. hom.22.in Euang.

Iſai.33.

mus pacis Angelos; lugeamus, ne lugeant ipſi; peccata noſtra deploremus, vt lætentur; pacem cum Deo conficiamus, vt exultent. Legati ſiue Angeli pacis concionatores, prælati, & confeſſarij ſunt, pacem inter nos, Deumque conciliantes amarè flent, ſi nos crimina flemus. Lætantur, non quia flemus, ſed quia ad pœnitentiam flemus, iuxta illud Pauli: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam; contriſtati enim eſtis ſecundum Deum.*

2.Cor.7.

Vt autem peccator pacem cum Deo ineat, per confeſſionem, & pœnitentiam iuſtificari debet. Vnde Paulus ait: *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* Quocirca peccatrici mulieri, poſtquam peccata lachrymis abluit, dicitur à Domino: *Vade in pace.* Et S. Hieronymus obſeruat, Pauli epiſtolas non prius pacem, poſtea gratiam, ſed verſa vice, prius gratiam habere, poſtea pacem quia pacem, non niſi remiſſis per gratiam peccatis, conſequimur. *Omnes* (inquit) *epiſtolæ Pauli in ſalutationis principio, non prius pacem habent, & ſic gratiam; ſed ante gratiam, & ſic pacem, vt donatis nobis peccatis noſtris, pacem Domini conſequamur.* Cæterum, vt peccatores per pœnitentiam præfatam pacem comparant: ita iuſti per conformem cum Deo voluntatem, eandem conſeruant: amicis enim firma pace concordibus vna debet eſſe voluntas. Hinc ſanctus Leo dixit: *Quid eſt pacem habere ad Deum, niſi velle quod iubet*, & nolle quod prohibet? *Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates, neque vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt peruenire concordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent, & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi?* Et alio in loco ait: *Chriſtiano vera pax eſt à Dei voluntate non diuidi, & iis ſolis, quæ Deus diligit, delectari.*

Ad Rom.5.

Luc.7.

S. Hieron. epiſt.139. ad Cyprianum.

S. Leo ſerm.6. de Natiuit. Domini.

Idem & ſerm.9.

CAPVT IX.

In perſecutione patientes impaſſibilitatis dote quodammodo donantur.

VErticem iam huius montis attingimus, extremam ſanctimoniæ lineam duxit Saluator, cum dixit: *Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hoc quidem expendere erit operæpretium. Et quidem cum æterna beatorum gloria, qua in cœlo fruuntur, ex quatuor corporis glorioſi dotibus, impaſſibilitate, claritate, ſubtilitate, agilitate, quam magna, & ineffabilis ſit intelligatur; ex eiſdem intelligere licet, quam mira ſit beatitudo, quam Chriſtus perſecutionem patientibus adſcribit.

Primum impaſſibilitatis dotem non obſcure eis attribuit Elias Cretenſis inquiens: *Qui pro Deo patitur, futuræ Deificationis pignora iam accepit, tum etiam cum patitur: cum inuictus, atque omni cruciatu ſublimior reperiatur.* Senſus eſt: qui pro Deo patitur, eo ipſo tempore, quo patitur, futuræ Deificationis, id eſt, gloriæ pignus, id eſt, quaſi dotem quandam accipit, quæ in eo conſiſtit, vt inuictus, & omni cruciatu ſublimior reperiatur, id eſt, impaſſibilis quodammodo eſt, dum quaſi non

Elias Cret. in orat.23. Naz.

Digitized by Google

patiatur, inuictus, & ſublimior omni cruciatu inuenitur. Id de omnibus martyribus Nazianz. [Naz. orat. 1. contra Iulianum.] aſſeruit: *Velut in alienis corporibus, imo quaſi corporum expertes dimicarunt.* Hoc eſt, tanquam impaſſibiles. Plane iure optimo eos impaſſibiles dixeris, qui ſine morte, & ſine dolore patiuntur; huiuſmodi autem ſunt perfecti quique charitate flagrantes, & patientiæ ſtudentes. Audi Tertullianum [Tertullian. in opere de patientia.]: *Si patientiæ incubabo, non dolebo.* Metaphoram à lecto aſciuit, nam lecto proprie incubare dicimur. Omnes autem qui ægrotantes lecto incubant, id quærunt, vt mollius quieſcant, & minus doleant; at ſolus ille non dolebit, qui patientiæ incubabit: Solus enim patientiæ thorus hanc vim habet, vt hominem indolentem, & impaſſibilem reddat. De his enim Clemens Alexandrinus [Clem. Alex. lib. 7. ſtrom.] dixit: *Viuentes in habitu impaſſibilitatis.* Solus quidem patientiæ habitus ita hominem munit, vt impaſſibilem reddat. Quocirca, qui perſecutione, vel graui tribulatione premitur, exiſtimatur quidem dolere; ſed ſi perfectæ patientiæ eſt, potius gaudet. De his enim Paulus [2. Cor. 6.] non dixit ſimpliciter, quod dolerent; ſed *quaſi dolentes, ſemper autem gaudentes.* Vbi ſanctus Chryſoſtomus [Chryſoſt.] ſic habet: *Exiſtimamur quaſi in dolore ſimus; nos autem voluptatem habemus ingentem.* Rubus, quem vidit Moyſes [Exod. 3.], videbatur quidem ardere, atque conſumi; ipſe tamen impaſſibilis nihil à flamma lædebatur: Symbolum erat Eccleſiæ, quæ perſecutionum igne videtur abſumi, cum ipſa in perfectis integra, & impaſſibilis maneat. Appoſite Gloſſa ordinaria: *Alij in rubo flammante Eccleſiam intelligunt, quæ perſecutionibus inflammatur, ſed loquente in ſe Domino, non crematur.* Quid enim mirum, ſi rubum natura infirmum Deus in eo exiſtens incremabilem, & impaſſibilem redderet? Specialius ad quemlibet iuſtum hanc allegoriam deriuat Hugo Cardinalis. *Ignis* (inquit) *in rubo, tribulatio in anima iuſti*: quæ nimirum ardet, ſed non conſumitur, nec aliquid mali patitur. Rubus quidem patiebatur, quia ardebat; ſed cum quadam impaſſibilitate, quia flamma eum non conſumebat: ita ſane iuſti perfecti in perſecutionibus, & tribulationibus patiuntur; ſed cum quadam impaſſibilitate, quia diuino occupari gaudio, non dolent. Vnde ſanctus Thomas [S. Thom. opuſc. de Euchar.] opportune admonet: *Tu ergo cum non poſſis eſſe impaſſibilis, eſto ſaltem cum quadam impaſſibilitate patiens.* Hoc eſt, cum natura non ſis impaſſibilis, ſic patere, vt quodammodo impaſſibilis eſſe videare. Id autem quamuis naturæ ſit impoſſibile, pronum tamen eſt gratiæ, quæ diuino gaudio ſic ſolet hominem inebriare, vt ab aduerſa fortuna pulſatus, & à perſecutoribus iniuriarum verberibus ictus, minime doleat. Audi ſanctum Cyprianum [S. Cyprian. in ſerm. de Cœn. Dom.] dicentem: *Non terrent crucifixi hæredes mortis ſupplicia; inebriati enim, non habentes ſenſum huius mundi, cruci hæremus.* Inde non dolent, quia non habent ſenſum huius mundi, quo mundi mala poſſint ſentire, & pati. Perfecti ergo viri dotem impaſſibilitatis quodammodo nacti, merito beati dicuntur.

CAPVT X.

Quadam velut claritatis dote decorantur patientes propter iuſtitiam.

Oſtendimus ſuperiori capite, eos, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, iure optimo à Chriſto beatos appellari; quandoquidem impaſſibilitatis dotem beatorum propriam participant; nunc alias etiam gloriæ dotes memorabimus. An earum participatio aut analogia in illis aliquo modo ſplendeat. Et quidem de charitate haud difficilis erit comprobatio. Nam Chriſtus Dominus tormenta ac paſſionem ſuam clarificationem appellauit illis verbis [Ioan. 13.]: *Nunc clarificatus eſt filius hominis,* id eſt, *glorificatus,* vt alij legunt, atque idem omnino eſt. Quod de paſſione, & cruce vno ſenſu Patres intelligunt. Eodem modo ſanctus Hieronymus [S. Hieron. epiſt. 150.] interpretatur illud Ioannis [Ioan. 17.], *Pater clarifica me.* Sanctus Chryſoſtomus [S. Chryſoſt. hom. 71. in Ioan.] ſic exponit: *Confeſtim in ipſa cruce, ea quæ clara ſunt, apparebunt. Sol namque auerſus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, multa corpora eorum, qui dormierunt ſurrexerunt: hac etiam via eas, quæ ceciderunt, diſcipulorum cogitationes reſtituit, & ſuadet non ſolum non triſtari, ſed etiam lætari.* Hanc eandem claritatis rationem eleganter admodum tradit ſanctus Hilarius [S. Hilar. l. 3. de Trinit.] his verbis: *Iam nunc conſpuendus, crucifigendus erat, ſed clarificat Pater filium. Sol de curſu operis deficit, & interitum ſuum cum eo reliqua mundi elementa ſenſerunt, ad onus Domini in cruce pendentis terra tremuit, & in eum qui moriturus erat, intra ſe conteſtata eſt, non capere. Proclamat centurio: vere filius Dei erat iſte: prædictioni conſentit effectus: Dominus dixerat: clarifica filium tuum. Centurio verum Dei filium confitetur: ne quis credentium ambigeret, quod aliquis perſequentium non negaſſet.* Similiter Auguſtinus paucis rem abſoluens ait. *Quod ergo ait: Pater venit hora, clarifica filium tuum; ſic intelligendum eſt, tanquam dixerit: venit hora ſeminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis.* Ex quibus debet intelligi, in humilitate tribulationis, ac perſecutionis eſſe tanquam in ſemine abſconditam claritatem, quæ cito ex ipſa humiliatione ſit efferenda, & producenda, iuxta Auguſtini ſententiam. At vero vt volunt S. Hilarius, & Chryſoſtomus non ſolum abſcondita in ſemine, ſed manifeſta in fructu reperitur claritas in perſecutione, ac tribulatione. Similiterque fit in omnibus iuſtis, qui propter iuſtitiam patiũtur perſecutionem, quam Deus & interna mentis, & externa nominis claritate dotauit. Vt enim ferrum, vel lima, vel laborioſa terræ colliſione ſplẽdet: ita iuſtus perſecutione clarior, & illuſtrior redditur. Quapropter S. Epiphanius [S. Epiphan. hæreſ. 66.] loquens de Chriſto ait: *Propterea primum moritur, vt mortis teſtamentum confirmet, deinde à mortuis reſurgit, vt à gloria ad gloriam tranſeat,* id eſt, à gloria crucis ad gloriam reſurrectionis, vnde Paulus [Ad Hebr. 2.] ait: *Chriſtum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Vt hanc gloriæ, & honoris coronam in ipſa morte obtinuiſſe intelligatur, ſicut intellexit Œcumenius, & explicuit his verbis: *Gloriam & honorem vocat*

crucem,

crucem, neque enim tam Deo dignum erat, tamque glorioſum feciſſe cœlum & terram, ſicut quòd propter nos dignatus fuerit crucifigi. In ipſa ergo morte clarificationem, ſeu claritatem ſuam, id eſt, diuinitatis ſuæ notitiam, quam à Patre petiuit, conſecutus eſt: Ibi enim tanta diuinitatis ſuæ præbuit argumenta, tantaque gloriæ, & honoris oſtentauit inſignia, vt centurio proclamauerit: *Vere filius Dei erat iſte.* Similiter igitur, qui pro Chriſto patiuntur, in ipſa perſecutionum & tribulationum paſſione prærogatiuam claritatis, id eſt, claritatem mentis, & nominis aſſequuntur. Ipſa enim calamitatum perpeſſio corona gloriæ eſt. Hinc illud ſancti Hieronymi: *Suppliciis ſuis coronantur.* Et Chryſoſtomus ait: *Liuoribus quos ei verbera ſæpius inferebant, quaſi quibuſdam gloriabatur coronis.* Et alibi: *Martyres,* inquit, *cum beatos vocamus, ex vulneribus primum beatificamus, & tum ex præmiis: ex plagis, & tum ex coronis repoſitis.*

S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam. S. Chryſoſt. hom. 8. de laudibus Pauli. & hom. ſuper orat. Annæ.

CAPVT XI.

Haud deeſt perſecutionem patientibus agilitas, cuius velut dote commendantur.

VT beatitudo, quam Chriſtus patientibus perſecutionem promittit ſatis conteſtata maneat, bonum etiam agilitatis illas participare, operæ pretium erit oſtendere. Id autem procliue erit, ſi Seraphicum Doctorem adeúntes, quæ de huiuſmodi dote docuit, expendamus. Et quidem docens beatorum corporibus dotes gloriæ in id à Deo concedi, vt corpus ſpiritui beato penitus conforme ſit, de agilitate ſic ait: *Quia vero ſpiritus beati promptiſſimus eſt ad tendendum in Deum, ideo in corpore glorioſo debet ſumma agilitas reperiri.* Deinde idem Doctor docens agilitatem concedi cum reſpectu ad dilectionem, qua anima beata Deo coniungitur, ſic habet: *Agilitas eſt, vt coniungatur anima Deo, impaſſibilitas, vt non retrahatur, &c.* Subinde vero diſtinguens has dotes penes cauſam materialem aſſerit eas opponi quatuor defectibus, quos corpus humanum contrahit ex quatuor elementis, quibus coaleſcit, & de agilitate ſic ſubdit: *Corpus ab igne, qui conſumit, habet animalitatem ſecundum quam alimoniis reddit ponderoſum, contra quem defectum habet agilitatem.* Ex his tribus Bonauenturæ pronuntiatis haud difficile erit monſtrare, agilitatis dotem eos, qui propter iuſtitiam patiuntur, quodammodo æmulari. Primum, iuxta primum pronuntiatum, qui propter iuſtitiam patitur perſecutionem, ſeu tribulationem, & animo & corpore promptiſſimus eſt, & valde agilis ad tendendum in Deum. Ideo de iuſtis dicitur; *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Quem locum ad rem noſtram Hugo Cardinalis ſic exponit: *Multiplicantur infirmitates, id eſt, tribulationes ſanctorum, & poſtea accelerauerunt; quia huiuſmodi tribulationes, & perſecutiones ſunt quaſi compendium citius veniendi ad Deum, & tales*

Bonauent. in breuiloquio part. 7. cap. 7.

Et in centiloquio part. 4. ſect. 3.

Pſalm. 15.

expediti ſunt ad eundem. Tribulationes quidem, & perſecutiones hominem iuſtum per ſe promptum, magis agilem reddunt ad tendendum in Deum. Vnde ſanctus Gregorius dixit: *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.* Perſecutionibus enim quaſi calcaribus icti, celerius ad Deum currimus. Id in ceruo bene adumbratum, qui dum pugnat cum ſerpentibus magna ſiti accenſus ardenter appetit fontem, quem ſane ceruum ad fontem currentem, ſi canes pariter inſequantur, multo velocius currit: ita iuſtus, victis peccatorum ſerpentibus ardore charitatis æſtuans, Deum fontem viuum vehementer deſiderat. Sicut Pſalmographus clamat: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Sed dum currit ad vitæ fontem, vt veniat, & appareat ante faciem Dei, canes ſibi adlatrantes ſentit, id eſt, homines inſultantes, *qui dicunt ei quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Vnde ſanctus Auguſtinus ait: *talis ceruus dum currit, patitur inſultantes, vt velocius currat.*

S. Gregor. lib. 3. mor. cap. 5.

Pſal. 41.

In Pſal.

Ex ſecundo pronuntiato ſancti Bonauenturæ habes corporis glorioſi agilitatem in eo deſeruire animæ beatæ vt Deo penitus coniungatur: at id muneris præſtat etiam perſecutio & tribulatio, quam iuſtus propter iuſtitiam patitur. Quod aperte indicauit Sapiens, dicens: *Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo.* Tribulationes à Deo immiſſæ ſuſtentationes dicuntur Dei, quia per eas Deus nos ſuſtentat, ne cadamus per ſuperbiam. Vnde Regius vates ait: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Et alibi: *Da mihi auxilium de tribulatione.* Cum vero ſapiens hæc duo coniungit, vt videlicet voluntarie, & patienter Dei ſuſtentationes, ſeu tribulationes patiamur, & Deo coniungamur, innuit hæc duo copulata eſſe, vt nimirum per tribulationes Deo coniungi debeamus. In quam ſententiam explicat hæc verba Hugo Cardinalis, additque hoc quaſi typice adumbratum eſſe in Dauide. *Vnde (inquit) legitur, quod anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, qui patienter, & pacifice ſuſtinebat perſecutionem Saulis.* Ex perſecutionibus ergo propter iuſtitiam toleratis gluten fit, quo anima Deo coniungitur. Sicut ergo agilitatis dos animæ deſeruit, vt Deo melius coniungatur: ita etiam tribulatio, ac perſecutio animam iuſti à terrenis bonis ſeparat, & Deo copulat.

Eccleſ. 2.

Pſal. 22.

Pſal. 59.

1. Reg 18.

Denique iuxta tertium Seraphici Doctoris pronuntiatum dos agilitatis corpori humano grauitatem, & terreum pondus adimit, & leuiſſimum efficit: quod item munus tribulatio præſtat. Nam vt aquæ diluuij arcam, quæ maximo pondere in terra iacebat, in altum leuarunt: ita tribulationum vndæ hominem, quaſi nullius ponderis ſit, in ſublime tollunt. Enim vero tribulatio hominem quaſi immunem ponderis reddit; quia omnia, quæ cor illius grauant, ab ipſo corde amouet, & pellit. Grauat quidem cor terrena fluxæ carnalitatis affectio, & exterioris hominis animalitas, cui Bonauentura ſupra pondus aſſignauit; hæc autem ponderoſa carnis affectio, & animalitas ita perſecutionis ſale ſiccatur, ita tribulationis igne corrũpitur, & abſumitur, vt amota hac grauitatis cauſa

Digitized by Google

cor omnino agile, atque leuiſſimum reddatur. In quam ſententiam ſanctus Gregorius explicat illud Pauli. *Et licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Id eſt, quanto magis corrumpitur homo exterior, in quo grauitas eſt, tanto plus homo interior renouatur, & agilior, & leuior ad aſcendendum redditur: Sic enim ſubdit ſanctus Doctor: *In eo quod caro flagellis afficitur mens ad appetenda altiora ſublimatur.* Quod vt confirmet, argute, & acutè vſurpat verba illa Iobi: *Homo naſcitur ad laborem & auis ad volatum.* Cuius ſententiæ partes ita connectit, vt homo mundanis affectionibus grauis, per laborem tribulationis ita reddatur *leuis*, & ad volandum agilis, vt ex homine euadat in auem; ſic enim habet: *Homo ergo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum; quia inde mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis durius laborat.* Exemplum Pauli ſubinde proponit his verbis: *An non quaſi auis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduerſa ſuſtinens dicebat? noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Quia enim in terra grauem perſecutionem vt homo patiebatur, ideo in cœlo, vt auis verſabatur. Tribulatio eam ipſi agilitatem ingerebat, vt depoſita hominis grauitate in auis leuitatem tranſiret.

S. Gregor. lib. 6. mor. cap. 5.
2. Cor. 4.
Iob cap. 5.

Capvt XII.

Perſecutionem patientes etiam ſubtilitatis bono quodammodo donantur.

AD beatitudinem eorum, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam adſtruendam ex dotibus glorioſi corporis ſola reſtat ſubtilitas, quam ipſos etiam quodammodo decorare monſtrabimus ex doctrina Seraphici Doctoris, ſicut & in ſuperiori capite. Igitur ſanctus Bonauentura de hac dote ſic habet: *Quia ſpiritus beati dilectione illius ſummi ſpiritus eſt ſumme ſpiritualis effectus, ideo in corpore habere debet correſpondentem ſubtilitatem, & ſpiritualitatem.* Deinde alibi de eadem dote ait: *Subtilitas eſt, vt nihil interponatur inter diligens & dilectum.* Præterea docens ibidem, corpus noſtrum ex quatuor elementis, quibus concretum eſt, quatuor defectus contrahere, quos quatuor dotes gloriæ ab eodem corpore pellunt, & defectum ab aëre prouenientem à ſubtilitate amoueri aſſerens, ait: *Ab aëre, qui cedit cuilibet impellenti, corpus habet infirmitatem, contra quam habet ſubtilitatem, ſiue penetrabilitatem, per quam corpori glorioſo erit peruium omne durum.* In quibus locis, ſi attentè animaduertas, omnia cauſarum genera, ex quibus dos ſubtilitatis corpori ingeneratur, complexus eſt. Nam eius cauſa efficiens eſt ſumma ſpiritualitas animæ beatæ; finalis vero, vt inter diligens & dilectum nihil interponatur; materialis autem corpus defæcatum & expurgatum defectu elementari. Iuxta hæc ergo tria pronuntiata haud ægrè adſtruetur quod diximus.

S. Bernauent. in breuiloquio part. 7. cap. 7.
Et in centiloquio part. 4. ſect. 2.

Primum, qui perſecutionem patitur propter iuſtitiam per ipſas perſecutiones & tribulationes maxime ſubtilis, & ſpiritalis efficitur, non ſolum corde, ſed quodammodo etiam corpore. Id videtur inſinuare Pſalmus octuageſimus tertius, cuius titulus eſt, *pro torcularibus.* Quem Pſal. 83. titulum ſanctus Auguſtinus explicans, & per torcularia tentationes intelligens, ait: *Præpara animam tuam ad tentationem, ecce torcular. Conteruntur, exuuntur integumentis carnalium deſideriorum, quaſi vinaciis exuuntur veteri homine, & in apothecam Dei defluunt.* Vt ergo vua in vite, & oliua in arbore, integro, & craſſo corpore ex permixtis elementis concreto conſtant; at vbi torculari premuntur, craſſiora ſeparantur & ſubtiliora, quæ manent, eliguntur: ita quidem homini vſu venit, in arbore proſperitatis quaſi pendens, craſſa veteris Adam corpulentia induitur, terrenis cogitationibus, & affectibus ſpiſſatur: at in torculari perſecutionis conteritur, integumentis carnalium deſideriorum exuitur, & quaſi vinaciis veteri homine ſpoliatur, & hoc modo ſubtilis in apothecam Dei defluere cernitur. Hic autem, qui tantum è torcularibus fructum ſuſcepit, ſic in exordio huius Pſalmi lætus fatetur: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Non ſolum cor, ſed caro etiam exultat, quia quamuis hæc pondere propriæ corruptionis grauatur, tamen ab ſpiritu quodammodo fit ſpiritualis & ſubtilis, vt exultare, & in altum poſſit aſcendere. Vnde Propheta non ſolum ſpiritum, ſed etiam carnem appellauit paſſerem, ſubiungens: *Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum.* Nam ſanctus Auguſtinus per paſſerem ſpiritum, per turturem carnem intelligit, inquiens: *Duobus duo reddit. Cor vt paſſer; caro vt turtur. Corde cogitamus Deum; quaſi volet paſſer ad domum; carne agimus opera.* Sicut ergo auis ſubtili volatu alta penetrat: Ita etiam caro ſubtilitate ab ſpiritu mutuata, fit turtur, quæ per exteriora bona opera in cœlum tollitur. Caro enim caſta gemitibus, & maceratione corporis tenuata, turtur eſt, quæ bonorum operum exercitio cœleſtia petit. Hac ergo ratione cor atque pariter caro exultant in Deum viuum, vel vt Hugo Cardinalis exponit: *Cor exultat per deuotionem, caro per hilaritatem.* Per tribulationem ergo caro ſubtilis, ac ſpiritualis fit. Qui hoc donum per tribulationem mortificationis accepit, laudat Deum in tympano, iuxta illud Pſalmi: *Laudate eum in tympano & choro.* Nam tympanum eſt caro tribulatio- Pſalm. 150. nibus & mortificationibus ita macerata, vt de S. Gregor. 3. p. Paſt. admonit. 23. craſſa, & corruptibili in ſubtilem, & ſpiritualem mutetur. Vnde Gloſſa interlinealis, *in tympano, id eſt, carne mutata ſine omni corruptione.* Explicatius id tradit ſanctus Gregorius his verbis: *In tympano ſicca & percuſſa pellis reſonat: quiſquis itaque corpus affligit, Deum in tympano laudat.* Huius quidem caro maceratione tribulationum ſubtilior & ſpiritalior quotidie redditur.

Quia vero iuxta ſecundum pronuntiatum Bonauenturæ dos ſubtilitatis à Deo conceditur, *vt nihil interponatur inter diligens & dilectum*, id quoque perſecutio, ſeu tribulatio præſtat;

præſtat; remouet enim interpoſita impedimenta, vt anima iuſti liberum acceſſum habeat ad dilecti Dei vnionem, quod Paulus aperte docet: Ad Rom. 5. *Iuſtificati* (inquit) *ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem & habemus acceſſum.* Cum Chriſtus nobis aditum patefecerit, & acceſſum expedierit ad Deum diligendum, id media tribulatione præſtat, quod Paulus ita adiungit: *Gloriamur in tribulationibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio vero ſpem; ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* A tribulatione gradatim ad charitatem peruenit, qua vnimur Deo; dum autem ad charitatem pergit ea impedimenta amouet, quibus peccatores, etiam cum tribulantur præpediuntur, de quibus impedimentis ſanctus Bernardus ait: S. Bernard. epiſt. 32 ad Abb. ſancti Nicaſij. *Sicut ſanctis & electis tribulatio patientiam operatur; patientia autem, &c. Sic damnandis è contrario, tribulatio parit puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit.* Hæc impedimenta damnandorum tollit electis tribulatio, quæ eos vſque ad perfectum Dei amorem ſine obſtaculo deducit. Cant. 5. Quod etiam ſponſa ſymbolice ſignificauit: cum enim amore ſponſi flagrans ad eius amplexum accedere vehementer optaret, ait: *Quæſiui, & non inueni illum, vocaui, & non reſpondit mihi.* Vbi ſanctus Gregorius ita ſcribit: *Quærit ſponſa dilectum, ſed non inuenit, quia à Deo inſpirata mens aſſidue ſuauitate illa intima perfrui concupiſcit; ſed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat, & non reſpondetur ei: quia & orationibus & operationibus ſuis dulcedine illius præſentiæ ſatiari appetit, ſed ad votum ſuum hoc quod inuocat non occurrit.* Cum ergo dulciſſima ſponſi præſentia frui vehementer optaret, id orationibus, & bonis operibus aſſequi non potuit: qua ergo ratione acceſſum habuit? Profecto tribulatione perſecutionis, quæ tanquam dos ſubtilitatis, præſtat, vt nihil interponatur *inter diligens & dilectum.* Sic enim ipſa ſponſa ſubiungit: *Inuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem. Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.* Sic percuſſa & vulnerata, pallioque ſpoliata inuenit ſponſum, id eſt, dulciſſima eius præſentia frui datum eſt, vt nihil iam inter eam, & dilectum interponeretur. Quæ verba optime exponit Hugo Cardinalis, qui per cuſtodes Prælatos, & Doctores intelligens, ait: *Percuſſerunt me duris increpationibus & obiurgationibus. Vulnerauerunt me gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, quo dolorem pœnitudinis intulerunt. Tulerunt pallium meum, vt nuda nudum ſequerer, me omnia relinquere fecerunt.*

In tertio pronuntiato affirmat Seraphicus Doctor: *Per ſubtilitatem, ſiue penetrabilitatem corpori glorioſo eſſe peruium omne durum.* Similiter quidem per perſecutionem ac tribulationem patienter toleratam omne, quod in hac vita durum eſt, peruium homini fit. Teſtor Regem illum, qui cum hoſtium bello premeretur, & fortiſſime perſecutionis muro cingeretur, quaſi dote ſubtilitatis eſſet præditus, dixit: Pſalm. 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.* Lyra per murum tentationem intellexit, quæ, licet duriſſimus ſit murus, peruia tamen eſt iuſto patienti: *Tranſgrediar,* inquit, *murum, id eſt, tentationis obſtaculum, quæ impedit proceſſum in bonum.* S. Auguſtinus murum tribulationis pœnā interpretatur, quem murum peccata, velut opifices ædificarunt: *Tranſgrediar,* inquit, *murum, quem inter homines, & cœlum peccata conſtruxerunt.* Omnes quidem huius vitæ tribulationes peruiæ ſunt ei, qui eas patienter tolerat, nec ipſi obſtant, quominus ad vlteriora virtutis progrediatur. Caſſiodorus vero peccatorum congeriem intelligit, quæ murus eſt omnium duriſſimus. *Diruere nos penitus poteſt homo, ſed ope Dei tranſit murum, obſtaculum peccatorum,* ſic ille. Huius muri ſtructuram eleganter deſcribit Hugo Cardinalis in hunc modum: *Murus eſt peccatum, quia ſeparat nos à Deo. Iſte autem murus fit ex luto luxuriæ, & latere auaritiæ, & palea inanis gloriæ, & cemento amoris mundi, lapidibus acidiæ, fundamentum eſt timor ſatisfaciendi, qui ſuſtinet totum murum. Latitudo eſt perſeuerantia in peccato. Altitudo præſumptio.* Hunc tam compactum, atque duriſſimum murum, is, qui tribulationem propter iuſtitiam patitur, facile tranſgreditur. At ſanctus Gregorius per murum omne viæ ſpiritualis obſtaculum generatim intelligit: *Murus,* inquit, *eſt omne quod itineri noſtro obiicitur, ne ad eum, qui diligitur,* S.Gregor. lib. 26. mor. cap. 10. *tranſeatur. Sed murum tranſgredimur, cum præ amore ſupernæ patriæ, quæque in hoc mundo fuerint obiecta calcamus.* Quacumque ergo ratione murus intelligatur, eum penetrat, ac tranſgreditur, qui propter iuſtitiam patitur: nam cum dos ſubtilitatis vt docuit Bonauentura, corpus roboret, ne cedat obſtaculis, & contra infirmitatem, quam ex acie traxit, vndique muniat, idem præſtat tribulatio, aut perſecutio propter iuſtitiam tolerata. Vnde ſubdit Gregorius: *Robuſti ex aduerſitate proficiunt; ſed infirmi ſæpe in deſideriis ſuis, ſi qua eis fuerint ex aduerſo obiecta, langueſcunt, & cum valida tribulatione pulſantur, puſillanimitate deficiunt.*

Capvt XIII.

Is qui patitur propter iuſtitiam, beatitudinem etiam eſſentialem quodammodo participat.

CVm ex Chriſti Domini verbis conſtet beatos eſſe, qui patiuntur perſecutionem propter iuſtitiam, idque ita eſſe quoad ſimilitudinem beatitudinis accidentalis ex glorioſi corporis dotibus ortam oſtenderimus, reliquum eſt, vt beatitudinem etiam eſſentialem eis quodammodo coaptemus. Quamuis enim hi qui propter Deum perſecutionem patiuntur, extrinſecus conuiciis, opprobriis, & variis iniuriis pulſentur, atque inde miſeri videantur, intrinſecus tamen ſolidam beatitudinem nanciſcuntur. S. Auguſt. dixit: *Intrinſecus eſſe beatitudinem noſtram, ſicut de anima Eccleſiaſtica ore* S.Auguſt. lib. 1 de ſerm Domini in mōte cap. 5. *prophetico dicitur: omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Nā extrinſecus maledicta, & perſecutiones, & detractiones permittuntur, de quibus tamen*

magna merces eſt in cœlis, quæ ſentitur in corde eorum, qui poſſunt dicere, gloriamur in tribulationibus. Hanc intrinſecam beatitudinem in iuſtorum mente ſub ipſa tribulationum, & perſecutionum miſeria latere indicauit Dominus, cum præmium his, qui ob ipſius amorem cuncta terrena reliquerint, aſſignans, ait: *Accipiet centies tantum, nunc in tempore, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Vbi ad præmium & beatitudinem huius vitæ perſecutiones adiunxit; quia profecto ad internam animæ beatitudinem perſecutiones maximè pertinent, cum ipſis, & propter ipſas æterna beatitudo in corde iuſtorum prægustetur. Id quod Beda ad hunc Marci locum ſic ediſſerit: *Omnes qui propter regnum Dei temporalia ſpreuerunt, in hac vita perſecutionibus pleniſſima, eiuſdem regni gaudium fide certa deguſtant, atque omnium electorum delectatione fruuntur.* Non ergo mirum ſi perſecutiones ad huius vitæ præmium apponantur, quando ipſarum gratia æterni regni gaudium deguſtant, & omnium electorum delectationem prælibant: ſed propius ad inſtitutum accedamus. Enim vero, quia in ſcholis Theologiæ non ſatis eſt definitum; ſed inter nobiliſſimas ſancti Thomæ & Scoti familias controuerſum, in qua actione potiſſimum eſſentialis beatitudo conſiſtat, an ſcilicet, in viſione intellectus, vel potius in amore voluntatis, nec deſint, qui vtramque ſimul actionem ex æquo requirant, eandem nunc in tribulatione ſuo modo inueniri oſtendendum eſt.

Marc. 10.

Et quidem viſionem quandam, ſeu perfectiorem cognitionem Dei in tribulationibus reperiri, ſatis apertè indicat ſanctus Iob, vbi tantum diſcrimen conſtituit inter eam Dei cognitionem, quæ tempore tribulationum habetur, & eam, quæ in proſperitate conſpicitur, quantum eſt inter auris auditionem, & oculi viſionem: ſic enim de ſeipſo ait: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Ac ſi diceret, proſperitatis tempore tantum te audiebam, quaſi obſcuram de te habebam cognitionem; at nunc perſecutionibus, & calamitatibus vehementer afflictus, quaſi clarius te video. Ita hunc locum intellexit S. Gregor. inquiens: *His nimirum verbis apertè indicat, quia quanto viſus ſuperior eſt auditu tanto differt ab eo, quod prius extitit, & hoc quod poſtmodum per flagella profecit; quia interno oculo veritatis lumen magis conſpexit.* Clarius id docuit idem S. Gregor. vbi explicans verba illa Iob: *Videbit faciem eius in iubilo.* Sic habet: *Quia poſt tentationes, poſt immenſas amaritudines ſæpe mentis noſtræ in occulto gaudio lux veritatis erumpit, bene de hoc tentato homine ſubiungitur: Videbit faciem eius in iubilo.* Rationem huius optimam, paucis interiectis ita ſubiungit: *Menti enim noſtræ prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concremetur, & tunc mundatis oculis, illa lætitia patriæ cœleſtis aperitur. Prius à mentis acie, exurente triſtitia, interpoſita malorum caligo detergitur: & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis illuſtratur.* Quam vero cœleſtis ſit viſio, qua hoc incircumſcriptum lumen inter amariſſimas tribulationes contemplatur, attexit his verbis: *Ibi mens ex immenſo fonte infuſione ſuperni roris aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad id quod rapta eſt, contemplatur.* Subinde vero addit: *Hæc ipſa per contemplationem facta, non permanens viſio, ſed vt ita dixerim, quaſi quædam viſionis imitatio, Dei facies dicitur.* Quædam viſio Dei, atque adeo quædam beatitudo ex ipſis tribulationibus emergit, dum poſt afflictionem perſecutionum clarior in mente diuinæ lucis contemplatio radiat. In quam ſententiam idem Gregorius aduertit Patriarcham Iacob poſt longam cum Angelo luctam dixiſſe: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Nam poſt luctas certè tribulationum ac perſecutionum, Deus à iuſtis, quantum in hac vita fieri poteſt, quaſi facie ad faciem videtur.

S. Gregor lib. 35. mor. cap. 2.

lib. 14. mor. cap. 6.

Iob 33.

Idem Greg. lib. 14. c. 7.

Si vero eſſentialem beatitudinem in ardenti ac perpetuo charitatis amore conſtituas, etiam hunc ex ipſis propter iuſtitiam perſecutionibus, ac tribulationibus procedere, non erit difficile demonſtrare. Et quidem ſanctus Diadochus noſtram erga Deum charitatem gloriam appellans, de ea intelligit illud Apoſtoli: *Quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, id eſt, æternum pondus charitatis, quod *æternum* ea ratione dici putat eius ſcholiaſtes Franciſcus noſter Turrianus, quia eodem Apoſtolo auctore: *Charitas nunquam excidit.* Gloria autem à Diadocho dicitur charitas; quia ad gloriam & beatitudinem hominis maximè ſpectat. Vnde S. Bernardus ait: *Summum bonum diligere ſumma eſt beatitudo, & quanto quiſque Deum amplius dilexerit, tanto magis beatus erit.* Concinit Chryſoſtomus magnificis verbis amorem Dei commendans: *Amemus* (inquit) *Deum, hoc magna certe merces, hoc cælorum regnum, & voluptas, & deliciæ, & gloria, & honor, hoc lumen, hoc beatitudo infinita.* Hæc autem tanta beatitudo ex perſecutionibus, & tribulationibus naſcitur, vt interprete Diadocho docet Paulus illis verbis: *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vbi Græcè eſt: *Parit in nobis*: nam tribulatio virtute Spiritus ſancti fœcundata æternum gloriæ, id eſt, charitatis pondus parit. Porro cum parentum imaginem, & ſimilitudinem filij referre ſoleant, merito quis dubitet, quomodo tribulatio gloriam pariat, adeo ſibi diſſimilem? Huc facit quod Hieronymus tradit expendens illud de diſcoloribus virgis Iacob, quibus maculoſos, ac variegatos fœtus edendos curauit, poſt alia exempla, hoc ſcribit: *Scriptum reperitur in libris Hippocratis, quod quædam ſuſpicione adulterij fuerit punienda, cum pulcherrimum peperiſſet, vtrique parenti, generique diſſimilem, niſi ille ſoluiſſet quæſtionem monens quærere, ne forte talis pictura eſſet in cubiculo, quã inuenta mulier à ſuſpicione liberata eſt.* Ex quo fit, vt ſi mentis oculis obuerſetur Deus, eiuſque gloria dum tribulamur, tribulatio gloriam nobis pariat, ſibi quamuis diſſimilem; quod Paulus verbis conſequentibus expreſſit; nam poſt illa verba: *Gloriæ pondus parit in nobis*, continuo ſubdit: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Ex hac nimirum diuinorum contemplatione fit vt tribulatio, quæ fœdæ Æthiopiſſæ ſimilis habetur, pulcherrimum filium edat, id eſt, æternum gloriæ, ac charitatis pondus.

S. Diadoch. de Perfect. ſpirit. c. 21.

2. Cor. 4.

1. Cor. 13.

S. Bernard. lib. de modo bene mor. ſerm. 3.

S. Chryſoſt. hom. 5. in epiſt. ad Rom.

S. Hieron. in traditionibus Hebraicis in Geneſ.

Ex

Digitized by Google

S.Diadoch. de perfect. ſpiritus cap.82.

Ex quibus poteſt intelligi, quam merito Diadochus dixit: *Si quis queat adhuc viuens mori per labores, hic prius quam moriatur, ſurrexit*, id eſt, laborum tribulatione, & mortificatione, quaſi quædam mors ſit, ad ſtatum reſurrectionis proceſſit, quæ eſt animæ in corpore beatitudo. Sicut igitur iuſto mors beatitudinem acceſſit: ſic tribulationis mortificatio beatitudinem etiam huius vitæ comparat. Quia vero beatitudo non ſuppellex aliqua, ſed hæreditas, ac ſumma poſſeſſio hominis eſt, ſimiliter tribulatio hæreditas hominis dicitur, quod ſit, vt vidimus, cum beatitudine maxime coniuncta. Hinc Iſaias, cum induxiſſet Dominum dicentem: *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas.*

Iſai. 54.

Id eſt, Diabolum tribulationum ardorem excitantem, *& proferentem vas in opus ſuum*, ideſt, bellica inſtrumenta tyrannorum, conatus, & perſecutorum molimina, & machinamenta aduerſus iuſtos; qui tamen huiuſmodi tribulatione proficiunt, concludit Prophæta, *hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini:* Vbi pulchre S. Hieronymus: *Ne caſſum* (inquit) *putes eſſe certamen, & præſenti morte finiri, hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, id eſt, regnum cælorum, vita perpetua, retributio laborum.* Locupletiſſima ergo hominis poſſeſſio tribulatio, quæ quamuis hæreditas exilis, & macra & ſterilis eſſe videatur, pinguiſſimum beatitudinis fructum affatim effert. Eſt quidem tribulatio, & perſecutionum afflictio beata quædam hæreditas, quæ nos contingit ex paterna legatione, ac diſtributione. Etenim vt ait Ambroſius: *Noueris Chriſtum ad crucem ſuam teſtatorem, teſtamentum bonum, non pecuniæ, ſed vitæ teſtantem, & pietatis officia deuidentem.* Et vbi quidem Patri ſpiritum ſpeciatim legauit, & Matri Virgini pananymphium, ſicat paranympho etiam matrem, militibus veſtes, ſepulturæ corpus, latroni paradiſum, quæ quaſi ſpecialia fuere legata; totum certe hæreditatis corpus toti Eccleſiæ mandauit, filiiſque fidelibus, nempe calicem paſſionis ſuæ præhbatum, crucem, clauos, ſpinas, ſputa, flagella, vibices, &c. Quæ bona moriens poſſidere repertus eſt teſtamento legaſſe, & tanquam ad hæredes ſuos tranſtuliſſe viſus eſt: bona ſane in cruce, & patente crucifixo tanquam in hæreditario fundo radicata, & fundata, ſuiſque hæredibus teſtamento, & hæreditario iure relicta. Hinc Sanctus Cyprianus meritò intulit: *Non terrent crucifixi hæredes mortis ſupplicia.* Non inquam, vt nocumenta, ſed vt hæreditas beata delectant.

S. Ambroſ. lib. 10. in Luc. c. 23.

S. Cyprian. ſerm. de cœna Domini.

Capvt XIV.

Perſecutionem patientes propter iuſtitiam perfecto etiam gaudio beati ſunt.

Beatitudinem eſſentialem beatum quoddam gaudium conſequitur, adeo illi connexum, vt ſæpe in Euangelio gaudij nomine ipſa beatitudo cenſeatur: ſic dicitur *intra in gaudium Domini tui.* Cum ergo qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, beato quodam gaudio donentur, iure optimo à Domino beati dicuntur.

Math. 25.

Porro quam ſolidum ac perpetuum ſit illud gaudium, quod iuſtos ob iuſtitiam afflictos perfundit, ſatis apertè indicauit Paulus dicens: *Quaſi dolentes, ſemper autem gaudentes.* Vbi optime Sanctus Chryſoſtomus ait: non ſolum dixit gaudentes, ſed appoſuit ſemper. *Quid igitur huic vitæ par fuerit, in quam cum tanta inuadant aſpera, gaudium maius fit.* Id confirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus exemplo Marci cuiuſdam Martyris, qui cum ſenex eſſet & grauiſſimè torqueretur, ita tamen gaudebat, vt de eo ſic ſcribat, *Ne in tormentis quidem animi hilaritatem reliquit; verum ex ipſis etiam cruciatibus delicias capiebat: adeo à doloribus, & moleſtiis remotus, ac ſi alienis periculis intereſſe, ſuppliciumque ſuum pompam, non calamitatem eſſe duceret.* Is certe cum ita gaudebat, & exultabat, Deum in tuba ductili, ideſt, in corpore ſuppliciis obdurato laudabat, iuxta illud Pſalmi: *Pſallite in tubis ductilibus.* In tuba ductili canit, qui corpore doloribus contuſo animo profusè gaudet. Vnde hic Sanctus Auguſtinus. *Tribulatio tunſio eſt, profectus, productio: talis tuba erat Iob.* At tubæ cantus gaudium eſt patientis. Quare idem Auguſtinus de myſticis tubis ait: *Quæ per tribulationem diſtentæ edunt ſonum harmonicum.* Quam gaudij harmoniam expreſſit propheta continuò ſubiungens: *Iubilate in conſpectu Regis Domini, moueatur mare.* Iubilatio enim, ideſt, ineffabile gaudium tubæ harmonia eſt: qua mare mouetur, id eſt, quidquid diuina lex habet amaritudinis amouetur. In quem ſenſum idem Auguſtinus ſubdit: *Indulcetur mare legis ligno crucis in eo poſito.* Lex quidem Euangelica, ſi perſecutiones, ſi labores, ſi cruces ſpectes, mare eſt amarum, ſed dulcoratur ineffabili gaudio, dum ab eo qui propter ipſum Euangelium patitur crux Chriſti ad memoriam reducitur. Quo etiam ſpectauit Sanctus Ambroſius, cum dixit: *Sicut verbo ſuo adeſt Dominus, vt dulceſcant aquæ: ita præſtat in tribulationibus ſuam nobis præſentiam, vt afflictiones miteſcant.* Alludit ad quintam Hebræorum manſionem, dum in deſerto vagarentur, quæ fuit in Marâ ſic appellata ab amaritudine aquarum, quas bibere non poterant, niſi prius iniecto ligno dulces à Moyſe redderentur. Similiter quidem amariſſimæ tribulationum aquæ dulciſſimæ redduntur, dum crux atque paſſio Chriſti ad memoriam reuocatur. Vel certè lignum illud iniectum aquis cauſam ſignificat, ob quam iuſti patiuntur, quæ eſt Chriſtus crucifixus, ſiue iuſtitia, ac veritas, ideo dicitur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quæ ſanè cauſa cunctam ab aquis amaritudinem pellit, Dum perſecutiones, ac tribulationes ad gignendum gaudium fœcundat. Hæc cauſa gaudium gignebat in flagellatis Apoſtolis, de quibus dicitur: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Quod expendens Chryſoſtomus ait: *Tametſi flagella non gaudij ſint occaſiones, ſed triſtitiæ & mœroris; nihilominus flagella propter Deum, & cauſa propter quam flagellantur, gaudium eis pariebat.* Apte dicit *pariebat*, quamuis enim tribulationes ex ſe ſteriles, ſunt tamen ab honeſtæ cauſæ ſpiritu fœcundatæ, pulcherrimum filium, ideſt, inefabile cordis gaudium pariunt. Veriſſimum enim eſt, quod Sanctus Auguſtinus ait:

1. Cor. 6.

S. Chryſoſt. hom. 12.

S. Greg. Naz. orat 3. contra Iulianum.

Pſal 97.

S. Ambroſ. lib. de Manſionib.

Exod. 15.

Act 5.

S. Chryſoſt. hom. 23. in Geneſ.

S. Auguſt. lib. 83. quæſt q. 2.

Iuſtos etiam ſequeſtrata ſpe futuræ vitæ iucundius & lætius præ amore veritatis torqueri, quam luxurioſi præ cupiditate ebrietatis epulētur. Teſtor inclytos Romanos fratres Marcum, & Marcellianum, quos legimus ad ſtipitem alligatos & confixos clauis, ſic tortori reſpondiſſe: *Nunquam tam iucunde epulati ſumus, quam hæc libenter Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cœpimus. Vtinam tamdiu hæc nos pati ſinat, quandiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus.* Teſtor Andræam Apoſtolum, de quo Sanctus Bernardus dixit: *Non modo patienter, ſed & libenter, verum & ardenter, ad tormenta, ſicut ad ornamenta, ad pœnas, ſicut ad delicias properabat.* Teſtor mirabilem Agatham, de qua Eccleſia canit: *Agatha lætiſſime, & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum Domino precibus commendabat.* Hos omnes tubas ductiles dixeris; non ſolum Deo, ſed ſibi etiam iucundiſſimi gaudij harmoniam efficientes.

S. Bernard. ſerm de Triplici genere bonorum.

Verum cauſa iſta patiendi, non ſolum tanquam virga diuina elicit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo id eſt, dulciſſimum de tribulatione gaudium; verum neceſſaria omnino eſt, vt ipſa malorum perpeſſio laudabilis ſit, & honeſta. Audi Sanctum Gregorium dicentem: *Perſecutio, dum non rationabiliter ſuſtinetur, nequaquam proficit ad ſalutem. Debetis enim ſcire, ſicut Beatus Cyprianus dixit, quia martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Et Sanctus Auguſtinus ait: *Ideo vox illa intelligenda eſt verorum martyrum: iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. Non dixit: diſcerne pœnam meam, ſed diſcerne cauſam meam; poteſt enim eſſe impiorum ſimilis pœna, ſed diſſimilis eſt martyrum cauſa.* Et in Pſalmos ſic habet: *Nemo dicat perſecutionem patior; non ventilet pœnam, ſed probet cauſam.* Idem alibi ait: *Non perſecutionem pati laus eſt, ſed habendo cauſam bonam pati, hæc laus eſt, laus enim eſt in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate.*

S. Greg. lib. 2. Epiſt. 36.

S. Auguſt. ep. 50. ad Bonifacium.

Idem in Pſal. 34.

In Pſal. 68.

CAPVT XV.

Ad patiendum propter iuſtitiam, cunctæ ſuperiores Beatitudines requiruntur.

Optimo ordine hæc beatitudo vltima à Domino ponitur, quoniam ad eam ſtabiliendam, reliquas omnes præcedere oporteat. Eſt enim hæc beatitudo cœterarum apex, & cacumen arduum; difficile enim arduumque eſt, patienter tolerare perſecutionem, ideoque extremum locum debet obtinere. Vt enim in exercitu extremus locus militum erat fortiſſimorum, qui triarij dicebantur: ſic in beatitudinibus, vltimus locus eſt fortiſſimorum Chriſti militum, qui pro iuſtitia ad mortem vſque decertant, hoſtibuſque deuictis æternum triumphum reportant. Extremam huius horti partem patientiæ palma, arbor nobiliſſima tenet, quæ poſt omnes deuictos hoſtes in fine conceditur. Propterea ergo extremo loco collocata perſecutionis tolerantia eſt, quod oporteat cœteris virtutibus eum eſſe armatum qui perſecutionem eſt patienter toleraturus. Quod optime docet Sanctus Chryſoſtomus his verbis: *Non abſque ratione Chriſtus hoc fecit, id eſt, vltimo loco perſecutionis tolerantiam poſuit; ſed quia voluit oſtendere quod niſi quis illis, quas ſuperius poſuit, armatus fuerit, ornatuſque virtutibus, ad hæc nequaquam poſſit prodire certamina. Propterea de priori ſemper mandato ſequētis viam ſtruens, auream quandam nobis catenam texuit.* Id quidem quod generatim oſtendimus, ſpeciatim etiam adſtruere opere pretium erit.

S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth.

Primum, paupertas ſpiritus ad ferendas propter iuſtitiam perſecutiones plurimum neceſſaria eſt. Etenim ad hanc perſecutionum pugnam, neceſſarium eſt arma omnino ſpiritualia induere, & temporalia exuere, quod præſtat paupertas ſpiritus, quæ hominem nudum, & inermem conſtituit; in ſpirituali autem pugna ille victor euadit, qui temporalibus ſubſidiis nudus, & inermis pugnat. Mirabiliter enim inermis patientia pugnat, abiectiſque armis omnibus, hoſtem ſuperat. De manu Mutij Scæuolæ quam ſponte flammis impoſuit. Seneca ſic ſcribit: *Non dubito quin magis laudauerim truncam illam, & torridam manum Mucij, quam cuiuſlibet fortiſſimi ſaluam. Rarius eſt hoſtem amiſſa manu viciſſe, quam armata. Confecit bellum inermis, ac mancus, & illa manu trunca duos Reges vicit.* Ita quidem iuſti pugnant, ſi pauperes ſunt ſpiritu: quorum inermis patientia bellum conficit, & vulnera mortemque tolerando, victoriam, cœlumque reportat, quapropter magis laudauerim truncas, & torridas martyrum manus, pedes, corpora; quam Scipionum, Pompeiorumque triumphos. Rarum & glorioſum eſt, hoſtem amiſſa vita viciſſe, corporibus truncis, vulneratis, crucifixis, diſcerptis, exuſtis, Reges, tyrannoſque ſuperare. Etenim Regna terrarum Alexander, Cæſar, cœterique ſimiles vulnera, mortemque hoſtibus inferendo compararunt; regnum vero cœlorum, qui perſecutionem patiuntur comparant. Prætereà tanta eſt inter primam paupertatis & hanc vltimam patientiæ beatitudinem connexio, atque coniunctio, vt à Ruperto eadem vtriuſque vox eſſe dicatur: nam confert cum cythara ſuauiſſima Chriſtum; ſermonem eius vero cum cantico. Et quidem canticum fuit nouum noui teſtamenti, in veteri nunquam auditum. Sed audi Rupertum: *Hoc cecinit canticum beatitudinis cithara glorioſa, cithara ſonora, & dulcis, cui tota erat & eſt inſita muſica Patris, vniuerſa ſapientia Dei. Octo chordis antiquitus cithara fiebant, & quæ per primam eadem vox reſonabat per octauam, ſecundum muſicæ naturalem vim: quia ſeptem tantum ſunt diſcrimina vocum, & octaua vox eadem, quæ prima eſt: quod muſicis non incognitum eſt, & in iſta Beatitudinum cantilena, quæ prima, eadem octaua ſententia eſt: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Conueniens ergo eſt paupertas ſpiritus ad patientiam in perſecutionibus; quia qui primam illam vocem non refert, nec vltimam reddet. Ad hæc Sanctus Bernardus: Paupertati in prima Beatitudine & martyrio in hac octaua promiſſum eſſe vult regnum cœlorum quoniam paupertas genus quoddam martyrij eſt: *Quid* (inquit) *ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus; & martyribus, niſi quod verè martyrij*

Seneca lib. 9. Epiſt. 68.

Rupert. in Matth. 5.

genus

Digitized by Google

genus eſt paupertas voluntaria? Item propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate emitur, ſed in paſſione pro Chriſto, abſque omni dilatione percipitur.

Secundo, neceſſaria eſt beatitudo manſuetudinis ad perſecutiones patienter ferendas: nam ſi quis fræno manſuetudinis iram non cohibeat, in perſecutorem inſiliet, & cum eo digladiabitur. At ſi animus manſuetudine munitur, in pace eſt, quantumuis perſecutor bellum inferat.

Senec. Epiſt. 85.

Egregiè Seneca ait: *Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cum ad hunc peruenerunt, manſueta.* Omnia enim perſecutoris tela, cum ad mitem animum perueniunt, mirabiliter miteſcũt.

Pſalm. 36.

Vnde de his Regius vates dixit: *Manſueti hæreditabunt terrã, & delectabuntur in multitudine pacis.* Vbi Origenes ſic habet: *Quicumque deſinit ab ira, & relinquit indignationem intrinſecus totus in pace eſt, & prouocanti ſe ad iracundiam cedit: manſuetudo enim pacis eſt cuſtos fideliſſima.*

Pſal. 119.

Hi cum perſecutoribus ipſis pacem ſeruant, iuxta illud Pſalmi *cum his, qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.*

Tertio; Beatitudo etiam tertia; qua lugentes beati dicuntur, conueniens quoque eſt ad perſecutionem patienter tolerandam. Nam hi lugentes beati à Chriſto dicuntur, qui non tantum ſua, ſed aliena etiam peccata deflent. Vnde cum à peruerſis hominibus, & perſecutoribus affliguntur, & opprimuntur, non tam propriam calamitatem, quam illorum lugent iniquitatem. Et quidem à beatis lugentibus non tantum propria, ſed aliena etiam peccata defleri docent frequenter Patres S. Hieronymus, Cromatius Theophilactus, & S. Leo, qui, ergo alterius perſecutione inſanientis peccatum deflet facili negotio eiuſdem perſecutionem ſuffert.

Quarto, eſuries, ſitiſque iuſtitiæ ſimiliter requiritur ad patienter ferendam iniquorum perſecutionem. Nam hæc fames & ſitis feruens quoddam deſiderium eſt adipiſcendi iuſtitiam. Apte Chromatius exponit: *Hos Chriſtus beatos eſſe ſignificat, qui ad conſequendam iuſtitiam, eſuriendi, ac ſitiendi modo, interni deſiderij cupiditatibus inardeſcunt.* At cum homo huiuſmodi cupiditate iuſtitiæ ardet nil difficile non aggreditur, nil arduum non audet, nullam perſecutionis moleſtiam non facile tolerat.

S. Gregor. lib. 26. mor. c. 10. Pſal. 17.

Quapropter audire iuuat Gregorium egregie diſſerentem vbi exponens verba illa Pſalmi *qui perfecit pedes meos quaſi ceruí*, ſic habet: *Ceruus cum montium iuga conſcendit, quæque aſpicit aſpera, quæque ſe obiiciunt ſentibus illigata, dato ſaltu transgreditur, & abſque vllo curſus ſui obſtaculo in ſuperioribus eleuatur: ita etiam electorum mentes quæque ſibi in hoc mundo obſiſtere, atque obuiare conſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, & more ceruorum, deſpectis terrenorum ſentibus in ſuperna ſe euehunt.* Id ipſum ſignificauit Propheta cum in eodem Pſalmo ſubiecit: *Et in Deo meo tranſgrediar murum.* De quo idem Gregorius ait: *Murus quippe eſt omne, quod itineri noſtro obiicitur, ne ad eum qui diligitur, tranſeatur. Sed murum transgredimur, cum præ amore ſupernæ patriæ, quæque in hoc mundo fuerint obiecta, calcamus.* Qui igitur fame, ſitique iuſtitiæ inardeſcunt, id eſt, feruido, ac robuſto virtutis deſiderio flagrant, cunctam contradictionis vim, & perſecutionis tempeſtatem facilè ſuperant.

Pſal. 80.

Quod per Regium Vatem animæ certanti ſic Dominus dicit: *Exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui apud aquas contradictionis.* Quæ verba idem Sanctus Gregorius proxime citatus ſic exponit: *Abſconditum tempeſtatis eſt, cum in corde contrito cogitationum, tentationum fluctus intumeſcunt, cum contra amoris ſancti ſtudia curarum ſæcularium ſe tumultus illidunt.* Qui ergo hæc feruentia ſancti amoris ſtudia, ſiue deſideria habet, in abſcondito tempeſtatis exauditur, quia inter procelloſas perſecutionem pugnas ſecurus in ſalutis portum dirigitur. Vnde idem Sanctus Doctor de probatione ad aquas contradictionis ita ſubiungit: *Aquæ contradictionis ſunt populi reſiſtentes, & quia tunc probatur deſiderium, cum aliqua ei aduerſitate reſiſtitur, rectè dicitur: probaui te apud aquas contradictionis.* In hac famis, & ſitis, id eſt, deſideriorum probatione, robuſti ex aduerſitate proficiunt, ſed infirmi ſæpe in deſideriis ſuis, ſi qua eis fuerint ex aduerſo obiecta langueſcunt, fames ergo, ſitiſque iuſtitiæ maxime ad ferendas perſecutiones conducunt.

Quinto, Miſericordiæ beatitudo etiam iuuat ad perfectè ferendas perſecutiones. Nam illa perfectiſſima miſericordia eſt, quæ iniurias perſecutoris condonat, quam commendat Chriſtus, cum ait: *Benefacite his, qui oderunt vos & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum, &c.* Matth. 5.

S. Leo ferm. de omnibus ſanctis.

Quam imitationem cœleſtis Parentis ſuadens Sanctus Leo, ait: *Miſericordem te miſericordia, iuſtũ vult te eſſe iuſtitia: vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat.* Qui ergo huiuſmodi miſericordia erga inimicos munitus eſt, nullo certe negotio eorum perſecutiones tolerabit.

Sexto, Beatitudo, quæ in mundo corde conſiſtit, quo Deus videtur, ad perſecutiones patienter ferendas, etiam requiritur. Nam cum cor mundetur per ipſas perſecutiones, maximam mundities cordis cum perſecutionibus connexionem habet.

S. Gregor. Nyſſ. lib. de Beatitud.

Id apta ſimilitudine explicat Sanctus Gregorius Nyſſenus. *Quemadmodum* (inquit) *in ferro fieri ſolet, cum id, quod paulo ante nigrum erat per cotem detracta rubigine ſplendores quoſdam in ſe, ad ſolem refulgens, & nitores edit: ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat, cum ſordes rubiginoſas abſterſerit, rurſus cum originali, & principali forma ſimilitudinem recuperauit.* Cos, ſiue lima, quæ cordis rubiginem detexit, perſecutio eſt.

Septimo Pacificorum beatitudo ad perſecutiones patienter ferendas, non minus quam ſuperiores neceſſaria eſt. Nam niſi quis pacificus ſit, perſecutoribus proculdubio bellum denuntiabit. Pax quidem etiam cum perſecutoribus ſeruanda eſt, vt faciebat ille, qui dicebat *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pſalm. 119.

1. Reg. 25.

Quod miro exemplo præſtitit Dauid, cum inſectatorem Saulem, non iracundo ſed blando ſermone compellat, & ad pacem adducere conatur, cum inclinans ſe pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul: *quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum, aduerſum te? Pater mi vide, & agnoſce oram chlamydis tuæ in manu mea,*

quoniam

quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Quem perſequeris Rex Iſraël? Canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum. Qui pacificus eſt verbis pacificis cum inſectatoribus vtitur implens illud: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.*

1. Petr. 3.

Optimam ſubiungens rationem: *Quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis.* Vocati enim ſumus à Deo, vt æternam benedictionem conſequamur: debemus igitur dum viuimus, omnibus etiam his, qui nos inſectantur, benedicere; nemini autem maledicere: nam qui benedictionis hæres eſt, benedictionem non maledictionem ore gerat, vt hæreditatis adeptæ diuitias oppido oſtendat: vnde Gloſſa ait: *Quod quiſque in futuro inuenire deſiderat hoc in præſenti meditari, & agere fatagat.* Qui vere pacificus eſt, illud exequitur, quod Regius Vates monet: *Inquire pacem, & perſequere eam.*

Pſal. 33.

Inquirenda, & perſequenda pax eſt in inimico: inquirenda, quia longe ab eo receſſit; perſequenda, cum ipſe te perſequitur: quod fit & pacificis verbis & operibus. Verbis perſequebatur pacem Dauid inſectatus à Saule, vt proxime vidimus; operibus inquirebat pacem fratris Iacob cum dixit: *Placabo illum muneribus.* Abigail quoque muneribus Dauidem placauit.

Gen. 32.
1. Reg. 25.

Ex quibus debet intelligi quam optimo iure Sanctus Auguſtinus de his omnibus Beatitudinibus dixerit: *Septem ſunt, quæ perficiunt; octaua clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat.* Quaſi omnes hæ Beatitudines ad pingendam in mente perfectæ virtutis imaginem conuenerint, cumque ſeptem priores diuerſis, & propriis ſuis coloribus imaginem perfecerint: Octaua tamen, ideſt, patientia in perſecutionibus vltimam operi manum apponit, & illuminatione clarificat. Patientia enim in perſecutionibus auro Charitatis imaginem illuminat. Hoc quidem intellexit Iacobus cum dixit: *Patientia opus perfectum habet.*

Iacob. c. 1.

Hoc enim opus eſſe charitatem Dydimus Alexand. Magiſter Sancti Hieronymi ad hunc locum affirmat his verbis: *Dicit autem Iacobus, patientiam habere opus perfectum, quia per patientiam charitas in corde naſcitur.*

CAPVT XVI.

Perfecta patientia etiam cum gaudio tolerat aduerſa.

EXplicatius docere volens Dominus hanc beatitudinem adiecit: *Cum vos oderint homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra magna eſt in cœlo.* Gaudere & exultare vult eos, qui perſecutionem patiuntur ipſius cauſa: quia profecto, qui perfecta patientia præditi ſunt, cum gaudio, & exultatione perſecutorum iniurias ferre ſolent. Hoc in coniugio Iſaac, & Rebeccæ adumbratum eſt: nam vt Clemens Alexandr. docet, Iſaac interpretatur riſus, Rebecca vero tolerantia; quo ſignificatur, perfectam patientiæ tolerantiam, & cordis riſum, ſiue gaudium quaſi legitimis nuptiis copulari.

S. Clem. Alexandr. lib 1. Pædag. c. 5.

Quia vero de ludo Iſaac, & Rebeccæ mentio fit, hac de re ipſe Clemens ſic ibi habet: *O prudentem ludum & diſciplinam! Talem ludum ludere ſuum Iouem dicit Heraclitus.*

Geneſ. 26.

Hoc ludo illi tantummodo vti poſſunt, qui perfectæ patientiæ quaſi matrimonij vinculo ſunt coniuncti. Hi quidem ſoli ſunt Ioues, qui bonæ conſcientiæ, & ſpei cœleſtis ſuſcepto pignore, in aduerſitate animum extollunt, & cum aduerſa fortuna hilares ludunt. Id quod pulchro ſymbolo ſignificauit Camillus Camillius in inſignibus cum depinxit duos vrſos erectos, & ſimul colludentes ſub atra nube, cum verbis: *Iſtud heroum.* Significans eos, qui in aduerſitate animum erigunt, & conſcientiæ bonæ præſidio gaudent. Vrſus enim ea eſt natura, vt in pluuioſo cœlo lætetur, & in ſereno mœreat. Hoc certe gaudium, quo ſancti in mediis tribulationibus exultant, & cordis iubilo diuinas laudes reſonant, felix auſpicium eſt æternæ felicitatis adipiſcendæ. Quod ſymbolicè intelligi poteſt ex eo, quod tradit Rhodiginus fuiſſe nimium religioſe obſeruatum ab antiquis, vt ſi laurus igni admota valde crepitaret, ſignificaret felicitatem in eius rei euentum, per quam laurus adoletur: de quo ſigno ſic Tibullus. *Laurus vbi bona ſigna dedit, gaudete coloni.*

Rhodig. lib. 3. c. 7.

At ſi non crepitaret, ſignificabat malum, & inauſpicatiſſimum euentum, de quo Propertius habet: *Et tacet extincto laurus adusta foco.* Quis neget Laurentium laurum auſpicatam fuiſſe, qui diuturno aduſtus igne, lætiſſimus vocibus crepitabat, dicens: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Et ſimilia multa. Laurus erat Paulus fauſta; qui flagrantium tribulationum igne crematus, verbis illis, cœleſti gaudio plenis crepitabat, *gloriamur in tribulationibus.* Fauſtas ſimiliter lauros dixeris tres pueros, qui in igne fornacis Babylonicæ diuini gaudij rore perfuſi, omnès creaturas ad diuinas laudes inuitantes, longum hymnum concordibus vocibus concinebant. Id autem ideo contingit, quia propter Chriſtum, & cum Chriſto patiuntur: nam cum tribus pueris quidam in fornace erat ſimilis filio Dei. Quod ſymbolo porphiritici lapidis illuſtrat Polyphilus; nā ſicut lapis iſte non ſolum non accenditur in fornace; ſed nec ſinit alios lapides, qui ſunt ſecum, accendi: ita Chriſtus Dominus in fornace Babylonica, ideſt, in mundanæ perſecutionis tribulatione, non ſolum non fuit accenſus igne iracundiæ, ac triſtitiæ; ſed ſocietate, ac præſentia ſua præſtat, vt qui cum ipſo ſunt, nullo calamitatis igne vnquam accendantur, ſed potius cœleſti rore, ideſt, diuino gaudio perfundantur.

Polyphilus lib 1.

Quò ſpectat illud Sancti Ambroſij: *Corpus ſuſcipiens Dominus Ieſus charitatis ſe vinculis alligauit, & tanquam faſciculum myrrhæ ſe nobis dedit, quem inter vbera noſtra contineamus: cuius aſpectu lætemur, ſaturemur guſtu, roboremur contactu.*

S. Ambroſ. ſerm. 10. in Pſal. 118.

Cum in tribulatione ſumus, tunc Chriſtus tanquam faſciculum myrrhæ ſe nobis dat, & charitatis vinculis ſe nobis alligat, vt eum iugiter inter vbera noſtra contineamus; & quamuis amaræ myrrhæ faſciculus eſſe videatur, tamen in ipſa tribulatione eius aſpectu lætamur, dulciſſimo ſaturamur guſtu, ſuauiſſimo roboramur contactu. Quid autem eſt tribulatio cum Chriſto, & à Chriſto immiſſa, niſi ipſemet Chriſtus in faſciculum myrrhæ conuerſus, &

nobis

Digitized by Google

nobis datus?Quid autem dulcius Chriſto, etiam cum eſt myrrhæ faſciculus ? Plane; cum amara perſecutionis,& tribulationis myrrha, coniuncta eſt mirabilis conſolationis dulcedo. Quod apertè ſignificauit ſponſus, cum dixit: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5.
Quid per myrrham,& aromata intelligatur breuiter & optime expoſuit Hugo Cardinalis his verbis: *Per myrrham cum aromatibus, temperantia à licitis, cum tolerantia in aduerſis intelligitur.* Myrrha eſt temperantia à licitis,id eſt,mortificatio:aromata,in quibus Hugo præcipuè intelligit amariſſimum aloe, ſunt vitæ tribulationes, & inimicorum perſecutiones à iuſtis ſpatienter toleratæ. Cum ergo ſponſus ad hortum Eccleſiæ ſuæ venit, myrrham cum aromatibus metit, id eſt, ſuorum mortificationes, tribulationes, ac perſecutiones patienter toleratas colligit, in faſciculos alligat, & diligenter ſeruat. Quam vero dulcis ei ſit hæc tribulationum collectio,indicat, cum ſubiungit: *Comedi fauum, &c.* Vbi idem Hugo ſic: *Comedi fauum, cœtum ſcilicet confeſſorum, pabulum luminis, vaſa dulcedinis: cum melle meo, id eſt, cum ipſa dulcedine ſpirituali, qua eos impleui.* Confeſſores quidem, id eſt,qui propter iuſtitiam, & veritatem perſecutiones, ac tribulationes patiuntur,faui ſunt, quia continent pabulum luminis, nempe viuam fidem,quæ in cera ſignificatur,& continent etiam vaſa dulcedinis; quia eorum mentes receptacula ſunt diuinæ conſolationis. Hos quidem fauos auidiſſimè comedit Chriſtus cum ſuo melle,id eſt, cum dulcedine ſpirituali, qua eos in tribulatione impleuit. Sancti ergo cum tribulationes, ac perſecutiones patiuntur propter iuſtitiam, & tantam myrrhæ ſegetem cum amariſſimis aromatibus ferunt, vt ea metat ſponſus,ſimul ſunt faui mellis, quia vaſa ſunt ſpiritualis dulcedinis. Quamobrem tribulationes merito appellaueris alueos ex myrrha coagmentatos,intra quos iuſti deliteſcunt,tanquam faui diuinæ dulcedinis melle redundantes.

CAPVT XVII.

Temporalis proſperitas peccatoribus ſupplicium eſt.

CVm Chriſtus Dominus beatos prædicet eos,qui perſecutiones & tribulationes propter iuſtitiam patiuntur,conſentaneè dicendum eſt miſeros eſſe illos peccatores, qui malorum horum immunes & temporali proſperitate gaudentes,beatos ſe iudicant. Quamuis enim mundanam proſperitatem ſuſpiciant, & tanquam maximum fortunæ munus venerentur;at re vera non Dei amici donum, ſed ſeueri iudicis ſupplicium erit, vt enim extolli in altiſſimum locum,ex quo ſis præcipitandus,non eſt in beneficij, ſed in ſupplicij loco ponendum: ita in ſublimem proſperitatem euehi, quæ tibi futura ſit præcipitium,grauiſſimum ſupplicium eſt. Audi Euſebium Emiſſenum: *Quis eius miretur aſcenſum, quem de ſummo proſpicit eſſe caſurum?* Euſeb. hom de S. Epiphoro, & Alex.
Quis ab eius conuiuio non abhorreat, vbi in ſuauiſſimo vino venenum ſibi propinandum cognoſcit?Hoc autem mundana facit proſperitas,de qua Sanctus Chryſologus ait: *Proſperitas conuiuis ſuis ab initio propinat dulcia, vt cum inebriati fuerint, lethale virus miſceat, & ſi quid deterius eſt.* Quis ergo talem proſperitatem beneficium, & non potius ſupplicium indicet? S. Chryſol. ſerm.de Carial nugis apud Nanium.
Gratiſſimi quidem aſpectus ſunt aliquæ arbores,quæ patulis diffuſæ ramis, ad opacandum locum,æſtiuo tempore aridum, ſunt aptiſſimæ: at earum vmbra venenum eſt. De Taxo Plinius ſic habet: *Eſt in Arcadia tam præſentis veneni, vt qui obdormiant ſub ea, cibumue capiant, moriantur.* Ad huiuſmodi vmbram alludens Emiſſenus ait: *An tu felicem vocas, cui prouentuum fallax vmbra præſentium, æternorum congregat cauſas malorum?* Arbor quidem mundanæ proſperitatis gratam præſentium prouentuum vmbram pollicetur; per quam tamen æterni exitij venenum infundit. Illud contra proſperitatis venenum remedio eſt, quod contra Taxi toxicum Plinius ſuppeditat. *Repertum* (inquit) *innoxiam fieri, ſi in ipſam arborem clauus æreus adigatur.* Æreum clauum, timorem Domini, vel amorem, ſiue contemptum mundi dixeris, qui in arborem humanæ proſperitatis adactus totum ab ea venenum expellit, alioquin necem infert. Iuſtis quidem proſperitas non nocet, quia eam æreo diuini amoris clauo configunt: at peccatoribus exitio eſt, quod nullo remedio vtantur. Quamobrem cum Deus ſceleratos honoribus impune volitare, & exuberantibus bonis ſinit gaudere, & eorum deſperatam ſalutem, & ipſius imminentem iram apertè ſignificat. Nam vt medici deſperatis ægris omnia ad libitum concedunt: ita Deus ſceleratiſſimis peccatoribus optata cuncta largitur. Id Philo de confuſione linguarum ex diuinis litteris colligens, ait: *Deſperata anima indicium eſt, proſperos maleficiorum ſucceſſus habere*, vt deſperatis ægris omnia pro libito concedebat Deus Iudæis in deſerto, prout narrat Pſalmographus,inquiens: Plin lib 16. cap.10. Sup.
Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum, & manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Dum pulueri, & arenæ maris conceſſas comparat coturnices miram abundantiam ſignificat. Miram quoque facilitatem capiendi optatum cibum indicat, cum adiungit, *& ceciderunt in medio &c.* Nam circa tabernacula duobus cubitis prope terram volitabant. Vnde dicitur: *Volabant in aere duobus cubitis in altitudine ſuper terram. Surgens ergo populus congregauit, &c.* Hugo Cardinalis ad hunc locum per Iudæos;eos peccatores intelligit, quos mundanis bonis abundare, & impunitate magna in ſceleribus viuere permittit Deus;De his locum ita explicat: *Pluit ſuper eos ſicut puluerem, carnes, quia permittit eos abundare carnalibus delitiis, & voluptatibus, & ſicut arenā maris volatilia pennata, id eſt, honores, qui eos pennis vanitatis efferunt, & ceciderunt in medio caſtrorum eorum circa tabernacula eorum, id eſt, ſine aliqua difficultate habent iſta, & omnia eis in hoc mundo proſpere ſuccedunt.* Sed hanc erga peccatores profuſam Dei indulgentiam, non miſericordiam Pſal. 77. Num. 11.

ricordiam eſſe, ſed iram ſatis indicant verba ſequentia. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël impediuit.* Quæ idem Hugo ſic exponit: *Quaſi dicat, antequam illa temporalia, quæ cum tanta auiditate acquirunt, expendant, vel inde aliquod emolumentum habeant, venit ſuper eos vltio diuina.* Hanc proſperitatis breuitatem, & ſupplicij maturitatem, illam non miſericordiam, ſed iram eſſe denuntiat. Eſca iucundiſſima videtur eſſe proſperitas, ſed quæ in ipſo ore periit, & vix ad ventrem traijcitur. Quapropter dicitur: *Non ſatiabitur venter eius, & cum habuerit, quod cupierit, poſſidere non poterit.* Vbi Sanctus Gregorius ad rem noſtram ſic habet: *Sæpe omnipotens Deus cum auara menti vehementer iraſcitur, prius ei permittit ad votum cuncta ſuppetere, & poſtea per vltionem ſubtrahit vt pro eis debeat ſupplicia æterna tolerare. Vnde & ſubditur: & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit.* In qua materia egregium axioma Sanctus Doctor ſubiungit his verbis: *Quanto citius malum votum impleri permittitur, plerumque tanto celerius punitur. Vnde ergo hypocrita feſtine multiplicatur, vt potens ſit, inde agitur cum celeritate ne ſit.* Id confirmat apta ſimilitudine: *Arbuſta (inquit) quæ tardius creſcunt, annoſa perdurant; & quæ in temporis breuitate proficiunt, celerius areſcunt: & quaſi cum feſtinant eſſe, tendunt ad non eſſe.* Miſeri ergo ſunt, qui peccantes proſperi euadunt & tanto miſeriores, quanto citius omnibus mundi bonis augentur. Contra beati ſunt, qui perſecutiones propter iuſtitiam patiuntur, & tanto beatiores, quanto maioribus tribulationibus ob eandem cauſam affliguntur. Sed proſperi peccatores veram beatitudinem penitus ignorantes, iuſtum perſecutionibus, ſeu tribulationibus in anguſtias redactum, non ſolum miſerum iudicant, ſed quoddam miſeriæ prodigium arbitrantur. Sic à multis exiſtimabatur Dauid, cum inſectabatur à Saule, & ad mortẽ quæſitus nullibi poterat ſecurus conſiſtere, vt ipſemet teſtatur, cum ait: *Tanquam prodigium factus ſum multis.* Vel vt vertit Sanctus Hieronymus *tanquam portentum*; vt ſenſus ſit: multi ærumnas meas conſiderantes, me refugiunt, tanquam monſtrum aliquod, & rem prodigioſam. In eo autem maxime prodigium eſſe putant proſperi peccatores, quod iuſtus ſpe remotiſſimi boni, id eſt, futuræ beatitudinis ærumnis ſe & tribulationibus confici patiatur. Qua de re Hugo Cardinalis ad hunc locum ſic habet: *Secundum Iſidorum prodigium dicitur quaſi procul dictum, id ſcilicet, quod longe eſt, oſtendere, vt dies iudicij, &c. ſic ſancti viri, qui mundi gaudium contemnentes, ad longe futurum aſpirant, ſunt aliis prodigium.* Qui præſentibus bonis inhiant, & de futuris non curant, iuſtos, vt prodigium mirantur, quod in rem remotiſſimè futuram aſpicientes, & blanda mundi contemnant, & dura quæque ſuſtineant.

Iob. 20.

S. Gregor. lib. 15. mor. c. 10.

Pſalm. 70.

* *

CAPVT XVIII.

Patientia perſecutionum propter iuſtitiam ſupremus gradus ſcalæ cæleſtis.

HAs omnes beatitudines nos docens ſaluator cæleſtem ſcalam erexit per quam cælum aſcendere debemus. Conſtat ſcala hæc octo gradibus qui non poſſunt non eſſe pretioſiſſimi & gemmei, quippe ad cæleſtem ciuitatem ſpectantes, quæ tota gemmea & pretioſa eſt; quos beatitudines appellamus, quoniam ad cæleſtes ianuas nos ducant. Horum graduum ſupremus eſt, quem extremo loco Chriſtus poſuit, ſcilicet, propter iuſtitiam libenter, & patienter perſecutionem pati. Ita docet Sanctus Gregorius Nyſſenus his verbis: *Octaua beatitudo tanquam vertex omnium beatitudinum in ſummo gradu boni aſcenſus poſita eſt.* Quod vt dilucidius fiat omnes gradus recenſere, & percurrere iuuabit, duce Chromatio, qui eos eleganter deſcripſit, inquiens: *Gradus quoſdam firmiſſimos ex lapidibus pretioſis ſternit quodammodo Dominus, per quos anima aſcendere poſſint ad regnum cælorum. Primus gradus fulgentiſſimus eſt ſmaragdus, id eſt, paupertas. Secundus, Chryſolitus, hoc eſt, manſuetudo. Tertius ſardonix, id eſt, luctus. Quartus Carbunculus, id eſt, fames, ſitiſque iuſtitiæ. Quintus Topazius, id eſt, miſericordia. Sextus Sapphirus id eſt, cordis puritas. Septimus hyacinthus, id eſt, pacificatio. Octauus Adamas, id eſt, perſecutionis tolerantia.*

S. Gregor. Nyſſ. lib. d Beatitud.

Chromat.

Primus gradus eſt paupertas ſpiritus, quæ aptè cum fulgenti ſmaragdo componitur. Smaragdi quidem præcipua virtus eſt oculos gratiſſimo colore mulcere, & inde animum recreare. Qua de re Plinius ſic habet: *Nullius coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes, frondeſque ſpectamus; ſmaragdos vero tanto libentius; quoniam nihil omnino viridius comparatum illis vireti. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu ſmaragdi recreatur acies. Quorum vero corpus extenſum eſt eadem, qua ſpecula ratione ſupini imagines rerum reddunt. Nero Princeps gladiatorum pugnas ſpectabat ſmaragdo.* Similiter paupertas ſpiritus leniſſima coloris ſui gratia oculos mentis tranquillat. Sanctus Gregorius ait: *Quid quietius quam nihil huius ſæculi appetere?* Seneca: *Paupertas expedita eſt, ſecura eſt, vis vacare animo? aut pauper ſis, aut pauperi ſimilis.* Rurſus ad illa verba Iob: *Si expaui ad multitudinem, &c.* Sanctus Gregorius ſic habet: *Magna ſecuritas cordis eſt, nihil concupiſcentiæ habere ſæcularis: nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum, tranquillumque eſſe nullatenus poteſt.* Chryſoſtomus ſic: *Pauperis voluntarij animus fulget vt aurum, ſplendet ſicut gemma, floret quaſi roſa, nulla ibi cura ſæcularis, ſed viuit Angelica vita.* Et Sanctus Bernardus ita ſcribit: *Felix paupertas, quæ tam ſecuros, imo & tam glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum; in illo tanta diſcrimine iudiciorum.* Paupertati ſpiritus merito adſcribit Bernardus tranquillam

Plin. lib. 37. cap. 5.

S. Gregor. lib. 18. mor. c. 25.

Senec. Epiſt. 17.

Iob 30.

S. Chryſoſt. hom. 48. in Matth.

S. Bernard. ſuper Pſ. qui habitat.

tranquillam

tranquillam animi iucunditatem, qua iuſti in extremo iudicio cuncta illius diei tremenda, & horrenda conſpicient. Nam vt Nero truculentas, & ſanguinolentas gladiatorum pugnas,quo mitiùs & iucundiùs ſpectaret, ſmaragdo ſpectabat: ita iuſti vltima die tranquille, & iucunde horrenda iudicij ſpectabunt;quia ea in ſmaragdino paupertatis ſpeculo contemplabuntur. In quem ſenſum Sanctus Bonauentura explicat illud Pſalmi *videant pauperes & lætentur*.Quia nimirum in iudicio paupertatis ſplendore ita electorum oculi illuſtrabuntur,vt magna lætitia tremenda quæque iudiciorum aſpiciant.

S. Bonauent. in Apologia Pauper. Pſal. 68.

Secundo loco Chryſolitus ponitur, hoc eſt, manſuetudo, Chryſolitus teſte Plinio: *Gemma eſt aureo colore tranſlucens.* De eius virtutibus multa auctores. Plinius eius colorem adeo eſſe accenſum affirmat, vt in ipſius conſpectu aurum à proprio colore deſciſcere, & in argenteum degenerare videatur. *Aurum in collatione albicare cogit quadam argenti facie.* Berchorius ait: *Valde confert contra motus melancholicos.* Abulenſis, & S. Iſidorus tradunt Chryſolitum in nocte pluſ ſuum ſplendorem detegere: *De die* (inquit Iſidorus) *videtur aureus,de nocte igneus* Quæ omnia manſuetudini aptiſſime quadrant. Primum manſuetudo aurum contemnit;nec enim mitis à diuitiis poſſidetur, ſed eas poſſidet. Vnde à Chriſto dicitur. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*Quod S.Bonauentura ſic docet: *Mites etiam bona temporalia poſſidere ſciunt, quia ſibi non permittunt dominari: quia igitur ſe, & ſua poſſidere ſciunt, merito terram viuentium poſſidebunt.* Manſuetudo ergo iure optimo Chryſolitus dicitur, ſiquidem hæc virtus, *aurum albicare cogit quadam argenti facie*, ideſt, propriam faciem auro demit, & viliorem aliam imponit. Deinde vt Chryſolitus multum confert contra motus melancholicos, ideſt, aduſtos, & iracundos: ita multo melius manſuetudo, cuius proprium munus eſt, iram cohibere, & furentes ac melancholicos motus frænare. Quo hominis cor ita tranquillat,& mollit, vt in eo libenter Deus quieſcat, & dormiat. Vnde Bonauentura ait: *Manſuetudo eſt ſicut culcitra in lecto floridæ conſcientiæ, de quo dicitur lectulus noſter floridus.* Præterea, Sicut Chryſolitus magis in nocte, quàm in die fulget:ita manſuetudo plus in terra maleuolentium ira, quàm in amicorum gratia elucet. Quamobrem Sanctus Bernardus dixit:*Sunt quidam mites,ſed quandiu nihil dicitur, vel agitur, niſi pro eorũ arbitrio;patebit antẽ,quã longè ſint à vera manſuetudine, ſi leuis oriatur occaſio.* Hi quidem in die, non in nocte lucent: at manſuetudo quæ Chryſolitus eſt,plus in nocte,quam in die fulget. De his Chryſolitis Caſſiodorus ait:*Manſuetos appellamus,ideſt,patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem grauare præſumunt.*

Plin lib 37. cap.9.

Abulenſ. in cap.28. Exod.

S. Bonauent. in dieta ſalutis tit.7. cap.2.

Sup.

S. Bernard. ſerm 5.in Cant.

Caſſiodor. in Pſal.37.

Tertius gradus eſt ſardonix,ideſt, luctus. De hoc lapide Plinius, & Solinus tradunt,eum tribus circulis,ſiue zonis diſtingui,infima,media, ſumma;quarum infima nigra eſt, media candida,ſumma rubea,ſiue purpurea. Id autem optimè congruit luctui, qui ex tribus cauſis ſolet oriri,vt docent Patres,nempe, ex timore æterni ſupplicij,ex deſiderio æternæ patriæ & ex amore Dei. Sardonix ergo,cuius *ſubſtratum*, vt ait Plinius,*nigri coloris eſt*, ideſt, infima pars nigra, eum primo luctum adumbrat, qui propter nigerrimam culpam, & pœnam inde naſcentem aſciſcitur. Ob hanc cauſam flebat Bernardus cum dicebat:*Paueo gehennam,contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi,à rugientibus præparatis ad eſcam,horreo vermem rodentem & ignem torrentem,fumum,& vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores.Quis dabit capiti meo aquam,& oculis meis fontem lachrymarum, vt præueniam fletibus fletum,& ſtridorem dentium.* Hinc S.Ephrem rectè ſuadet:*Fundamus lachrymas,quandiu tempus eſt ſuſcipiendi noſtras lachrymas, ne abeuntes in ſæculum illud,abſque fructu,& vtilitate vlla plãgamus.* Aptiſſime quoque S.Chryſoſtomus monet. *Luge peccatum, ne pœnam defleas, nam vel peccatum lugendum eſt, vel ſupplium. Satius eſt illud, quam hoc deflere. Etenim ſupplicij luctus ſupplicium minime tollit; peccati autem luctus peccatum abolet.* Secundo Sardonichis zona alba, quæ ſuper nigram eſt, luctum eum ſignificat, qui ob deſiderium patriæ cœleſtis habetur. Primus luctus dicitur irriguum inferius.Secundus irriguum ſuperius. Nam in Ioſue, dicitur. *Dedit Caleb ei*(id eſt,filiæ ſuę Axæ ſuſpiranti,ac petenti)*irriguum ſuperius & inferius.* Duo ſane lachrymarũ genera hic myſtice deſignata agnouit S. Greg. *Irriguum* (inquit) *ſuperius accipit anima, cum ſeſe in lachrymis cœleſtis regni deſiderio affligit;irriguum vero inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit.* Hoc vtrumque irriguum expetebat Sanctus Auguſtinus: *Da mihi*(inquit) *Domine irriguum ſuperius, & irriguum inferius,vt ſint mihi lachrymæ meæ panes,die,ac nocte.* In colore nigro, ac inferiori ſardonichis irriguum inferius, in colore albo, & ſuperiore ipſius irriguum ſuperius ſignificatum eſt. Ad irriguum ſuperius, de quo nunc agimus ſpectat illud Pſalmi *ſuper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Nam cœleſtis Sionis recordatio, & deſiderium lachrymas ciet his, qui ſuper Babylonis flumine exules ſedent, quique inſtar fluminum fluere omnia Babylonis, id eſt, mundi huius gaudia;nihil firmum eſſe, ſtare nihil, conſiderant. Organa ſua, id eſt, lætitiæ inſtrumenta ſuſpendunt: in terra aliena cantica edere recuſant;lætitiam paulíſper in patriam differunt:Babylonicum gaudium, Babylonicum pariter fletum fugiunt, Sionis gaudia amant. Denique vt gaudiant in Sione flent in Babylone.S. Auguſt. ait: *Multi flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis; quia gaudent lucris, & flent damnis: vtrumque de Babylonia eſt. Flere debes, ſed recordando Sion.* Tertio, in ſumma ſui parte ſardonix colore purpureo rubet, & ſupremum fletũ genus ex ardenti Dei amore procedit. Ignis ex roſis,floribuſque exprimit aquã,quæ ſuauem odorem efflant,& diuini amoris flamma ſuauiſſimas lachrymarum guttas elicit, quæ maiori ſuaueolentia fragrant. Optime Sanctus Gregorius ait: *Vis amoris per lachrymas emanat, & ideo vbi amor non eſt, lachryma ceſſat.* Certè vis amoris lachrymarum eſt fons, qui per oculorum riuos emanat. Merito ergo fletus pretioſiſſimo lapidi ſardonychi comparatur, quo iuſtus quiſque debet ornari? vnde Sanctus Chryſoſtomus ait: *Quid, dic oro, Dauidis illius oculis formoſius perpetuo lachrymarum imbre, & quaſi margaritarum decore ornatis?* vis te gemmis

Plin. lib.37.c 11. Solinus cap 36.

S. Bernard. ſerm 16.in Cant.

S. Chryſoſt. hom.de Pœnit.

Ioſ. 15.

S.Gregor. lib.6. Regiſt. Epiſt 23. & lib.3. Dialog.c.34.

Pſal. 136.

S. Auguſt. in hunc. Pſal.

S. Gregor. lib.3. mor c.5.

S.Chryſoſt. hom.30.in Gen.

gemmis fulgentiſſimis ornare, quæ Deo, Angeliſque placeant? funde lachrymas.

Quartum gradum in cœleſti ſcala efficit Carbunculus ideſt, fames ſitiſque iuſtitiæ. Carbunculus, vt omnes autores tradunt, colorem, & ſplendorem prunæ repræſentat. Similiter fames, ſitiſque iuſtitiæ nil aliud eſt quam ardens deſiderium, amorque virtutis, qui amor pruna pretioſa eſt. Vnus ex Seraphim enim carbunculo mundauit labia Prophætæ: nam vt ibi S. Hieronymus ait: *Calculus iſte, qui à ſolis ſeptuaginta Carbunculus eſt interpretatus poteſt non carbonem ſignificare, vel prunam, vt plerique exiſtimant, ſed carbunculum lapidem.* Iſte autem carbunculus ori, labiiſq; Prophetæ eſt applicitus, vt ei famem, ſitimque ingereret iuſtitiæ, quam aliis prædicaret. Merito quidem fames iuſtitiæ carbunculus dicitur: nam qui famem illam habet ardet deſiderio virtutis, vt dicat cum Dauide: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Quem in locum Theodoretus ſic ſcribit: *Multi diuina iudicia deſiderant, cœlorumque regnum appetunt, ſed non ſemper. Modo diuinis oblectantur, & modo corporis affectus ſequuntur. Sed vates exoptat hoc habere deſiderium continuè.* Ille ſemper deſiderio virtutis ardebat, qui dicebat: *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Qui ergo pretioſiſſimum carbunculum poſſederit, ideſt, ardentem famem, ac ſitim iuſtitiæ habuerit, affatim diues erit virtute. Nam vt Plutarchus prudenter dixit: *Primum argumentum, quo te ſentias in virtutis ſtudio profeciſſe, eſt amoris immenſitas, &c.*

Iſai. 6. — Pſal. 118. — Pſalm. 118. — Plutarch. lib de profectu morum.

Quintus gradus ſcalæ cœleſtis ex Topazio conſtruitur, id eſt, miſericordiæ. De Topazio multa apud graues Auctores reperiuntur, quæ miſericordiæ quadrant. Primum S. Ambroſ. ad illa verba Pſalmi *ſuper aurum & topazium* ſic habet: *Splendenti ſimilis eſt, maxime cum ſolis ſplendore percutitur.* Similia habet Abulenſis. *Topazius,* inquit, *ante ſolem poſitus ſupra cæteras omnes gemmas lucet.* Similiter ſane miſericordia, ſi ante ſolem iuſtitiæ conſtituatur, id eſt, Chriſtum in paupere habeat præſentem, & propter illum exerceatur, clariſſimos charitatis radios emittit. Id optimè probat S. Bonauentura, dum viſionem illam Apocalypſis, qua Ioannes vidit ſimilem filio hominis in medio ſeptem Candelabrorum aureorum, habentem ſeptem ſtellas in dextera ſua, de homine miſericorde ſic explicat: *Filius hominis dicitur homo pij cordis, quia ſecundum Philoſophum, pietas eſt proprium hominis, ſicut crudelitas leonis. Candelabra aurea ſignant ſeptem opera miſericordiæ corporalia, quæ ſunt, vt aurum pretioſa. Septem ſtellæ, quæ ſunt in dextra, ſunt ſeptem opera miſericordiæ ſpiritualia, in cordis hemiſpherio lucentia, tanquam ſydera radiantia.* Secundo, Topazius miram vim aduerſus ignem habet: nam vt Vincentius Arnoldus, & Berchorius tradunt, aquam efferueſcere non patitur, quamtumuis plurimum admoueatur ignis. Quibus adiicit Vincentius: *Si ſupra rem bullientem ſuſpenditur, ceſſant ampullæ.* Et Rueus, qui eruditè de lapidibus ſcripſit, ait: *Si annulum ex Topazio effictum quiſpiam in manu teneat, poteſt intra feruentis aquæ lebetem manum ſecure iniicere.* Id autem optime miſericordiæ congruit, de qua Sanctus Auguſtinus dixit: *Magna eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum.* Tertio, qui de pretioſis lapillis ſcripſere Topazium cæteris anteponunt. Nam Berchorius ait: *Eſt pulcherrima gemmarum.* Et Vincentius, *quo rarior, eo pretioſior.* Et vterque his adnectunt: *In theſauris Regum nihil pretioſius inuenitur. Et nihil eſt charius Regibus in diuitiis.* Plinius quoque de antiqua topazij æſtimatione ſcribens, ait: *Cum repertus eſt, omnibus gemmis prælatus fuit.* Ac de ſuæ etiam ætatis pretio ſubiicit: *Egregia etiam nunc Topazio gloria eſt.* Similiter ſane miſericordia inter gemmas pulcherrima eſt: quo rarior, eo pretioſior. Et quidem in theſauris Chriſti nihil pretioſius inuenitur: nec cœleſti Regi aliquid eſt charius in ſpiritualibus diuitiis: & omni tempore egregia fuit miſericordiæ gloria. De hoc Caſſiodorus ſic habet: *Benigni quippe Principis eſt, ad Clementiæ commodum tranſilire terminos æquitatum, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recuſant.* Quod adeo verum eſt tam magnoque interuallo virtutes omnes miſericordia antecellit, vt Sanctus Bonauentura ita ſcribat: *Miſericordia eſt virtus cæteras virtutes ſuperans, & ſpecialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes: ſcilicet, pœnitentiam, quia pœnitentia immolat corpus; miſericordia vero animam. Miſericordia etiam ſuperat charitatem, in eo quod charitas eſt fluuius diuinæ pietatis, & currit cum alueis ſuis, & non exit extra ripas, quia ſolum bonum diligit, & ſua communicat; pietas vero, & miſericordia extra ripas inundat, & ſua bonis, & malis communicat, & ideo non ſolum bona proximorum, ſed etiam mala libentiſſimè portat, iuxta Apoſtolum, quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. Miſericordia etiam ſuperat iuſtitiam, & in ſignum huius, de curia iuſtitiæ, ſi eſt à peccatore ſuſpecta, licet ad conſiſtorium miſericordiæ appellare. Nam dicit Iacobus: Miſericordia ſuperexaltat iudicium, & de hac excellentia miſericordiæ reſpectu aliarum virtutum dicitur, miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Porro adeo ſublimis eſt hæc virtus, vt ſi terrena, & abiecta bona tangat, ea in ſublime tollat. Quapropter eleganter dixit Iacobus Billius.

S. Ambroſ. in Pſal. 118. — Abulenſ. in cap. 28. Exod. — S. Bonauent. in dieta ſalutis tit. 7. cap. 4. — Apoc. 1. — S. Auguſt. ſerm 11. de temp. — Caſſiod. Epiſt. 5. — S. Bonauent. in dieta ſalutis tit. 7. cap... — 1. Cor. 11. — Iacob c. 2. — Pſalm. 62. — Iacob. Billius in Antholog. ſacr.

Aſtronomus quidam (ſic finxit priſca vetuſtas)
Reginæ abſciſſam vexit ad aſtra comam.
Is tamen haud aſtris illam intulit. Ille capillos
Cœlo infert, inopes qui miſeratus alit.

Loquitur ex mente Auguſtini, & aliorum Patrum, qui in coma, ſiue capillis ſuperfluas hominis opes intelligunt, quæ tunc pedibus Chriſti deſeruiunt, vt Magdalenæ crines, cum Chriſti pauperibus ſubueniunt. Denique de Topazio aliud valde ſingulare tradidit S. Ambroſius loco citato: *Natura,* inquit, *Topazij huiuſmodi eſt, vt ſi polire, & læuigare eum velis, aſperetur magis, cum ipſe ſit ſuapte natura Euglyphus.* Id eſt, optimæ formæ, ac ſi eſſet bene ſcalptus. Ex Ambroſio videtur id ſumſiſſe Berchorius, qui in ethologia huius lapidis, ait: *Si politior, obſcuratur, ſi natura ſua relinquitur, clarior eſt.* Id quoque non minus, quam ſuperiora, miſericordiæ quadrat, quæ ſuapte natura Euglypha eſt, atque adeo, ſi nimio curioſitatis ſtudio, quo de neceſſitate egenorum inquiras, eum polire, & læuigare velis, potius ipſam obſcurabis & aſperiorem reddes. Quamobrem Chryſoſtomus ait: *Si indiſſerenter omnibus dederimus, ſemper miſerebimur; ſi autem diſcutere cœperimus, nunquam*

S. Ambroſ. loco citato — S. Chryſoſt. ſerm 9 in Matth.

Digitized by Google

[S. Hieron. Epiſt. 10.] *quam miſericordiam præſtabimus.* Et explicatius S. Hieronymus ait *ſiue ille ſacerdos, ſiue cognatus ſit, & affinis, nihil in illo aliud conſideres, niſi paupertatem. Sine diſcretione omnibus indigentibus ſimpliciter tribuamus, non quærentes cui, ſed quare demus.* Qui ſic eleemoſynam colit, topazium non polit, ſed intactum curioſitati clariorem relinquit.

[Theodoret. Cant. 5.] Sextus ſcalæ cœleſtis gradus ſapphirus eſt, id eſt, cordis puritas, ſiue munditia. Theodoretus ad illa verba Canticorum, *diſtinctus ſapphiris* ſic habet: *Solus hic lapis cœli ſpecimen, & ſimilitudinem obtinet.* Hæc autem cum cœlo ſimilitudo in duobus cõſiſtit, ſcilicet, in cœruleo colore ſereni, cœli ſimilitudinem referente, & in punctis, ſiue guttis aureis, quibus tanquam ſtellis collucet, vt docent cum Plinio omnes antiqui ſcriptores. Ob hanc pulcherrimi cœli ſimilitudinẽ, pulcherrimus, etiam hic lapis iudicatur. Vnde S. [S. Hieron. de nominib. Hebr.] Hieronym. ait: *Sapphir Hebræo, Syroque ſermone pulchra dicitur.* Præterea S. Greg. Nyſſenus, [S. Gregor. Nyſſen. orat 14 in Cant.] cum cœruleo ſapphiri colori virtutem attribuit, vt viſum reficiat, ac recreet, ſic inquit: *Natura comparatũ eſt, vt ſplendor iſte cœruleus oculos reficiat, & oblectet.* Deinde, ſapphirus maximam apud antiquos æſtimationẽ & authoritatem habuit, quod putaretur gemma propria Principum, Regum, ſacerdotum, & Diis ipſis pergrata: id tradit Abulenſis [Abulenſ in Exod. 24.] inquiens: *Apud Gentilium Deos in magna fuit ſapphirus reuerentia, quod ſine eo reſponſa nõ dabantur.* Conſentit Rueus, qui de hac gẽma ſic habet: *Sapphirus adeo Diis gratus fuiſſe dicitur vt tunc eis iucundum, & acceptum eſſet ſacrificiũ, quãdo offerebatur in ſapphiro. Atque Philoſophorum etiam fuiſſe mentem hanc gemmam inter cæteras Regibus ac Pontificibus conuenire.* Hinc ortum videtur, quod nunc dicitur eſſe in vſu, vt cuilibet ex purpuratis patribus in Cardinalitiam dignitatem aſſumptis ſummus Pontifex ſapphirum mittat: atq; ex eo conſtet vſitatus ab Epiſcopis annulus. Quas ob cauſas nõ mirũ eſt, ſapphirum olim gemmã gemmarum appellari ſolitam, id eſt, inter gemmas excellentiſſimam, vt refert [Abulenſ. in c. 28. Exod.] Abulenſis. Ex his intelligere licet rectè à Chromatio munditiam cordis cum ſapphiro cõponi: nam cor hominis mundũ eſt, quia dum in cœlo conuerſatur, cœli colorem, & munditiã aſciſcit. [S. Auguſt. ſerm 50. de Temp.] Vnde S. Aug. ait: *Leua cor in cœlo, ne ſordeſcat, & putreſcat in terra.* Hæc ſordium locus eſt, cœlum vero munditiæ ſedes, vt pote à labe lutulentæ fæcis remotiſſimum. Qui ergo per conuerſationem iuſtæ vitæ in cœlo commoratur, inſtar ſapphiri cœli colorem, & munditiam æmulatur. Quinimo, vt idem Auguſtinus ait: [Idem ſer. 44.] *Cor iuſtorum cœlum eſt.* Puritate nimirum, & cœleſti colore virtutis. Cor certè mundum virtutibus micans, cœlum eſt ſtellis collucens. Sicut igitur ſapphirus, tametſi in terra naſcatur, tamen plus habet cognationis cũ cœlo, cuius faciem reddit: ita cor hominis iuſti magis à cœlo pendet, vnde ducit originem, quam à terra, in qua viuit. Iam illud, quod de ſapphiro dixit Nyſſenus, in mundo corde multo melius inuenitur, nempe quod oculos reficiat, & oblectet. Nam vt ſanguis, quo dæfæcatior, & purior eſt, eo cor maiori lętitia perfundit: ita vita, quanto eſt mundior, tanto eſt in gignendo gaudio præſtantior. Denique vt ſapphirum, ita etiam mundiſſimam vitam ad Reges, & Pontifices, ac ſacerdotes omnes ſpectare, pronum eſt in Patribus inuenire.

R. P. Ioan. Euſebij Nierembergij.

Septimus ſcalæ cœleſtis gradus eſt hyacinthus id eſt, pacificatio. Hyacinthus cœrulei, & fere ſapphirini coloris eſt: nã licet vulgo hyacinthus appelletur ea gemma flaui, ſiue aurei coloris, quę quotidie adminiſtratur in ea confectione medica, quę hyacinthorum appellatur; hæc tamen nõ eſt verus hyacinthus à priſcis cognitus & magnis laudibus commendatus, ſed huius defectu ſubſtituitur à pharmacopolis, vt conqueritur Matthiolus inquiens: [Matthiolus l b 5 Dioſcor. c. 114.] *ideo huius potionis effectus non ſunt mirabiles quia pharmacopolæ pro antiquo hyacintho (qui ametyſtũ colore ipſo deberet quadam ex parte referre) vulgarem ſubſtituunt hyacinthum, qui aureo colore eſt.* De vero quidem hyacintho egregias virtutes prædicant authores. Solinus hæc ſcribit. *Hic eſt, qui ſentit auras, & cũ cœlo facit mutationem, nec æqualiter rutilat, cum aut nubiloſus eſt, aut ſerenus dies.* Id confirmat S. Iſidorus, aliique multi. Hæc igitur gemma triſti & nebuloſo cœlo, triſtitiam pariter, & mœrorem oſtendit, & quodãmodo extinguitur. Deinde S. Iſidorus de Hyacintho ait: *In os miſſus magis friget.* Itaque oris calore videtur magis refrigeſcere. Præterea Albertus Magnus inquit: *Hyacinthi virtus eſt contra toxicum, & contra peſtiferas regiones.* Quod confirmat Rueus inquiens: *Virtutes cordis tuetur à populatim ſæuiente peſte, ideoque ſuſpendi collo è regione cordis.* Abulenſis [Abuſ. in c. 28. exod.] prædictis addit: *Inclinat ad pietatem & pacem.* Denique Albertus Magnus concludit: *Totũ reddit peregrinum, & gratum hoſpitibus.* Quæ omnia, ſi attente animum aduertas optime quadrãt pacificanti linguæ. Nam Abulenſis quidem expreſſe affirmat, hyacinthum, inclinare ad pacem. Præterea verum hyacinthum cœleſtis eſſe coloris vt antiqui authores tradunt, ſignificat, pacificam, ſeu pacificantem linguam, atque mentem cœleſtis eſſe conditionis. Id quod S. Bonauent. docet, & probat his verbis: *Pax eſt cœli linguagium, cuius ſignum eſt triplex, quia Chriſtus illud idioma, loquebatur, qui venit de cœlo. Dixit enim Apoſtolis: pax vobis, poſt reſurrectionem, quando erat immortalis,* [S. Bonauent. in dieta ſalutis tit 7. c. 6.] [Ioan 20.] *Tale linguagium etiam loqui ſũt Angeli, qui ſunt cœli ciues: dixerunt enim in ortu Chriſti gloria in excelſis Deo, & in terra pax. Tale etiam idioma loquebantur Diſcipuli, quia dictum erat eis à Chriſto. In quamcumque domum intraueritis, dicite: pax huic domui.* [Luc. 10.] Deinde, ſicut hyacinthus temporis mutationes ſubit, vt ſerenus cum ſerena, nubiloſus cum obſcura die fit: ita pacificator ad ingenia eorum quos ad concordiam vocat, accommodare ſe debet, & vt hyacinthus in os miſſus magis friget: ita pacificatoris lingua non debet ardere iracundia, ſed frigere patientia: nam *lingua mollis confringit duritiam.* [Prou. 15.] Atque vt hyacinthi virtus viget aduerſus toxicum, & peſtem: *Ita lingua placabilis lignum vitæ.* [Prouerb.]

Vltimus ſcalæ cœleſtis gradus eſt adamas, id eſt, perſecutionis tolerantia. Nil aptius componi poteſt cum patientia in perſecutione, quã adamas: veræ enim patientiæ de perſecutoribus triumphanti eximie quadrat quod Plin. de adamante tradit his verbis: [Plin. lib. 37 c. 4.] *Incudibus hi deprehenduntur ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrinq; diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens.* Res duas violentiſſimæ naturæ, ferrum ſcilicet, atque ignem adamas contemnit. Huiuſmodi debet eſſe patientia eorum, qui perſecutionem propter iuſti-

tiam ſufferunt. Inuictos merito adamantes dixeris innumeros martyres qui mirabili certamine ferrum, atque ignem contempſerunt. Sed ne iuſto longius procedat hoc caput & tractatus gradum ſiſtamus.

CAPVT XIX.

Examinandum an Beatitudines Chriſti habeamus ex Simeone Iuniore oratione 21.

CLaudat hunc tractatum ſalutaris commentatio Simeonis Iunioris cognomēto Theologi, qui Præpoſitus fuit monaſterij ſanctiſſimi Martyris Mamantis ad Xilocercum. Hic ſpiritualiſſimus Doctor inter alia ſalutaria monita piam orationem ſcripſit, cuius argumentum eſt: *Videndum, ecquid Beatitudines, de quibus locutus eſt Chriſtus, in nobis habeamus; eas enim eſſe indicium ſignaculi, & proprietates characteris eius. Qui ſigno Chriſti ſignatus non eſt, nec characterem illius in ſe fert, hunc in regnum cœlorum introire neutiquā poſſe.* Quā orationem integre hic appēdere operæ pretiū cenſeo. Sic illic eloquitur.

Quicumque ſigno Domini ac Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſignati non ſumus, curtamus, vt ſignemur. Quicumque inſigniti non ſumus, nota ſpiritus inſigniri properemus. (Hebr. 12.) Mors enim in animas primitiuorum per ſanguinem Chriſti, & gratiam ſanctiſſimi ſpiritus non dominatur: neclupus qui mente percipitur, ſigillum Principis paſtorum Chriſti, quo oues ſuas ſignare conſueuit contra intueri audet, itaque fratres fideles diuinarumque rerum cupidi feſtinemus, agentes & molientes omnia, quæ Chriſto ſunt placita vt ab ipſo quoque ſignati, de cætero ſine metu viuamus: quin etiam vt de manu eius miſericordiam accipiamus, & digni habeamur, qui myſterium Chriſti cognoſcamus. Cognitionem autem intelligo, non quæ verbo dumtaxat, & auditione traditur; ſed quæ in ipſo opere & actione elucet. Audi igitur quemadmodum cognitio myſteriorum Dei per opus & actionem in nobis perſpiciatur. Chriſtus Deus noſter per Euāngelium ſuum quotidiè apertè (Matth 5.) clamat; *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hoc quoties audimus conſiderare, & nos ipſos diligenter excutere debemus, num re vera pauperes iſtiuſmodi ſimus, vt (Lucæ 17.) etiam noſtrum ſit regnum cœlorum; adeo vt nos id tuto poſſidere animo ſentiamus; itaque eius tenere diuitias, vt citra dubitationem nos in eo etiam eſſe experiamur, & illius bonis, atque delitiis oblectemur. Intra nos enim illud eſſe ipſe Dominus pronuntiauit, quibus id intra nos eſſe demonſtretur, hæc ſunt. Nihil eorum quæ oculis ſubiiciuntur, & pereunt concupiſcere, res inquam & oblectamenta huius vitæ, non opes, nō gloriam non delicias, non vllam denique aliam vitæ præſentis, aut corporis voluptatem: ſed ita ſe his omnibus abſtinere, & ſic iudicio, ac volūtate ab illis abhorrere, vt poteſtate & honore regio precellentes ab his, qui lupanaria obeunt, abhorrent: & quantum qui puta, & munda veſtimenta induti, & ſuaue olētibus vnguentis perliti ſunt graue olentiā ac lutum auerſantur. Qui enim ad vnum aliquod nominatorum ſeſe conuertit, regnum illud cœlorum neque vidit, neque olfecit, neque iucunditatem, & dulcedinem eius deguſtauit. Deinde, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Videamus nunc iterum, & in noſmet inquiramus, num huncce luctum in nobis habeamus, & quæ nam ſit iſta conſolatio, quæ luctus huius comes dicitur. Primū quidem pauperes ſpiritu beatos affirmauit, vt pote quorum ſit regnum cœlorum. Pauperes autem, vt docuimus, hiſce præſentibus planè non capiuntur, neque animum ita cum iis copulant, atque coniūgunt, vt vel modica delectatione deliniatur. Quo igitur pacto, & quam ob cauſam lugebit, qui totum mundum deteſtatus eſt, & corde tam longe ab eo abeſt, quam corpore illi appropinquat: qui nullo rerū aſpectabilium amore tenetur, quid eſt, obſecro cur ſe triſtitiæ, lætitiæve dedat? Et quomodo lugebit, ſolatiiſque mulcebitur, qui regnū cœlorum habet, & in eo lætatur aſſiduè. Attendite mentes, rogo iis, quæ dicā, & quæſiti rationem cum eius ſolutione accipietis. Homo fidelis qui ad mandata Dei exhaurienda ſedulo ſemper incumbit, cum omnia ſeruarit, & ad faſtigium horum, ideſt, ad inculpatam vitam, & puritatem ingreſſus fuerit, tūc modulo ſuo ſe metiens, imbecillum inueniet, quique ad celſitatem illam mandatorum pertingere non poſſit: ſed & pauperem imprimis, ſiue indignum ad ſuſcipiendū Deum, ad gratias & laudes eidem tribuendas, vt qui nunquam proprium, ac ſuum aliquod bonū poſſederit. Hæc qui propter ſe cum animi ſenſu reputat, omnino lugebit luctu verè beatiſſimo, qui & conſolatione promiſſa leuatur, & animam mitem efficit: eſt ſiquidem pignus regni cœlorum ex luctu progeneratum ſolatium. (Hebr. 11.) *Fides* nāque ſecundum Apoſtolum, *eſt rerum ſperandarū ſubſtantia.* (Matth. 13.) Conſolatio porrò, quam in animis lugentibus illuſtratio ſpiritus conciliat, aduentus Dei eſt præmiū certaminis humilitatem eis donans, quæ & ſemen, & talentum vocatur. Aucta quippe & multiplicata in ipſis certantium animabus, partim triceſimum, partim ſexageſimū, partim centeſimum Deo fructum fert, fructum ſanctum Chariſmatum, ac donorum ſpiritus vbi enim non fucate, ſed verè humilis, ac demiſſus animus, ibi etiam humilitatis fundū. Et vbi humilitas, ibi illuminatio ſpiritus vbi, ſpiritus illuminatio, ibi diuini luminis copia, & Deus in ſapientia in cognitione myſteriorū eius. Vbi vero hæc, ibi regnū cœlorū, & regni cognitio, & abſcōditi theſauri ſcientiæ Dei, in quibus ſpiritus pateſcit. Vbi autē paupertatis ſpiritualis, ſpiritualis notitia, ibi quoque luctus gaudio mixtus, ibi etiā iugiter manantes lachrymæ, quæ animam hanc amantē purgent, ac prorſus lucidiſſimā reddant. Per hæc igitur anima ſurſum reſpiciens, & Dominum ſuum cognoſcens reliquas virtutes ſtudioſè progignere ſibi, & Chriſto ordiri. Nec immerito. Irrigata enim continenter, & pinguēſcens lachrymis, & iram in ſe penitus extinguēs mitis, totaque ad iraſcendum immobilis efficitur. Concupiſcit autem & appetit, eſuriens ſimul & ſitiens diſcere iuſtificationes Dei. In his vero & miſericors, & alienis incōmodis dolens fit: quo ex his omnibus cordis eius puritas perficiatur, & ipſa Deum videat, eiuſq; gloriā ſecūdū promiſſionem clarè intueatur. Qui hūc in modum animas ſuas compararunt, pacifici ſunt in veritate, & filij altiſſimi nominantur, qui & pie Patrem, Dominumque ſuum agnoſcunt, & ex tota anima illum diligunt, quamuis laborem videlicet,

Digitized by Google

delicet,& quamuis afflictionem eius cauſa ſuſti-
nentes,iniuriis vexari,contumeliis appetiti,an-
guſtiati ob iuſtum eius mandatum, quod & no-
bis ſeruandum præcipit, exprobrationes,perſe-
cutiones, & omne verbum malum, falſo contra
ſe dictum propter nomen eius tolerantet ſuffe-
rentes, exultantes, quoniam digni ſunt habiti,
qui pro eius amore ignominia ab hominibus
Act. 5. afficerentur. Animaduertiſtis fratres, ſignaculi
Chriſti expreſſam effigiem? Agnouiſtis,fideles,
proprietates characteris eius?vnum profecto ſi-
gnaculum illuminatio ſpiritus eſt, & ſi multæ
ſunt formæ operationum illuminationis huius,
multaque virtutum eius indicia; quorum pri-
mum,& magis neceſſarium, & tanquam princi-
Iſai. 66. pium,ac fundamentum eſt,humilitas. *Ad quem
enim reſpiciam* (inquit) *niſi ſuper humilem &
quietum,& trementem ſermones meos.*

Alter luctus eſt lachrymarum fons,de quibus
cum copioſè velim diſſerere, verbis ad ſenſa ex-
plicanda deſtituor. Res mira & quam lingua
non poteſt effari. Per oculos fluere ſentiuntur &
ex anima cœnum peccatorum elicere intelligũ-
tur: & in terram cadentes, Dæmones vrunt, ac
proſternunt, animamque è vinculis peccati in-
aſpectabilibus eximunt. O lachrymæ ex diuina
illuminatione ſcaturientes, cœlum ipſum reſe-
rantes,& diuina mihi ſolaria parientes: Iterum
quippe & ſæpius eadem præ ſuauitate & deſi-
deriis dico. Vbi lachrymarum copia fratres cum
cognitione vera,ibi etiam diuini luminis ſplen-
dor, vbi luminis huius ſplendor, ibi bona ſup-
peditant omnia,& ſignaculum ſancti ſpiritus im-
plantatur in corde, vnde & omnes vitæ fructus
exoriũtur. Hinc Chriſti mãſuetudo producitur,
pax,eleemoſyna, compaſſio,benignitas,bonitas,
fides,cõtinentia.Hinc monet inimicos,diligere,
& pro illis orare, gaudere in tentationibus,glo-
riari in tribulationibus, alienos lapſus ducere
ſuos, & deflere tanquam proprios, animam pro
Lucæ 1. fratribus prompte ad mortem offerre. Audite
igitur obſecro, Chriſtiani fratres, & reſipiſcite,
& videte, num lumen in cordibus veſtris illu-
Iſai 9. xerit; num magnum illud lumen cognitionis
aſpexeritis: num viſitauerit vos oriens ex alto
illuceſcens vobis in tenebris, & in vmbra mor-
tis ſedentibus. Deus enim cum nullius egeat,
ſitque bonorum plenus, nihil à nobis præter
ſalutem noſtram requirit; qua aliter potiri fas
non eſt, niſi mens noſtra diuina virtute immu-
tetur, vt ſit enthea, ideſt, numine afflata,à Deo
acta,ſiue omni perturbatione carens & ſancta.
Mens enim Enthea eſt, quæ Deum in ſe habet.
Talis autem à ſemetipſa fieri haud poteſt. Iam
qui Deo per fidem coniunctus eſt;perque man-
datorum obſeruationem illum nouit, eum quo-
que per contemplationem cernere omnino di-
gnus eſt. Per fidem ſiquidem certam Chriſtus
in eo habitat,& mens enthea fit. Seruatur porro
enthea ex eo, quod res ad Chriſtum pertinen-
tes ſemper exercet,& legibus eius attendit. Inde
fit vt etiam mandata eius cuſtodiat, quemadmo-
dum ex eo, quod mentem diuinitus afflatam
habet, efficitur, vt mandata Chriſti & cogitet,
& exſequatur: ſingula enim & cohibent com-
plectunturque,quod proximum eſt, & cohiben-
tur ab ipſo,continenturque & continent. Con-
tendamus itaque Dei præceptis faceſſendis(per
quod diuinum lumen amplius apparere, & am-
plificari conſtituit) diuinum ignem in nobis
abundantius alere. Vt enim apud nos ignis ſub
ſenſum cadens in ligno conſpicitur,& ſcintillu-
la,ſi materiam comprehenderit, magnam facem
incendit,appoſitoque nutrimento flammam in-
gentem ſuſcitat:ſic ſe habet ignis ille ſpiritualis
in his quę ſoli intelligentiæ patent.Quod igitur
lignum eſt igni corporato, hoc anima rationis
compos habens mandata igni diuinitatis. Non
enim ſecundum ſe ipſam diuinitas perſpicitur,ſi
in id,quod eſt rationis,& conſilij particeps, non
inciderit.Sicut autem ſe habet ignis hic noſter
in his,ad quæ ſenſus pertingit;ita ignis intelli-
gibilis in his,quæ ad intelligentiam ſpectant.Et
quomodo ignis ſenſibilis nõ videtur,niſi in ma-
teria fuerit excitatus; ita neque intelligibilis in
intelligibilibus; niſi in materia ſacrorum man-
datorum,quaſi in lignis extiterit. *Qui diligit me* Ioan. 14.
(inquit Dominus) *mandata mea ſeruabit & ego
diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Ignis
quem ſemper percipimus, antequam emicet,la-
tet in ſenſibilibus, & abditum eſt diuinum lu-
men priuſquã eluceat,in his, quæ intelligentiæ
ſunt. Ignis principium non cõprehenditur, eſt-
que occultũ in ſenſibilibus:& intellectualis ignis
principium eſt occultum in rebus ad intelligen-
tiam ſpectantibus. Verum ſenſibilis ignis ſenſi-
bilibus ſubſtantia ſimilis eſt;intelligibilis autem
ignis intelligibilibus ſubſtantia diſſimilis eſt,
quia opifex cum opificio ſuo idem non eſt,mul-
to igitur ignis intelligibilis in ipſis intelligibili-
bus occultior & arcanus magis, quam ſenſibilis
in ſenſibilibus.

Perinde inſpiciamus fratres,ſubtiliterque no-
ſmet perſcrutemur, & pernoſcamus animos no-
ſtros,num in nobis Chriſti ſignaculum ſit. Di-
ſcamus,an in nobis ſit Chriſtus ex indiciis & ſi-
gnis quæ protulimus. Quod ſi Chriſtum, aut
eius ſignaculum, necdum accepimus, dictaque
ſigna in nobis ipſis haud agnoſcimus:quin con-
tra potius mundus fallax in nobis viuit, noſque
in ipſo infælices viuimus temporalia magni
ducentes,& in tribulationes incidimus, & pro-
pter ignominias,ac detrimenta cruciamur hono-
ribus, è diuerſo diuitiis deliciis gaudemus &
exultamus:prô damnum,prô ignorantiam, cæci-
tatem, prô miſeriam, ſtuporemque noſtrum, à
quibus ſubacti in terram proculcamur. Sane mi-
ſerabiles, longeque infeliciſſimi, atque ab ipſa
æterna vita,& à regno cœlorum extranei ſumus,
non amplius in nobis ipſis Chriſtum poſſiden-
tes,ſed mundum in nobiſmetipſis viuentem ha-
bentes,vt pote in ipſo viuentes,& terrena ſapiẽ-
tes.Qui ita eſt animatus inimicus Dei apertus eſt.
Nam affectio erga mũdum inimica eſt Deo,iuxta
illud Apoſtoli: *Non diligatis mundum,neque ea,* 1. Ioan. 2.
quæ in mundo ſunt. Quia nemo poteſt Deo ſerui-
re,& ſecũdum hominem viuere. Vere nihil me-
lius fratres,in mundo,quam nihil habere mundi,
neque vltra ea,quæ corpori neceſſaria ſunt,deſi-
derare quidquam. Neceſſitas autem iſta, ſi ratio-
nem audiamus,eſt panis & aqua, veſtimentum,
& tegumentum ſecũdum diuinum Apoſtolum: 1. Timot. 6.
Habentes victum,& veſtitum,his contenti erimus.
Quod ſi re aliqua inſuper egebimus, ipſe pro
certo præbebit nobis,credentibus, & ſperãtibus,
qui maiora largitus eſt, *& implet omne animal be-* Pſal 14.
nedictione,modò cætera omnia huius fluxę,& ca-
ducę vitę relinquamus;puta vanã gloriã,inuidiã,

contentionem mutuam, dolum, murmurationem, rixas, mendacium, periurium, iniuſtitiam, auaritiam, contumeliam, calumniam, maledictum, concertationem, obtrectationem, criminationem, ſuperbiam, hominum odium, improbitatem, cœteraque vniuerſa quæ Diabolus genus humanum docuit. Propter hæc enim non diligere mundum, 1. Ioan. 4. nec ea, quæ in mundo ſunt, iuſſi ſumus. Non vt creaturas ſine vllo diſcrimine odio perſequamur: ſed vt malorum occaſiones præcidamus. Propter hæc itaque mundum, & omnia à Deo auertentia, & ad periculum animæ deducentia fugiamus cenſeo. Etenim quis gloriæ, & honoris humani auidus, extremum, viliſſimumque omnium ſe vnquam reputabit, & humilis ſpiritu, aut corde contritus fiet, aut lugere vnquam, omnino poterit. Quis item amans diuitias, pecuniarumque & poſſeſſionum cupiditate peſſundatus, ad aliis tribuẽdum miſericors, & aliena mala dolens, & non potius omni fera immitior, atque crudelior inuenietur? Quis vanæ gloriæ mancipium, & arrogantia obſeſſus aliquando ab inuidentia, & obtrectatione diſcedet? Qui autem ad corporis etiam voluptates perfruendas ſeſe demiſerit, & in cœno libidinum volutatur quando tandem mundus corde euadet? aut quando & quomodo Deum fabricatorem ſuum videbit.

Iam pacificus, quo pacto futurus eſt, qui ſeipſum alienauit à Deo, nec dicentem audit: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante, reconciliamini Deo.* 2. Cor. 5. Quiſquis enim per mandatorum violationem cum Deo bellum gerit, etiam ſi omnes inter ſe pacificauerit, Dei hoſtis eſt: ſiquidem nec vt ipſi, inter quos pacem conciliat, Deo placeant, id facit. Nam cum ipſe primus ſit inimicus ſui, ac Dei, inimici Dei fiunt etiam hi, qui per tales pacem amplectuntur. Prorſus enim qui aduerſus quempiam hoſtilem gerit animum, quæ hoſti videntur & placent, cœtera ex animo ſuadere & docere eos facere, quæ ille vult, neſcit, vt pote alia via, & illius voluntati contraria incedens. Itaque dilecti fratres, oderimus mundum, & ea quæ in mundo ſunt. Quid namque nobis cum mundo, & cum iis qui in mundo viuunt hominibus? Deſideremus contra medullitus, quæ Deus amplecti nos iubet paupertatem ſpiritus, quam diuinus ſermo humilitatem nominat: luctum perpetuum die ac nocte, ex quo tanquam è fonte gaudium animæ & conſolatio Deum diligentibus in horas profluit. Ex hoc omnibus in veritate certantibus manſuetudo etiam feliciter procedit, iuſtitiam eſurientibus ac ſitientibus ſemperque regnum Dei, quod omnem humanum ſenſum exſuperat, quærentibus. Neque hoc tantum, ſed & quempiam miſericordem fieri & mundo corde, plenum pacis & pacificum, contraque tentationes animoſum ac virilem hinc eſt, ex quotidiano luctu videlicet. Hinc item peccatorum odium in nobis naſcitur. Hinc diuinus in anima zelus accenditur, qui nullo modo eam quieſcere, aut cum improbis ad improbitatem declinare patitur: ſed eam virilitate, ac virtute implet, quo in rebus aduerſis vſque ad finem perſeueret. Curramus, perſequamur, donec quippiam è ſtantibus ac minimè fluentibus comprehendamus. Præſentia cuncta pereunt, & vt ſomnia prætereunt, nihilque inter ea quæ oculis aſpicimus, firmum eſt, ac ſtabile. Sol, aſtra, cœlum & terra omnia tranſeunt; ſolus ex omnibus homo manet. Quid ergo ex aſpectabilibus vniuerſis prodeſſe nobis poterit, cum moriendi neceſſitas aduenerit: Cum hinc ad illam illius ſæculi requiem abibimus, & fugacia iſta poſt nos relinquemus? Quod ſi hæc viſibilia nondum tranſibunt, quid lucri inde nobis ex hoc ſæculo morte digreſſis, & hîc exanimi relicto corpore? Ex quo enim anima corpus ſuum deſeruerit, ne videre amplius poteſt per id, nec videri ab alio: ſed exinde ſolis inuiſibilibus afficitur, nulluſque ei harum quæ apud nos ſunt rerum ſenſus, aut cura ſuperat, cum illic duplicem vitam, & geminum certamen habeat, aut regni cœleſtis & æternæ gloriæ, aut gehennæ, ac pœnæ ignis. Alterum quippe horum ad hæreditatem ſempiternam pro meritis à Deo recipit. Quocirca ob hæc fallaciam huius vitæ, & quæ putatur, eius lætitiam fugiamus, & ad ſolum Chriſtum animarum ſaluatorem accurramus quæſo. Hunc inuenire ſtudeamus, qui vbique præſens adeſt & inuentũ teneamus, proſtratique pedibus eius, eos feruide Rom. 6. amplectamur. Eia obſecro ſtudeamus dum ſuperſumus ipſum videre & contemplari. Si enim digni habebimur, qui eum hîc ſenſu vrgenti videamus, non moriemur, mors noſtri non dominabitur. Ne expectemus, vt in futuro eum videamus: ſed nunc eum videre annitamur, cum & Ioannes Theologus ita dicat: 1. Ioan. 4. *Scimus autem quoniam Deum habemus in cordibus noſtris, ex Spiritu, quem ab ipſo accepimus.* Quicumque igitur fidem in ipſum ex operibus infractam, ac ſtabilem oſtendiſtis, quæ à nobis à principio dicta ſunt accuratè, beneque diiudicantes, cauete, ne, dum putatis vos Chriſtum in vobiſmet habere, non animaduertatis vos nihil habere, vacuiſque manibus, è vita ſubducamini, & audiatis (quod Deus auertat) vocem illam horribilem, tollite quod ſeruus nequam videtur habere, & date plus habenti. Tunc in omnem æternitatem plorabitis, & lugebitis, & triſtabimini.

DE

Digitized by Google

DE CHARITATE CHRISTIANA.

LIBER VNICVS.

DICTVRVS de charitate pauca poſſum, parua non poſſum, vix in ea laudanda poteſt ſeruari methodus, vt à minoribus ad maiora fiat laudum proceſſus. In ea parua non ſunt, & quod mireris nec magna, cum omnia maxima ſint, nec proinde minori auſpicabor excellentia tantæ elogium virtutis, quam pronuntians eam eſſe omnium plenitudinem virtutum.

CAPVT PRIMVM.

Charitas omnium virtutum perfectio & plenitudo eſt.

CVM de perfecta charitate, & amore inimicorum Chriſtus egit, perfectos tunc nos eſſe iubet, dicens, *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; quia nimirum in charitate perfectio virtutum ac plenitudo conſiſtit. Ad quod intelligendum ex depicta poſſumus imagine argumentum ſumere. Nam in pictura tres ſunt partes, ſiue gradus, in lineamentis imago, in coloribus ſimilitudo, in illuminatione vtriuſque perfectio: ita etiam cum homo ſpiritualiter pingitur conformis Deo, per gratiam habitualem imago eſt, per virtutes ſimilitudo, per charitatem autem fit vtriuſque illuminatio, & abſoluta perfectio. S. Diadoch. de Perfect. ſpirit. c. 89. Quæ omnia complexus eſt ſanctus Diadochus Epiſcopus Photicenſis: nam de ratione imaginis, & ſimilitudinis, qua homo per gratiam, & virtutis Deo conformatur, ſic ait: *Vt pictores primum quidem vno colore figuram hominis depingunt; poſtea vero colorem colori paulatim imponentes, ſpeciem ſimilis picturæ vſque ad capillum ſaluam retinent: ſic gratia Dei primo quidem quod erat ad imaginem Dei factum, in eum ſtatum, qui erat cum factus eſt homo, per baptiſmum concinnat, & aptat; cum autem videt nos toto animo pulchritudinem ſimilitudinis concupiſcere, ſtareque in ſua officina nudos, ac nullius rei admiratione captos, tunc virtutem virtuti addens, inſtar florum, ſpeciemque animæ à claritate in claritatem transferens, formam ſimilitudinis Dei ei adhibet.* Ecce quomodo gratia in baptiſmo recepta, Dei imaginem in anima quaſi vno colore depingit, vt per eam homo vere Dei imago dicatur: at per virtutes, tanquam per florida pigmenta, eadem Dei imago quaſi variis coloribus diſtinguitur, & illuſtratur, vt homo per eas quotidie Deo ſimilior euadat. Hæc autem Dei ſimilitudo, quæ multiplici virtutum colore efficitur, charitatis illuminatione perficitur. Quod idem S. Diadochus ita ſubiungit: *Perfectionem vero ſimilitudinis ex illuminatione cognoſcemus; ſpiritualem enim charitatem nemo comparare poteſt niſi ab Spiritu ſancto pleniſſime illuminetur. Vt ergo in depictis tabulis, ſic in his, quos diuina gratia ad ſimilitudinem Dei depingit, illuminatio charitatis addita declarat, eum, qui ad imaginem Dei factus eſt, eſſe ex omni parte ſimilitudine Dei decoratum.* Charitas ergo diuina ſua illuminatione virtutes omnes perficit, & omnibus numeris abſolutas reddit.

Pulchra quidem eſt imago caſtitatis, ſed perfecta non erit niſi irradiata lumine charitatis. Proue docemur illis verbis Sapientiæ: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sap. 4. Aliqui legunt *cum charitate.* Ita Bleſenſis, & ſanctus Bernardus, qui inde probat abſque charitatis lumine caſtitatem Deo non placere, ſed eſſe lampadem ſine oleo. Bleſenſ. epiſt. 36. S. Bernard. epiſt. 42. Eodem ergo recidit vtraque lectio: nam caſtitatis imago pulchra eſt, ſi ſit abſoluta charitate, id eſt, charitatis illuminatione. Idem de omnibus virtutibus intelligendum eſt.

Verum, quia charitatis illuminatio virtutum omnium perfectionem complet, merito plenitudo earum dicitur. Idcirco lex antiqua, quamuis multis virtutum coloribus formata, vacua tamen appellatur à Paulo, quia charitatis illuminatio nondum erat completa. Ad Galat. 4. Quod S. Cyrillus Alexandrinus eadem ſimilitudine, qua vſus eſt S. Diadochus, ſic exponit: S. Cyrill. in dialog. de adorat. in ſpirit. ad Pallad. *Quia in tabulis, & picturis artificium ſuum oſtentant, non ſtatim quando pingere incipiunt, abſolutam, & ex omni parte perfectam ſpeciem pingendo exprimunt, ſed adumbrant prius & coloribus obſcurioribus effigiant; deinde vero congruis coloribus illuſtrant.* Similiter Deus legem antiquam multis virtutum coloribus magis ac magis ornauit, & tamen vacua dicitur à Paulo, quia nondum Chriſtus eam perfecerat illuminatione charitatis, quæ legis eſt plenitudo, iuxta illud eiuſdem Pauli: *Plenitudo legis eſt charitas.* Ad Rom. 13. Quem locum explicans ſanctus Auguſtinus ait:

Digitized by Google

S. Auguſt. lib 17. contra Fauſt. cap. 6. *Plenitudo legis eſt charitas.* Quem locum explicans ſanctus Auguſtinus, ait: *Plenitudo legis charitas, vt ait Apoſtolus. Iſtam charitatem Dominus exhibere, & donare dignatus eſt, mittendo fidelibus ſuis Spiritum ſanctum: lex enim per Moyſem data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Igitur lex cum impleta eſt gratia & veritas facta eſt: gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad Prophetarum impletionem, & quia vtrumque per Chriſtum ideo non venit ſoluere, ſed adimplere.* Chriſtus ergo legem adimpleuit, quam charitatis plenitudine illius præcepta, quæ ad diuerſas virtutes ſpectabant, abſolutè perfecit.

Similiter fidei, & ſpei plenitudo, id eſt, perfectio eſt charitas. De fide Apoſtolus ait: Ad Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Vbi ſanctus Thomas ſic exponit: *Fides plena eſt, cum eſt formata per charitatem, iuxta illud* Rom. 5. *plenitudo legis eſt dilectio.* De ſpe etiam idem Paulus oſtendit, cum ait: *Spes autem non confundit.* Rom. 5. Cur ita? *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Et alibi dicit: Hebr. 10. *Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Quid ergo ex hac charitatis commendatione colligit? *Nolite ergo amittere confidentiam veſtram.* Theologalium ergo virtutum plenitudo, atque perfectio charitas eſt. Hug. Victor. in ſpecul. Eccleſiæ c. 2. Vnde Hugo Victorinus dixit: *Anima verum Dei templum eſt, vbi fides fundamentum facit, ſpes erigit, charitas conſummat.*

Cæterum, ita charitas virtutum omnium perfectio eſt, vt illa amiſſa, illæ non ſolum inornatæ maneant, ſed breui ſordeſcent. Quod ſatis indicatur, cum dicit Propheta: Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Quæ verba optimè explicat ſanctus Paſchaſius S. Paſchaſ. lib 4 in lament. inquiens: *Quoniam croceus color ſæpe in Scripturis Sacris claritatem deſignat ſanctæ dilectionis, & ideo cum charitas amittitur, reliquæ virtutes ſtercora amplexantur; quia de bono Dei & proximi odore dilectionis mox tranſeunt in fœtorem prauitatis.*

Caput II.

Perfectio hominis charitas eſt.

Accedit ad dicta ipſius hominis perfectionem eſſe charitatem: quoniam ille quidem perfectus vir dici poteſt, qui vera charitate præditus eſt, quod ſatis argutè colligit S. Auguſtinus ex illis verbis: S. Auguſt. in Pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam.* Sic enim ille ait: *Barba non intelligitur niſi in perfectis: non ergo habitant in vnum, niſi in quibus perfecta fuerit charitas Chriſtiana.* Quaſi dicat vnguentum ſacerdotale, quod charitatis ſymbolum eſt, deſcendens ad barbam, quæ perfectæ ætatis index eſt, charitatem in perfectis eſſe, & perfectos efficere oſtendit. Vir ergo perfectus eſt, qui ſacro charitatis vnguento delibutus oſtenditur. Hanc ob cauſam in coniugio ad virum ſpectat ſimpliciter diligere; ad vxorem vero diligère cum timore: Epheſ. 5. quod ſatis obſeruauit S. Hieronymus, inquiens: S. Hieron. lib 2 in c. 7. Mich. *Vxor, vt eſt ad Epheſios, timeat virum. Vxoris eſt timere, & cum timore virum diligere; viri tantum diligere, quia dilectio perfectorum eſt. Viri, ait ibidem Paulus, diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.*

Ob eandem charitatis perfectionem, per coronam etiam ſymbolice ipſa ſignificatur charitas. Nam vt Athenæus ex ſententia Ariſtotelis Athenæus lib. 15. cap. tradit: res vndique perfecta, & omnibus numeris abſoluta per coronam denotatur, tum quod ſit regium inſigne, tum ob figuram circularem omnium perfectiſſimam. Quamobrem vt charitas perfectiſſima, imo ipſa perfectio prædicetur, ſignificata fuit in corona ſpinea, qua Chriſtus paſſionis tempore inſignitus fuit. Quapropter Theodoretus explicans illa verba: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, &c.* S. Theodor. in c. 3. Cant. Sic ait: *Egredimini & videte charitatis eius diadema quo decorauit eum præter ſententiam ſuam Iudæa, quæ illum genuit, & coronauit in die deſponſationis illius; tunc enim nuptiarum communio facta eſt.* In die ergo deſponſationis, atque nuptiarum, quando præcipua amoris oſtentatio, ac demonſtratio fit, charitas in diademate, ſiue corona oſtenditur, vt ſupremus eius locus, & ſumma perfectio commendetur.

Præterea Paulus vt oſtendat charitatem omnes perfectionis numeros comprehēdere, omnes ei magnitudinis dimenſiones aſſignat. Idcirco de charitate Chriſti agens dixit: Ad Eph. 3. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.* Quod in noſtra etiam charitate inueniri oſtendit S. Greg. has enim charitatis dimenſiones explicans de latitudine ait: S. Gregor. hom. 6. in Ezech. *Lata quippe eſt charitas, quia & inimicorum dilectionem capit.* Eiuſdem longitudinem ſic exponit; *quia fraterna mala charitas longanimiter portat.* Satis hæc virtus longa eſt, quæ ſine termino longanimis eſt. Sublimitatem ad præmium charitatis ſic refert: *Sublimitas autem eſt æternorum, illa remuneratio præmiorum, de cuius immenſitate dicitur quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.* 1. Cor. 2. Dilectionis quippe Dei præmium tam immenſæ ſublimitatis eſt, vt non ſolum ſenſus, ſed nec intellectus quidem poſſit vlla cogitatione ad tantam altitudinem euolare. Per profundum intelligit Gregorius æterna profundi inferni ſupplicia, à quibus immunes ſunt, qui charitate præditi ſunt. Docet autem elegantiſſimè S. Auguſt. S. Auguſt. epiſt. 120. Chriſtum, qui pro charitate mortuus eſt, id mortis genus elegiſſe, vt ipſa corporis figura præfatas charitatis dimenſiones indicaret. *Non fruſtra,* inquit, *Dominus tale genus mortis elegit, niſi vt in eo quoque nobis latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magiſter exiſteret.* Vt nimirum Chriſtiana charitas eam habeat cum Chriſto crucifixo ſymmetriam, vt ſublimis ſit in amore Dei, lata in amore inimicorum; longa in longanimi inimicorum perſequentium tolerantia; profunda in miſeriarum proximi compaſſione: Qua charitate perfecti erimus, ſicut & Pater noſter Chriſtus in cruce perfectus fuit; non æqualitate, ſed ſimilitudine. Sublimitatem charitatis nactus erat ille, qui dicebat: *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorũ, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Pſal. 17. Bene qui ceruum imitatur, ſuper excelſa ſtatuitur: nam vt eſt in Pſalmo: *Montes excelſi ceruis.* Vbi S. Auguſt. ait: Pſal. 103. *Cerui magni ſpirituales perfecti. Teneant montes*

altos,

Digitized by Google

altos, alta præcepta Dei, ſublimia cogitent, teneant ea, quæ multum eminent in ſcripturis, iuſtificentur in ſummis, cerui enim ſunt illi montes altiſſimi. Præterea in profundum ſe extendit, & deſcendit charitas, cum infimos quoſque adiuuat. De quo idem Auguſt. ait: *Charitas ad alios ſe inclinat, cum alios erigit, aliis blanda, aliis ſerua.* At hoc profundum eſſe ſublimitatis initium, docet S. Gregor. inquiens: *Tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & quæ benignè deſcendit ad infima, valenter incurrit ad ſumma.* Deinde charitas latitudinem habet, quia non ſolum ad amorem inimicorum, vt ſupra dicebamus, ſed ad omnia prorſus mandata extenditur. Quod idem S. Gregor. ſic docet: *Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur, quæ à duobus præceptis incipit, ſed ſe ad innumera extendit.*

S. Auguſt. de Cathechiz. rud.

S. Gregor. in Paſt p. 2.

Idem lib. 10. mor cap. 7.

Capvt III.

Omnium virtutum perfectiones charitas continet.

Et quidem non immerito in charitate hominis perfectio conſiſtit, quandoquidem in ipſa ſola omnium virtutum perfectiones, & bona contineantur. Vna enim cum ſit charitas cunctas virtutes complectitur, vt ipſa omnis virtus ſit. Id quidem non parum commendauit S. Bonauent. dicens: *Sicut enim Deus eſt vnum ſimplex & perfectum bonum, in quo eſt omne bonum perfectè, & cui nullum bonum deeſt: ita charitas eſt vna virtus in ſe habens omnes virtutes.* Sicut ergo Deus ſimplex bonum cum ſit, cuncta creaturarum bona, & perfectiones in ſe continet: ita charitas omnes virtutes in ſe vna complectitur. Hinc fit, vt qui præceptum charitatis ſeruat, omnia legis, id eſt, cæterarum virtutum præcepta impleat. Quod Paulus ſic pronuntiat: *Qui diligit proximum legem impleuit.* Id autem ita explanat: *nam non adulterabis, non occides, &c. in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum ſicut teipſum* illud verbum *inſtauratur.* Chryſoſtom. ſic exponit: *Summatim comprehenditur.* In charitate enim omnes virtutes, & conſentaneè in charitatis præcepto omnia virtutum præcepta, tanquam in ſumma continentur. Sicut enim multa rationum nomina, quæ in codice accepti, & expenſi lætiſſimè explicata ſunt, in breuiſſima ſumma comprehenduntur: ita omnium virtutum præcepta, quæ in ſacra legis ac Prophetarum pagina diffusè habentur in vna charitate, ſiue in duobus charitatis mandatis ſummatim includuntur. Ideo dixit Chriſtus Dominus: *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet.* Obſeruat autem S. Auguſtin. hæc duo mandata. Ita eſſe inter ſe connexa, vt frequenter vnum in ſcriptura dicantur. *Cum autem ſint*, inquit, *duo præcepta, in quibus pendet lex & Prophetæ, dilectio Dei & proximi, non immeritò ſcriptura plerumque pro vtroque vnum ponit, ſiue dilectionem Dei, ſicut eſt illud: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; ſiue dilectionem proximi, ſicut eſt illud: omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Sed hoc ideo, quia qui proximum diligit, conſequens eſt etiam, vt Deum diligat: ex vna enim, eademque charitate Deum proximumque diligimus; ſed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Hinc illud Gregorij: *Omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia vnum præceptum ſunt; quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur.* Duo ergo præcepta charitatis vnum ſunt mandatum; quia duo etiam eiuſdem charitatis actus, amor videlicet Dei, & proximi, vna quoque dicitur dilectio, in qua omnes virtutes ſummatim includuntur.

S. Bonauent. in 6 proceſſu Religionis cap. 10.

Rom. 13.

Matth. 22.

S. Auguſt. lib. 8. de Trin. c. 7.

Hom. 17. in Euang.

Quod quidem myſtice adumbratum eſt in Exodo, vbi Deus Moyſi mandauit: *Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo.* Vbi Beda optime philoſophatur dicens: *Catena ex auro puriſſimo eſt continuatio caſta, & non ficta dilectionis: rationali, id eſt, cordi firmiter affixa.* Duæ autem ſunt, quia duplex eſt amor, Dei videlicet, & proximi. Rectè autem charitas per catenulas aureas ſignificatur; quia ſicut catenula ex pluribus auri virgulis contexitur: ita charitas ex multifaria virtutum operatione perficitur. Quas virgulas Apoſtolus enumerat, cum ait: *Charitas patiens eſt benigna eſt, non æmulatur, &c.* Sicut ergo duæ catenulæ ita ſibi inuicem cohærebant, vt vna efficeretur: ſic amor Dei, & proximi adeo inter ſe connectuntur, vt vna dicatur dilectio. Et ſicut catenula ex multis auri virgulis contexitur: ita vna charitas ex omnibus virtutibus quaſi coagmentatur. Præterea, ſicut catenula nihil eſt aliud, quam ordinata, quædam virgularum diſpoſitio: ita charitas dicenda eſt apta amoris ex virtutibus omnibus ordinatio. Id S. Auguſt. ita definit: *Mihi videtur, quod definitio breuis, & vera virtutis, ordo eſt amoris.* Quem ordinem idem Auguſtinus explicuit, inquiens: *In dilectione virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum eſt. Id eligere prudentia eſt: nullis inde auerti moleſtiis, fortitudo eſt: nullis illecebris, temperantia eſt: nulla ſuperbia, iuſtitia eſt. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, niſi id quo nihil melius inuenimus?* Eundem charitatis ordinem luculentius tradit Seraphicus Doctor his verbis: *Charitas ergo cum ſe extendit ad diligendum Deum, dilectio Dei dicitur; cum ad proximum, dicitur dilectio proximi; cum eius miſeria compatitur, miſericordia appellatur; cum eius bono congaudet, congratulatio vocatur; cum æquanimiter aduerſa tolerat, patientia dicitur; cum benefacit ſe odientibus, benignitas nuncupatur; cum non extollitur inaniter ſupra ſe, humilitas eſt; cum obtemperat ſuperioribus, vt iuſtum eſt, obedientia eſt; cum execratur turpia, caſtitas eſt; cum reſecat ſuperflua corporalis neceſſitatis, ſobrietas eſt; cum diuitias abiicit, paupertas eſt, cum ad pauperes eas liberaliter effundit, largitas eſt; cum tædio expectationis promiſſorum non frangitur, longanimitas eſt, cum inter bonum & melius, & inter malum, & peius diſcernit prudentia eſt; cum ius ſuum vnicuique tribuit, iuſtitia eſt; cum delectationibus non emollitur, temperantia eſt; cum duris non terretur, fortitudo eſt; cum credit credenda, fides eſt; cum ſperat ſperanda, ſpes eſt.* Meritò ergo virtus ordo amoris definitur, cum amor ad diuerſa ordinatus multiformem contineat virtutem, omneſque virtutes ordinata quadam ratione in amore charitatis includantur.

Exod. 28.

1. Cor. 13.

S. Auguſt. lib. 15. de Ciuit c. 22.

In epiſt. ad Macedon.

S. Bonau. ſupra citatus.

Cum autem charitas omnes virtutes in ſe contineat

Idem ſupra citatur. contineat, conſequens eſt, vt earum omnium actiones ipſa foueat. Quod S. Bonauent. ita docuit: *Sic aliqua nobilis, & efficax medicina; diuerſos curationum effectus operatur, vel virtutem confert varia operandi: vt vni acuat viſum, alteri clarificet vocem; alij auditum reſeret, alij guſtum temperet, in alio aliud, & aliud operetur.* Igitur cum homo ex primi peccati peſte, & corpore, & animo ſit æger: nam in perſona peccatoris Regius vates ait: *Sana animam meam quia peccaui tibi*, ac deinde de corpore, *non eſt ſanitas in carne mea.* Cum inquam totus homo multiplici morbo laboret, pro ſingulis morbis ſingulæ virtutes aptiſſimæ ſunt medicinæ. Nam fides oculis mẽtis medetur; ſpes labaſcentes cordis vires fulcit; caſtitas vitia carnis caſtigat, & ſanat; humilitas vitia capitis emendat; patientia dolorem animi ſopit, corporis cruciatum lenit, & vtriuſque moleſtias leuat; fortitudo magnis terroribus remedio eſt; temperantia voluptatis errores corrigit; iuſtitia præpoſterum pecuniæ amorem pellit; omnia denique animi vitia virtutibus penſantur. At charitas omnium virtutum complexa vires, omnium functiones exercet, dum ſola omnibus animi morbis medicatur. Quod egregius animarum medicus docuit, cum
1. Cor. 13. dixit: *Charitas patiens eſt, benigna, &c.* Has virtutum omnium actiones luculenter & eleganter
S. Auguſt. lib. de laudibus charitatis. adſcribit charitati S. Auguſt. inquiens: *Hæc in aduerſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis eſt, in bonis operibus hilaris eſt, in temporalibus tutiſſima, in hoſpitalitate latiſſima, inter bonos fratres lætiſſima, inter falſos ſapientiſſima. In Abel per ſacrificium lata, in Noe per diluuium ſecura, in Abraha peregrinatione fideliſſima, in Moyſe inter iniurias leniſſima, in Dauid tribulationibus mitiſſima, in tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat, caſta in Suſanna ſuper virum in Anna poſt virum, in Maria præter virum, libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Chriſtianis ad confitendum, diuina in Chriſto ad ignoſcendum.*

Capvt IV.

Virtutes omnes charitas conſtringit in corde, ne pereant.

ALia charitatis gloria eſt virtutum omnium colligatio, quandoquidem hominis perfectio in virtutum omnium coniunctione conſiſtit, virtutes autem coniungi in corde nõ poſſunt niſi per charitatem, quæ eas in corde conſtringit & ligat, ne ſolutæ, ac diſſipatæ pereant
Ad Coloſ. 3. id apertè ſignificauit Paulus, qui ad Coloſſenſes cum ad plures virtutes eos eſſet hortatus ſic adiungit: *Super autem omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Quam vinculi rationem varijs collationibus elucidant Doctores, Chryſoſt. ad hunc locum, ex vinculo nauium ſic exponit: *Illa virtutes peribunt niſi cum charitate coniunctæ fuerint, iſta conſtringit, & complectitur omnia. Quod cum bonum dixeris niſi adſit charitas, nihil eſt, ſed planè diffluit. Et quemadmodum in naui, etiamſi magna ſint inſtrumenta*, niſi fuerint ſubligacula nihil proderunt: ita quæcumque quis habuerit rectè facta inania erunt omnia, niſi *ſit charitas*. Ex virtutibus quidem nauis ædificatur, qua mundi huius mare ſulcantes, in cœleſtis patriæ portum ingredimur, cuius nauis prora eſt fides, puppis ſpes, latera, & inſtrumenta morales virtutes, quæ omnes pereunt, niſi charitatis vinculo compactæ teneantur.

In eandem ſententiam explicat S. Gregor. illud Iob: *Quis concluſit oſtijs mare? Circumdedi* Iob 38.
illud terminis meis, atque poſui vectem, & oſtia, & dixi: huc vſque venies & non procedes amplius. Cuius loci allegoriam S. Doctor ſic enucleat; *Quid enim moraliter per oſtia niſi virtutes? Quid per vectem, niſi robur charitatis accipimus? Hæc itaque oſtia mare ſæuiens, id eſt, ſæculum diſſipat, niſi ea oppoſita charitas aſtringat. Vnde Paulus dum quædam virtutum oſtia mari tentationis opponeret, illico iiſdem oſtijs quaſi robur vectis adiunxit, dicens: Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis. Perfectionis vinculum charitas dicitur, quia omne bonum, quod agitur, nimirum per illam, ne pereat, ligatur. A tentatione namque citius quodlibet opus euellitur, ſi ſolutum à vinculo charitatis inuenitur.*

Præterea cum charitas aurum dicatur, merito eius vinculum quo virtutes religentur, aureum appellabitur. Id intelligere poſſumus ex Exodo,
vbi Deus dixit Moyſi: *Sumeque duos lapides* Exod. 28.
onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: Sex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, & incluſos auro, &c. Vnde Beda ſignificationem auri, in quo lapides includuntur, optimè excogitauit, & aperuit his verbis: *Aptè lapides includi auro, atque circumdari iubentur: auro namque charitas inſinuatur; quia ſicut aurum metallis, ita charitas præſtat virtutibus cæteris. Includuntur vero lapides pretioſi, & circumdantur auro, cum virtutes ita vinculo charitatis continentur, vt nulla rerum mutabilitate à ſtatu ſuo decidere valeãt.* Optimè quidem, nam tam validis ſæpe tentationibus virtutes percelluntur, vt niſi aureo charitatis vinculo ligentur, facile prolabantur. Vnde
bene Gregor. ita concludit: *Virtutes quidem cætera perfectionem generant; ſed tamen eas charitas etiam ligat, vt ab amantis mente diſſolui iam nequeant.* Lapides quidem ſanctuarij ſunt omnes virtutes, ſed niſi auro charitatis quaſi conſtricti teneantur, facile per ſordida loca diſperguntur. S. Gregor. epiſt. 52. ex Regiſt. lib. 4. indict. 3.
Quod ſæpe contingere in Eccleſia planxit Hieremias cum dixit: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Per* Thren. 4.
aurum charitas, per lapides ſanctuarij virtutes intelliguntur recto autem ordine, poſt obſcuratum aurum, & mutatum eius colorem optimum, lapides diſperguntur. Quia vt S. Paſchaſius ad hunc locum annotat: iure lapides ſanctuarij Dei, reliqua ſcilicet virtutes animæ in capite diſperguntur omnium platearum, quoniam charitate amiſſa, virtus nulla in anima ſolidatur: imo omnes affectiones ſuas ad lata viarum itinera, & ſpatioſa concupiſcentiarum conamina in capite tranſponit platearum. Neceſſarium ergo eſt aurum charitatis vt virtutes omnes conſtringat, ne diſpergantur. Quod adumbratum etiam eſt in illa Zona aurea qua præcinctus erat Chriſtus ad mamillas, Apoc. 1.
qua effigie Eccleſia admonetur, vt ipſa quoque

Digitized by Google

exemplo ſui ſponſi ſeſe charitate quaſi aurea Zona arctiſſimè præcingat, eoque cingulo omnium virtutum indumenta, ne fluant, diſſoluanturque arctè conſtringat: idcirco charitas Zona dicitur, quia reliquas omnes virtutes, aſtringit, & continet.

CAPVT V.

Omnes virtutes neceſſariæ ſunt, vt ſeruent charitatem.

IN idem pene recidunt quæ modo dicturi ſumus, omnes nimirum neceſſarias eſſe virtutes in charitatis obſequium vt eam conſeruent. Perfectus enim eſſe debet, qui charitatem incolumem ſit ſeruaturus: at perfectus, & integer virtute non eſt, qui virtutes omnes coniunctas non habet: proinde cum Dominus ad perfectionem nos vocat, vt præfatam charitatem ſeruemus, omnes virtutes coniungendas docet, vt Deum, & proximum vere diligere poſſimus. Eſt enim charitas vitalis calor, qua vita animæ ſuſtentatur, vt autem vitalis corporis calor, veſtibus, quæ totum corpus tegant, conſeruatur: ita calor animæ, id eſt, charitas, integro virtutum omnium amictu cuſtoditur. Id indicauit Iob, cum dixit: *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſtimento.* Quod S. Gregor. ſic exponit: *Veſtimento vtique cum veſtimur ex omni parte circumdamur. Ille ergo iuſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit.* Quia vero integro hoc iuſtitiæ veſtimento charitatis calor ſeruatur, continuo à S. Iobo ſubiungitur: *Oculus fui cæco, & pes claudo, Pater eram pauperum, &c.* Dicturus de charitate, quam erga pauperes, & miſeros exhibebat, indutum ſe vndique omni virtute præmittit, quia nequaquam charitatis calor in anima perſeuerabit, niſi virtutum veſtimento foueatur. Quod annotauit Gregor. inquiens: *Penſandus narrandi ordo, vt ante iuſtitia, & poſt miſericordiæ opera deſcribantur. Scriptum namque eſt: diliges proximũ tuum, ſicut teipſum. Quomodo ergo alteri miſerendo pius eſt, qui adhuc iniuſtè viuendo ſit impius ſibimetipſi?* Quaſi diceret nequaquam proximorum miſeriæ concoqui poterunt calore charitatis, niſi hunc foueant, & conſeruent veſtimenta virtutis.

Iob cap. 29. S. Gregor. lib. 19. mor. cap. 16. — S. Gregor. ſup. cap. 10.

Præterea ad conſeruandam charitatem virtutes omnes neceſſariæ ſunt, quæ ad diligendum Deum & proximum, ita ſunt deſtinatæ, vt S. Auguſt. ſcripſerit: *Virtus nihil aliud eſt, quàm diligere, quod diligendum eſt. Id eligere prudentia eſt: nullis inde auerti moleſtiis fortitudo eſt: nullis illecebris temperantia eſt, nulla ſuperbia iuſtitia eſt.* Ad dilectionem igitur Dei, & proximi neceſſaria eſt prudentia, qua eligatur; fortitudo, qua à moleſtiis defendatur, temperantia, qua contra voluptates muniatur; iuſtitia, qua aduerſus ſuperbiam propugnetur. Hac quadriga ad Deum ſuper omnia diligendum vehimur. Vnde Hildebertus Archiepiſc. Turonenſ. intelligens amorem Dei in quadriga illa ignea, qua raptus eſt Elias, ſic adiungit: *Theſbites Elias ad illum currum igneum, quo euectus eſt in cælum, non veniret, niſi prius hunc virtutum currum aſcenderet.* Prius ergo quam in quadriga ſuccenſi amoris raperetur, in quadriga virtutum vehebatur.

S. Auguſt. ad Maced. — S. Hildebert. epiſt. 31.

Eleganter quoque S. Hieronym. has quatuor Cardinales virtutes ad ſeruandam charitatem neceſſarias eſſe indicauit, cum dixit: *Habeto prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem. His cœli plagis includere.* Nam vt vita corporis ſub quatuor temperatis cœli plagis fouetur iuxta Philoſophos antiquos; extra illas vero, vel nimio frigore, vel nimio calore corrumpitur: ita vita animæ, quæ charitas eſt, ſub quatuor virtutum plagis ſeruatur, extra illas vero, vel nimio frigore aduerſitatis, vel nimio calore proſperitatis perit.

S. Hieron. in epiſt. ad Nepot.

Ad hæc charitas cor eſt noui hominis; quia ex ea ipſius hominis vita procedit, ideoque virtutum omnium præſidio debet cuſtodiri iuxta illud: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Quæ verba expendens S. Gregor. ait: *Dicturus cuſtodia, præmiſit omni, vt videlicet vnuſquiſque hinc inde ſe diligenter inſpiciat, & quandiu in hac vita eſt, contra ſpirituales inimicos in acie ſe poſitum ſciat, ne hinc hoſti fores obſtruat & aliunde aditum pandat.* Id explicatius tradit S. Bernardus dicens: *Cuſtodiendum magis animæ caſtrum, quoniam ex ipſo vita procedit: Sed caſtrum iſtud in terra inimicorum ſitum vndique impugnatur, & idcirco omni cuſtodia, id eſt, inferius, ſuperius, ante & retro, à dextris, & à ſiniſtris muniendum eſt.* Inferius impugnatur carnis illecebra; ſed defenditur arctiori diſciplina. Superius oppugnatur præſumptione miſericordiæ: at defenditur timore iuſtitiæ. Ante inuaditur memoria demulcentis voluptatis; ſed ſeruatur recordatione æterni cruciatus. Retro impetitur ſubdola diaboli tentatione; ſed cuſtoditur vigilanti circumſpectione. A dextris inceſſitur proſperitate; at munitur mundi contemptu. A ſiniſtris percellitur aduerſitate, ſed defenditur mortis memoria.

Prou. 4. — S. Gregor. lib. 19. mor. cap. 17. — S. Bernard. ſerm. 46. inter paruos.

CAPVT VI.

Charitas eſt Regina virtutum.

CVm Chriſtus Dominus ad perfectam charitatem vſque ad dilectionem inimicorum, nos vocat, ad perfectionem, qua cœleſti Regi ſimiles ſimus, pariter nos inuitat: quia Regina virtutum eſt charitas, per quam cœleſtis Regis perfectionem æmulamur. Inde autem primum conſtat charitatem Reginæ nomen mereri quia Regias gazas poſſidet. Quapropter S. Chryſoſt. dixit: *Sicut Regia opulentia, quæ bona ſunt inter ſubditos diſpertita, cuncta poſſidet, & multo quam illi perfectiora, palatia, veſtes, equos, currus, aurũ, pretioſos lapides, & huiuſmodi quamplurima: ita charitas virtutum omnium diuitias complectitur.* Quo etiam ſpectauit quod dixit alio in loco: *Sicut in Regali prætexta, illi flores, & colores pretioſi ſunt, qui hanc conficiunt Chlamydem: itidem & hic illa ſunt pretioſa virtutes, quæ charitatem contineant.* Virtutum ergo Regina eſt charitas, quarũ cunctas diuitias ipſa poſſidet. Quod Paulus apertè monſtrat cum ait: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Ecce charitas virtutum omniũ bona poſſidet. Quod ſi patientia pauper ſit, nec poſſit, niſi facilia quædam ſuſtinere, charitas tamen, vtpote Regina, cunctas patientiæ opes

S. Chryſoſt. in cap. 4. ad Gal. hom. 4. — Hom. 51. de diuerſis. — 1. Cor. 13.

Digitized by Google

opes complectitur: nam omnia ſuſtinet, omnia ſuffert. Ex quo debet intelligi, quam diues ille ſit, qui charitatem habeat: Nam vt bene S. Laurentius Iuſtinian. *Quemadmodum* (inquit) *in rebus temporalibus ille creditur locupletior, qui plura poſſidet: ſic in ſpiritualibus, qui plus charitatis habet, ille ditior comprobatur.* Conſonat idiota, ſapientiſſimus vir inquiens: *Amorem animæ theſaurus nullus ſuperat: neſcit enim homo pretium eius; quia omne aurum in comparatione amoris, arena eſt exigua. Sine amore diues pauper eſt, ac cum illo pauper diues eſt.* Diues vere eſt, qui charitatem poſſidet, quæ virtutum omnium diuitias ipſa poſſidet.

S. Laur. Iuſt. in ligno vitæ cap 4.

Idiota de contemp. amoris diuini §. 13.

Præterea charitas Regina appellatur à Regio vate cum ait: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Aptè in hunc ſenſum interpretatur Gerſon: *Charitas*, inquit, *hæc Regina eſt, quæ à dextris Chriſti conſidet, cum fides ſtet à ſiniſtris.* Eundem ſenſum amplectitur Richardus Victorinus; ſuffragaturque tranſlatio multorum vertentium, *aſtitit lex a dextris tuis, &c.* Lex ſcilicet ignea charitatis, quæ circumdata varietate deſcribitur, quia diuerſitate virtutum ſibi, vt Reginæ obſequentiū, ſtipatur. Veſtitus autem deauratus ad Regium charitatis ornamentum ſpectat, quod multo pretioſius eſt illo, de quo Plinius ſcripſit: *Aurum ſuper omnia netur, ac texitur, lana modo, & ſine lana. Agrippina Claudij uxor induta eſt paludamento auro textili, ſine vlla altera materia.*

Pſal. 44. Gerſ. ſerm. 4. In Pſal. 44. Plin. lib. 33. cap. 3.

Præterea, charitas Regina virtutum dicitur, quia animum ampliſſimum, ac regium habet. Quem petebat Dauid, cùm Deo dicebat: *Spiritu principali confirma me.* Vbi Auguſt. ait: *Spiritu ſancto, qui amor eſt.* Nam cum amor ſiue charitas per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris, ſpiritu principali, ſiue regio homo confirmatur, & perficitur. Vnde S. Cyprian. illud Pauli, *Charitas patiens eſt: legit ipſe charitas magnanima eſt.* Quoniam magnanimos efficit: Imo & Reges, filios, ſcilicet, æterni Regis, iuxta illud Ioannis: *Omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* Ex quo S. Cyprianus luculenter oſtendit, charitatē homines Dei filios conſtituere. Quamobrem mirum non eſt, ſi is, qui hunc principalem, ac regium ſpiritum habet, omnes cordis affectus ſuæ ditioni ſubiiciat. Nam vere Bernardus dixit: *Vbi venerit, cæteros in ſe omnes traducit, & captiuat effectus.* Hanc regiam charitatis excellentiam obſeruauit Hugo Card. in illis verbis: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatē*, vbi ſic ait: *Ordinauit in me charitatē, id eſt in toto cetu virtutū, eam quaſi Reginam, & Imperatricē conſtituit. Charitas enim omnis operationis meritoriæ princeps eſt, & imperatrix, & etiam forma. Cætera enim virtutes per ſolam charitatem meritum habent & gratiā apud Deum.* Ordinauit ergo Deus in ſponſa charitatem, cùm in ordine virtutum primum locum, & ſummum principatum dedit charitati.

Pſal 50. S. Cyprian. lib. de zelo & liuore. 1. Ioan. 4. lib. de Pat. S. Bernard. ſerm. 33. in Cant. Cant. 2.

CAPVT VII.

Quo pacto ſit charitas vexillum Chriſtianæ Reipublicæ.

CVm tanta ſit charitatis virtus, tantopere illam commendauit Dominus in ſermone montis, ibi illam in ſublimi quidem tanquam Chriſtiani populi vexillum in Eccleſia erexit, quæ id ſatis cognoſcens dixit: *Ordinauit in me charitatem.* Plures interpretes notant verbum *ordinauit* militare eſſe, & ad inſtituendas, & ordinandas acies ſpectare. Quamuis enim ſit vox *Dagal* Hebraice quæ propriè ſignificat vexillum erigere. Vulgatus tamen vſurpauit vocem *ordinauit*, quia ad continendas in ordine cohortes vexilla inſtituta ſunt, vt mox conſtabit. Quamobrem aliqui hoc loco vertunt, *poſuit in me vexillum amoris.* Vel vt alij: *Vexillum eius ſuper me charitas.* Chriſtus ergo ad ordinandas populi Chriſtiani cohortes vexillum amoris in Eccleſia erexit. Quapropter ex mundani vexilli vſibus haud difficile erit varias charitatis prærogatiuas colligere.

Cant. 2.

Primum Vegetius ait: *Antiqui, quia ſciebant in acie commiſſo prælio, celeriter ordines, acieſque turbari, ne id poſſet accidere, cohortes in centurias diuiſerunt & ſingulis centuriis ſingula vexilla conſtituerunt; ita vt ex qua cohorte, vel quota centuria eſſet, in illo vexillo litteris eſſet adſcriptum, quod legentes vel intuentes milites in quantis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent.* Simili conſilio Chriſtus Dominus, vt ordine concordiæ milites ſuos inſtrueret, ne quis à ſuorum proximorum contubernio, ſocietateque aberret, charitatis vexillum erexit, cum dixit, *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Hoc ergo charitatis vexillum omnes Chriſti, milites aſpiciant, vt in ordinatam aciem compacti terribiles hoſtibus exiſtant, iuxta illud quod de Eccleſia dicitur, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Vbi S. Gregorius aptiſſimè ait *Notum expertis eſt, quod milites cum in procinctu contra hoſtes vadunt, ſi ſtrictim, & concorditer gradiuntur ab hoſtibus contrauenientibus timentur, quia dum in eis aditum per ſciſſuram non aſpiciunt qualiter eos penetrent, haſitantes non inueniunt, illis quæ hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati ſeipſi ſemetipſos tuentur. Dum enim de ſeipſis ſibi vallum efficiunt intrandi ad ſe aditum hoſtibus non relinquunt: & vt occidantur appetiti, ipſi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit; quæ dum contra malignos ſpiritus pugnare non deſinunt, neceſſe eſt, vt pacis charitate conſtringatur, quo ſalua ſit. Si enim pacem tenet, terribilis hoſtibus apparet. Si per diſcordiam ſcinditur, vndique ab hoſtibus leuiter penetratur. Pace ſe itaque muniat, vnitate ſe vinciat, charitate ſe vniat, vt dum in ſeipſa per ſciſſuram damnum non patitur, ducem ſuum ſemper exultans ſine confuſione ſequatur.*

Veget lib. 2. de re militari cap 13. Cant. 6.

Secundo, Titus Liuius, vbi agit de bello Romanorum cum Gallis, affirmat morem fuiſſe Romanorum, quandoque in medias hoſtium acies, vexilla propria proiicere vt milites maiori furore accenſi pro recuperando vexillo acerrimè dimicarent. Similiter Chriſtus charitatis vexillū inter inimicorum copias coniectum voluit, vt pro ſeruanda charitate Chriſtiani milites ad cœleſtem patriam triumphos clariores reportarent. Vexillum quidem Chriſtus inter hoſtes proiecit, cum hoſtes amari præcepit dicens: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.*

Lib. 34.

Tertio Vegetius affirmat morem fuiſſe Romanorum, vt militibus integrum ſtipendium nun-

Veget. lib 2. de re milit. cap. 20.

quam

Digitized by Google

quam ſoluerent; ſed eius dimidiam partem vexillo alligatam aſſeruarent, quo militibus exploratum eſſet, ſe tunc pro ſtipendio ſuo certare, cum vexillum defenderent. Similiter Chriſtus Chriſtiani militis ſtipendium vexillo charitatis alligauit. Vnde ait: *Verumtamen diligite inimicos veſtros benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa.*

Luc. 6.

Quartò, vexillum, in ſublime erectum eſt, vt omnes illud & conſpiciant, & ſequantur. Ita charitas ſuper omnes virtutes ſublata eſt, vt eam ſemper inſpiciamus, & ſectemur. Vnde Apoſtolus ait: *Sectamini charitatem, & ambulate, in dilectione.*

1. Cor. 14. Ad Eph. 5.

Quintò, vexillum in arce ſublatum ſignificat eius eſſe arcem, cuius eſt vexillum, quare tunc ab hoſte arx expugnata cenſetur, cum ſuum in ea vexillum ſuſtulerit. Ita charitas certiſſimum ſignum eſt animã non ab hoſtibus, ſed à Chriſto poſſideri. Vnde illud Ioannis: *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem.* Tunc charitas vexillum in arce erectum eſt, cum in hominis facie Chriſtiana pax & concordia elucet, vt non tantum in corde lateat charitas ſed etiam oculis & verbis conſpicuè ore proferatur. Pugnant enim in animo contrarij affectus; qui autem vincit in facie tanquam in arce vexillum ſuum collocat. Quapropter Philo Iudæus ſcripſit: *Affectus varij in animo pugnant, ex his autem qui victoriam adeptus eſt, vexillum in facie tanquam in arce eleuat, triſtitia, & inuidia pallidum, ira luteum, verecundia purpureum, lætitia candore, ac purpura dilutum, &c.* Cæterum vbi charitas pugnat, ſemper vincit, ſemper in arce hominis, vexillum erigit. Vnde Regius vates, ſic omnes monet. *Ponite corda veſtra in virtute eius.* Vbi S. Aug. ait: *Ipſa charitas eſt virtus, quam nemo vincit, huius ignem nulli fluctus ſaculi, nulla flumina tentationis extingunt, &c.*

Ioan. 13.

Philo: Iud. lib. de Abrahamo.

Pſal. 7.

Capvt VIII.

Charitas pretioſiſſima reddit noſtra opera bona.

Maxima quidem charitatis dignitas eſt digna facere noſtra opera; quandoquidem ea bona opera in conſpectu Dei pretiũ habent, quæ à charitatis valore commendantur. Sunt quidẽ bona opera ſacrificia, quæ Deo offerimus, quæ tamen ſacrificia pretio carent apud Deum niſi charitate pingueſcant. Quod iam ab initio naſcentis mundi in ſacrificio Abel fuit adumbratum, de quo dicitur, quod *obtulit adipem cum primogenitis.* Nam S. Ambr. interprete, per primogenita bona opera, per adipem charitas intelligitur, ſine qua illa ſunt arida, inania, & diuino ſacrificio inepta. Huius rei bene doctus Dauid, ita animo ſuo proponebat: *Holocauſta medullata offeram tibi.* Vbi S. Aug. ſic ait: *Quid eſt medullata? intus teneam charitatem tuam; non erit in ſuperficie, in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil eſt enim interius medullis noſtris. Interiora oſſa ſunt carne, medulla interiores ſunt ipſis oſſibus. Quiſquis ergo in ſuperficie colit Deum, magis placere vult hominibus; aliud autem intus ſentiens, non offert holocauſtum medullatum; cuius autem medullam inſpicit, ipſum totum accipit.* Si medullam charitatis habet ſacrificium operis, nihil ex eo reſpuit Deus, ſed totum accipit: at ſi ea medulla caret, tanquam inane, nulliuſque valoris reiicit. Opportunè accedit S. Greg. hæc ita confirmans: *Hoc ſolum Deus ſacrificium accipit,* quod ante eius oculos *in altari boni operis flamma charitatis incendit.*

Geneſ. 4. S. Ambroſ. lib. 1. de Caïn & Abel.

Pſalm. 65.

S. Gregor. hom. 35. in Euang.

Præterea quidquid in bono opere viret, id ex charitate prouenit. Vnde S. Greg. dixit: *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.* Quod priſci Sapientes ſubodorati videntur, cum ſibi perſuaſerunt, Feroniam Deam viridi luco gaudere, iuxta illud Virgilij: *Viridi gaudens Feronia luco.* Nã vt philoſophantur Ioannes Goropius, in Feronia charitas adumbratur: erat enim Dea flammarum, cuius ſacra per ignem currendo fiebant. Feroniam ergo viridi luco gaudere, ſignificat, charitatem perpetuò viridem eſſe, & cætera omnia viridia reddere; quod non cuiuis igni, ſed ſoli cœleſti, & diuino conuenit ardori.

Idem hom. 27. in Euang.

Gorop. in Her.

Ad hæc, adeò totum noſtrorum operum pretium, ac valor ex charitate manat, vt ſine ea nihil, cum ea omnia etiam minima, & viliora pretioſa ſint, atque aurea. Hoc videre poſſumus in templo Salomonio, in quo non ſolum oraculum ipſa Cherubin, & duo oſtia ad ingreſſum oraculi tecta erant auro puriſſimo: *Sed & pauimentum domus texit Salomon auro intrinſecus, & extrinſecus,* id eſt, in oraculo intrinſecus, & in templo extrinſecus. Pauimentũ, infima, & viliſſima templi pars, nempè ſolum, quod omnes ingredientes calcabant, auro texit Salomon, quo myſticè teſtatum relinqueret, ea quæ in nobis viliſſima ſunt, pretioſiſſima fieri, ſi auro charitatis operiantur. Quod ad hunc locum egregiè annotauit Beda, his verbis: *Texit ergo Salomon pauimentum domus auro, in oraculo intrinſecus, & in templo extrinſecus; quia Chriſtus peregrinantes in ſæculo ciues patriæ cœleſtis ſignaculo dilectionis æterno à mortalium vilitate ſecreuit.* Qui diuina dilectione fulgent, iam nihil vile gerunt: nam quod in eis eſt infimum, & quaſi pauimentum, pretioſiſſimo charitatis auro nitet, quo à vilitate aliorum mortalium ſecernuntur. Viliſſima ergo opera iuſtorum pretioſiſſima redduntur, ſi charitate exornantur. Id & in antiquiſſimo Dei templo, id eſt, tabernaculo mirificè ſignificatum eſt. Nam cum in Exodo præciperet Deus Moyſi, & Aaroni, vt acciperent à filiis Iſraël munera pro conſtruendo ipſo tabernaculo, ſubdit: *Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum & byſſum, & pilos caprarum.* Mirum eſt inter pretioſiſſima munera, viliſſimum donum, id eſt, pilos caprarum recenſeri; ſed profectò pili caprarum pretioſiſſimi ſunt, ſi corde charitate feruido offerantur. Audiendus hac de re Rupert. *Multò enim ab auro & argento pili caprarum in pretio differunt, & tamen ſub eodem vocabulo primitiarum poſiti ſunt. Nec dubitandum pilos caprarum interdum auro, & argento, lapidibuſque pretioſis priora fuiſſe apud cordium inſpectorem Deum.* Pretioſiſſimis quidem rebus præſtant pili caprarum, ſi eos charitas offerat, quæ cuncta pretioſa exuperat. Charitas enim arcanus ille lapis philoſophicus eſt, qui non ſolum metalla, ſed pilos caprarum, & viliſſima quæque in aurum conuertit.

3. Reg. 6.

Exod. 25.

Rupert. lib. 4. de oper. Trinit. cap. 4.

Digitized by Google

Rhodig. lib. 4. c. 2.

uertit. Sicut enim, prout Rhodig. tradit, decantata illa Iaſonis pellis velleris ſignificat librum, in quo erat ſcriptum arcanum lapidis philoſophici, qui omnia metalla in aurum verteret. Librum quoque Euangelicæ doctrinæ dixit nonnemo ſimilem, quoniam lapidem verè philoſophicum hominibus aperit, id eſt, veram dilectionem, quæ quidquid attingit, in aurum ſummi valoris vertit. Nam ſi ex dilectione inimici, vt eum tibi concilies, aliqua efficias, quæ à mundo vilia iudicentur, nil hac de re tibi curandum; cùm non Iaſon, ſed Chriſtus pellem velleris aurei, id eſt, librum Euangelij tibi offerat, in quo reconditum dilectionis Sacramentum diſcis, quo tanquam philoſophico lapide omnia in aurum vertis. Si ergo eum, qui te diligit, diligas, quam mercedem habebis, cum opus naturæ edideris? ſi verò inimici dilectionem offeras, maximum præmium accipies, cum charitatis dilectio operibus noſtris valorem conferat.

CAPVT IX.

Ex charitate Dei charitas promanat proximi.

S. Diadoch. lib. de perf. cap. 15.

CApaciſſima charitas eſt vniuerſos complectitur, & Deum & homines; quoniam ex amore Dei amor progignitur hominum, quod ſatis oſtendit S. Diadoch. ſupponens dilectionẽ Dei tale vinculum eſſe, vt non ſolùm nos Deo, ſed etiam proximo vna conſtringat. *Amicitia.* (inquit) *ſecundum carnem, quia non alligatur ſenſu ſpiritus, perfacilè parua quadam occaſione inuenta diſſoluitur. Idcircò quamuis contingat irritatio aliqua in anima; in qua Deus operatur, non ſoluitur vinculum charitatis.* Conſtituit diſcrimen inter duo vincula, quibus coniungimur proximo, ſcilicet, humanæ & diuinæ charitatis. Nam cum proximo vnimur humana charitate, ſiue amicitia, cum vinculum hoc carnis fragilis ſit, facilè parua inimicitiæ occaſione diſſoluitur: at cum homo charitate diuina proximo copulatur, cum hoc vinculũ ſit fortiſſimæ dilectionis Dei, non facilè rumpitur, quamuis anima non leui irritatione à proximo pulſetur. Et quidem dilectio Dei perfecta tam validum vinculum eſt, vt dicatur: *Fortis eſt vt mors dilectio.* Et ad Rom. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, &c.* Vbi tam validum eſſe vinculum dilectionem Dei, qua Deo coniungimur Paulus teſtatur, vt nulla vi rerum omnium creatarum diſrumpi poſſe confirmet. Adeò autem eodem vinculo cum proximo ligamur, vt ſi dilectio proximi rumpatur, ſimul Dei dilectio ſoluatur. Qui ergo per amorem ligatus eſt Deo, neceſſe eſt, vt eodem vinculo proximo colligetur. Alio etiam modo Diadoch. ibidem amorem proximi ex dilectione Dei procedere adſtruit: nam de anima, quæ Deum diligit, & inimicorum perſecutione affligitur, ſic ait: *Inflammans enim rurſus ſe ipſam calore charitatis Dei, ſtatim ad virtutem reuocatur, & cum magno gaudio charitatem proximi quærit.* Alludere videtur ad id, quod Dominus de vltimis Anti-Chriſti temporibus prædixit: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Non dicit extinguetur, ſed refrigeſcet: multorum enim iuſtorum charitas, quãuis perſecutionum & calamitatum aquis non extinguatur; quia ſcriptum eſt: *Nec flumina obruent illam.* Frigidam tamen perſecutorum odiũ efficit, vt refrigeſcat erga ipſos perſecutores; ſed ne omninò frigeat, & extinguatur per dilectionem Dei fit, eo modo, quem dicebat Diadoch. *Inflammans enim rurſum ſeipſam calore charitatis Dei, ſtatim ad virtutem reuocatur, & cum magno gaudio charitatem proximi quærit.* *Id autem hic Doctor vltimo ſic confirmat: tametſi magnã contumeliam, aut damnum acceperit; aſperitatem tamen contentionis dulcedine Dei conſumit.* Refrigeſceret charitas frigore perſecutionis, & amara redderetur erga inimicum à quo contumeliã, aut damnum acceperat; niſi amaritudo emergens dulcedine dilectionis Dei conſumeretur. Hæc ergo dilectio Dei cauſa eſt dilectionis proximi.

Cant. 8.

Rom. 8.

Math. 24.

Cant. 8.

S. Gregor. lib. 7 mor. cap. 21.

Fulcit hanc doctrinam S. Gregor. inquiens: *Per amorem Dei amor proximi gignitur: nam qui amare Deum negligit, profectò diligere proximum neſcit.* Id autem congrua confirmatione, ſic roborat: *Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, præmiſit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum, vt ſcilicet in terra pectoris noſtri prius amoris ſui radicem figeret, quatenus per ramos poſtmodum dilectio fraterna germinaret.* Nil apertius, nil illuſtrius.

S. Doroth. doctr. 6.

Aptiſſima quoque eſt ſimilitudo, qua idem confirmat S. Doroth. inquiens: *Mundus Sphæra eſt, cuius centrum Deus; lineæ vero, quæ à centro in circumferentiam ducuntur, homines ſunt. Vt ergo lineæ, quo magis iunctæ ſunt centro, magis iunctæ ſunt inter ſe; & quo magis à centro, magis inter ſe quoque diſtant. Ita homines, quo magis per amorem Deo coniunguntur, magis etiam inter ſe copulantur.* Hæc quidem connexio dilectionis proximi ex dilectione Dei, in cauſa eſt, vt ſoli Dei dilectioni æterna præmia promittantur: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Cur non dixit diligentibus Deum & proximum, cum ad præmia æterna obtinenda, etiam dilectio proximi requiratur? Quia profectò amor proximi in amore Dei tanquam in cauſa continetur? Fieri enim non poteſt, vt qui Dei amore ardet, non continuò erga proximum ad omnia charitatis officia ſit promptus: vt enim vitrum, dum in fornace accenſum eſt, ita molle eſt, ac cereum, vt facillimè leui flatu quamlibet ei formã poſſis imprimere; à fornace verò extractum, adeò friget, & induratur, & quaſi lapideſcit, vt prius illud confringas, quam formam aliquam induere facias: ita planè vſuuenit, homo enim dum in fornace diuini amoris liqueſcit, facilè recipit formas, quas proximorum neceſſitas exigit, vt omnibus ſe accommodans, omnes lucrifaciat. Vitrum diuini amoris igne liquefactum erat Paulus, qui dicebat: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifaciam.* Et alibi: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? &c.* Quippe omnium captui, atque naturæ ſe aptabat, & in morem Eliſæi Prophetæ cum mortuis pueris, id eſt, rudibus peccatoribus ita ſe incumbabat, vt ſe cum illorum paruitate metiretur.

1. Cor. 2.

1. Cor. 9.

2. Cor. 11.

4. Reg. 4.

Sic autem, ab amore Dei amor proximi manat, vt niſi Deum ex charitate diligas, proximum ex charitate diligere non queas. Nam qui amore Dei deſtitutus eſt, cum proximum diligere videtur, ſe ipſum amare conuincitur.

Exemplis

Exemplis id planum fiet. Complectitur quis brachiis ſcalam, imò capiti imponit,& humeris portat; id autem eò tantùm ſpectat, vt in ſublime aſcendat,quod vbi conſequitur,ſcalam in ſordidum locum amandat. Sic complures videas obſequiis alios complectentes, & ad ſpeciem quidem impensè eos amantes; amant quidem,ſed tantummodò, vt ſcalas, quarum adminiculo altum dignitatis locum ſcandant, quo conſecuto mira ingratitudine ſcalas deſpiciunt. Complectitur ſimiliter hedera murum ſed tantum vt ſe erigat: nam murum quidem exitiosè labefactat. Prætereà, tenes manu malum aurentium, vulgò *Naranja* laudas illud multis nominibus, tandem in cibum exprimis, & illicò proiicis. Quid ita? Non eſt,quod plus exprimatur, igitur proiiciatur: Ita multi eos, quorum opera,& auxilio libenter vſi ſunt,cum ſibi inutiles vident ſtatim contemnunt,quoniam non illos,ſed ſe ipſos amabant.

CAPVT X.

Pulchritudo populi Chriſtiani ex concordia charitatis.

EX amore proximi decor naſcitur concordiæ, qui quantus ſit ex pulcherrima mundi harmonia,perfectionéque poſſumus colligere, quæ ex partium eius connexione, atque concordia conſtat. Id docuit S.Gregor. Nazian. *Mundus*, inquit,*quandiu ſecum pacatus, & tranquillus eſt, nec quidquam aduerſus alterum inſurgit,mundus verè eſt,& appellatur: at ſimul atque pacatus & quietus eſſe deſiit, mundus quoque eſſe deſinit.* Aptè quidem, nam mundus ſine ſuarum partium concordia; nec eſt,nec appellatur mundus, ſed Chaos,de quo Poëta cecinit.

Nazianz. orat. 2.

Lucidus hic aër, & quæ tria corpora reſtant,
Ignis,aqua, & tellus vnus aceruus erant.

Ouid. 1. Faſt.

Appellat deinde rudem, indigeſtamque molem, in qua: *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.*

Prætereà ſine vnitate non appellatur mundus, qui Græcè dicitur *Coſmos*, nempè *ornatus*, id eſt,apta partium concinnitate diſpoſitus. Ad hæc mundus vniuerſum dicitur ab vnitate, vt tradit S. Auguſtinus: *Vniuerſum*,inquit,*ab vnitate nomen accepit.* Itaque nec Græcè, nec Latinè mundus hoc nomen meretur, ſi concordia deſtituatur. Hinc in Geneſi cum ſingulæ mundi partes commendentur bonæ; cuncta verò valdè bona à Deo prædicantur: *Viditque Deus cuncta,quæ fecerat,& erant valdè bona.* Vbi Lyra ait: *Licèt enim qualibet ſpecies entis bona ſit in ſe; ex vniuerſis tamen partibus vniuerſi ordinatis ad ſe inuicem, & vlterius ad Deum, ſicut ad Ducem, admirabilis pulchritudo, & bonitas conſurgit.* Mundi ergo perfectio & pulchritudo in partium concordia,& concinna vnitate conſiſtit. Ita quidem de Eccleſia dicendum, quæ iuxta propheticam promiſſionem cœlum nouum, & terra noua; munduſque nouus à Deo conditus eſt. Huius enim mundi perfectio in ſuarum partium connexione conſpicitur. Quapropter optimè S.Gregor. huius mundi partes charitate copulatas recenſens, ait: *Nam dum alius eſt ordo prædicantium, alius auditorum, alius regentium, atque alius ſubditorum, alius coniugum, alius continentium, alius pœnitentium, alius virginum, in vna fide, in vna charitate diſparia demonſtrantium benè operantium merita.*

S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manich. c. 1. Gen. 1.

S Gregor. lib. 30. mor. cap. 10.

Si verò à maiori ad minorem mundum, id eſt, hominem tranſeamus, ſicut huius perfectio, & pulchritudo in omnium partium integritate, & vnione conſiſtit: Ita populi Chriſtiani abſolutio & conſummatio in concordia charitatis attenditur. Audi Sanctum Gregorium Nazianzenum, dicentem: *Honeſti amantes concordiæ bonum cognitum, ac perſpectum habent, apud nos verſatum; quoad corpus quidem per membrorum concinnitatem.* Corpus quidem Eccleſiæ capiti ſuo Chriſto ſubiunctum, tunc perfectum eſt, cum omnia eius membra charitatis concordia copulantur. Hanc collationem eleganter, & luculenter explanat Magnus Gregorius, inquiens: *Sancta quippè Eccleſia ſic conſiſtit vnitate fidelium, ſicut corpus noſtrum vnitum eſt compage membrorum. Alia namque ſunt membra in corpore, quæ intuendæ luci deſeruiunt; alia, quæ à terreno actu minimè diſtinguuntur. Oculus quippè luci intenditur, & ne cæcari valeat à puluere cuſtoditur: Pes verò tunc ſuum officium rectè peragit, cum ſuſcipiendum terræ puluerem non refugit. Quæ tamen corporis membra viciſſim ſibi ſua officia impartiendo copulantur, vt pes oculis currat & oculus pedi proſpiciat: ſic itaque, ſic Sancta Eccleſia membra debent, & officio eſſe diſtincta, & charitate coniuncta; vt ſummi viri eorum viam prouideant, qui in terrenis negotiis vacant, quatenus velut ad lumen oculorum pes ambulet; & rurſum quidquid terrenis negotiis implicati agunt,hoc ad maiorum vtilitatem referant, vt pes, cuius via proſpicitur, non ſibi tantummodo,ſed etiam oculis gradiatur.* Itaque non ſolum charitatis compage, ſed mutua etiam beneuolentiæ actione, Eccleſiæ membra copulantur,vt totum corpus perfectum ſit.

S. Gregor. Nazian. orat. 14. quæ eſt tertia de pace.

S. Gregor. lib. 19. mor. cap. 12.

Prætereà, ſicut muſica tunc perfecta eſt, cum multæ voces vno concentu, & concordi harmonia conſonant: ita Eccleſiæ perfectio conſpicua eſt, cum omnes fidelium voluntates vno charitatis ſpiritu concordant. Quo ſpectaſſe videtur S.Ephrem, cùm dixit: *Phœnix in littoribus canens: Ita charitas & concordia fratrum in Domino.* Eccleſia enim Phœnix eſt, quia vna, & vnica eſt, canit autem concentu charitatis, & concordiæ fratrum; & rectè in littoribus canere dicitur, quia multò meliùs,quam Alcyon, omnes iræ, & contentionis procellas ſedare conſpicitur.

S. Ephrem. in Prouerb.

Sed quia pulchritudo apex perfectionis rerum eſt, ſicut in concordia charitatis Eccleſiæ perfectio,ita & pulchritudo conſiſtit Quod ſatis indicat S. Greg. Nazian. cùm ait:*Concordia bonum, & in corpore noſtro conſpicitur per membrorum proportionem,quæ pulchritudo eſt.* Sicut enim corporis noſtri pulchritudo in apta membrorum compoſitione,ſeu proportione conſiſtit: ita corporis Eccleſiæ venuſtas in concordia fidelium elucet; imò totius mundi pulchritudo ſine concordia non conſtat:vt ſignificatur in Catena illa aurea Homeri,Platonis,& Trimegiſti quæ è cœlo pendens, & in terras vſque demiſſa fingebatur: ſignificabat autem, vt tradit Landinus,pulcherrimum rerum omnium ordinem,& connexionẽ. Primus Catenæ annulus eſt Deus,deinde

S. Gregor. Nazian. orat. 14.

Landin. in Virgilij allegoriis.

ordines Angelorum ſunt annuli ſequentes, ſubinde natura humana, poſt animalia, mox elementa, & vltimus annulus eſt materia prima. Sic Deus concordia naturali cuncta deuinxit. At altiori charitatis concordia Eccleſiæ ſuæ membra copulauit. Vnde ipſam Eccleſiam cœleſtis ſponſus ſic alloquitur: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es.* Pulchram appellat, & pulchram repetit, quo pulcherrimam prædicat. Vnde ſponſæ tanta pulchritudo? Subiungit ſponſus: *Oculi tui columbarum.* A columbinis oculis Eccleſiæ prouenit pulchritudo; quia columba concordiam ſemper amat, vt docet Sanctus Cyprianus, inquiens: *Columba ſimplex animal oris oſculo concordiam pacis agnoſcit, legem circa omnia vnanimitatis implet.*

Cant. 1.

S Cyprian. lib. de vnit. Eccleſiæ.

CAPVT II.

Concordiam charitatis ſeruare proprium elector..m.

AD gloriam charitatis etiam ſpectat, propriũ filiorum Dei ſiue electorum eſſe, cum omnibus etiam inimicis, concordiam charitatis ſeruare, & cum his qui oderunt pacem eſſe pacificos. Quæ quidem tam præclara electorum, ſiue prædeſtinatorum nota pulchris in ſacra pagina Symbolis ſignificata eſt. Primum Symbolum ſit pulcher ille florum faſciculus, de quo prudens Abigail Dauidem ſic alloquitur, & ita ardentem mitigat, & placat: *Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & perſequens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur in impetu, & circulo funda.* Vbi per faſciculum viuentium numerum prædeſtinatorũ intelligit Gloſſa ordinaria, quæ ſumpta eſt ex Eucherio, vbi ſubinde, ita propoſitam comparationem exponit: *Sicut faſciculus vinculo quodam, & nexu colligatur, ita Sanctorum cœtus eodem charitatis vinculo conſtringitur & diuino præſidio vndique cingitur.* At qui diſcordia & odio diuiduntur, meritò lapidibus funda proiectis comparantur, de quibus Vates dixit: *Ipſi verò de manu tua repulſi ſunt.* In quanimitum Dei manu firmo præſidio muniti & conſtricta charitate copulati electi conſeruantur. Ille ergo flos eſt faſciculi viuentium, ille in æternam gloriam electus conſpicitur, qui vera charitate affectus iniurias inimicis remittit, quod Abigail à Dauide poſtulabat, & præmij loco, eſſe in faſciculo viuentium promittebat.

1. Reg. 25.

Eucherio. lib. 1. in libros Reg. c. 16.

Pſal. 87.

Elegans præterea propoſitæ rei Symbolum eſt arca Noë. De qua S. Greg. Naz. ſic ait: *Noſtri ouilis hoc maximè proprium eſt, vt ab omni ſeditione abhorreat, ita vt perſæpe arca Noë vocati ſimus.* Arca quidem Noë optimè electos repræſentat, quandoquidem cunctis hominibus naufragio diluuij pereuntibus, ſoli illi, qui in arca Noë erant, ſeruati ſunt ad ſalutem: Concordiam quoque perfectam arca illa præſefert, ſiquidem omnia animantia; quæ in ea ſeruabantur, quamuis colore, & formis diſſimilia, corporum magnitudine inæqualia, naturarum, & morum conditione diuerſa, atque contraria, miram tamen con- . . . . bant. Neque enim feræ in pecora inſiliebant, nec venenata reptilia beſtias inceſſebant, nec aues rapaces, aduerſus manſuetas pro paſtu dimicabant: Leo cum agno, vrſus cum vitulo, Lupus cum oue, accipiter cum columba, concorditer morabantur. Cur ita? Quia electa erant ad ſalutem. Similiter profectò homines, qui diuina prædeſtinatione ad æternam ſalutem electi ſunt, quamtumuis ſint nationum varietate diuerſi, regionum diuerſitate ſepoſiti, morum diſſimilitudine contrarij, miram inter ſe ſeruant charitatis concordiam, nimirum in arca ſunt.

Adde ſacrificium Abrahæ vbi iuſſu Dei Patriarcha obtulit vaccam, capram, & arietem; Inſuper columbam, & turturem. De quadrupedibus ait textus: *Diuiſit ea per medium.* De auibus verò ait: *Aues autem non diuiſit.* Huius allegoriæ ſenſum ad rem noſtram magna dexteritate enucleauit S. Auguſt. his verbis: *Dictum eſt, aues autem non diuiſit; quoniam carnales inter ſe diuiduntur; ſpiritales autem nullo modo, ſiue à negotioſis conuerſationibus hominum ſe remoueant, ſicut turtur; ſiue inter illas degant, ſicut columba. Aues autem deſcendentes ſuper corpora; quæ diuiſa erant, non boni aliquid, ſed ſpiritus indicant aeris huius paſtum quendam ſuum de carnalium diuiſione quærentes. Quod autem adiungitur: cum ergo occubuiſſet Sol, &c. Significat iam in fine ſæculi per ignem iudicandos eſſe carnales.* Reprobi ergo diuiduntur; electi verò expertes odij affectionibus indiuiſi perſeuerant.

Gen. 15.

S. Auguſt. lib. 16. de ciuit. cap. 24.

Huiuſmodi indiuiſa animalia ſunt illa, quæ apud Ezechielem currum Dei trahebant; cùm enim eſſent naturæ conditione non ſolùm diuerſa; ſed & pugnantia, vno tamen, & indiuiduo animo ſub vno iugo tenebantur, & vniformi impetu ad omnia ferebantur. Cuius ratio innuitur illis verbis: *Spiritus vitæ erat in rotis*; multi legunt, *Spiritus voluntatis, &c.* Vna enim eademque voluntas erat in illis à ſpiritu diuino conformata; ob quam Leo concors erat boui, & homini aquila. Hæc quidem animalia electos adumbrant, qui vno diuini ſpiritus impetu conformes, nũnquam à charitatis vinculo ſeiugãtur.

Ezech. 1.

Terreſtribus animalibus aquatilia iunge, in quibus illuſtrius inuenies Symbolum concordiæ, qua electorum voluntates conueniunt. Nam Dominus poſt reſurrectionem iubet, Mitti retia *in dexteram nauigij partem*, extrahuntur piſces centum quinquaginta tres, & cum tanti, & magni eſſent, teſte Euangeliſta; retia non ſunt diſrupta. Quod expendens S. Auguſt. ſic ait: *Ante paſſionem iuſſit mitti retia non dicens in dexteram partem, neque ſiniſtram, quia ſi in dexteram diceret, ſolos bonos ſignificaret, ſi in ſiniſtram ſolos malos; vbi autem tacetur dextera, & ſiniſtra, mixti capiuntur boni & mali. Capti ſunt autem tunc, ſicut Euangelij veritas atteſtatur, tam multi, vt retia rumperentur. Significabat enim illa captura hoc tempus. Retia rupta ſignificant conciſſiones, & conciſſuras malorum.* Piſces ergo, qui ad dexteram capiuntur, id eſt, electi, non diſrumpunt per diſcordias retia, id eſt, concordiæ & charitatis vincula; reprobi verò rumpunt, dum per ambitionem, & auaritiam laxiorem, & ampliorem locum appetunt. Hac quidem de cauſa reprobi retia concordiæ diſrumpunt: at electi, quamuis meritis, talentis, & dignitatibus ſint magni, rete non rumpunt.

Ioann. 21.

S. Auguſt. in Pſal. 49.

Quod

Digitized by Google

Hugo Victor. lib. 1. alleg. noui teſtam. cap. 11.

Quòd in hac piſcium allegoria annotauit Hugo Victorinus, vbi poſtquam Auguſtini ſententiam amplexus eſt, ſubdit: *Adiecit Euangeliſta rem neceſſariam dicens, & cum tanti eſſent non eſt ſciſſum rete, id eſt, magni erant, & tamen inter eos diſſenſiones non erant*, quia nimirum electi erant, quibus omnibus propria eſt concordia; reprobis verò, maximè in ſæculo magnis commune eſt contentionibus, & odiis digladiari.

Elegantiſſimum etiam ſymbolum ſpiritalis vnitatis qua omnes electi inuicem cohærent, eſt veſtis intima, & inconſutilis Chriſti, de qua Ioannes dilucidè ſcripſit, his verbis: *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem,) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit, vt ſcriptura impleretur, dicens: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Quod ad litteram ſpectat, quatuor apparet fuiſſe milites, quibus commendata eſt Chriſti crucifixio, qui in quatuor partes veſtimenta Domini diuidentes, vnuſquiſque partem accepit. Tunicam verò inconſutilem non diuiſerunt, ſed ſortiti ſunt: nam ſi in quatuor partes eam diuiderent, inutiliter eius pannos tollerent. Vtrumque hoc veſtimentum, extimum & intimum expreſſum eſt in Prophetico teſtimonio ab Euangeliſta citato: nam de extimo veſtimento, cuius vnuſquiſque multum ſuam partem depactus eſt, ait: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* De tunica vero intima, quam totam vnuſquiſque ſorte obtinere cupiebat, dixit: *Et in veſtem meam miſerunt ſortem.* Quo poſito per totum Chriſti veſtimentum Eccleſia myſticè intelligitur, quæ & à Chriſto portatur, & eum ipſa ornat tanquam veſtimentum. Sed quia in Eccleſia reprobi ſunt, & electi, illi in veſte extima diuiſa, hi in intima indiuiſa deſignantur. Quem ſenſum eleganter docuit Sanctus Auguſtinus, his verbis: *Quadripartita autem veſtis* Domini noſtri Ieſu-Chriſti quadripartitam figurauit eius Eccleſiam, quatuor ſcilicet partibus in orbe diffuſam, & in eiſdem æqualiter, id eſt, concorditer diſtributam. Tunica verò illa ſortita omnium partium ſignificat vnitatem, quæ charitatis *Vinculo continetur.* Cur verò hæc intima veſtis, deſuper contexta per totum, dicatur. Sanctus Doctor, ſic exponit: *Si autem Chriſtus, & ſupereminentiorem habet viam, & ſupereminet ſcientiæ, & ſuper omnia præcepta eſt, ſecundum illud; ſuper omnia autem hac charitatem habete, merito veſtis, quæ ſignificatur deſuper contexta perhibetur. Et addit per totum, quia nemo eius eſt expers, qui pertinere inuenitur ad totum. Inconſutilis autem, ne aliquando diſſuatur. Et ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit.* Veſtis ergo hæc intima electos ſignificat, quia intimè Chriſto inhærent, & à militibus Pilati, id eſt, à miniſtris Sathanæ non diuiduntur; veſtimenta verò reliqua à militibus diuiſa fideles reprobos ſignificant, qui quidem portantur à Chriſto, quia fideles ſunt, ſed odiis, & contentionibus à Diabolo diuiduntur. Hanc allegoriam eodem ſenſu interpretatur S. Cyprian. inquiens: *Hoc vnitatis Sacramentum*, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter

Ioan 19.

S. Auguſt. tract. 118. in Ioan.

S. Cyprian lib. de vnit. Eccleſiæ.

cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini Ieſu-Chriſti non diuiditur omninò, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam potius indueret, integra veſtis accipitur, & *Incorrupta; atque indiuidua tunica poſſidetur. Quamobrem Nazianzenus iure optimo inuehitur in eos qui diſcordia contentionibus hanc Chriſti tunicam diuidunt. Per hoc,* (inquit) *conſequutus Diabolus, quod per illos, qui Chriſtum in crucem egerunt, conſequi non potuit.* Nam cum prophani, & impij milites typicam Chriſti veſtem non auſi fuerint ſcindere, hi myſticam diuidere non verentur.

Nazian. orat. 3. de pace.

Capvt XII.

Minima contra charitatem proximi peccata vitanda ſunt.

QVid tandem facere aut pati oportebit, vt bonum concordiæ ſeruemus, charitatemque colamus. Planè vt vel leuiſſima contra eam errata minimè admittamus. Quo ſpectauit Paulus, cùm dixit: *Chriſtus enim dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Quæ verba de candido charitatis affectu, quo non ſubdole, aut duplici animo, ſed ſincere in omnibus cum proximo agimus, exponit Sanctus Gregorius, inquiens: *Quid per rugas niſi duplicitas deſignatur? Has rugas in electis ſuis Sancta Eccleſia non habet, quia videlicet neſciunt aliud de ſe foris oſtendere, & intus aliud habere.* Electi quidem, qui ſunt præditi charitate ita cum proximis, etiam inimicis agunt, vt terſam faciem ſine vllis duplicitatis rugis oſtendant, nec vllam minimam rugam falſi animi habeant; cum reprobi cor machinationibus tegentes, & ſenſum verbis velantes inueterata malitia rugis pleni ſint.

Ad Ephe. 5.

S. Gregor. lib. 13. mor. cap. 5.

Attamen electi non ſolum ruga carere ſolent, ſed etiam macula, qua charitatem violent: nam Chriſtus Eccleſiam ſibi exhibuit *Non habentem rugam, neque maculam.* Et quidem tanta eſt charitatis munditia, & dignitas, vt nec minima macula ſit fœdanda. De quo admonemur: vbi deſcribitur ferculum geſtatorium in modum triumphalis lecticæ, quo Salomon per vrbem vehebatur, non dicitur: *Aſcenſus purpureus.* Per quem, quia purpura in ſacris litteris charitatem ſignificat, aliqui interpretes charitatis intelligunt viam, per quam ad cœleſtia præmia conſcendimus. Electi ergo dum per aſcenſum purpureum charitatis ſcandunt, attentiſſimè curant, ne eum vel leuiſſimæ maculæ inquinamento violent. Ad quod ſic hortatur Gilbertus: *Tu verò ſponſa Chriſti candido preme pede gradus purpureos, nobilis eſt ſemita, quam dilectus tuus prior inceſſit. Quam pulchri ſunt enim gradus purpurei, quos pede ſacro Chriſtus prior ſignauit pedibus illis, quibus nullus puluis adhæſit, pedibus aureis, & tu ardenter veſtigia relege.* Aſcenſus ergo purpureus charitatis, quia pretioſus, & puriſſimus eſt, candido eſt pede premendus, nec minimo puluere violandus.

Cant. 3.

Gilibert. hom. 18. in Cant.

Digitized by Google

Thren. 4.

Præterea cum charitas noui hominis cor ſit, non poteſt, vel leuiter lædi, quin vita in magnũ diſcrimen adducatur. Dum enim charitas leuiter, læditur paulatim virtutum vires diſſipantur, & amittuntur. Quod deplorat Hieremias dicens: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum?* Nota gradus, per quos ad profundum malorum deſcenditur. Primum aurum charitatis obſcuratur, ſiue infuſcatur, quod leue videtur. Deinde omnino mutatur color ille optimus auri, atque deperditur, quod graue admodum eſt. Tandem quod grauiſſimum eſt, diſperguntur lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Quod annotans ad hunc locum Sanctus Paſchaſius, ita ſubiungit: *Iure lapides ſanctuarij Dei, reliquæ ſcilicet virtutes animæ in capite diſperguntur omnium platearum: quoniam charitate amiſſa, virtus nulla in anima ſolidatur. imo omnes affectiones ſuas ad lata viarum itinera & ſpatioſa concupiſcentiarum conamina, in capite tranſponit platearum.*

CAPVT XIII.

Perfectiſſima patientia neceſſaria eſt charitati.

Tertullian. lib. de Patient. c. 12. 1. Cor. 13.

S. Cyprian. lib. de patient.

AD tuendam concordiam fouendamque charitatem magna opus eſt tolerantia, & magnum operæ pretium patientia, quandoquidem niſi perfecta patientia præcedat, charitas nunquam ſubſequetur, quæ patientiæ alimentis nutritur. Audiendus hac de re Tertullianus, vbi expendens illud Pauli *charitas patiens eſt*, ſic ait: *Dilectio ſummum fidei ſacramentum, chriſtiani nominis theſaurus*, quam Apoſtolus totis viribus ſancti ſpiritus commendat, cuius niſi patientiæ diſciplinis eruditur? ideo inquit: *Dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat, vtique quia patiens.* Charitas enim à patientia vires ſumit omnia tolerandi, ac ſuſtinendi. Conſonat Sanctus Cyprianus ex eodem Pauli loco ita colligens: *Charitas, inquit, omnia ſuſtinet. Oſtendit unde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quod norit omnia ſuſtinere*, nempe patientiæ viribus, vnde ita adiungit: *Tolle charitati patientiam & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi, tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus, ac viribus perſeuerat.* Patientiam appellat ſubſtantiam, quæ à ſubſtando, ſeu ſuſtentando dicta eſt; patientia enim ſubſtat, & ſuſtentat charitatem, non aliter, ac radices arborem.

Ephes. 4.

S. Cyprian ſup. citatus.

Ad Galat. vltimo.

Porro concordiæ charitatem, ſeu animorum vnionem ac inimicorum reconciliationem, ſine patientia calumniarum & perſecutionem conſtare non poſſe ſatis aperte indicat Paulus, inquiens: *Cum patientia ſupportantes inuicem in charitate: ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quod Sanctus Cyprianus ita explicat. *Probauit nec vnitatem ſeruari poſſe, nec pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & concordiæ vinculum patientia intercedente cuſtodiant.* Eandem doctrinam tradit Paulus illis verbis, *alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Per patientiam ſupportamus nos inuicem, quod cum præſtamus, facile legem Chriſti, id eſt, charitatem implemus. Ita Hugo Cardinalis hoc loco: ſic faciunt cerui, maximè tempore amoris. Debemus ergò nos firmiores imbecillitates aliorum ſupportare: *Et ſic adimplebimus legem Chriſti, quæ præcepit mutuam charitatem.* In eo quod de ceruis attigit, alludit ad conſuetudinem ceruorum flumina tranſeuntium, quam affert Sanctus Auguſtinus. Cæterum ſi per veram patientiam nos inuicem ſupportamus, illico per veram charitatem nos mutuo diligimus. Quod Sanctus Gregorius docuit his verbis: *Patientia vera eſt, quæ & ipſum amat, quem portat: nam tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.* Hæc autem vera patientia, quæ amat ipſum, quem portat, elucet in oratione pro inimicis quam nobis Chriſtus commendat, vt Gregorius hoc loco exemplis elucidat, inquiens: *Moyſes & Aaron cum loquentes recta, perſecutionem populi paſſi ſunt, ad tabernaculum cucurrerunt, pro ipſo populo exorantes quem fugiebant.* Adiungit, & aliud exemplum. *Samuel* inquit, *de principatus culmine deiectus oraſſe ſe etiam pro deiicientibus confitetur.* Hæc profectò eſt vera patientia quæ ipſos amabat, quos portabat; igitur alter alterius onera portemus, vt legem charitatis impleamus. Quid autem ſit hæc onera portare, exponit idem Sanctus Doctor dicens: *Qui ergo illata mala æquanimiter tolerat quaſi infirmi fratris onera portat.* Mala illata ſiue onera impoſita nequaquam tam grauia erunt, vt ea non poſſit patientia ſupportare. Nam vt bene Sanctus Cyprianus ſcripſit: *Inter ipſas ſæculi labentis ruinas erecta mens eſt, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia.*

S. Auguſt. Epiſt. 84.

S. Gregor. hom in Ezechiel.

Num. 20.

1. Reg. 8.

S. Gregor. in Pſal. 4. Pœnitentialem.

S. Cyprian. lib de patient.

Verùm cum patientia ad hanc perfectionem accedit, perfectæ charitatis index eſt, imò & patens, vt indicat Iacobus cum ait: *Patientia autem opus perfectum habet.* Nam hoc perfectum opus charitas eſt, vt ad hunc locum Dydimus, Magiſter Sancti Hieronymi ſic explicat: *Dicit autem Iacobus patientiam habere opus perfectum, quia per patientiam charitas in corde naſcitur.* Ideo in Apocalypſi charitas appellatur: *Aurum ignitum probatum.* Aurum, quia habet primum & maximum valorem: *Ignitum probatum*, quia tunc charitas non adulterata probatur, cum igne tribulationis examinata, patientiæ teſtimonio indicatur. Quamobrem Paulus ait: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in charitate non ficta.* Meritò præmittit multam patientiam cui annectat charitatem non fictam, id eſt, non adulteratam, ſed probatam ignitam, vbi Hugo Cardinalis ait: *Ficta charitas eſt in his, qui in aduerſitate deſerunt fratres.*

Iacob. 1.

Apoc 3.

2. Cor. 6.

Iacob. 1.

Cum autem tanta ſit patientiæ, & charitatis coniunctio, mirum non eſt, ſi ipſis facta ſit eiuſdem præmij promiſſio, quæ quidem extat illis verbis *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Qui probatus patientiam ſeruauerit, non aliam, ſed eandem illam accipiet coronam, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, id eſt, quæ ſeruata eſt charitati, vt Dydimus ſupra obſeruauit. Hæc autem patientiæ prærogatiua eſt ſingularis, nam conſtat aduerſis virtutibus diuerſas in ſcriptura aſſignati coronas.

Digitized by Google

nas. Paulus qui quaſi inuictus miles, & infatigabilis operarius laborauerat coronam iuſtitiæ
1. Tim. 4. ſperat. Aliis ob egregiam fidem immarceſcibilis corona promittitur. *Portabitis immarceſcibilem*
1. Petr. 5. *gloriæ coronam.* Aliis alia promittitur ob excelſam ſpem, quibus dicitur: *Erit in die illa Dominus Sabaoth corona ſpei, &c.* At patientibus eadem illa promittitur corona, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Ob quam patientiæ perfectionem Sanctus Iacobus, eos qui tanta virtute donati ſunt, non iam filios, ſed fratres appellat, cùm ait: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, &c.* Quod idem Dydimus annotauit, his verbis: *Ad perfectionem virilem, & patientiam ſimul inuitans, conſequenter fratres ſuos appellat, & non filios, quibus ſcribit: quomodò enim perfecti non ſint, qui non ſolum ſine triſtitia, ſed etiam cum gaudio propter Chriſtum tentationes ferre noſcuntur.*

Cæterum ſi quæras, vnde patientia tantam habeat cum charitate concordiam, & quaſi affinitatis neceſſitudinem, vt qui verè patiens ſit, proximum diligat, & inimicorum delicta condonet, id eſt, iniurias dimittat. Reſpondeo harum virtutum connexionem inde naſci, quod facilè per charitatem condonat iniurias, & donat diuitias, qui per patientiam didicit ferre, & illas illatas, & has ablatas ſiue amiſſas. Id aptè
Tertullian. lib. de patient. c. 8. excogitauit Tertullianus, & ſic explicuit: *Patientia in detrimentis exercitatio eſt largiendi, & communicandi. Non piget donare, qui non timet perdere.* Quinimò cum in donando tota difficultas ex rerum abdicatione naſcatur; ipſa verò donatio iucunda ſit; qui res ſuas caſu amittit, caret ille quidem tum re ipſa, perinde ac ſi donaſſet, tum etiam donationis voluptate; vnde maioris negotij, & laudis eſt, iacturam alicuius rei æquo animo ferre, quam eam æquo animo
S. Chryſoſt. hom ad pop. donare. Sic cenſet Chryſoſtomus. *Non tantum,* inquit, *quæ per eleemoſynam damus, ſed ea quibus ſpoliari fortiter ferimus, multum nobis fructum afferunt. Et vt diſcas, hoc illo maius eſſe, ex his quæ Iob contigerunt, hoc faciam manifeſtum. Non erat tam illuſtris, quando pauperibus domum aperuit, quam cum ipſam cecidiſſe audiens non iniquè tulit. Non erat tam illuſtris, quando ex ouium tonſura nudos circumdedit, quam fuit clarus, cum audiens, quod ignis cecidiſſet, & greges omnes conſumpſiſſet gratias egit. Tunc humanus fuerat, nunc fuit Philoſophus: tunc pauperum miſerabatur, nunc Deo gratias agebat. Et vt ſcias, grauius poſtea vulnus intulit Diabolo, cum ſpoliatus gratias egit, quam cum poſſidens miſerabatur, aduerte quando poſſidebat, ſuſpicionem quandam habuit Diabolus, & ſi falſam; habuit tamen vnde diceret, num gratis Deum colit Iob? Poſtquam vero omnia abſtulit; & ipſum omnibus ſpoliauit; hic autem eandem in Deum charitatem præſtitit, tunc demum obſtructum eſt os impudens, vt nihil amplius, quod diceret, habeat.* Itaque veræ virtutis, & charitatis in Deum euidentius argumentum eſt, damnorum tolerantia; quam largitio bonorum, vt exemplo Iob concludit Chryſoſtomus.

Caput XIV.

Egregia ſententia Abbatis Aelredi de charitate quam Sabbatho comparat, & alias ſex virtutes, ſex diebus creationis.

VT excellentia charitatis & natura dilectionis luculentius conſtet placet in calce huius tractatus appendere, quæ Aelredus Abbas Riebalenſis diſſerit, comparat virtutes diebus creationis mundi & charitatem Sabbatho, cum in ea quieſcat Dominus, eius verba ſunt.

Sit Fides nobis quaſi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quaſi lux à tenebris, ſeparamur. Sit ſpes ſecundus, per quam in cœleſtibus habitantes, & pro fidei meritis ſola ſupercœleſtia ſperantes; ab his, qui terram ſapientes, & à Deo ſola terrena flagitantes, ſub cœli firmamento aquarum inſtar dilabuntur & fluitant, Deo promouente diſcernimur. Temperantia nobis, quaſi dies tertius illuceſcat, in quo membra noſtra quæ ſuper terram mortificantibus, ac carnales concupiſcentias, quaſi aquas amariſſimas neceſſariis terminis coercentibus appareat terra cordis noſtri arida, & inaquoſa, Sitiens Dominum Deum ſuum. Iam verò prudentia quaſi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda, & non facienda; quaſi inter diem & noctem diuidamur; cuius adminiculo lumen Sapientiæ, velut ſolis ſplendor effulgeat; lux ſcientiæ ſpiritalis, quæ in aliquibus nobis creſcit, in aliquibus deficit, quaſi Lunæ decus appareat: per quam etiam præcedentium Patrum exempla, quaſi ſtellarum globos mens deuota ſuſpiciat, per quam inter dies & annos menſes & horas diuidat; quid diſtet videlicet inter eos, qui ante legem, & ſub lege; quid inter hos, & illos, qui ſub gratia, quid ſingulis conueniat, quæ præcepta; quæ tempora, qui mores, quæ Sacramenta; æqua examinatione diſcernat. Sit nobis fortitudo quaſi dies quintus, per quam huius maris magni & ſpacioſi, ſæculi videlicet huius procellas toleremus, ac piſces ſpiritales Deo operante effecti, vitam noſtram inter vndas, tempeſtateſque ſeruemus, ac mentis noſtræ deſideria ſimul & affectus, quaſi volatilia pennata ad cœleſtia erigentes, & ea quæ ſurſum ſunt, ſapientes, multiplices bonorum operum fructus Deo benedicente, reddamus. Porrò diem ſextum nobis iuſtitia dictet, per quam diuinam ſimilitudinem reinduti, atrociſſimis vitiorum beſtiis, terreniſque deſideriis, quaſi reptilibus, corporiſque motibus, quaſi iumentis, generoſa auctoritate imperemus; agentes vt corpus menti, mens Deo ſubdatur ſicque iuſtitia dictante, cuique quod ſuum eſt, tribuatur. Reſtat ſeptimus dies, id eſt, Sabbathum, in quo omnia iſta opera conſummantur, in quo requies vera ſuſcipitur, in quo labori noſtro terminus ac finis indicitur. Ipſa eſt charitas virtutum omnium conſummatio, ſanctarum animarum ſuauis refectio, honeſta morum compoſitio. Ipſa radix ex qua omnia bona opera; vt bona ſint, oriuntur, in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipſa ſeptimus dies diuina nos gratia reficit: Ipſa ſeptimus

Digitized by Google

menſis, in quo poſt tentationum diluuium, arca cordis ſuauiter requieſcit. Huic ſeruit Temperantia, Prudentia vigilat, militat fortitudo, iuſtitia famulatur.

Legimus in veteri teſtamento quaſdam Sabbathorum diſtinctiones: habes nempè in lege tria tempora Sabbathi requie conſecrata, ſeptimum videlicet diem, ſeptimum annum, & poſt ſepties ſeptem quinquageſimum annum. Primum ergo Sabbathum, dierum, ſecundum annorum; tertium non immeritò dicitur Sabbathum Sabbathorum. Conſtat namque ex ſeptem annorum Sabbathis addito vno; vt ſeptenarius numerus in vnitate concludatur, qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod ſeptenario Spiritus ſancti munere promouetur, vt ad ipſum, qui verè vnus eſt, veniatur, vbi totum quod ſumus vnum cum ipſo efficiatur. Habemus interim Sabbathum dierum, Sabbathum annorum, & in quodam prægustu Sabbathum Sabbathorum.

Matt.22.37. In lege ſic ſcriptum eſt: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Neceſſe eſt ergo vt in his duobus præceptis, has Sabbathorum quæramus diſtinctiones; nam & ipſæ ex lege ſunt. Porrò hæc duo præcepta ſi diligenter inſpicias, tria quædam inuenis diligenda; te videlicet, proximum, & Deum. Vbi enim dicitur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum, manifeſtum eſt, quia debes diligere & te ipſum. Hoc tamen non eſt præceptum, quia naturæ eſt inſitum. Nemo
Epheſ.5.29. enim vnquam (teſte Apoſtolo) carnem ſuam odio habuit: & ſi non carnem, multò minus vtique mentem, quam quilibet, etiam neſciens magis diligit quam carnem. Nemo eſt enim, qui non malit infirmus carne, quam inſanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio ſui, Sabbathum primum, dilectio proximi ſit ſecundum; Dei autem Dilectio Sabbathum Sabbathorum.

Eſt autem, vt ſuperius diximus, Sabbathum ſpiritale requies animæ, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc Sabbathum nonnunquam in propria dilectione ſentitur; aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur; in diuina dilectione abſque vlla ambiguitate perficitur. Hoc ſanè prouidendum, vt homo ſicut oportet, diligat ſemetipſum, proximum verò tanquam ſe ipſum, Deum ſupra ſe ipſum; quia nec ſe,
1.Ioan.4.20 nec proximum niſi propter ipſum. Porrò Deum non amare conuincitur, à quo proximus non amatur. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi; dilectionem verò proximi dilectio ſui. Præcedit inquam ordine, non dignitate. Præcedit, ſed illam perfectam, de qua dictum eſt, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; & ex tota mente tua. Nam profectò quædam huius dilectionis portio etſi non plenitudo, & ſui & proximi dilectionem præcedat neceſſe eſt: ſine qua mortua illa vtraque eſt, ac proinde nulla eſt. Videtur enim mihi Dei dilectionem, quaſi aliarum dilectionum animam eſſe, quæ & in ſe ipſa pleniſſimè viuit, & aliis ſui eſſentiam vitalem impertit, abſenti mortem inducit.

Vt ergo homo ſe diligat, in ipſo Dei dilectio inchoatur, vt diligat proximum, capaciori quodammodo ſinu concipitur, vbi diuinus ille ignis paululum coaleſcens, cæteras tandem, quaſi ſcintillulas quaſdam, in ſui plenitudinem miro modo abſorbeat: totam animi dilectionem ad illud ſublime, & ineffabile bonum adducens, vbi nec ipſe à ſe, nec proximus diligatur, niſi in quantum vterque deficiens à ſe, totus transfertur in Deum. Interim tres hi amores, & ab inuicem concipiuntur, & abinuicem nutriuntur, & ab inuicem accenduntur, porrò ſimul omnes perficiuntur. Agitur autem miro & ineffabili modo, vt quamquam hi tres amores omnes ſimul habeantur; neque enim aliter poteſt, non tamen ſemper atque ſentiantur: ſed nunc requies illa, illa iocunditas in propriæ conſcientiæ puritate ſentiatur; nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur; nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sicut enim Rex aliquis diuerſas aromatum poſſidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur; nunc huius, nunc illius ſpeciei odore perfunditur: ita mens cellaria quædam ſpiritualibus referta deliciis, intra ſuæ conſcientiæ ſepta retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat, ac iocunditatis ſuæ materiam, pro diuitiarum diuerſitate diuerſo modo compenſat.

Cùm enim homo ab exteriori tumultu, intra ſecretarium ſuæ mentis ſe ſe receperit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret, ſed omnia iocunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & inſtar ordinatiſſimæ, ac pacatiſſimæ cuiuſdam familiæ, omnis cogitationum, ſermonum, operumque turba ipſi animo, quaſi patrifamilias domus arriſerit; oritur hinc ſubitò mira ſecuritas, ex ſecuritate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidam, eo deuotius in laudes Dei erumpens, quo perſpicacius conſpicit eius eſſe muneris, quidquid in ſe boni recognoſcit. Hæc eſt ſeptimæ diei iocunda ſolemnitas, quam neceſſe eſt ſex dies, id eſt, operum præcedat perfectio; vt primum in bonis operibus deſudemus, & ſic demum in conſcientiæ tranquillitate pauſemus. Ex bonis namque operibus puritas conſcientiæ naſcitur: ſecundum quam ſui dilectio iudicatur. Sicut Pſal.10.6.
enim is qui operatur, vel diligit iniquitatem, non diligit, ſed odit animam ſuam: ita profectò qui diligit & operatur iuſtitiam, non odit, ſed diligit animam ſuam. Hæc eſt primi illius Sabbathi iocunda ſolemnitas, in qua ſeruilia mundi opera minimè exercentur, in qua nec ignis concupiſcentiæ turpis accenditur, nec paſſionum onera comportantur.

Porrò ſi ab hoc ſecretiori cubiculo, in quo primum hæc Sabbathum celebrauit, ad illud Rom.12.15.
pectoris ſui diuerſorium ſe ſe contulerit, vbi ſolet, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum ſcandalizatis, 2.Cor.11.29
ſenſeritque ibi animam ſuam cum omnium fratrum ſuorum animabus glutino charitatis vniri; nullis inuidiæ ſtimulis agitari, nullis indignationum æſtibus inflammari; non iaculis ſuſpicionum atteri, non edacis triſtitiæ morſibus

conſumi;

Digitized by Google

conſumi; ſicque ad quendam tranquilliſſimum mentis ſuæ ſinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac ſecum vnum cor, & vnam animam faciat: ad huius mox dulcedinis ſuauiſſimum guſtum, omnis cupiditatum ſilet tumultus, ac vitiorum ſtrepitus conquieſcit; & fit ibi intus ab omnibus noxiis abſoluta vacatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata; & iocunda pauſatio. Huius Sabbathi requie ac dulcedine Propheta Dauid in ſonum gratulabundæ ſolemnitatis erupit, di-
Pſal.132.1. cens: *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum.* Verè bonum, vere iocundum. Bonum planè, quia nihil vtilius. Iocundum quia nihil ſapidius.

Quòd ſi ex ſex illis annis, qui Sabbathum hoc ſpirituale præcedunt, aliquid myſticum velis exſculpere, ſcitò ſex eſſe genera hominum, in quorum dilectione neceſſe eſt animus exerceatur. Primò ergo dilectio noſtra, naturali ordine ad domeſticos ſanguinis noſtri deriuatur. Quæ dilectio vt habeatur, quia ipſi naturæ eſt inſitũ, ſi non habeatur, nimis eſt inhumanum. Vnde
1.Tim 5.8. Apoſtolus: Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit. & eſt infideli deterior. Hæc autem dilectio, quoniam ab ipſa natura proficiſcitur in præceptis, quæ ad dilectionem pertinent proximi, primo loco ſan-
Exod.20.12. citur, ita Deo proteſtante: *Honora patrem tuum & matrem.* Hinc ad eos, qui nobis ſpecialis amicitię fœdere, vel officij viciſſitudine copulantur, dilectio noſtra progreditur & quodammodo ſinu ampliore laxatur. Sane vtraque hæc dilectio, quamquam parum præmij ſeruata conquirat, quippè cùm ad illam lex naturalis impellat, ad iſtam gratia impertita nos prouocet, neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his
Math.5.46. Dominus in Euangelio. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne Ethnici hoc faciunt.* Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Vt ergo in aliquid amplum dilectio noſtra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiſcum eidem iugo profeſſionis ſubduntur. Hæc planè dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus cauſa eſt cur exhibetur.

Reſtant autem adhuc duo hominum genera eorum qui foris ſunt, gentilium videlicet & Iudæorum, hæreticorumque vel ſchiſmaticorum, quorum neceſſe eſt, vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu ſolatium illis noſtræ orationis impertiamur, vt & ipſi inueniantur nobiſcum in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Inde ad illud tranſeundum eſt, in quo fraternæ charitatis ſumma conſiſtit in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinæ bonitatis ſimilitudo plenius reparatur, ſicut
Math.5.44. ait Saluator in Euangelio: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Exinde quid ſuper-erit niſi annus ſeptimus, in quo debitores repetere non permittimur, in quo ſeruis libertate Deut.15 2. & 2.
donatur? qui enim nouit etiam inimicos ſimpli- Matt.6.12.
ci oculo intueri, ille eſt, qui veraciter dicere po- Ioan.8 34.
teſt. Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus. Omnis (inquit) qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, cui deplorandæ ſeruituti tandiu quiſque addicitur, donec ipſe dimittens, & diligens, dimittatur & diligatur, & de ſeruo non modò liber, ſed etiam amicus efficiatur.

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tantò deuotius, quanto ſecurius ad ipſius diuinitatis felices geſtit amplexus; ita vt nimio deſiderio ſuccenſa velamen carnis excedat, iamque ab illo ineffabili lumine ab illa inuſitata dulcedine penitus abſorbeatur: factoque ſilentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus ſenſibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id, in quod eſt, & ſic ſemper eſt, & id ipſum eſt, in illud vnum perſpicacem figat intuitum, vacans, & videns, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & inter charitatis illius ſuaues amplexus, Sabbatizans ſine dubio Sabbathum Sabbathorum. Hic annus Iubilæus, in quo homo ad ſuam poſſeſſionem reuertitur, ipſum videlicet autorem ſuum, vt nimirum poſſideatur & poſſideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipſa eſt poſſeſſio, quæ diſtracta vili peccati pretio, amore hominis defluente ab eo, à quo factus eſt, & inhærente rei, quæ facta eſt. Huic Sabbatho non immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo ſeruilis timor expellitur, carnis non ſolum concupiſcentia, ſed & memoria conſopitur, ſpiritus plenitudo concipi-
tur. Ante (inquit) id eſt, ante Pentecoſten ſpiritus Ioan.7.39.
non erat datus; quia Ieſus nondum erat glorificatus, non omnino non datus, ſed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in Sabbatho primo, datur & in ſecundo; ſed in Sabbatho Sabbathorum eius infunditur plenitudo.

Verum quia charitas diffunditur in cordibus noſtris, non aliàs niſi per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, vbique ſeptenarius numerus cuſtoditur: ſed in ipſius ſeptenarij multiplicatione profectus ipſius charitatis dignoſcitur. Nam ſeptimus dies quaſi charitatis eſt inchoatio, ſeptimus annus promotio, quinquageſimus annus, qui eſt poſt ſepties ſeptem eius eſt plenitudo. In ſingulis requies, in ſingulis vacatio, in ſingulis ſpiritalis quædam Sabbathizatio. Primo requies in puritate conſcientiæ, deinde in multarum mentium dulciſſima coniunctione, poſtremo in ipſius Dei contemplatione. In primo Sabbatho vacatur à crimine, in ſecundo cupiditate, in tertio ab omni prorſus diſtenſione. In primo mens colligitur ad ſe, in ſecundo extenditur extra ſe, in tertio rapitur ſupra ſe. In primo guſtat quam dulcis eſt Ieſus in humanitate; In ſecundo, videt, quam perfectus in charitate, in tertio quam ſublimis in deitate.

Digitized by Google

DE AMORE INIMICORVM.

LIBER PRIMVS.

MAXIMVM eſt virtutum decus charitas; ſed decus charitatis amor inimicorum eſt. Illarum culmen dilectio Dei eſt; huius tamen experimentum inimici dilectio. Hæc gloria Euangelicæ perfectionis, & glorioſum Dominicæ doctrinæ documentum, quod venerari, & obſeruare ſummum erit operæ pretium. Id quidem exemplo ſuo commendauit Dominus pro inimicis precatus in Caluariæ monte, quod commendauerat ſermone in alio monte, vbi Euangelicam promulgauit perfectionem. Sic ibi mundi
Matth. 5. Saluator edixit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Hanc cœleſtem Chriſti doctrinam commendare iuuat; priùs tamen præmittemus,
S. Paſchaſ. lib 9. in Mat. quæ Sanctus Paſchaſius illam commentatus, dixit: Hæc, inquit, latitudo charitatis & conſummata armatura iuſtitiæ, quæ vſque ad dilectionem inimicorum extenditur. Nam perſecutorum rabies contra Chriſti Eccleſiam tribus dimicat modis, mentis ſcilicet odio, & verborum maledictis, atque iniuriarum & tormentorum cruciatibus: contra quæ Chriſtus docuit, pro inimicitiis dilectionem impendere; pro odio verò, odiorumque iniuriis beneficia retribuere, nec non & pro perſecutione ac calumniis eorum, orationes fundere. His quippè partibus charitas dimicat, vt omnia mala in bono vincat. Singulis enim ſingula opponuntur, vt omnes malitiæ partes bonitate vincantur, vnde ſi iuxta eſt inimicus, dilectio emolliat cor eius; Si verò longè, beneficia noſtra eum viſitando perquirant; etſi quo ſit loco ignoratur, penitus oratio profuſa apud Deum etiam latentem inueniat. Verumtamen in omnibus diſcretio virtutum ſatis moderanda eſt, & ſollicitè perſcrutandum quid ſit quod Ioannes pro peccantibus ad mortem fratribus prohibeat orare; Dominus verò etiam pro inimicis id fieri iubeat. Vbi nihil aliud occurrit, quam quia ſunt aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum perſecutionibus grauiora videntur, pro quibus nec
1. Cor. 5. 11. rogare liceat. Sunt autem & tales iuxta Apoſtolum, cum quibus nec cibum ſumere permittitur: Ita tamen vt vitia ſunt in odio, natura verò à nobis, quia homines ſunt, diligatur. Cæterum ea quæ à Sanctis Patribus ſunt prolata; & in ſcripturis diuinis quaſi maledicta ſonare videntur, potius prophetæ ſunt de futuro, quam liuoris, vel vel odiorum inflammationes.

Neque æſtimandum iuxta quoſdam, quod iſta præceptorum decreta impoſſibilia ſint, eo quod dicunt, ſatis erat inimicum non odiſſe: nec attendentes, quod etiam in veteri Teſtamento hoc multi impleuere, quantò magis illis poterit eſſe poſſibile, quibus Chriſti gratia ſuffragatur & oporteat filios adoptionis illum imitari, qui huc veniens omnes inimicos inuenit, & de ipſis fecit ſibi amicos. Sed quæritur, quomodo non ſoluerit legem, quia dixit, diligite inimicos veſtros, præſertim cum lex dicat, odies inimicum tuum. Hæc ſiquidem quæſtio ſoluitur illo verbo, quod ſupra præmiſimus, quia non eſt imperantis, ſed permittentis propter duritiem, & imperfectionem eorum. At verò, cum aduenit gratia, qua noſtra infirmitas releuatur, reſtitutum eſt legi ad perfectionem iuſtitiæ, quod detruncatum erat propter imbecillitatem carnalis populi & ſegnitiem eorum. Hinc eſt, quod alibi de dilectione lo-
1. Ioan. 13. 34 quens dicit: *Mandatum nouum do vobis*, licet antea fuerit præmiſſum, diliges proximum tuum. Nouum autem, ideò vocat, quia in illo carnali populo inueteratum

erat

Digitized by Google

erat, & ſemidictum, eo quod vix eorum aliquis quempiam diligeret, niſi carne proximus fuiſſet. At verò Chriſtus nouus homo noſter, renouans in ſe dilectionem præcipiens omnes aut in Deo, aut propter Deum diligere iuber. Idcirco nouum mandatum propoſuit. Quia illud innouatum omnia innouat, & de filiis iræ filios adoptionis facit. Vnde ſequitur *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Ecce filiorum adoptio ſola charitate acquiritur: charitas verò præmiſſis iuſtitiæ partibus expletur, & dilectione inimicorum firmatur. Hæc eſt, inquam, illa poteſtas, de qua dictum eſt per Ioannem: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Hoc quippè teſtatur Spiritus ſanctus in nobis, per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, quia ſumus filij Dei. Alioquin niſi per fidem renaſcamur charitate, quomodo ex Deo nati dicimur? charitas quippè Deus eſt, & ideò quiſquis ex ea renaſcitur, ex Deo natus eſt. Hinc notandum quod non ait, facite iſta, quia eſtis filij; ſed ait, facite quæ moneo, vt ſitis filij Patris veſtri. Ex quo mira locutio generatur. Quid enim filius patri poteſt eſſe niſi filius? Et tamen pater iam dicitur, licet adhuc facultas fiendi credentibus offeratur, vt ſitis, inquit, filij patris veſtri, ac ſi dicat, facite opera; ne degeneres ſitis, quia needum eſtis re, quod iam ſpe diuinitus facti eſtis. Nam & vulgò ſic ſæpè loquimur, fac ſis filius patris tui, non vtique natura, quod iam eſt, ſed imitatione quod needum eſt. Quantò magis de nobis hæc locutio, & Deo patre dicenda eſt, vbi non vna natura Dei & noſtra prædicatur, ſed hortamur permaneamus in gratia adoptionis, per quam iam filij nominamur, & nobis idem Pater dicitur. Præterea quærendum æſtimo, vtrum hæc ſententia pendeat ex eo tantum, vbi dictum eſt, diligite inimicos veſtros, an ad omnia, quæ ſupra præmiſſa ſunt? Liquet igitur ſatis quia illa hac ſola dilectione, per quam & inimicos diligere iubemur, complentur, & in ea cuncta recapitulantur. Quamobrem non ſolum ad hanc, verum & ad illa omnia, ex quibus conficitur charitas, referendum eſt, vt ſitis filij patris veſtri. Ac ſi patenter dicat, diligite inimicos veſtros miſericorditer, & hac ſola dilectione ſupplete omnia, quæ mandaui, vt ſitis filij patris veſtri. Accepta igitur poteſtate agite operibus, vt ſitis filij, quia ille iam pater eſt. Non enim poteſt non eſſe quod eſt. Idcirco vos eſtote renaſcendo per charitatem, quod vocati eſtis. Alioquin licet ille ſit pater, vos filij non eritis, niſi ex Deo nati ſitis: Deus quippè charitas eſt. Hoc quippè inſinuat filius ille prodigus, qui quamuis non audeat, nec dignum fateatur, ſe filium vocari, tamen nihilominus patrem eum appellat, quem ſcierat non poſſe mutari; ac ſi patenter clamet, ſi ego peccaui in cœlum, & non ſum dignus vocari filius, tu nunquam pater fore deſiſtis, neque viſcera paterni affectus vnquam prætermittis, fac me ſicut vnum de mercenariis; quod & Dominus noui Teſtamenti volens præcauere, ne ita tenus degenerarent adoptionis filij, implet iuſtitiam legis, remouet ſimultates carnalium; extendit præceptorum ſummam vſque ad inimicorum dilectionem, proponit exempla paterna; quæ debeant boni filij ſollicitius imitari, & reddit cauſam mandatorum omnium, vt ſitis, inquit, filij Patris veſtri qui in cœlis eſt. In cœlis autem, licet vbique ſit Deus pater, ideò monſtratur, vt dignitatem ſuam hæredes eius, & cohæredes Chriſti illic euindicent, ne forte peccaſſe in eo, vbi prodigus ille peccauit, demum gemendo doleant. Ioan. 1. 12.

Qui ſolem ſuum, inquit, oriri facit ſuper bonos, ac malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Hoc quippè pietatis exemplum; quamuis ſpiritaliter poſſit accipi de Chriſto, qui eſt Sol iuſtitiæ, quod ortus ſit ad redemptionem in carne ſuper bonos, & malos, & pluat imbrem Euangelicæ prædicationis ſuper iuſtos, & iniuſtos. Melius tamen de ſole iſto, & pluuia iſta quotidianis vſibus neceſſaria dictum accipimus. Quia Chriſtus etſi omnibus venit, ſiquidem non omnibus ortus reluxit, vnde in eo libro, qui inſcribitur Salomonis. Et Sol iuſtitiæ, inquiunt, non luxit nobis. Alioquin ſi omnibus luceret, & plueret imbrem prædicationis ſuæ ſuper vniuerſos, nequaquam iniuſti ſine fructu pœnitentiæ aridi remanerent, neque Propheta ex eo diceret: *Pluit ſuper vnam ciuitatem & ſuper aliam non pluit.* Idcirco patet Amos 4. 7. ſenſus, quod de hoc ſole, & de hac pluuia dicatur. In quibus non modica benignitas patris prædicatur, dum hæc bona temporalia æqualiter cunctis tribuit, æterna verò ſolis reſeruat iuſtis. Quod euidenter eis in exemplum, qui adoptantur, congruit vt imitari debeant paterna pietatis opera, & bonos, ac malos, iuſtos, & iniuſtos, omnes ſuis beneficiis abſque vlla exceptione circumfoueant & illuminent; irrigent verò charitatis

Digitized by Google

charitatis imbre & inebrient, ſi forte qui ſteriles videntur, quandoque ad melius conuerſi fructum ferant. Hactenùs Sanctus Paſchaſius, nos nunc ad inſtitutum argumentum veniamus.

Capvt Primvm.

Amor charitatis omnes homines, amicos & inimicos complecti debet.

SCRIBÆ & Phariſæi, vtpote charitatis expertes malè diuidebant voluntatis affectus; amicis amorem, inimicis odium impendentes: at cœleſtis Magiſter adeò latè patere amorem veræ charitatis docuit, vt non ſolum amicos, ſed inimicos pariter complectatur. Latiſſimum charitas ad recipiendos omnes homines ſinum expandit. De ea intellexit Auguſtinus, illud Pſalmi: *Latum mandatum tuum nimis.* Charitatis mandatum, ideò latum nimis dicitur, quia cunctos homines capere debet. Hunc latiſſimum charitatis ſinum luculentius deſcribit idem Auguſtinus, inquiens: *Amicitia non anguſtis finibus terminanda eſt. Omnes enim, quibus amor & dilectio debetur, amplectitur, quamuis in alios propenſius, in alios ſuſpenſius inclinetur. Peruenit autem vſque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, & ſi non pro mutua charitate, pro ipſa tamen communis naturæ ſocietate debeatur.* Accedit Chryſoſtomus: *Tanta,* inquit, *charitatis vis eſt, vt cœlo latiorem faciat animam.* Nil cœlo latius, nil capacius charitate, quæ cor latiſſimum efficit, quale Chryſoſtomi erat, qui eadem homilia ait: *Si liceret cor noſtrum diſrumpere, ac oſtendere, videretis intus eſſe in magna latitudine vos omnes mulieres, pueros ac viros, &c.* Quis tantam hanc latitudinem effecerat? profectò charitas. Nam vt ait idem Chryſoſtomus: *Quemadmodum quod calefacit dilatare facit: ita & charitatis opus eſt dilatare: virtus enim calida, & feruens eſt charitas.* Eodem loco, quam latum Paulo cor effecerit charitas, ſic indicat: *Cor Pauli dilatauit charitas, nihil latius corde Pauli totum orbem complexus eſt, &c.* Anguſtis amicorum finibus charitatem Iudæi circumſcribebant: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* At Chriſtus iſtiuſmodi metas tranſgreſſus ad inimicos iubet extendere, *diligite inimicos veſtros.* Cum autem cor dilatatur ad amandum, os non contrahitur, ſed pariter dilatatur ad loquendum. Vnde vox illa Pauli: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis; anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. Eandem autem habentes remunerationem, dilatamini & vos.* Patebat os Pauli ad concionandum & loquendum cum omnibus hominibus: patet item os viri charitate inflammati ad loquendum cum inimicis, patet & cor ad diligendum. Non anguſtiamini, inquit, in me; latiſſimum enim cor omnes lato capit ſpatio. Nullus inimicorum quos non inimicos, ſed amicos reputo; anguſtum in meo corde locum habet, ſed latum. Vos anguſtiamini in viſceribus veſtris; anguſta enim viſcera erga me habetis, qui inimici eſſe vultis; neque enim me viſcera veſtra capiunt. Dilatamini & vos, dilatate corda, charitate capite me. Ex hoc Pauli loco Hugo Cardinalis, ſic colligit: *Qui ergo loqui nolunt, ſignum eſt, quod non habent cor dilatatum per charitatem.* Id ergo omnes facere ſtudeant, quod Sanctus Bernardus, ſic monet: *Volo autem vt in vnitate quiſque ſic maneat, non quaſi vnus ex omnibus, ſed quaſi cum omnibus vnus: latum expandat ſinum ex omni genere affectionum, claudat intra viſcera ſua; omnibus fiat, & congaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.*

S. Auguſt. in Pſal. 118.

Idem Epiſt 121 ad Probam, cap. 6.

Chryſoſt. hom. 44. in acta Apoſt.

Idem hom. 13. in ep. 2. ad Cor.

2. Cor. 6.

S. Bernard. lib. de vnit. ſeruand.

Adeò neceſſarium eſt amorem ad omnes prorſus homines extendi, vt Patres eam non germanam charitatem exiſtiment, quæ hanc non habuerit latitudinem. Quapropter Sanctus Auguſtinus, ſic ait: *Ipſa eſt vera & germana charitas, quæ non ſolum, vſque ad amicos ſed etiam vſque ad ipſos peruenit inimicos.* Expreſſius Chryſoſtomus idem docuit, his verbis: *Quid proderit, quod aliquem vehementer amas? humana eſt illa dilectio; ſi verò non eſt humana, ſed propter Deum diligis, dilige omnes.* Chryſoſtomi veſtigiis inhærens Theophylactus, ait: *Iſtud eſt diuinæ charitatis proprium omnes complecti: nam ſi hunc diligas, illum verò non, etiam humana iſta amicitia eſt.* Quæ humana amicitia, quamuis nullius periculi eſſe videatur, magnum tamen ex ea ſequi damnum aduertit S. Ambroſius ad ea verba: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Ita ſcribens: *Quod vtique non facit niſi liber à vinculis ſollicitudinis ſæcularis, ſed etiam à vinculis charitatis humanæ.*

S. Auguſt. ſerm. 61. de temp.

S Chryſoſt. in c. 1. ep. 2. ad Theſſ.

Theoph. in c 3. ep. 1. ad Theſſ.

S Ambroſ. in Pſal. 118.

Ob hanc & alias cauſas Sancti Patres has amicitias humanas, quæ inter paucos arctè intercedere ſolent, non ſolum improbant; ſed etiam acerrimè damnant. Vnus pro omnibus ſufficit Chryſoſtomus, qui loco proximè notato ſic ſcribit: *Nunc quoque inuenimus eſſe apud multos charitatem, atque dilectionem, ſed hanc charitatem, & dilectionem eſſe cauſam diſſenſionis: nam quando bini, aut terni fuerimus coniuncti, & duo quidem aut tres, aut quatuor valde inter ſe fuerint colligati; à cæteris autem ſe ipſos abſtrahentes, eo quod ad illos poſſint confugere, & illis in omnibus confidere, hoc eſt, diſſenſio, non dilectio.* Cuius prauæ coniunctionis, damnum, atque periculum apta ſimilitudine aperit, ſic ſcribens: *Si oculus omnem prouidentiam & curam, quam pro vniuerſo corpore habet, in ſolam manum deriuaret, ac reliquis membris omnino contemptis, vni iſti intenderet, an non totum perderet? Abſque dubio: ita & nos ſi charitatem, quam in vniuerſam Eccleſiam extendere debemus, in vnum & alterum coarctauerimus, & nobis ipſis, & illis, totique Eccleſiæ perniciem, inferemus; iſta namque non ſunt charitatis, ſed diſſidij, ſchiſmata nempè, & ruptura.*

Porrò autem, quia doctrina hæc minus religioſa, & ad ſtrictam ſanctorum normam videtur exacta, accedat Ethnicus Philoſophus Seneca;

Senec. epiſt 65.

qui

qui eam ſic confirmat: *Ne vnum quidem amauit, qui plus quàm vnum amare non potui.* Rationem reddit Senecæ ſcholiaſtes Lipſius inquiens: *Quia amicitia ſociabilis virtus eſt; nec vt laſciuus ille amor in vnum fertur.* Si vero quæras, cur homines proprios ſibi amicos aſciſcant; communes vero reſpuant, & amicos reputare nolint? Reſpondet idem Seneca: *Stulta auaritia mortalium poſſeſſionem, proprietatemque diſcernit, nec quidquam ſuum eſſe credit, quod publicum eſt.* Similiter homines errant circa amicitiam. Quem errorem pulchrè refutat Hugo Victorinus dicens: *Spiritualis amor tunc melior eſt ſingulis, quando omnibus eſt communis, nec participatione plurium minuitur, cuius fructus vnus, & idem totus in ſingulis reperitur.*

Idem ep. 74.

Hugo Vict. Soliloquio de arrha animæ

CAPVT II.

Similis eſt Soli, qui omnes amore complectitur.

APtiſſima Dominus ſimilitudine propoſuit Solis in bonos, & malos charitatis ſuæ radios, viteſque virtutis effundentis, quoniam qui omnes etiam inimicos amore complectitur multis imitatur Solem modis. Nam quemadmodum Sol nemini lucis ſuæ gratiam denegat: ità qui veram charitatem poſſidet, omnibus æqualiter amoris radium profundit. Quod ſanctus Baſilius ſic docuit: *Vt Sol promiſcue omnibus lucem impartitur: ſic imitatores Dei charitatis ipſorum radium æqualiter communicare omnibus debent: quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eius loco odium ſuccedit.* Deliquium, ſiue ecclypſim charitatis patitur mens, quæ vel vnum tantum hominem odio proſequitur. Vnde illud Ioannis: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris manet*, nimirum ecclypſi luce priuatus. Sol quidem ita lucis ſuæ beneficium nemini negat, vt hominem ipſe quærat. Etſi quam vel minimam reperit rimam, ingreditur: ita etiam Dei imitator inimicum ipſe quærit, ipſe quamuis læſus ad reparandam gratiam feſtinat; ſi quam rimam, ſi quam amicitiæ occaſionem, vel minimam aduerſarius offert, lætus arripit.

S. Baſil. de inſtit. Monach. ſerm. 1. & 2.

1. Ioan. 2.

Secundo, vt Solis ardor nubes abſumit, ſic charitatis incendium, inimicorum iniurias facilè diſſipat, & in nihilum redigit. Bene Plutarchus: *Animantia, quæ plurimum ſtomacho valent, etiam ſi ſerpentes, & ſcorpios edant, concoquunt, ſunt etiam quæ metallis, ſaxis, & teſtis alantur.* Eodem modo Chriſtiani, qui ſtomacho & animo valent, diuinique amoris ardore excellunt, omnia opprobria, omnia concoquunt conuitia, his ſerpentibus, ſcorpiiſque pingueſcunt. Propone tibi ante oculos martyrum ardentiſſimum ſtomachum: nonne lapides, gladios, ſagittas, cruceſque concoxerunt? Nos ne verbulum quidem, aut conuitium vnum concoquere poſſumus. O frigidum ſtomachum! Audi Auguſtinum: *Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ, & tam delicatæ puellæ flammas, aquas, & beſtias æquanimiter pertulerunt, & nos hominum conuitia dicimus tolerare non poſſe. Vnde neſcio qua fronte, vel qua conſcientia cum omnibus ſanctis partem in æterna beatitudine habere deſideramus, quorum exempla ſequi in rebus minimis non acquieſcimus.* Vt robuſtus ergo ſtomachi calor ex venenato cibo ſalutarem elicit ſuccum: ita animus charitate ardens ex inimicorum inuidia, odio, iniuriis vitæ comparat alimentum. Atque vt vitalis Solis calor ex terra ſterilium mentium, aurum, & lapides pretioſos gignit: ita animus charitate flagrans ex frigido & ſuperbo inimicorum pectore pretioſa, & aurea merita depromit. Ex fertilibus quidem mentibus poma, flores, frumentumque colligimus: at ex ſterilibus aurum & lapides pretioſos. Quæ ratio mouit Auguſtinum, vt diceret: *Plus diligendi ſunt inimici, quam amici. Qui enim inimici ſunt, corpori aduerſantur, & animæ præparant æterna præmia, quia qui carnalia noſtra, & terrena rapiunt, cæleſtia nobis, & ſpiritualia congregant.*

Plutarch. lib. de vtilitate capienda ex inimicis.

S. Auguſt. ſerm. 61. de tempore.

Idē ſerm. 55. de tempore.

Tertio, ſicut Sol mirabili celeritate rapitur, & maximo impetu totum orbem luſtrat: ita animus charitate ardens ad complectendos, & beneficiis afficiendos tam amicos, quam inimicos impetuose fertur. Sol quidem ob impetum curſus gigas appellatur à Regio vate. De eo enim ad litteram eſt illud: *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Similiter charitas exultat fortitudine gigantea ad currendam viam, etſi ſentibus plenam. Sic amor ille Pauli, amor certe gigas exultabat ad currendam, non vnam, ſed mille vias: *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, &c.* Sol ita impetum curſumque tenet ſuum, vt nulla illum res, nec puncto quidem temporis poſſit remorari: ſic vehemens charitas curſu ſuo ita fertur, vt nullis blanditiis, nullis voluptatibus, nullis contumeliis, nullis tormentis poſſit retardari. Audi Bernardum dicentem: *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus, &c.* Fuit ne aliquid in vniuerſa rerum natura, à quo amor Pauli in Deum, atque homines flagrans poſſet à ſuo curſu depelli? Audi ipſum ad Romanos res omnes terribiles laceſſentem & ad certamina prouocantem: *Quis nos ſeperabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an fames, &c. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c.*

Pſal. 18.

2. Cor. 11.

S. Bernard. ſerm. 79. in Cant.

Ad Rom. 8.

Capvt III.

Grauiſſimum peccatum eſt odium inimicorum.

QVamuis olim inter Iudæos dogma illud ferebatur non modo vt licitum, ſed tanquam legis præceptum:
Matth 5.
Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Nullo hæc extrema verba veteris ſcripturæ loco repetiuntur. Vnde Gloſſa ſic habet: *Sciendum eſt in toto corpore legis non eſſe ſcriptum, odio habebis inimicum tuum; ſed hoc dicitur quantum ad traditionem ſcribarum, quibus viſum eſt hoc addendum; quia Dominus præcepit filiis Iſraël perſequi inimicos ſuos, & delere Amalech de ſub cælo.*
S Auguſt. lib. 19 contra Fauſtum cap. 24
Addit ſanctus Auguſtinus ea verba, etiamſi in lege ſceipta dareimus, ſic eſſe intelligenda, vt concederetur odium inimici, non vt homo, ſed quatenus malus eſt vt oderis vitium, non naturam. Ideò ait: *Hæc itaque regula eſt, ne oderimus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt, rationalem creaturam. Audito igitur, & non intellecto, quod antiquis dictum erat: oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cum non deberent odiſſe niſi vitium.* Quod ſi quæras: num Iudæis licuerit odio habere ini-
Abulenſ. Matth 5. quæſt. 547.
micos? Reſpondet Abulenſis non licuiſſe; lex enim naturalis odium etiam aduerſus inimicos vetat. Imo in lege veteri, charitatis erga inimicos mentio fit. Leuit. 19. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Et Pro-
Prou. 24. & 25.
uerb. 24. *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.* Rurſus: *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitierit,*
Exod 24.
da ei aquam bibere. Item Exod. 24. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te ſub onere iacere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Adde extare præceptum diligendi proximum.
Leuit. 19
Leuit. 19. *Diliges amicum, ſiue proximum tuum, ſicut te ipſum.* Proximus autem eſt etiam ini-
Luc 10.
micus, vt indicat Dominus, vbi oſtendit Samaritanum proximum fuiſſe illi, qui in latronum manus inciderat, Samaritanis autem Iudæi
Ioan. 4.
non coutebantur. Et ſanctus Auguſtinus ait:
S Auguſt. ſerm 26. de Diuerſis.
Dilige proximum tuum, id eſt, omnem hominem; ex duobus enim primis parentibus omnes nati, omnes vtique proximi ſumus.

Etenim inimicorum odium non ſolum nunquam fuit licitum, verum grauiſſimum eſt peccatum: aditum enim ſalutis ferè præcludit. Id in reprobo Cain videre poſſumus, cui Deus
Geneſ 4
dixit: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* Qua maledictione, quam grande malum ſit odium proximi ſatis oſtenditur. Nam cum ex peccato primi parentis tota humani generis poſteritas infecta ſit; cur Adamus peccans minimè maledicitur, Cain vero ob fratricidium hac maledictione percellitur? Plane, quia peccatum Adæ ex infirmitate fuit; at Caini ex odio, atque malitia. De quo ſanctus Chryſoſtomus ad hunc locum: *Adamo dictum eſt; maledicta terra in opere tuo, & in terram effuſa eſt maledictio, oſtenſa Dei, in hominem cura; hic vero quia res pernicioſa, facinus iniquum, ipſe Cain pœnam luit: maledictus tu de terra.* Grauiſſimum quoque fuit facinus Dauid, cum Vriæ vxorem abſtulit, & vitam, fecitque eo delicto blaſphemari nomen Domini. Cur igitur non occurrit Deus de cœlo & inclamat: maledictus tu Dauid è terra, quod tamen in Cain pronuntiat. Eadem profecto eſt reſponſio, vt colligitur ex ſancto Ambroſio ſic diſputante: *Dauid vero occiderat virum minimè reum, ſed occiderat non ſtudio crudelitatis impulſus, ſed vt obumbraret pudorem, tegeret verecundiam concupiſcentiæ. Non cruento fecit affectu, ſed vi tentationis inflexus eſt.* At Cain cruento fecit affectu, teterrimo odio tinctus fratrem occidit. Hinc factum eſt, vt ſanguis Abel vocem haberet, qua Dei iuſtitiam in ſui vindictam imploraret; ſanguis vero Vriæ careret voce, quod videlicet ſanguis Abel cruento odij affectu effuſus eſſet, nec haberet Cain opera bona, confeſſionemque ac pœnitentiam quibus terram occluderet, & obturaret, ne ſanguis Abel vocem poſſet in altum tollere: at ſanguis Vriæ, nec ex odio fuit effuſus, habuitque prætere a Dauid multa bona opera, pœnitentiam maximè, confeſſionemque delicti quibus terram occluſit, ne poſſet clamare. De quo ſanctus Ambroſius eodem loco ait: *Merito vox ſanguinis Abel iuſti clamauit ad Dominum, qui nullis Cain impij bonis operibus tegebatur, quia parricidalis erat; quia non confitebatur flagitium, ſed negabat: Dauid vero texit peccata ſua, ipſe beatos dicit, quorum tecta ſunt peccata: Texit charitate, atque operuit peccata ſua operibus bonis. Dilexit multum, vt nimia charitate tegere quemuis poſſet errorem.* Cain ergo ob proximi odium maledicitur, reprobatur, & procul à ſupernis ſedibus deiicitur.

Id ipſum de omnibus, qui proximum odio proſequuntur, teſtatur ſanctus Auguſtinus in-
S. Auguſt. ſerm. 68. de Tempore.
quiens: *Qui talem pacem, & talem charitatem habet, vt omnes homines diligat amicos, & inimicos, qua parte voluerit intrare illius cæleſtis Hieruſalem portas apertas merebitur inuenire: Qui autem non vult habere talem charitatem ex omni parte portas clauſas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clauſis ianuis ſponſi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audient vocem, neſcio vos.* Id Auguſtinus colligit ex illis verbis Pſalmi: *Poſuit fines tuos pacem.* Pſal. 147.
Nam cum fines, ſiue muri cœleſtis Hieruſalem ſint pax, ſiue charitas, illis patebit aditus, qua parte voluerint, qui amicos, & inimicos perfecta charitate complectantur; eis vero ex omni parte ingreſſus negabitur, qui eiuſmodi charitate caruerint.

Huc ſpectat parabola illa Regis, qui poſuit rationem cum ſeruis ſuis: *Serue nequam,* Matt. 18.
aiebat; *omne debitum dimiſi tibi, &c.* Vbi ſanctus Chryſoſtomus ſic ait: *Quando decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque eſt conuitiatus, ſed miſertus; quando autem contra conſeruum odiuum oſtendit, tunc dicitur: ſerue nequam, &c.* Debebat ſeruus ille decem nullia talenta, id eſt, pluimorum & grauiſſimorum peccatorum reus, erat; non tamen punitur, nec vllo conuitio violatur, ſed potius totum debitum ei remittitur: at cum cruentum odium proximo oſtendit,

tunc

Digitized by Google

tunc procul à Rege amandatur, & in æternas carceris tenebras detruditur. Et quidem iure optimo tenebris æternis punitur, qui nunc tenebroſo odio ſemper inuoluitur. Nam teſte
1. Ioan. 2. Ioanne: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris manet.* Vnde mirum non eſt, ſi ſol, qui lucis eſt fons horum aduerſarius, & contra ipſos teſtis exiſtat. In hunc enim ſenſum ex-
Ad Epheſ. 4. plicatur ab aliquibus locus ille Pauli: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Ac ſi dicat, tenebroſum iræ, ſiue odij vitium ex animo pellite, cautè à ſole tenebrarum hoſte, & huius vitij teſte, atque priuſquam occidat, iram deponite. Sic explicat ſanctus Hie-
S. Hieron. ep 36. ronymus: *Sol* (inquit) *non occidat ſuper iracundiam veſtram. Quid faciemus nos in die iudicij, ſuper quorum iram non vnius diei, ſed tantorum annorum Sol teſtis occubuit?* Id quod
Lactant l. 6. diuin. inſtit. cap. 18. mutuatus videtur ex Lactantio ſic ſcribente: *Præcepit Deus non occidere ſolem ſuper iram noſtram, ne furoris noſtri Sol teſtis abſcedat.* Hoc autem intelligendum etiam de ira iuſtè concepta ad punitionem delictorum confirmat Hieronymus ſupra ex eo, quod Deus in lege iuſſerit ſontium corpora è cruce deponi ante Solis occaſum, *vt depoſita iam ira ſignificaretur, neque Sol teſtis decederet permanentis adhuc iræ, & indignationis.* Quin ea quo-
Ioſue 10. que ratione Ioſue dixiſſe videtur: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon; ſteteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Quaſi noluerit feruente adhuc bellico furore, & nec-
Eccleſ. 46. dum ſedata ira, abire ſolem. Id quod Eccleſiaſticus innuit his verbis: *An non iracundia eius impeditus eſt Sol?* id eſt, retentus, atque prohibitus recedere ante pacatam iram, ne ſe humanitatem prorſus exuiſſe teſtari poſſet, vt diſcant qui iuris poteſtate gaudent, ad iuſtam delictorum punitionem, non eandem concipiendæ, ac retinendæ iræ legitimam cauſam eſſe; neque quod ſemel iure ac merito irati ſunt, ſemper ſe eodem iure iratos eſſe poſſe, arbitrentur; ſed iram iuſtè ſuſceptam, iniuſtè ſeruari putent.

Cum ergo inueterata ira, ſiue odium inimicorum tam graue ſcelus ſit, vt ſalutis aditum fere præcludat, hominem diuinæ maledictioni obnoxium reddat & ſolem contra ſe teſtem conſtituat, iure optimo conqueritur ſan-
S. Auguſt. ſupra citat. ctus Auguſtinus ob leuiſſimas ſæpe cauſas tam graue piaculum ſuſcipi, nam loco citato ſcribit: *Vnde nimis dolendum eſt, quod cum ſancti ab hac charitate, nec tormentis, nec variis perſecutionibus poſſent ſeparari; nos interdum otioſis fabulis ſeparamur, & nonnunquam ob paruiſſimum conuitium, & cuiuſcumque miſeri hominis detractionem, ita derelinquimus charitatem, vt non ſolum cum eo multis diebus; ſed etiam menſibus, fortaſſis & annis, nec loqui, nec ad conuiuium peruenire velimus.*

CAPVT IV.

Inimicorum odium Deus prouidè curauit ab humano exterminare genere.

IGitur cum tantum malum ſit inimicos odiſſe, merito Saluator mundi inimicos iubet diligere, imo ſemper Deus omnium proximorum odium ex hominum genere exterminare ſe velle oſtendit. Quod vbique locorum, ac temporum vehementer exoptàſſe, ex diuinis litteris ſatis liquet. Nam cum conceſſit Deus Noë, & omnibus hominibus, vt car- Geneſ. 9.
nibus poſſent animalium veſci, ſanguinem excepit illis verbis: *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Id poſtmodum in Le- Leuit. 17.
uitico, tam obſtrictè prohibuit, vt dicat Deus: *Homo quilibet, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Quo loco diſputant interpretes, cur Deus hanc legem tam ſeuere ſanxerit? S. Thomas ſequutus S. Thom. 1. 2.
S. Ambroſ. & Chryſoſt. eam inter alias cauſam quæſt. 10.
aſſignat, vt vellet Deus homines ab inhumani- art. 3.
tate & odiorum crudelitate procul arcere; hi enim quibus eſus ſanguinis animalium tam ſtrictè interdicebatur, intelligere debebant, ſe ab humano ſanguine, & opere fundendo, & odio ſitiendo, remotiſſimos eſſe debere. Nam qui homines in animalia feros eſſe nolebat, quales quæſo erga fratres ſuos exoptabat? Sed cum à toto orbe, multo magis ab Eccleſia ſua odium exterminari vult Deus. Hinc vox illa ſponſi: *Surge Aquilo, & veni Auſter, &* Cant. 4.
perfla hortum meum. Quæ verba ſanctus Hie- S. Hieron.
ronymus ſic exponit: *Fugatur de horto Do-* lib. 12. in
mini Aquilo, ventus duriſſimus, ne refrige- cap. 40.
retur dilectionis calor, floreſque marceſcant. Ezech.
Aquilo iſte merito fugatur ab Eccleſia, quia vt dixit Hieremias: *ab Aquilone pandetur om-* Hierem. 1.
ne malum. Huc ſpectat quod ſub ſymbolo Prouerb. 31.
fortis mulieris dicitur de Eccleſia: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Hugo Card. per frigora niuis odium, & perſecutionem malorum intelligit; volens autem Eccleſia familiam ſuam tueri, ne odij frigore algeret, duplicatam ei veſtem prouidit, id eſt, duplicem charitatem, Dei videlicet, & proximi. Congruit huic expoſitioni lectio plurimorum, qui in Hebræo ſic vertunt: *Omnes Domeſtici eius veſtiti ſunt coccinis, ſeu bis tinctis.* Nam per coccum bis tinctum geminam Dei & proximi charitatem Patres non ſemel intelligunt. Eccleſia ergo contra immania brumæ frigora, id eſt, inteſtina odia, familiam ſuam duplicata geminæ charitatis veſte communit, ne locum vnquam apud ſuos odium inueniat.

CAPVT V.

Amor inimicorum auctoritate Chriſti mandantis commendatur.

AD prouidam Dei curam, vt amentur etiam inimici ſpectat ſui filij magiſterium.

ſterium. Aptiſſimè propterea Euangelicus Propheta Chriſtum appellauit ædificatorem ſepium: *Vocaberis*, inquit, *ædificator ſepium, auertens ſemitas iniquitatis.* Quod vt bene intelligatur, meminiſſe oportet vineæ illius, quam Deus olim plantauit, hoc eſt, Iudaicum populum; cui tanquam vineæ ſepem circumdedit diuinæ legis, quam Scribæ, & Phariſæi multis ex partibus corruperunt, ſiue ruperunt, & tanquam in ſepe diruta, ſemitas fecerunt, quo vineam Domini iniquitatibus vaſtarent. Harum ſemitarum plura exempla ipſe narrauit Dominus in ſermone montis quale eſt licere libellum repudij dare vxori, quæ non eſſet grata; quamuis eſſet bona: item, licitum eſſe iraſci, & aſpera verba iaculari in malefactores & alia huiuſmodi: vltimo loco ſubiunxit peſſimam aliam ſemitam à Phariſæis factam; dicebant enim ex præſcripto legis diligendos eſſe amicos; ſed inimicos odio proſequendos. Has igitur occludit, & auertit Saluator ſemitas iniquitatis; ſed cum ad vltimam ſemitam venit, ait: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Diuina authoritate mandantis hoc commendat; & quidem ſat eſt Chriſtum ſuam interponere authoritatem aſſeuerando: *Ego autem dico vobis*, vt id æquum iudicemus, animo complectamur, & exequamur opere quod iubet. Chriſtianus igitur inimicos ex corde diligat, quia Chriſtus clamat: *Ego autem dico vobis* — Iſai. 58.

Tantæ apud diſcipulos erat authoritatis Pythagoras, vt in omnibus ſententiis quantumuis difficillimis, vel amplectendis, vel repudiandis voce illa vterentur, cuius meminit Nazianzenus, *ipſe dixit*: Cum ergo vt recipiatur amor inimicorum, Deus Chriſtus clamet: *Ego autem dico vobis*; cur nos tota mente non aſſentiamur? dicentes, *ipſe dixit.* Magiſter generis humani, qui ſapientia æterna eſt, docet nos inimicos diligere, cur non toto corde dogma amplectamur. — Naz. orat. 3. contra Iulian.

Tantæ etiam authoritatis fuit Ionadab filius Rechab, apud filios ſuos, vt ipſo præcipiente, ne vnquam biberent vinum, ipſi nunquam vinum guſtauerint, quantumuis ab aliis rogati. Quod ſe expertum eſſe tradit Hieremias, dicens: *Poſui coram eis Scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos, bibite vinum.* Cumque adduci non poſſent, vt biberent, hanc ſubiecerunt cauſam: *Quia Ionadab pater noſter*, filius Rechab, *præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum.* Si ergo apud Rechabitas filios patris mandatum tantum valuit, cur Chriſti authoritas mandantis: *Ego autem dico vobis*, apud nos non valebit? Quamobrem eo loco Deus per Prophetam ita queritur: *Ego autem locutus ſum ad vos, & non obediſtis mihi.* — Hierem. c. 3.

Iam vero quantam authoritatem erga milites habet Imperatoris mandatum? Miles ſcalam aſcendit, morti ſe ſæpe deuouet, quia Imperator præcipit. Scipionis Africani mandatis nunquam eius milites reclamarunt, teſte Plutarcho. Quod vt aſſequeretur Sertorius, vt tradit idem author in eius vita, ceruam cicurauit, quæ ſæpe accedens Domino blandiebatur, ex quo ipſe fidem fecit militibus, atque populo ceruam illam à Diana miſſam, vt eum de rebus gerendis inſtrueret: mandatis ſuis authoritatem diuinam iniungere curauit, quo in difficilibus rebus milites facile obſequentes haberet. At in re noſtra nil fictum, Deus verus teſtatur: *Ego autem dico vobis.* Prophetarum vocibus Reges ipſi incunctanter obediebant, quod in eis diuinam vocem ineſſe exiſtimabant. Magnis ſumptibus populus præparauerat neceſſaria ad bellum, & iuſtum illud quidem; ſed ecce ex tranſuerſo Propheta quidam edicit: *Non aſcendetis, nec pugnabitis contra fratres veſtros.* Quid ergo illi? Additur ſubinde, *qui cum audirent ſermonem Domini, reuerſi ſunt, nec perrexerunt contra Hieroboam.* Plura ſunt in hanc rem ſacrarum litterarum exempla. — 2 Paralip. 11.

Quemadmodum enim, quia Deus dicit, quod ſit trinus & vnus, captiuamus intellectum in obſequium fidei. Similiter quia ipſe ait: *Diligite inimicos veſtros*, captiuemus voluntatem in obſequium charitatis. Noë cuncta animalia in arcam ſuam admiſit, non ſolum mitia, & vtilia, ſed etiam feræ, & venenata; non ſolum ouem & Columbam, ſed Tygridem & Leonem. Cur ita? Quia Deus ita fieri mandauit. Ob eandem ergo rationem homo non ſolum manſuetos amicos, ſed feros etiam inimicos ad arcam cordis admittat. Hoc autem Chriſti mandatum ſicut hoc loco expreſſum eſt, ita in omnibus quatuor Euangeliis, & verbis, & exemplis frequenter inculcatur. Vnde illud Exodi, quod de latitudine cortinarum tabernaculi dicitur, *Latitudo quatuor cubitorum erit.* Gloſſa interlinealis ſic exponit: *Amplitudo charitatis, quæ etiam inimicum diligit. Quatuor cubitorum dicitur, quia quatuor ſunt Euangeliorum libri, in quibus exemplis & verbis Chriſti charitas tenenda docetur.* — Exod. 26.

CAPVT VI.

Exemplo Dei inimicorum iniurias dimittere docemur.

QVi nobis diligere inimicos commendauit, rem difficilem, non tam verbo, quam exemplo docuit, vt illatas nobis ab inimicis iniurias facile dimittamus, facillime ipſe Dominus, atque promptiſſime iniurias ſibi factas ab hominibus dimittit. Tam facile ac prompte quidem inimicis parcit, vt ipſe per legatos de reconciliatione nobiſcum agat. Expreſſum eſt Apoſtoli teſtimonium: *Pro Chriſto* (inquit) *legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quam dignationem admiratus ſanctus Chryſoſtomus ait: *Quid hoc eſt? ipſe rogat, qui iniuriam paſſus eſt? Valde, inquit, nam Deus clemens eſt, & ipſe tanquam pater miſericors deprecatur.* Conſonat ſanctus Gregorius, vbi eadem Pauli verba — 2. Cor. 5. — S. Chryſoſt. hom. de Aſcenſ. — S. Gregor. hom. 32. in Euang.

Digitized by Google

verba expendens ſic habet : *Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccato fecimus, & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, vt nos ipſi, qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus.* Quanta autem authoritate legationis munere fungatur Paulus, oſtendit Sanctus Chryſoſtomus citatus ab Hugone Cardinali hoc loco. *Credendum eſt* (inquit) *quod litteras ſummi Papæ ſigillatas detulit: ſigilli impreſſio paupertas, ſitis, fames, crucis ignominia, & huius litteræ: Ieſus Nazarenus, &c.* Optime ſigilli impreſſionem deſcripſit: nam vt idem Paulus teſtatur: *Pro eo legatione fungor in catena.* Si ergo Deus maximis iniuriis ab hominibus affectus, ad eoſdem mittit legatos, qui reconciliationis ſint oratores; quam æquum eſt, vt homuncio, ſi non roget, tamen rogatus remittat iniurias.

Parum eſt, Deum ad homines pro oranda reconciliatione legatos miſiſſe; illud præcipuum, quod filium ſuum mediatorem miſit, vt non ſolum verbis afficeret, ſed morte perficeret. Quod Paulus magno verborum pondere exprimit, dicens: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Rom. 5. Particula *cum*, idem eſt, *ac quando*, quaſi dicat: quando inimici eramus, ſeu cum inimicitias gerebamus cum Deo: non enim expectauit, vt aliquid nos de reconciliatione loqueremur, vel cogitaremus. Vnde ſubdit: *Cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus, pro impiis mortuus eſt.* Subinde, hunc inimicorum amorem magis exaggerans, addit: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Origenes ad hunc locum ſapienter notat, nos à Paulo non ſine ſua gradatione ad reconciliationis præſtantiam commendandam triplici epitheto apte notatos, *infirmi, impij, peccatores*, Tum vt omne genus peccati comprehendat; tum etiam, vt quanta vis diuini amoris fuerit, quantumque reconciliationis beneficium in nos, quando tales eramus, oſtendat. Poſuit autem primo loco: *Cum infirmi eſſemus.* Plane non alia, quam peccati ægritudine, qua inualidi, & impotentes ad reconciliationem tractandam eramus: atque adeo omnino gratuita fuit, nobis nihil merentibus, nec mereri valentibus. Quaſi verò hoc parum eſſet, vt magis rem augeat, & reconciliationem commendet illuſtrius, addidit: *Cum adhuc peccatores eſſemus, cum adhuc inimici eſſemus*, id eſt, non modo nobis inualidis, impotentibus, & omnino immeritis, ſed quod magis eſt, adhuc male merentibus, peccatoribus, impiis, inimicis, &c. Congruè ad hanc ſententiam exponunt quam plures interpretes particulam illam *ſecundum tempus*, hoc eſt, quando opportunum fuit tempus ad demonſtrandam diuinæ bonitatis immenſitatem, quando ſcilicet omnia erant infidelitate concluſa, & mundus iniquitate repletus: cum adhuc infirmi, adhuc peccatores eramus, cæcaſque cum Deo & acerbas inimicitias gerebamus; vt non ſolum multo ante tempore, ſepulta iam velut obliuione iniuria, ſed etiam recens illata. Quem ſenſum illuſtrat Hieronymus: *Miratur*, inquit, *Apoſtolus bonitatem Chriſti,* S. Hieron. ad Algaſiam ep. 151. q. 7. *quod pro impiis, & infirmis, & peccatoribus mori voluerit, & mori opportuno tempore, quando omnes peccauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non fuit qui faceret bonum, non fuit vſque ad vnum. Incredibilis bonitas, & clementia inaudita, mori pro impiis ſecundum tempus.* Id eſt, quando ipſi tota animi crudelitate, & omnium ſcelerum armis contra Deum pugnabant. Hanc mirabilem temporis circunſtantiam expendit Bernardus: *Venit Redemptor non in initio, nec in medio temporis, ſed in fine.* S. Bernard. ſerm. 1 de Aduent. *Nec incongruè factum eſt ſed verè ſapienter diſpoſuit ſapientia, vt cum magis eſſet neceſſarium, tunc primo ferret auxilium pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Verè enim adueſperaſcebat, & inclinata erat iam dies. Abundante iniquitate feruor refrigerat charitatis, præ nimia vtique duritia hominum, & obſtinatione. At ego, ait filius, tunc dixi ecce venio.*

Porro, ita Deus deſiderat cum hominibus ad gratiam redire, & per ſe rogare, ac perficere reconciliationem, vt olim noluerit oratores, ſeu mediatores pacis adhibere. Vnde illud Hieremiæ: *Quis miſerebitur tui Hieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Hierem. 15. Hac ratione explicat ſanctus Hieronymus: *Nullus poteſt offenſo Deo pro flagitiis rogare peccantium; nec tam clemens poteſt, creatura; quam conditor eſſe, nec ita alienus externis quomodo Dominus parcere ſuis.* Ita Dominus ingratum populum rogauit, vt in hoc ſummæ bonitatis officio laborauerit, vt apud eundem Prophetam ibidem ait: *Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abiiſti, laboraui rogans.* Vbi idem ſanctus Hieronymus ait: *quod laſſus ſit Deus rogans, & ſemper eos prouocans ad ſalutem.* Vide genus hoc reconciliationis, quod adeo inter inimicos ſibi homines difficile eſt ac laborioſum, Deum optimum non refugiſſe, ſed quæ illius eſt immenſa bonitas, charitas, & pax, quæ exuperat omnem ſenſum, difficultatem prorſus omnem exuperaſſe, vt non modo nos ſibi inimicos prior ipſe diligeret, & apud ſe ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis haberet, verum etiam præueniendo noſtras legationes & preces, nec expectando inimicorum præcedenda merita aut obſequia nos adiret, ab indignis, ac renitentibus pacem rogaret, & rogans, vrgens, obteſtans fatigaretur donec infenſos ſibi, & oppidò alienatos reconciliaret, & quod vno verbo dixit Apoſtolus: *Malum in bono vinceret.* Vt homines diſcant inimicos conuenire, benigne alloqui, rogare, & in gratiam redire: nam ſicut Ethnicus Philoſophus dixit: *Specioſius iniuria beneficiis vincuntur, quam mutui odij pertinacia.* Valer. Maxi

Neque Deus per ſe tantummodo pacem ab inimicis rogat, neque ſolum per filium, ſed poſtquam per ſe, & per filij mortem nihil profecit, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros ad inimicos homines mittit, rogans ea, quæ pacis ſunt. Quapropter Sanctus Paulus dixit: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis.* 2. Cor. 5. Et rurſus: *Pro Chriſto legatione fungimur, &c.* Quem

locum ſic OEcumenius exponit, ac ſi Paulus exclamaret: *O profundam, immenſamque benignitatem & humanitatem: non enim poſtquam filium ſuum legatum ad reconciliationem miſerat & ille interemptus fuerat, deinceps nos neglexit: ſed filio quoque mortuò à nobis, Apoſtolis rurſum credidit miniſterium reconciliationis.* Eadem fere habet Theodoretus, & ante vtrumque Chryſoſtomus, cuius hæc inter alia: *Occiſus eſt filius cum veniret ad reconciliandum, & neque ſic Pater occidentes auerſatus eſt.* Et rurſum: *non quia legatum, qui venerat, neglexerunt homines, exaſperatus eſt Deus, & reliquit illos; ſed perſeuerat obſecrans, &c.* Aptiſſime quidem hi Græci Patres, ſolent enim Reges, ac Principes indignari maxime, cum legatos à ſe miſſos malè accipi, aut indigne tractari nouerint; habetur enim hæc grauiſſima iniuria Principi illata. Quid vero ſi legatus occidatur. Optime Herodotus dixit: *Qui interimunt legatos, ius omnium hominum confundunt.* Nam vt Cæſar ſcripſit: *Legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum inuiolatumque ſemper fuit.* Et Tacitus: *Sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius.* Grauiſſimum ergo piaculum eſt legatum interficere. Quid ſi legatus, Regis eſſet filius? Quam acriter. Quam acerbè pater, qui eum miſit, ad vltionem concitaretur? Secus Deus optimus, qui etiam filio, primo, ac præcipuo miſſo legato, indigne ab hominibus accepto, & in crucem acto; alios nihilominus adhibet oratores, ac deprecatores. Nec modo Deus Pater, ſed filius ipſe pacis & reconciliationis interpres ab hominibus tam malè acceptus, & crucifixus, viſus eſt, acceptæ iniuriæ velut oblitus, non vindictam in hoſtes exercuiſſe, ſed iterum pacem inclamaſſe, pacem denuo obtuliſſe. Etenim reſurgens à mortuis, hoc eſt, triumphator mortis, ac diaboli glorioſiſſimus ab inferis rediens, *ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum*, nempe mediator optimus, & pacem in ore ferens inſtar columbæ tranſacto diluuio, quæ ad arcam regrediens, ramum oliuæ virentibus foliis ore præferebat. *Pax,* inquit, *vobis.* Et iterum *pax vobis.*

S. Chryſoſt. hom. 11. in 2 ep ad Cor.
Herod. lib. 7.
Cæſar lib. 3. de Bello Gall.
Tacit. lib. 3. hiſt.

Capvt VII.

Quam neceſſarium ſit inimicis ignoſcere, vt Deus nobis ignoſcat.

Difficile ſane, & arduum mandatum eſt: *Diligite inimicos veſtros.* Sed tota hæc difficultas diuina in nos benignitate lenitur, & profuſa largitate compenſatur: nam ſi inimicis noſtris leues iniurias dimittimus, grauiſſimas nobis Deus ignoſcit. Hanc ob cauſam in oratione Dominica ita nos præcepit orare: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quæ verba eleganter expendit ſanctus Auguſtinus ſic ſcribens: *Preces tibi compoſuit cæleſtis iuriſperitus; qui nouerat quid ibi ageretur, ait tibi; aliter non impetrabis: amen dico vobis, ſi non dimiſeritis peccata hominibus, neque Pater veſter dimittet vobis. Vide quod voluit eſſe ipſe aduocatus tuus, ipſe iuriſperitus tuus, ipſe aſſeſſor Patris, ipſe iudex tuus dixit: aliter non accipies.*

S. Auguſt. in Pſ. 54.
Matth. 6.

Id directe probat celebris illa parabola, Regis, videlicet, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis: & oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. De quo ſeruo Origenes ſcitè dixit: *Talentorum multorum factus eſt homo debitor; quoniam ſecutus eſt mulierem; ſuper talentum plumbi ſedentem, cuius nomen iniquitas.* Enim vero per decem millia talenta, quæ debebat, omnia peccata, quibus obnoxius erat, ſignificantur: nam vt bene aduertit ſanctus Auguſtinus: *Quia lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata ſignificat, quæ contra legem fiunt.* Hoc tantum debitum ſeruo roganti Rex liberaliſſime diuiſit: ſed quia hic ſeruus conſeruo cuidam ſimiliter roganti noluit dimittere centum denarios ſeueriſſime à Domino acceptus eſt. Primum: *Videntes conſerui eius quæ fiebant, contriſtati* vbi Sanctus Rhemigius ſic exponit: *Conſerui forte Angeli ſunt intelligendi, aut prædicatores ſanctæ Eccleſiæ, ſiue quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remiſſionem peccatorum adeptum, non velle miſereri conſerui ſui, contriſtantur de eius perditione.* At Sanctus Auguſtinus ita explicat: *Per conſeruos intelligitur Eccleſia, quæ illum ſoluit, & ligat.* Indigniſſimum autem eſt, vt cum Eccleſia Regis nomine, illum tanto debito abſoluerit, ipſe conſeruum paruo debito ſoluere noluerit. Exemplo res manifeſtior fiet. Duo homines vnà iter agentes, incidunt in latrones, à quibus ſpoliati, & verberibus alligati relinquuntur; nobilis quidam illac forte pertranſiens, eum qui arctius deuinctus erat abſoluit, mandans vt ſocium ipſe ſimiliter ſoluat. Tunc ſi is ſocium ſoluere nollet, ſed alligatum relinquens abiret, nonne ingratiſſimus, & iniquiſſimus ab omnibus iudicaretur? Maxime quidem. At certè multo magis eſt ingratus, atque iniquus, qui debito decem millium talentorum ab Eccleſia abſolutus, ipſe conſeruum parui debiti vinculo non vult ſoluere. De hoc grauiter triſtatur Eccleſia præuidens huiuſmodi hominis perditionem. Nam de hoc admonitus Dominus vocauit ſeruum, & ait: *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus ſic annotat: *Quando decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque eſt conuitiatus ſed miſertus; quando autem contra conſeruum ingratus eſt effectus, tunc dicitur ſerue nequam.* Damnatur à Rege ſeruus ingratus, & à Chriſto ſubiungitur: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Ex quo ſanctus Auguſtinus ſic monet: *Forte peccauit in te aliquis, dimitte illi veniam à te petenti, ne dum fratri negas miſericordiam, claudas Fratri indulgentiam, dicente Apoſtolo: iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* Claudit certè Patri indulgentiam, qui fratri negat hanc miſericordiam, vt ſanctus Hilarius teſtatur: *In tantum Deus beneuolentiæ noſtræ in omnes delectatur affectu, vt miſericordiam ſit ſolis miſericordibus præſtiturus:* Quamobrem S. Gregor. conferens hāc ſpiritalem

Matth. 18.
Orig. tract. 7. ſuper Matth.
Zach 5.
S. Auguſt. ſerm 15 de verb Dom.
S. Auguſt. de quæſt. Euang lib. 2. cap. 25.
S. Chryſoſt. hom. 62.
S. Auguſt. ſerm. 18. de temp.
Iacob 2.
S. Hilarius can. 4. in Matth.

miſeri

S.Gregor. lib.22.mor. cap 8.

miſericordiam cum corporali ſic ait: *Qui omnino dimittit, & non dat, & ſi non plene operatus eſt, meliorem tamen partem miſericordiæ tenuit; qui autem dat, & non dimittit, omnino nullam miſericordiam facit; quia ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur.* Ignoſcamus ergo fratri, vt Pater nobis ignoſcat. Prudenter enim Sanctus Leo dixit: *Qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquieſcis dimittere parum?* Dimittamus ergo, vt orationem Dominicam integre pronuntiare poſſimus. Nam vt ait Auguſtinus: *Peccatum ſi non dimiſeris, non poteris dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Rationem reddit Chryſoſtomus dicens: *Cum qua ergo ſpe orat, qui inimicitiam ſeruat aduerſus alterum, à quo forſitan læſus eſt? ſicut enim ipſe orans mentitur; dicit enim remitto, & non remittit; ſic & à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur.* Quia ergo fictè orant, nil prorſus accipere merentur, niſi iudicium. Vnde Sanctus Cyprianus ſic habet: *Excuſatio enim tibi nulla eſt in die iudicij, cum ſecundum tuam ſententiam iudiceris, & quod feceris, hoc ipſe patiaris.*

S. Leo ſerm de martyrib. in fine.

S. Auguſt. lib. 2. de ſer. Dom. c. 13.

S. Chryſoſt. hom. 20 in Matth.

CAPVT VIII.

Chriſtianum maximè decet, inimicis ignoſcere.

CVm inimicos diligere, & eis iniurias ignoſcere omnes homines debeant, id tamen maximè decet Chriſtianum. Quod in puero Iſaac omnibus veræ pietatis cultoribus ſignificatum eſt. Aries enim ille, quem loco Iſaac Deus ſuppoſuit atque ſubſtituit ad ſacrificium, apparuit hærens virgulto quod *ſabech* dicebatur, interpretaturque *remiſſio*: cuius myſterium Sanctus Ambroſ. & Philo illud eſſe affirmant, vt ſi fortè Iſaac aliquam iniuriæ ſuſpicionem aduerſus patrem concepiſſet quod voluerit illum iugulare, intelligeret ex nomine illius arbuſti remittendam eſſe iniuriam. Quod maximè decet Chriſtianos qui fidem & pietatem Iſaac ſequuntur: aries enim in ſabech, ſiue remiſſione pendens ſignificat victimam Deo gratiſſimam eſſe remiſſionem iniuriæ. Præterea fidei, & charitatis calor, qui in Chriſtianis vigere debet, omnes inimicorum iniurias haud difficile concoquit. Vnde apud eruditos, ſtruthio deglutiens clauum ferreum, cum verbis: *Spiritus duriſſima coquit* Significat hominem generoſum poſſe Chriſtianæ charitatis feruore omnem grauem iniuriam deuorare, atque abſumere. Clauum ferreum vorauit, & decoxit Dauid, qui grauiſſimam ſibi à filio Abſalon illatam iniuriam paterna pietate ita obliterauit, vt illius mortem fleret, & filium ſuum iterum atque iterum appellaret, quem viuentem puerum nuncupauerat, cuius appellationis diſcrimen aptè ad inſtitutum noſtrum tradidit Sanctus Ambroſius: *Cum viueret (inquit) puer erat, quia parricidio petebat patrem, non ergo pietatis nomen accipere debebat, ſed infirmitatis, ideoque vir iuſtus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis aperuit, vbi vero eſt mortuus, apud pium patrem perſona crimen defecit, naturæ nomen remanſit.* Chriſtianus ergo in eum qui ſibi iniuriam intulit, ita ſit animatus, vt perſonæ crimen penitus à memoria deficiat, & fraternitatis amor remaneat. Et quidem iræ, & iniuriæ memoriam prorſus eſſe delendam ſatis demonſtrat Clemens Alexandrinus ex illo Pythagoræ ſymbolo: *Ollæ veſtigium in cinere turbandum.* Quo ſignificauit, iram componendam, & omnem iniuriæ memoriam obliterandam; olla enim ſignificat iræ feruorem, propter ebullitionem.

Geneſ. 22.

S. Ambroſ. 2. de Abrah. cap 8. Philo lib. de inſom.

Barthol. Tægius lib. 2. de arte fabricandi inſignia.

2 Reg. 18.

S. Clem. Alexandr. lib. 5. ſtrom.

CAPVT IX.

Odium amicitiæ pallio amictum pernicioſiſſimum.

IVbens Chriſtus Dominus inimicos diligere, eam dilectionem mandat, quæ in corde præcipue reſideat: nam ſi cum inimico ſola fronte, & voce redeas in gratiam, & in corde retineas inimicitiam, omnium inimicorum es peſſimus. Illud enim odium pernicioſius eſt, quod ſub grata amicitiæ ſpecie in corde deliteſcit. Teſtor Senecam ita dicentem: *Grauior eſt inimicus, qui latet in pectore, grauius malum eſt omne, quod ſub aſpectu latet. Nam eum qui palam eſt aduerſarius facile cauendo vitare poſſis. Troianus equus ideo fefellit, quia formam miſericordiæ mentitus eſt.* In pectore quidem aſſimulati amici, tanquam in equo Troiano, armata inimicorum affectuum cohors occulitur, quæ extremam aduerſario perniciem machinatur. Vnde Boëtius dixit: *Nulla peſtis eſt efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus.* Nam ſicut venenum in mulſo colliquefactum, vel argento viuo admixtum ocyus permanat in venas, & penetrat ad cor, & interimit: ita etiam dolus, ac odium amicitiæ admixtū præſentiſſimè nocet. Quamobrem Caſſiodorus ait: *Grauiſſimum inimicitiæ genus eſt, eſſe corde aduerſarios, & lingua ſe ſimulare deuotos.*

Senec. in Prouerb.

Boët. lib. 3 de conſolat.

Caſſiod. in Pſalm. 54.

Præterea odium occultum immedicabile eſt; ſicut enim vulnus in viſceribus latens, curari non poteſt: ita nec odium, quod vulnus eſt grauiſſimum, teſte S. Gregorio, qui ſic ait: *Seruatus enim dolor contra proximum occidit, mentis namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipſa viſcerum occulta perforantur.* Quis tam occulto vulneri medebitur? vbi autem odium ita tectum eſt, vt remedio ſit interclusus aditus, æternum fit. Vnde illud Auguſtini: *inimicitias ſimulatione officij immortales tegebat, ideo certe immortales, quia ſimulatione tectæ: nam cum morbus à viribus in cutem trahitur, facile inde abolétur.*

S. Gregor. lib. 10. mor. cap. 7.

S. Auguſt. Epiſt. 47.

***

Digitized by Google

CAPVT X.

Qui callide, & velut oblique agunt cum inimicis, obliqua ira puniuntur à Deo.

SVnt qui mandatum Domini contemnentes inimicitiam non curant deponere, ſed vltionem de inimicis ſumere veteratoriè, & tanquam aliud agentes, ſatagunt. Callide enim, & ſubdole, & quaſi ex obliquo irruentes, eis maleſaciunt. Horum quidem ſupplicium congruè peccato reſpondet, vt ipſi quoque obliquam in ſe diuinam experiantur iram. Quod Sanctus
S. Naz. orat. 15. Gregorius Naz. timens, dicebat: *Abſit vt vna cum aliis plagis, hac quoque à bono illo, ob meam obliquitatem in ira obliqua aduerſum me gradiente, mihi exprobetur.* Deus enim quamuis natura ſua bonus, in eum qui malitioſe & oblique in proximum agit, quaſi obliqua vtitur ira, quæ quidem maxima eſt. Nam vt Nicetas ſcholiaſtes annotat: *Hi qui obliquo enſis ictu feriunt, acrius vulnerant: & Leo furore ſuccenſus oblique impetum facit.* Qua etiam loquendi ratione vſus eſt
Pſal. 17. Regius vates dicens: *Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Hebraice eſt: *Peruerſum luctatorem te facies.* Sumpta metaphora, inquit Genebrardus à luctatoribus, qui flectunt, obliquant, & varie torquent corpus, vt alterum ſubuertant. Significatur nimirum quam occultè, & vt ita dicam quaſi inſidioſe Deus irruit in peccatores incautos, qui in proximos doloſo odio oblique ſe geſſerunt. Nec mirum ſi obliquam Dei iram accerſamus, quando obliqua noſtra in inimicos ira ipſius benignitatem remouemus. Vnde idem Nazianzenus dixit:
S. Naz. orat. 14. *Odiis noſtris benignitatem Dei nobis præcludimus. Et quidem vereor, ne præſens rerum ſtatus ignis illius ſempiterni fumus quidam ſit.* Cum rectam Dei benignitatem odio nobis præcludimus, conſequens eſt, vt obliquæ ipſius iræ aditum aperiamus. Porro obliqua Dei iram eò cõſiſtit, vt quod malum inimico moliris; Deus in te ipſum obliquet, & retorqueat. Vnde in
Prou. 24. Prouerbiis dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; ne forte videat Deus & diſpliceat illi, & auertat iracundiam ſuam ab eo.*
S. Auguſt. ſerm. 68. de temp. Quod exponens Sanctus Auguſtinus ait: *Et vtique cum ab illo auerterit, ad eum dirigat, qui de inimici ruina gaudebat ſecundum illud, qui in ruina lætatur alterius non erit impunitus,*
Prouerb. 17. Ecce iram Dei obliquam, quæ nimirum ab vno in alterum retorquetur, ab eo ſcilicet, in quem directè ibat, in illum, qui gaudebat, & malum inimico machinabatur. Quapropter An-
S. Antioch. Pandectar. hom. 58. tiochus ex hoc vltimo Prouerb. loco ſic colligit: *Ne igitur dilectiſſimi committamus, vt aliquando inſultemus proximorum malis, ac nos in eaſdem ſinat Dei prouidentia ſemel & iterum deuolui calamitates.* Rectè ergo monet Salomon: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Vbi ſeptuaginta ſic habent: *In ſupplantatione eius ne extollaris.* Quaſi dicat: cum ſupplantaueris inimicum tuum, ne extollaris, quaſi egregium quid feceris: Deus enim aduerſum te ſe velut peruerſum luctatorem faciet, & quaſi inſidioſe te ſupplantabit, vt ſupra eſt inſinuatum. Deus quidem iram ſuam ab inimico ablatam in eum transfert, qui de huiuſmodi ira gaudet, vel malum machinatus eſt. Optime Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 18.
Tertullianus, qui Talionis legem ad hanc ſententiam venuſtè deflexit: *Mihi*, inquit, *defenſam, & ego defendam, dixit Dominus; vt interim commiſſio iniuriæ metu vicis ſtatim occurſura repaſtinaretur, & licentia retributionis prohibitio eſſet repaſſionis, vt ſic improbitas æſtuata ceſſaret, dum ſecunda permiſſa, prima terretur, & prima deterrita, nec ſecunda committitur, qua & aliàs facilior timor talionis per eundem ſaporem paſſionis, nihil amarius, quam id ipſum pati, quod feceris aliis.* Hunc amariſſimum ſaporem perhorreſcant, qui oblique contra inimicos agentes, oblique puniendi ſunt à Deo, & talione feriendi: nam Dei prouidentia excæcati, incident in foueam, quam fecerint. Qui enim obliquo animo alteri foueam fecit, obliqua Dei ira agente in eandem foueam incidit. De eo enim, qui callide, & malitioſe alteri molitur exitium, dictum eſt *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Id Pſalm 7.
quod Lyra primario, & litteraliter de Saule Dauidis inimico explicans ait: *Saul filiam ſuam dedit ipſi Dauid, vt eum faceret ruere gladio Philiſthinorum: ita ſub ſimulatione amicitiæ* 1 Reg. 18.
quærebat eum interficere, ſed in hunc lacum, quem aperuit, ipſe incidit, quia à Philiſthæis occiſus eſt. Malum ergo quod ſubdole, & oblique Dauidi machinabatur, in ipſum recidit: quod aliis ſimiliter peccantibus ſimiliter contigit. Vnde in eandem ſententiam propheta ſic adiungit: *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Prius eſt concipere dolorem, quod fit, cum quis inimico machinatur malum, vnde doleat: ſecundo, parturit iniuſtitiam, cum iam parat iniuſtè malum inimico infligere: tertio parit iniquitatem, cum damnum re ipſa infert. Sed quid de tota hac contra inimicum molitione ſentiendum ſit, ita ſubdit: *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Quaſi dicat: dolor ille iniuſtitiæ, & iniquitatis, quem contra inimicum concepit, parturiit, & peperit, conuertetur in caput eius, quia in ipſum recidet talione ſupplicij. Exemplo ſit tibi vipera, quæ venenatam ſobolem in alterius perniciem concipit, & parit, ſed in partu ipſa mater perit. Ex quo debet intelligi, quam merito Propheta de Deo ibi adiungit: *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, his videlicet qui maleuolentia, & odio in alios ardent. Cum ergo malefacere inimicis tam male homini eueniat, ſatius erit, iuxta Dominicum mandatum, benefacere his, qui oderunt nos.

CAPVT XI.

Odium inimici venenum, ac mors orationis.

TAnta igitur ſinceritate cum inimicis nos habeamus, vt pro ipſis etiam ex corde oremus.

mus. Iubet autem Dominus pro inimicis orare, vt odio è corde prius pulſo, oratio poſtmodum, & pro inimicis, & pro amicis vim atque vitam poſſit habere: tanquam mortua enim eſt oratio, quæ ex mente, odio infecta proficiſcitur. Audi Sanctum Auguſtinum dicentem: *Sicut nullum in vulnere valet medicamentum ſi ſit intus ferrum: ita nihil proficit illius oratio, in cuius pectore moriferum verſatur odium.* Eſt quidem oratio egregium medicamen ad curanda quæcumque humanarum culparum vulnera; ſed nihil in vulnere valet tanquam medicamentum, niſi peſtiferi odij extrahatur ferrũ. Documento ſit nobis lapis quidam pretioſus Diaſcorides nomine, de quo miras virtutes hiſtorici naturales prædicant; quas tamen omnes amittit, ſi in ore ponatur hominis mortui: ita oratio miris virtutibus ad ſalutem hominis viget; ſed ſi ſit in ore eius, qui per peſtiferum odium mortuus eſt, vires amittit. Ideo Deus Iudæis ita denuntiat: *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Cur ita? cur rem tam ſibi gratam auerſatur? ſubiungit hanc cauſam: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Minime placet Deo eius oratio, qui ex odio, & implacabili, ac crudeli animo, ſanguine plenas gerit manus. Vnde ad hunc locum prudenter admodum annotauit Sanctus Hieronymus dicens: *Videndum eſt hoc teſtimonio contra eos, qui cum quotidianis operibus ſanguineas manus habeant, in oratione dies, noctesque inuigilant.* Videmus nonnullos obſeruantioris ad ſpeciem diſciplinæ, qui propter amarius verbum in eos fortè iaculatum æternas in pectore fouent inimicitias; & tamen dies, atque noctes in oratione inuigilant, non conſiderantes, orationes ex huiuſmodi pectore procedentes Prophetica voce eſſe à Domino exploſas; orationes enim à Deo reiiciuntur, cum manus, id eſt, opera, odio, & crudeli animo cruentantur. Præclare etiam ad hunc locum Iſaiæ Sanctus Baſilius ita philoſophatur: ſi quis flagitioſus adoleſcentem lectiſſimum trucidaret, & mox eius parentem adiret, & manus filij ſanguine cruentatas oſtendens, ab eo beneficium poſtularet, poſſet ne tam atrox vnquam excogitari impudentia? ſimiliter facit, qui proximi odio manus cruentauit, & ita inquinatus ad parentem Deum beneficia petiturus ingreditur. Ex huiuſmodi manibus nec orationes, nec munera ad altare ſuum Deus ſuſcipit. Vnde illud filij Dei conſilium: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus præclarè rem expendit in hunc modum: *Hinc ergo perpendite, quantum ſit malum diſcordia, propter quod & illud abiicitur, per quod culpa relaxatur.*

S. Auguſt. lib. de rectitudine catholicæ conuerſationis.

Iſai. 1.

S. Chryſoſt. hom. 16.

Math. 6.

Hanc ob cauſam, cum Chriſtus Dominus monet, vt in oratione remiſſionem noſtrorum peccatorum petamus, ne iſta oratio fructu careat, ſimul admonet, vt nos debitoribus noſtris prius remittamus. Quod Sanctus Cyprianus ſic aduertit: *Qui ergo pro peccatis nos orare docuit, paternam miſericordiam promiſit, ſed planè addidit legem, certa conditione nos conſtringens, vt ſic nobis debitum dimitti poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus; & hoc eſt, quod dicit: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Conſonat Sanctus Gregorius, inquiens: *Sic oramus, vt profecto bonum, quod à Deo compuncti petimus, hoc primum in proximum conuerſi faciamus.*

S. Cyprian. lib. de oratione Dominica.

S. Gregor. lib. 10. mor. cap. 18.

Id optima collatione faciendum nobis declarat Auguſtinus: *Quemadmodum* (inquit) *ſerpentis quoddam genus eſt, quod ad bibendum, priuſquam ad fontem venit, omne venenum euomit: ita Chriſtianus, cum ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.* Neque enim Deus bonorum omnium fons, aquam, quam ſitimus, & oratione petimus elargitur, niſi venenum odij deponatur. Si vero depoſito odio, charitas in corde accendatur, oratio in cœlum recta dirigitur. Quo ſpectat illud Pſalmi: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Nam ſicut thus niſi ignitis prunis imponatur, ſurſum non aſcendit: ita oratio niſi expulſo odio charitatis igne accendatur; ſurſum in conſpectum Dei non omnino dirigitur.

S. Auguſt. lib de perfect. iuſtit ad Iulianum comitem.

Pſal. 140.

Igitur qui oratione impetrare vult, quod poſtulat, depoſito odio omne debitum delinquentis in ſe proximi dimittat; vt non ficte oret, ſed vere dicat: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nã de his, qui ad orationem accedentes non vere, & ex animo remittunt iniurias, Sanctus Chryſoſtomus optimè dixit: *Sicut enim ipſe orans mentitur; dicit enim remitto, & non remittit; ſic & à Deo petit indulgentiam, & non indulgetur.* Eleganter quoque Sanctus Auguſtinus ait: *Iuris forenſis eſt, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit, quod impetrauit.* Quod dici conſueuit: *Carere beneficio reſcripti.* Subreptitia namque putatur indulta facultas rerum: at à Deo, qui falli non poteſt, nec reſcriptum impetrabis, *quia auſus es mentiri veritati.* Adiungit Auguſtinus, Enim vero qui orationem Dominicam pronuntiat quaſi iuris forenſis preces, id eſt, ſupplicem libellũ, vulgò *peticion* Deo mittunt, ac præſentant; ſed qui in his precibus veritati mentiuntur, minimè impetrat reſcriptum. Et quidem iure optimo, licet enim, vt eſt illud Pſalmi; *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Sed qua lege & conditione id fiat, ita ſubdit: *Omnibus inuocantibus eum in veritate.* Nec aliter fieri poterat; nam vt habes in alio Pſalmo: *Prope es tu Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Itaque eſt Deus ipſa veritate vallatus, nec patet ad eum acceſſus, niſi per veritatem. Errant ergo toto cœlo, qui cœleſtis fori preces Deo mittunt, atque in eis mentiuntur; quibus Deus non prope ſed longe eſt, quia non inuocant eum in veritate. Quo ſenſu bene tinctus Regius vates ita orabat: *Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.* Hieronymus vero interpretatur: *Orationem, quæ non ſit cum labiis mendacij.*

S. Chryſoſt. hom. 20.

S. Auguſt. tract 7 in Ioan.

Pſal. 144.

Pſal. 118.

Pſal. 16.

Capvt XII.

Oratio pro inimicis perfectiſſimum opus eſt Charitatis.

VErum cum Chriſtus Dominus nos orare pro inimicis iubet, ad perfectiſſimum opus

opus charitatis nos vocat : ea eſt enim ſanctorum perfectiſſima oratio, & ſublimi charitatis merito pretioſiſſima, in qua preces pro inimicis à Deo funduntur. Id intelligere poſſumus

Num. 16.

ex libro Numerorum, vbi magna pars populi ſeditioſè concitatur in Moyſem, & Aaron, hoſtiliter eos inſequuta, fugiunt ipſi ad tabernaculum. Sed ecce vltrices flammæ cœlitus miſſæ ſanctorum hoſtes vorabant; tunc Aaron de mandato Moyſis accepto thuribulo accurrit, & inimicis aduerſus ignem patrocinari curat. Stat ignis, & quaſi timore perculſus progredi non audet. De quo Sanctus Auguſtinus ait : *Et qui in corde proximorum culpas venialiter dimiſerat, eius veſtigio defenſos ignis de cœlo miſſus vrere non audebat.* Tantam nimirum vim tamque præcellentem authoritatem habuit interpoſita oratio pro inimicis fuſa, vt flammarum globi timentes, atque admirantes ſubſiſterent.

Huiuſmodi orationis perfectionem in ſancto Protomartyre Stephano operæ pretium erit contemplari, quippe illuſtre nobis documen-

Act. 7.

tum exhibeat, nec debet prætermitti. Hic enim inimicorum lapidatione occumbens, pro ſe orauit, dicens. *Domine Ieſu ſuſcipe Spiritum meum.* Cum vero ad orandum pro inimicis acceſſit, dicitur : *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens : Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Pro ſe ſtans; pro inimicis genibus flexis orat. Pro ſe modica; pro inimicis magna voce orat : quas enim vires ad leuandam vocem mortis præſentia tollebat, dilectio, quæ fortior morte eſt ſuppeditabat. De hac Stephani oratione

S. Auguſt. ſerm. 170. de tempor.

Sanctus Auguſtinus ſic ſcribit : *Vides quomodo pro ſe ſtans orauit, & pro illis genuflexit. Pro ſe ſtans tanquam iuſtus, facile exaudiebatur : nam pro iniquis genu figendum erat. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Felix ſomnus, & requies vera : Ecce quid eſt requieſcere ; pro inimicis orare.* Cum Stephanus, tanquam filius ſapientiæ in omnibus requiem quæſiuiſſet, eam in oratione pro inimicis inuenit. De magna voce qua orauit pro inimicis, Hugo Cardinalis ſic ait : *Magna voce quia magnum eſt orare pro inimicis.* Nunquam charitas maiori voce clamat, quam cum pro inimicis orat. Illud vero *quia neſciunt quid faciunt.* Idem Doctor ſic ediſſerit: *Mira virtus martyris, orans excuſat eos, charitate accenſus, quibus paulo ante culpam improperauit perfidia zelo armatis.* Sanctus Gregorius

S. Gregor. Nyſſen. orat de Stephano.

Nyſſenus, tantam vim huic Martyris orationi adſcribit, vt dicat deleuiſſe peccatum ipſorum lapidantium, quod ipſo Stephani ſanguine erat ſcriptum : *Hic quidem* (inquit) *oratione peccatum eorum, quod ſceleratis manibus ſuis ſanguinarij quaſi exarabant, delebat.* Inimici quidem propriis manibus ſanguine Stephani tinctis ſuum peccatum exarabant, ſeu ſcribebant, ſed Stephanus oratione ſua illud delebat.

Exemplum tamen huius tam perfectæ orationis pro inimicis à Chriſto Domino potiſſimè petendum eſt, qui dicebat : *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* De qua oratione eleganter Arnoldus Carnotenſis ait : *Pro*

Arnold. Carnotenſ. tract. de vlt. ſeptem. verb Dom. in cruce.

his igitur ad Patrem conuertitur, & charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus nouus orator aſſumit : & inimicorum in cauſa allegans, ipſis inuitis, atque negligentibus, parti contrariæ ſuffragatur. Cum enim crucis ſugeſtum aſcendiſſet, cauſam Patris acturus, & læſam ab inimicis eius maieſtatem ſummo honore ornaturus, inopinato pro ipſis inimicis allegans, parti contrariæ ſuffragatur : non quidem quod ab inimicis inuitis, & negligentibus muneribus corruptus eſſet; ſed quia erat à charitate ſubornatus. Hæc Domini oratio vaticinio

Iſai. c. 53.

Iſaiæ erat prædicta : *Et pro tranſgreſſoribus rogauit,* vbi Gloſſa ait : *Pater ignoſce illis : ad hanc vocem ſecundum Euangelium Nazaræorum, multa millia Iudæorum aſtantium circa crucem crediderunt.*

Hanc Domini orationem cum imitantur ſancti, ſuauiſſimo odore Deum recreant. Quod in

Apocalyp. 5.

Apocalypſi ſignificatum eſt Ioanni, nam cum agnus aperuiſſet librum : *Animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Quo in loco Beda, Rupertus, Richardus de ſancto Victore, Hugo Cardinalis, Dionyſ. Carthuſ. & Gloſſa interlinealis, phialas aureas corda ſanctorum latitudine charitatis patentia interpretantur. Quæ plena dicuntur odoramentorum, id eſt, orationum ; quia non ſolum pro amicis, ſed etiam pro inimicis orant ; hoc enim eſt eſſe plena. Odoramenta quidem huiuſmodi, quæ phialas implent, ideſt, orationes pro inimicis factæ, Deo gratiſſima ſunt. Quam ob cauſam Angeli non ceſſant hos odores e terra in cœlum quaſi aromata deferre, vt videlicet eorum afflatu ſuauiſſimo in cœlo ſe recreent, Deumque ſuſſimodi thure venerentur. Ipſeque homo, qui inimicum diligit, cum pro eo orat, quaſi ſacerdotem agit, qui odoramentum hoc orationis, quaſi incenſum ſurſum dirigit in conſpectu Domini. Ad quem ſacerdotalem ſtatum, cum interior homo peruenit, perfectionē charitatis attigit. In quam

S. Chryſoſt. in cap. 1. Matth.

ſententiam S. Chryſoſtomus explicat id, quod diuino cōſilio diſpoſitum, in primo Matthæi capite videmus expreſſum: nam ex enarratis generationibus liquet, ab Abraham vſque ad Dauid populum Dei fuiſſe ſub iudicibus; à Dauid vſque ad tranſmigrationem ſub Regibus ; à tranſmigratione vſque ad Chriſtum ſub Pontificibus: quod ſignificat ordinem ſtatus in homine interiori: primus eſt iudicare verum; ſecundus regere appetitum ad bonum; tertius per orationem eleuare mentem ad Deum. Iudices ſunt virtutes intellectiuæ, fides, prudentia. Reges ſunt virtutes appetitiuæ, fortitudo & iuſtitia. Quaſi Pontifices ſunt orationes, quæ tunc perfecta dignitate pollent, cum odoramenta, & incenſa ex charitate inimicorum fragrantia Deo offerunt.

CAPVT XIII.

Maleſacere inimicis abiecti animi eſt, beneſacere glorioſum.

OPortet generosè cum inimicis agere, hoc quidem glorioſiſſimum ſicut & maleſacere vile, & abiectum, prout eleganter tradidit S.

S. Ambroſ. lib. de Abel & Cain. Geneſ. 4.

Ambroſius, vbi expendens illud Geneſ. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* ſic habet: *Non frater clamat, quia tantum innocentia, &*

gratia,

Digitized by Google

gratia, germanitatis etiam in ipſa morte ſeruat. Non accuſat frater, ne videatur parricida: non vox eius, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti. De terra, non de corpore fratris clamat, quia & ſi frater parcit, terra non parcit. Indignum iudicat Ambroſius, quod Abel, aut eius anima, aut vox, aut ſanguis in corpore exiſtens deterrimum inimicum accuſaret; id facit vox ſanguinis, poſtquam in terram decidit: ſanguis ex infimo loco accuſat, quia infimum, & abiectum eſt, inimicis nocere. Cum Lyſimachus Theodoro minaretur mortem, dixit: *Magnum effeciſti, ſi cantharidis vim conſecutus es.* Ita Tullius. Paulo aliter refert Seneca, nempe: *Habes cur tibi placeas, hemina ſanguinis in tua poteſtate eſt.* Eſt quidem animalium irrationalium proprium nocere aduerſariis; rationis verò, & ſapientiæ magnæ eſt à nocumento abſtinere. Cuius ſapiens aſſertor eſt, Lactantius: *Homo,* inquit, *qui ſcientiam boni, ac mali habes, abſtinet ſe à nocendo, etiam cum incommodo ſuo, quod animal irrationale facere non poteſt. Et ideo inter ſummas hominis virtutes innocentia numeratur: quibus rebus apparet, ſapientiſſimum eſſe, qui mauult perire, quàm noceat, vt id officium, quo à mutis diſcernitur, ſeruet.*

Tuſl. Tuſc. 5. Senec. lib. de tranquil. vitæ. Lactant. lib. 5 diuin. inſtit.

Ab ingenita humanitatis nobilitate in feritatem degenerat qui odio, ſiue ira inimicum inſequitur. Quod docet Sanctus Baſilius, inquiens: *Hæc hominem prorſus efferat, ac ne hominem quidem eſſe ſinit, vt qui iam rationis careat. Nam quod venenatis animantibus venenum eſt, hoc ira percitis eſt excandeſcentia. Rabie laborant, vt canes; ſubſultant, vt ſcorpij; mordent, vt ſerpentes. Si aliquem præ iracundia dentes acuentem videris, illud cogita, eum apro ſimilem eſſe, vt qui internum furorem per dentium confrictum oſtendat.* Adeo autem feras imitatur, vt quemadmodum hæ ſolo ſibilo, vel leui ſono irritantur, & in furorem aguntur; ita qui graui odio in alios ſunt affecti, leuiſſima occaſione fureſcunt. Id aduertit Nazianzenus illis verbis.

S. Baſil. hom. de ira. S. Gregor. Nazian. in iambico de ira.

Reprimere tenteſ in caput bilem tuum,
Trahes, furentem vt belluam ſonio edito.

Præterea abiectum, ac turpe eſt ab odio, ſiue ira ſuperari. Quam turpitudinem timens Ariſtoteles, cum ſeruum in graui crimine deprehendiſſet, id dixit, quod eleganter retulit idem S. Gregorius Nazianzenus.

Vt ſenſit autem bile ſe ſubita rapi
Aduerſus illam dimicans, ſtetit illico,
Paulum & moratus dixit, ò dictum elegans!
Noua res, patrona contigit bilis tibi.
Caſus abiiſſes, liber hac, ſi nunc forem.

Sapienter quidem; probe enim intellexerat, quod etiam docet Sanctus Ambroſius: *Qui cito mouetur iniuria, facit ſe dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Qui enim contumelia afficitur, ne ea dignus videatur, in verba odio, & iracundia plena, quibus ſe vlciſcatur, erumpit: at ipſis verbis, quibus videri vult indignus contumelia, ipſa ſe digniſſimum demonſtrat. Ipſa namque verba tetro, & atro iræ, atque odij colore tincta, & vultus ipſe turpiter immutatus, huius rei deformitatem ſatis aperit. Vnde idem Gregor. Nazianzenus ait: *Præſtaret vtinam feruidis ira grauis ſpeculum, vt videntes dedecus probrum & ſuum, huiuſce morbi quidpiam hinc remitterent. Quin hoc ſtatutum eſt, nempe violator tuus: in quo ipſe tete, ſi vacas, cernas licet, morbi paris, nam paria ſunt ſymptomata.* Prudenter quidem admonet, vt ad fugiendum dedecus, & probrum iracundiæ, cuius pro ſpeculo ſit ipſe inimicus ita furenti percitus; in eius enim vultu tuam fœditatem, cum ſimiliter ira corriperis, cernere licebit. Sic olim quidam, vt filium ab ebrietatis vitio ſanaret, in eius conſpectum ebrios adducendos curabat, quo magis conſpecta eorum fœditate, & ridiculis motibus, ab hoc vitio abhorreret, ac ſibi caueret diligentius. Hoc enim prudentiſſimum eſt iuxta conſilium Baſilij: *In alieno morbo te ipſum cura.* Aduerſarium igitur ea in re amicum reputa quod in ſe veluti in ſpeculo, iræ deformitatem, & turpitudinem tempeſtiue contemplandam exhibet, ante etiam, quam commotus ipſe ſis.

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 6. Idem Naz. iambico 21. de ira. S. Baſil. hom. 21. de ira.

Ex quo debet intelligi, quàm meritò ſapiens abiectam iræ turpitudinem, & glorioſam manſuetudinis laudem ſectari moneat. *Fili mi,* inquit, *in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum.* Ac ſi dicat: ſi teneas manſuetudinem, vt ſerues animam tuam à fœda odij, atque iræ macula; & ſiquidem animæ rationalis excelſa, ac præſtantiſſima eſt natura, ſecundum hoc meritum corona eam honore manſuetudinis, & charitatis, nec in barathrum fraterni odij eam deiicias. Nil quippe glorioſius eſt, quam odium vincere, & ira ſuperiorem ſe monſtrare. Id exploratum erat Lacedæmonibus, quos laudat Pauſanias, quod cum fortiſſimo animo hoſtes exciperent, & ad mortem vſque pugnarent, iam tamen in fugientes hoſtes non retinebant: cum enim hi primum tergi cepiſſent vertere, ipſi receptui canebant: *Indecorum arbitrantes,* ait Alexander ab Alexand. *In fugientem hoſtem iam ad finem vſque perducere.*

Pauſan. lib 4. de Regione Meſſanica. Alexand. ab Alex. l b. 4. cap. 7

DE AMORE INIMICORVM.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Qui ex charitate benefaciunt inimicis, iure optimo filij Dei dicuntur.

QVI inimicos ſuos diligunt, & beneficiis, atque orationibus proſequuntur, id Chriſti Domini teſtimonio conſequuntur, vt filij Dei meritò appellentur: *Orate,* inquit, *pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri.* Id intelligere poſſumus ex Pſalmo 43. cuius titulus eſt, *filiis chore,* quem exponens Sanctus Auguſtinus, ſic habet: *Pſalmus iſte fi-* Pſal. 43.

lius

Digitized by Google

CAPVT III.

Grauiſſimum peccatum eſt odium inimicorum.

QVamuis olim inter Iudæos dogma illud ferebatur non modo vt licitum, ſed tanquam legis præceptum: *Diliges proximum*
Math. 5.
tuum, & odio habebis inimicum tuum. Nullo hæc extrema verba veteris ſcripturæ loco reperiuntur. Vnde Gloſſa ſic habet: *Sciendum eſt in toto corpore legis non eſſe ſcriptum, odio habebis inimicum tuum; ſed hoc dicitur quantum ad traditionem ſcribarum, quibus viſum eſt hoc addendum; quia Dominus præcepit filiis Iſrael perſequi inimicos ſuos, & delere Amalech de ſub cælo.*
S. Auguſt. lib. 19 contra Fauſtum cap 24
Addit ſanctus Auguſtinus ea verba, etiamſi in lege ſcripta daremus, ſic eſſe intelligenda, vt concederetur odium inimici, non vt homo, ſed quatenus malus eſt vt oderis vitium, non naturam. Ideò ait: *Hac itaque regula eſt, ne oderimus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt, rationalem creaturam. Audito igitur, & non intellecto, quod antiquis dictum erat: oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cum non deberent odiſſe niſi vitium.* Quod ſi quæras: num Iudæis licuerit odio habere ini-
Abulenſ. Math 5. quæſt. 147.
micos? Reſpondet Abulenſis non licuiſſe; lex enim naturalis odium etiam aduerſus inimicos vetat. Imo in lege veteri, charitatis erga inimicos mentio fit. Leuit. 19. *Non quæras vltionem,*
Prou. 24. & 25.
nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et Prouerb. 24. *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.* Ruſus: *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitierit,*
Exod 24.
da ei aquam bibere. Item Exod. 24. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te ſub onere iacere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Adde extare præceptum diligendi proximum.
Leuit. 19
Leuit. 19. *Diliges amicum, ſiue proximum tuum, ſicut te ipſum.* Proximus autem eſt etiam ini-
Luc 10.
micus, vt indicat Dominus, vbi oſtendit Samaritanum proximum fuiſſe illi, qui in latro-
Ioan. 4.
num manus inciderat, Samaritanis autem Iudæi non coutebantur. Et ſanctus Auguſtinus ait:
S. Auguſt. ſerm. 26. de Diuerſis.
Dilige proximum tuum, id eſt, omnem hominem; ex duobus enim primis parentibus omnes nati, omnes vtique proximi ſumus.

Etenim inimicorum odium non ſolum nunquam fuit licitum, verum grauiſſimum eſt peccatum: aditum enim ſalutis ferè præcludit. Id in reprobo Cain videre poſſumus, cui Deus
Geneſ 4.
dixit: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* Qua maledictione, quam grande malum ſit odium proximi ſatis oſtenditur. Nam cum ex peccato primi parentis tota humani generis poſteritas infecta ſit; cur Adamus peccans minimè maledicitur, Cain vero ob fratricidium hac maledictione percellitur? Planè, quia peccatum Adæ ex infirmitate fuit: at Caini ex odio, atque malitia. De quo ſanctus Chryſoſtomus ad hunc locum: *Adamo dictum eſt; maledicta terra in opere tuo, & in terram effuſa eſt maledictio, oſtenſa Dei, in hominem cura; hic vero quia res perniciosa, facinus iniquum, ipſe Cain pœnam luit: maledictus tu de terra.* Grauiſſimum quoque fuit facinus Dauid, cum Vriæ vxorem abſtulit, & vitam, fecitque eo delicto blaſphemari nomen Domini. Cur igitur non occurrit Deus de cœlo & inclamat: maledictus tu Dauid è terra, quod tamen in Cain pronuntiat. Eadem profectò eſt reſponſio, vt colligitur ex ſancto Ambroſio ſic diſputante: *Dauid vero occiderat virum minimè reum, ſed occiderat non ſtudio crudelitatis impulſus, ſed vt obumbraret pudorem, tegeret verecundiam concupiſcentiæ. Non cruento fecit affectu, ſed vi tentationis inflexus eſt.* At Cain cruento fecit affectu, teterrimo odio tinctus fratrem occidit. Hinc factum eſt, vt ſanguis Abel vocem haberet, qua Dei iuſtitiam in ſui vindictam imploraret; ſanguis verò Vriæ careret voce; quod videlicet ſanguis Abel cruento odij affectu effuſus eſſet, nec haberet Cain opera bona, confeſſionemque ac pœnitentiam quibus terram occluderet, & obturaret, ne ſanguis Abel vocem poſſet in altum tollere: at ſanguis Vriæ, nec ex odio fuit effuſus, habuitque præterea Dauid multa bona opera, pœnitentiam maximè, confeſſionemque delicti quibus terram occluſit, ne poſſet clamare. De quo ſanctus Ambroſius eodem loco ait: *Merito vox ſanguinis Abel iuſti clamauit ad Dominum, qui nullis Cain impij bonis operibus tegebatur, quia parricidalis erat; quia non confitebatur flagitium, ſed negabat: Dauid vero texit peccata ſua, ipſe beatos dicit, quorum tecta ſunt peccata: Texit charitate, atque operuit peccata ſua operibus bonis. Dilexit multum, vt nimia charitate tegere quemuis poſſet errorem* Cain ergo ob proximi odium maledicitur, reprobatur, & procul à ſupernis ſedibus deiicitur.

Id ipſum de omnibus, qui proximum odio proſequuntur, teſtatur ſanctus Auguſtinus in- S. Auguſt. ſerm. 61. de
quiens: *Qui talem pacem, & talem charitatem* Tempore.
habet, vt omnes homines diligat amicos, & inimicos, qua parte voluerit intrare illius cæleſtis Hieruſalem portas apertas merebitur inuenire: Qui autem non vult habere talem charitatem ex omni parte portas clauſas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clauſis ianuis ſponſi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocem, neſcio vos. Id Auguſtinus colligit
ex illis verbis Pſalmi: *Poſuit fines tuos pacem.* Pſal. 147.
Nam cum fines, ſiue muri cœleſtis Hieruſalem ſint pax, ſiue charitas, illis patebit aditus, qua parte voluerint, qui amicos, & inimicos perfecta charitate complectantur; eis vero ex omni parte ingreſſus negabitur, qui eiuſmodi charitate caruerint.

Huc ſpectat parabola illa Regis, qui po-
ſuit rationem cum ſeruis ſuis: *Serue nequam,* Matt. 18.
aiebat, *omne debitum dimiſi tibi, &c.* Vbi ſanctus Chryſoſtomus ſic ait: *Quando decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque eſt conuitiatus, ſed miſertus; quando autem contra conſeruum odium oſtendit, tunc dicitur: ſerue nequam, &c.* Debebat ſeruus ille decem millia talenta, id eſt, plurimorum & grauiſſimorum peccatorum reus erat; non tamen punitur, nec vllo conuitio violatur, ſed potius totum debitum ei remittitur: at cum cruentum odium proximo oſtendit,

tunc

tunc procul à Rege amandatur, & in æternas carceris tenebras detruditur. Et quidem iure optimo tenebris æternis punitur, qui nunc tenebroſo odio ſemper inuoluitur. Nam teſte
1. Ioan. 2. Ioanne: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris manet.* Vnde mirum non eſt, ſi ſol, qui lucis eſt fons horum aduerſarius, & contra ipſos teſtis exiſtat. In hunc enim ſenſum ex-
Ad Epheſ. 4. plicatur ab aliquibus locus ille Pauli: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Ac ſi dicat, tenebroſum iræ, ſiue odij vitium ex animo pellite, cautè à ſole tenebratum hoſte, & huius vitij teſte, atque priuſquam occidat, iram deponite. Sic explicat ſanctus Hie-
S. Hieron. ep 36. ronymus: *Sol* (inquit) *non occidat ſuper iracundiam veſtram. Quid faciemus nos in die iudicij, ſuper quorum iram non vnius diei, ſed tantorum annorum Sol teſtis occubuit?* Id quod
Lactant. l. 6. diuin. inſtit. cap. 18. mutuatus videtur ex Lactantio ſic ſcribente: *Præcepit Deus non occidere ſolem ſuper iram noſtram, ne furoris noſtri Sol teſtis abſcedat.* Hoc autem intelligendum etiam de ira iuſtè concepta ad punitionem delictorum confirmat Hieronymus ſupra ex eo, quod Deus in lege iuſſerit ſontium corpora è cruce deponi ante Solis occaſum, *vt depoſita iam ira ſignificaretur, neque Sol teſtis decederet permanentis adhuc iræ, & indignationis.* Quin ea quo-
Ioſue 10. que ratione Ioſue dixiſſe videtur: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon; ſteteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Quaſi noluerit feruente adhuc bellico furore, & nec-
Eccleſ. 46. dum ſedata ira, abire ſolem. Id quod Eccleſiaſticus innuit his verbis: *An non iracundia eius impeditus eſt Sol?* id eſt, retentus, atque prohibitus recedere ante pacatam iram, ne ſe humanitatem prorſus exuiſſe teſtari poſſet, vt diſcant qui iuris poteſtate gaudent, ad iuſtam delictorum punitionem, non eandem concipiendæ, ac retinendæ iræ legitimam cauſam eſſe; neque quod ſemel iure ac merito irati ſunt, ſemper ſe eodem iure iratos eſſe poſſe, arbitrentur; ſed iram iuſtè ſuſceptam, iniuſtè ſeruari putent.

Cum ergo inueterata ira, ſiue odium inimicorum tam graue ſcelus ſit, vt ſalutis aditum fere præcludat, hominem diuinæ maledictioni obnoxium reddat & ſolem contra ſe teſtem conſtituat, iure optimo conqueritur ſan-
S. Auguſt. ſupra citat. ctus Auguſtinus ob leuiſſimas ſæpe cauſas tam graue piaculum ſuſcipi, nam loco citato ſcribit: *Vnde nimis dolendum eſt, quod cum ſancti ab hac charitate, nec tormentis, nec variis perſecutionibus poſſent ſeparari; nos interdum otioſis fabulis ſeparamur, & nonnunquam ob paruiſſimum conuitium, & cuiuſcumque miſeri hominis detractionem, ita derelinquimus charitatem, vt non ſolum cum eo multis diebus, ſed etiam menſibus, fortaſſis & annis, nec loqui, nec ad conuiuium peruenire velimus.*

Capvt IV.

Inimicorum odium Deus prouidè curauit ab humano exterminare genere.

IGitur cum tantum malum ſit inimicos odiſſe, merito Saluator mundi inimicos iubet diligere, imo ſemper Deus omnium proximorum odium ex hominum genere exterminare ſe velle oſtendit. Quod vbique locorum, ac temporum vehementer exoptaſſe, ex diuinis litteris ſatis liquet. Nam cum conceſſit Deus Noë, & omnibus hominibus, vt car- Geneſ. 9.
nibus poſſent animalium veſci, ſanguinem excepit illis verbis: *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Id poſtmodum in Le- Leuit. 17.
uitico, tam obſtrictè prohibuit, vt dicat Deus: *Homo quilibet, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Quo loco diſputant interpretes, cur Deus hanc legem tam ſeuere ſanxerit? S. Thomas ſequutus S. Thom. 1. 2. quæſt. 10. art. 3.
S. Ambroſ. & Chryſoſt. eam inter alias cauſam aſſignat, vt vellet Deus homines ab inhumanitate & odiorum crudelitate procul arcere; hi enim quibus eſus ſanguinis animalium tam enixe interdicebatur, intelligere debebant, ſe ab humano ſanguine, & opere fundendo, & odio ſitiendo, remotiſſimos eſſe debere. Nam qui homines in animalia feros eſſe nolebat, quales quæſo erga fratres ſuos exoptabat? Sed cum à toto orbe, multo magis ab Eccleſia ſua odium exterminari vult Deus. Hinc vox illa ſponſi: *Surge Aquilo, & veni Auſter, &* Cant. 4.
perfla hortum meum. Quæ verba ſanctus Hie- S. Hieron. lib. 12. in cap. 40. Ezech.
ronymus ſic exponit: *Fugatur de horto Domini Aquilo, ventus duriſſimus, ne refrigeretur dilectionis calor, floreſque marceſcant.* Aquilo iſte merito fugatur ab Eccleſia, quia vt dixit Hieremias: *ab Aquilone pandetur om-* Hierem. 1.
ne malum. Huc ſpectat quod ſub ſymbolo Prouerb. 31.
fortis mulieris dicitur de Eccleſia: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Hugo Card. per frigora niuis odium, & perſecutionem malorum intelligit; volens autem Eccleſia familiam ſuam tueri, ne odij frigore algeret, duplicatam ei veſtem prouidit, id eſt, duplicem charitatem, Dei videlicet, & proximi. Congruit huic expoſitioni lectio plurimorum, qui in Hebræo ſic vertunt: *Omnes Domeſtici eius veſtiti ſunt coccinis, ſeu bis tinctis.* Nam per coccum bis tinctum geminam Dei & proximi charitatem Patres non ſemel intelligunt. Eccleſia ergo contra immania brumæ frigora, id eſt, inteſtina odia, familiam ſuam duplicata geminæ charitatis veſte communit, ne locum vnquam apud ſuos odium inueniat.

Capvt V.

Amor inimicorum auctoritate Chriſti mandantis commendatur.

AD prouidam Dei curam, vt amentur etiam inimici ſpectat ſui filij magiſterium.

Digitized by Google

ſterium. Aptiſſimè propterea Euangelicus Propheta Chriſtum appellauit ædificatorem ſepium: Iſai. 58. *Vocaberis*, inquit, *ædificator ſepium, auertens ſemitas iniquitatis*: Quod vt bene intelligatur, meminiſſe oportet vineæ illius, quam Deus olim plantauit, hoc eſt, Iudaicum populum; cui tanquam vineæ ſepem circumdedit diuinæ legis, quam Scribæ, & Phariſæi multis ex partibus corruperunt, ſiue ruperunt, & tanquam in ſepe diruta, ſemitas fecerunt, quo vineam Domini iniquitatibus vaſtarent. Harum ſemitatum plura exempla ipſe narrauit Dominus in ſermone montis quale eſt licere libellum repudij dare vxori, quæ non eſſet grata, quamuis eſſet bona: item, licitum eſſe iraſci, & aſpera verba iaculari in malefactores & alia huiuſmodi: vltimo loco ſubiunxit peſſimam aliam ſemitam à Phariſæis factam; dicebant enim ex præſcripto legis diligendos eſſe amicos; ſed inimicos odio proſequendos. Has igitur occludit, & auertit Saluator ſemitas iniquitatis; ſed cum ad vltimam ſemitam venit, ait: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros*. Diuina authoritate mandantis hoc commendat; & quidem ſat eſt Chriſtum ſuam interponere authoritatem aſſeuerando: *Ego autem dico vobis*, vt id æquum iudicemus; animo complectamur, & exequamur opere quod iubet. Chriſtianus igitur inimicos ex corde diligat, quia Chriſtus clamat: *Ego autem dico vobis*.

Tantæ apud diſcipulos erat authoritatis Pythagoras, vt in omnibus ſententiis quantumuis difficillimis, vel amplectendis, vel repudiandis voce illa vterentur, cuius meminit Nazianzenus, *ipſe dixit*: Naz. orat. 3. contra Iulian. Cum ergo vt recipiatur amor inimicorum, Deus Chriſtus clamet: *Ego autem dico vobis*; cur nos tota mente non aſſentiamur? dicentes, *ipſe dixit*. Magiſter generis humani, qui ſapientia æterna eſt, docet nos inimicos diligere, cur non toto corde dogma amplectamur.

Tantæ etiam authoritatis fuit Ionadab filius Rechab, apud filios ſuos, vt ipſo præcipiente, ne vnquam biberent vinum, ipſi nunquam vinum guſtauerint, quantumuis ab aliis rogati. Quod ſe expertum eſſe tradit Hierem. c.3. Hieremias, dicens: *Poſui coram eis Scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos, bibite vinum*. Cumque adduci non poſſent, vt biberent, hanc ſubiecerunt cauſam: *Quia Ionadab pater noſter, filius Rechab, præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum*. Si ergo apud Rechabitas filios patris mandatum tantum valuit, cur Chriſti authoritas mandantis: *Ego autem dico vobis*, apud nos non valebit? Quamobrem eo loco Deus per Prophetam ita queritur: *Ego autem locutus ſum ad vos, & non obediſtis mihi*.

Iam vero quantam authoritatem erga milites habet Imperatoris mandatum? Miles ſcalam aſcendit, morti ſe ſæpe deuouet, quia Imperator præcipit. Scipionis Africani mandatis nunquam eius milites reclamarunt, teſte Plutarcho. Quod vt aſſequeretur Sertorius, vt tradit idem author in eius vita, ceruam cicurauit, quæ ſæpe accedens Domino blandiebatur, ex quo ipſe fidem fecit militibus, atque populo ceruam illam à Diana miſſam, vt eum de rebus gerendis inſtrueret: mandatis ſuis authoritatem diuinam iniungere curauit, quo in difficilibus rebus milites facile obſequentes haberet. At in re noſtra nil fictum, Deus verus teſtatur: *Ego autem dico vobis*. Prophetarum vocibus Reges ipſi incunctanter obediebant, quod in eis diuinam vocem ineſſe exiſtimabant. 2 Paralip 11. Magnis ſumptibus populus præparauerat neceſſaria ad bellum, & iuſtum illud quidem; ſed ecce ex tranſuerſo Propheta quidam edicit: *Non aſcendetis, nec pugnabitis contra fratres veſtros*. Quid ergo illi? Additur ſubinde, *qui cum audirent ſermonem Domini, reuerſi ſunt, nec perrexerunt contra Hieroboam*. Plura ſunt in hanc rem ſacrarum litterarum exempla.

Quemadmodum enim, quia Deus dicit, quod ſit trinus & vnus, captiuamus intellectum in obſequium fidei. Similiter quia ipſe ait: *Diligite inimicos veſtros*, captiuemus voluntatem in obſequium charitatis. Noë cuncta animalia in arcam ſuam admiſit, non ſolum mitia, & vtilia, ſed etiam fera, & venenata; non ſolum ouem & Columbam, ſed Tygridem & Leonem. Cur ita? Quia Deus ita fieri mandauit. Ob eandem ergo rationem homo non ſolum manſuetos amicos, ſed feros etiam inimicos ad arcam cordis admittat. Hoc autem Chriſti mandatum ſicut hoc loco expreſſum eſt, ita in omnibus quatuor Euangeliis, & verbis, & exemplis frequenter inculcatur. Vide illud Exodi, quod de latitudine cortinarum tabernaculi dicitur, Exod. 26. *Latitudo quatuor cubitorum erit*. Gloſſa interlinealis ſic exponit: *Amplitudo charitatis, quæ etiam inimicum diligit. Quatuor cubitorum dicitur, quia quatuor ſunt Euangeliorum libri, in quibus exemplis & verbis Chriſti charitas tenenda docetur*.

CAPVT VI.

Exemplo Dei inimicorum iniurias dimittere docemur.

QVi nobis diligere inimicos commendauit, rem difficilem, non tam verbo, quam exemplo docuit, vt illatas nobis ab inimicis iniurias facile dimittamus, facillime ipſe Dominus, atque promptiſſime iniurias ſibi factas ab hominibus dimittit. Tam facile ac prompte quidem inimicis parcit, vt ipſe per legatos de reconciliatione nobiſcum agat. Expreſſum eſt Apoſtoli teſtimonium: *Pro Chriſto* 2. Cor. 5. *(inquit) legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*. Quam dignationem admiratus ſanctus Chryſoſtomus ait: S. Chryſoſt. hom. de Aſcenſ. *Quid hoc eſt? ipſe rogat, qui iniuriam paſſus eſt? Valde, inquit, nam Deus clemens eſt, & ipſe tanquam pater miſericors deprecatur*. S. Gregor. hom. 32. in Euang. Conſonat ſanctus Gregorius, vbi eadem Pauli verba

verba expendens ſic habet: *Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccato fecimus, & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, vt nos ipſi, qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus.* Quanta autem authoritate legationis munere fungatur Paulus, oſtendit Sanctus Chryſoſtomus citatus ab Hugone Cardinali hoc loco. *Credendum eſt* (inquit) *quod litteras ſummi Papæ ſigillatas detulit: ſigilli impreſſio paupertas, ſitis, fames, crucis ignominia, & huius litteræ: Ieſus Nazarenus, &c.* Optime ſigilli impreſſionem deſcripſit: nam vt idem Paulus teſtatur: *Pro eo legatione fungor in catena.* Si ergo Deus maximis iniuriis ab hominibus affectus, ad eoſdem mittit legatos, qui reconciliationis ſint oratores; quam æquum eſt, vt homuncio, ſi non roget, tamen rogatus remittat iniurias.

Parum eſt, Deum ad homines pro oranda reconciliatione legatos miſiſſe; illud præcipuum, quod filium ſuum mediatorem miſit, vt non ſolum verbis afficeret, ſed morte perficeret. Quod Paulus magno verborum pondere exprimit, dicens: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Particula *cum*, idem eſt, *ac quando*, quaſi dicat: quando inimici eramus, ſeu cum inimicitias gerebamus cum Deo: non enim expectauit, vt aliquid nos de reconciliatione loqueremur, vel cogitaremus. Vnde ſubdit: *Cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus, pro impiis mortuus eſt.* Subinde, hunc inimicorum amorem magis exaggerans, addit: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Origenes ad hunc locum ſapienter notat, nos à Paulo non ſine ſua gradatione ad reconciliationis præſtantiam commendandam triplici epitheto apte notatos, *infirmi*, *impij*, *peccatores*, Tum vt omne genus peccati comprehendat; tum etiam, vt quanta vis diuini amoris fuerit, quantumque reconciliationis beneficium in nos, quando tales eramus, oſtendat. Poſuit autem primo loco: *Cum infirmi eſſemus.* Plane non alia, quam peccati ægritudine, qua inualidi, & impotentes ad reconciliationem tractandam eramus: atque adeo omnino gratuita fuit, nobis nihil merentibus, nec mereri valentibus. Quaſi verò hoc parum eſſet, vt magis rem augeat, & reconciliationem commendet illuſtrius, addidit: *Cum adhuc peccatores eſſemus, cum adhuc inimici eſſemus*, id eſt, non modo nobis inualidis, impotentibus, & omnino immeritis, ſed quod magis eſt, adhuc male merentibus, peccatoribus, impiis, inimicis, &c. Congruè ad hanc ſententiam exponunt quam plures interpretes particulam illam *ſecundum tempus.*, hoc eſt, quando opportunum fuit tempus ad demonſtrandam diuinæ bonitatis immenſitatem, quando ſcilicet omnia erant infidelitate concluſa, & mundus iniquitate repletus: cum adhuc infirmi, adhuc peccatores eramus, cæcaſque cum Deo & acerbas inimicitias gerebamus; vt non ſolum multo ante tempore, ſepulta iam velut obliuione iniuria, ſed etiam recens illata. Quem ſenſum illuſtrat Hieronymus: *Miratur*, inquit, *Apoſtolus bonitatem Chriſti,*

Rom. 5.

S. Hieron. ad Algaſiam ep 151. q. 7.

quod pro impiis, & infirmis, & peccatoribus mori voluerit, & mori opportuno tempore, quando omnes peccauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non fuit qui faceret bonum, non fuit vſque ad vnum. Incredibilis bonitas, & clementia inaudita, mori pro impiis ſecundum tempus. Id eſt, quando ipſi tota anima crudelitate, & omnium ſcelerum armis contra Deum pugnabant. Hanc mirabilem temporis circunſtantiam expendit Bernardus: *Venit Redemptor non in initio, nec in medio temporis, ſed in fine. Nec incongruè factum eſt ſed verè ſapienter diſpoſuit ſapientia, vt cum magis eſſet neceſſarium, tunc primo ferret auxilium pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Vere enim adveſperaſcebat, & inclinata erat iam dies. Abundante iniquitate feruor refrigueræt charitatis, præ nimia vtique duritia hominum, & obſtinatione. At ego, ait filius, tunc dixi ecce venio.*

S. Bernard. ſerm. 1 de Aduent.

Porro, ita Deus deſiderat cum hominibus ad gratiam redire, & per ſe rogare, ac perficere reconciliationem, vt olim noluerit oratores, ſeu mediatores pacis adhibere. Vnde illud Hieremiæ: *Quis miſerebitur tui Hieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Hac ratione explicat ſanctus Hieronymus: *Nullus poteſt offenſo Deo pro flagitiis rogare peccantium; nec tam clemens poteſt, creatura; quam conditor eſſe, nec ita alienus externis quomodo Dominus parcere ſuis.* Ita Dominus ingratum populum rogauit, vt in hoc ſummæ bonitatis officio laborauerit, vt apud eundem Prophetam ibidem ait: *Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abiiſti, laboraui rogans.* Vbi idem ſanctus Hieronymus ait: *quod laſſus ſit Deus rogans, & ſemper eos prouocans ad ſalutem.* Vide genus hoc reconciliationis, quod adeo inter inimicos ſibi homines difficile eſt ac laborioſum, Deum optimum non refugiſſe, ſed quæ illius eſt immenſa bonitas, charitas, & pax, quæ exuperat omnem ſenſum, difficultatem prorſus omnem exuperaſſe, vt non modo nos ſibi inimicos prior ipſe diligeret, & apud ſe ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis haberet, verum etiam præueniendo noſtras legationes & preces, nec expectando inimicorum præcedenda merita aut obſequia nos adiret, ab indignis, ac renitentibus pacem rogaret, & rogans, vrgens, obteſtans fatigaretur donec infenſos ſibi, & oppidò alienatos reconciliaret, & quod vno verbo dixit Apoſtolus: *Malum in bono vinceret.* Vt homines diſcant inimicos conuenire, benignè alloqui, rogare, & in gratiam redire: nam ſicut Ethnicus Philoſophus dixit: *Specioſius iniuria beneficiis vincuntur, quam mutui odij pertinacia.*

Hierem. 15.

Valer. Maxi

Neque Deus per ſe tantummodo pacem ab inimicis rogat, neque ſolum per filium, ſed poſtquam per ſe, & per filij mortem nihil profecit, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros ad inimicos homines mittit, rogans ea, quæ pacis ſunt. Quapropter Sanctus Paulus dixit; *Dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Et rurſus: *Pro Chriſto legatione fungimur, &c.* Quem locum

2 Cor. 5.

Digitized by Google

locum ſic OEcumenius exponit, ac ſi Paulus exclamaret: *O profundam, immenſamque benignitatem & humanitatem: non enim poſtquam filium ſuum legatum ad reconciliationem miſerat & ille interemptus fuerat, deinceps nos neglexit: ſed filio quoque mortuo à nobis, Apoſtolis rurſum credidit miniſterium reconciliationis.* Eadem fere habet Theodoretus, &

S. Chryſoſt. hom. 11. in 2 ep ad Cor.

ante vtrumque Chryſoſtomus, cuius hæc inter alia: *Occiſus eſt filius cum veniret ad reconciliandum, & neque ſic Pater occidentes auerſatus eſt.* Et rurſum: *non quia legatum, qui venerat, neglexerunt homines, exaſperatus eſt Deus, & reliquit illos; ſed perſeuerat obſecrans, &c.* Aptiſſime quidem hi Græci Patres, ſolent enim Reges, ac Principes indignari maxime, cum legatos à ſe miſſos malè accipi, aut indigne tractari nouerint; habetur enim hæc grauiſſima iniuria Principi illata. Quid vero ſi legatus occidatur.

Herod. lib. 7.

Optime Herodotus dixit: *Qui interimunt legatos, ius omnium hominum confundunt.*

Cæſar lib. 3. de Bello Gall.

Nam vt Cæſar ſcripſit: *Legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum inuiolatumque ſemper fuit.*

Tacit. lib. 3. hiſt.

Et Tacitus: *Sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius.* Grauiſſimum ergo piaculum eſt legatum interficere. Quid ſi legatus, Regis eſſet filius? Quam acriter. Quam acerbè pater, qui eum miſit, ad vltionem concitaretur? Secus Deus optimus, qui etiam filio, primo, ac præcipuo miſſo legato, indigne ab hominibus accepto, & in crucem acto; alios nihilominus adhibet oratores, ac deprecatores. Nec modo Deus Pater, ſed filius ipſe pacis & reconciliationis interpres ab hominibus tam malè acceptus, & crucifixus, viſus eſt, acceptæ iniuriæ velut oblitus, non vindictam in hoſtes exercuiſſe, ſed iterum pacem inclamaſſe, pacem denuo obtuliſſe. Etenim reſurgens à mortuis, hoc eſt, triumphator mortis, ac diaboli glorioſiſſimus ab inferis rediens, *ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum*, nempe mediator optimus, & pacem in ore ferens inſtar columbæ tranſacto diluuio, quæ ad arcam regrediens, ramum oliuæ virentibus foliis ore præferebat. *Pax*, inquit, *vobis*. Et iterum *pax vobis*.

Capvt VII.

Quam neceſſarium ſit inimicis ignoſcere, vt Deus nobis ignoſcat.

Difficile ſane, & arduum mandatum eſt: *Diligite inimicos veſtros.* Sed tota hæc difficultas diuina in nos benignitate lenitur, & profuſa largitate compenſatur: nam ſi inimicis noſtris leues iniurias dimittimus, grauiſſimas nobis Deus ignoſcit. Hanc ob cauſam in oratione Dominica ita nos præcepit orare: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quæ verba eleganter

S. Auguſt. in Pſ. 54.

expendit ſanctus Auguſtinus ſic ſcribens: *Preces tibi compoſuit cœleſtis iuriſperitus; qui nouerat quid ibi ageretur, ait tibi; aliter non impetrabis: amen dico vobis, ſi non dimiſeritis peccata hominibus, neque Pater veſter dimittet vobis.*

Matth. 6.

Vide quod voluit eſſe ipſe aduocatus tuus, ipſe iuriſperitus tuus, ipſe aſſeſſor Patris, ipſe iudex tuus dixit: aliter non accipies.

Matth. 18.

Id directè probat celebris illa parabola, Regis, videlicet, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis: & oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. De quo ſeruo

Orig. tract. 7. ſuper Matth.

Origenes ſcitè dixit: *Talentorum multorum factus eſt homo debitor; quoniam ſecutus eſt mulierem; ſuper talentum plumbi ſedentem, cuius nomen iniquitas.*

Zach 5.

Enim vero per decem millia talenta, quæ debebat, omnia peccata, quibus obnoxius erat, ſignificantur: nam vt

S. Auguſt. ſerm 15 de verb Dom.

bene aduertit ſanctus Auguſtinus: *Quia lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata ſignificat, quæ contra legem fiunt.* Hoc tantum debitum ſeruo roganti Rex liberaliſſime diuiſit: ſed quia hic ſeruus conſeruo cuidam ſimiliter roganti noluit dimittere centum denarios ſeueriſſime à Domino acceptus eſt. Primum: *Videntes conſerui eius quæ fiebant, contriſtati* vbi Sanctus Rhemigius ſic exponit: *Conſerui forte Angeli ſunt intelligendi, aut prædicatores ſanctæ Eccleſiæ, ſiue quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remiſſionem peccatorum adeptum, non velle miſereri conſerui ſui, contriſtantur de eius perditione.*

S. Auguſt. de quæſt. Euang lib. 1. cap. 25.

At Sanctus Auguſtinus ita explicat: *Per conſeruos intelligitur Eccleſia, quæ illum ſoluit, & ligat.* Indigniſſimum autem eſt, vt cum Eccleſia Regis nomine, illum tanto debito abſoluerit, ipſe conſeruum paruo debito ſoluere noluerit. Exemplo res manifeſtior fiet. Duo homines vnà iter agentes, incidunt in latrones, à quibus ſpoliati, & arboribus alligati relinquuntur; nobilis quidam illac forte pertranſiens, eum qui arctius deuinctus erat abſoluit, mandans vt ſocium ipſe ſimiliter ſoluat. Tunc ſi is ſocium ſoluere nollet, ſed alligatum relinquens abiret, nonne ingratiſſimus, & iniquiſſimus ab omnibus iudicaretur? Maxime quidem. At certè multo magis eſt ingratus, atque iniquus, qui debito decem millium talentorum ab Eccleſia abſolutus, ipſe conſeruum parui debiti vinculo non vult ſoluere. De hoc grauiter triſtatur Eccleſia prævidens huiuſmodi hominis perditionem. Nam de hoc admonitus Dominus vocauit ſeruum, & ait: *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.*

S Chryſoſt. hom. 62.

Vbi Sanctus Chryſoſtomus ſic annotat: *Quando decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque eſt conuitiatus ſed miſertus; quando autem contra conſeruum ingratus eſt effectus, tunc dicitur ſerue nequam.* Damnatur à Rege ſeruus ingratus, & à Chriſto ſubiungitur: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Ex quo

S. Auguſt. ſerm. 18. de temp.

ſanctus Auguſtinus ſic monet: *Forte peccauit in te aliquis, dimitte illi veniam à te petenti, ne dum fratri negas miſericordiam, claudas Fratri indulgentiam, dicente Apoſtolo: iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.*

Iacob 2.

Claudit certè Patri indulgentiam, qui fratri negat hanc miſericordiam,

S. Hilarius can. 4. in Matth.

vt ſanctus Hilarius teſtatur: *In tantum Deus beneuolentiæ noſtræ in omnes delectatur affectu, vt miſericordiam ſit ſolis miſericordibus præſtiturus:* Quamobrem S. Gregor. conferens hãc ſpiritalem

miſeri

S.Gregor. lib.22.mor. cap. 8.

miſericordiam cum corporali ſic ait: *Qui omnino dimittit, & non dat, & ſi non plene operatus eſt, meliorem tamen partem miſericordiæ tenuit; qui autem dat, & non dimittit, omnino nullam miſericordiam facit; quia ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur.* Ignoſcamus ergo fratri, vt Pater nobis ignoſcat. Prudenter enim Sanctus Leo dixit:

S. Leo ſerm de martyrib. in fine.

Qua fronte vis, vt tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquieſcis dimittere parum? Dimittamus ergo, vt orationem Dominicam integre pronuntiare poſſimus. Nam vt ait Auguſtinus: *Peccatum ſi non dimiſeris, non poteris dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

S. Auguſt. lib. 2. de ſer. Dom. c. 13.

S. Chryſoſt. hom. 20 in Math.

Rationem reddit Chryſoſtomus dicens: *Cum qua ergo ſpe orat, qui inimicitiam ſeruat aduerſus alterum, à quo forſitan læſus eſt? ſicut enim ipſe orans mentitur; dicit enim remitto, & non remittit; ſic & à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur.* Quia ergo fictè orant, nil prorſus accipere merentur, niſi iudicium. Vnde Sanctus Cyprianus ſic habet: *Excuſatio enim tibi nulla eſt in die iudicij, cum ſecundum tuam ſententiam iudiceris, & quod feceris, hoc ipſe patiaris.*

CAPVT VIII.

Chriſtianum maximè decet, inimicis ignoſcere.

CVm inimicos diligere, & eis iniurias ignoſcere omnes homines debeant, id tamen maximè decet Chriſtianum. Quod in puero Iſaac omnibus veræ pietatis cultoribus ſignificatum eſt. Aries enim ille, quem loco Iſaac Deus

Geneſ. 22.

ſuppoſuit atque ſubſtituit ad ſacrificium, apparuit hærens virgulto quod *ſabech* dicebatur, interpretaturque *remiſſio*: cuius myſterium Sanctus Ambroſ. & Philo illud eſſe affirmant, vt

S. Ambroſ. 2. de Abrah. cap 8. Philo lib. de inſom.

ſi fortè Iſaac aliquam iniuriæ ſuſpicionem aduerſus patrem concepiſſet quod voluerit illum iugulare, intelligeret ex nomine illius arbuſti remittendam eſſe iniuriam. Quod maximè decet Chriſtianos qui fidem & pietatem Iſaac ſequuntur: aries enim in ſabech, ſiue remiſſione pendens ſignificat victimam Deo gratiſſimam eſſe remiſſionem iniuriæ. Præterea fidei, & charitatis calor, qui in Chriſtianis vigere debet, omnes inimicorum iniurias haud difficile concoquit. Vnde apud eruditos, ſtruthio degluttiens clauum ferreum, cum verbis: *Spiritus duriſſima coquit* Significat hominem generoſum

Barthol. Tægius lib. 2. de arte fabricandi inſignia.

poſſe Chriſtianæ charitatis feruore omnem grauem iniuriam deuorare, atque abſumere. Clauum ferreum vorauit, & decoxit Dauid, qui grauiſſimam ſibi à filio Abſalon illatam iniuriam paterna pietate ita obliterauit, vt illius mortem fleret, & filium ſuum iterum atque iterum appellaret, quem viuentem puerum nuncupauerat, cuius appellationis diſcrimen apte ad inſti-

2. Reg. 18.

tutum noſtrum tradidit Sanctus Ambroſius: *Cum viueret* (inquit) *puer erat, quia parricidio petebat patrem, non ergo pietatis nomen accipere debebat, ſed infirmitatis, ideoque vir iuſtus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis aperuit, vbi vero eſt mortuus, apud pium patrem perſonæ crimen defecit, naturæ nomen remanſit.* Chriſtianus ergo in eum qui ſibi iniuriam intulit, ita ſit animatus, vt perſonæ crimen penitus à memoria deficiat, & fraternitatis amor remaneat. Et quidem iræ, & iniuriæ memoriam prorſus eſſe delendam ſatis demonſtrat Clemens Alexandrinus ex illo Pythagoræ ſymbolo: *Ollæ veſtigium in cinere turbandum.* Quo ſignificauit, iram componendam, & omnem iniuriæ memoriam obliterandam; olla enim ſignificat iræ feruorem, propter ebullitionem.

S. Clem. Alexandr. lib. 5. ſtrom.

CAPVT IX.

Odium amicitiæ pallio amictum perniciosiſſimum.

IVbens Chriſtus Dominus inimicos diligere, eam dilectionem mandat, quæ in corde præcipue reſideat: nam ſi cum inimico ſola fronte, & voce redeas in gratiam, & in corde retineas inimicitiam, omnium inimicorum es peſſimus. Illud enim odium pernicioſius eſt, quod ſub grata amicitiæ ſpecie in corde deliteſcit. Teſtor Senecam ita dicentem: *Grauior eſt inimicus, qui latet in pectore, grauius malum eſt omne, quod ſub aſpectu latet. Nam eum qui palam eſt aduerſarius facile cauendo vitare poſſis. Troianus equus ideo fefellit, quia formam miſericordiæ mentitus eſt.*

Senec. in Prouerb.

In pectore quidem aſſimulati amici, tanquam in equo Troiano, armata inimicorum affectuum cohors occulitur, quæ extremam aduerſario perniciem machinatur. Vnde Boëtius dixit: *Nulla peſtis eſt efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus.*

Boët. lib. 3 de conſolat.

Nam ſicut venenum in mulſo colliquefactum, vel argento viuo admixtum ocyus permanat in venas, & penetrat ad cor, & interimit: ita etiam dolus, ac odium amicitiæ admixtũ præſentiſſimè nocet. Quamobrem Caſſiodorus ait: *Grauiſſimum inimicitiæ genus eſt, eſſe corde aduerſarios, & lingua ſe ſimulare deuotos,*

Caſſiod. in Pſalm. 54.

Præterea odium occultum immedicabile eſt; ſicut enim vulnus in viſceribus latens, curari non poteſt: ita nec odium, quod vulnus eſt grauiſſimum, teſte S. Gregorio, qui ſic ait: *Seruatus enim dolor contra proximum occidit, menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipſa viſcerum occulta perforantur.* Quis tam occulto vulneri medebitur? vbi autem odium ita tectum eſt, vt remedio ſit interclusus aditus, æternum fit. Vnde illud Auguſtini, *inimicitias ſimulatione officij immortales tegebat, ideo certe immortales, quia ſimulatione tectæ: nam cum morbus à viribus in cutem trahitur, facile inde abolετur.*

S.Gregor. lib. 10. mor. cap. 7.

S. Auguſt. Epiſt. 47.

* * *

Digitized by Google

CAPVT X.

Qui callide, & velut oblique agunt cum inimicis, obliqua ira puniuntur à Deo.

SVnt qui mandatum Domini contemnentes inimicitiam non curant deponere, ſed vltionem de inimicis ſumere veteratoriè, & tanquam aliud agentes, ſatagunt. Callide enim, & ſubdolè, & quaſi ex obliquo irruentes, eis malefaciunt. Horum quidem ſupplicium congruè peccato reſpondet, vt ipſi quoque obliquam in ſe diuinam experiantur iram. Quod Sanctus

S. Naz. orat. 15.

Gregorius Naz. timens, dicebat: *Abſit vt vna cum aliis plagis, hac quoque à bono illo, ob meam obliquitatem in ira obliqua aduerſum me gradiente, mihi exprobetur.* Deus enim quamuis natura ſua bonus, in eum qui malitioſe & oblique in proximum agit, quaſi obliqua vtitur ira, quæ quidem maxima eſt. Nam vt Nicetas ſcholiaſtes annotat: *Hi qui obliquo enſis ictu feriunt, acrius vulnerant: & Leo furore ſuccenſus oblique impetum facit.* Qua etiam loquendi ratione vſus eſt

Pſal. 17.

Regius vates dicens: *Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Hebraice eſt: *Peruerſum luctatorem te facies.* Sumpta metaphora, inquit Genebrardus à luctatoribus, qui flectunt, obliquant, & varie torquent corpus, vt alterum ſubuertant. Significatur nimirum quam occultè, & vt ita dicam quaſi inſidioſe Deus irruit in peccatores incautos, qui in proximos doloſo odio oblique ſe geſſerunt. Nec mirum ſi obliquam Dei iram acceſſamus, quando obliqua noſtra in inimicos ira ipſius benignitatem remouemus. Vnde idem Nazianzenus dixit:

S. Naz. orat. 14.

Odiis noſtris benignitatem Dei nobis precludimus. Et quidem vereor, ne præſens rerum ſtatus ignis illius ſempiterni fumus quidam ſit. Cum rectam Dei benignitatem odio nobis præcludimus, conſequens eſt, vt obliquæ ipſius iræ aditum aperiamus. Porro obliqua Dei ira in eo cōſiſtit, vt quod malum inimico molitis; Deus in te ipſum obliquet, & retorqueat. Vnde in

Prou. 24.

Prouerbiis dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; ne forte videat Deus & diſpliceat illi, & auertat iracundiam ſuam ab eo.*

S. Auguſt. ſerm. 68. de temp.

Quod exponens Sanctus Auguſtinus ait: *Et vtique cum ab illo auerterit, ad eum dirigat, qui de inimici ruina gaudebat ſecundum illud, qui in ruina lætatur alterius non erit impunitus.*

Prouerb. 17.

Ecce iram Dei obliquam, quæ nimirum ab vno in alterum retorquetur, ab eo ſcilicet, in quem directè ibat, in illum, qui gaudebat, & malum inimico machinabatur. Quapropter An-

S. Antioch. Pandectar. hom. 58.

tiochus ex hoc vltimo Prouerb. loco ſic colligit: *Ne igitur dilectiſſimi committamus, vt aliquando inſultemus proximorum malis, & nos in eaſdem ſinat Dei prouidentia ſemel & iterum deuolui calamitates.* Rectè ergo monet Salomon: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Vbi ſeptuaginta ſic habent: *In ſupplantatione eius ne extollaris.* Quaſi dicat: cum ſupplantaueris inimicum tuum, ne extollaris, quaſi egregium quid feceris: Deus enim aduerſum te ſe velut peruerſum luctatorem faciet, & quaſi inſidioſe te ſupplantabit, vt ſupra eſt inſinuatum. Deus quidem iram ſuam ab inimico ablatam in eum transfert, qui de huiuſmodi ira gaudet, vel malum machinatus eſt. Optime

Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 18.

Tertullianus, qui Talionis legem ad hanc ſententiam venuſtè deflexit: *Mihi, inquit, defenſam, & ego defendam, dixit Dominus; vt interim commiſſio iniuriæ metu vicis ſtatim occurſura repaſtinaretur, & licentia retributionis prohibitio eſſet repaſſionis, vt ſic improbitas æſtuata ceſſaret, dum ſecunda permiſſa, prima terretur, & prima deterrita, nec ſecunda committitur, quia & alias facilior timor talionis per eundem ſaporem paſſionis, nihil amarius, quam id ipſum pati, quod feceris aliis.* Hunc amariſſimum ſaporem perhorreſcant, qui oblique contra inimicos agentes, oblique puniendi ſunt à Deo, & talione feriendi: nam Dei prouidentia excæcati, incident in foueam, quam fecerint. Qui enim obliquo animo alteri foueam fecit, obliqua Dei ira agente in eandem foueam incidit. De eo enim, qui callide, & malitioſe alteri molitur exitium, dictum eſt *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Id

Pſalm 7.

quod Lyra primario, & litteraliter de Saule Dauidis inimico explicans ait: *Saul filiam ſuam dedit ipſi Dauid, vt eum faceret ruere gladio*

1 Reg. 18.

Philiſthinorum: ita ſub ſimulatione amicitiæ quærebat eum interficere, ſed in hunc lacum, quem aperuit, ipſe incidit, quia à Philiſthæis occiſus eſt. Malum ergo quod ſubdole, & oblique Dauidi machinabatur, in ipſum recidit: quod aliis ſimiliter peccantibus ſimiliter contigit. Vnde in eandem ſententiam propheta ſic adiungit: *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Prius eſt concipere dolorem, quod fit, cum quis inimico machinatur malum, vnde doleat: ſecundo, parturit iniuſtitiam, cum iam parat iniuſtè malum inimico infligere: tertio parit iniquitatem, cum damnum re ipſa infert. Sed quid de tota hac contra inimicum molitione ſentiendum ſit, ita ſubdit: *Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Quaſi dicat: dolor ille iniuſtitiæ, & iniquitatis, quem contra inimicum concepit, parturiuit, & peperit, conuertetur in caput eius, quia in ipſum recidet talione ſupplicij. Exemplo ſit tibi vipera, quæ venenatam ſobolem in aliorum perniciem concipit, & parit, ſed in partu ipſa mater perit. Ex quo debet intelligi, quam merito Propheta de Deo ibi adiungit: *Sagittas ſuas ardentibus effecit,* his videlicet qui maleuolentia, & odio in alios ardent. Cum ergo malefacere inimicis tam male homini eueniat, ſatius erit, iuxta Dominicum mandatum, benefacere his, qui oderunt nos.

CAPVT XI.

Odium inimici venenum, ac mors orationis.

TAnta igitur ſinceritate cum inimicis nos habeamus, vt pro ipſis etiam ex corde oremus.

Digitized by Google

mus. Iubet autem Dominus pro inimicis orare, vt odio è corde prius pulſo, oratio poſtmodum, & pro inimicis, & pro amicis vim atque vitam poſſit habere: tanquam mortua enim eſt oratio, quæ ex mente, odio infecta proficiſcitur. Audi Sanctum Auguſtinum dicentem: *Sicut nullum in vulnere valet medicamentum ſi ſit intus ferrum: ita nihil proficit illius oratio, in cuius pectore moriferum verſatur odium.* Eſt quidem oratio egregium medicamen ad curanda quæcumque humanarum culparum vulnera; ſed nihil in vulnere valet tanquam medicamentum, niſi peſtiferi odij extrahatur ferrū. Documento ſit nobis lapis quidam pretioſus Diaſcorides nomine, de quo miras virtutes hiſtorici naturales prædicant; quas tamen omnes amittit, ſi in ore ponatur hominis mortui: ita oratio miris virtutibus ad ſalutem hominis viget; ſed ſi ſit in ore eius, qui per peſtiferam odium mortuus eſt, vires amittit. Ideo Deus Iudæis ita denuntiat: *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Cur ita? cur rem tam ſibi gratam auerſatur? ſubiungit hanc cauſam: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Minime placet Deo eius oratio, qui ex odio, & implacabili, ac crudeli animo, ſanguine plenas gerit manus. Vnde ad hunc locum prudenter admodum annotauit Sanctus Hieronymus dicens: *Videndum eſt hoc teſtimonio contra eos, qui cum quotidianis operibus ſanguineas manus habeant, in oratione dies, noctesque inuigilant.* Videmus nonnullos obſeruantioris ad ſpeciem diſciplinæ, qui propter amarius verbum in eos forte iaculatum æternas in pectore fouent inimicitias; & tamen dies, atque noctes in oratione inuigilant, non conſiderantes, orationes ex huiuſmodi pectore procedentes Prophetica voce eſſe à Domino exploſas; orationes enim à Deo reiiciuntur, cum manus, id eſt, opera, odio, & crudeli animo cruentantur. Præclare etiam ad hunc locum Iſaiæ Sanctus Baſilius ita philoſophatur: Si quis flagitioſus adoleſcentem lectiſſimum trucidaret, & mox eius parentem adiret, & manus filij ſanguine cruentatas oſtendens, ab eo beneficium poſtularet, poſſet ne tam atrox vnquam excogitari impudentia? ſimiliter facit, qui proximi odio manus cruentauit, & ita inquinatus ad parentem Deum beneficia petiturus ingreditur. Ex huiuſmodi manibus nec orationes, nec munera ad altare ſuum Deus ſuſcipit. Vnde illud filij Dei conſilium: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus præclarè rem expendit in hunc modum: *Hinc ergo perpendiſe, quantum ſit malum diſcordia, propter quod & illud abiicitur, per quod culpa relaxatur.*

S. Auguſt. lib. de rectitudine catholicæ conuerſationis.

Iſai. 1.

S. Chryſoſt. hom. 16.

Math. 6.

Hanc ob cauſam, cum Chriſtus Dominus monet, vt in oratione remiſſionem noſtrorum peccatorum petamus, ne iſta oratio fructu careat, ſimul admonet, vt nos debitoribus noſtris prius remittamus. Quod Sanctus Cyprianus ſic aduertit: *Qui ergo pro peccatis nos orare docuit, paternam miſericordiam promiſit, ſed planè addidit legem, certa conditione nos conſtringens, vt ſic nobis debitum dimitti poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus, & hoc eſt, quod dicit: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Conſonat Sanctus Gregorius, inquiens: *Sic oramus, vt profecto bonum, quod à Deo compuncti petimus, hoc primum in proximum conuerſi faciamus.*

S. Cyprian. lib. de oratione Dominica.

S. Gregor. lib. 10. mor. cap. 18.

Id optima collatione faciendum nobis declarat Auguſtinus: *Quemadmodum* (inquit) *ſerpentis quoddam genus eſt, quod ad bibendum, priuſquam ad fontem venit, omne venenum euomit: ita Chriſtianus, cum ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.* Neque enim Deus bonorum omnium fons, aquam, quam ſitimus, & oratione petimus elargitur, niſi venenum odij deponatur. Si vero depoſito odio, charitas in corde accendatur, oratio in cœlum recta dirigitur. Quo ſpectat illud Pſalmi: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Nam ſicut thus niſi ignitis prunis imponatur, ſurſum non aſcendit: ita oratio niſi expulſo odio charitatis igne accendatur, ſurſum in conſpectum Dei non omnino dirigitur.

S. Auguſt. lib de perfect. iuſtit. ad Iulianum comitem.

Pſal. 140.

Igitur qui oratione impetrare vult, quod poſtulat, depoſito odio omne debitum delinquentis in ſe proximi dimittat; vt non ficte oret, ſed vere dicat: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nā de his, qui ad orationem accedentes non vere, & ex animo remittunt iniurias, Sanctus Chryſoſtomus optime dixit: *Sicut enim ipſe orans mentitur; dicit enim remitto, & non remittit; ſic & à Deo petit indulgentiam, & non indulgetur.* Eleganter quoque Sanctus Auguſtinus ait: *Iuris forenſis eſt, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit, quod impetrauit.* Quod dici conſueuit: *Carere beneficio reſcripti.* ſubreptitia namque putatur indulta facultas rerum: at à Deo, qui falli non poteſt, nec reſcriptum impetrabis, *quia auſus es mentiri veritati.* Adiungit Auguſtinus. Enim vero qui orationem Dominicam pronuntiat quaſi iuris forenſis preces, id eſt, ſupplicem libellū, vulgò *peticion* Deo mittunt, ac præſentant; ſed qui in his precibus veritati mentitur, minimè impetrat reſcriptum. Et quidem iure optimo, licet enim, vt eſt illud Pſalmi; *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Sed qua lege & conditione id fiat, ita ſubdit: *Omnibus inuocantibus eum in veritate.* Nec aliter fieri poterat: nam vt habes in alio Pſalmo: *Prope es tu Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Itaque eſt Deus ipſa veritate vallatus, nec patet ad eum acceſſus, niſi per veritatem. Errant ergo toto cœlo, qui cœleſtis fori preces Deo mittunt, atque in eis mentiuntur; quibus Deus non prope ſed longe eſt, quia non inuocant eum in veritate. Quo ſenſu bene tinctus Regius vates ita orabat: *Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.* Hieronymus vero intretpretatur: *Orationem, quæ non ſit cum labiis mendacij.*

S. Chryſoſt. hom. 20.

S. Auguſt. tract. 7 in Ioan.

Pſal. 144.

Pſal. 118.

Pſal. 16.

Capvt XII.

Oratio pro inimicis perfectiſſimum opus eſt Charitatis.

VErum cum Chriſtus Dominus nos orare pro inimicis iubet, ad perfectiſſimum

opus

opus charitatis nos vocat: ea eſt enim ſanctorum perfectiſſima oratio, & ſublimi charitatis merito pretioſiſſima, in qua preces pro inimicis à Deo funduntur. Id intelligere, poſſumus
Num.16. ex libro Numerorum, vbi magna pars populi ſeditioſè concitatur in Moyſem, & Aaron, hoſtiliter eos inſequuta, fugiunt ipſi ad tabernaculum. Sed ecce vltrices flammæ cœlitus miſſæ ſanctorum hoſtes vorabant; tunc Aaron de mandato Moyſis accepto thuribulo accurrit, & inimicis aduerſus ignem patrocinari curat. Stat ignis, & quaſi timore perculſus progredi non audet. De quo Sanctus Auguſtinus ait: *Et qui in corde proximorum culpas venialiter dimiſerat, eius veſtigio defenſos ignis de cœlo miſſus vrere non audebat.* Tantam nimirum vim tamque præcellentem authoritatem habuit interpoſita oratio pro inimicis fuſa, vt flammatum globi timentes, atque admirantes ſubſiſterent.

Huiuſmodi orationis perfectionem in ſancto Protomartyre Stephano operæ pretium erit contemplari, quippe illuſtre nobis documen-
Act.7. tum exhibeat, nec debet prætermitti. Hic enim inimicorum lapidatione occumbens, pro ſe orauit, dicens. *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Cum vero ad orandum pro inimicis acceſſit, dicitur: *Poſitis autem genibus clamauit, voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Pro ſe ſtans; pro inimicis genibus flexis orat. Pro ſe modica; pro inimicis magna voce orat: quas enim vires ad leuandam vocem mortis præſentia tollebat, dilectio, quæ fortior morte eſt ſuppeditabat. De hac Stephani oratione
S. Auguſt. ſerm. 170. de tempor. Sanctus Auguſtinus ſic ſcribit: *Vides quomodo pro ſe ſtans orauit, & pro illis genuflexit. Pro ſe ſtans tanquam iuſtus, facile exaudiebatur: nam pro iniquis genu figendum erat. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Felix ſomnus, & requies vera: Ecce quid eſt requieſcere; pro inimicis orare.* Cum Stephanus, tanquam filius ſapientiæ in omnibus requiem quæſiuiſſet, eam in oratione pro inimicis inuenit. De magna voce qua orauit pro inimicis, Hugo Cardinalis ſic ait: *Magna voce quia magnum eſt orare pro inimicis.* Nunquam charitas maiori voce clamat, quam cum pro inimicis orat. Illud vero *quia neſciunt quid faciunt.* Idem Doctor ſic ediſſerit: *Mira virtus martyris, orans excuſat eos, charitate accenſus, quibus paulo ante culpam impro-*
S. Gregor. Nyſſen. orat de Stephano. *peraxit perfidia zelo armatis.* Sanctus Gregorius Nyſſenus, tantam vim huic Martyris orationi adſcribit, vt dicat deleuiſſe peccatum ipſorum lapidantium, quod ipſo Stephani ſanguine erat ſcriptum: *Hic quidem* (inquit) *oratione peccatum eorum, quod ſceleratis manibus ſuis ſanguinarij quaſi exarabant*, *delebat.* Inimici quidem propriis manibus ſanguine Stephani tinctis ſuum peccatum exarabant, ſeu ſcribebant, ſed Stephanus oratione ſua illud delebat.

Exemplum tamen huius tam perfectæ orationis pro inimicis à Chriſto Domino potiſſimè petendum eſt, qui dicebat: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* De qua ora-
Arnold. Carnotenſ. tract. de vlt. ſeptem. verb Dom. in cruce. tione eleganter Arnoldus Carnotenſis ait: *Pro his igitur ad Patrem conuertitur, & charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus nouus orator aſſumit: & inimicorum in cauſa allegans, ipſis inuitis, atque negligentibus, parti contraria ſuffagatur.* Cum enim crucis ſuggeſtum aſcendiſſet, cauſam Patris acturus, & læſam ab inimicis eius maieſtatem ſummo honore ornaturus, inopinato pro ipſis inimicis allegans, parti contrariæ ſuffragatur: non quidem quod ab inimicis inuitis, & negligentibus muneribus corruptus eſſet; ſed quia erat à charitate ſubornatus. Hæc Domini oratio vaticinio
Iſaiæ erat prædicta: *Et pro tranſgreſſoribus rogauit*, vbi Gloſſa ait: *Pater ignoſce illis: ad hanc vocem ſecundum Euangelium Nazaræorum, multa millia Iudæorum aſtantium circa crucem crediderunt.* Iſai c 53.

Hanc Domini orationem cum imitantur ſancti, ſuauiſſimo odore Deum recreant. Quod in
Apocalypſi ſignificatum eſt Ioanni, nam cum Apocalyp. 5.
agnus aperuiſſet librum: *Animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Quo in loco Beda, Rupertus, Richardus de ſancto Victore, Hugo Cardinalis, Dionyſ. Carthuſ. & Gloſſa interlinealis, phialas aureas corda ſanctorum latitudine charitatis patentia interpretantur. Quæ plena dicuntur odoramentorum, id eſt, orationum; quia non ſolum pro amicis, ſed etiam pro inimicis orant; hoc enim eſt eſſe plena. Odoramenta quidem huiuſmodi, quæ phialas implent, ideſt, orationes pro inimicis factæ, Deo gratiſſima ſunt. Quam ob cauſam Angeli non ceſſant hos odores e terra in cœlum quaſi aromata deferre, vt videlicet eorum afflatu ſuauiſſimo in cœlo ſe recreent, Deumque eiuſmodi thure venerentur. Ipſeque homo, qui inimicum diligit, cum pro eo orat, quaſi ſacerdotem agit, qui odoramentum hoc orationis, quaſi incenſum ſurſum dirigit in conſpectu Domini. Ad quem ſacerdotalem ſtatum, cum interior homo peruenit, perfectionē charitatis attigit. In quam
ſententiam S. Chryſoſtomus explicat id, quod S. Chryſoſt. in cap 1. Matth.
diuino cōſilio diſpoſitum, in primo Matthæi capite videmus expreſſum: nam ex enarratis generationibus liquet, ab Abraham vſque ad Dauid populum Dei fuiſſe ſub iudicibus; à Dauid vſque ad tranſmigrationem ſub Regibus; à tranſmigratione vſque ad Chriſtum ſub Pontificibus: quod ſignificat ordinem ſtatus in homine interiori: primus eſt iudicare verum; ſecundus regere appetitum ad bonum; tertius per orationem eleuare mentem ad Deum. Iudices ſunt virtutes intellectiuæ, fides, prudentia. Reges ſunt virtutes appetitiuæ, fortitudo & iuſtitia. Quaſi Pontifices ſunt orationes, quæ tunc perfecta dignitate pollent, cum odoramenta, & incenſa ex charitate inimicorum flagrantia Deo offerunt.

CAPVT XIII.

Maleſacere inimicis abiecti animi eſt, beneſacere glorioſum.

OPortet generoſè cum inimicis agere, hoc quidem glorioſiſſimum ſicut & maleſacere vile, & abiectum, prout eleganter tradidit S. S. Ambroſ. lib. de Abel & Cain. Geneſ. 4.
Ambroſius, vbi expendens illud Geneſ. *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* ſic habet: *Non frater clamat, quia tantum innocentia, & gratia,*

gratia, germanitatis etiam in ipſa morte ſeruat. Non accuſat frater, ne videatur parricida: non vox eius, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti. De terra, non de corpore fratris clamat, quia & ſi frater parcit, terra non parcit. Indignum iudicat Ambroſius, quod Abel, aut eius anima, aut vox, aut ſanguis in corpore exiſtens deterrimum inimicum accuſaret; id facit vox ſanguinis, poſtquam in terram decidit: ſanguis ex infimo loco accuſat, quia infimum, & abiectum eſt, inimicis nocere. Cum Lyſimachus Theodoro minaretur mortem, dixit: *Magnum effeciſti, ſi cantharidis vim conſecutus es.* Ita Tullius. Paulo aliter refert Seneca, nempe: *Habes cur tibi placeas, hemina ſanguinis in tua poteſtate eſt.* Eſt quidem animalium irrationalium proprium nocere aduerſariis; rationis vero, & ſapientiæ magnæ eſt à nocumento abſtinere. Cuius ſapiens aſſertor eſt, Lactantius: *Homo,* inquit, *qui ſcientiam boni, ac mali habet, abſtinet ſe à nocendo, etiam cum incommodo ſuo, quod animal irrationale facere non poteſt. Et ideo inter ſummas hominis virtutes innocentia numeratur: quibus rebus apparet, ſapientiſſimum eſſe, qui mauult perire, quàm noceat, vt id officium, quo à mutis diſcernitur, ſeruet.*

Tull. Tuſc. 5.
Senec. lib. de tranquil. vitæ.
Lactant. lib. 5 diuin. inſtit.

Ab ingenita humanitatis nobilitate in feritatem degenerat qui odio, ſiue ira inimicum inſequitur. Quod docet Sanctus Baſilius, inquiens: *Hæc hominem prorſus efferat, ac ne hominem quidem eſſe ſinit, vt qui iam rationis careat. Nam quod venenatis animantibus venenum eſt, hoc ira percitis eſt excandeſcentia. Rabie laborant, vt canes; ſubſultant, vt ſcorpij; mordent, vt ſerpentes. Si aliquem præ iracundia dentes acuentem videris, illud cogita, eum apro ſimilem eſſe, vt qui internum furorem per dentium confrictum oſtendat.* Adeo autem feras imitatur, vt quemadmodum hæ ſolo ſibilo, vel leui ſono irritantur, & in furorem aguntur; ita qui graui odio in alios ſunt affecti, leuiſſima occaſione fureſcunt. Id aduertit Nazianzenus illis verbis.

S. Baſil. hom. de ira.
S. Gregor. Nazian. in iambico de ira.

Reprimere tentes, in caput bilem tuum,
Trahes, furentem vt belluam ſono edito.

Præterea abiectum, ac turpe eſt ab odio, ſiue ira ſuperari. Quam turpitudinem timens Ariſtoteles, cum ſeruum in graui crimine depræhendiſſet id dixit, quod eleganter retulit idem S. Gregorius Nazianzenus.

Vt ſenſit autem bile ſe ſubita rapi
Aduerſus illam dimicans, ſtetit illico,
Paulum & moratus dixit, ô dictum elegans!
Noua res, patrona contigit bilis tibi.
Cæſus abiiſſes, liber hac, ſi nunc forem.

Sapienter quidem; probe enim intellexerat, quod etiam docet Sanctus Ambroſius: *Qui cito mouetur iniuria, facit ſe dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Qui enim contumelia afficitur, ne ea dignus videatur, in verba odio, & iracundia plena, quibus ſe vlciſcatur, erumpit: at ipſis verbis, quibus videri vult indignus contumelia, ipſa ſe digniſſimum demonſtrat. Ipſa namque verba tetro, & atro iræ, atque odij colore tincta, & vultus ipſe turpiter immutatus; huius rei deformitatem ſatis aperit. Vnde idem Gregor. Nazianzenus ait: *Præſtaret vtinam feruidis ira graui ſpeculum, vt videntes dedecus probrum & ſuum, huiuſce morbi quidpiam hinc remitterent. Quin hoc ſtatutum eſt, nempe violator tuus: in quo ipſe tete, ſi vacas, cernas licet, morbi paris, nam paria ſunt ſymptomata.* Prudenter quidem admonet, vt ad fugiendum dedecus, & probrum iracundiæ, cuius pro ſpeculo ſit ipſe inimicus ira furenti percitus; in eius enim vultu tuam fœditatem, cum ſimiliter ira corripueris, cernere licebit. Sic olim quidam, vt filium ab ebrietatis vitio ſanaret, in eius conſpectum ebrios adducendos curabat, quo magis conſpecta eorum fœditate, & ridiculis motibus, ab hoc vitio abhorreret, ac ſibi caueret diligentius. Hoc enim prudentiſſimum eſt iuxta conſilium Baſilij: *In alieno morbo te ipſum cura.* Aduerſarium igitur ea in re amicum reputa quod in ſe veluti in ſpeculo, iræ deformitatem, & turpitudinem tempeſtiue contemplandam exhibet, ante etiam, quam commotus ipſe ſis.

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 6.
Idem Naz. iambico. 21. de ira.
S. Baſil. hom. 21. de ira.

Ex quo debet intelligi, quàm meritò ſapiens abiectam iræ turpitudinem, & glorioſam manſuetudinis laudem ſectari moneat. *Fili mi,* inquit, *in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum.* Ac ſi dicat: ſi teneas manſuetudinem, vt ſerues animam tuam à fœda odij, atque iræ macula; & ſiquidem animæ rationalis excelſa, ac præſtantiſſima eſt natura, ſecundum hoc meritum corona eam honore manſuetudinis, & charitatis, nec in barathrum fraterni odij eam deijcias. Nil quippe glorioſius eſt, quam odium vincere, & ira ſuperiorem ſe monſtrare. Id exploratum erat Lacedæmonibus, quos laudat Pauſanias, quod cum fortiſſimo animo hoſtes exciperent, & ad mortem vſque pugnarent, iram tamen in fugientes hoſtes non retinebant: cum enim hi primum terga cepiſſent vertere, ipſi receptui canebant: *Indecorum arbitrantes,* ait Alexander ab Alexand. *In fugientem hoſtem iam ad finem vſque perducere.*

Pauſan. lib. 4. de Regione Meſſanica.
Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

DE AMORE INIMICORVM.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Qui ex charitate benefaciunt inimicis, iure optimo filij Dei dicuntur.

QVI inimicos ſuos diligunt, & beneficiis, atque orationibus proſequuntur, id Chriſti Domini teſtimonio conſequuntur, vt filij Dei merito appellentur: *Orate,* inquit, *pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri.* Id intelligere poſſumus ex Pſalmo 43. cuius titulus eſt, *filiis chore,* quem exponens Sanctus Auguſtinus, ſic habet: *Pſalmus iſte filiis* Pſal. 43.

Digitized by Google

liis Chore dicitur, ſicut eius titulus præfert. Interpretatur autem Chore Caluaria, & inuenimus in Euangelio Dominum Ieſum Chriſtum in loco Caluariæ crucifixum. Ergo clarum eſt, quod filiis paſſionis eius cantatur hic Pſalmus. Hi plane ſunt filij paſſionis Chriſti, id eſt, filij Dei in eo monte morientis, qui eum imitantes, pro inimicis, & orant, & patiuntur, ſicut Chriſtus fecit.

Enim vero cum filius Dei ſæpe in ſcriptura dextera Patris nuncupetur, ille filius dexteræ, id eſt filius Chriſti dicitur qui dolorem iniuriarum, atque damnorum per patientiam comprimit, & vincit. Quod adumbratum eſt in minimo filiorum Iacob, quem cum Rachel pareret, morti proxima illum appellauit *Benoni*, hoc eſt, filium doloris mei: at Iacob illum appellauit *Beniamin*, id eſt filium dexteræ. Quid hæc tam diuerſa nomina indicant? Profecto illum eſſe filium dexteræ, nempe Chriſti qui ſit filius doloris, quem ex iniuriis inimicorum, atque damnis conceptum foras ad vindictam erumpere non ſinit.

Porro ſicut Chriſtus Dominus per patientiam erga inimicos exhibitam cognitus eſt filius Dei, Ita homo tunc filium Dei ſe probat, cum veræ patientiæ opera inimicis oſtentat. Nam cum Chriſtus Dominus per doctrinam & vitam, & miracula ſe Dei filium demonſtrare voluerit, id per patientiam potiſſime conſequutus eſt. Quod Tertullianus ſic tradit: *Qui in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Qui patientiam pluſquam humanam perpetrabat, diuinam ſe naturam habere oſtendebat.

Tertull. lib. de patient. c. 3.

Concinit etiam Sanctus Cyprianus, inquiens: *Inter cætera admirabilia virtutum, quibus iudicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit*, id eſt, eadem forma, & ordine paternam patientiam continuauit; vt ſicut pater ſummo ſilentio quotidie ſceleratorum hominum offenſas tolerat: ita filius grauiſſimas ab inimicis iniurias tanto ſilentio ferebat, vt miraretur Præſes vehementer, reputans omnino tantum ſilentium non humanæ, ſed diuinæ eſſe perſonæ. Quod indicat Origenes ad hunc locum, ſic ſcribens: *Miratus eſt autem præſes conſtantiam eius, forſitan ſciens quòd idoneus eſſet pronuntiare crimen; & tamen videbat eum in tranquilla & quieta ſapientia, & grauitate non turbabili ſtare. Sed & vehementer miratur, dignum enim ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus Chriſtus ad criminale iudicium, imperturbabilis ſtaret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis æſtimatur.* Illud *pronuntiare crimen* verbum eſt iuris, ſignificat autem apertè monſtrare & diluere crimen, vt auctor eſt Prateius. Id igitur cum perfacile poſſet, mirabile omnino erat in re tanta profundum tenere ſilentium. Quod Theophilactus ſic etiam aſſerit: *Mirabatur autem Pilatus, quia cum legis Doctor eſſet, & eloquens, & potens reſponſione ſua eorum accuſationes infringere, non reſpondebat quicquam, ſed magis accuſationes viriliter ſuſtinebat.*

S. Cyprian lib. de bono patient.

Matth. 27.

Prateius in lexicon. iuris.

Ex hoc in calumniis ſilentio, atque patientia diuinitatem in Chriſto Pilatus rimabatur, at bonus latro diuinæ gratiæ fideique lumine illuſtratus ex eadem patientia Chriſtum Dei eſſe filium certiſſime cognouit. Ex qua cognitione vox illa eius erupit: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* De quo Sanctus Bernardus ait: *Euntem in regnum vidit, quo cum perueniſſet ſui memorem eſſe rogabat.* Quem immobilem, clauis ſuffixum videbat in regnum properare non dubitabat, quia æternum Regem, & verè Dei filium eſſe cognoſcebat. Et alibi ait: *Per anguſtam viam crucis facientem iter in regnum ſuum agnouit.* Quo tempore nulla videtur exterius res fuiſſe quæ latronem ad cognoſcendam Chriſti diuinitatem excitaret, præter mirabilem, diuinamque patientiam, qua opprobria Iudæorum & militum, & acerbos dolores, ac mortem tolerabat. Nam vt optime Sanctus Leo ſcribit: *Quæ iſtam latronis fidem exhortatio perſuaſit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius alia miracula, ceſſauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipſa quæ mox erant gerenda non aderant* (id eſt miracula in morte Chriſti patranda nondum fiebant) *& tamen Dominum confitetur, & Regem, &c.* Quid ergo aliud eum mouere potuit ad confeſſionem diuinitatis præter patientiam crucis? vt igitur à latrone per mirabilem paſſionis patientiam Chriſtus Dei filius cognitus eſt: ita & ab omnibus, qui mentis oculos fidei luce habent illuſtratos per eandem paſſionem ſimiliter cognoſcitur. Quod adumbratum eſt, cum duo illi diſcipuli in Caſtello Emaus *cognouerunt eum in fractione panis*, cuius rei myſterium enucleans Drogo Hoſtienſis ſic ait: *Panis caro tua eſt, fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam; fregiſti corpus, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat: niſi enim patiaris, non cognoſceris.*

Luc. 23.

S. Bernard. ſerm. 1. in Ram. palm.

Et ſerm. 2. de Epiphan.

S. Leo ſerm. 2. de Paſſion.

Luc. 24.

Drogo lib. de ſacramento Dom. Paſſion.

Ex quo debet intelligi firmiſſimum argumentum ad cognoſcendos Dei filios eſſe veram in calumniis, perſecutionibus & calamitatibus patientiam. Quod explicari poteſt ex eo, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus tradit aduerſus mulieres ambitioſius ſe ornantes: *Galli*, inquit, *ad Rheni vndas fœtus in lucem editos explorant: vt ignis de auri puritate certiſſimus index eſt.* Rhenus fluuius eſt, Germaniam à Gallia Belgica diuidens, quo Germani, & Galli de vxorum fide ſuſpecti, natos ferebant, & vtrum legitimi, an adulterini eſſent, probabant: nam diuinæ prouidentiæ miraculo, legitimi ſupernatabant aquis; adulterini vero pelſum ibant. Hoc miraculum refert Gregorius, Strabo, atque etiam Iulianus Apoſt. ſimiliter quidem fluuius paſſionis ac perſecutionis filios Dei legitimos probat, & ab adulterinis diſcernit, dum hos demergit, illos extare facit.

Idem in carmin. ad Nicobolum. Iulian. in epiſt.

Conſtat ergo per dilectionem inimicorum hominem ad ſublimem euehi dignitatem. Bene ſecum actum putabat Alexander, ſi poſt orbem à ſe ſubactum, filius Iouis haberetur: at vere filios Dei eſſe homines conſequuntur, ſi inimicos amore, & beneficiis proſequantur. Præterea Dianam, & Apollinem eſſe filios Iouis, & Latonæ, apud veteres Sapientes ſignificat eos, qui iniuriarum obliuiſcuntur eſſe illuſtriſſimos Deorum filios; nam iuxta Platonem Latona inter

Plato in Cratulo.

Digitized by Google

interpretatur obliuio iniuriarum quoniam huiuſmodi obliuioſi, qui magno, & excelſo animo id præſtabant, filij Deorum habebantur. Ita philoſophatur Anton Ricciard. Melius Sanctus Ioannes Damaſcenus qui ſtatuens filiationem in paternæ bonitatis imitatione conſiſtere, ſic ait: *Hæc felix diuinæ bonitatis imitatio eſt, dum quis alius, non minus quam ſibi gratiam expoſcit: & tunc conſummata charitatis terminus, ac beatitudo attingitur, dum in proximo animæ ſuæ benefacit.* Opportune Sanctus Chryſoſtomus. *Hæc (inquit) reputans, Domino ſias pro tuis viribus ſimilis. Te iam talem effectum Diabolus ne contra quidem reſpicere poteſt: regiam enim impreſſionem agnoſcit.* Id eſt, imaginem, ſeu filij ſimilitudinem. Confirmatur hoc à Rege illo, qui in dilectione inimicorum maximè excelluit, nam quærês à Siba ſeruo Saul: *Putas ne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Reſponſum eſt ei de Miphiboſeth nepote Saul, quem acceſſiuit, & in menſa Regis ſemper comedit. Hanc beneficentiam vocauit miſericordiam Dei, quia propria eſt Dei & filiorum eius. Miſericordia enim exhibita amico eſt propria hominis: at quæ confertur inimico, eſt propria Dei. In hac autem erga inimicos beneficentia Deum imitari ſumma hominis perfectio, atque excellentia eſt. Vnde Sanctus Gregorius Nyſſenus agens de mandato dimittendi debita inimicis, ait: *Progrediens ſermo, venit ad ipſum extremum punctum virtutis.* Eſt enim inimicorum amor, & iniuriarum remiſſio Chriſtianæ perfectionis meta, vltra quam virtus non progreditur. Id egregie confirmat his verbis: *Hic prope modum non amplius intra terminos humanæ naturæ conſpicitur; ſed ipſi Deo per virtutem aſſimilatur, vt alius ille ipſe Deus eſſe videatur, dum faciat ea, quæ Dei ſolius eſt facere.* Debitorum enim remiſſio proprium, ac particulare Dei munus, & officium eſt, dictum eſt enim: *Nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus.* Quod quidem ethnicus Philoſophus aſſequutus eſt. Tullius enim ſic ait: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, præclarum eſt. Hæc qui faciat, non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.*

Anton Ricciard. tom 1. comment. ſymbolic.
S. Ioan. Damaſcen. ſerm de defunct.
S. Chryſoſt. hom. 52 ad Pop.
2 Reg. 9.
S. Nyſſen. lib de orat. Dom.

Addam adhuc ad dicta. Mirum videri non debet, ſi eum qui corde, & opere inimicum diligit, filium cœleſtis Patris Chriſtus dicat; cum ipſa Chriſti caro ideo in filium Dei aſſumpta fuerit ex ſemine Dauid; quia ipſe Dauid eximius extitit inimicorum dilector, & benefactor. Quam ſententiam apertè & luculenter tradit Rupertus his verbis: *Ratio docet, non multo minoris fuiſſe meriti pepercisſe inimico propter Deum, quam non pepercisſe vnigenito filio. Hoc fecit Dauid inimico ſuo infenſiſſimo quærenti animam ſuam, inimico Regi, cuius regnum ſine dubio ſe ſuſcepturum eſſe ſciebat. Ob hanc maximè cauſam iuratum illi eſſe arbitramur, quod ſemen vel caro eius aſſumenda eſſet in filium Dei; quia maximè cauſa iſta facit filios Dei, ſicut teſtatur Dominus, cum dicit: diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quia igitur Abraham propter Deum non pepercit filio, & Dauid propter ipſum Deum pepercit inimico, quod vtrumque ſimilis eſt meriti, & excelſi facinoris, ideo caro Dauidicæ ſtirpis aſſumpta eſt in filium Dei; quia nimirum benefacere inimicis in filios Dei homines exaltat.

Rupert. lib. 4. de vict. verb. Dei c. 17.

Id ſatis apertè Dominus oſtendit, cum è cruce pendens Patrē inclamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Cum vero tunc oraret pro inimicis ait: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Attende harum orationum diſcrimen. Cum hic pro perſequentibus orat, Patris nomine vtitur, quia filiorum eſt pro perſequentibus ſe orare. Ita graues notant interpretes. Orans ergo Dominus pro inimicis Deum appellat Patrem & conſequenter ſe nuncupat filium, atque adeo ſacerdotem: nam filij primogeniti proprium erat ſacerdotium iure primogenituræ vt ex multis ſcripturæ locis deducunt Doctores. Quod attente conſiderans Beda expendens hanc Chriſti pro inimicis orationē, ait: *Quia Lucas ſacerdotium Chriſti ſcribere diſpoſuit, rectè Dominus apud Deum pro perſecutoribus iure ſacerdotis intercedit.* Pro perſecutoribus quidem intercedit iure ſacerdotis, quia iure filij: nam filiorum Dei eſt inimicis benefacere.

Matth. 27.
Marc. 15.
Luc 23.
Beda in Luc. 23.

Hoc idem ſatis oſtendit Paulus: nam dilectionem inimicorum volens ſuadere, ſic hortatur: *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij charisſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Quam dilectionem hoc loco ſuadeat Hugo Cardinalis ſic explicat: *Eſtote imitatores Dei inuicem vobis condonando, & ab odio recedendo, vt ſitis largi, & benigni pro Chriſto.* In hoc perfecto inimicorum amore hortatur, vt imitemur Deum, *ſicut filij charisſimi*; quia ſi quis inimicum diligat, non ſolum filius Dei eſt, ſed filius chariſſimus. Quam vocem premens ad hunc locum Theodoretus ait: *Adoptionem accepiſtis, Deum Patrem nominatis, imitamini ergo cognationem.* Vt ſicut Deus nos inimicos dilexit, & ſibi in Chriſto reconciliauit: ita & nos faciamus. Nam proxime præmiſerat Apoſtolus: *Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Quod cum ita ſit, optimè adiungit Paulus: *Ambulate in dilectione.* Quam particulam eleganter exponit citatus Hugo, inquiens: *Quaſi dicat: dilectio eſt via optima, in qua viator non debet hærere ſed ſemper progredi, de qua via adhuc viam excellentiorem vobis demonſtro.* Hæc ſane via dilectionis ex maiori parte amœniſſima eſt; nil enim magis iucundum, quam amare: at cum in hac dilectionis via peruenitur ad inimicorum anfractus, aſpera eſt, & ardua, dumetis, & vepribus impedita, vbi pleriqe errant, & in præcipitia incurrunt, ſed qui filij Dei ſunt, alacres per medias irrumpunt ſpinas & ſaxa, & ad viæ terminum felices perueniunt. Sed vt Pauli locus ad plenum tractetur, & quod intendimus penitus intelligatur, præcedentia verba huic loco coniuncta, quæ de eadem inimicorum dilectione ſunt, conſiderari debent. Ait igitur Paulus: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*

Epheſ. 5.
1. Cor. 12.

in die redemptionis. Eodem ſermonis tenore vſus eſt dicens: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* Vtrumque locum optime explicat Hugo Cardinalis his verbis: *ſignati eſtis imagine Dei reformata in vobis: nam ſignum dicitur ſigillum, & ſic ſumus ſignati gratia, quaſi ſigillo impreſſo nobis, iuxta illud ſignatum eſt*
Pſalm. 4. *ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Per gratiam ergo habitualem, quæ eſt ſpiritus promiſſionis ſanctus, quaſi ſigillo imprimitur nobis Dei imago, per quam filij Dei adoptiui efficimur, diuinæ conſortes naturæ, vt ait Petrus: nam filiationem in ratione imaginis conſiſtere, & Patres, & Doctores ſcholaſtici tradunt. Hunc ſpiritum gratiæ à Deo nobis datum monet Paulus, ne contriſtemus, id eſt, ne perturbemus hanc ſpiritualem Dei imaginem, qua ſumus filij Dei, fraterno odio, quod maximè fugere debemus, quia ſumus Dei filij. De hoc autem fraterno odio ſine vllo verborum interſtitio ita ſubiungit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.* Totam huius loci ex-
S. Chryſoſt. hom. 14. plicationem breuiter complexus Sanctus Chryſoſtomus ſic ſcribit: *Hoc ſignaculum ſit in ore tuo, ne ſigilla ſuſtuleris. Cogita quanta ſit dignitas oris, Patrem vocas Deum; & fratrem ſtatim iniuria afficis?* Quaſi dicat: hoc ſignaculum ſimilitudinis, quo filius Dei es, pertingat etiam ad os, ne pronunciet illa verba ab Apoſtolo interdicta, amaritudinis, iræ, indignationis, clamoris, & blaſphemiæ: nam cum per ſignaculum conſtituaris Dei filius, quomodo Patrem vocas Deum, & fratrem ſtatim iniuria afficis.

CAPVT II.

In amore inimicorum magna animi fortitudo, atque potentia oſtenditur.

CVm Chriſtus Dominus eos, qui ex vera charitate inimicis benefaciunt, filios cœleſtis patris appellat, id eſt, eius ſimiles, ac imitatores, hanc filiorum ſimilitudinem non ſolum in miſericordia, & bonitate, ſed etiam in fortitudine, atque potentia intelligit. Multum enim errat mundus, qui infirmi animi eſſe putat, iniurias inimici patienter tolerare, cum eo in gratiam redire, eidem obſequi, & ex charitate non ficta benefacere. Secus enim ſe res habet: nam tum maximè fortitudo, & potentia & Dei & hominis elucet, cum inimicorum iniurias patienter ferunt, & eis benefacientes obſecundant; Pharao pertinax hoſtis Dei, eiuſque populi extitit, in quo tamen patienter, & longanimiter tolerando Dei fortitudo, atque potentia eluxit. Nam illud Domini ad
Exod. 9. ipſum Pharaonem. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam.* De patientia, qua tolerauit Pharaonem agentem proterue, & hoſtiliter in Deum, intelligitur à multis Patribus. Ita Sanctus Chryſoſtomus, ſic ſcribens: *Non vult Deus ſuum robur per ſupplicium innoteſcere, ſed per beneficentiam, & liberalitatem. Tulit igitur Pharaonem multo tempore ſuam ſimul declarans bonitatem, & patientiam.* Chryſoſtomum, vt aſſolet, ſequitur Oecumenius his verbis: *Quia in hoc ipſum excitaui te, id eſt, in hoc te regnare permiſi, vt demonſtraretur, quam ſim longanimis. Potentia enim Dei longanimitatem interpretatur.* Conſonat Theodulus inquiens: *Ait enim Deus Pharaoni: in hoc excitaui te, vt demonſtrarem in te potentiam meam. Potentia Dei eſt longanimitas adeoque maxima potentia.*

S. Chryſoſt. hom. 16 in epiſt. ad Roman.
Oecumen. in Catena Lipomani ad cap. 9. Exod.
Theodulus in c. 4. ep. ad Rom.

Sunt in eandem ſententiam alia ſcripturæ ſacræ teſtimonia. Nam in ſapientiæ libro dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes.* Sap. 11. Obſerua conſecutionem; non enim dictum eſt: misereris omnium, quia miſericors es; ſed: *Quia omnia potes,* id eſt, quia omnipotens es. Quam conſecutionem notans Rabanus ad hunc locum ait: *Potentia Dei bonitate plena eſt, opus ſuum propter peccata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit & pie fouet, & nutrit.* Cum artifices omnes opera ſua diſtorta, atque fœdata deſpicere ſoleant, & perdere; diuina tamen potentia opera à ſe facta, quamuis per peccatum deturpata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit, & pie fouet, ac nutrit; quia nimirum bonitate plena eſt. Omnipotentia quidem Dei non egena eſt, & vacua, ſed plena bonitate, vnde quia infinita eſt omnipotentia, tanquam in immenſo vaſe, immenſa eſt miſericordia, qua omnes homines implet benedictione. Quod opportunè confirmat Sanctus Fulgentius inquiens: *In quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors; tanta eſt autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil ſit, quod nolit, aut non poſſit relaxare conuerſo* quoniam ſi peccator ſolam omnipotentiam reſpiciat, non mirum ſi extremi ſupplicij timeat iram; ſi vero hanc omnipotentiam plenam diuina benignitate ad remittendas iniurias intueatur, fit, vt ſe ſpe veniæ conſoletur. Nam quia omnipotentia, inſtar immenſi vaſis plena eſt miſericordia, in vaſa iræ non iram, ſed benignitatem infundit: Quod Apoſtolus expreſſit, cum dixit: *Volens Deus oſtendere, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ.* Notam Deus fecit potentiam ſuam cum in multa patientia ſuſtinuit vaſa iræ; quia hoc facto illud, quo plena erat potentia, manifeſtauit. Quod fatetur Eccleſia, cum in oratione canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Ex quo debet intelligi filios Dei, cœleſtis parentis imitatores eam habere potentiam, quæ plena ſit amore, & benignitate ad remittendas iniurias: vana enim eſt potentia, quæ oleo miſericordiæ, ac benignitatis non eſt plena. Nec ſolum vana, ſed etiam noxia: nam vt prudenter Seneca dixit: *Peſtifera vis eſt valere ad nocendum.* Quamobrem potentia vas debet eſſe Clementiæ, & quo maior illa fuerit, maiorem continere debet benignitatem. Id vſuuenit Romanis, quorum benignitas æqualis erat potentiæ, de quibus dicitur: *Cum eſſent potentes viribus, acquieſcunt ad omnia,*

S. Fulg. ep. 7. ad Venantium de recta pœnit.
Rom. 9.
Senec. lib. 1. de Clement. cap. 3.
1. Machab. 8.

Digitized by Google

omnia, quæ poſtulantur ab eis. Similiter omnibus Regibus maior eſſe debet Clementia, quia maiori pollent potentia. Audi iterum Senecam *nullum Clementia ex omnibus magis quam Regem, aut Principem decet*; iſtæ enim virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt.

Sunt etiam aliæ rationes, ob quas non infirmi animi, ſed magnæ fortitudinis & potentiæ ſit inimicos diligere, & eorum perſecutiones, atque calumnias ferre. Nam profecto Deus omnipotens non ita ſolet oſtentare potentiam in infligendo ſupplicio, & in vno homine perdendo. Quamobrem Iob cum grauiſſimis calamitatibus premeretur à Deo dicebat: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Nam vt bene Sanctus Gregorius hoc loco: *Quid eſt homo niſi folium, qui videlicet in paradiſo ab arbore decidit? Quid eſt niſi folium qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus leuatur?* Cur vero ſtipula ſicca homo dicatur, ſubinde adiungit: *Quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam ſtipula ſicca eſt.* Quî ergo in contetendo folio, & ſicca ſtipula Deus potentiam ſuam oſtendet? Sicut ergo Deus potentiam ſuam non oſtendit, cum ſupplicium infligit, & homuncionem affligit, quod facile eſt; ſed cum peccatorem tolerat, qui ipſum iniuriis, & maledictis inceſſit, & quaſi ad pugnam laceſſit, quod ex ſe arduum eſt: ita homo non ſumendo de inimicis vindictam, ſed eis benefaciendo robur & potentiam ſuam debet monſtrare. Quod S. Gregorius Nazianzenus ſic monet.

Iob cap. 13.

S. Gregor. Nazianz. in Tetra-ſtichis.

Aliis nocendo robur haud monſtra tuum;
Bene ſed merendo, ſic Deum ſequi cupis.
Eſt eius iſtud, qui ſuum norit genus.
Facile at necarint, & trigon, & ſcorpius.

Robur probè oſtenditur benemerendo de inimicis, & hoc eius eſſe ait, qui cognoſcit ſuum genus, id eſt, filium cœleſtis Patris ſe eſſe ſcit, ſi inimicis benefaciat. At nocendo robur nequit oſtendi, cum hoc perfacile ſit; nullo enim negotio trygon, & ſcorpius hominem necant. Rurſus, quod peccatorem iniuriis laceſſentem ſuſtinere, magni ſit roboris, & potentiæ, in Deo quidem inde oſtenditur, quia tunc non hominem proſtrat; ſed iuſtitiam ſuam, quæ infinita eſt, comprimit, & continet, & quaſi immenſum mare clauſtris concludit. In homine vero ſimiliter monſtratur, quia tunc, non alium, ſed ſe ipſum, quod difficillimum eſt, vincit, & expugnat. Vnde dicitur: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Græce pro animo eſt, ira, ad quam certè ſuperandam maius robur, & fortitudo requiritur, quam ad munitiſſimam vrbem expugnandam.

Prouerb. 16.

Ex quo intelligere pronum eſt, quam opportune Paulus ſic omnes fideles moneat. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*: hoc eſt, in morem victoris, ac triumphantis erecta, & inuicta conſiſtat. Ex Græco aliqui vertunt *brauium ferat*, videlicet aduerſus liuorem, & iracundam contentionem, quæ vindictam expetit. Quem ſenſum tenens Theodoretus ſic elucidat: *Si quis ab aliquo moleſtiam acceperit, habeat in corde pacem. Agonothetæ officio fungentem, & regentem.* Hoc eſt, pax ſit iudex certaminis, qui brauium, & palmam non vindictæ, atque odio, ſed amori, & benignitati addicat, & conferat. Luculentius rem hanc explicuit ad eundem locum Theophilactus his verbis: *ſæpe numero iniuria ſumus à quopiam affecti, & geminæ apud nos cogitationes certant: altera ad vindictam; altera ad longanimitatem nos incitans: ſic enim pax Dei in vobis ſteterit, vt iuſtus quiſpiam Brabeuta, id eſt, iudex certaminis, atque arbiter, dederitque victoriæ palmam ei, qui tulerit, vt ſis longanimis, ceſſabit aduerſarius tuus: ipſa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax; ea enim ex vltione naſcitur, ſed Dei.* Hæc igitur pacifica cogitatio, quæ inimicorum dilectioni faueat, palmam ferat, vt animi robur, quale filios Dei decet, dilucide oſtendat.

Coloſſ. 3.

CAPVT III.

Diſcordiæ amatores non filij, ſed hoſtes ſunt Dei.

SIcut hi qui inimicos diligunt, & concordiæ charitatis obſequuntur, filij Dei à Chriſto appellantur: ita qui fratres odio habent, & diſcordiæ ſunt amatores, hoſtes Dei, & filij Diaboli merito dicuntur. Quapropter Sanctus Auguſtinus dixit: *Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à filio, nihilo minus à Spiritu ſancto efficitur alienus.* Cum Chriſtus concordiæ amatoribus dicat *vt ſitis filij Patris veſtri*: at ipſe Pater diſcordiæ amatores abdicat, id eſt, filios ſuos eſſe negat: vnde conſequenter filius, cui Pater omnia dedit in manus, huiuſmodi abdicatos exhæredat; quos autem Pater & filius abalienarunt, Spiritus ſanctus nihilominus efficit alienos. Nec mirum, ſi tam grauiter diſcordiam tota Trinitas damnet. De cuius concordia Sanctus Gregorius Nazianzenus vere pronuntiauit: *Beata Trinitas Deus vnus eſt & eſſe creditur, non minus propter concordiam, quam propter eandem eſſentiam.* Meritò ergo tota Trinitas hominem diſcordem abdicat, exhæredat, & alienum ducit

S. Gregor. Nazianz. orat. 11.

Porro ei, quem Pater abdicat, conſequenter benedictionem negat; benedictio enim parentum eſt erga filios. Patrem vero benedictionem ſuam negare his qui per odium ab vnione fraternæ charitatis diſcedunt, deſignatum, & oſtenſum à Deo eſt, cum omnibus creationis diebus ipſe Deus benedixerit, ſoli ſecundæ diei benedictionem negauit. Cur ita? Paulus Burg. & Magiſter ſentent. & Sanctus Hieronymus citatus à Gloſſa id adſcribunt binario numero quod primus ab vnitate recedat: *Notandum etiã, (inquit Sanctus Hieronymus) quod huius diei ſecundi opera, ſecundum Hebræos non dicuntur bona, cum bona ſint, ſicut cætera, quod ſit propter binariũ principiũ alteritatis, qui primus ab vnitate diſcedit. Vnde quæ bina ingrediuntur in arcã im-*

Geneſ. 1.

Paul. Burg. Magiſt. ſent. in 2. diſt. 14. & S. Hieron.

Digitized by Google

in die redemptionis. Eodem ſermonis tenore vſus eſt dicens: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* Vtrumque locum optime explicat Hugo Cardinalis his verbis: *ſignati eſtis imagine Dei reformata in vobis: nam ſignum dicitur ſigillum, & ſic ſumus ſignati gratia, quaſi ſigillo impreſſo nobis, iuxta illud ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Per gratiam ergo habitualem, quæ eſt ſpiritus promiſſionis ſanctus, quaſi ſigillo imprimitur nobis Dei imago, per quam filij Dei adoptiui efficimur, diuinæ conſortes naturæ, vt ait Petrus: nam filiationem in ratione imaginis conſiſtere, & Patres, & Doctores ſcholaſtici tradunt. Hunc ſpiritum gratiæ à Deo nobis datum monet Paulus, ne contriſtemus, id eſt, ne perturbemus hanc ſpiritualem Dei imaginem, qua ſumus filij Dei, fraterno odio, quod maximè fugere debemus, quia ſumus Dei filij. De hoc autem fraterno odio ſine vllo verborum interſtitio ita ſubiungit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.* Totam huius loci explicationem breuiter complexus Sanctus Chryſoſtomus ſic ſcribit: *Hoc ſignaculum ſit in ore tuo, ne ſigilla ſuſtuleris. Cogita quanta ſit dignitas oris, Patrem vocas Deum; & fratrem ſtatim iniuria afficis?* Quaſi dicat: hoc ſignaculum ſimilitudinis, quo filius Dei es, pertingat etiam ad os, ne pronuntiet illa verba ab Apoſtolo interdicta, amaritudinis, iræ, indignationis, clamoris, & blaſphemiæ: nam cum per ſignaculum conſtituaris Dei filius, quomodo Patrem vocas Deum, & fratrem ſtatim iniuria afficis.

Pſalm. 4.

S. Chryſoſt. hom. 14.

CAPVT II.

In amore inimicorum magna animi fortitudo, atque potentia oſtenditur.

CVm Chriſtus Dominus eos, qui ex vera charitate inimicis benefaciunt, filios cœleſtis patris appellat, ideſt, eius ſimiles, ac imitatores, hanc filiorum ſimilitudinem non ſolum in miſericordia, & bonitate, ſed etiam in fortitudine, atque potentia intelligit. Multum enim errat mundus, qui infirmi animi eſſe putat, iniurias inimici patienter tolerare, cum eo in gratiam redire, eidem obſequi, & ex charitate non ficta benefacere. Secus enim ſe res habet: nam tum maximè fortitudo, & potentia & Dei & hominis elucet, cum inimicorum iniurias patienter ferunt, & eis benefacientes obſecundant; Pharao pertinax hoſtis Dei, eiuſque populi extitit, in quo tamen patienter, & longanimiter tolerando Dei fortitudo, atque potentia eluxit. Nam illud Domini ad ipſum Pharaonem. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam.* De patientia, qua tolerauit Pharaonem agentem proterue, & hoſtiliter in Deum, intelligitur à multis Patribus. Ita Sanctus Chryſoſtomus, ſic ſcribens:

Exod. 9.

Non vult Deus ſuum robur per ſupplicium innoteſcere, ſed per beneficentiam, & liberalitatem. Tulit igitur Pharaonem multo tempore ſuam ſimul declarans bonitatem, & patientiam. Chryſoſtomum, vt aſſolet, ſequitur Oecumenius his verbis: *Quia in hoc ipſum excitaui te, ideſt, in hoc te regnare permiſi, vt demonſtraretur, quam ſim longanimis. Potentia enim Dei longanimitatem interpretatur.* Conſonat Theodulus inquiens: *Ait enim Deus Pharaoni: in hoc excitaui te, vt demonſtrarem in te potentiam meam, Potentia Dei eſt longanimitas adeoque maxima potentia.*

S. Chryſoſt. hom. 16 in epiſt. ad Roman.

Oecumen. in Catena Lipomani ad cap. 9. Exod.

Theodulus in c. 4. ep. ad Rom.

Sunt in eandem ſententiam alia ſcripturæ ſacræ teſtimonia. Nam in ſapientiæ libro dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes.* Obſerua conſecutionem; non enim dictum eſt: miſereris omnium, quia miſericors es; ſed: *Quia omnia potes*, id eſt, quia omnipotens es. Quam conſecutionem notans Rabanus ad hunc locum ait: *Potentia Dei bonitate plena eſt, opus ſuum propter peccata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit & pie fouet, & nutrit.* Cum artifices omnes opera ſua diſtorta, atque fœdata deſpicere ſoleant, & perdere; diuina tamen potentia opera à ſe facta, quamuis per peccatum deturpata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit, & pie fouet, ac nutrit; quia nimirum bonitate plena eſt. Omnipotentia quidem Dei non egena eſt, & vacua, ſed plena bonitate, vnde quia infinita eſt omnipotentia, tanquam in immenſo vaſe, immenſa eſt miſericordia, qua omnes homines implet benedictione. Quod opportunè confirmat Sanctus Fulgentius inquiens: *In quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors; tanta eſt autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil ſit, quod nolit, aut non poſſit relaxare conuerſo* quoniam ſi peccator ſolam omnipotentiam reſpiciat, non mirum ſi extremi ſupplicij timeat iram; ſi vero hanc omnipotentiam plenam diuina benignitate ad remittendas iniurias intueatur, fit, vt ſe ſpe veniæ conſoletur. Nam quia omnipotentia, inſtar immenſi vaſis plena eſt miſericordia, in vaſa iræ non iram, ſed benignitatem infundit: Quod Apoſtolus expreſſit, cum dixit: *Volens Deus oſtendere, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ.* Notam Deus fecit potentiam ſuam cum in multa patientia ſuſtinuit vaſa iræ; quia hoc facto illud, quo plena erat potentia, manifeſtauit. Quod fatetur Eccleſia, cum in oratione canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Ex quo debet intelligi filios Dei, cœleſtis parentis imitatores eam habere potentiam, quæ plena ſit amore, & benignitate ad remittendas iniurias: vana enim eſt potentia, quæ oleo miſericordiæ, ac benignitatis non eſt plena. Nec ſolum vana, ſed etiam noxia: nam vt prudenter Seneca dixit: *Peſtifera vis eſt valere ad nocendum.* Quamobrem potentia vas debet eſſe Clementiæ, & quo maior illa fuerit, maiorem continere debet benignitatem. Id vſu euenit Romanis, quorum benignitas æqualis erat potentiæ, de quibus dicitur: *Cum eſſent potentes viribus, acquieſcunt ad omnia,*

Sap. 11.

S. Fulg. ep. 7. ad Venantium de recta pœnit.

Rom. 9.

Senec. lib. 1. de Clement. cap. 3.

1. Machab. 8.

Digitized by Google

omnia, quæ poſtulantur ab eis. Similiter omnibus Regibus maior eſſe debet Clementia, quia maiori pollent potentia. Audi iterum Senecam *nullum Clementia ex omnibus magis quam Regem, aut Principem decet*; iſtæ enim virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt.

Sunt etiam aliæ rationes, ob quas non infirmi animi, ſed magnæ fortitudinis & potentiæ ſit inimicos diligere, & eorum perſecutiones, atque calumnias ferre. Nam profecto Deus omnipotens non ita ſolet oſtentare potentiam in infligendo ſupplicio, & in vno homine perdendo. Quamobrem Iob cum grauiſſimis calamitatibus premeretur à Deo dicebat: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Nam vt bene Sanctus Gregorius hoc loco: *Quid eſt homo niſi folium, qui videlicet in paradiſo ab arbore decidit? Quid eſt niſi folium qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus leuatur?* Cur vero ſtipula ſicca homo dicatur, ſubinde adiungit: *Quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam ſtipula ſicca eſt.* Qui ergo in contemnendo folio, & ſicca ſtipula Deus potentiam ſuam oſtendet? Sicut ergo Deus potentiam ſuam non oſtendit, cum ſupplicium infligit, & homuncionem affligit, quod facile eſt; ſed cum peccatorem tolerat, qui ipſum iniuriis, & maledictis inceſſit, & quaſi ad pugnam laceſſit, quod ex ſe arduum eſt: ita homo non ſumendo de inimicis vindictam, ſed eis benefaciendo robur & potentiam ſuam debet monſtrare. Quod S. Gregorius Nazianzenus ſic monet.

Iob cap. 13.

S. Gregor. Nazianz. in Tetraſtichis.

Aliis nocendo robur haud monſtra tuum;
Bene ſed merendo, ſic Deum ſequi cupis.
Eſt eius iſtud, qui ſuum norit genus.
Facile at necarint, & trigon, & ſcorpius.

Robur probè oſtenditur benemerendo de inimicis, & hoc eius eſſe ait, qui cognoſcit ſuum genus, id eſt, filium cœleſtis Patris ſe eſſe ſcit, ſi inimicis benefaciat. At nocendo robur nequit oſtendi, cum hoc perfacile ſit; nullo enim negotio trygon, & ſcorpius hominem necant. Rurſus, quod peccatorem iniuriis laceſſentem ſuſtinere, magni ſit roboris, & potentiæ, in Deo quidem inde oſtenditur, quia tunc non hominem proſtrat; ſed iuſtitiam ſuam, quæ infinita eſt, comprimit, & continet, & quaſi immenſum mare clauſtris concludit. In homine vero ſimiliter monſtratur, quia tunc, non alium, ſed ſe ipſum, quod difficillimum eſt, vincit, & expugnat. Vnde dicitur: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Græce pro animo eſt, ira, ad quam certè ſuperandam maius robur, & fortitudo requiritur, quam ad munitiſſimam vrbem expugnandam.

Prouerb. 16.

Ex quo intelligere pronum eſt, quam opportune Paulus ſic omnes fideles moneat. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*: hoc eſt, in morem victoris, ac triumphantis erecta, & inuicta conſiſtat. Ex Græco aliqui vertunt *brauium ferat*, videlicet aduerſus liuorem, & iracundiam contentionem, quæ vindictam expetit. Quem ſenſum tenens Theodoretus ſic elucidat: *Si quis ab aliquo moleſtiam acceperit, habeat in corde pacem. Agonothetæ officio fungentem, & regentem.* Hoc eſt, pax ſit iudex certaminis, qui brauium, & palmam non vindictæ, atque odio, ſed amori, & benignitati addicat, & conferat. Luculentius rem hanc explicuit ad eundem locum Theophilactus his verbis: *ſæpe numero iniuria ſumus à quopiam affecti, & geminæ apud nos cogitationes certant: altera ad vindictam; altera ad longanimitatem nos incitans: ſic enim pax Dei in vobis ſteterit, vt iuſtus quiſpiam Brabenta, id eſt, iudex certaminis, atque arbiter, dederitque victoriæ palmam ei, qui tulerit, vt ſis longanimis, ceſſabit aduerſarius tuus: ipſa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax; ea enim ex vltione naſcitur, ſed Dei.* Hæc igitur pacifica cogitatio, quæ inimicorum dilectioni faueat, palmam ferat, vt animi robur, quale filios Dei decet, dilucide oſtendat.

Coloſſ. 3.

CAPVT III.

Diſcordiæ amatores non filij, ſed hoſtes ſunt Dei.

SIcut hi qui inimicos diligunt, & concordiæ charitatis obſequuntur, filij Dei à Chriſto appellentur: ita qui fratres odio habent, & diſcordiæ ſunt amatores, hoſtes Dei, & filij Diaboli merito dicuntur. Quapropter Sanctus Auguſtinus dixit: *Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à filio, nihilo minus à Spiritu ſancto efficitur alienus.* Cum Chriſtus concordiæ amatoribus dicat *vt ſitis filij Patris veſtri*: at ipſe Pater diſcordiæ amatores abdicat, id eſt, filios ſuos eſſe negat: vnde conſequenter filius, cui Pater omnia dedit in manus, huiuſmodi abdicatos exhæredat, quos autem Pater & filius abalienatunt, Spiritus ſanctus nihilominus efficit alienos. Nec mirum, ſi tam grauiter diſcordiam tota Trinitas damnet. De cuius concordia Sanctus Gregorius Nazianzenus vere pronuntiauit: *Beata Trinitas Deus vnus eſt & eſſe creditur, non minus propter concordiam, quam propter eandem eſſentiam.* Meritò ergo tota Trinitas hominem diſcordem abdicat, exhæredat, & alienum ducit

S. Gregor. Nazianz. orat. 12.

Porro ei, quem Pater abdicat, conſequenter benedictionem negat; benedictio enim parentum eſt erga filios. Patrem vero benedictionem ſuam negare his qui per odium ab vnione fraternæ charitatis diſcedunt, deſignatum, & oſtenſum à Deo eſt, cum omnibus creationis diebus ipſe Deus benedixerit, ſoli ſecundæ diei benedictionem negauit. Cur ita? Paulus Burg. & Magiſter ſentent. & Sanctus Hieronymus citatus à Gloſſa id adſcribunt binario numero quod primus ab vnitate recedat: *Notandum etiã, (inquit Sanctus Hieronymus) quod huius diei ſecundi opera, ſecundum Hebræos non dicuntur bona, cum bona ſint, ſicut cætera, quod ſit propter binariũ principiũ alternitatis, qui primus ab vnitate diſcedit. Vnde quæ bina ingrediuntur in arcã immunda*

Geneſ. 1.

Paul. Burg. Magiſt. ſent. in 2. diſt. 14. & S. Hieron.

Digitized by Google

Gloſſ. in c. 19. Geneſ.

mũda ſunt; impar numerus mũdus. Huic doctrinæ congruit omnino Gloſſa ad illa verba Geneſis: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, &c.* Vbi ſic habet: *Notandum quod tres Angeli, numero impari Deus gaudet; Sodomam venerunt pari numero, id eſt, duo, qui numerus primus ab vnitate recedit, & princeps eſt alteritatis.* Qui ergo ab vnitate charitatis recedit, diuina benedictione priuatur, quia nimirum ob diſcordiam iure filiationis abdicatur.

Ioann. 8.

S. Auguſt. tract. 20. in Ioan.

Cæterum cum is, qui fratrem odio habet, filius Dei non ſit, conſequens eſt vt ſit filius diaboli. Quod ita eſſe teſtatur Dominus, cum Iudæos, qui implacabili odio ipſius ſanguinem ſitiebant, ſic alloquitur: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Vbi Sanctus Auguſtinus ait: *Iudæi filij erant Diaboli imitando, non naſcendo. Vnde ait: deſideria patris veſtri vultis facere. Ecce vnde filij eſtis, quia talia deſideratis, quæritis enim me interficere.* Diabolus odio ardebat in Chriſtum, atque adeo ipſum perimere vehementer deſiderabat. Et quia Iudæi in hoc cruento odio Diabolum imitabantur; ideo, filij eius à Domino dicuntur. Atque vt hoc de omnibus qui fraterno odio afficiuntur, intelligendum eſſe doceat, adiungit hæc verba: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo.* Ac ſi diceret. Diabolus ab initio creationis tanto odio genus humanum proſequebatur, vt ex eo tempore omnes homines auidiſſimè cupiat interficere. Vnde eius filij dicendi ſunt, quicumque ſimili odio inquinantur. Quæres vero, cur Chriſtus in his verbis, cum odio ſanguinolento, ſiue homicidio Diaboli coniungat eius mendacium dicens: *In veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo?* Profecto, quia Diabolus, & eius filij, quippe charitate penitus deſtituti, cum aliquem odio habent, etiam inter illum, atque alios ſimile odium, ac diſcordiam ſeminare contendunt; quod quidem mendaciis ſeminatis efficiunt.

In Euang. Ioan. c. 10.

Quam contextus connexionem dilucide tradit Theophilactus inquiens: *Diabolus enim & Deum apud homines criminatus eſt homines, vt cum dixit; an gratis colit Iob Dominum?* Diabolus ergo non ſolum inter homines, ſed inter ipſos, & Deum ſeminatis mendaciis, charitatis vnionem ſoluere nititur; ideoque Dominus Diabolum, poſtquam ob finem, quem intendit, id eſt, odium, vocauit homicidam; ob medium, quod aſſumit appellat mendacem.

Sup.

Vnde Sanctus Auguſtinus dixit: *Non ferro accinctus Diabolus ad hominem venit, verbum malum ſeminauit, & occidit.* Occidere intendit per odium, id autem per verbum malum, id eſt, mendacium ſeminatum conſequitur. Diabolum imitatur, tanquam eius filius, qui per machinata mendacia iurgia ſeminat. Ideo dixit Salomon.

Prouerb. 6.

S. Gregor. in Paſtor. 3 p. cap. 14.

Vir apoſtata prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat. Quæ verba Sanctus Gregorius ſic exponit: *Ecce quem ſeminantem iurgia dicere voluit, prius apoſtatam nominauit, quia niſi more ſuperbientis Angeli, à conſpectu conditoris prius intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non veniret.* Cum ergo Angeli apoſtatæ, id eſt, Diaboli imitatores ſint, qui iurgia ſeminant, non mirum eſt, ſi iis, tanquam filiis libenter occurrat, & cum ipſis familiariter agat. Quo ſpectat locus Numerorum, vbi Balaam receſſit à Balac, & populi conuentu, vt poſſet dira Iſraëlitico populo imprecari, & maledicta coniicere. Si autem quæras, cur à populi congregatione recederet? Reſpondet Lyra id feciſſe Laban, vt libentius ei Dæmon occurreret, qui facile his ſe comitem adiungit, qui congregationes fugiunt, fratrum conſortia deuitant, & vnionem fidelium auerſantur; hos enim, vt filios amat.

Num. 24.

S. Cyprian. lib. de vnitate Eccleſ.

Verum ſicuti hos Diabolus tanquam filios amat. Ita Deus eoſdem, vt hoſtes deteſtatur. Vnde illud Sancti Cypriani. *Neque ad Cain reſpexit Dominus, neque ad munera eius: quo modo enim Deum pacatum habere poterat, qui cum fratre non pacem, ſed zeli diſcordiam habebat.* Hoc ſatis exaggerauit Sapiens illis verbis: *Sex ſunt, quæ odit Dominus & ſeptimum deteſtatur anima eius.* Aperiens autem quod ſit hoc ſeptimum, ait: *Eum qui ſeminat diſcordias inter fratres.* Hi enim aratores, ſunt Diaboli; ſeminant verba, & diabolus metit rixas, lites, diſſidia, & nunquam deſitura odia.

Prouerb. 6.

Eccleſ. 28.

Quam vero copioſa malorum ſeges pullulet ex iſta ſemente ſapiens expreſſit: *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates munitas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis. Qui reſpicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requieſcat.* Dicitur lingua tertia, quia media eſt inter duos, quos per ea, quæ nunc iſti, nunc illi obliquitur, diſcordes, inimicoſque reddit. Quos pacis, & charitatis conturbatores execratur Paulus, cum ait: *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Adeo autem Dominus deteſtatur huiuſmodi linguam tertiam, vt vel ab eius vmbra vehementer abhorreat.

Ad Galat. 5.

S. Petr. Chryſolog. ſerm. 162.

Vnde Sanctus Petrus Chryſologus explicans illud: *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, ait: *non poteſt dicere fratri, diuide, qui per Prophetam docuit: ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Non à iuſtitia erat alienum ſequeſtrum, & arbitrum inter illos fratres ſe ferre; quia tamẽ illa diuiſio vmbra quædam diſcordiæ eſſe videbatur, & ſtatim ac rogatur, reſilit, dicens: *quis me conſtituit diuiſorem ſupra vos?*

Luc. 12.

Plat. lib. 12. de legibus.

Non longè erat ab hoc Domini inſtituto lex Platonis, qui ſanciuit Dei ſtatuas ex ferro, & ære minimè faciendas: quo, vt ibi interpretatur Ficinus, ſignificare voluit Deum plurimum abhorrere vel à materia, ex qua fiunt bellica inſtrumenta: & fruſtra quempiam in ſacris operari animo ab aliis diſſidente.

* * *

CAPVT

Digitized by Google

Capvt IV.

Incomparabilis dignitas eorum, qui inimicos ſuos diligunt.

DVm Chriſtus Dominus eos qui inimicos ſuos diligunt, filios Dei vocat, mirifice eorum dignitatem commendat. Quid enim excellius? Quid diuinius, quam filiorum Dei nuncupatio? Quam vt ſuo pondere pendere poſſimus, eam, quantum fas ſit conſiderare debemus. Primum cum homo turpiſſimo peccati inquinamento Dei imaginem violaſſet, per hanc diuinam filiationem ad perfectam Dei ſimilitudinem recuperandam aſcendit, dum gratiam diuinam charitate Chriſtiana ſeruat, & Heroica ſua virtute exornat. Id ſignificatum

Luc. 15. S. Hieron. ep. 4. ad Damaſ.

eſt in eo annulo, quo filium prodigum pater inſigniuit de quo Sanctus Hieronymus habet: *Dedit annulum, ſignaculum, ſimilitudinis Chriſti, ſecundum illud; in quem credentes, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto. Et ad Principem dicitur Tyri, qui ſimilitudinem conditoris amiſerat: tu ſignaculum ſimilitudinis & corona decoris in deliciis paradiſi fuiſti.* Peccator, qui virtutum & cœleſtium donorum ſubſtantiam prodegerat, & in regionem diſſimilitudinis abierat, cum ad Patrem reuertitur, denuoque in filium admittitur, accepto annulo, diuina ſimilitudine donatur: annuli enim olim ſignacula erant, quibus homines ſuam ſimilitudinem rebus imprimebant. Vnde Sanctus Hilarius dixit: *ſignaculorum autem natura eſt, vt omnem impreſſæ in ſe ſpeciei explicent formam; & nihilominus ex eo in ſe habeant vnde ſignentur, & dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex ſe præferunt quidquid impreſſum eſt.* Sicut ergo Chriſtus quia filius naturalis Dei eſt, paterna ſubſtantialiter ſignatur imagine: Ita iuſtus, quia filius Dei eſt adoptiuus, diuinæ ſimilitudinis claritate decoratur. Et quidem Chriſtus de ſe ait: *Hunc enim Pater ſignauit Deus.* Quem locum apte ediſſerit Sanctus Hilarius his verbis: *Vnigenitus vero Deus, & per ſacramentum ſalutis noſtræ hominis filius volens proprietatis nobis paternæ in ſe ſignare ſpeciem, ſignatum ſe à Deo ait: quia omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem ſignantis ſe Dei contineret.* Similiter quidem iuſtus, quia filius adoptiuus eſt, ſignatus dicitur à Deo, quia ſpiritum diuinæ gratiæ habitualis continet, quo diuinæ naturæ ſimilitudinem refert. Vnde Paulus poſtquam dixit: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* Sic ſubdit: *In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Quæ verba optime explicat Hugo Cardinalis. *Signum*, inquit, *dicitur ſigillum, ſic ſumus ſignati gratia, quaſi ſigillo impreſſo nobis.* Hæc eſt ergo prima diuinæ filiationis prærogatiua, Dei videlicet ſimilitudo, & impreſſa cœleſtis parentis imago, qua filij mirifice decorantur. Quid enim illuſtrius? Quid ſplendidius quam talem parentem ſimilitudine, ac

S. Hilarius lib. 8 de Trinit.

Ioan. 6.

Sup.

Ad Epheſ. 1.

imagine referre? Chriſtus Dominus, cum non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter ſit imago Patris; ex hac ſimilitudine eximiè commendatur à Paulo illis verbis, *qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Et alibi: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ.* Et Sapiens: *Speculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Hanc autem filij naturalis imaginem filij adoptiui imitantur, & per dilectionem inimicorum aſſequuntur, &c.

Ad Hebr. 1. Ad Coloſ. 1. Sap. 7.

Porro quanta in hominem inimicos diligentem redundet dignitas ex hac diuina imagine, quam in anima gerit, nullis verbis ſatis explicari poteſt: ex iis tamen quæ Plinius de pictura docuit, aliquo modo elucidabitur. Sicut enim omnes homines (vt ſunt immortalitatis natura auidiſſimi) per imaginum quaſi traducem memoriam ſui propagare poſteritati deſiderant; ita omnes, per imagines etiam, qualis fuerit vnuſquiſque eorum, qui eximia aliqua laude excelluerunt, ſcire vehementer cupiunt. Vnde Plinius dixit: *Quo maius (vt equidem arbitror) nullum eſt felicitatis ſpecimen quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Quocirca, ſi ſcire cupias, qua forma ſit is, qui inimicum diligit, certum eſt perſimilem eſſe formæ Dei, cuius eſt incomparabilis ac ineffabilis pulchritudinis dignitas. Præterea, qui militari gloria claruerunt, imagines ſuas hoſtium ſpoliis à ſe detractis exornabant, de quibus Plinius proximè citatus ait: *Alia foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant affixis hoſtium ſpoliis.* Qui hoſtem, ſiue inimicum diligit, imagini diuinæ, qua inſignitus eſt, ipſius inimici egregia ſpolia affigit, amare ſcilicet, benefacere, & orare pro eo. Illud etiam præſenti rei congruit, quod idem Auctor ſubiungit: *Scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines: origo plena virtutis, faciem reddit in ſcuto cuiuſque, qui fuerit vſus illo. Pœni ex auro factitauere & clypeos, & imagines, ſecumque in caſtris tulere.* In aureo patientiæ, & charitatis ſcuto, quo perſecutionem inimici ferimus, auream diuinæ ſimilitudinis imaginem continemus. Si vero quæras, qua ratione homo viliſſimus tantam cum Deo optimo Maximo ſimilitudinem poſſit habere? Reſponſio ex eo, quod idem Auctor narrat poteſt dari: *Alterius (inquit) tabulæ admiratio eſt puberem filium ſeni patri ſimilem eſſe, ſalua ætatis differentia. Immenſa, vel vnam ſi quis tantum hanc tabulam æſtimet, potentia artis, cum propter pictorem Philocharem ignobiliſſimos alioquin Glaucionem, filiumque eius Ariſtippum ſenatus populuſque Romanus tot ſeculis ſpectet.* Multo certè magis immenſa potentia gratiæ efficit, vt cum infinita inter creaturam & creatorem intercedat differentia, homo tamen inimicum diligens Deo parenti adeo ſit ſimilis, vt eum cœleſtis Angelorum ſenatus non ſine magna admiratione ſpectet.

Plin. lib. 35. natural. hiſt.

Idem eodem lib. cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

Præterea, qui per amorem inimicorum ſunt filij Dei perfecta charitate; cognata alia excellunt prærogatiua, qua nimirum more filiorum, Dei parentis naturam per gratiam adoptionis

2. Petr. 1.

participant. Quod S. Petrus docuit ſic: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit; vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* vbi Gloſſa interlinealis ait: *Gratia ſit vobis & pax, vt per hac efficiamini diuinæ naturæ participes.* Et Lyra ſic: *Dona gratiæ in eſſe ſupernaturali ſunt quadam diuinæ naturæ participationes.* Congruit Sanctus Bonauentura inquiens:

S Bonauent. in Breuiloquio p. 4. cap. 5.

Gratia enim, & manat à Deo liberaliter, & reddit hominem Deiformem, id eſt, eiuſdem formæ & naturæ. Igitur, ſicut qui naturam habet hominis, homo eſt. Ita qui naturam Dei participat, participatione Deus eſt. In quam ſententiam S. Baſil. explicat illud Pſalmi *Deus Deorum Dominus locutus eſt.* Nam per Deos ſanctos intelligit, inquiens: *Per ſpiritum ſanctum etiam quilibet ſanctorum Deus eſt: nam Deus Deorum, id eſt ſanctorum locutus eſt.* Sicut autem Deus per ſe diuinam viuit vitam: ita ſancti ipſius participatione diuinam quoque vitam nanciſcuntur. Ideo Baſilius dixit: *Quemadmodum id quidem caliditas ignis innata; id vero participata quam prabet aqua: ſic & ipſe in ſe ipſo vitam habet, & qui eo participant, viuunt, vt Deos decet, vitam diuinam ac cœleſtem poſſidentes ab eo participatam: quia qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt.*

S. Baſil. lib. 5. ad Eunomium. Pſalm. 43.

1. Cor. 6. S Bernard. ſerm. 17 in Cant.

Optimè ex hoc loco Pauli ſuam doctrinam confirmat. Nam vt etiam Sanctus Bernardus exponit: *Hi adhærent Deo, qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo: nam de tali adhæſione puto dictum, qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt.* Nam ſicut cibus in naturam tranſit manducantis: ita iuſtus à Deo manducatus in naturam Dei participatione transfertur. Vnde Photius eundum locum explicans, ait: *Deo adhærens vnius quodammodo naturæ, totuſque ſpiritualis efficitur, neque impuris cupiditatibus tangitur, neque ſcinditur in partes, Deo, ac mammonæ ſeruiens, ſed vni Deo penitus adhæret.* Sanctus Hilarius etiam dixit: *Spirituales omnes ſumus, ſi in nobis eſt ſpiritus Dei.* Vel ſi Deum manducamus, vt dixit Bernardus. Rem propoſitam aptiſſimis collationibus pulchrè confirmat Sanctus Cyprianus his verbis:

S Cyprian. lib. de ſingular clericor.

Sicut modica aquæ gutta multo vino infuſa à ſe tota deficit, viniquè ſaporem, & colorem induit: ferrum candens priſtina, propriaque forma exuitur & igni ſimillimum efficitur: ſolis radio aër perfuſus in eandem transformatur luminis claritatem: & ſpeculum radiis ſolaribus directè irradiatum, ſolis in ſe recipit ſimilitudinem, idque putares alterum eſſe ſolem: ita etiam ſancti, Dei charitate in intimis ſuis totaliter penetrantur, ſicque Deiformes effecti, in Dei ſimilitudinem transformantur. Incompatabilis ergo dignitas eſt eorum, qui inimicos ſuos diligentes, filij Dei efficiuntur, & diuinæ vitæ, ac naturæ participatione Dij ſimillimi Deo euadunt.

Capvt V.

Amaré inimicum, & vindictam contemnere virtus eſt nobiliſſima, & Regia.

INimicos amare, iniurias dimittere, & vindictam contemnere nobis commendans Dominus ad Regiam nobilitatem nos vocat, qua videlicet æterni Regis filij nuncupemur, & ſimus. Eſt enim vere Regium, inimicum generoſo animo complecti, & à vindicta abſtinere. Quod ſatis exploratum erat Chryſologo cum dixit: *In te commiſſorum tu remiſſor eſto peccatorum, ne perdas in te diuinæ inſulas poteſtatis.*

S. Petr. Chryſolog. ſerm 139.

Inſulæ propriè erat faſcia in modum diadematum, a qua dependebant vittę ab vtraque parte: & quamuis ſpecialiter dicebatur ſacerdotum flaminum; ad omnem tamen dignitatem extendebatur: nam inſignia Conſularia, faces prætexta, ſellaque curulis inſulæ appellantur à Liuio. Inſulas ergo diuinæ poteſtatis appellat Chryſologus remittere peccata: nam id ſolus Deus poteſt, iuxta illud, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quam potentiam imitatur, & eius inſulis ornatur homo, cum inimicum diligit, ei benefacit, & pro ipſo orat. Nam vt inſulæ inſignia ſunt nobilitatis, & potentiæ: ita illa erga inimicum obſequia veram nobilitatem indicant. Quamobrem Sanctus Bernardus dixit: *Nobile vindictæ genus eſt ignoſcere.* Et Chryſoſtomus *Forti*, inquit, *ac generoſo animo feramus; hic enim demum eſt ſolidus honor.* Quem quidem non cognoſcebat Eſau, cum perditam primogenituræ dignitatem vindicta, & crudelitate recuperare volebat. De quo proinde Sanctus Ambroſius dixit: *Minabatur Eſau, quod fratrem ſuum occideret, & dolebat ſibi benedictionem eſſe præreptam, cuius vtique ſe dignum manſuetudine debebat probare, non ſcelere.* Indignum quidem ſe Eſau benedictionis dignitate reddebat, cum vindictam de fratre parabat.

S. Bernard. de interiori domo c. 43. S. Chryſoſt. hom. 3. in Epiſt. ad Rom. Geneſ. 27. S. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. & vita beata.

Tantæ nobilitatis eſt inimico benefacere, vt inde Saul coniiceret, aduerſarium ſuum Dauidem à ſe pro viribus perſequutum, Regem proculdubio futurum.

1. Reg. 24.

Nam cum ipſe Dauid Saulem nullo negocio in ſpelunca confodere poſſet, & tamen facere recuſaſſet, cum id Saul certò comperiſſet, admirans generoſam animi magnitudinem ait: *Quis cum inuenerit inimicum ſuum dimittit eum in via bona? Et nunc ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël.* Regium animum ampliſſimo regno dignum ex contemptu vindictæ iudicauit. Vnde ad hunc locum Lyra ait: *In hoc confitetur ipſum Dauid eſſe dignum regno. Dicunt autem aliqui Hebræi, quod hoc ſciuit per ſignum ſibi datum à Samuele, quia ille regnaret poſt eum, qui ſcinderet veſtem eius.* Regius ergo animus eſt, qui vindictam de inimico ſumere recuſat. Vnde cum mirarentur Iſraëlitæ, quod idem Dauid recuperato iam regno, ſe de Semei non vlciſceretur, reſpondit.

2. Reg 19.

Cur efficimini mihi in Sathan. An ignoro, hodie me factum Regem? Timebat enim Dauid ne claritatē adepti regni vindictę tenebris obſcuraret. Probe enim cognoſcēs obſcuritatē, & abie

abiectionem, quæ vindictæ ineſt, eandem abiectionem ſibi imprecatur, ſi tam abiecto vitio

Pſal. 7. ſubiiceretur. Sic enim ait: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Vbi Lyra de ipſo Dauid verba intelligit, qui congruentem culpæ pœnam ſibi imprecatur: vt ſi vilem vindictæ culpam, indignamque Rege committeret, regiam gloriam amitteret. At S. Auguſt. de omnibus accipi putat, dicens: *Non iureiurando hoc ſibi imprecatur; ſed dicit, quod contingit ſe vindicantibus: Prophetat, ergo non iurat per execrationem, quod eſt grauiſſimum iniurandi genus.* Contigit autem, vt ſubinde explicat, omnibus ſe vindicantibus, vt ipſorum gloria in puluerem deducatur, quia puluerulentum, & infimum vindictæ vitium amplectuntur.

Salomon quaſi edoctus à patre, & vt ſapientium columen, abiectam vindictæ turpitudi-

3 Reg. 1. nem optimè calluit: nam Adoniæ fratri nihil mali intulit, cùm regnum viuente fratre affectaſſet, poſtquam vero Abiſach in vxorem petiit, illum iuſſit occidi. Cur ita? Rationem

Abulenſ. q. 45. in Reg. reddit Abulenſis inquiens: *Si propter primum delictum occidiſſet Adoniam videretur hoc feciſſe ſolum ex vindicta, quæ quidem immundum redderet regnandi initium, & deturparet regiam cathedram, dum vilem animum in vindicando oſtenderet.* Similiter cum de eiuſdem Salomonis mandato Ioab occideretur, hæc cauſa aſſigna-

3. Reg. 2. tur: *Occidit duos viros meliores ſe Abner, & Amaſan, & reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab?* Quæritur vero, cur non aſſignentur aliæ, quæ extabant, grauiores cauſæ? nempe quod contra Dauidis præceptum, mortem Abſaloni intuliſſet, & quod maieſtatem læſiſſet, dicente ſacro Textu: *Venit nuntius ad Salomonem, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam.* Cur hæ cauſæ

Idem Abul. q. 40. non memorantur? Reſpondet idem Abulenſis: *Quia Abſalon frater erat Salomonis, ideo tacuit: videretur enim contaminatus immunda vindictæ cupiditate.*

Capvt VI.

Paternam Dei miſericordiam imitantur, qui errata proximorum humanæ fragilitati adſcribentes, ea ignoſcunt.

PAternam Deus miſericordiam erga homines tunc maxime monſtrat, cum figmentum noſtrum cognoſcens, & puluerem ex quo facti ſumus conſiderans, atque adeo noſtram fragilitatem, & infirmitatem pendens, nobis peccata dimittit; parentum enim eſt filiorum errata benigne interpretari, excuſare, & non malitiæ, ſed infirmitati adſcribere. Vnde merito filij Dei appellantur, qui hanc eius benignitatem, & miſericordiam imitantes, communem naturæ humanæ infirmitatem in proximis errantibus conſiderant, vt eis benignè & miſericorditer ignoſcant.

Deum verò infirmitatem noſtram præ oculis habere vt culpæ offenſas dimittat, iudicauit, cum volens Chriſtus abſoluere mulierem deprehenſam in adulterio, *digito ſcribebat in terra*; Ioann 8. ſcribens enim in terra terræ adſcribebat cauſam abſolutionis à crimine, fragilitatem ſcilicet terrenam, & figmentum noſtrum; quoniam puluis ſumus, qui ad quamuis auram mouetur. Pulchre S. Ambroſ. dixit: *Vide lector diuina myſteria & clementiam Chriſti, cum accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, eleuat autem vbi deficit accuſator.* S. Ambroſ. lib. 9. ep. 76. Dum criminis grauitatem accuſator exaggerat, Dominus in terram caput inclinat, & terrenæ infirmitatis memoria crimen excuſat. Quam benignitatis legem edocuit, & digito ſcripſit, cum in terra ſcripſit, vt acutè annotauit Auguſt. quærens enim cur ſe inclinauerit, S. Auguſt. & in terra ſcripſerit, ait: *Quod iam tempus eſſet,* de concord. *vt in terra, quæ fructum daret, non in lapide* Euang lib 4. *ſterili, ſicut antea, lex eius conſcriberetur.* Lex- cap. 10. quidem antiqua licet digito Dei ſcripta, tamen in duro, ſterilique lapide fuit exarata, quo ſignificaretur, tum rigidam, ac ſeueriſſimam, tum ſterilem eſſe: quamobrem, cum per longa temporum ſpatia, id iam Deus expertus eſſet, tempus erat, vt lex eius clementiæ, ac benignitatis aliter eodem digito conſcriberetur, nempe in terra blanda, atque frugifera, hoc eſt, in mundano corde, quod fructum clementiæ, & amoris ferret, ad remittenda, & condonanda fratrum errata. Cum antiquam legem in lapide exarabat, lapidem arabat, fructum miſericordiæ non metebat: *Nunc iam* (inquit idem Au- Idē tract. 33. in Ioan. guſtinus) *Dominus in terra ſcribebat, quia fructum quærebat.* Scribæ, & Phariſæi huius fœminæ accuſatores humanam infirmitatem nec in ſe, ſuperbia inflati, aſpiciebant, nec in fœmina, cordis duritia impediti, conſiderabant: at Dominus ſic digito ſcribebat in terra, vt communem fragilitatem conuerentes, non ad accuſandum, ſed ad ignoſcendum mouerentur. Id ex ſacrorum interpretum explanationibus liquet. Quærendum quid Chriſtus ſcripſerit in terra? Reſpondet S. Ambr. *Quid ſcribebat Do-* S. Ambroſ. ep. 58. *minus, niſi illud Propheticum: terra, terra, ſcribe hos viros abdicatos. Quod de Iechonia lectum eſt in Hieremia Propheta.* Scribebat ergo Chriſtus illos Scribas, & Phariſæos eſſe abdicatos, id eſt, à miſericordia alienos, quam tamen tenere deberent, terrenæ fragilitatis memores; ideo enim terra bis inuocatur. Sanctus autem Bernardus ſic ait: *Fortè veritatem, & gratiam ſcri-* S. Bernard. *bens, & iterum ſcribens, terræ impreſſiſſe vide-* ſerm. 3. de Annunt. *tur: ſecundum quod Ioannes ait: lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, &c.* Lex quidem per Moyſem data infirmitati hominum non compatiebatur, ſed peccata diſtinctè puniebat: at gratia per Chriſtum facta peccata condonat, & iniurias remittit, cuius rei admonentur Scribæ, & Phariſæi, qui ſolo legis rigore ſæuiebant. Ideo non in duro lapide, vt lex antiqua; ſed in terra ſcribitur gratia. S. Thomas aliquorum ſententiam ſequutus, putat Dominum ſcripſiſſe eadem verba, quæ voce dixit, *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Admonuit eos de propria infirmitate, qua multis erant obnoxij peccatis, vt fragilis naturæ memores, fœmineæ fragilitati eos miſereret. S. Hieronymus

S. Hieron. lib. 2. contra Pelag c. 6.

peccata ſcripſiſſe putat, inquiens: *Digito Ieſu ſcribebat in terra, eorum videlicet, qui accuſabant, & omnium peccata mortalium, ſecundum quod ſcriptum eſt in Propheta; relinquentes autem te in terra ſcribentur.* Peccata omnium ſcribebat, vt communis infirmitas illos accuſatores humaniores redderet. Hinc Hieronymi ſententiam perſtringit Gloſſa interlinealis. Nonnulli, affirmant litteris hæc verba exaraſſe, *terra iudicat terram,* id eſt, terra propriæ mutabilitatis oblita, terram mutabilitatis arguit. Lyra tandem exiſtimat primo Dominum ſcripſiſſe id, quod poſtea protulit, ſcilicet, *qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat.* Cum vero ſcripſit ſecundo, ſcripſiſſe Phariſæorum peccata, vt eos oſtenderet ineptos ad accuſandam, & lapidandam fœminam, & ad mitiorem animum induceret. Rogabis, quomodo ſcribi potuerant Phariſæorum peccata in terra. Reſpondet S. Bonauentura: *Dicit Gloſſa, quod ſcribebat peccata eorum: erat igitur illa ſcriptura tanta virtutis, quod quilibet eorum cognoſcebat in ea peccata ſua, &c.* Similiter Lyra ait: *Dicendum quod non ſcribebat per ſingula, ſed diuina virtute potuit facere, quod in aliqua figura ab ea proſtrata, quilibet eorum videret ſua propria peccata, & non alia, nec ab aliis videbantur.* Quo factum eſt, vt ſcribæ, & Phariſæi verecundia correpti, & timore perculſi inopinato obmuteſcerent, mulierem relinquerent, & à Chriſto diſcederẽt: quod quidem mirabile omnino eſt. Voluit quidem Dominus famæ illorum hominum conſulere, ideoque noluit ore palam, ſed digito occulte vnicuique crimina patefacere. Cognitis autem in ſcriptura peccatis, *vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus.* Ait Euangeliſta S. Ambroſius dixit *exire cœperunt ſinguli incipientes à ſenioribus; vel quod ipſi plura haberent crimina, qui diu vixerant; vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores.*

Vide Carthuſ.

S. Bonauent. in vita Chriſti c. 68.

S. Ambroſ. epiſt illa 58.

Id maxime hoc mirabili facto Chriſtus intendebat, vt ſcribæ, & Phariſæi ex anteactis peccatis propriam infirmitatem agnoſcerent, & in fragili fœmina non perſonam, ſed culpam odio, & ſupplicio damnarent. Id autem magna ex parte obtinuit. Nam vt Beda hic ait: *Nemo peccatricem fœminam damnare auſus eſt, quia in ſe cernere cœperant ſinguli, quod magis damnandum cognoſcerent.* Et S. Auguſt. dixit *Accuſatores fœminæ à vindicta repreſſit conſcientia.* Conſcientia ergo propriæ infirmitatis & culpæ extinguet noſtrisque quæ ardorem vindictæ. Non perſonam, ſed culpam odio habeamus, & ſupplicio afficiamus. Audi S. Auguſtinum de hac fœmina loquentem: *Dominus damnauit, ſed peccatum, non hominem, &c.* Et S. Ambroſius ſapienter ſcribit: *Hæc egregia pœna eſt non perſonam occidere, ſed ſcelus. Seueriore ſententia culpa damnatur, ſi vnuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, perſona magis, quam culpa punitur. Vbi vero culpa deponitur, abſolutio perſonæ eſt pœna peccati.* Phariſæi perſonam volebant occidere fœminæ, non peccatum; at Chriſtus, cui facta erat offenſa, perſonam non occidit, ſed adulterium, donans fœminæ contritionem egregie lapidauit peccatum, & contritionis lapide veluti Gigantem proſtrauit. Homo ergo non inimici ſui perſonam, ſed peccatum oderit, & occidere curet; in perſona vero imbecillitatem conſideret, & ex propria infirmitate diſcat ignoſcere. Quod monet S. Gregor. *Ex ſe,* inquit, *debet vnuſquiſque colligere qualiter aliena oporteat imbecillitatis miſeri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus ſui eſſe videatur.* Hi certe, qui propriæ imbecillitatis obliti in alienam inſurgunt, ex illis ſunt, in quos inſurgebat S. Iob dicens: *Quare perſequimini me ſicut Deus.* Ille ſicut Deus alterum perſequitur, accuſat, & carpit, qui velut impeccabilis carpit; Deus enim impeccabilis eſt, omni vitio caret. Neque ergo perſequamur vitia aliorum ſicut Deus impeccabilis, ſed propriæ fragilitatis memores, noſtra vitia diſtrictè, & aliena humiliter corrigamus.

S. August. ſerm. 5. in Dominic 3. Quadrag.

Idem tract. 33. in Ioan.

S. Ambroſ. epiſt 76.

S. Gregor. in Paſt. p. 2. cap. 10.

Iob 19.

Igitur in exemplum noſtrum conſideranda eſt Domini benignitas, qua peccatricem hanc fœminam excepit, & à peccatis abſoluit: nam fugatis accuſatoribus, ei dixit: *Neque ego te condẽnabo, vade in pace, & iam amplius noli peccare.* De qua abſolutione S. Thomas ſic habet: *Fœminam adulteram abſoluit Dominus à culpa, non imponendo ei aliquam pœnam: quia cum abſoluẽdo exterius, iuſtificaret interius, bene potuit eam adeo immutare interius per ſufficientem contritionem, vt ab omni pœna immunis efficeretur.* Idem ſentit Lyranus, & Carthuſianus: *Dimiſit,* inquit, *Saluator huic mulieri pœnam & culpam, ſicut & latroni in cruce.* S. Aug. illa Domini verba, *nec ego te condemnabo* ſic explicat: *Facta ſecura de præterito, caue futura; deleui quod commiſiſti, obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi.* Et. S. Ambroſius dixit: *Meruit mulier abſolui, quæ manſit ſola cum Chriſto.* Ab accuſatoribus ducta eſt ad iudicium, deſtinata ad ſupplicium, ſed altiſſimũ inuenit aſylum, nempe Chriſti miſericordiam, de qua idem Ambroſius ait: *Non damnat Chriſtus adulteram, quaſi redẽptio corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit.* Quamobrem merito Rupertus hoc Chriſti factum miſericordiæ victoriam appellat inquiens: *Quis hoc factum non miretur. Quis hanc miſericordiæ victoriam non veneretur.* Meritò S. Iacobus dixit *ſuperexaltat miſericordia iudicium.* Cuius loci Græca verba ſic transferunt multi: *Gloriatur miſericordia contra iudicium* vere hoc loco miſericordia contra iudiciũ gloriatur, quandoquidem totam ſcribarum, & Phariſæorum accuſationem, atque iudicium capitis diſturbauit, & damnandæ fœminæ vitam & peccatorum veniam condonauit. Optimus, eligenduſque iudex, in quo miſericordia gloriatur contra iudicium. Vnde Paulus cum accuſatorum vocibus vrgeretur, ſe ipſum conſolatur dicens: *Qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Quæ verba eleganter expendit S. Ambroſius: *Pulcherrime* (inquit) *eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum neque occulta prætereant, neque infirmæ conditionis lapſus offendant, quia fragilitati nouit ignoſcere.*

S. Auguſt. tract 33. in Ioan.

S. Ambroſ. epiſt. 76.

& ep. 58.

Iob cap. [illegible]

1. Cor. 4.

S. Ambroſ. in Pſal. 38.

Hanc Domini miſericordiam homo imitari ſtudeat, cum aſſidente ita, forum agere, & iudicium ferre contra inimicum feſtinat. Humanam fragilitatem perpendat, etenim vt S. Leo ait: *Quis non infirmatur in carne? Quis non ſordeſcit in puluere.* Hinc propriam infirmitatem agnoſcat, vt inimico ignoſcat, & iniuriam remittat. Vere enim & prudenter S. Gregor. dixit: *Cum alienos exceſſus aſpicimus, noſtra quibus in aliis exceſſimus*

S. Leo ſerm 11 de Quadrag.

delicta

S.Gregor. lib.5.mor. cap.30.

delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena: patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari: & quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua quaque ad mentem culpa reuocatur; quia erubeſcit ſibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo ſæpe ſe recolit parcenda peccaſſe. Qui ergo vult Chriſtum imitari, & imitatione eius filius eſſe, audiat Paulum

Coloſſ. 3.

monentem *induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam ſupportantes inuicem, & donantes vobis metipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Hortatur vt induant dilectionis veſtem quæ plane regia eſt, & filiorum Dei propria, & hominem interius, exteriuſque munit, neque ſolum contra aquilonare fraterni odij frigus fouet, ſed etiam plurimum ornat. Vnde Hugo Card. ad hunc locum ait: *Induite charitatem, quaſi veſtem contra aquilonem, & quaſi ornamentum contra confuſionem nuditatis primorum parentem, qui conſuerunt perizomata.*

CAPVT VII.

Deus vltor eorum, qui proprias non vlciſcuntur iniurias.

COeterum quamuis iuſti ſuis parcant inimicis, & ſeſe nequaquam vlciſcantur, Patrem tamen in cœlis habent, qui ſeueriſſimus erit vindex, & vltor iniuriarũ. Id expreſsè Deus

Deuteron. 32.

ipſe teſtatur in Deuteronomio. *Mea eſt vltio, & ego retribuam*, id eſt, ad me propriè ſpectat, filiorum meorum iniurias vindicare, quod certiſſimo ſupplicio præſtabo. Sic nos facere iubent ſancti

S.Baſil. Epiſt.87.

Patres, ſic ipſi fecerunt. S. Baſil. dixit: *Neceſſe eſt, vt omnia feramus, vltionem ipſorum Domino committentes qui non deſpiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, conditorem illius ad iracundiam*

Prouerb. 22.
Nazian. orat.2.contra Iulian.

prouocat. Nazianzenus item in eandem ſententiam ait: *Deo, ac futuræ vitæ tribunali eos, qui nos læſerunt, relinquamus, nihil de futura pœna nos vindicando detrahamus.* Pro iniuria nobis illata, Deus in futuro pœnam eſt illaturus, tantum autem eius pœnæ detrahimus, quantum mali inimico infligimus: nam vindicta, qua quis propriam iniuriam perſequitur, Dei vindictam anteuertit, & quodammodo impedit.

Rom. 12.

Quamobrem opportune Paulus nos omnes ſic monet: *Non vos metipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ*, nempe Dei, vt exponit Chryſoſtomus cum Græcis, & ex Latinis Auguſtinus, id eſt, ne iram, & vltionem Dei præoccupetis, veſtris ipſorum iniuriis vindicandis; hoc enim munus Deus ſibi vendicat. Quod ſubſequens Pauli ratio confirmat: *Scriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* Ideo debetis dare locum iræ Dei, neque illam anteuertere, vos ipſos vlciſcẽdo, quia has ſibi partes Deus aſſumpſit: quas ſuperbè nobis arrogabimus, ac Deo derogabimus, ſi nos ante tempus defenderimus.

Tull. lib.de Patient. c.10.

Optimè Tertul. ait: *Quem autem honorem litabimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus?* Quaſi magnus Deo honos deferatur, cum iniuriarum noſtrarum vltionem ipſi remittimus, cui & nos, & res noſtras omnes curæ eſſe confidimus. Nemo ergo priuata ſibi authoritate præſumat, quod Deus ad ſe pertinere dixit, & quaſi facto ipſo profiteri, melius ſe acceptæ iniuriæ, quam alium ſatisfacturum.

Quod autem Deus circa vindictam promiſit, optima fide præſtat. Nam obmurmurantibus in Moyſem germanis fratribus Aarone, & Maria, Num. 12.
quòd vxorem Æthiopiſſam duxiſſet, ait ſacer textus: *Quod cum audiſſet Dominus (erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra) ſtatim locutus eſt; &c.* Vbi ea redditur ratio, quamobrem Deus pro Moyſe eſt locutus, & fratres obſtrepentes grauiter increpuerit, & ſeuerè punierit, quoniam nimirum Moyſes vir eſſet mitiſſimus. Vbi Rupertus ait: *Nullo modo Moyſes ſeipſum defendebat, & hoc pacto quaſi legitima cauſa defenſorem ſui Deum magis tacendo conſtituebat.* Et S. Ambroſ. de Suſanna ait: *Eſt negotioſum ſilentium, vt erat Suſannæ, quæ plus egit tacendo, quam ſi eſſet locuta; tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo.* Accedat

S. Ambroſ. lib.1.offic. cap.2.

Saluianus, qui oſtendit, quoties Dauid ſuas in Deum reiecit iniurias, illum habuiſſe earum omnium vltorem. Sic de Saule, à quo fuerat inſidiis ſæpe appetitus, cum ipſe oblata occaſione ſeſe vlciſci noluiſſet, abunde illum Deus vltus eſt: nam aduerſario vitam eripuit, & regnum tradidit Dauid. Addit Saluianus, quia ſe vlciſci diſtulit de Nabale Carmelo, ſtatim diuinam vindictam ſubſequutam fuiſſe. Deniquede Abſalon, quem pius pater ſaluum, & incolumem ſibi ſeruari iuſſerat, pœnas commeritas exigit Deus: nam vt ait idem Doctor: *Acto in crucem non manufactam filio parricida, vindictam ei diuinitus attributam, ſic nuntiatam refert ſermo diuinus: indicauit pro te Dominus hodie.*

Saluian. lib.2.de Prouident.

Ex quo debet intelligi, ipſum quod patimur malum, defenſionem noſtram ſecum afferre. Quod obſeruat Chryſoſtomus in illud Pſalmi. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Sic enim ait: *Maxima defenſionis loco eſt calamitas, & malum pati; non enim vitam, nec virtutem, ſed malorum perpeſſionem dicit Dominus excitare ad ſupplicium, & vindictam.* Itaque nihil nos agere, ad defenſionem noſtram neceſſe eſt, ſatis eſt pati; ipſe nobis aduerſarius arma defenſionis ſubminiſtrat.

S. Chryſoſt. in Pſal.11.

CAPVT VIII.

Inimicorum amor proprius eſt electorum.

AMorem amicorum nil magni continere, ſed communem nobis eſſe cũ publicanis, id eſt cum perditis, acte probis hominibus, aſſerit Dominus: at amor inimicorum, non cum his communis, ſed proprius electorum eſt. Quod optimè adumbratum eſt in arca Noë, per quam Hugo Victorinus intelligit electorum cor, in quo longitudinem, latitudinem, & altitudinem diſtinguit, ſicut ſcriptura has dimenſiones arcæ attribuit. Arcæ (inquit) *longitudo fides eſt, quæ credit omnia, quæ fecit Deus ab initio ſæculi, vel facturus eſt vſque ad finem eius, per ſe vel per Angelos,*

Hugo Victor. lib. Allegor. in Geneſ. cap.18.

Digitized by Google

opus charitatis nos vocat: ea eſt enim ſanctorum perfectiſſima oratio, & ſublimi charitatis merito pretioſiſſima, in qua preces pro inimicis à Deo funduntur. Id intelligere poſſumus ex libro Numerorum, vbi magna pars populi

Num. 16.

ſeditioſè concitatur in Moyſem, & Aaron, hoſtiliter eos inſequuta, fugiunt ipſi ad tabernaculum. Sed ecce vltrices flammæ cœlitus miſſæ ſanctorum hoſtes vorabant; tunc Aaron de mandato Moyſis accepto thuribulo accurrit, & inimicis aduerſus ignem patrocinari curat. Stat ignis, & quaſi timore perculſus progredi non audet. De quo Sanctus Auguſtinus ait: *Et qui in corde proximorum culpas venialiter dimiſerat, eius veſtigio defenſos ignis de cœlo miſſus vrere non audebat.* Tantam nimirum vim tamque præcellentem authoritatem habuit interpoſita oratio pro inimicis fuſa, vt flammarum globi timentes, atque admirantes ſubſiſterent.

Huiuſmodi orationis perfectionem in ſancto Protomartyre Stephano operæ pretium erit contemplari, quippe illuſtre nobis documentum exhibeat, nec debet prætermitti. Hic enim

Act. 7.

inimicorum lapidatione occumbens, pro ſe orauit, dicens. *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Cum vero ad orandum pro inimicis acceſſit, dicitur: *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Pro ſe ſtans; pro inimicis genibus flexis orat. Pro ſe modica; pro inimicis magna voce orat: quas enim vires ad leuandam vocem mortis præſentia tollebat, dilectio, quæ fortior morte eſt ſuppeditabat. De hac Stephani oratione

S. Auguſt. ſerm. 170. de tempor.

Sanctus Auguſtinus ſic ſcribit: *Vides quomodo pro ſe ſtans orauit, & pro illis genuflexit. Pro ſe ſtans tanquam iuſtus, facile exaudiebatur: nam pro iniquis genu figendum erat. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Felix ſomnus, & requies vera: Ecce quid eſt requieſcere; pro inimicis orare.* Cum Stephanus, tanquam filius ſapientiæ in omnibus requiem quæſiuiſſet, eam in oratione pro inimicis inuenit. De magna voce qua orauit pro inimicis, Hugo Cardinalis ſic ait: *Magna voce quia magnum eſt orare pro inimicis.* Nunquam charitas maiori voce clamat, quam cum pro inimicis orat. Illud vero *quia neſciunt quid faciunt.* Idem Doctor ſic ediſſerit: *Mira virtus martyris, orans excuſat eos, charitate accenſus, quibus paulo ante culpam improperauit perfidia zelo armatis.* Sanctus Gregorius

S. Gregor. Nyſſen. orat. de Stephano.

Nyſſenus, tantam vim huic Martyris orationi adſcribit, vt dicat deleuiſſe peccatum ipſorum lapidantium, quod ipſo Stephani ſanguine erat ſcriptum: *Hic quidem* (inquit) *oratione peccatum eorum, quod ſceleratis manibus ſuis ſanguinarij quaſi exarabant, delebat.* Inimici quidem propriis manibus ſanguine Stephani tinctis ſuum peccatum exarabant, ſeu ſcribebant, ſed Stephanus oratione ſua illud delebat.

Exemplum tamen huius tam perfectæ orationis pro inimicis à Chriſto Domino potiſſimè petendum eſt, qui dicebat: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* De qua oratione eleganter Arnoldus Carnotenſis ait:

Arnold. Carnotenſ. tract. de vlt. ſeptem. verb. Dom. in cruce.

Pro his igitur ad Patrem conuertitur, & charitatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus nouus orator aſſumit: & inimicorum in cauſa allegans, ipſis inuitis, atque negligentibus, parti contrariæ ſuffragatur. Cum enim crucis ſugeſtum aſcendiſſet, cauſam Patris acturus, & læſam ab inimicis eius maieſtatem ſummo honore ornaturus, inopinato pro ipſis inimicis allegans, parti contrariæ ſuffragatur: non quidem quod ab inimicis inuitis, & negligentibus muneribus corruptus eſſet; ſed quia erat à charitate ſubornatus. Hæc Domini oratio vaticinio Iſaiæ erat prædicta: *Et pro tranſgreſſoribus rogauit*, vbi Gloſſa ait: *Pater ignoſce illis: ad hanc vocem ſecundum Euangelium Nazaræorum, multa millia Iudæorum aſtantium circa crucem crediderunt.* Iſai. c. 53.

Hanc Domini orationem cum imitantur ſancti, ſuauiſſimo odore Deum recreant. Quod in Apocalypſi ſignificatum eſt Ioanni, nam cum Apocalyp. 5.
agnus aperuiſſet librum: *Animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Quo in loco Beda, Rupertus, Richardus de ſancto Victore, Hugo Cardinalis, Dionyſ. Carthuſ. & Gloſſa interlinealis, phialas aureas corda ſanctorum latitudine charitatis patentia interpretantur. Quæ plena dicuntur odoramentorum, id eſt, orationum; quia non ſolum pro amicis, ſed etiam pro inimicis orant; hoc enim eſt eſſe plena. Odoramenta quidem huiuſmodi, quæ phialas implent, id eſt, orationes pro inimicis factæ, Deo gratiſſima ſunt. Quam ob cauſam Angeli non ceſſant hos odores e terra in cœlum quaſi aromata deferre, vt videlicet eorum afflatu ſuauiſſimo in cœlo ſe recreent, Deumque eiuſmodi thure venerentur. Ipſeque homo, qui inimicum diligit, cum pro eo orat, quaſi ſacerdotem agit, qui odoramentum hoc orationis, quaſi incenſum ſurſum dirigit in conſpectu Domini. Ad quem ſacerdotalem ſtatum, cum interior homo peruenit, perfectione charitatis attigit. In quam ſententiam S. Chryſoſtomus explicat id, quod S. Chryſoſt. in cap. 1. Matth.
diuino cõſilio diſpoſitum, in primo Matthæi capite videmus expreſſum: nam ex enarratis generationibus liquet, ab Abraham vſque ad Dauid populum Dei fuiſſe ſub iudicibus; à Dauid vſque ad tranſmigrationem ſub Regibus; à tranſmigratione vſque ad Chriſtum ſub Pontificibus: quod ſignificat ordinem ſtatus in homine interiori: primus eſt iudicare verum; ſecundus regere appetitum ad bonum; tertius per orationem eleuare mentem ad Deum. Iudices ſunt virtutes intellectiuæ, fides, prudentia. Reges ſunt virtutes appetitiuæ, fortitudo & iuſtitia. Quaſi Pontifices ſunt orationes, quæ tunc perfecta dignitate pollent, cum odoramenta, & incenſa ex charitate inimicorum flagrantia Deo offerunt.

Capvt XIII.

Maleſacere inimicis abiecti animi eſt, benefacere glorioſum.

Oportet generosè cum inimicis agere, hoc quidem glorioſiſſimum ſicut & maleſacere vile, & abiectum, prout eleganter tradidit S. S. Ambroſ. lib. de Abel & Cain. Geneſ. 4.
Ambroſius, vbi expendens illud Geneſ. *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, ſic habet: *Non frater clamat, quia tantum innocentia, &*

gratia,

gratia, germanitatis etiam in ipſa morte ſeruat. Non accuſat frater, ne videatur parricida: non vox eius, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti. De terra, non de corpore fratris clamat, quia & ſi frater parcit, terra non parcit. Indignum iudicat Ambroſius, quod Abel, aut eius anima, aut vox, aut ſanguis in corpore exiſtens deterrimum inimicum accuſaret; id facit vox ſanguinis, poſtquam in terram decidit: ſanguis ex infimo loco accuſat, quia infimum, & abiectum eſt, inimicis nocere. Cum Lyſimachus Theodoro minaretur mortem, dixit: *Magnum effeciſti, ſi cantharidis vim conſecutus es.* Ita Tullius. Paulo aliter refert Seneca, nempe: *Habes cur tibi placeas, hemina ſanguinis in tua poteſtate eſt.* Eſt quidem animalium irrationalium proprium nocere aduerſariis; rationis verò, & ſapientiæ magnæ eſt à nocumento abſtinere. Cuius ſapiens aſſertor eſt, Lactantius: *Homo,* inquit, *qui ſcientiam boni, ac mali habet, abſtinet ſe à nocendo, etiam cum incommodo ſuo, quod animal irrationale facere non poteſt. Et ideo inter ſummas hominis virtutes innocentia numeratur: quibus rebus apparet, ſapientiſſimum eſſe, qui mauult perire, quàm noceat, vt id officium, quo à mutis diſcernitur, ſeruet.*

Tull. Tuſc. 5. Senec. lib. de tranquil. vitæ.

Lactant. lib. 5 diuin. inſtit.

Ab ingenita humanitatis nobilitate in feritatem degenerat qui odio, ſiue ira inimicum inſequitur. Quod docet Sanctus Baſilius, inquiens: *Hæc hominem prorſus efferat, ac ne hominem quidem eſſe ſinit, vt qui iam rationis careat. Nam quod venenatis animantibus venenum eſt, hoc ira percitis eſt excandeſcentia. Rabie laborant, vt canes; ſubſultant, vt ſcorpij; mordent, vt ſerpentes. Si aliquem præ iracundia dentes acuentem videris, illud cogita, eum apro ſimilem eſſe, vt qui internum furorem per denſium confrictum oſtendat.* Adeo autem feras imitatur, vt quemadmodum hæ ſolo ſibilo, vel leui ſono irritantur, & in furorem aguntur; ita qui graui odio in alios ſunt affecti, leuiſſima occaſione fureſcunt. Id aduertit Nazianzenus illis verbis.

S. Baſil. hom. de ira.

S. Gregor. Nazian. in iambico de ira.

Reprimere tentes in caput bilem tuum,
Trahes, furentem vt belluam ſono edito.

Præterea abiectum, ac turpe eſt ab odio, ſiue ira ſuperari. Quam turpitudinem timens Ariſtoteles, cum ſeruum in graui crimine deprehendiſſet id dixit, quod eleganter retulit idem S. Gregorius Nazianzenus.

Vt ſenſit autem bile ſe ſubita rapi
Aduerſus illam dimicans, ſtetit illico,
Paulum & moratus dixit, ô dictum elegans!
Noua res, patrona contigit bilis tibi.
Caſus abiiſſes, liber hac, ſi nunc forem.

Sapienter quidem; probe enim intellexerat, quod etiam docet Sanctus Ambroſius: *Qui cito mouetur iniuria, facit ſe dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Qui enim contumelia afficitur, ne ea dignus videatur, in verba odio, & iracundia plena, quibus ſe vlciſcatur, erumpit: at ipſis verbis, quibus videri vult indignus contumelia, ipſa ſe digniſſimum demonſtrat. Ipſa namque verba tetro, & atro iræ, atque odij colore tincta, & vultus ipſe turpiter immutatus, huius rei deformitatem ſatis aperit. Vnde idem Gregor. Nazianzenus ait: *Præſtaret vtinam feruidis iræ graui ſpeculum, vt videntes dedecus probrum & ſuum, huiuſce morbi quidpiam hinc remitterent. Quin hoc ſtatutum eſt, nempe violator tuus: in quo ipſe ſeſe, ſi vacas, cernas licet, morbi paris, nam paria ſunt ſymptomata.* Prudenter quidem admonet, vt ad fugiendum dedecus, & probrum iracundiæ, cuius pro ſpeculo ſit ipſe inimicus ira furenti percitus; in eius enim vultu tuam fœditatem, cum ſimiliter ira corripteris, cernere licebit. Sic olim quidam, vt filium ab ebrietatis vitio ſanaret, in eius conſpectum ebrios adducendos curabat, quo magis conſpecta eorum fœditate, & ridiculis motibus, ab hoc vitio abhorreret, ac ſibi caueret diligentius. Hoc enim prudentiſſimum eſt iuxta conſilium Baſilij: *In alieno morbo te ipſum cura,* Aduerſarium igitur ea in re amicum reputa quod in ſe veluti in ſpeculo, iræ deformitatem, & turpitudinem tempeſtiue contemplandam exhibet, ante etiam, quam commotus ipſe ſis.

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 6.

Idem Naz. iambico 21. de ira.

S. Baſil. hom. 21. de ira.

Ex quo debet intelligi, quàm meritò ſapiens abiectam iræ turpitudinem, & glorioſam manſuetudinis laudem ſectari moneat. *Fili mi,* inquit, *in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum.* Ac ſi dicat: ſi teneas manſuetudinem, vt ſerues animam tuam à fœda odij, atque iræ macula; & ſiquidem animæ rationalis excelſa, ac præſtantiſſima eſt natura, ſecundum hoc meritum corona eam honore manſuetudinis, & charitatis, nec in barathrum fraterni odij eam deiicias. Nil quippe glorioſius eſt, quam odium vincere, & ira ſuperiorem ſe monſtrare. Id exploratum erat Lacedæmonibus, quos laudat Pauſanias, quod cum fortiſſimo animo hoſtes exciperent, & ad mortem vſque pugnarent, iram tamen in fugientes hoſtes non retinebant: cum enim hi primum terga cepiſſent vertere, ipſi receptui canebant: *Indecorum arbitrantes,* ait Alexander ab Alexand. *In fugientem hoſtem iam ad finem vſque perducere.*

Pauſan. lib 4. de Regione Meſſanica.

Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

DE AMORE INIMICORVM.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Qui ex charitate benefaciunt inimicis, iure optimo filij Dei dicuntur.

QVI inimicos ſuos diligunt, & beneficiis, atque orationibus proſequuntur, id Chriſti Domini teſtimonio conſequuntur, vt filij Dei merito appellentur: *Orate,* inquit, *pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri.* Id intelligere poſſumus ex Pſalmo 43. cuius titulus eſt, *filiis chore,* quem exponens Sanctus Auguſtinus, ſic habet: *Pſalmus iſte filius*

Pſal. 43.

Digitized by Google

liis Chore dicitur, ſicut eius titulus præfert. Interpretatur autem Chore Caluaria, & inuenimus in Euangelio Dominum Ieſum Chriſtum in loco Caluariæ crucifixum. Ergo clarum eſt, quod filiis paſſionis eius cantatur hic Pſalmus. Hi plane ſunt filij paſſionis Chriſti, id eſt, filij Dei in eo monte morientis, qui eum imitantes, pro inimicis, & orant, & patiuntur, ſicut Chriſtus fecit.

Enim vero cum filius Dei ſæpe in ſcriptura dextera Patris nuncupetur, ille filius dexteræ, id eſt filius Chriſti dicitur qui dolorem iniuriarum, atque damnorum per patientiam comprimit, & vincit. Quod adumbratum eſt in minimo filiorum Iacob, quem cum Rachel pareret, morti proxima illum appellauit *Benoni*, hoc eſt, filium doloris mei: at Iacob illum appellauit *Beniamin*, id eſt filium dextræ. Quid hæc tam diuerſa nomina indicant? Profecto illum eſſe filium dextræ, nempe Chriſti qui ſit filius doloris, quem ex iniuriis inimicorum, atque damnis conceptum foras ad vindictam erumpere non ſinit.

Porro ſicut Chriſtus Dominus per patientiam erga inimicos exhibitam cognitus eſt filius Dei. Ita homo tunc filium Dei ſe probat, cum veræ patientiæ opera inimicis oſtentat. Nam cum Chriſtus Dominus per doctrinam & vitam, & miracula ſe Dei filium demonſtrare voluerit, id per patientiam potiſſime conſequutus eſt. Quod Tertullianus ſic tradit: *Qui in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Qui patientiam pluſquam humanam perpetrabat, diuinam ſe naturam habere oſtendebat. Conuenit etiam Sanctus Cyprianus, inquiens: *Inter cætera admirabilia virtutum, quibus indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit*, id eſt, eadem forma, & ordine paternam patientiam continuauit; vt ſicut pater ſummo ſilentio quotidie ſceleratorum hominum offenſas tolerat: ita filius grauiſſimas ab inimicis iniurias tanto ſilentio ferebat, vt miraretur Præſes vehementer, reputans minimum tantum ſilentium non humanæ, ſed diuinæ eſſe perſonæ. Quod indicat Origenes ad hunc locum, ſic ſcribens: *Miratus eſt autem præſes conſtantiam eius, forſitan ſciens quod idoneus eſſet pronuntiare crimen; & tamen videbat eum in tranquilla & quieta ſapientia, & grauitate non turbabili ſtare. Sed & vehementer miratur, dignum enim ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus Chriſtus ad criminale iudicium, imperturbabilis ſtaret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis æſtimatur.* Illud *pronuntiare crimen* verbum eſt iuris, ſignificat autem apertè monſtrare & diluere crimen, vt auctor eſt Prateius. Id igitur cum per facile poſſet, mirabile omnino erat in re tanta profundum tenere ſilentium. Quod Theophilactus ſic etiam aſſtruit: *Mirabatur autem Pilatus, quia cum legis Doctor eſſet, & eloquens, & potens reſponſione ſua eorum accuſationes infringere, non reſpondebat quicquam, ſed magis accuſationes viriliter ſuſtinebat.*

Ex hoc in calumniis ſilentio, atque patientia diuinitatem in Chriſto Pilatus rimabatur, at bonus latro diuinæ gratiæ fideique lumine illuſtratus ex eadem patientia Chriſtum Dei eſſe filium certiſſime cognouit. Ex qua cognitione vox illa eius erupit: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* De quo Sanctus Bernardus ait: *Euntem in regnum vidit, quo cum perueniſſet, ſui memorem eſſe rogabat.* Quem immobilem, clauis ſuffixum videbat in regnum properare non dubitabat, quia æternum Regem, & verè Dei filium eſſe cognoſcebat. Et alibi ait: *Per anguſtam viam crucis facientem iter in regnum ſuum agnouit.* Quo tempore nulla videtur exterius res fuiſſe quæ latronem ad cognoſcendam Chriſti diuinitatem excitaret, præter mirabilem, diuinamque patientiam, qua opprobria Iudæorum & militum, & acerbos dolores, ac mortem tolerabat. Nam vt optime Sanctus Leo ſcribit: *Quæ iſtam latronis fidem exhortatio perſuaſit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius alia miracula, ceſſauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipſa quæ mox erant gerenda non aderant* (id eſt miracula in morte Chriſti patranda nondum fiebant) *& tamen Dominum confitetur, & Regem, &c.* Quid ergo aliud eum mouere potuit ad confeſſionem diuinitatis præter patientiam crucis? vt igitur à latrone per mirabilem paſſionis patientiam Chriſtus Dei filius cognitus eſt: ita & ab omnibus, qui mentis oculos fidei luce habent illuſtratos per eandem paſſionem ſimiliter cognoſcitur. Quod adumbratum eſt, cum duo illi diſcipuli in Caſtello Emaus *cognouerunt eum in fractione panis*, cuius rei myſterium enucleans Diogo Hoſtienſis ſic ait: *Panis caro tuo eſt, fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam; fregiſti corpus, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat: niſi enim patiaris, non cognoſceris.*

Ex quo debet intelligi firmiſſimum argumentum ad cognoſcendos Dei filios eſſe veram in calumniis, perſecutionibus & calamitatibus patientiam. Quod explicari poteſt ex eo, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus tradit aduerſus mulieres ambitioſius ſe ornantes: *Galli*, inquit, *ad Rheni undas fœtus in lucem editos explorant: vt ignis de auri puritate certiſſimus index eſt.* Rhenus fluuius eſt, Germaniam à Gallia Belgica diuidens, quo Germani, & Galli de vxorum fide ſuſpecti, natos ferebant, & vtrum legitimi, an adulterini eſſent, probabant: nam diuinæ prouidentiæ miraculo, legitimi ſupernatabant aquis; adulterini vero peſſum ibant. Hoc miraculum refert Gregorius, Strabo, atque etiam Iulianus Apoſt. ſimiliter quidem fluuius paſſionis ac perſecutionis filios Dei legitimos probat, & ab adulterinis diſcernit, dum hos demergit, illos extare facit.

Conſtat ergo per dilectionem inimicorum hominem ad ſublimem euehi dignitatem. Bene ſecum actum putabat Alexander, ſi poſt orbem à ſe ſubactum, filius Iouis haberetur: at vere filios Dei eſſe homines conſequuntur, ſi inimicos amore, & beneficiis proſequantur. Præterea Dianam, & Apollinem eſſe filios Iouis, & Latonæ, apud veteres Sapientes ſignificat eos, qui iniuriarum obliuiſcuntur eſſe illuſtriſſimos Deorum filios: nam iuxta Platonem Latona

inter

Tertull. lib. de patient. c. 3.

S. Cyprian lib. de bono patient.

Math. 27.

Prateius in lexicon. iuris.

Luc. 23.

S. Bernard. ſerm. 1. in Ram. palm.

Et ſerm. 2. de Epiphan.

S. Leo ſerm. 2. de Paſſion.

Luc. 24.

Diogo lib. de ſacramento Dom. Paſſion.

Idem in carmin. ad Nicobolum.

Iulian. in epiſt.

Plato in Cratulo.

Digitized by Google

interpretatur obliuio iniuriarum quoniam huiuſmodi obliuioſi, qui magno, & excelſo animo id præſtabant, filij Deorum habebantur. Ita philoſophatur Anton Ricciard. Melius Sanctus Ioannes Damaſcenus qui ſtatuens filiationem in paternæ bonitatis imitatione conſiſtere, ſic ait: *Hac felix diuinæ bonitatis imitatio eſt, dum quis alius, non minus quam ſibi gratiam expoſcit: & tunc conſummata charitatis terminus, ac beatitudo attingitur, dum in proximo anima ſua benefacit.* Opportune Sanctus Chryſoſtomus. *Hæc (inquit) reputans, Domino ſias pro tuis viribus ſimilis. Te iam talem effectum Diabolus ne contra quidem reſpicere poteſt: regiam enim impreſſionem agnoſcit.* Id eſt, imaginem, ſeu filij ſimilitudinem. Confirmatur hoc à Rege illo, qui in dilectione inimicorum maximè excelluit, nam quærẽs à Siba ſeruo Saul: *Putas ne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Reſponſum eſt ei de Miphiboſeth nepote Saul; quem accerſiuit, & in menſa Regis ſemper comedit. Hanc beneficentiam vocauit miſericordiam Dei, quia propria eſt Dei & filiorum eius. Miſericordia enim exhibita amico eſt propria hominis: at quæ confertur inimico, eſt propria Dei. In hac autem erga inimicos beneficentia Deum imitari ſumma hominis perfectio, atque excellentia eſt. Vnde Sanctus Gregorius Nyſſenus agens de mandato dimittendi debita inimicis, ait: *Progrediens ſermo, venit ad ipſum extremum punctum virtutis.* Eſt enim inimicorum amor, & iniuriarum remiſſio Chriſtianæ perfectionis meta, vltra quam virtus non progreditur. Id egregie confirmat his verbis: *Hic prope modum non amplius intra terminos humana natura conſpicitur, ſed ipſi Deo per virtutem aſſimilatur, vt alius ille ipſe Deus eſſe videatur, dum faciat ea, quæ Dei ſolius eſt facere.* Debitorum enim remiſſio proprium, ac particulare Dei munus, & officium eſt, dictum eſt enim: *Nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus.* Quod quidem ethnicus Philoſophus aſſequutus eſt. Tullius enim ſic ait: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, præclarum eſt. Hæc qui faciat, non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.*

Anton Ricciard. tom 1. comment. ſymbolic.
S. Ioan. Damaſcen. ſerm de defunct.
S. Chryſoſt. hom. 52 ad Pop.
2 Reg. 9.
S. Nyſſen. lib de orat. Dom.

Addam adhuc ad dicta. Mirum videri non debet, ſi eum qui corde, & opere inimicum diligit, filium cœleſtis Patris Chriſtus dicat; cum ipſa Chriſti caro ideo in filium Dei aſſumpta fuerit ex ſemine Dauid; quia ipſe Dauid eximius extitit inimicorum dilector, & benefactor. Quam ſententiam apertè & luculenter tradit Rupertus his verbis: *Ratio docet, non multo minoris fuiſſe meriti pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse vnigenito filio. Hic fecit Dauid inimico ſuo infenſiſſimo quærenti animam ſuam, inimico Regi, cuius regnum ſine dubio ſe ſuſcepturum eſſe ſciebat. Ob hanc maximè cauſam iuratum illi eſſe arbitramur, quod ſemen vel caro eius aſſumenda eſſet in filium Dei; quia maximè cauſa iſta facit filios Dei, ſicut teſtatur Dominus, cum dicit: diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Quia igitur Abraham propter Deum non pepercit filio, & Dauid propter ipſum Deum pepercit inimico, quod vtrumque ſimilis eſt meriti, & excelſi facinoris, ideo caro Dauidicæ ſtirpis aſſumpta eſt in filium Dei; quia nimirum benefacere inimicis in filios Dei homines exaltat.

Rupert. lib. 4. de vict. verb. Dei c. 17.

Id ſatis apertè Dominus oſtendit, cum è cruce pendens Patrẽ inclamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Cum vero tunc oraret pro inimicis ait: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Attende harum orationum diſcrimen. Cum hic pro perſequentibus orat, Patris nomine vtitur, quia filiorum eſt pro perſequentibus ſe orare. Ita graues notant interpretes. Orans ergo Dominus pro inimicis Deum appellat Patrem & conſequenter ſe nuncupat filium, atque adeo ſacerdotem: nam filij primogeniti proprium erat ſacerdotium iure primogenituræ vt ex multis ſcripturæ locis deducunt Doctores. Quod attentè conſiderans Beda expendens hanc Chriſti pro inimicis orationẽ, ait: *Quia Lucas ſacerdotium Chriſti ſcribere diſpoſuit, rectè Dominus apud Deum pro perſecutoribus iure ſacerdotis intercedit.* Pro perſecutoribus quidem intercedit iure ſacerdotis, quia iure filij: nam filiorum Dei eſt inimicis benefacere.

Math. 27. Marc. 15.
Luc 23.
Beda in Luc. 23.

Hoc idem ſatis oſtendit Paulus: nam dilectionem inimicorum volens ſuadere, ſic hortatur: *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Quam dilectionem hoc loco ſuadeat Hugo Cardinalis ſic explicat: *Eſtote imitatores Dei inuicem vobis condonando, & ab odio recedendo, vt ſitis largi, & benigni pro Chriſto.* In hoc perfecto inimicorum amore hortatur, vt imitemur Deum, *ſicut filij charissimi;* quia ſi quis inimicum diligat, non ſolum filius Dei eſt, ſed filius chariſſimus. Quam vocem premens ad hunc locum Theodoretus ait: *Adoptionem accepiſtis, Deum Patrem nominatis, imitamini ergo cognationem.* Vt ſicut Deus nos inimicos dilexit, & ſibi in Chriſto reconciliauit: ita & nos faciamus. Nam proxime præmiſerat Apoſtolus: *Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Quod cum ita ſit, optimè adiungit Paulus: *Ambulate in dilectione.* Quam particulam eleganter exponit citatus Hugo, inquiens: *Quaſi dicat: dilectio eſt via optima, in qua viator non debet hærere ſed ſemper progredi, de qua via adhuc viam excellentiorem vobis demonſtro.* Hæc ſane via dilectionis ex maiori parte amœniſſima eſt; nil enim magis iucundum, quam amare: at cum in hac dilectionis via peruenitur ad inimicorum anfractus, aſpera eſt, & ardua, dumetis, & vepribus impedita, vbi plerique errant, & in præcipitia incurrunt; ſed qui filij Dei ſunt, alacres per medias irrumpunt ſpinas & ſaxa, & ad viæ terminum felices perueniunt. Sed vt Pauli locus ad plenum tractetur, & quod intendimus penitus intelligatur, præcedentia verba huic loco coniuncta, quæ de eadem inimicorum dilectione ſunt, conſiderari debent. Ait igitur Paulus: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*

Epheſ. 5.
1. Cor. 12.

in die redemptionis. Eodem ſermonis tenore vſus eſt dicens: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* Vtrumque locum optime explicat Hugo Cardinalis his verbis: *ſignati eſtis imagine Dei reformata in vobis: nam ſignum dicitur ſigillum, & ſic ſumus ſignati gratia, quaſi ſigillo impreſſo nobis, iuxta illud ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Per gratiam ergo habitualem, quæ eſt ſpiritus promiſſionis ſanctus, quaſi ſigillo imprimitur nobis Dei imago, per quam filij Dei adoptiui efficimur, diuinæ conſortes naturæ, vt ait Petrus: nam filiationem in ratione imaginis conſiſtere, & Patres, & Doctores ſcholaſtici tradunt. Hunc ſpiritum gratiæ à Deo nobis datum monet Paulus, ne contriſtemus, id eſt, ne perturbemus hanc ſpiritualem Dei imaginem, qua ſumus filij Dei, fraterno odio, quod maximè fugere debemus, quia ſumus Dei filij. De hoc autem fraterno odio ſine vllo verborum interſtitio ita ſubiungit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.* Totam huius loci explicationem breuiter complexus Sanctus Chryſoſtomus ſic ſcribit: *Hoc ſignaculum ſit in ore tuo, ne ſigilla ſuſtuleris. Cogita quanta ſit dignitas oris, Patrem vocas Deum; & fratrem ſtatim iniuria afficis?* Quaſi dicat: hoc ſignaculum ſimilitudinis, quo filius Dei es, pertingat etiam ad os, ne pronunties illa verba ab Apoſtolo interdicta, amaritudinis, iræ, indignationis, clamoris, & blaſphemiæ: nam cum per ſignaculum conſtituaris Dei filius, quomodo Patrem vocas Deum, & fratrem ſtatim iniuria afficis.

Pſalm. 4.

S. Chryſoſt. hom. 14.

Capvt II.

In amore inimicorum magna animi fortitudo, atque potentia oſtenditur.

Cvm Chriſtus Dominus eos, qui ex vera charitate inimicis benefaciunt, filios cæleſtis patris appellat, id eſt, eius ſimiles, ac imitatores, hanc filiorum ſimilitudinem non ſolum in miſericordia, & bonitate, ſed etiam in fortitudine, atque potentia intelligit. Multum enim errat mundus, qui infirmi animi eſſe putat, iniurias inimici patienter tolerare, cum eo in gratiam redire, eidem obſequi, & ex charitate non ficta benefacere. Secus enim ſe res habet: nam tum maximè fortitudo, & potentia & Dei & hominis elucet, cum inimicorum iniurias patienter ferunt, & eis benefacientes obſecundant; Pharao pertinax hoſtis Dei, eiuſque populi extitit, in quo tamen patienter, & longanimiter tolerando Dei fortitudo, atque potentia eluxit. Nam illud Domini ad ipſum Pharaonem. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam.* De patientia, qua tolerauit Pharaonem agentem proterue, & hoſtiliter in Deum, intelligitur à multis Patribus. Ita Sanctus Chryſoſtomus, ſic ſcribens: *Non vult Deus ſuum robur per ſupplicium innoteſcere, ſed per beneficentiam, & liberalitatem. Tulit igitur Pharaonem multo tempore ſuam ſimul declarans bonitatem, & patientiam.* Chryſoſtomum, vt aſſolet, ſequitur Oecumenius his verbis: *Quia in hoc ipſum excitaui te, id eſt, in hoc te regnare permiſi, vt demonſtraretur, quam ſim longanimis. Potentia enim Dei longanimitatem interpretatur.* Conſonat Theodulus inquiens: *Ait enim Deus Pharaoni: in hoc excitaui te, vt demonſtrarem in te potentiam meam, Potentia Dei eſt longanimitas adeoque maxima potentia.*

Exod. 9.

S. Chryſoſt. hom. 16 in epiſt. ad Roman.

Oecumen. in Catena Lipomani ad cap. 9. Exod.

Theodulus in c 4. ep. ad Rom.

Sunt in eandem ſententiam alia ſcripturæ ſacræ teſtimonia. Nam in ſapientiæ libro dicitur: *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Obſerua conſecutionem; non enim dictum eſt: miſereris omnium, quia miſericors es; ſed: *Quia omnia potes*, id eſt, quia omnipotens es. Quam conſecutionem notans Rabanus ad hunc locum ait: *Potentia Dei bonitate plena eſt, opus ſuum propter peccata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit & pie fouet, & nutrit.* Cum artifices omnes opera ſua diſtorta, atque fœdata deſpicere ſoleant, & perdere; diuina tamen potentia opera à ſe facta, quamuis per peccatum deturpata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit, & pie fouet, ac nutrit; quia nimirum bonitate plena eſt. Omnipotentia quidem Dei non egena eſt, & vacua, ſed plena bonitate, vnde quia infinita eſt omnipotentia, tanquam in immenſo vaſe, immenſa eſt miſericordia, qua omnes homines implet benedictione. Quod opportunè confirmat Sanctus Fulgentius inquiens: *In quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors; tanta eſt autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil ſit, quod nolit, aut non poſſit relaxare conuerſo* quoniam ſi peccator ſolam omnipotentiam reſpiciat, non mirum ſi extremi ſupplicij timeat iram; ſi vero hanc omnipotentiam plenam diuina benignitate ad remittendas iniurias intueatur, fit, vt ſe ſpe veniæ conſoletur. Nam quia omnipotentia, inſtar immenſi vaſis plena eſt miſericordia, in vaſa iræ non iram, ſed benignitatem infundit: Quod Apoſtolus expreſſit, cum dixit: *Volens Deus oſtendere, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ.* Notam Deus fecit potentiam ſuam cum in multa patientia ſuſtinuit vaſa iræ; quia hoc facto illud, quo plena erat potentia, manifeſtauit. Quod fatetur Eccleſia, cum in oratione canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Ex quo debet intelligi filios Dei, cæleſtis parentis imitatores eam habere potentiam, quæ plena ſit amore, & benignitate ad remittendas iniurias: vana enim eſt potentia, quæ oleo miſericordiæ, ac benignitatis non eſt plena. Nec ſolum vana, ſed etiam noxia: nam vt prudenter Seneca dixit: *Peſtifera vis eſt valere ad nocendum.* Quamobrem potentia vas debet eſſe Clementiæ, & quo maior illa fuerit, maiorem continere debet benignitatem. Id vſuuenit Romanis, quorum benignitas æqualis erat potentiæ, de quibus dicitur: *Cum eſſent potentes viribus, acquieſcunt ad omnia,*

Sap. 11.

S Fulg. ep 7 ad Venantium de recta pœnit.

Rom 9.

Senec. lib. 1. de Clement. cap. 3.

1. Machab. 8.

Digitized by Google

omnia, quæ poſtulantur ab eis. Similiter omnibus Regibus maior eſſe debet Clementia, quia maiori pollent potentia. Audi iterum Senecam *nullum Clementia ex omnibus magis quam Regem, aut Principem decet*; iſtæ enim virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt.

Sunt etiam aliæ rationes, ob quas non infirmi animi, ſed magnæ fortitudinis & potentiæ ſit inimicos diligere, & eorum perſecutiones, atque calumnias ferre. Nam profectò Deus omnipotens non ita ſolet oſtentare potentiam in infligendo ſupplicio, & in vno homine perdendo. Quamobrem Iob cum grauiſſimis calamitatibus premeretur à Deo dicebat: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Nam vt bene Sanctus Gregorius hoc loco: *Quid eſt homo niſi folium, qui videlicet in paradiſo ab arbore decidit? Quid eſt niſi folium qui tentationis vento rapitur, & deſideriorum flatibus leuatur?* Cur vero ſtipula ſicca homo dicatur, ſubinde adiungit: *Quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam ſtipula ſicca eſt.* Quî ergo in conterendo folio, & ſicca ſtipula Deus potentiam ſuam oſtendet? Sicut ergo Deus potentiam ſuam non oſtendit, cum ſupplicium infligit, & homuncionem affligit, quod facile eſt; ſed cum peccatorem tolerat, qui ipſum iniuriis, & maledictis inceſſit, & quaſi ad pugnam laceſſit, quod ex ſe arduum eſt: ita homo non ſumendo de inimicis vindictam, ſed eis benefaciendo robur & potentiam ſuam debet monſtrare. Quod S. Gregorius Nazianzenus ſic monet.

Iob cap. 13.

S. Gregor. Nazianz. in Tetraſtichis.

Aliis nocendo robur haud monſtra tuum;
Bene ſed merendo, ſic Deum ſequi cupis.
Eſt eius iſtud, qui ſuum norit genus.
Facile at necarint, & trigon, & ſcorpius.

Robur probè oſtenditur benemerendo de inimicis, & hoc eius eſſe ait, qui cognoſcit ſuum genus, id eſt, filium cœleſtis Patris ſe eſſe ſcit, ſi inimicis benefaciat. At nocendo robur nequit oſtendi, cum hoc perfacile ſit; nullo enim negotio trygon, & ſcorpius hominem necant. Rurſus, quod peccatorem iniuriis laceſſentem ſuſtinere, magni ſit roboris, & potentiæ, in Deo quidem inde oſtenditur, quia tunc non hominem proſtrat; ſed iuſtitiam ſuam, quæ infinita eſt, comprimit, & continet, & quaſi immenſum mare clauſtris concludit. In homine vero ſimiliter monſtratur, quia tunc, non alium, ſed ſe ipſum, quod difficillimum eſt, vincit, & expugnat. Vnde dicitur: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Græce pro animo eſt, ira, ad quam certè ſuperandam maius robur, & fortitudo requiritur, quam ad munitiſſimam vrbem expugnandam.

Prouerb. 16.

Ex quo intelligere pronum eſt, quam opportune Paulus ſic omnes fideles moneat. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*: hoc eſt, in morem victoris, ac triumphantis erecta, & inuicta conſiſtat. Ex Græco aliqui vertunt *brauium ferat*, videlicet aduerſus liuorem, & iracundam contentionem, quæ vindictam expetit. Quem ſenſum tenens Theodoretus ſic elucidat: *Si quis ab aliquo moleſtiam acceperit, habeat in corde pacem. Agonothetæ officio fungentem, & regentem.* Hoc eſt, pax ſit iudex certaminis, qui brauium, & palmam non vindictæ, atque odio, ſed amori, & benignitati addicat, & conferat. Luculentius rem hanc explicuit ad eundem locum Theophilactus his verbis: *ſæpe numero iniuria ſumus à quopiam affecti, & geminæ apud nos cogitationes certant: altera ad vindictam; altera ad longanimitatem nos incitans: ſic enim pax Dei in vobis ſteterit, vt iuſtus quiſpiam Brabenta, id eſt, iudex certaminis, atque arbiter, dederitque victoriæ palmam ei, qui iuſſerit, vt ſis longanimis, ceſſabit aduerſarius tuus: ipſa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax; ea enim ex vltione naſcitur, ſed Dei.* Hæc igitur pacifica cogitatio, quæ inimicorum dilectioni faueat, palmam ferat, vt animi robur, quale filios Dei decet, dilucide oſtendat.

Coloſſ. 3.

CAPVT III.

Diſcordiæ amatores non filij, ſed hoſtes ſunt Dei.

SIcut hi qui inimicos diligunt, & concordiæ charitatis obſequuntur, filij Dei à Chriſto appellantur: ita qui fratres odio habent, & diſcordiæ ſunt amatores, hoſtes Dei, & filij Diaboli merito dicuntur. Quapropter Sanctus Auguſtinus dixit: *Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à filio, nihilo minus à Spiritu ſancto efficitur alienus.* Cum Chriſtus concordiæ amatoribus dicat *vt ſitis filij Patris veſtri*: at ipſe Pater diſcordiæ amatores abdicat, id eſt, filios ſuos eſſe negat: vnde conſequenter filius, cui Pater omnia dedit in manus, huiuſmodi abdicatos exhæredat; quos autem Pater & filius abalienarunt, Spiritus ſanctus nihilominus efficit alienos. Nec mirum, ſi tam grauiter diſcordiam tota Trinitas damnet. De cuius concordia Sanctus Gregorius Nazianzenus vere pronuntiauit: *Beata Trinitas Deus vnus eſt & eſſe creditur, non minus propter concordiam, quam propter eandem eſſentiam.* Meritò ergo tota Trinitas hominem diſcordem abdicat, exhæredat, & alienum ducit.

S.Gregor. Nazianz. orat. 11.

Porro ei, quem Pater abdicat, conſequenter benedictionem negat; benedictio enim parentum eſt erga filios. Patrem vero benedictionem ſuam negare his qui per odium ab vnione fraternæ charitatis diſcedunt, deſignatum, & oſtenſum à Deo eſt, cum omnibus creationis diebus ipſe Deus benedixerit, ſoli ſecundæ diei benedictionem negauit. Cur ita? Paulus Burg. & Magiſter ſentent. & Sanctus Hieronymus citatus à Gloſſa id adſcribunt binario numero quod primus ab vnitate recedat: *Notandum etiã, (inquit Sanctus Hieronymus) quod huius diei ſecundi opera, ſecundum Hebræos non dicuntur bona, cum bona ſint, ſicut cætera, quod ſit propter binariũ principiũ alteritatis, qui primus ab vnitate diſcedit. Vnde quæ bina ingrediuntur in arcã immunda*

Geneſ. 1.

Paul. Burg. Magiſt. ſent. in 2. diſt. 14. & S. Hieron.

mũda ſunt; impar numerus mũdus. Huic doctrinæ congruit omnino Gloſſa ad illa verba Geneſis: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, &c.* Vbi ſic habet: *Notandum quod tres Angeli, numero impari Deus gaudet; Sodomam venerunt pari numero, id eſt, duo, qui numerus primus ab vnitate recedit, & princeps eſt alteritatis.* Qui ergo ab vnitate charitatis recedit, diuina benedictione priuatur, quia nimirum ob diſcordiam iure filiationis abdicatur.

Gloſſ. in c. 19. Geneſ.

Cæterum cum is, qui fratrem odio habet, filius Dei non ſit, conſequens eſt vt ſit filius diaboli. Quod ita eſſe teſtatur Dominus, cum Iudæos, qui implacabili odio ipſius ſanguinem ſitiebant, ſic alloquitur: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Vbi Sanctus Auguſtinus ait: *Iudæi filij erant Diaboli imitando, non naſcendo. Vnde ait: deſideria patris veſtri vultis facere. Ecce vnde filij eſtis, quia talia deſideratis, quæritis enim me interficere.* Diabolus odio ardebat in Chriſtum, atque adeo ipſum perimere vehementer deſiderabat. Et quia Iudæi in hoc cruento odio Diabolum imitabantur; ideo, filij eius à Domino dicuntur. Atque vt hoc de omnibus qui fraterno odio afficiuntur, intelligendum eſſe doceat, adiungit hæc verba: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo.* Ac ſi diceret. Diabolus ab initio creationis tanto odio genus humanum proſequebatur, vt ex eo tempore omnes homines auidiſſimè cupiat interficere. Vnde eius filij dicendi ſunt, quicumque ſimili odio inquinantur. Quæres vero, cur Chriſtus in his verbis, cum odio ſanguinolento, ſiue homicidio Diaboli coniungat eius mendacium dicens: *In veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo?* Profectò, quia Diabolus, & eius filij, quippe charitate penitus deſtituti, cum aliquem odio habent, etiam inter illum, atque alios ſimile odium, ac diſcordiam ſeminare contendunt; quod quidem mendaciis ſeminatis efficiunt. Quam contextus connexionem dilucide tradit Theophilactus inquiens: *Diabolus enim & Deum apud homines criminatus eſt homines, vt cum dixit; an gratis colit Iob Dominum?* Diabolus ergo non ſolum inter homines, ſed inter ipſos, & Deum ſeminatis mendaciis, charitatis vnionem ſoluere nititur; ideoque Dominus Diabolum, poſtquam ob finem, quem intendit, id eſt, odium, vocauit homicidam; ob medium, quod aſſumit appellat mendacem. Vnde Sanctus Auguſtinus dixit: *Non ferro accinctus Diabolus ad hominem venit, verbum malum ſeminauit, & occidit.* Occidere intendit per odium, id autem per verbum malum, id eſt, mendacium ſeminatum conſequitur. Diabolum imitatur, tanquam eius filius, qui per machinata mendacia iurgia ſeminat. Ideo dixit Salomon. *Vir apoſtata prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat.* Quæ verba Sanctus Gregorius ſic exponit: *Ecce quem ſeminantem iurgia dicere voluit, prius apoſtatam nominauit, quia niſi more ſuperbientis Angeli, à conſpectu conditoris prius intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non veniret.* Cum ergo Angeli apoſtatæ, id eſt, Diaboli imitatores ſint, qui iurgia ſeminant, non mirum eſt, ſi iis, tanquam filiis libenter occurrat, & cum ipſis familiariter agat. Quo ſpectat locus Numerorum, vbi Balaam receſſit à Balac, & populi conuentu, vt poſſet dira Iſraëlitico populo imprecari, & maledicta conijcere. Si autem quæras, cur à populi congregatione recederet? Reſpondet Lyra id feciſſe Laban, vt libentius ei Dæmon occurreret, qui facile his ſe comitem adiungit, qui congregationes fugiunt, fratrum conſortia deuitant, & vnionem fidelium auerſantur; hos enim, vt filios amat.

Ioann. 8. — S. Auguſt. tract. 20. in Ioan. — In Euang. Ioan. c. 10. — Sup. — Prouerb. 6. — S. Gregor. in Paſtor. 3 p. cap. 14. — Num. 24.

Verum ſicuti hos Diabolus tanquam filios amat. Ita Deus eoſdem, vt hoſtes deteſtatur. Vnde illud Sancti Cypriani. *Neque ad Caïn reſpexit Dominus, neque ad munera eius: quo modo enim Deum pacatum habere poterat, qui cum fratre non pacem, ſed zeli diſcordiam habebat.* Hoc ſatis exaggerauit Sapiens illis verbis: *Sex ſunt, quæ odit Dominus & ſeptimum deteſtatur anima eius.* Aperiens autem quod ſit hoc ſeptimum, ait: *Eum qui ſeminat diſcordias inter fratres.* Hi enim aratores, ſunt Diaboli; ſeminant verba, & diabolus metit rixas, lites, diffidia, & nunquam deſitura odia. Quam vero copioſa malorum ſeges pullulet ex iſta ſemente ſapiens expreſſit: *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates munitas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis. Qui reſpicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requieſcat.* Dicitur lingua tertia, quia media eſt inter duos, quos per ea, quæ nunc iſti, nunc illi obliquitur, diſcordes, inimicoſque reddit. Quos pacis, & charitatis conturbatores execratur Paulus, cum ait: *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Adeo autem Dominus deteſtatur huiuſmodi linguam tertiam, vt vel ab eius vmbra vehementer abhorreat. Vnde Sanctus Petrus Chryſologus explicans illud: *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem,* ait: *non poteſt dicere fratri, diuide, qui per Prophetam docuit: ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Non à iuſtitia erat alienum ſequeſtrum, & arbitrum inter illos fratres ſe ferre; quia tamẽ illa diuiſio vmbra quædam diſcordiæ eſſe videbatur, & ſtatim ac rogatur, reſilit, dicens: *quis me conſtituit diuiſorem ſupra vos?* Non longè erat ab hoc Domini inſtituto lex Platonis, qui ſancit Dei ſtatuas ex ferro, & ære minimè faciendas: quo, vt ibi interpretatur Ficinus, ſignificare voluit Deum plurimum abhorrere vel à materia, ex qua fiunt bellica inſtrumenta: & fruſtra quempiam in ſacris operati animo ab aliis diſſidente.

S Cyprian. lib. de vnitate Eccleſ. — Prouerb. 6. — Eccleſ. 28. — Ad Galat. 5. — S. Petr. Chryſolog. ſerm. 16. — Luc. 12. — Plat. lib. 12. de legibus.

* * *

CAPVT

Digitized by Google

Capvt IV.

Incomparabilis dignitas eorum, qui inimicos ſuos diligunt.

DVm Chriſtus Dominus eos qui inimicos ſuos diligunt, filios Dei vocat, mirifice eorum dignitatem commendat. Quid enim excellſius? Quid diuinius, quam filiorum Dei nuncupatio? Quam vt ſuo pondere pendere poſſimus, eam, quantum fas ſit conſiderare debemus. Primum cum homo turpiſſimo peccati inquinamento Dei imaginem violaſſet, per hanc diuinam filiationem ad perfectam Dei ſimilitudinem recuperandam aſcendit, dum gratiam diuinam charitate Chriſtiana ſeruat, & Heroica ſua virtute exornat. Id ſignificatum eſt in eo annulo, quo filium prodigum pater inſigniuit de quo Sanctus Hieronymus habet: *Dedit annulum, ſignaculum, ſimilitudinis Chriſti, ſecundum illud; in quem credentes, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto. Et ad Principem dicitur Tyri, qui ſimilitudinem conditoris amiſerat: tu ſignaculum ſimilitudinis & corona decoris in deliciis paradiſi fuiſti.* Peccator, qui virtutum & cœleſtium donorum ſubſtantiam prodegerat, & in regionem diſſimilitudinis abierat, cum ad Patrem reuertitur, denuoque in filium admittitur, accepto annulo, diuina ſimilitudine donatur: annuli enim olim ſignacula erant, quibus homines ſuam ſimilitudinem rebus imprimebant. Vnde Sanctus Hilarius dixit: *ſignaculorum autem natura eſt, vt omnem impreſſa in ſe ſpeciei explicent formam; & nihilominus ex eo in ſe habeant vnde ſignentur, & dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex ſe præferunt quidquid impreſſum eſt.* Sicut ergo Chriſtus quia filius naturalis Dei eſt, paterna ſubſtantialiter ſignatur imagine: Ita iuſtus, quia filius Dei eſt adoptiuus, diuinæ ſimilitudinis claritate decoratur. Et quidem Chriſtus de ſe ait: *Hunc enim Pater ſignauit Deus.* Quem locum apte ediſſerit Sanctus Hilarius his verbis: *Vnigenitus vero Deus, & per ſacramentum ſalutis noſtræ hominis filius volens proprietatis nobis paternæ in ſe ſignare ſpeciem, ſignatum ſe à Deo ait: quia omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem ſignantis ſe Dei contineret.* Similiter quidem iuſtus, quia filius adoptiuus eſt, ſignatus dicitur à Deo, quia ſpiritum diuinæ gratiæ habitualis continet, quo diuinæ naturæ ſimilitudinem refert. Vnde Paulus poſtquam dixit: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum,* Sic ſubdit: *In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* Quæ verba optime explicat Hugo Cardinalis. *Signum*, inquit, *dicitur ſigillum, ſic ſumus ſignati gratia, quaſi ſigillo impreſſo nobis.* Hæc eſt ergo prima diuinæ filiationis prærogatiua, Dei videlicet ſimilitudo, & impreſſa cœleſtis parentis imago, qua filij mirifice decorantur. Quid enim illuſtrius? Quid ſplendidius quam talem parentem ſimilitudine, ac imagine referre? Chriſtus Dominus, cum non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter ſit imago Patris, ex hac ſimilitudine eximiè commendatur à Paulo illis verbis, *qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Et alibi: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ.* Et Sapiens: *Speculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Hanc autem filij naturalis imaginem filij adoptiui imitantur, & per dilectionem inimicorum aſſequuntur, &c.

Luc. 15. S. Hieron. ep. 4. ad Damaſ.

S. Hilarius lib. 8 de Trinit.

Ioan 6.

Sup.

Ad Epheſ. 1.

Ad Hebr. 1. Ad Coloſ. 1. Sap. 7.

Porro quanta in hominem inimicos diligentem redundet dignitas ex hac diuina imagine, quam in anima gerit, nullis verbis ſatis explicari poteſt: ex iis tamen quæ Plinius de pictura docuit, aliquo modo elucidabitur. Sicut enim omnes homines (vt ſunt immortalitatis natura auidiſſimi) per imaginum quaſi traducem memoriam ſui propagare poſteritati deſiderant: ita omnes, per imagines etiam, qualis fuerit vnuſquiſque eorum, qui eximia aliqua laude excelluerunt, ſcire vehementer cupiunt. Vnde Plinius dixit: *Quo maius (vt equidem arbitror) nullum eſt felicitatis ſpecimen quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Quocirca ſi ſcire cupias, qua forma ſit is, qui inimicum diligit, certum eſt perſimilem eſſe formæ Dei, cuius eſt incomparabilis ac ineffabilis pulchritudinis dignitas. Præterea, qui militari gloria claruerunt, imagines ſuas hoſtium ſpoliis à ſe detractis exornabant, de quibus Plinius proximè citatus ait: *Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant affixis hoſtium ſpoliis.* Qui hoſtem, ſiue inimicum diligit, imagini diuinæ, qua inſignitus eſt, ipſius inimici egregia ſpolia affigit, amare ſcilicet, benefacere, & orare pro eo. Illud etiam præſenti rei congruit, quod idem Auctor ſubiungit: *Scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines: origo plena virtutis, faciem reddit in ſcuto cuiuſque, qui fuerit vſus illo. Pœni ex auro factitauere & clypeos, & imagines, ſecumque in caſtris tulere.* In aureo patientiæ, & charitatis ſcuto, quo perſecutionem inimici ferimus, auream diuinæ ſimilitudinis imaginem continemus. Si vero quæras, qua ratione homo viliſſimus tantam cum Deo optimo Maximo ſimilitudinem poſſit habere? Reſponſio ex eo, quod idem Auctor narrat poteſt dari: *Alterius (inquit) tabulæ admiratio eſt puberem filium ſeni patri ſimilem eſſe, ſalua ætatis differentia. Immenſa, vel vnam ſi quis tantum hanc tabulam æſtimet, potentia artis, cum propter pictorem Philocharem ignobiliſſimos alioquin Glancionem, filiumque eius Ariſtippum ſenatus populuſque Romanus tot ſæculis ſpectet.* Multo certè magis immenſa potentia gratiæ efficit, vt cum infinita inter creaturam & creatorem intercedat differentia, homo tamen inimicum diligens Deo parenti adeo ſit ſimilis, vt eum cœleſtis Angelorum ſenatus non ſine magna admiratione ſpectet.

Plin. lib. 35. natural. hiſt.

Idem eodem lib. cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

Præterea, qui per amorem inimicorum ſunt filij Dei perfecta charitate, cognata alia excellunt prærogatiua, qua nimirum more filiorum, Dei parentis naturam per gratiam adoptionis

2. Petr. 1. participant. Quod S. Petrus docuit ſic: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit; vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* vbi Gloſſa interlinealis ait: *Gratia ſit vobis & pax, vt per hæc efficiamini diuinæ naturæ participes.* Et Lyra ſic: *Dona gratiæ in eſſe ſupernaturali ſunt quædam diuinæ naturæ participationes.* Congruit Sanctus Bonauentura inquiens: *Gratia enim, & manat à Deo liberaliter, & reddit hominem Deiformem*, id eſt, eiuſdem formæ & naturæ. Igitur, ſicut qui naturam habet hominis, homo eſt. Ita qui naturam Dei participat, participatione Deus eſt. In quam ſententiam S. Baſil. explicat illud Pſalmi *Deus Deorum Dominus locutus eſt.* Nam per Deos ſanctos intelligit, inquiens: *Per ſpiritum ſanctum etiam quilibet ſanctorum Deus eſt: nam Deus Deorum, id eſt ſanctorum locutus eſt.* Sicut autem Deus per ſe diuinam viuit vitam: ita ſancti ipſius participatione diuinam quoque vitam naniſcuntur. Ideo Baſilius dixit: *Quemadmodum id quidem caliditas ignis innata; id vero participata quam præbet aquæ: ſic & ipſe in ſe ipſo vitam habet, & qui eo participant, viuunt, vt Deos decet, vitam diuinam ac cœleſtem poſſidentes ab eo participatam: quia qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt.* Optimè ex hoc loco Pauli ſuam doctrinam confirmat. Nam vt etiam Sanctus Bernardus exponit: *Hi adhærent Deo, qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo: nam de tali adhæſione puto dictum, qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt.* Nam ſicut cibus in naturam tranſit manducantis: ita iuſtus à Deo manducatus in naturam Dei participatione transfertur. Vnde Photius eundum locum explicans, ait: *Deo adhærens vnius quodammodo naturæ, totuſque ſpiritualis efficitur, neque impuris cupiditatibus tangitur, neque ſcinditur in partes, Deo, ac mammonæ ſeruiens, ſed vni Deo penitus adhæret.* Sanctus Hilarius etiam dixit: *Spirituales omnes ſumus, ſi in nobis eſt Spiritus Dei.* Vel ſi Deum manducamus, vt dixit Bernardus. Rem propoſitam aptiſſimis collationibus pulchrè confirmat Sanctus Cyprianus his verbis: *Sicut modica aquæ gutta multo vino infuſa à ſe tota deficit, vinique ſaporem, & colorem induit: ferrum candens priſtina, propriaque forma exuitur & igni ſimillimum efficitur: ſolis radio aër perfuſus in eandem transformatur luminis claritatem: & ſpeculum radiis ſolaribus directè irradiatum, ſolis in ſe recipit ſimilitudinem, idque putares alterum eſſe ſolem: ita etiam ſancti, Dei charitate in intimis ſuis totaliter penetrantur, ſicque Deiformes effecti, in Dei ſimilitudinem transformantur.* Incomparabilis ergo dignitas eſt eorum, qui inimicos ſuos diligentes, filij Dei efficiuntur, & diuinæ vitæ, ac naturæ participatione Dij ſimillimi Deo euadunt.

S Bonauent. in Breuiloquio p. 4. cap. 5.

S. Baſil. lib. 5. ad Eunomium. Pſalm. 49.

1. Cor. 6. S. Bernard. ſerm. 17 in Cant.

S. Cyprian. lib. de ſingular. clericor.

CAPVT V.

Amare inimicum, & vindictam contemnere virtus eſt nobiliſſima, & Regia.

INimicos amare, iniurias dimittere, & vindictam contemnere nobis commendans Dominus ad Regiam nobilitatem nos vocat, qua videlicet æterni Regis filij nuncupemur, & ſimus. Eſt enim vere Regium, inimicum generoſo animo complecti, & à vindicta abſtinere. Quod ſatis exploratum erat Chryſologo cum dixit: *In te commiſſorum tu remiſſor eſto peccatorum, ne perdas in te diuinæ infulas poteſtatis.* S. Petr. Chryſolog. ſerm 139. Infulæ propriè erat faſcia in modum diadematum, a qua dependebant vittę ab vtraque parte: & quamuis ſpecialiter dicebatur ſacerdotum flaminum; ad omnem tamen dignitatem extendebatur: nam inſignia Conſularia, faces prætexta, ſellaque curulis infulæ appellantur à Liuio. Infulas ergo diuinæ poteſtatis appellat Chryſologus remittere peccata: nam id ſolus Deus poteſt, iuxta illud, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quam potentiam imitatur, & eius infulis ornatur homo, cum inimicum diligit, ei benefacit, & pro ipſo orat. Nam vt infulæ inſignia ſunt nobilitatis, & potentiæ: ita illa erga inimicum obſequia veram nobilitatem indicant. Quamobrem Sanctus Bernardus dixit: S. Bernard. de interiori domo c. 43. *Nobile vindictæ genus eſt ignoſcere.* Et Chryſoſtomus *Forti*, inquit, *ac generoſo animo feramus; hic enim demum eſt ſolidus honor.* S. Chryſoſt. hom. 3. in Epiſt. ad Rom. Quem quidem non cognoſcebat Eſau, cum perditam primogenituræ dignitatem vindicta, & crudelitate recuperare volebat. Geneſ. 27. De quo proinde Sanctus Ambroſius dixit: S. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. & vita beata. *Minabatur Eſau, quod fratrem ſuum occideret, & dolebat ſibi benedictionem eſſe præreptam, cuius vtique ſe dignum manſuetudine debebat probare, non ſcelere.* Indignum quidem ſe Eſau benedictionis dignitate reddebat, cum vindictam de fratre parabat.

Tantæ nobilitatis eſt inimico benefacere, vt inde Saul coniiceret, aduerſarium ſuum Dauidem à ſe pro viribus perſequutum, Regem proculdubio futurum. 1. Reg. 24. Nam cum ipſe Dauid Saulem nullo negocio in ſpelunca confodere poſſet, & tamen facere recuſaſſet, cum id Saul certò comperiſſet, admirans generoſam animi magnitudinem ait: *Quis cum inuenerit inimicum ſuum dimittit eum in via bona? Et nunc ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël.* Regium animum ampliſſimo regno dignum ex contemptu vindictæ iudicauit. Vnde ad hunc locum Lyra ait: *In hoc confitetur ipſum Dauid eſſe dignum regno. Dicunt autem aliqui Hebræi, quod hoc ſciuit per ſignum ſibi datum à Samuele, quia ille regnaret poſt eum, qui ſcinderet veſtem eius.* Regius ergo animus eſt, qui vindictam de inimico ſumere recuſat. Vnde cum mirarentur Iſraëlitæ, quod idem Dauid recuperato iam regno, ſe de Semei non vlciſceretur, reſpondit. *Cur efficimini mihi in Sathan. An ignoro hodie me factum Regem?* 2. Reg 19. Timebat enim Dauid ne claritatē adepti regni vindictę tenebris obſcuraret. Probè enim cognoſcēs obſcuritatē, & abie

Digitized by Google

abiectionem, quæ vindictæ ineſt, eandem abiectionem ſibi imprecatur, ſi tam abiecto vitio ſubiiceretur. Sic enim ait: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* (Pſal.7.) Vbi Lyra de ipſo Dauid verba intelligit, qui congruentem culpæ pœnam ſibi imprecatur: vt ſi vilem vindictæ culpam, indignamque Rege committeret, regiam gloriam amitteret. At S. Auguſt. de omnibus accipi putat, dicens: *Non iureiurando hoc ſibi imprecatur; ſed dicit, quod contingit ſe vindicantibus: Prophetat ergo, non iurat per execrationem, quod eſt grauiſſimum iuſiurandi genus.* Contigit autem, vt ſubinde explicat, omnibus ſe vindicantibus, vt ipſorum gloria in puluerem deducatur, quia puluerulentum, & infimum vindictæ vitium amplectuntur.

Salomon quaſi edoctus à patre, & vt ſapientium columen, abiectam vindictæ turpitudinem optimè calluit: (3 Reg.1.) nam Adoniæ fratri nihil mali intulit, cùm regnum viuente fratre affectaſſet, poſtquam vero Abiſach in vxorem petiit, illum iuſſit occidi. Cur ita? Rationem reddit Abulenſis inquiens: (Abulenſ. q.45. in Reg.) *Si propter primum delictum occidiſſet Adoniam videretur hoc feciſſe ſolum ex vindicta, quæ quidem immundum redderet regnandi initium, & deturparet regiam cathedram, dum vilem animum in vindicando oſtenderet.* Similiter cum de eiuſdem Salomonis mandato Ioab occideretur, hæc cauſa aſſignatur: (3.Reg.2.) *Occidit duos viros meliores ſe Abner, & Amaſan, & reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab?* Quæritur vero, cur non aſſignentur aliæ, quæ extabant, grauiores cauſæ? nempe quod contra Dauidis præceptum, mortem Abſaloni intuliſſet, & quod maieſtatem læſiſſet, dicente ſacro Textu: *Venit nuntius ad Salomonem, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam.* Cur hæ cauſæ non memorantur? (Idem Abul. q.40.) Reſpondet idem Abulenſis: *Quia Abſalon frater erat Salomonis, ideo tacuit: videretur enim contaminatus immunda vindictæ cupiditate.*

CAPVT VI.

Paternam Dei miſericordiam imitantur, qui errata proximorum humanæ fragilitati adſcribentes, ea ignoſcunt.

PAternam Deus miſericordiam erga homines tunc maxime monſtrat, cum figmentum noſtrum cognoſcens, & puluerem ex quo facti ſumus conſiderans, atque adeo noſtram fragilitatem, & infirmitatem pendens, nobis peccata dimittit; parentum enim eſt filiorum errata benigne interpretari, excuſare, & non malitiæ, ſed infirmitati adſcribere. Vnde merito filij Dei appellantur, qui hanc eius benignitatem, & miſericordiam imitantes, communem naturæ humanæ infirmitatem in proximis errantibus conſiderant, vt eis benigne & miſericorditer ignoſcant.

Deum verò infirmitatem noſtram præ oculis habere vt culpæ offenſas dimittat, indicauit, cum volens Chriſtus abſoluere mulierem deprehenſam in adulterio, *digito ſcribebat in terra*; (Ioann 8.) ſcribens enim in terra terræ adſcribebat cauſam abſolutionis à crimine, fragilitatem ſcilicet terrenam, & figmentum noſtrum; quoniam puluis ſumus, qui ad quamuis auram mouetur. Pulchre S. Ambroſ. dixit: *Vide lector diuina myſteria & clementiam Chriſti, cum accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, eleuat autem vbi deficit accuſator.* (S. Ambroſ. lib.9.ep.76.) Dum criminis grauitatem accuſator exaggerat, Dominus in terram caput inclinat, & terrenæ infirmitatis memoria crimen excuſat. Quam benignitatis legem edocuit, & digito ſcripſit, cum in terra ſcripſit, vt acutè annotauit Auguſt. quærens enim cur ſe inclinauerit, & in terra ſcripſerit, ait: *Quod iam tempus eſſet, vt in terra, quæ fructum daret, non in lapide ſterili, ſicut antea, lex eius conſcriberetur.* (S. Auguſt. de concord. Euang lib 4. cap.10.) Lex quidem antiqua licet digito Dei ſcripta, tamen in duro, ſterilique lapide fuit exarata, quo ſignificaretur, tum rigidam, ac ſeueriſſimam, tum ſterilem eſſe: quamobrem, cum per longa temporum ſpatia, id iam Deus expertus eſſet, tempus erat, vt lex eius clementiæ, ac benignitatis aliter eodem digito conſcriberetur, nempe in terra blanda, atque frugifera, hoc eſt, in mundano corde, quod fructum clementiæ, & amoris ferret, ad remittenda, & condonanda fratrum errata. Cum antiquam legem in lapide exarabat, lapidem arabat, fructum miſericordiæ non metebat: *Nunc iam* (inquit idem Auguſtinus) *Dominus in terra ſcribebat, quia fructum quærebat.* (Idē tract. 33. in Ioan.) Scribæ, & Phariſæi huius fœminæ accuſatores humanam infirmitatem nec in ſe, ſuperbia inflati, aſpiciebant, nec in fœmina, cordis duritia impediti, conſiderabant: at Dominus ſic digito ſcribebat in terra, vt communem fragilitatem contuentes, non ad accuſandum, ſed ad ignoſcendum mouerentur. Id ex ſacrorum interpretum explanationibus liquet. Quærendum quid Chriſtus ſcripſerit in terra? Reſpondet S. Ambr. *Quid ſcribebat Dominus, niſi illud Propheticum: terra, terra, ſcribe hos viros abdicatos. Quod de Iechonia lectum eſt in Hieremia Propheta.* (S.Ambroſ. ep.58.) Scribebat ergo Chriſtus illos Scribas, & Phariſæos eſſe abdicatos, id eſt, à miſericordia alienos, quam tamen tenere deberent, terrenæ fragilitatis memores; ideo enim terra bis inuocatur. Sanctus autem Bernardus ſic ait: *Fortè veritatem & gratiam ſcribens, & iterum ſcribens, terræ impreſſiſſe videtur: ſecundum quod Ioannes ait: lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, &c.* (S. Bernard. ſerm.3. de Annunt.) Lex quidem per Moyſem data infirmitati hominum non compatiebatur, ſed peccata diſtinctè puniebat: at gratia per Chriſtum facta peccata condonat, & iniurias remittit, cuius rei admonentur Scribæ, & Phariſæi, qui ſolo legis rigore ſæuiebant. Ideo non in duro lapide, vt lex antiqua; ſed in terra ſcribitur gratia. S. Thomas aliquorum ſententiam ſequutus, putat Dominum ſcripſiſſe eadem verba, quæ voce dixit, *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Admonuit eos de propria infirmitate, qua multis erant obnoxij peccatis, vt fragilis naturæ memores, fœmineæ fragilitatis eos miſereret. S. Hieronymus

S. Hieron. lib. 2. contra Pelag. c. 6.

peccata ſcripſiſſe putat, inquiens: *Digito Ieſus ſcribebat in terra, eorum videlicet, qui accuſabant, & omnium peccata mortalium, ſecundum quod ſcriptum eſt in Propheta; relinquentes autem te in terra ſcribentur.* Peccata omnium ſcribebat, vt communis infirmitas illos accuſatores humaniores redderet. Hanc Hieronymi ſententiam perſtringit Gloſſa interlinealis.

Vide Carthuſ.

Nonnulli, affirmant litteris hæc verba exaraſſe, *terra iudicat terram*, id eſt, terra propriæ mutabilitatis oblita, terram mutabilitatis arguit. Lyra tandem exiſtimat primo Dominum ſcripſiſſe id, quod poſtea protulit, ſcilicet, *qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat.* Cum vero ſcripſit ſecundo, ſcripſiſſe Phariſæorum peccata, vt eos oſtenderet ineptos ad accuſandam, & lapidandam fœminam, & ad mitiorem animum induceret. Rogabis, quomodo ſcribi poterant Phariſæorum peccata in terra. Reſpondet S. Bonauentura:

S. Bonauent. in vita Chriſti c. 68.

Dicit Gloſſa, quod ſcribebat peccata eorum: erat igitur illa ſcriptura tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoſcebat in ea peccata ſua, &c. Similiter Lyra ait: *Dicendum quod non ſcribebat per ſingula, ſed diuina virtute potuit facere, quod in aliqua figura ab ea proſtrata, quilibet eorum videret ſua propria peccata, & non alia, nec ab aliis videbantur.* Quo factum eſt, vt ſcribæ, & Phariſæi verecundia correpti, & timore perculſi inopinato obmuteſcerent, mulierem relinquerent, & à Chriſto diſcederent: quod quidem mirabile omnino eſt. Voluit quidem Dominus famæ illorum hominum conſulere, ideoque noluit ore palam, ſed digito occulte vnicuique crimina patefacere. Cognitis autem in ſcriptura peccatis, *vnus poſt vnum exibant incipientes à ſenioribus* Ait Euangeliſta.

S. Ambroſ. epiſt. illa 58.

S. Ambroſius dixit *exire cœperunt ſinguli incipientes à ſenioribus; vel quod ipſi plura haberent crimina, qui diu vixerant; vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores.*

Id maxime hoc mirabili facto Chriſtus intendebat, vt ſcribæ, & Phariſæi ex anteactis peccatis propriam infirmitatem agnoſcerent, & in fragili fœmina non perſonam, ſed culpam odio, & ſupplicio damnarent. Id autem magna ex parte obtinuit. Nam vt Beda hic ait: *Nemo peccatricem fœminam damnare auſus eſt, quia in ſe cernere cœperant ſinguli, quod magis damnandum cognoſcerent.*

S. Auguſt. ſerm. 5. in Dominic. 3. Quadrag.

Et S. Auguſt. dixit *Accuſatores fœminæ à vindicta repreſſit conſcientia.* Conſcientia ergo propriæ infirmitatis & culpæ extinguet nobis quoque ardorem vindictæ. Non perſonam, ſed culpam odio habeamus, & ſupplicio afficiamus.

Idem tract. 33. in Ioan. S. Ambroſ. epiſt. 76.

Audi S. Auguſtinum de hac fœmina loquentem: *Dominus damnauit, ſed peccatum, non hominem, &c.* Et S. Ambroſius ſapienter ſcribit: *Hæc egregia pœna eſt non perſonam occidere, ſed ſcelus. Seuerior ſententia culpa damnatur, ſi vnuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, perſona magis, quam culpa punitur. Vbi vero culpa deponitur, abſolutio perſonæ eſt pœna peccati.* Phariſæi perſonam volebant occidere fœminæ, non peccatum: at Chriſtus, cui facta erat offenſa, perſonam non occidit, ſed adulterium, donans fœminæ contritionem egregie lapidauit peccatum, & contritionis lapide veluti Gigantem proſtrauit. Homo ergo non inimici ſui perſonam, ſed peccatum oderit, & occidere curet; in perſona vero imbecillitatem conſideret, & ex propria infirmitate diſcat ignoſcere. Quod monet S. Gregor.

S. Gregor. in Paſt. p. 2. cap. 10.

Ex ſe, inquit, *debet vnuſquiſque colligere qualiter aliena oporteat imbecillitatis miſeri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus ſui eſſe videatur.* Hi certe, qui propriæ imbecillitatis obliti in alienam inſurgunt, ex illis ſunt, in quos inſurgebat S. Iob dicens:

Iob 19.

Quare perſequimini me ſicut Deus. Ille ſicut Deus alterum perſequitur, accuſat, & carpit, qui velut impeccabilis carpit; Deus enim impeccabilis eſt, omni vitio caret. Neque ergo perſequamur vitia aliorum ſicut Deus impeccabilis, ſed propriæ fragilitatis memores, noſtra vitia diſtricte, & aliena humiliter corrigamus.

Igitur in exemplum noſtrum conſideranda eſt Domini benignitas, qua peccatricem hanc fœminam excepit, & à peccatis abſoluit: nam fugatis accuſatoribus, ei dixit: *Neque ego te condẽnabo, vade in pace, & iam amplius noli peccare.* De qua abſolutione S. Thomas ſic habet: *Fœminam adulteram abſoluit Dominus à culpa, non imponendo ei aliquam pœnam: quia cum abſoluẽdo exterius, iuſtificaret interius, bene potuit eam adeo immutare interius per ſufficientem contritionem, vt ab omni pœna immunis efficeretur.* Idem ſentit Lyranus, & Chartuſianus: *Dimiſit*, inquit, *Saluator huic mulieri pœnam & culpam, ſicut & latroni in cruce.*

S. Auguſt. tract. 33. in Ioan.

S. Aug. illa Domini verba, *nec ego te condemnabo* ſic explicat: *Facta ſecura de præterito, caue futura; deleui quod commiſiſti, obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi.*

S. Ambroſ. epiſt. 76.

Et. S. Ambroſius dixit: *Meruit mulier abſolui, quæ manſit ſola cum Chriſto.* Ab accuſatoribus ducta eſt ad iudicium, deſtinata ad ſupplicium, ſed altiſſimũ inuenit aſylum, nempe Chriſti miſericordiam, de qua idem Ambroſius ait:

& ep. 58.

Non damnat Chriſtus adulteram, quaſi redẽptio corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit. Quamobrem merito Rupertus hoc Chriſti factum miſericordiæ victoriam appellat inquiens: *Quis hoc factum non miretur, Quis hanc miſericordiæ victoriam non veneretur.*

Iob cap. 2.

Merito S. Iacobus dixit *ſuperexaltat miſericordia iudicium.* Cuius loci Græca verba ſic transferunt multi: *Gloriatur miſericordia contra iudicium* verè hoc loco miſericordia contra iudiciũ gloriatur, quandoquidem totum ſcribarum, & Phariſæorum accuſationem, atque iudicium capitis diſturbauit, & damnandæ fœminæ vitam & peccatorum veniam condonauit. Optimus eligenduſque iudex, in quo miſericordia gloriatur contra iudicium. Vnde Paulus cum accuſatorum vocibus vrgeretur, ſe ipſum conſolatur dicens:

1. Cor. 4.

Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Quæ verba eleganter expendit S. Ambroſius:

S. Ambroſ. in Pſal. 38.

Pulcherrime (inquit) eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum neque occulta prætereant, neque infirmæ conditionis lapſus offendant, quia fragilitati nouit ignoſcere.

Hanc Domini miſericordiam homo imitari ſtudeat, cum aſſidente ira, forum agere, & iudicium ferre contra inimicum feſtinat. Humanam fragilitatem perpendat, etenim vt S. Leo ait:

S. Leo ſerm. 11 de Quadrag.

Quis non infirmatur in carne? Quis non ſordeſcit in puluere. Hinc propriam infirmitatem agnoſcat, vt inimico ignoſcat, & iniuriam remittat. Vere enim & prudenter S. Gregor. dixit: *Cum alienos exceſſus aſpicimus, noſtra quibus in aliis exceſſimus,*

delicta

Digitized by Google

S. Gregor. lib. 5. mor. cap. 30.

delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena: patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari: & quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua quaque ad mentem culpa reuocatur; quia erubeſcit ſibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo ſæpe ſe recolit parcenda peccaſſe. Qui ergo vult Chriſtum imitari, & imitatione eius filius eſſe, audiat Paulum monentem *induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam ſupportantes inuicem, & donantes vobis metipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Hortatur vt induant dilectionis veſtem quæ plane regia eſt, & filiorum Dei propria, & hominem interius, exteriuſque munit, neque ſolum contra aquilonare fraterni odij frigus fouet, ſed etiam plurimum ornat. Vnde Hugo Card. ad hunc locum ait: *Induite charitatem, quaſi veſtem contra aquilonem, & quaſi ornamentum contra confuſionem nuditatis primorum parentem, qui conſuerunt periZomata.*

Coloſſ. 3.

CAPVT VII.

Deus vltor eorum, qui proprias non vlciſcuntur iniurias.

COeterum quamuis iuſti ſuis parcant inimicis, & ſeſe nequaquam vlciſcantur, Patrem tamen in cœlis habent, qui ſeueriſſimus erit vindex, & vltor iniuriarũ. Id expreſsè Deus ipſe teſtatur in Deuteronomio. *Mea eſt vltio, & ego retribuam*, id eſt, ad me propriè ſpectat, filiorum meorum iniurias vindicare, quod certiſſimo ſupplicio præſtabo. Sic nos facere iubent ſancti Patres, ſic ipſi fecerunt. S. Baſil. dixit: *Neceſſe eſt, vt omnia feramus, vltionem ipſorum Domino committentes qui non deſpiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, conditorem illius ad iracundiam prouocat.* Nazianzenus item in eandem ſententiam ait: *Deo, ac futura vita tribunali eos, qui nos læſerunt, relinquamus, nihil de futura pœna nos vindicando detrahamus.* Pro iniuria nobis illata, Deus in futuro pœnam eſt illaturus, tantum autem eius pœnæ detrahimus, quantum mali inimico infligimus: nam vindicta, qua quis propriam iniuriam perſequitur, Dei vindictam anteuertit, & quodammodo impedit.

Deuteron. 32.

S. Baſil. Epiſt. 87.

Prouerb. 21. Nazian. orat. 2. contra Iulian.

Quamobrem opportune Paulus nos omnes ſic monet: *Non vos metipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ*, nempe Dei, vt exponit Chryſoſtomus cum Græcis, & ex Latinis Auguſtinus, id eſt, ne iram, & vltionem Dei præoccupetis, veſtris ipſorum iniuriis vindicandis; hoc enim munus Deus ſibi vendicat. Quod ſubſequens Pauli ratio confirmat: *Scriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* Ideo debetis dare locum iræ Dei, neque illam anteuertere, vos ipſos vlciſcẽdo, quia has ſibi partes Deus aſſumpſit: quas ſuperbè nobis arrogabimus, ac Deo derogabimus, ſi nos ante tempus defenderimus. Optimè Tertul. ait: *Quem autem honorem litabimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus?* Quaſi magnus Deo honos defeꝛatur, cum iniuriarum noſtrarum vltionem ipſi remittimus, cui & nos, & res noſtras omnes curæ eſſe confidimus. Nemo ergo priuata ſibi authoritate præſumat, quod Deus ad ſe pertinere dixit, & quaſi facto ipſo profiteri, melius ſe acceptæ iniuriæ, quam alium ſatisfacturum.

Rom. 12.

Tull. lib. de Patient. c. 10.

Quod autem Deus circa vindictam promiſit, optima fide præſtat. Nam obmurmurantibus in Moyſem germanis fratribus Aarone, & Maria, quòd vxorem Æthiopiſſam duxiſſet, ait ſacer textus: *Quod cum audiſſet Dominus (erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra) ſtatim locutus eſt; &c.* Vbi ea redditur ratio, quamobrem Deus pro Moyſe eſt locutus, & fratres obſtrepentes grauiter increpuerit, & ſeuerè punierit, quoniam nimirum Moyſes vir eſſet mitiſſimus. Vbi Rupertus ait: *Nullo modo Moyſes ſeipſum defendebat, & hoc pacto quaſi legitima cauſa defenſorem ſui Deum magis tacendo conſtituebat.* Et S. Ambroſ. de Suſanna ait: *Eſt negotioſum ſilentium, vt erat Suſannæ, quæ plus egit tacendo, quam ſi eſſet locuta; tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo.* Accedat Saluianus, qui oſtendit, quoties Dauid ſuas in Deum reiecit iniurias, illum habuiſſe earum omnium vltorem. Sic de Saule, à quo fuerat inſidiis ſæpe appetitus, cum ipſe oblata occaſione ſeſe vlciſci noluiſſet, abunde illum Deus vltus eſt: nam aduerſario vitam eripuit, & regnum tradidit Dauid. Addit Saluianus, quia ſe vlciſci diſtulit de Nabale Carmelo, ſtatim diuinam vindictam ſubſequutam fuiſſe. Denique de Abſalon, quem pius pater ſaluum, & incolumem ſibi ſeruari iuſſerat, pœnas commeritas exigit Deus: nam vt ait idem Doctor: *Acto in crucem non manufactam filio parricida, vindictam ei diuinitus attributam, ſic nuntiatam refert ſermo diuinus: indicauit pro te Dominus hodie.*

Num. 12.

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 21.

Saluian. lib. 2. de Prouident.

Ex quo debet intelligi, ipſum quod patimur malum, defenſionem noſtram ſecum afferre. Quod obſeruat Chryſoſtomus in illud Pſalmi. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Sic enim ait: *Maxima defenſionis loco eſt calamitas, & malum pati; non enim vitam, nec virtutem, ſed malorum perpeſſionem dicit Dominus excitare ad ſupplicium, & vindictam.* Itaque nihil nos agere, ad defenſionem noſtram neceſſe eſt, ſatis eſt pati; ipſe nobis aduerſarius arma defenſionis ſubminiſtrat.

S. Chryſoſt. in Pſal. 11.

CAPVT VIII.

Inimicorum amor proprius eſt electorum.

AMorem amicorum nil magni continere, ſed communem nobis eſſe cũ publicanis, id eſt cum perditis, acre probis hominibus, aſſerit Dominus: at amor inimicorum, non cum his communis, ſed proprius electorum eſt. Quod optimè adumbratum eſt in arca Noë, per quam Hugo Victorinus intelligit electorum cor, in quo longitudinem, latitudinem, & altitudinem diſtinguit, ſicut ſcriptura has dimenſiones arcæ attribuit. Arcæ (inquit) *longitudo fides eſt, quæ credit omnia, quæ fecit Deus ab initio ſæculi, vel facturus eſt vſquead finem eius, per ſe vel per Angelos,*

Hugo Victor. lib. Allegor. in Geneſ. cap. 18.

Digitized by Google

Angelos, vel per homines. Altitudo ſpes eſt, quæ exigitur ad ſperanda bona; quæ in cœlis ſunt præparata diligentibus Deum. Latitudo charitas eſt, quæ extenditur ad Septentrionalem plagam per dilectionem inimicorum & ad plagam Auſtralem per dilectionem amicorum. Publicani quidem extenſionem latitudinis non habebant ad Septentrionalem plagam, quod proprium eſt electorum.

2.Reg.21. Non habebant totam latitudinem arcæ Gabaonitæ, qui Saülis poſteros apud Dauidem accuſarunt: De his tamen accuſatoribus præmittit ſacer textus: *Porro Gabaonitæ non erant de filiis Iſraël.* Quorſum hæc admonitio, cum omnibus conſtet Gabaonitas eſſe ab Iſraëlitis prorſus alienos? Reſpondet Lyra ex Rabbi Salomone: *Si Gabaonitæ fuiſſent de filiis Iſraël, fuiſſent magis miſericordes, & indulſiſſent factum Saülis contra eos.* Non eſt quidem de populo Dei, qui non remittit iniurias; qui vero inimicos diligit, vere eſt Iſraëlita, ad perpetuam Dei amicitiam electus.

Cum omnes feræ in Syluis, ac montibus ſæuiant; illæ tamen quæ electæ ſunt ad aſylum arcæ Noë, inimicitiis naturæ depoſitis ſummam concordiam obſeruarunt: ita electi quaſi in arca Noë degentes, ab odio prorſus immunes, pacatiſſima concordia viuunt. Reprobi Iudæi, quaſi ſylueſtres feræ, in B. Stephanum ſæuiebant, & dentibus ſtridebant; ille vero fraterno & humili dilectionis affectu dicebat: *Viri fratres, & patres audite*, fratres vocat, quos hoſtes videt, quia ipſe in arca concordiæ erat; illi quaſi in ſyluis efferato animo viuebant. Quod bene deſcribit S. Gregorius Nyſſenus inquiens: *Illi quidem ad cædem ſpectabant, & iam manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium colliſione ſæuitiam præ ſe ferentes. Hic vero tanquam fratres aſpiciebat, & tanquam fratres ſalutabat.*

S.Gregor. Nyſſen. oratione de S.Stephano.

CAPVT IX.

Amans inimicos glorioſam refert victoriam.

PRæclara illa Saluatoris admonitio: ſi diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis; nonne & publicani hoc faciunt. Etſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis. Nonne & Ethnici hoc faciunt: Hæc nos verba docent coronam virtutis Heroicæ minime deberi eis qui amicos duntaxat diligunt, quod naturæ pronum, & in promptu eſt; atque adeo Ethnicis ipſis familiare: Sed illis, qui inimicos diligunt, in quo difficile, & periculoſum bellum intercedit, quod huiuſmodi eſt, vt non ille, qui hoſtes expugnat, & proſtrat; ſed qui eos amore & beneficiis proſequitur, victoriam reportet, & coronam, ac palmam conſequatur. Eſt enim ſpiritale, ac diuinum hoc charitatis bellum, quod non ſicut humanum, & corporeum, ſed contraria ratione adminiſtratur, & geritur. In humano enim ille vincit, qui hoſtem acrius inuadit, & vehementius opprimit; in bello autem charitatis is victor euadit, qui hoſtem, ſiue inimicum vero amore complectitur, & ſinceræ beneuolentiæ officiis, ac beneficiis proſequitur. Et quidem in hoc bello illuſtrior, ac glorioſior, quam in illo, victoria, corona, & palma reportatur.

Id S. Chryſoſtomus eleganter oſtendit, dum vtramque victoriam in ipſo Dauide confert, & eam quæ charitatis eſt, his verbis antefert: *Egreſſus eſt de ſpelunca Dauid magis exultans, quam cum Goliath deieciſſet: ſiquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hoc glorioſius trophæum. Neque enim ſpolia repoſuit Hieroſolymæ, ſed in cœlo. Non in Choris obuiam fœminæ veniebant, excipientes illum in laudibus; ſed Angelicus populus è ſublimi applaudebat, admirans eius humanitatem. Non egreſſus eſt Dauid geſtans Saülis diadema; ſed geſtans coronam iuſtitiæ. Non egreſſus eſt geſtans Regis purpuream veſtem, ſed egreſſus eſt amictus humanitate naturam humanam ſuperante. Egreſſus eſt è ſpelunca tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egreſſi ſunt è camino ardente: nam ſicut illos non exuſſit ignis: ita hic non conflagrauit ira incendio. Et quemadmodum Daniel exiuit de lacu ſuperatis feris Leonibus, &c.* Non potuit Saül, quamuis inueterato odio cæcus, non videre, huiuſce victoriæ gloriam, & pulchritudinem illius manſuetudinis Dauid, atque adeo agnoſcens donatæ ſibi vitæ beneficium, profuſis lachrymis clamat: *Vox tua hæc, fili mi Dauid.* Iam filium vocat, quem prius ſuo nomine nuncupare non dignabatur. Non ita admiror Moyſem ictu virgæ aquam educentem è ſaxo, ſicut Dauid manſuetudinem elicientem lachrymarum riuos è ſilice illo cordis Saül. Quamobrem licet Dauid egregia facinora patraſſet, ex quibus nobilitatis ſuæ inſignia, atque ſtemmata deducere poterat; maluit tamen ex hac illuſtri victoria nominis ſui claritatem poſteritati prodere. Quare cum in perpetuam huius facinoris memoriam, quo in ſpelunca vitam Saüli donauit, compoſuiſſet Pſalmum quinquageſimum ſextum, prænotauit cum hoc titulo: *Ne diſperdas Dauid.* Vbi alij, vt refert Iſidorus, clarius legunt: *Ne diſperdas inſignia mea.* Quæ nimirum ex hoc facinore promeruit. Integrum erat Dauidi in parma ſuorum ſtemmatum Leonem, & vrſum à ſe occiſos & Gigantem proſtratum, & centum à ſe peremptos Philiſteos, quibus filiam Regis ſibi deſponſauit, nec non mirabilem citharam, qua à Saüle Diabolum fugabat, effingere; maluit tamen ex victoria de ira, atque inimici odio parta, nobilitatis ſuæ famam in poſteros propagare. Hanc certè victoriam magis idoneam eſſe ad celebrandum nomen Dauid, vel ipſe Saül intellexit, qui egreſſus è ſpelunca apertiſſimè cognouit, ſibi vitam à Dauide donatam & tantam animi virtutem admiratus, flens exclamauit: *Nunc ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël.* Quaſi dicat, licet audierim, te vrſos, & Leones occidiſſe, & propriis oculis viderim immanem gigantem proſtraſſe, & egregia alia facinora contra populi Dei hoſtes patraſſe; nunquam tamen animum induxi, vt crederem, te te ipſa regnaturum: at cum video te mihi importuniſſimo & crudeliſſimo hoſti pepercîſſe, & à cæde opportuna temperaſſe: *Nunc ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus,*

S. Chryſoſt. hom. 1. de Dauid, & Saül.

Pſal. 56.

1.Reg.24.

Digitized by Google

habiturus in manu tua regnum Iſraël: Dignus enim eſt, qui regnum in manu habeat, & poſſideat, qui hoſtem in manu habuit, & dimiſit.

Porro, qui inimicum diligit, & ei iniurias ignoſcit, non vnam, ſed plures, nobileſque victorias reportat, & primum de ipſo inimico. Qui quidem quantumuis proteruus, & durus ab homine charitate armato beneficiis vincitur, & ad mutandum animum expugnatur. Id videre 4.Reg.4. licet in quarto libro Regum: nam cum ſæpe populus Iſraël Syrorum excurſiones, & hoſtiles impetus ſuſtinuiſſet; aliquando precibus Eliſæi Syrorum exercitum tradit Deus Iſraëlitis, quorum Rex iratus hoſtes omnes occideret, niſi à Propheta prohiberetur? imo iuſſus eſt, vt eos S. Ambroſ. lib. 3. offic. cap. 14. liberaliter paſceret. Eleganter S. Ambroſ. dixit: *Epularibus refecti copiis nunquam poſtea in terram Iſraël pyrata Syria reuertendum putarunt. Vnde Eliſæus glorioſius ignouit, quam perculit, & vtilius reſeruauit hoſtes, quam ceperat.* Pyratæ iſti non militaribus copiis fracti, ſed epularibus copiis refecti, victi ſunt, nec vnquam deinceps Iſraëliticos fines inſectarunt, vbi im- Rom. 12. pletum vides, quod Paulus monet: *Vince in bono malum: ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, id eſt, vinces vere inimicum, qui magis beneficio, quam odio vincitur. Quod apte apologo docuit Plutarch. in moral. Plutarchus. Contenderunt ventus Aquilo & Sol, de ſpoliando veſtibus paſtore. Vter videlicet citius illum veſtibus ſpoliaret. Inſurrexit primus in hominem Aquilo, & violentiſſimo flatu eum inuadens, veſtem diſturbauit, non tamen eripuit, quam Paſtor manibus, & dentibus tenuit. Diſcedente Aquilone, acceſſit Sol, & acrioribus paulatim radiis paſtorem tentans, æſtu tandem magno inflammauit, mox paſtor veſtes depoſuit. Ita ſane vſu venit, vt non frigidum odium ſed calidus amor inimicum vincat, & ab eo ſpolia detrahat.

Neque ſolum de inimico, ſed de ipſo etiam Deo quodammodo victoriam reportat, qui inimicum amat. Ob hanc victoriam ad coronam Cant. 4. vocatur ſponſa, cum dicitur: *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum. Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi vocatur ad coronam, quod ſuperbos, & acerrimos inimicos concordia charitatis vicerit, & ſponſum ipſum ſuum eiuſdem charitatis telo vulnerauerit, ac expugnauerit. Sic explicant hunc locum non pauci interpretes, maxime Hugo Card. qui ſic habet: *Amana interpretatur turbulentus, vel inquietus: Sanir fœtor, vel auis nocturna: per Hermon qui interpretatur anathema, id eſt, diuiſum, ſignificantur diſcordes, qui vnitatem rumpunt. Veni ergo coronaberis de hoc, quod diſcordiam ſuperaſti. Per cubilia Leonum occulta ſæuitia, & malignitatis. Per montes Pardorum vana gloria excellentia intelligitur, quæ ſe variat multis modis.* Ad coronam ergo accipiendam accitur ſponſa à montibus Amana, Sanir, & Hermon, à cubilibus Leonum, à montibus Pardorum, id eſt, à ſuperbis, diſcordibus, malignis, & ſæuis hominibus, quos Dei ſponſa anima ſancta charitatis beneficiis, & orationibus vincit. Subiungitur vero victoria quam eadem anima de Deo ipſo reportat: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui* Quod idem Hugo ſic exponit: *Oculi Eccleſiæ ſunt Prælati generaliter, crines vero propriè minores, qui quando ſunt vnanimes, cor Chriſti vulnerant charitate. In vnitate enim oculorum, & crinium vulneratur ſponſus.* Eccleſia ergo ſponſa Dei tunc ipſum vulnerat, cum per generalem charitatis amorem omnes complectitur, ipſius Eccleſiæ oculi vnus oculus, & eiuſdem crines vnus crinis ſunt.

Præterea amor inimicorum maxime de ipſo inimici amatore victoriam reportat, cuius animum expugnat, & eius iram captiuam ducit. Ideo Chryſoſtomus optime de Dauid dixit: *Egreſſus eſt de ſpelunca magis exultans, quam* Sup. *cum Goliath deieciſſet; ſiquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hoc glorioſius trophæum. Rediit non barbari illius caput geſtans; ſed animi commotionem mortificatam.* Hæc certe glorioſior victoria. Quod Sapiens ita pronuntiat: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Ille vero patiens eſt, qui inimici tolerat iniurias, is vere animo ſuo dominatur, qui commotam in inimicum iram cohibet, & ſubiicit. Huiuſmodi hominem S. Ambroſ. ad ea verba Pſalmi: *Anima mea in* S. Ambroſ. in Pſal. 118. *manibus meis ſemper.* non ſolum cum expugnatore vrbium componit, ſed Regibus anteponit, inquiens: *Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec ab ira turbari animam ſuam rector ſui congrua vi permiſerit, is bene regia quadam poteſtate ſe cohibens, Rex dicitur, quod regere ſe nouerit.* Hic bene Rex dicitur, vereque eſt: nam violentam, & fortiſſimam iræ prouinciam ſubiugauit. Vnde S. Gregorius explicans præfata Prouerbiorum verba, ait: *Melior eſt vir patiens* S. Gregor. in Paſt. p. 3. admonit. 10. *viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Minor enim eſt victoria vrbium, quia extra ſunt, quæ ſubiugantur. Valde autem maius eſt, quod per patientiam vincitur; quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & is ſemetipſum ſibimetipſi ſubiicit, quando eum patientia intra ſe frænari compellit.* Quam egregia autem ſit hæc victoria magis aperit, vbi in hunc ipſum Prouerbiorum locum incidens, ait: *Maius autem* Hom. 35. in Euang. *eſt, quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ ſternit.* Optime quidem: nam multo maior fortitudo requiritur, vt proprium animum humilitate tolerantiæ ſternas, & captiuum teneas, quam ſi alienam vrbem multorum militum auxilio deiicias. Quis autem ſit hic vir patiens tantopere laudatus à ſapiente ſic adiungit Gregorius: *Sciendum vero, quod plerumque ideo patientes eſſe videmur; quia retribuere mala non poſſumus: Sed qui idcirco mala non retribuit; quia nequaquam valet; proculdubio, vt prædiximus, patiens non eſt, quia patientia non in oſtenſione inquiritur, ſed in corde.* Ille ergo vere patiens eſt, qui illatas ab inimico iniurias ex corde remittit, quo miram de ſe ipſo victoriam reportat: Ante vero hanc de ſe ipſo victoriam bellum præcedit, quod in corde hominis inter amorem, atque odium proximi geritur: nam

Digitized by Google

nam charitatis amor pro pace cum inimico ſeruanda dimicat, odium vero inimicitiam retinendam contendit. Quod certamen egregius dux Paulus contemplans, milites omnes Chriſtianos ſic hortatur: *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*, vbi ex Græco multi vertunt: *Brauium ferat*, videlicet aduerſus odium, quod contentionem intendit. Theophilactus ita legit: *Pax Chriſti palmam ferat in cordibus veſtris.* Et ad rem noſtram ita explicat: *Ipſa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax: ea enim ex vltione naſcitur, ſed Dei.*

Ad Coloſſ. 3.

Porro autem cum is, qui inimicum diligit, de ipſo inimico, de Deo, ac de ſeipſo victoriam, & palmam ferat, quis dubitet eum de Diabolo victoriam pariter reportare? Audi Chryſoſtomum: *Aſcendit de ſpelunca Dauid hoſte vulneribus innumeris ſauciato, vt qui tametſi ſeruaſſet Saülem, tamen illum re vera hoſtem diabolum multis plagis confixit.* Egregie de hoc diſputat S. Gregor. inquiens: *Callidus namque aduerſarius bellum contra duos mouet. Vnum videlicet inflammans, vt contumelias prior inferat; alterum vero prouocans, vt contumelias læſus reddat. Sed quia eius iam victor extitit, quem ad proferendas contumelias commouit; contra illum acrius dolet, quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. Vnde fit, vt tota ſe virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertuliſſe conſiderat.* Quo vero eum ſtratagemate petat, vt facilius vincat, conſiderare oportet. Nam quia hunc commouere in ipſa iniuriarum iaculatione non potuit, ab aperto certamine interim recedens in ſecreta cogitatione deceptionis tempus inquirit; vt qui in publico bello victus receſſit, occultis inſidiis victor euadat. Quietis ergo tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum vel iniuriarum iacula ad memoriam reducit, & ea vehementer exaggerans, fuiſſe intolerabilia oſtendit. Qua arte quieſcentis animum tanto furore conturbat, vt plerumque vir patiens illa ſe æquanimiter toleraſſe, etiam poſt victoriam captiuus erubeſcat, ſeque non reddidiſſe contumelias doleat, & deteriora rependere, ſi occaſio præbeatur, quærat. Hos quidem homines S. Doctor ſic comparat: *Quibus ergo iſti ſunt ſimiles niſi his qui per fortitudinem in campo victores ſunt; ſed per negligentiam poſtmodum intra vrbis clauſtra capiuntur? Quibus iſti ſunt ſimiles, niſi his, quos irruens grauis languor à vita non ſubtraxit, ſed leniter veniens recidiua febris occidit?* Hinc verum patientem deſcribens, ſubinde Gregorius ita adiungit: *Ille ergo veraciter patientiam ſeruat, qui & ad tempus aliena mala ſine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertuliſſe ſe talia exultat.* Qui ita patitur perfecte vincit Diabolum, quia & in publico certamine, & in occulta lucta eum proſtrat.

Sup.

S. Gregor. hom 35. in Euang

Cæterum, hoc glorioſiſſimum victoriæ genus ex noſtro duce, ac Imperatore Ieſu diſcere operæpretium eſt, quem Regius vates ſic obſecrat: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Quænam ſit hæc ira, ac exaltatio Chriſti optime S. Hieronym. ſic exponit: *Pro inimicis enim rogat vt in inimicorum finibus exaltetur; cum inimici eſſe ceſſauerint, tunc tu Domine exaltaberis in eis.* Glorioſa Chriſti ira, atque vltio inimicis benefacere. Exaltatur Chriſtus in regno ſuo, cum iuſtos amat, & beneficiis cumulat: at in finibus regni ſui, ac inimicorum ſuorum tunc exaltatur, cum inimicis ſuis diuina liberalitate benefacit. Qua vero ratione Chriſtus benefaciendo inimicis, exaltetur, & victoriam reportet, ita Propheta ſubiungit: *Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te.* Quod præceptum S. Chryſoſt. ita interpretatur: *Quod tu nobis lege conſtituiſti, hoc etiam factis nobis exprime, nimirum iuſſiſti nos non habere odio inimicos.* Hoc mandatum cum Dominus exemplo expreſſit, mundum ad imitationem traxit, & tam clara victoria ipſius exaltatio eluxit.

Pſal 7.

Capvt X.

Is, qui inimicum diligit, præclarum quaſi edit miraculum.

IGitur qui cognatos & amicos diligunt, nil magnum præſtant; hoc enim & Ethnici faciunt; at qui inimicum diligit, rem magnam operatur, præclarum enim quaſi edit miraculum. Hoc autem ſimile eſt illi, quo Petrus ambulauit ſuper aquas. Qua de re aptè, eleganter diſputat S. Auguſt. inquiens: *Ille calcat fluctus huius ſæculi, qui diligit inimicos. Chriſtus in mari ambulat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio, qui pendens in cruce dicebat, Pater ignoſce illis. Et Petrus voluit ambulare, iuſſus eſt ambulare, & ambulabat gratia iubentis non viribus ſuis. Sed cum videret ventum validum, timuit, & mergi cœperat conturbatus in exercitatione ſua. A quo vento valido? A voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Ergo ille clamauit in fluctibus: Domine pereo, ſalua me: tranquilla perturbatum, manum extende mergenti.* In eundem ſenſum eandem vſurpat allegoriam S. Ambr. cum ait: *Ambulat anima libero, & expedito greſſu ſuper maris gurgites, & inundanti aquarum torrenti non ſuccumbit, ſed molem ipſam vndarum, quaſi aperto, & arido campo graderetur, ſecura pertranſit.* In virtutis quidem exercitatione, ſuſtinere inimicum, inſolentem eius ferociam ferre, & impunitam licentiam tolerare, quaſi mare quoddam eſt immenſum, profundum, procelloſum, amarum, ſed huius maris fluctus calcat, qui inimicum diligit.

S. Ambroſ. lib. 1. de Iacob cap 7.

Huic miraculo affine eſt & illud, vt in hoc tanto mari, qui inimicum diligit, igneus amore perſeueret, nec eius charitatis flamma tantis aquis extinguatur. Idcirco verum inimici amatorem merito ſimilem dixeris Empyro piſci plane miraculoſo. De quo S. Gregorius Nazianzenus ſcripſit

Empyrus eſt piſcis, qui non abſumitur igne
Verum ardens mediis effulget in æquoris vndis

Nazianz. in Carmin. de Virginit.

Huius piſcis meminit Pythagoras, vt annotat Billius, eſtque miraculo plenum, piſcem igneum marinis aquis ſemper immenſum, nunquam extingui; ſed velut in æthere, ardere, atque fulgere: ita ſanè iuſti in turbulento mari perſecutionis, quam ab inimicis patiuntur, Empyri ſunt piſces ardenti charitate fulgentes, de quibus rectè intelliges illud Canticorum, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatē.* Quod ad rem noſtram optime explicat S. Gregor. his verbis: *Charitate*

Cant. 8.

S. Gregor

quippe

quippè Sancti viuaciter ardebant ; quia in Dei, & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hæc charitatem aquæ multa extinguere non poterant ; quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos tranſmutare non valebant. Hoc nimirum eſſet charitatem extinguere, ſi in tribulationibus, quas ingerebant, ad proximi odium eos humiliare potuiſſent. Nota verba illa, *mirabiliter flagrabant.* Eſt enim magnum diuinæ gratiæ miraculum ſanctos in medijs perſecutionum aquis ardenti charitate fulgere, nec per odium perſequentium inimicorum aliquando extingui.

Aliud huius igneæ charitatis miraculum ſubiungit idem Greg. dum exponit ſequentia illa verba: *Nec flumina obruent illam,* ſic enim habet: *Sed quia inter flumina adeò charitatis vigor vixit, vt potius flumina conſumeret, quam ſe ab illis extingui permitteret, ideò multi etiam perſecutorum ad eandem charitatem ſe conuertebant.* Quid enim mirabilius, quam tantam aquam ab igne conſumi, nec vnquam ignem extinguere potuiſſe? Profectò miraculum eſt gratiæ, cunctas inimicorum calumnias, & iniurias non potuiſſe ſanctorum charitatem extinguere, & in odium commutare; ſed potius à ſanctorum charitate perſecutorum odium eſſe conſumptum, & in ſimilem charitatem conuerſum. Vnde monemur; vt accenſas hoc igne prunas ſuper caput inimicorum congeramus, id eſt, charitatis beneficia ipſis perſecutoribus conferamus, vt depoſito ab eis odio, ipſos per charitatē nobis conciliemus.

Ad Rom 12. Id monet Paulus verbis à Sap. deſumptis: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Quod S. Hieron. ſic exponit: *Quando*

S. Hieron. epiſt. ad Hedibiam, q 1. *inimicis noſtris præbemus beneficia, malitiam eorum noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam, iratumque animum ad mollitiem, & beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus carbones ſuper capita eorum, de quibus ſcriptum eſt; ſagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis. Vt quomodò de altari Seraphim carbo ſublatus Prophetæ labia purgauit, ita & inimicorum noſtrorum peccata purgentur.* Eandem ſententiam alibi ita

Et lib 1. cōtra Pelag. perſtrinxit. *Hoc enim faciens carbones ignis congregabis ſuper caput eius vt ſuperatus beneficiis, excoctus feruore charitatis inimicus eſſe deſiſtat.*

S. Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 15. Complectitur hunc ſenſum S. Auguſt. ſic inquiens: *Ne igitur dubitaueris, figurate dictum, vt intelligas carbones ignis eſſe vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, à quo eius miſeria ſubuenitur.* Totum verò locum egregiè explicat idem

Idē ſer. 163. de temp. Auguſt. his verbis: *Caput in homine ſenſus rationalis eſt, qui ſenſus charitatis igne recedente factus fuerit frigidus, neceſſe eſt, vt quod obeſt ſaluti, contrarium ſapiat, vt cui deberet eſſe amicus, inimicus exiſtat. Ad ſanandum ergo talem phreneticum, homines ſanctos, & charitatis igne ſuccenſos hortatur Spiritus ſanctus dicens: carbones ignis congeres ſuper caput eius. Nam eo modo ſenſus rationalis, hoc eſt, caput ipſius, incipit charitatis igne ſuccendi, & qui prius quaſi frigidus & phreneticus contra te conſueuerat iracundiam retinere, ſpirituali carbone & tua bonitate ſuccenſus, incipit toto corde diligere.* Nobile ſanè miraculum, conglaciantem odio inimicum igne charitatis ſuccendere & ad veram amicitiam reuocare.

CAPVT XI.

Amor inimicorum gratiſſimum Deo ſacrificium.

ACcedit ad dicta dilectionem inimici ſacrificium eſſe Deo gratiſſimum. Hoc obtulit Dauid perfectus inimicorum amator, qui à cæde inimici ſui Saülis ſibi in ſpelunca temperauit.

De quo Chryſoſt. ait: *In ſpelunca ſacrificium obtulit Dauid, idque admirabile, haud quidem mactato vitulo, aut occiſo agno; ſed iracundia, quod maius eſt.* S. Chryſoſt. hom. 2. de Dauid & Saüle. In hoc quidem ſacrificio non ſolum iracundia mactatur, ſed amor ipſe inimici Deo offertur. Ad hoc ſacrificium offerendum, cor hominis iuſti manſuetudine conſecratum altare idoneum eſt. Quod ſanè altare adumbratum eſt per Ioſuē: vbi ſtrenuus, ac pius hic dux profligatis hoſtibus populi Dei extruxit altare: Ioſue 8. *Ex lapidibus, quos ferrum non tetigerat, & ſcripſit in eo Deuteronomium.* Ad quem locum Origenes per Origen. hom. 9. hoc altare eorum corda intelligit, qui nulla in inimicos crudelitate tanguntur, & benignitate, ac beneficentia proſequuntur. Origenis ſententiam, aptè reddidit Hug. Victor. his verbis: Hug. Victor. lib 4. alleg. veter. teſt. cap. 5. *Hoc altare ſignificat iuſtos, perfectos, quos ferrum non tangit, quia eos nulla crudelitatis culpa corrumpit. Deuteronomium, quod interpretatur ſecunda lex, ſignificat Euangelium; quod in hoc altari ſcripſit Dominus, quando dixit: audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c.* Perfecti ergo viri altare ſunt, quod perfecta Euangelij doctrina de dilectione inimicorum inſcriptum eſt: lex enim prima, & imperfecta in tabulis lapideis inciſa fuit: at ſecunda perfectiſſima in perfectis viris, qui lapides ſunt, quos ferrum non tetigit, inſcribitur. In quo quidem altari omnes illæ affectiones, quæ charitati repugnant, iugulantur.

Quam verò Deo gratum ſit huiuſmodi ſacrificium facilè poteſt intelligi ex illo Leuit. Leuit. 2. *Cum autem obtulerit ſacrificium coctum in clibano de ſimila, lagana, azyma oleo lita offerat.* Lagana vocant alij placentas, aut tortas. Caietanus interpretatur cruſtulas, ſeu obelias. Hiſpanè *obleas.* Per lagana Rikelius amorem inimicorum intelligit, ſacrificij genus Deo gratiſſimum: Cùm enim inimicum diligimus, lagana Deo, hoc eſt, tortas oleo litas, & cruſtulas, ac obelias, cupediarum genus offerimus. Qui quidem proximum amat; verè eſt panis de ſimila; quia medulla eſt Dominici panis, & abſque fermento malitiæ, & nequitiæ, quia non triſtatur, non iraſcitur non vindictam expoſtulat, quin potius oleo charitatis conſperſus in clibano tribulationis Chriſti panis euadit. Porrò ob eandem rationem, non ſolum delicioſo pani, ſed vino etiam, quod in deliciis eſt, amor inimicorum comparatur. Vnde ſponſa hoc vinum ſponſo ſuo Chriſto pollicetur, cùm ait: *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Cant. 8. Vbi Caſſiodorus, & aliqui ex Patribus in vino condito charitatem intelligunt, eam maximè, quæ circa inimicos verſatur. Vinum dicitur, ob vitalem calorem; conditum verò, quia aromatico virtutum omnium odore conditur. Quod condimentum expoſuit Paulus, cùm dixit: 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, &c.* Quo in loco di-

Digitized by Google

lectionem inimicorum præcipuè ſpectauit Apoſtolus, vt liquet ex expoſitione S. Greg. cùm ait: *Charitas patiens eſt, quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna vero eſt, quia pro malis bona largiter miniſtrat. Non agit perperam, quia quo ſe in ſolum Dei, ac proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. Non irritatur, quia & iniuriis laceſſita ad nullos ſe vltionis ſuæ motus excitat, cum pro magnis laboribus maiora poſt præmia expectat. Non cogitat malum, quia dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo, quod inquinet, neſcit. Non gaudet ſuper iniquitate quia quo ſola dilectione erga omnes inhiat, nec deperditione aduerſantium exultat. Congaudet autem veritati, quia vt ſe cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit.* Ecce vinum egregiè conditum dignum Deo ad potandum. Quòd ſanè idem Greg. ſacrificium Deo gratiſſimum appellat. Nam hunc ipſum Apoſtoli locum tractans, ſic habet: *Charitas patiens eſt, benigna eſt. Patiens namque eſt, vt aliena mala toleret; benigna vero eſt, vt ipſos etiam quos portat, amet. Virtus itaque eſt coram hominibus aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere; quia hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.*

S Gregor. lib. 1o. mor. cap. 8.

Idē hom. 35. in Euang.

Cæterum cum perfectius ſacrificij genus, quod homines Deo offerunt, martyrium ſit, huiuſmodi quoque ſacrificium in amore inimicorum inuenire quodammodo poſſumus. Audiendus eſt Euſeb. Emiſſen. vbi ait: *Notum per iſta ſit, quia partem, & operam martyrus ſuſcipit, qui odium malis debitum generoſi cordis benignitate calcauerit.* Amor quidem inimici martyrium eſt charitatis, iuxta illud S. Auguſt. *Vita perfecti Chriſtiani, ſi ſecundum Euangelium viuat, mors eſt, atque martyrium.* Martyres fidei pro eius defenſione vitam offerunt corporis: at qui inimicum tolerant, pro charitate offerunt vitam animæ, nempè amorem. Tyrannus martyres facit fidei. Inimicus verò charitatis. Tuus Nero, tuus eſt inimicus, tot te cruciat tormentis, quot iniuriis te afficit.

Euſeb. Emiſſen. ſerm. de S. Stephan.

S Auguſt. tract. 1. in Ioan.

Denique reprobi homines, mundique amatores ſtultum iudicant, ſi homo laceſſitus iniuriis inimicis ignoſcat: at iuſti & electi id potius in ſacrificium deligunt, quod illi vt execrabile reiiciunt. Quod præſignauit Moyſes, cùm dixit Pharaoni: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.* Ad quæ verba S. Aug. in Gloſſ. ait: *Oues Ægyptij edere dedignantur; ſed quod abominantur Ægyptij, hoc Iſraelita Deo offerunt; quia ſimplicitatem conſcientiæ, quam iniuſti velut infimam, abiectamque deſpiciunt, iuſti in virtutis ſacrificium, vertunt: & excolentes recti puritatem, ac manſuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant.*

Exod. 8.

Capvt XII.

Amor inimicorum externis ſignis debet oſtendi.

Inimicorum amor, ſi verè in corde eſt, externis ſignis proditur, ſalutatione, & aliis, quæ ſalutationis nomine includuntur: ſatis enim ſalutat inimicum, qui eum oblata occaſione non ſubdolè, ſed ſimpliciter laudat. Quo nomine ſponſa commendatur, cùm dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias.* Vbi S. Bernard. ait: *Lilium vtique pungentes ſe ſpinas illuſtrare, & venuſtare non ceſſat candore proprio. An non proinde lilium tibi videtur implere, quodammodo Euangelij perfectionem qua iubemur benefacere his, qui oderunt nos?* Lilium quidem, quamuis ab ſpinis pungitur, eas tamen ſua ſocietate dignatur, & ſuo candore ipſas venuſtate dignoſcitur: Ita perfecta anima eos, à quibus conuitiorum aculeis pungitur, & ſuo congreſſu non priuat, & candida laude commendat. Laudare quidem ex animo inimicum, certum eſt veri amoris indicium: quo mirificè conſpicuus fuit Dauid, qui Saülem hoſtem ſuum vita functum eſt lamentatus, & egregiis laudibus proſequutus. Quòd expendens Rabanus dixit: *Rex & Propheta Dauid, qui perſecutoribus mala non reddidit, cum Saül, & Ionatha bello occubuiſſent in lamentatione ſua Gelboe montibus maledicit, &c.*

Cant 2. S. Bernard. ſerm. 48. in Cant.

1. Reg

Si autem inimici laudem petentes multum exigere videmus, ſaltem illud amoris ſignum præbeamus, vt honeſta nominum appellatione inuicem honoremus. Hi enim qui odio quempiam habent, humilioribus eum vocabulis ſolent appellare; quamuis enim à verbis contumelioſis abſtineant, vt ſunt illa, quæ Dominus memorauit. *Racâ, & fatuus.* Si quæ vera ſunt in cognatione humiliora, ea libentius vſurpant. At qui penitus è corde odium eliminauit, cum de inimico loquitur, illuſtrioribus, vt eum honeſtet, nominibus vtitur. Cùm perfidus Abſalon parentem Dauid regno, & vita ſpoliare contenderet, mirabile eſt, quo nomine pius pater impium filium appellet: nam dixit ad Ethai *reuertere, & habita cum Rege.* Vbi Theodor. ait: *Quem cum perſequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, ſed Regem.* Ne videlicet durioribus aliis verbis, quamuis verè omninò enuntiarentur, animum odio infectum indicaret.

2. Reg. 15. Theodor. quæſt. 29.

Illud autem amoris ſignum omninò præſtandum eſt inimico, vt ſcilicet ei nunquam congreſſum noſtrum negemus, ſed conueniendi nos & alloquendi ſemper copiam faciamus, noſque quotieſcumque occaſio ſe offerat, ſermonem cum eo conferamus. Nimia enim taciturnitas retenti in corde odij indicium eſt. Ideò crocodillus elinguis, omnique voce carens, inimicitiæ ſymbolum ſemper extitit, quod ſoleant inimici crudelioris animi odia ſilentio tegere. Quamobrem Chriſtus Dominus cum ad omnes paſſionis ſuæ iniurias tacuiſſet, non tacuit quando alapa à miniſtro Pontificis percuſſus eſt, ſed reſpondit: *Si male locutus ſum; teſtimonium perhibe de malo; ſin bene, quid me cædis?* Cur ergo hoc ſolum loco reſpondet, & cum aduerſario expoſtulat? Quia profectò (ſic iudicant Doctores aliqui) tam acerbum fuit illud iniuriæ genus, vt niſi loquendo pacatum animum non aperuiſſet, inteſtinum aliquod odium taciturnitate videretur alicui celaſſe. Nam qui in huiuſmodi caſibus multo ſilentio vtitur, pro tantæ rei vltione verba videtur contemnere, maioraque ad vindictam meditari, vt docet Ariſt. quo ſpectat quod

Ioan. 18.

Ariſt. 2 Rhetor.

Tacit. 1. annal. quod Tacitus, ait: *In Haterium ſtatim invectus eſt; Staurium, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tranſmiſit.* Quod taciturnitatis genus Dauid timuiſſe videtur in Deo, cùm ſic alloquitur: Pſal. 27. *Deus meus, ne ſileas à me, ne quando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, id eſt, ne taciturnitate, & ſilentio inexorabilem aduerſum me iram geras. In hoc enim ſenſu Lyra locum ad litteram accipit, exiſtimat enim prophetam compoſuiſſe hunc Pſalmum, quando fugiens de Hieruſalem timore Abſalon aſcendebat iugum oliuarum nudis pedibus, quo tempore Sadoch, 2. Reg 15. & Abiathar conſuluerunt Dominum. Sed tunc non habuit Dauid reſponſum. Ex quo iudicauit Deum ſibi non eſſe placatum, & indignum ſe reputans, qui ſecum arcam haberet, iuſſit eam reportari in ciuitatem. Tunc ex ſummitate montis conuerſus ad locum ſanctum tabernaculi, vbi iam repoſita erat arca; intento animo verba Pſalmi huius ad Deum in oratione dixerit, dicens: *Deus meus, ne ſileas à me, nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.* Quaſi diceret, ait Lyr. *Ne ſileas à me, denegando mihi reſponſum per ſpiritum tuum, ſicut negaſti mihi petenti per Abiathar ſacerdotem ſi autem ſic taceas, nec das mihi reſponſum, iam me mortuum, & cum deſcendentibus in lacum computabo.* Taciturnitas ergo magnam iram indicare videtur, quamobrem qui ſe amare inimicum dicit, id ita eſſe ſermone conteſtetur. Eodem modo explicat hunc locum Hug. Card. inquiens: *Ne ſileas ad modum irati, vel negantis. Silentium enim ſignum eſt iræ, Ezech. 14. nunquid interrogatus reſpondebo? Iſai. 57. ego tacens, & quaſi non videns.* Cùm Deus magnam iram vult indicare, tacet: non taceat ergo homo cum inimico, ſi odij ſuſpicionem velit propulſare. Hoc ergo amicitiæ ſignum neceſſario præſtandum eſt inimico. Vnde Paulus dixit: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Quod debitum ſemper ſoluendum Clem. Rom. ſic explicat: *Dei eſt præceptio, nemini quidquam debere niſi amicitiæ ſignum.* Cætera enim debita ita ſoluuntur proximo, vt non amplius debeantur: at ſigna amoris, vt ſalutatio, & alloquium ſemper ex charitate debentur, ſicut ex prædio conducto, vel cenſu empto penſiones. Qui enim à Deo charitatem accepit, ſigna veri amoris, quotieſcumque exigat occaſio, pendere debet. Non exiguntur hæ penſiones ab Ethnicis, qui fratres tantum ſalutant, & alia amoris ſigna eiſdem ſolum demonſtrant; exiguntur tamen à Chriſtianis, qui locupletiſſimum charitatis prædium, ſiue cenſum cum debito pendendi acceperunt. Vnde opportunè Chryſoſt. ad eum Pauli locum ait: *Tale quippè debitum eſt charitas, vt reddatur, & ſemper debeatur*, vt videlicet vſu uenit in cenſu.

Rom. 13.

Clem. Rom. lib. 4. Conſt. Apoſt. c. 13.

Cæterum, qui proximum ſalutare, vel alloqui renuit, aut dedignatur, non ſolum inimici, ſed ſuperbi etiam hominis animum gerit. Sunt enim, qui in honore ſibi præſumendo nimis arrogantes; in eodem deferendo difficiles ſe, & moroſos exhibeant, quorum ſtultitiam rectè arguit Chryſoſt. *Arrogans, inquit, atque ſuperbus maiorem ſe cæteris arbitratur, & neminem ſe eſſe dignum affirmat, cumque laudem ab hominibus quærat, ſpernit eos, atque contemnit. Quæ res adeò expers rationis eſt, vt ænigmati ſimillima ſit; quos enim deſpicit, ab his hominibus gloriam quaſi debitam flagitabat.* Meritò quidem ipſe putat ænigma quod nemo ſolueret, vt à quibus magni fieri quiſquam vult, & honorem gloriamque aucupatur, hos deſpectui habeat, ac nihilo æſtimet; nam quæ eius mens ſit diuinari vix poſſit. Quippè cum ab hominibus ſuo ipſius iudicio deſpectis, & indignis honore, honorem quærit; effectum vtique cauſæ repugnantem intendit, ac ſi vellet ex igne frigus, vel ex aqua ignem generari. Honorem quidem aucupari ab his, quos deſpectos, indignoſque iudicas honore, perinde eſt, ac ſi à pauperrimis hominibus magnam vim auri & argenti, ab ſtultiſſimis ſapientiam, à moleſtis, & aſperis rebus voluptatem velis haurire; neque enim hæc, magis quam illud, inter ſe diſſident, ac repugnant. Illud ſane cohæret, & naturæ conſentaneum eſt, vel honorem deſpicere ab his delatum, quos deſpectui habes, vel eos magnifacere, & honorabiliores reddere, quo maior ſit delatus tibi ab ipſis honos. Quare idē Chryſoſt. dixit: *Prouerbium eſt, qui honorat, ſe ipſum honorat.* Ideò Patrem Chriſtus precabatur: *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*, id eſt, honorem mihi apud homines confer, clarum me, & honorabilem fac, vt te honorare & clarificare poſſim. Vniuersè autem, honor aliis habitus in ipſum refunditur exhibentem, illumque magis, quàm alios ornat. At ſuperbi ſtultè dignitatis ſuæ partem in aliis contemnendis conſtituunt, cùm rectè Plutarch. dicat: *Stulti ſanè qui intelligere nequeunt honorare, quam honorari, quid præſtet cum ſæpennumero glorioſius, & honorificentius ſit.*

S. Chryſoſt. hom. 66. in Matth.

Idem Chryſoſtom. hom. 14 in acta Apoſt.

Ioan. 17.

Plutarch. in Polyticis ad Traian.

Capvt XIII.

Iniuriarum remiſſio documento etiam gentilium commendatur.

QVis miretur ſi velit Dominus, vt virtutis perfectione Chriſtiani Ethnicis antecellāt? Cum hi amicos diligant, & amoris eis indicia præbeant, æquum eſt, vt Chriſtiani diuinæ fidei luce radiati, & cœleſtibus, ac æternis beneficiis obſtricti, multo maiora præſtent, id eſt, inimicos diligant, ipſiſque veræ charitatis ſigna exhibeāt. Quid ſi etiam in hoc ipſis Ethnicis poſthabemur, & Chriſtiani nominis probro ab eiſdem docemur. Adi Plutarchum, qui refert Principem Thraſybulum ciuitatem Athenienſium oppreſſione triginta tyrannorum liberaſſe; ſed lege ſimul ſanxiſſe, ne quis ob præteritas iniurias poſſet aliquem ad iudicium deferre; quæ *lex obliuionis* vocata eſt, ob quam ab Athenienſibus corona donatus eſt. Chriſtus Dominus æternitatū Princeps, cum mundum innumeris tyrannis exactis, in libertatem vindicaſſet, legem obliuionis in hoc Euangelio, velut in ære incidit, & obedientes æternæ gloriæ corona donat. Si ergo nos hæc Chriſti lex non moueat; Ethnicorum lex nos pudore afficiat. Huic legi auſcultaſſe videtur Iulius Cæſar, de quo, vt S. Auguſt. refert, Tullius dicere ſolebat, nihil obliuiſci ſolere, niſi iniurias, Idcóque Pompei ſibi inimici ſtatuas demoliri prohibuerit.

Plutarch. eodem loc.

S. Auguſt. epiſt. 5.

Non minus admiratione dignum eſt, quod Sabellicus, & Fulgoſ. referunt, fuiſſe videlicet in

Digitized by Google

Græcia celebre quoddam altare, quod gratiarum eſt appellatum; quia ibi Diis offerebant quidquid gratis remittebant inimicis. Cum igitur aliquando Lacedæmonij Athenienſes prælio viciſſent, dubitarentque, an expediret, Athenienſes funditus delere, Deorum oraculum conſulentes, reſponſum eſt: *Communem gratiarum aram ne amoueatis*. Additque Sabellicus: *Flexit Spartanos religio, vt hoſtibus infeſtiſſimis parcerent.* Hoc altare quaſi vmbra erat Euangelici præcepti; hoc enim loco Chriſtus gratiarum aram verè erexit, in qua gratiſſimum Deo ſacrificium offerimus, cum inimicis ex animo ignoſcimus. Ad quod præſtandum, ſi Domini mandato non mouemur, ſaltem Spartanos Ethnicos imitemur. In hac gratiarum ara litauit Ariſtides, quem cum Athenienſes iniuſtè in exilium relegarent, egrediens è ciuitate Deos enixè precatus eſt, ne quid mali Athenienſibus, ob ſuam iniuriam inferrent, vt teſtatur Laërtius. In eadem ara vitam ſuam obtulit Phocio primarius Athenienſium ciuis, quem cum ipſi morte damnaſſent, iam bibiturus venenum, filio præcepit, ne mortis ſuæ authores vlciſceretur.

Laërt. lib. 6.

Accedit Ethnicus Philoſophus Plato in Dialogo, qui inſcribitur Crito, ſic docens: *Nullo modo iniuriandum eſt, ſed neque, ſi paſſus fueris iniuriam, vlciſcendum, vt vulgus putat. Perpaucis autem (ſcio) ſic vel apparet, vel apparebit.* Quam doctrinam obuiis manibus ſuſcepit Pericles, quem ſatis laudat S. Baſil. nam cum in multorum conuentu omnium conuitiorum maledictis, cum inimicus inceſſeret, non ſolum modeſtè, & patienter tulit, verum finito ſermone, quod nox eſſet, facem ſumens, nobiliſſimus Græcorum inimicum famulorum more comitatur. Hæc fax non paruam doctrinæ lucem Chriſtianorum oculis præfert; indignum autem eſt, vt filij tenebrarum filios lucis illuminent. Laudat etiam Baſilius Euclidem Megarenſem, cui cùm quidam iratus diceret: obteſtor Iouem te à me interficiendum; Ipſe reſpondet: eundem ego teſtor, patienter me mortem laturum.

Plato. in Crit.

S. Baſil. hom. 24. de vtilitate capienda ex libris Gentilium.

Illuſtrius videtur eſſe, quod Origenes refert de Zenone Philoſopho, qui grauiter à quodam iniuria affectus, dixit: *Diſpeream, niſi te amicum conciliauerim.* Non abſimile eſt, quod Plutarch. memoriæ prodidit de Alexandro, de quo cum nobilis quidam Athenienſis obliquè loqueretur, amici frequenter monebant Alexandrum, vt obtrectatorem illum vita mulctaret. Quod ille non ſolum renuit, ſed multis aduerſarium beneficiis munerauit, quibus ille omninò mutatus, totus erat in laudibus Alexandri, qui vbi hoc cognouit, ait: *Hac mea potentia eſt, vt in mea voluntate ſitum ſit amicos facere ex inimicis.* Refert etiam Origenes de Licurgo, cui quidam ſibi inimicus oculum eruit, quem Licurgus poſtea ſibi ſubiectum non ſolum non eſt vltus, ſed ab ipſo eſt beneficiis affectus. His omnibus ſatis exploratum erat, quod Seneca docuit: *Hominem ſapientem iniuria non magis tangunt, aut ei nocent, quam tonitrua & fulgura cælos contingant.*

Origen. lib. 8. contra Celſum.

Senec. lib. 1. de clem.

Multò illuſtriores Ethnicis Patres veteris legis hac in re extiterunt, de quibus ſermonem habens S. Auguſt. ſingulariter de benignitate, qua Ioſeph fratres accepit, & iniurias remiſit, ait: *Cum illos pro peccato videret afflictos, deoſculatus eſt ſingulos, & ſuper ſingulos fleuit, & illorum colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum charitatis lachrymis abluebat. Hoc idem etiam, & nos in illis, qui in nos peccauerunt, debemus implere.* Coniunge Ioſepho Dauidē qui in ſpelunca à cęde Saulis inimici ſibi temperās, in ara gratiārum ſacrificium obtulit. Quapropter S. Chryſoſt. dixit: *in ſpelunca ſacrificium obtulit Dauid, idque admirabile, haud quidē mactato vitulo, aut occiſo agno, ſed iracūdia, quod maius eſt.*

S. Auguſt. ſerm. 82. de temp.

S. Chryſoſt. hom. 2. de Dauid & Saulo.

DE

Digitized by Google

DE LVMINE MYSTICO,

SIVE DE LVCE DOCTRINÆ, ET SPLENDORE VIRTVTIS neceſſario Præſulibus, & Doctoribus.

LIBER VNICVS.

PROOEMIVM.

NIHIL prius luce, quia nihil pulchrius, ſine qua vel maximè
pulchra ſordent, ac vileſcunt. Aptiſſima proinde diuinitatis
ſimilitudo. Deus enim lux prædicatur, inde, qui propiùs
Deum tenentur imitari Prælati, & Doctores ex tantæ di-
gnitatis participio luminarium quoque decorantur elogio.
Multiplex hunc honorem dedit analogia inter illos & lumi-
naria, in quibus (hanc affert Galfridus, cuius verba ſub-
mitto.) Et apis ceram, terra ſtuppam, flamma flammam ſine
ſui diminutione miniſtrat. Cera, eſt docibilitas, tractabili-
tas, manſuetudo, vnde Poëta de adoleſcente ait: Cereus in vitium flecti. Apes ſunt
artificioſæ, laborioſæ, ſubtiles: Prælati ſolliciti, vtiles, & fideles. Apibus autem hoc
nomen natura indidit, quod naſcantur (vt aiunt) ſine pedibus: ſiue quod pedibus
ſibi cohæreant, & ſeinuicem complectantur. Pedes affectiones ſunt, in quibus puluis
adhæret gradientibus ſuper terram. Nec ſine pedibus naſcitur quiſquis ad prælatio-
nis officium proprio fertur affectu, & ſuo potius appetitu, quam fraternæ charitatis
intuitu, vel ſuperioris arbitrio poteſtatis. Quanti pedati antequam nati in cathedram
hodie pedibus ſuis inſiliunt? Quanti irruunt potiùs quàm trahantur? Nec mirum ſi
induſtria & fructus apum non ſequitur, vbi pedes ortum præceſſerint. Et ſine pedi-
bus naſcendi defuerit natalis origo. Sed nec pedibus ſe ſe inuicem complectuntur,
qui ſibi mutuis affectionibus non cohærent, homines amantes ſinguli ſemetipſos.
Apis vera habet volatum, habet aculeum, habet mel, habet ceram. In ſublimi con-
templatione cœleſtium ſecretorum, in dura reprehenſione inobedientium, & inquie-
torum, in dulcedine ſpiritualium conſolationum, & probabilium morum ædificatio-
ne. Et ſibi quidam mellificant, ſed non ſolis, dum fruuntur dulcedine, quam ex flo-
ribus ſuxerint ſcripturarum, & eiſdem ſuos reficiunt auditores. Cellulas quoque ter-
reas intra, artificioſitate componunt, in quibus eiuſdem liquoris gratia componatur.
Sine aculeo apis inutilis, quod ſapientium verba vt ſtimuli in altum defixi, victum ſi-
bi volando conquirit, & reuehit ad aluearium ſuum onuſta regrediens. In tabulis ce-
reis, vel cereatis ad arbitrium ſuum ſtylus hominis notat. & delet, ſcribit, & corrigit,
mutat, & auget, & minuit, quod ad præpoſiti ſpectat officium, ſicut traditur de præ-
poſitione Grammatici. Nolite ergo obdurare corda veſtra chariſſimi, nemo contu-
max, nemo rebellis appareat, improbus, inobediens, obſtinatus. In lapideis tabulis ſo-
lius Dei digitus ſcribit, qui potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare. Atque vti-
nam cor lapideum ſemper tollat à nobis, & donet cor carneum, cereum, ſuadibile,
diſciplinæ capax monitis acquieſcens, hac de cauſa ſtuppa vilis materies, nec cuiquam

Digitized by Google

operi pretioſo, ſed iniuriis deputatur, vt puta ſordibus detergendis, curandis vulneribus, oppilandis foraminibus, & ſuum ei participium reddens vulgariter dixerim obſtupandis. Et in his omnibus humilitas commendatur. Cera ſine ſtuppa liquet forſitan, ſed non lucet: Stuppa ſine cera vritur,& conſumitur in momento. Vtilis eſt candela chariſſimi, ſi humilitas cordis intrinſecus luceat, foris gratia manſuetudinis præferatur. Et Magiſter bonus ſuis vtramque diſcipulis ſuo commendat exemplo: Diſcite, inquiens, à me, quia mitis ſum, &c. ſed candela quoque ſine lucis candore quid prodeſt? niſi arſerit, non lucebit. Semel accenſa ſi fuerit, extincta fœtebit. Placet humilitas Deo noſtro. Placet manſuetudo, & ſpiritus eius ſuper humilem & quietum requieſcit. Ignem, inquit, veni mittere in terram, &c. Flamma eſt charitas. Feruor gratiæ ſpiritalis. Chariſſimi, Deus noſter ignis conſumens eſt. Accedite ad eum. Accendite candelas veſtras, vt luceant opera veſtra bona etiam coram hominibus, & multitudo fidelium ædificetur ex eis.

Apte quidem: Verum diuina æterni verbi autoritas non luminaria, ſed lucem diſcipulos ſuos vocat futuros Eccleſiæ, & regni ſui principes, nec lucem, vtcumque dixit, ſed cœleſtem, nec hanc ſimpliciter, ſed lucem mundi, nimirum ſolem, qui non ſolum lucet, ſed fouet, & aſſidua beneficus operatione vniuerſitati præſidet rerum corporearum, quas vegetat, regit, ſeruat; à quo cætera aſtra lucem vſurpant, vt idonea ſimilitudine munus Chriſtiani Præſidis,& Doctoris commendaret, talem ſcilicet, futurum, vt ab ipſo cæteri illuminentur, nec hoc præſtare poſſe otioſum, ſed ſollicitum & operantem. Quapropter ne ſolum doceat, ſed faciat, ne ſolum illuceat ſermone, ſed exemplo incendat, opera potiſſimum exigit. Verba eius hæc ſunt, *Vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita; nec accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera bona veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Mox addit: *Qui autem fecerit, & docuerit hic magnus, vocabitur in regno cœlorum.* Hanc igitur cœleſtis magiſtri ſententiam ſecuti, exponemus quo pacto adiungenda ſint exempla doctrinæ, vt lux ſit mundi, quicumque præeſt aliis.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo lux fieri debet iuſtus cognitione diuinarum rerum.

CHRISTVS Dominus iuſtos, & potiſſimum Præſules, & Doctores ſuæ Eccleſiæ vult, vt acceptam diuinitus in mentibus lucem minimè abſcondant, & tam præclaram lucernam nequaquam ſub modio occultent, ſed eius lucem in opera deriuent; vt eam videntes homines glorificent Patrem, qui in cœlis eſt. Hoc enim loco, vt certum Chriſtus ponit, iuſtorum mentes diuinæ cognitionis luce fulgere, quæ in opera ad Dei gloriam ſit deriuanda. Id autem quod Dominus, vt certum ponit, operæpretium erit explicare, iuſtorum nimirum mentes diuinarum rerum ſuperna cognitione clareſcere, & infuſa diuinæ illuſtrationis luce radiari cum enim interni peccatorum oculi denſis ignorantiæ tenebris caligent; iuſtorum tamen mentes diuina luce perfuſæ nil non vident, quod ad ſalutem ſit neceſſarium.

S. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. c. 11

Id optimè docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus, inquiens: *Lex enim data eſt, vt per eam lux, quæ in nobis eſt, accendatur, lippitudine oculorum mentis deterſa, & depulſis tenebris, quæ priſca ignorantia nos occuparunt.* Ratio in homine lucerna eſt, ſed per diuinorum ignorantiam, extincta; accenditur autem per legem, quæ ob

Deut. 33.

hanc cauſam ignea dicitur, iuxta illud Deuter. *Et in dextera ignea lex.* Cùm ratio per diuinæ legis illuſtrationem accenſa eſt, facilè ipſa accendit omnia hominis opera; vt iuxta diuinam legem fulgeant, in Dei gloriam.

Contra verò peccatores denſis ignorantiæ tenebris laborant; hanc enim ob cauſam in ſacrificio pro peccato nullus in lege veteri vſus olei, ac thuris permittebatur, vt Theodoretus,

S. Theodor. q. 1. in Leuit.

ſic obſeruat: *Sacrificium, quod offerri ſolebat pro peccato, ſine thure, & oleo offerebatur: carent enim alimento lucis, qui ſedent in tenebris peccati: & qui lugere debent, expertes ſunt lætitiæ: neque præditi ſunt odore bono, qui nequitiæ fœtorem minimè reliquerunt.* Peccatores quidem non ſolum lucem non habent, ſed neque oleum, vti virgines fatuæ. At cum peccator per baptiſmum, ſiue per pœnitentiam peccata deponit, quaſi excuſſis tenebris diuinæ lucis fit particeps. Quod Eccleſia myſticis cæremoniis ſignificauit, cum olim decreuit, vt baptizandus nudis pedibus ad ſacrum lauacrum accederet,

S Dionyſ. c. 2. Eccleſiaſt. Hierar.

vt Sanctus Dionyſius interpretatur, ea cæremonia ſignificatur: *Hominem exutum vitioſis affectibus fore puriſſimum per proſpectum diuini luminis.*

Porrò, iuſtos ſolis iuſtitiæ lumine illuſtrari; peccatores verò ignorantiæ tenebris obſcurari, vel Ethnicorum ſapientes ſunt ſubodorati, cum Coruum & Cignum Apollini, id eſt, Soli ſacros eſſe voluerunt. Significarunt enim Solis præſentia omnia lucis candore albeſcere, & eiuſdem abſentia cuncta noctis tenebris nigreſcere, vt

Erizz. lib. de antiq. num.

exponit Sebaſtianus Erizzus. Ad hunc modum iuſtos appellare licebit cignos luci ſolis iuſtitiæ conſe

conſecratos; peccatores verò coruos tenebris æterni addictos. Id Dominus Iob docuit, his verbis: *Indica mihi, ſi noſti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius.* Vbi S. Greg. ad rem noſtram, ſic habet: *In via ſanctæ conuerſationis lux virtutum habitat; tenebrarum vero, id eſt, vitiorum locus eſt homo peccator.*

Iob 38.

Quam verò magna ſit hæc diuina lux, quæ iuſtorum mentes illuſtrat, in candelabro aureo, quod in tabernaculo ſeptem lucernis fulgebat adumbratum eſt: nam vt Guillielm. Durand. docet: *Septem illæ lucernæ ſeptem dona Spiritus Sancti ſignificant, quæ in nocte huius ſæculi tenebras noſtræ cæcitatis illuſtrant.* Hunc ſenſum amplectitur Raphaël Aquilinus per candelabrum aureum ſeptem lucernas habens, virum iuſtum intelligens, ſeptemplici dono Spiritus Sancti ſplendentem; ac ſubinde ſcitè ſatis adiungit: *Emunctores candelabri ſunt amor, & timor,* quibus amouemus à corde & ſenſibus noſtris occaſiones tenebrarum peccati. Receptacula verò, in quibus immittebantur emunctiones lucernarum, ſunt Sacramentum pœnitentiæ, vbi bonorum operum noſtrorum imperfectiones deponuntur.

Durand. lib. 1. ration cap. 1.

Aquilin. tract. 2.

Verum quam magnam hæc lux iuſtorum vim habeat contra omnes peccati, atque Diaboli tenebras ſapienter admodum aperuit Sanctus Diadochus Epiſcopus Photicenſis, ita inquiens: *Oportet igitur in omnibus pace animæ Spiritum Sanctum recreare, vt lucernam cognitionis ſemper apud nos lucentem habeamus: ipſa enim in penetrali mentis ſemper ſplendente, non ſolum illi amarulenti, & tenebricoſi Dæmonum applauſus patefiunt, ſed etiam magnopere languefcunt ab illo ſancto & glorioſo lumine deprehenſi. Idcirco Apoſtolus ait: Spiritum nolite extinguere. Id eſt, ne per maleficia; & prauas cogitationes Spiritum Sanctum triſtitia afficiatis, ne ſuo illo ſplendore vos deſinat protegere.* Nil omninò dici poteſt abſolutiùs, ac perfectiùs. Quomodo autem hæc lux hominem inducat, vt non ſibi, ſed ſoli Deo velit lucere, per bona nimirum opera; quibus viſis, homines glorificent Patrem, qui in cœlis eſt, Eodem ſapientiæ tenore docet idem Sanctus Diadochus, his verbis: *Spiritalis ſermo ſemper animam à cupiditate inanis gloriæ cuſtodit.* Aduerte animum ad rationem, quam ita ſubiungit: *Dum enim ſenſu luminis omnes partes eius iuuat, facit, vt non opus ei ſit honore hominum.* Cœleſtis enim ſapientia, quæ in hominis iuſti cognitione lucet, ſic iuuat omnes animæ partes, vt ipſa honorem hominum tanquam ſuperuacaneum facilè reſpuat. Et quidem omnes animæ partes, ſiue potentiæ adiumento diuinæ lucis egent ad ſuam perfectionem; huius enim lucis auxilio intellectus videt, memoria viget, voluntas gaudet. Vnde Regius Vates, cum dixiſſet: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* Illico annectit: *Dediſti lætitiam in corde meo.* Ex lumine enim vultus Dei, quod in mente lucet, voluntas de cœleſtibus gaudet. Quia ergo potentiæ omnes animæ per diuinam lucem ſatis ſuperque refectæ ſunt, ſit, vt nullo modo mundanum eſuriant honorem. At mundi ſapientia, quæ lux etiam eſſe videtur, appetitum mundani honoris non pellit, ſed potius acuit, quia potentias animæ minimè reficit. Vnde S. Diadochus ſubdit: *Sermo vero ſapientiæ huius mundi ſemper ad inanem gloriam hominem inuitat: Etenim quia non poteſt eum experimento ſenſus iuuare, amorem laudis alumnis ſuis largitur, tanquam ab ambitioſis hominibus fictus, & formatus.* Vnde quamuis tres pueri ſatis inſtituti erant in omni Chaldæorum ſcientia; quia tamen parum poteſt hominem iuuare, & alumnis ſuis amorem laudis largitur, vt ait Diadochus, ideò Deus illis diuinæ ſcientiæ cognitionem dedit, vt ibi dicitur, his verbis: *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro & ſapientia.* Vbi Theodoretus, ait: *Non enim Chaldæorum inſtitutio intelligentes eos fecit, verum diuina gratia, intelligentia, & ſapientia.*

Diadoch. lib. de perf. ſpirit. c. 18.

Eodem lib. cap. 12.

Pſal. 4.

Daniel. 1.

Theodor. orat. 1.

Cæterum hanc diuinam lucem aliquando Deus per ſe ſolum mentibus ſuorum infundit, aliquando verò etiam per alios, eo ordine, vt à ſuperioribus ad inferiores deriuetur, iuxta illud Pſalmi: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Vbi S. Auguſt. ait: *Tu illuminas, ſed per montes, qui priùs lumen excipiunt, per Prophetas ſcilicet, & Apoſtolos.* Hic quidem lucis deriuatæ ordo, vt eruditis viris placet ſignificatus eſt in catena illa aurea, quam finxit Homerus à cœlo pendentem, & in terras vſque demiſſam, qua apprehenſa homines ſe ſe poſſent in cœlos attollere: Significat enim ſeriem lucis, quæ prima eſt in Deo, à quo deriuatur in primarios Angelos, qui inferiores illuminant, & hi rurſus infimos, & hi primarios homines, nempè veritatis Doctores, & hi deinceps homines veritatis expertes.

Pſalm. 75.

Capvt II.

Iniuſtus poteſt cenſeri, qui lucernam fidei ſub modio intellectus ſine opere detinet.

Qvamuis Dominus hoc loco de Doctoribus, Paſtoribuſque ſermonem habeat; ad alios etiam extendit verba ſua: In quibus tunc lucerna accenditur, cum eis à Chriſto fidei lumen donatur: tunc verò lucerna fidei ſuper candelabrum ponitur, cùm in Eccleſia per bona opera omnibus manifeſtatur. At hæc lucerna tunc ſub modio latet, cum intra intellectum, vel ſub corporis commoditate otioſa delitefcit: Etenim per hanc lucernam Chriſtianam fidem plures Patres intelligunt. S. Ambroſius, ait: *Nemo fidem ſuam intra menſuram legis includat, ſed ad Eccleſiam conferat, & in qua ſeptiformis ſpiritus relucet gratia.* Concinit Beda qui ad hunc locum, ſic habet: *Candelabrum Eccleſiam dicit, cui lucernam ſuperpoſuit, quia noſtris in frontibus fidem ſuæ incarnationis affixit.* Eundem ſenſum alij quoque Doctores complectuntur, qui per modium, ſub quo fides obſcuratur, otioſum ac torpentem intellectum, & corporis pigram commoditatem accipiunt. Vnus pro omnibus ſufficiat Auguſtinus, qui ita concludit: *Sub modio ergo lucernam ponit, quiſquis lucem doctrinæ commodis temporalibus obſcurat, & tegit.* Cur autem temporale commodum modius,

S. Ambroſ. lib. 5. in Luc.

S. Auguſt. l. 1. de ſerm. Dom in monte. c. 14.

ſiue menſura dicatur, ſcitè explicat, his verbis: *Et bene modius dicitur res corporalis, quia temporalia bona, quæ corpore peraguntur, circa dierum menſuram, quam ſignificat modius, inchoantur, & tranſeunt; æterna verò, & ſpiritualia nullo tali fine coërcentur.* Qui ergo fidei doctrinam, & veritatem, vel ſub torpenti intellectu, vel ſub corporis commodis detinet, nec per bona opera in oculis hominum lucere facit, is lucernam ſub modio ponit.

Rom. 1.

Quomodo autem huiuſmodi homo iniuſtus cenſendus ſit docet Paulus ad Romanos, vbi de gentium philoſophis pronuntiauit; *Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Hoc eſt, veram de Deo cognitionem, quam per philoſophiæ ſtudium conſequuti fuerant, in iniuſtitia, id eſt, contra ius, & iuſtitiam abditam detinuerunt, & quaſi ſub modio lucernam occultarunt. Ita nobiles aliqui autores hunc locum explicant. In iuſtitia autem hæc facilè monſtratur, quia fides eſt pecunia ſiue talentum illud, quod Dominus ſeruo ad negotiandum dedit. Nam S. Gregor. per hoc talentum ingenium fide illuſtratum intelligit. Idem autem eſt, lucernam ſub modio ponere, & talentum in terra abſcondere. Vnde Sanctus Doctor, ait: *Talentum quippè in terra abſcondere, eſt acceptum ingenium in terrenis actibus implicare.* Sicut ergo iniuſtus eſt, qui alienam pecuniam ad lucrum ſuſceptam ſine lucro reddit: Ita iniuſtus cenſendus eſt, qui acceptam ad bona opera fidem, ſine bonis operibus ſeruat.

Matth. 25. S. Gregor. hom 9. in Euang.

Præterea, ſicut iniuſtus eſt maritus, qui vxori cohabitare non vult, nec ex ea filios procreare: Ita liberum arbitrium, quod Deus fidei quaſi matrimonio quodam coniunxit, iniuſtus iudicabitur, niſi bonorum operum filios ex ea ſuſcipiat. Quo ſpectauit Sanctus Auguſtinus, cùm dixit: *Nunquid fides tua ſterilis erit? Si ſterilis non es, ſterilis non eſt ipſa.* Fides fœcunda eſt, filios bonorum operum concipere, & edere deſiderat; in culpa iniuſtitiæ liberum arbitrium eſt, quod tanquam ſterile ad fidem non vult accedere. Sed eius doctrinam contemnit.

S. Auguſt. in præf. ad Pſal. 31.

Deinde, vt iniuſtus eſt operarius, qui conductus ad vineam colendam operari recuſat, & otioſus ſedet: Ita qui per fidem vocatur ad cultum, & opera virtutis, iniuſtus videtur, niſi in bonis operibus laboret. Ad quod confirmandum Sanctus Bernardus aſſumit illud parabolæ Euangelicæ, in qua paterfamilias otioſitatis arguit illos, quos adhuc ad ſe per fidei vocationem non aſciuerat. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Ait ergo Bernardus, *cum arguantur otioſitatis ipſi quoque, quos nemo conduxit, qui iam conducti ſunt, ſi otioſi inuenti fuerint, quid merentur.*

S. Bernard. ſer. 2. de Purificat.

Ad hæc vt artifex iniuriam facere videtur operi, quod dimidiatum relinquit: ita Chriſtianus iniurioſus eſt fidei, quam non complet operibus. Quod myſticè præſignatum eſt in mari illo æneo, quod erat plenum aqua; rotundum in circuitu, atque vt teſtatur Ioſephus, habebat hemiſphærij ſchema, ſeu dimidiæ Sphæræ figuram, ita vt ſi alterum vas illi æquale imponeretur, integra, ac perfecta ſphæra remaneret. Id quidem appoſitè exponit Eucherius, vt mare illud dimidiæ ſphæræ ſignificaret fidem, quæ in Baptiſmo recipitur, quæ non ſufficit ad complendam perfectionem vitæ ſpiritualis, niſi accedat in adultis obſeruatio mandatorum, operumque executio, tanquam media ſphæra imponenda alteri mediæ ſphæræ fidei. Quo videtur reſpexiſſe Paulus, cum mandatorum obſeruationem fidei plenitudinem vocat. *Accedamus*, inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei.* Vbi S. Thomas, ſic exponit: *Accedentem ad Deum oportet credere; nec ſufficit qualiſcumque fides, ſed requiritur fides plena, quod fit duobus modis; ſcilicet, & quantum ad materiam fidei, vt credantur omnia, quæ proponuntur ad credendum, & quod ſit fides formata, per charitatem ſcilicet operantem.*

3. Reg. 7. 2. Paralip. 4. Ioſeph lib 8 antiq c. 3.

Eucher. lib 3. in lib. Reg 21.

Hebr 10. S Thom. lect. 2.

Capvt III.

Super candelabrum dignitatis ſola lucerna meritis accenſa poni debet.

QVam aptè ſuper candelabrum ponitur lucerna ardens, & lucens; tam abſurdè collocabitur, quæ vel ardore, vel luce caret. Lucis & ardoris merita gradus ſunt, per quos ad candelabrum, id eſt; Eccleſiæ dignitates aſcenditur. Qui digniſſimus eſt, is cæteris præferatur; qui indignus eſt, repulſam ferat. Nemo lucernam extinctam candelabro, vt luceat, imponit, ſi mentis eſt compos; lateat hæc ſub modio. Igitur qui lucet meritis, ſit ſuper candelabrum dignitatis. Obſeruari debent, quæ de prophana Quæſtoris dignitate Rex Athalaricus ad Felicem ſcribit, inquiens apud Caſſiod. *Aptamus munera nomini, & meritis tuis.* Ita enim concedi debent dignitates, vt iuſtè aptentur meritis, nec eis maiores, ſed æquales ſint. Rationem ſubdit: *Sicut conſcientia læta eſt, quæ prouehitur meritis, ita ſub reatu iacet; qui ſe imparem cognoſcit muneribus conſecutis.* Cur autem conſcientia lætetur, quæ prouehitur meritis, ſubinde indicat: *Sumpſiſti nomen ex meritis; cuſtodi, vt ſemper lateris veritate vocabuli.* Inde naſcitur in Præſule lætitia, quod videat nomen dignitatis, verè ſibi congruere, nec falſò de ſe enuntiari. Subiungit apertius: *Nam cum omnis appellatio, ad declarandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt, portare nomen alienum, & aliud dici, quam poſſit in moribus inueniri.* Dignitas, quæcumque ſit, in moribus eam gerentis debet inueniri; alioquin alienum portat nomen, alienum occupat locum, alienam præfert dignitatem, imò adulterinam, cùm ſit vitrum, quod ſe oſtentat margaritum. Quamobrem, qui in dignitate, ſiue ſæculari, ſiue Eccleſiaſtica eſt conſtitutus actionibus dignitate dignis eam ſuam eſſe debet comprobare, iuxta illud eiuſdem Caſſiod. in formula Conſularitatis: *Nomen tuum actionibus proba. Conſule feſſis, & tunc verè diceris Conſularis.* Paſtor quoque nomen ſuum actionibus probet, paſcat oues vberrimis in paſcuis Chriſti, & tunc verè Paſtor appellabitur; vocabulum paſtoris nulla ſorde maculans, ſeruanſque dignitatem nominis exercitatione virtutis. Igitur vt cum eodem Caſſiod. concludam: *Vituperabile eſt inferiorem erigere, niſi meritis alios videatur excellere.* Planè vituperabile eſt, vt Eccleſiæ gubernaculum tradatur ei, qui remum tenere debebat, ſicut quærebatur S. Aug. Quamobrem Epiſ-

Caſſiodor. lib. 8. var. 21.

Idē Caſſiod lib 11. ep ad Ioan. Can.

S. Auguſt

copos,

Digitized by Google

copos, & vniuerſè omnes ſacerdotes merita debent eligere, non cupiditas, honoriſque appetitio. Aptiſſimè S.Ambroſ. ait: *Ideò Sacerdotem Aaron Deus ipſe elegit, vt non humana cupiditas in eligendo ſacerdote præponderaret, ſed gratia Dei.* Confirmauit Deus electionem Aaron virga ipſius germinante, & florente, aliorum candidatorum virgis, ſiccis remanentibus. In quo admonitus eſt Pontifex, vt quod diſcrimen apparebat, in virga; etiam conſpiceretur in vita, ſed in ſententia Ambroſij expendi debet verbum illud *præponderaret:* nam in libra iuſtitiæ turpe eſt præponderare cupiditatem, cum merita maius pondus debeant habere, vt ad ſtudium virtutis prouocentur corda multorum, iuxta illud Caſſiod. *Differri non patimur merita fidelium, vt ad ſtudia bonorum actuum prouocemus vota cunctorum. Demus igitur quæ iuſta ſunt laboribus vt prouectu priorum, inuitemus corda ſequentium.* Debet ergo qui ad Eccleſiaſticam maximè dignitatem vocatur, cæteris longo interuallo meritis præcellere. Quapropter S.Hieron. prudenter, dixit: *Res pene contra naturam eſt, vt ſine peccato aliquis ſit; ſed talis eligatur, cuius comparatione cæteri grex dicantur.* Adeò quidem requiritur in Paſtore hæc comparatione gregis excellentia, vt S.Leo, dixerit: *Totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabitur, ſi quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite.* Quæ verba ad Sacros Canones tranſlata habentur. Inter alia autem in capite inueniri debet, vt ætate etiam graui, atque matura præcedat: hac enim de cauſa Petrus Prælatus eſt Ioanni, vt docuit S.Hieron. his verbis: *Quæritur, cur non Ioannes virgo electus eſt, vt eſſet caput Eccleſiæ? Reſpondeo, ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens pene puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.* Audiant ergo electores S. Leonem proximè laudatum, ita minantem: *Sicut boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo ſacerdote iudicium: ita graui ſemetipſum afficit damnatione, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum.* Graui ſemetipſos damnatione afficiunt hi, qui non quærunt eos, qui poſſunt plus prodeſſe in Eccleſia, erigere columnas, ſed quos, vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quiſquam rogauerit, & (vt deteriora taceam) qui vt Antiſtites fierent, muneribus impetrarunt. Ex aduerſo S.Hieron. proponit Moyſem amicum Dei, cui facie ad faciem Dominus loquebatur, qui potuit vtique ſucceſſores Principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem; ſed extraneus de alia tribu eligitur Ioſuë. *Vt ſciremus,* inquit Hieron. *Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.*

S August. epiſt. 148. ad Valerium. S. Ambroſ. lib. 10. ep. 82. Caſſiod. lib. 11. Ep de Primiſcrenio. Hieronym. Ep. ad Oceã. S. Leo. ſerm. 10. diſt. 61. S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Idem lib. 5. ſuper Iſai.

CAPVT IV.

Lux virtutis & ſanctitatis maximè neceſſaria eſt in Paſtoribus, & Doctoribus.

CVm Christus Dominus in Doctores, Paſtores, ac Principes populi præfata verba dirèxerit eos admonitos voluit; debere ſe virtutis, ac ſanctitatis luce ita fulgere, vt omnes ſubditos ad glorificandum Deum valeant incitare. Quod in Moyſe deſignatum eſſe, ſatis notauit S.Auguſt. his verbis: *Moyſes accepta poteſtate in peccatores, cum honorificentia deſcendit de monte facie glorioſa, ac ſi nunquam magis ſanctitate indigue-rit, quam cum poteſtatem in homines acceperit.* Sanctitate quidem conſpicua eminere vult Dominus illos, qui gubernandis aliis præficiuntur. Vt quemadmodum ſui muneris dignitate: Sic (quod potius eſt) vitæ, ac morum excellentia, Deum, cuius vices gerunt, repræſentent. Ideò Moyſes, vt obſeruat S.Chryſoſt. *In vultu Deitatis teſtimonium portabat ad populum.* Sed multò excellentius, teſtimonium Deitatis portabat ad mundum Chriſtus Dominus, cum conſtitutus à Patre Doctor humani generis, illis verbis: *Ipſum audite,* reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Teſtimonium Deitatis portabat dicente Patre: *Hic eſt filius meus dilectus.* Sed hoc teſtimonium ore præferebat, cum reſplenduit facies eius ſicut Sol. Tale autem teſtimonium ore fulgente præferre decebat, cum Doctor humani generis prædicatur. Vnde S.Hilar. ad hunc locum, ita ſcribit: *Hunc ergo filium audiendum vox de nube ſignificat, dicens: Ipſum audite; vt ſcilicet idoneus ipſe præceptorum talium autor demonſtretur, qui regni cæleſtis gloriam facti confirmaſſet exemplo.* Qui cœleſtem futuram gloriam præſenti exemplo in facie præferebat, idoneus profectò monſtrabatur, qui docendis omnibus hominibus præficeretur. Quiſquis ergo, ſiue Doctor, ſiue Paſtor, hominibus regendis præponitur, perſpicuo ſanctitatis ſplendore fulgere debet vt Sol. Quod vt teſtatum omnibus eſſet, cum fortiſſimus ille Nazaræus in Principem ac iudicem populi electus à Deo eſſet, conſilio diuino appellatus eſt Sanſon, quod interpretatur *Sol eorum.*

Doctor ergo, atque Paſtor non ſolum ſcientia, & verbo, ſed multò magis virtutis exemplo prælucere debet: nam de eo, qui operum bonorum luce caret. Optimè S.Iſidor. dixit: *Qui benè docet, & malè viuit, videtur vt cereus, aliis dum bona exponit, lucem præſtare; ſe verò in malis ſuis conſumere atque extinguere.* Luceat ergo Doctor vt Sol, inextinguibili virtutis lumine: ſic enim libere, & vtiliter ſubditos corripere, & corrigere poterit. Nam vt Paulus docet: *Omnia quæ arguuntur à lumine manifeſtantur.* Hoc certè genus arguendi ſubditos optimum eſt, ſi ſanctitatis propriæ lumine culpas corrigendis manifeſtet Paſtor. Ita Hugo Cardinalis explicat hunc locum, his verbis: *Omnia quæ arguuntur, manifeſtantur à lumine, id eſt, à ſanctis viris qui ſunt lumina. Tales debent arguere, Iob. 20. reuelabunt cœli, id eſt cæleſtes viri iniquitatem eius.* Qui cœleſti lumine fulget terrenas tenebras poterit arguere. Vnde Chriſtus Scribis & Phariſæis, dixit: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Arguere bene non poterant adulteram, qui mentem habebant innocentiæ lumine deſtitutam: lux enim innocentiæ & ſanctitatis regula rectiſſima eſt, ſine qua aliorum errata non rectè iudicantur, & arguuntur. Quod Sanctus Gregorius, ſic docet: *Rectè iudicare aliena merita non valet, cui conſcientia innocentiæ propriæ nullam iuditij regulam præbet.* Lux ergo innocentiæ regulam menti

S. Auguſt. in qu. exod. Matth. 17. S. Iſidor. lib. 3. ſent. cap. 17. Epheſ. 5. Ioan. 8. S. Gregor. lib. 14. mor. cap. 15.

præbet

præbet ad iudicandum, & arguendum. Quamobrem, ſi peccatorum tenebris aliqui obſcurati ſunt, prius quam alios arguere præſumant, ſibimet innocentiæ lucem reſtituant. Vnde paulò inferiùs dixit S.Doctor: *Prius ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpa feriuntur: vt ipſi iam mundi veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant?*

Doctoris ergo facies, ſicuti in Moyſe, & Chriſto Domino vitæ ſplendore fulgeat, vt alios docere, & arguere vtiliter poſſit. Quam faciem in perfecta Doctoris anima laudat ſponſus, inquiens: *Vox tua dulcis, & facies tua decora.* Quod ad rem noſtram exponit S.Bernard. dicens: *Cum puritate mentis prædicatio veritatis oſtenditur. Quid enim interna decor faciei, niſi puritas: hæc abſque prædicationis voce Deo placuit; illa abſque iſta in nemine. Multi puritate neglecta, ante loqui, quam videri conati ſunt, qui turpiter vulnerunt, dum qui alios docent, ſeipſos non docuiſſent.* Faciem ergo ſplendidam, ſicut Moyſes, imò inſtar ſolis lucentem habeat Princeps, & Eccleſiaſticus, & ſæcularis: vterque enim docendi, & gubernandi munere Deum ſolem iuſtitiæ ac ſanctitatis repræſentat. Vnde Plutarch. dixit: *Sicut Deus in cœlo conſtituit pulcherrimum ſui ſimulachrum ſolem: talis eſt in Republica imago, ac lumen Princeps qui Dei reuerens iuſtitiam tueatur, hoc eſt, Dei rationem geſtat, non ſceptrum, vel fulmen, vel tridentem.* Inſigne ergo maximè Regis, & cuiuſuis Principis proprium, non ſceptrum, non fulmen, non tridens eſt; ſed lux rationis, iuſtitiæ, & ſanctitatis. Hoc enim virtutis & iuſtitiæ lumen in Principe fulgens magis timetur à malis, quam ſceptrum, fulmen, & tridens. Quod Caſſiod. prudenter aduertit. *Præſulem*, inquit, *agere non decet, quod alter accuſet. Quid timeat reus cum videat crimen in faſcibus conſtitutum? Sola malis illa tormenta ſunt, ſi publica vita moribus ſuis ſentiant eſſe contraria.* Sola ergo perfecta virtus, atque iuſtitia Principis, inſigne eſt, pluſquam cætera omnia malis metuendum. Pulchrè Plinius de cognomine *Optimi*, quod poſt præclara alia publicè Traiano inditum eſt, ſic loquitur: *Meritò tibi poſt cæteras appellationes hæc eſt addita, vt maior. Minus eſt enim Imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum, quam omnibus Imperatoribus, & Cæſaribus, & Auguſtis eſſe meliorem. Ideoque ille parens hominum, ac Deorum, optimi prius, deinde maximi nomine colitur: quo præclarior laus tua, quàm nominis conſtat optimum eſſe, quam maximum.*

Cant. 2.
S.Bernard. ſerm. 62. in Cantic.
Plutarch. lib. de doctr. Princip.
Caſſiod. lib. 11. var. epiſt. 9
Plin. in Panegyr.

Capvt V.

Doctores & Paſtores pleniori luce à Deo illuſtrantur, vt alios illuminent.

Lvx mundi à Domino appellantur Apoſtoli, & Apoſtolici viri, qui eos Deus lucis theſauros conſtituit, & pleniſſimo rerum diuinarum lumine ditat, vt plurimos alios per eos illuminet. Quapropter Regius Vates, dixit: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Quod S.Auguſt. ad rem noſtram ita interpretatur: *Tu illuminas, ſed per montes, qui prius lumen excipiunt, per Prophetas ſcilicet, & Apoſtolos.* Sed hæc montium illuminatio in vtilitatem camporum, & vallium recidit, vnde ſubiungit Propheta: *Turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Pro quo legunt multi: *Spoliati ſunt fortes corde*, id eſt, Principes tenebrarum ab illuminatis montibus ſpoliati ſunt. Quod cōgruit cum verſione, quam hoc loco refert Lyra: nam pro *à montibus æternis*, vertunt ex Hebræo *de montibus rapinæ*. In his enim illuminatis montibus Dæmones deprædati ſunt, & homines in libertatem aſſerti.

Pſalm 75.

Ex his montibus æternis erat Eliſæus, qui illuminatus à Deo ſuam in miniſtrum lucem deriuauit; hic enim nihil aliud videbat, quam exercitum hoſtilem in circuitu ciuitatis, ille autem in circuitu ſuo montem plenum equorum, & curruum igneorum intuebatur, quod etiam intuitus eſt Prophetæ ſeruus, poſtquam à monte hoc æterno fuit illuminatus. De quo S.Chryſoſt. meritò dixit: *Sedebat in monte altior mundo, propior cœlo, iacentia infra ſe deſpiciens, ſuperna iam deuotius attendens.* Mons etiam æternus erat Patriarcha Iacob, qui à Deo illuminatus, & luce Prophetiæ illuſtratus, in cunctos filios ſuos futurorum lucem refudit. De quo proinde S.Amb. ſcripſit: *Iacob videbat futura, qui æſtimabatur non videre præſentia. Denique errauit, & ipſe Ioſeph, vt ad dextram eius applicuiſſet filium ſuum ſeniorem, & ad ſiniſtram ipſius filium iuniorem.* Sic videntem filium cæcus pater emendauit, vt adiungit Ambroſ. *Licèt impedito corporis aſpectu melius videbat, vt videntem doceret, erraſſe.*

4. Reg. 6.
Chryſoſt. ſer. de Eliſ.
Geneſ 48.
S.Ambroſ. lib. 2. de Iacob & vita beata, c. 9.

Porrò, viros Apoſtolicos plenius à Deo illuſtrari, vt inde illuminentur minores, præſignatum eſt in ipſis Apoſtolis, vbi Dominus celebre conuiuium facturus, *dedit diſcipulis panes. Diſcipuli autem turbis*, cuius rationem aſſignat S.Hilarius ad eum locum inquiens, *quia per Apoſtolos erant diuinæ gratiæ dona inferioribus hominibus reddenda.* Hic autem deſcenſus gratiarum ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris ad inferiores expreſſus eſt à Regio Vate, cùm ait: *Aſcendunt montes & deſcendunt campi.* Per ſublimes montes Paſtores, & Doctores intelligit, per depreſſos campos, inferiores & ſubditos. Ita interpretatur S.Hieron. qui de his montibus, ait: *Exaltati ſunt libera prælatione.* Et S.Auguſt. *Eminent montes in ſalute populorum.* Qua verò ratione Dei dona à vertice montium ad planitiem camporum deſcendat, ita ſubdit: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Vbi Gloſſa interlinealis ex Auguſtino, & Gregorio deprompta, ſic exponit: *Altioribus arcanis rigas montes ab eis, & ad terram vſque gratia deſcendit.* Quod ſub alio ſymbolo docuit idem Pſalmiſta: *Sicut vnguentum*, inquit, *in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Vbi S.Baſilius, Prælatorum in ſubditos illapſum, & influxum egregiè expendit his verbis: *Quemadmodum à capite vſque ad barbam, & ſummitatem indumenti ſacrum vnguentum decurrens, ſacerdotem bona fragrantia replebat: ſic à Principe vſque ad ſubditos concordiæ vtilitas deſcendit.* Hug. Cardin. per hoc vnguentum, non ſolum concordiam, ſed generatim Chriſti gratiam intelligit, quæ ab origine gratiarum vſque ad infimos fideles deſcendit. Nam per caput Aaron Chriſtum, per barbam Apoſtolos, per veſtimentum Eccleſiam,

Matth. 14.
Cant. 14.
Pſal. 103.
Pſal. 132.

per oram veſtimenti minores Eccleſiæ intelligit, ac deinde ſubdit: *A capite deſcendit primo vnguentum in barbam; quia à Chriſto deſcendit primo, & abundantius gratia in Apoſtolos, & de Apoſtolis in Eccleſiam vſque ad minores iuſtos.*

Non autem mirum eſt, ſi à montibus æternis, id eſt, per eminentes ſanctitate Doctores, & Paſtores ſubiectam Deus plebem illuminet, cum per malos & reprobos Prælatos id etiam præſtet. Nam Caïphas prophetauit de Chriſti morte dicens: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota agens pereat.* (Ioan. 11.) Hoc autem prophetandi munus Pontificiæ dignitati Euangeliſta adſcribit, ſubdens: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* De quo S. Auguſt. ait: (S. Auguſt. tract. 49. in Ioan.) *Hic docemur etiam homines malos prophetiæ ſpiritu futura prædicere; quod tamen Euangeliſta diuino attribuit Sacramento, quia Pontifex fuit, id eſt, ſummus ſacerdos.* Vnde S. Chryſoſt. (S. Chryſoſt. hom. 64. in Matth.) opportunè infert: *Vide quanta eſt Pontificalis virtus poteſtatis; Pontifex enim effectus etſi indignus exiſtens, tantum prophetauit neſciens quid diceret; ore enim ſolo vſa eſt gratia, contaminatum autem cor non tetigit.* Verum non ſolum malorum præpoſitorum linguam ad prophetandum mouet Deus, ſed mentem quando que ſapientia, ac prudentia inſtruit, & illuminat, vt gubernandi munere vtiliter fungantur. Id aperte colligitur ex Daniele, vbi dicitur: (Daniel. 6.) *Daniel ſuperabat omnes Principes, & ſatrapas, quia ſpiritus Dei amplior erat in illo.* Quo loco Theodoret. optimè expendit vocem illam *amplior*, his verbis: *Diſcimus ex hoc loco iis quibus ad vitam ciuium inſtituendam magiſtratus mandatur, etiam ſi pietatis expertes fuerint, quoddam tamen ſapientiæ munus, ad ſubiectum ſibi populum gubernandum, diuinitus concedi.* Optimè quidem: nam dum in Daniele ſpiritus Dei amplior eſſe dicitur, quam in cæteris Principibus, etiam in his ſpiritum Dei fuiſſe, præiudicio quodam decernitur. Ex quibus debet intelligi, quanto venerationis ſtudio ſubditi Paſtores ſuos, ac Doctores proſequi debeant, quos nimirum Deus ampliori ſapientiæ lumine illuſtrauit, vt eos doceant, atque regant. Hanc etiam ob cauſam, Prælati cæca ſunt obedientia obtemperandi, in quibus nimirum Deus lumen gubernationis conſtituit, non in ſubditis: nam lumine in oculis conſtituto corporis membra gubernantur.

Caput VI.

Doctores ac Paſtores non paucis, ſed omnibus lucere debent.

Qvandoquidem Doctores & Paſtores, *lux mundi* à Chriſto appellantur, vt omnibus luceant, admonentur. Lux mundi Sol omnibus lucet: Sic Paſtor, concionator, & confeſſarius abſque perſonarum acceptione, omnes illuminet. Sic faciebat Apoſtolus, qui ait: (Rom. 1.) *Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum,* vbi S. Chryſoſt. (S. Chryſoſt. hom. 2.) egregiè philoſophatur, his verbis: *quod in ſole, ac luna in terra, ac mari, cæteriſque Deus fecit, non diuitibus quidem, ac ſapientibus plus partiens, maioremque copiam faciens, minorem autem pauperibus; ſed æqualem omnibus vſumfructum proponens: Id in ipſa Euangelij prædicatione fecit. Idque tanto etiam magis, quanto ea rebus illis magis eſt neceſſaria. Quapropter Paulus aſſiduè ait, omnibus gentibus, &c.* Sancti quidem viri qui ſub modio ſe occultant, qui apparere nolentes, Deo noti, hominibus ignoti vitam traducunt, & neminem docentes, in ſilentio viuunt, ſimiles ſunt prunis ardentibus: at viri Apoſtolici, Doctores, ac Paſtores, non prunis, ſed lampadibus ſimiles eſſe debent. Sic enim S. Gregor. (S. Gregor. hom. 5. in Ezech.) explicat illa verba Ezechielis: *Aſpectus animalium quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum*, dixit: *Sunt plerique ſanctorum ita ſimplices, & occulti ſe ſeque in locis minoribus ſub magno ſilentio contegentes, vt vix eorum vita ab aliis poſſit agnoſci. Quid iſti, niſi carbones accenſi ſunt? Qui etſi per feruorem ſpiritus ardorem habent; tamen exempli flammam non habent, neque in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt; quia vitam ſuam omninò ſciri refugiunt. Hi autem, qui & exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam & verbum errantibus demonſtrant, verè lampades appellantur. Carbones ardent quidem, ſed eius loci, in quo iacuerint tenebras non expellunt. Lampades, quia magnò flammarum lumine reſplendent diffuſas circumquaque tenebras effugant.* Apoſtolici viri qui lux mundi vocantur, non tantum ardere, tanquam prunæ debent; ſed omnia, ſicut lampades, luce doctrinæ perfundere, & tenebras errorum, ac peccatorum circumquaque depellere. Hinc ſummus legis veteris ſacerdos in pectorali ſeu rationali pretioſos lapides geſtabat, qui Hebraïca voce dicebantur, *Vrim*, id eſt, *illuminationes*, vt interpretatur S. Hieronymus, quia tanquam flamma ignis fulgebant, & circumquaque omnia illuminabant; ſignificabant autem debere ſacerdotem, & Doctorem pretioſis, & clariſſimis doctrinis omnium mentes illuſtrare.

Sicut ergo Deus poſtquam magnam hanc mundi domum ædificauit, mox lucem induxit, quæ omnes orbis partes illuſtraret: Ita Chriſtus Dominus, cùm in ſermone in monte habito nouum Eccleſiæ mundum condidit, dum omnia virtutum elementa, atque cœleſtia corpora octo beatitudinibus diſtinxit, illico lucem condens, quæ omnes noui mundi partes illuminaret, ad Apoſtolos, & Apoſtolicos viros conuerſus, ait: *Vos eſtis lux mundi.* Munus ergo Apoſtolicorum virorum eſt, totum mundũ luſtrare, & illuſtrare.

Præterea per creatam lucem Deus omnibus mundi rebus conſuluit; nulla enim in mundo res eſt, cui lux non ſit proficua & quam virtutis ſuæ efficacitate non attingat; eſt enim animalibus, ſtirpibus, metallis, ac cæteris rebus ſalutaris: lux enim calore ſuo cœleſti omnibus in vniuerſum rebus vitam generat, conſeruat, vigorem addit, & vitales ſpiritus viuifico calore quotidie reficit. Adeò vt S. Dionyſ. dixerit: *Lux mouet ad vitam, nutrit, auget, perficit, purgat, renouat.* (S. Dionyſ. lib. de diui nom cap. 4.) Peritiſſimus medicus Valeſ. ait: *Lux tribuit rebus vitam, ignem generationum omnium parentem per omnia circũducendo.* (Valeſ. c. .. Sacræ Philoſoph.) Auicenna etiã ſcribit lumen eſſe cœleſtiũ virtutum, & quidem omniũ veluti vehiculũ: Id quod cõprobat etiã Albert. & Rhod. (Auicenn. libr. Meteor.) Hac lucis vſura beſtiæ reddũtur manſuetiores, cũ experiẽtia teſtetur, eas beſtias, quę ſyluas deſiores,

&

Digitized by Google

Auicenn. lib. de ſomn. & Vigil. Rhodigin. lib. 20. 15.

& tenebroſas incolunt eſſe ferociores. Lucis exortu homo lætatur, animalia exultant, auiculæ cantillant, herbæ quodammodo reuiuiſcunt, & veluti ridere videntur. Per lucem homo in cognitionem Dei clariùs, & efficaciùs vocatur. Vnde S. Auguſt. agens de cognitione veræ vitæ, vbi de luce multum diſſeruiſſet, tandem in hæc verba erumpit: *Hinc mens ſe in alta eleuet, cor ſuum quantum poteſt dilatet, quandam ſuper ſe admirabilem lucem; quæ omnium illarum lucium lux ſit, intendat.* Cum ergo lux in omnium rerum ſalutem ſe extendat, & iuxta vocem Propheticam, non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius, reliquum eſt, vt vir Apoſtolicus, qui lux mundi vocatur, in omnium hominum ſalutem ſine diſcrimine incumbat.

S. Auguſt. lib. de cognit. veræ vitæ.

Capvt VII.

Iuſti maximè Doctores & Paſtores ſunt ornamentum Reipublicæ, & Eccleſiæ, ac totius mundi.

LVx ornamentum orbis eſt, ſine qua triſtis, ac fœdus turpiter iaceret. Idcircò ab Ariſtotele appellatur, *purpura cœli.* Eſt enim lux regale ornamentum, quo totus orbis maximè cœlum decoratur, & S. Ambroſ. dixit: *Lux prima gratia eſt ædificij, quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu; lux eſt, quæ reliquos domus commendat ornatus.* Cùm ergo Doctores & Paſtores lux mundi à Chriſto vocantur, ornamentum Reipublicæ, ac Eccleſiæ, & totius mundi dicuntur. Quod docuit S. Auguſt. explicans, illa verba Hieremiæ, *Adhæſit in terra venter noſter,* ſic ſcribit: *Venter dicuntur, qui carnales ſunt, vt os Eccleſiæ in ſanctis ſit, in ſpiritualibus ſit; venter Eccleſiæ in carnalibus.* Facies Eccleſiæ, id eſt, pulchrum ipſius ornamentum iuſti ſunt, præcipuè Doctores, & Paſtores ſancti. Quo ornamento cùm Iudæorum Eccleſia ſe ſpoliatam agnoſceret lamentabili voce dicebat: *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei.* prout S. Paſchaſ. & alij interpretantur: *Abſtulit Dominus magnificos plebis Iudaicæ in tempore captiuitatis ſuæ, quando Prophetas, & Sacerdotes, quorum ope & doctrina maximè ſuſtentata fuit, propter malitiam eorum, & ſcelerum multitudinem illos habere non permiſit.* At S. Bonauent. Prophetæ verba ad Eccleſiam referens, ait: *Magnifici Eccleſiæ ſunt Prælati; qui tunc auferuntur, quum caduca, & vilia, quæ exigua ſunt, quærunt, magna & æterna derelinquunt.* Sacerdotes ergo, Doctores, & Paſtores vocantur Eccleſiæ magnifici, quia eam ſua auctoritate exornant, & tuentur. Monilia quidem, & elegantes, atque aureæ veſtes, quibus ſponſa Chriſti Eccleſia exornatur, iuſti omnes ſunt, maximè Sancti Doctores, & Paſtores, de quibus Deus Eccleſiam alloquens, ait: *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa.* Quem locum explicans S. Hieron. ſic habet: *Felix qui tanti meriti eſt, tantæque virtutis, vt ornamentum dicatur Eccleſiæ. De hoc dicitur: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Peccatores pannoſa veſtis centonibus plena ſunt, à vetere Adam relicta; at iuſti veſtis aurea varietate contexta & monilibus reſperſa, quibus Sancta Eccleſia quaſi ad nuptias ornatur. Quæ ſua ornamenta alio ſymbolo ipſamet Eccleſia expoſuit, cùm lætabunda ſic ſponſum alloquitur: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Vbi Origenes, alijque Doctores per hæc tigna; ac laquearia domorum ſponſæ, diuerſarum Eccleſiarum Doctores, ac Paſtores intelligunt, qui ipſas Eccleſias, & protegunt, & ornant. Sic etiam S. Gregor. locum intelligens, ait: *Cedrus, quæ ſerpentes reprimit, & fugat, ſublimiores ſignificat ſanctos, cypreſſus ſimpliciores. Per domos plures Eccleſias intelligimus: per tigna cedrina Prædicatores deſignamus. Tigna enim tectum ſuſtentant; laquearia verò domum implent, & ornant. Sic in Sancta Eccleſia Prædicatores boni ſcripturam diuinam in corde & ore portant, quam fidelibus quaſi tectum expandentes prædicant, vt dum Eccleſia prædicatione cœleſti inſtruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur.* Per laquearia cypreſſina Hugo Cardin. etiam Prædicatores intelligit, quatenùs totam domum continent, connectunt & ornant.

S. Ambroſ. lib. 1. Hexam, cap. 9.

S. Auguſt. in Pſal 43.

Thren 1.

Iſai 49.

S. Hieron. lib. 13. in Iſai.

Cant. 1.

Capvt VIII.

Doctor perfectus lucem doctrinæ & ardorem zeli debet habere.

DOctor, ſiue Apoſtolicus vir lux mundi à Chriſto appellatus, lucere, & ardere debet, verò zelo charitatis. Audiat S. Bernard. dicentem: *Lucere tantum, eſt vanum, ardere tantum, eſt parum; lucere & ardere perfectum.* Lucet tantum is, qui docet tantum; ardet ſolum is qui non docet, attamen zelo charitatis flagrat: lucet & ardet, qui doctrina & charitate præſtat: Doctor frigidus ſimilis eſt lunæ, quæ lucet, & non ardet: At vir Apoſtolicus ſolem imitatur, qui lucet & ardet. Imitetur ergo Doctor Eccleſiam, quæ amicta ſole deſcribitur, *Mulier amicta ſole.* Dum autem Doctor ſicut Sol ardet, corda hominum inflammat, & velut ceram liquefacit, & in gemitus, ac lachrymas vrit. Id quod à Doctore flagitat S. Hieronym. inquiens: *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lachrymæ auditorum laudes tuæ ſint.* Ad id præſtandum habere debet Doctor linguam igneam, id eſt, lucentem verbo, & ardentem zelo; Id enim ſignificabant igneæ linguæ, quæ in aduentu Spiritus ſancti ſuper capita Apoſtolorum ſederunt. *Verbis vt eſſent profluí, & charitate feruidi,* ſicut canit Eccleſia. Quod S. Gregor. dilucidè docuit, cùm dicit: *Quia enim diſcipulos, & Zelo ſuccenſos, & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas oſtendit.* Doctrinæ ergo zelus adiungatur, ſine quo ſcientia, & cognitio infirma eſt. Quapropter à Nazianzeno cognitionis, & fidei præſidium appellatur, inquiens: *Animi acrimonia, cum ad pietatem acceſſerit, Zelum parit; zelus autem fidei præſidium eſt.* Optimum præſidium zelus; qui verè fortis eſt. Vnde S. Gregor. Magnus, ait: *Fortis zelus, qui nunc in mente Doctoris agitur, in die extremi iudicij, inter eum & animam, quàm à vitiis zelatur, teſtis eſt; vt etſi audire is qui docetur noluerit;*

S. Bernard. ſer. de natiu.

Apocalyp. 12.

S. Hieron. epiſt. ad Nepot.

S. Gregor. lib. 18. mor. cap. 2.

Nazian. orat. 23.

S. Gregor. hom. 11. in Ezech.

rit; doctor tamen pro zelo, quem exhibet, de auditoris negligentia reus non ſit. Nec mirum ſi fortis ſit ſanctus Doctoris zelus, quippe qui è cella Chriſti vinaria trahitur, vt docet Sanctus Bernardus. *Cum duo*, inquit, *ſint mentis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in feruore; ſpiritus vehementi repletus zelo, non plane aliunde, quam è cella Chriſti vinaria reportatur; is enim poteſt dicere introduxit me Rex in cellam vinariam.* Porro ſicut zelus ſcientiæ, ac doctrinæ robur ingerit: ita ſcientia zelum luce ſuæ ducit, & recto ordine dirigit, ſine quo inutilis, imo perniciofus redditur. De quo rurſus Bernardus ſic habet: *Importabilis abſque ſcientia eſt zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia minus efficax, minuſque vtilis inuenitur; plerumque autem, & perniciofus valde ſentitur. Quo igni zelus feruidior, ac vehementior ſpiritus, profuſiorque charitas, eo vigilantiori ſcientia opus eſt, quæ zelum reprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.* Doctor ergo cum luce ſcientiæ & doctrinæ ardorem zeli coniungat, vt rurſus zelum non ſine ſcientia teneat. Audiendus eſt hac de re Sanctus Gregorius qui ait: *Vita prædicantium, & ſonat & ardet. Ardet deſiderio, ſonat verbo. Æs ergo candens eſt prædicatio accenſa, ſed de candenti ære ſcintillæ prodeunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Rectè ergo prædicatorum verba ſcintillæ appellata ſunt; quia eos, quos in corde tetigerint, incendunt.*

S. Bernard. ſerm 49. in Cantic.

Idem ſupra.

S. Gregor. hom. 3. in Ezech.

CAPVT IX.

Lux ſapientiæ, atque doctrinæ ad bona opera obligat.

QVa ratione lux ſapientiæ, atque doctrinæ in Doctoribus, atque in diſcipulis lucere debeat, præſcribit Chriſtus propoſitis verbis: Nam particula illa *ſic* indicat ſapientiæ lucem, quæ intra mentem eſt, ad externa opera virtutis peruenire debere; imo ad id natura ſua, ac Dei voluntate deſtinari, vt homo bona opera efficiat, quæ ab hominibus videri poſſint. Id Paulus docet, cum ait: *Nam fructus lucis eſt in omni bonitate, iuſtitia, & veritate.* Sicut enim arbor ad fructum ferendum ordinatur: ita lux doctrinæ ad opera bona, iuſta, & vera efficienda, deſtinatur. Atque vt lux corporea ad opera naturalia & humana homini data eſt: ita lux mentis ad opera ſancta & diuina. De luce corporea loquitur ad litteram Regius vates inquiens: *Ortus eſt Sol.* Quid inde? Ad quid lux ſolis in terras mittitur? Subdit: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Quæ verba ad ſpiritualem ſenſum vocans Sanctus Auguſtinus & per ſolem Chriſtum intelligens, ait: *Sic iam licet in ſecuritate pacis bona operari.* Quia nimirum ex quo lucem Chriſti, id eſt, Chriſtianam ſapientiam habemus, in ſecuritate pacis operari poſſumus, & debemus. Et bene ait: *Iam licet.* Quia vt Dominus dixit: *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Vbi aptiſſimè ad rem noſtram Gloſſa ſic habet: *Cum dixit lux ſum mundi, monet bonos, & terret malos: ſicut lux monet operarios ad ſurgendum ad opus; & terret fures. Vnde Pſal. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam, &c.*

Ad Epheſ. 5.

Pſal. 103.

Ioan. 9.

Qui ergo lucem ſapientiæ, atque doctrinæ in mente continet, eam lucem effundere debet ſuper opera ſua, vt qui vident glorificent Patrem, qui in cœlis eſt. In qua lucis, ſeu ſapientiæ effuſione imitari Deum debemus de quo dicitur: *Effudit illam ſuper omnia opera ſua*; id eſt, Deus ſapientiam ſuam effudit ſuper omnia opera quæ fecit, vt ea videntes homines ipſum glorificarent. Nam in omnium rerum ordine & pulchritudine, ſic ſapientia Dei ſuperfuſa elucet, vt homines eam videntes ipſum Deum glorificare debeant: ſimiliter homines, quam à Deo habent in mente ſapientiam, effundant in actus ſuos ſanctè operando, vt his viſis Deus ab hominibus glorificetur. Eadem quippe lux, quæ fulget in mente, lucere pariter debet in opere vt illa ſcientia, qua intellectus inſtruitur, manus etiam exerceatur. Ideo vna manus dicitur Moyſis & Aronis: *Deduxiſti populum tuum in manu Moyſi & Aaron*, quia videlicet ſcientia ſacerdotis, & opus legiſlatoris, non duæ, ſed vnica manus eſſe debet. Id quod attentè ad eum locum obſeruauit Origenes, inquiens: *Et tamen vtraque hæc non ſunt duæ manus, ſed vna: in manu enim Moyſi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus Moyſi, & Aaron. Vnum enim opus vtriuſque manus eſt, & vna perfectionis expletio.* Scientia ergo, atque ſapientia mentis ita debet eſſe operatiua, vt manus dicatur, & hæc ipſa manus in opere debet inueniri. Cui conſonat Seneca qui ad amicum ſcribit: *Sic iſta diſcamus vt quæ fuerunt verba ſint opera.* Quam ſententiam abſolutius docuit Theodoretus dicens: *Nam ſicut qui pictoriam aut ſutoriam artem perdiſcunt, non ſolum vt earum rationem teneant, dant operam; ſed multo magis, vt ſuis manibus exerceant: Sic moralis Philoſophia, hoc eſt, Euangelica doctrina non tantum diſcenda eſt, vt eam ſciamus; ſed vt & verbis, moribus & vita exprimamus.* Simillime philoſophatur Epictetus apud Arrianum: *Ecce faber*, inquit, *qui peritus artis eſt, non obambulat clamitans, audite me diſſerentem de re fabrili; ſed tacitus domum, & tabernam conducit, inſtruit & operibus oſtendit ſe peritum: talia tu fac, ede & bibe, vt decet, rempub. gere, conuitium tolera, fer patrem, vicinum iniquum, & talia nobis oſtende, vt vere te philoſophum cognoſcamus.*

Eccleſ. 1.

Pſal. 77.

Senec. epiſt 108.

Theodoret. ſerm 12. de Græcar. affectio. curat.

Epictet. l. 3. diſſertat. 21.

Verum ſi ſapientia in mente contineatur, nec ad opera efficienda procedat, non vera hæc ſapientia dicenda eſt: Quod aptis collationibus probat Nazianzenus inquiens: *Longe mihi præſtabilior eſt forma pulchritudo quæ conſpici poteſt, quam quæ ſermonis peragitur induſtria nec non diuitiæ, quæ manibus continentur, quam quæ effinguntur ſomnio: ac ſapientia, quæ non ſermonibus ſplendet, ſed operibus collucet.*

Naz. orat. in plagam grandinis.

Iſidor Peluſ. lib. 2. ep. 114. Hoc breuiter exaggerauit S. Iſidorus Peluſiota: *Fabula*, inquit, *videntur verba ſine operibus.* Senec. ep. 94. Congruit cum his Patribus Seneca dicens: *Qui facienda & vitanda percipit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea quæ didicit, animus eius transfiguratus eſt.* Quaſi ad ſapientiam veram minimè ſufficiat forma illa ſcientiæ, quæ animo hæret, niſi ipſe animus in formam quoque bene operandi transformetur. Huiuſmodi transformationem ſequitur alia, quam indicauit Matth. 13. Dominus, cum dixit: *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Quam ſimilitudinem Theophilactus ſic exponit: *Fermentum dicit Apoſtolos. Sicut enim fermentum, cum paruum ſit, totam farinam in ſe transfert, ſic & vos totum mundum transformabitis, licet pauci ſitis.* Totus ergo mundus transformatus, & transfiguratus eſt in exemplum, & vitam Apoſtolorum: virtus enim fermenti, id eſt, exempli Apoſtolici, id præſtitit, quo mundus ſapiens euaſit.

Capvt X.

De eadem materia circa lucem ſapientiæ.

IN eodem adhuc argumento inſiſtimus. Lux igitur Chriſtianæ ſapientiæ, atque doctrinæ, qua inſtructi ſumus, non tantum in mente reniteat, ſed etiam in operibus fulgeat. Hæc enim veritatis ſapientia ad bona efficienda opera hominem obligat. Hæc enim ſapientiæ veritas moneta fidelium eſt. Sicut autem is, qui fœneratus eſt à nummulario mille aureos, quaſdam tenetur ſoluere penſiones: ita qui fidei, ac verbi doctrinam accepit, opera bona pendere debet. Id colligit Chryſoſtomus ex illis Chriſti verbis: S. Chryſoſt. orat. 5. contra Iudæos. *Oportuit dare pecuniam meam ad menſam*; nam ſic habet: *Oſtendit quod poſtea, quam audierit (hæc enim eſt pecunia depoſitio) qui accipit doctrinam, vſuram facere oportet doctori, tanquam Domino repetituro. Vſura autem doctrinæ nihil eſt aliud, quam operum exhibitio. Ergo quoniam nos quoque deponimus pecunias in aures veſtras; neceſſe eſt, vt vos reddatis vſuram Domino.* Idcirco doctrina fidei etiam fundamentum dicitur, quod Paulus prædicatione 1. Cor. 3. ſua ieciſſe ſe dicit: *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Hoc autem fundamentum ideo ponitur à Chriſti miniſtris, vt nos bonorum operum ſtructuram ſuperponamus. Vnde ſubdit Apoſtolus: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.* Id enim de bonis operibus intelligit Chryſoſtomus inquiens: Ibid. *Ædificium autem mihi videntur eſſe actiones.* Chryſoſtomum ſequuntur Theodoretus, Oecumenius & Theophilactus: aurum enim, argentum, & lapides pretioſos virtutum genera intelligunt; ligna autem & fœnum, & ſtipulam ea quæ ſunt virtuti contraria, quibus paratus eſt ignis gehennæ. Quamobrem virtutum operibus ædificare debemus ſupra fundamentum à Paulo poſitum. Hoc enim fundamentum nullis noſtris expenſis iacitur, quia ex ſola Chriſti gratia nobis fidei doctrina conceditur: at ſpiritualem ſtructuram noſtris iam operum bonorum expenſis ſuperædificare debemus. Nam vt de Venetiis dicitur, cum ciuis quiſpiam domum extruere conſtituit, Senatus expenſis publicis fundamentum iacit; ciuis vero proprijs ſumptibus ſuprà illud fundamentum ædificat: ita in Eccleſia, cum fidelis quiſque æternæ ſalutis domum vult erigere; Chriſtianæ veritatis atque doctrinæ fundamentum de Chriſti theſauro iacitur: at opificij ſtructura pretioſis bonorum operum expenſis abſoluitur.

Ob eandem cauſam ſacra doctrina; flos dicitur, vbi Eccleſia ſponſum Chriſtum ſic inuitat: *Mane ſurgamus ad vineas*, id eſt, ad viſitandas Chriſtiani populi Eccleſias, vel ciuitates. Cant. 7. Quid autem in eis videre deſideret, ſic aperit: *Videamus ſi vinea noſtra floruit; ſi flores fructus parturiunt.* Hi flores, prout aliquibus placet interpretibus, ſunt pulchræ, ac bene odoratæ ſacrarum litterarum doctrinæ: ſicut autem flores pignora ſunt fructuum, & natura cum flores producit, quaſi obſides tradit, quibus fructus ſpondet: ita qui fidei cognitione, atque doctrina floret, ad ferendum ſanctorum operum fructum ſe obſtringit; ſine hoc autem fructu flores nullius ſunt vtilitatis. Vnde S. Gregorius ad hunc locum ait: *Non ergo intuendum eſt, ſi vinea floreant; ſed ſi flores ad partum fructuum conualeſcant.* Quamobrem enitendum eſt, vt non tam doctrinis floreas, quam vt fructibus virtutum conualeſcas: Odit enim Deus arbores quantumuis pulchras, ſi fructibus ſint deſtitutæ. Quod ſignificare voluit cum Iudæis ita mandauit: *Non plantabis lucum, & omnem arborem* Deut. 16. *iuxta altare Domini Dei tui.* Quæ verba in noſtram ſententiam luculenter explicat S. Iſidor. inquiens: *Nemus frondentes arbores; & infru-* S. Iſidor. lib. quæſt. in Deut. cap. 3. *ctuoſæ ſunt, ſolùm ad delectationem viſus plantatæ: tales ſunt & gentiles, qui rationem ſuam verborum decore componunt, vt non conuertant à vitiis, ſed delectent, atque iſtiuſmodi ſeductione perſuadeant. Nos autem ſecundum præceptum, iuxta altare Dei nemus non plantamus, ſi circa dominicam fidem nihil in verbis infructuoſum componimus.* Optimè ergo monebat S. Gregorius non attendendam foliorum viriditatem, florum gratiam, arborum pulchritudinem, ſed ſi flores ad partum fructuum conualeſcant, ad hunc enim partum, & efferendum, & fecundandum flores, & folia deſtinantur. Quamobrem Origenes Origen. in cap. 1. Exod. per duas illas populi Hebræi obſtetrices, eleganter intelligit geminam veteris, & noui Teſtamenti doctrinam. Etenim vna illarum obſtetri- Exod. 1. cum vocabatur *Sephora*, altera *Phua*. Phua interpretatur rubens; Sephora vero libere volans, ex quo Origenes ſic infert: *Per Phuam vetus teſtamentum intelligitur, quod ſacrificiorum ſanguine rubet, per Sephoram vero lex noua, quæ liberè, vt paſſer, volat, hæ leges, cum anima in partu bonorum operum laborat, obſtetricantur.*

Præterea fidelis anima nauis eſt pretioſis fidei mercibus onuſta; debet tamen velis [illegible] vento Spiritus ſancti, & per bonorum operum exercitium mare præſentis vitæ ſulcare, vt

æternæ

æternæ patriæ portum intrare poſſit; ad id enim ventus datur, qui egrediendum eſſe è portu, nauigaturis quaſi inſuſurrat. Qua ſimilitudine vtitur Chryſoſtomus, inquiens: *Quod nauigiis ſunt ſpirantes venti, hoc animis ſunt verba, quandiu nauigia ſub anchora detinentur, nec ſpirantibus ventis vela expandunt, nec proficiſcuntur, nec nauigant, nec ex vno in alterum feruntur locum: ita quandiu animi aures non aperiuntur vento doctrinæ, nec ferreæ præſcinduntur, ſeu leuantur anchoræ quibus adhæret animus terrenis rebus, ſub vitiorum pelago detinetur, nec proficit, nec portum petit, aut ingreditur, &c.*

S Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. 2. ad Theſ.

Ad hæc ita debet doctrina mentem ornare per cognitionem veritatis, vt pariter decoret manum per operationem virtutis. Quod Eccleſiaſticus commendat his verbis: *Ornamentum aureum prudenti doctrina, & ſicut brachiale in brachio dextro.* Doctrina enim fidei quatenus mentem inſtruit, ornamentum aureum pectoris & cordis eſt; quatenus vero ad bona opera excitat, aureum brachiale ſiue armilla dicitur. Et quidem diuinorum mandatorum opera, ſiue præcepta Decalogi manum ornantia ſubtiliter meditatur Baſilius in armillis, ſiue brachialibus, quæ famulus Abrahæ dedit Rebeccæ: *Sanctam Rebeccam, inquit, famulus ſenior pſeliis, hoc eſt, armillis aureis donauit, eam enim conueniebat, erudiri prius actiuam animæ functionem ab eo, qui illam expetebat Domino ſuo in vxorem. Ad hoc annuendum armillis aureis condecorabat manus virgunculæ, hoc eſt, pretioſis & honeſtis actionibus. Decem vero aureorum erat earum pondus, quod decem ſummariis præceptis legis obſeruatio omnis concluditur.* Quod imitati debent concionatores, qui tanquam Dei famuli animas Chriſto eius filio ſponſas quærant, vt Decalogi brachialibus earum manus exornent.

Eccleſ. 21.

S Baſil. in c. 3. Eſai.

CAPVT XI.

Doctores & Paſtores non ſolum verbo, ſed etiam operum exemplo lucere debent.

DVplicem poſtulat lucem Dominus à Doctore Euangelico, lucem verbi, lucem quoque operum. Fulgent enim bona opera, & quidem pluſquam verba. *Sint, ait, lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Ardentes lucernas in manibus gerit, qui bonis operibus fulget. Eſt autem operum fulgor Doctori, Paſtorique maxime neceſſarius, ne ſi hic deſit ſplendor obſcura opera fulgentibus verbis tenebras offundant. Quamobrem S. Hieronymus ſic monet: *Non confundant opera tua ſermonem tuum. Ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: cur hæc, quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiuniis diſputat. Accuſare auaritiam & latro poteſt: ſacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent.* Quemadmodum in muſica, & inter ſe voces, & cum vocibus manus pulſantium inſtrumenta, neceſſe eſt congruere: ita in concione vocem cum mente, atque manu concionatoris oportet concordare. Qui muſicæ concentus adumbratus eſt in veſte ſacerdotali, quæ ſignificabat iuſtitiam ex operibus bonis contextam, ex qua veſte aurea tintinnabula connexa pendebant, in quibus verba ſancta exprimebantur, ex præclara enim iuſtitiæ veſte neceſſe eſt diuinam ſonare doctrinam. Sic hunc typum nobis explicat Magnus Gregor. his verbis: *Veſtimenta ſacerdotis quid aliud, quam recta opera debemus accipere, Propheta atteſtante, qui ait: Sacerdotes tui induant iuſtitiam? Veſtimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam, cum linguæ ſonitu, ipſa quoque bona opera clament ſacerdotis.* Cum ergo lingua & manus, verba, & opera; doctrina & vita in Doctore conſonant, concentus quidam ſuauiſſimus efficitur, quo homines ad Chriſtum facile trahuntur. Ex quo debet intelligi, eum, qui nulla vitæ commendatione conſpicuus, ſolo verbo prædicat, ſimilem ei eſſe, qui egregium carmen muſicum canit, ſed ſine inſtrumento; ille vero iuſtus, qui nulla doctrina inſtructus, ſola vitæ ſanctitate viam vitæ docet, aſſimilis ei eſt, qui voce canere neſciens, muſicum inſtrumentum magna dexteritate pulſat: at omne tulit punctum, qui voce & inſtrumento, id eſt, doctrina & vita canit, & harmonica ſuauitate omnes ad virtutem allicit. Sic canebat Regius vates, cum dicebat: *Aperiam in Pſalterio propoſitionem meam.* Vbi Gloſſa interlinealis breuiter expoſuit, dicens: *Factis oſtendam quod dico.* Explicatius Hugo Card. ait: *Hic reprehenduntur illi, qui quod ore prædicant, exemplo non probant; hi enim non aperiunt propoſitionem in Pſalterio, opera enim glorioſa ſunt doctrinæ.* Id de Moyſe ſcitè prædicauit Philo, inquiens: *Qualis erat vita, talis & oratio, vt nihil diſcreparet, haud aliter, quam in inſtrumento muſico.* Qui ergo voce ad Pſalterium canit, id eſt, verbo, & opere docet, duplicata muſica audientium aures demulcet. Hanc duplicem operis, & vocis doctrinam poſtulat à Doctore Chryſoſtom. *Sit, inquit, rectoris Eccleſiæ doctrina duplex, vt verbis facta conueniant, actus doctrina reſpondeant. In nullo ſit minor, qui cunctis eſt potior.*

Luc. 12.

S. Hieron. epiſt. 2. ad Nepotianum.

Exod. 28.

S Gregor. 2. p Paſt. cap. 4.

Pſal. 131.

Pſal. 48.

Philo lib. 1. de vita Moyſis.

Chryſoſt. ſerm. de eo qui incidit in latrones.

Quamuis autem duplex hæc doctrina neceſſaria ſit in Doctore; præcipua tamen eſt, quæ in operibus lucet; hæc enim authoritatem & robur voci præſtat. Audiendus hac de re S. Gregor. dicens: *Lex eſt prædicatoribus poſita vt impleant, quod loquendo ſuadere feſtinant: nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.* Huc illud ſpectat Theodorici Regis, ſiue Caſſiodori in edicto per prouincias: *Non poteſt, auctorem habere ſermo, qui non iuuatur exemplo.* Nullam ſine authore authoritatem ſermo habet; authorem autem non habet, ſi exemplo caret. Vnde alio in loco ait: *Age, ne tua tibi obiiciatur oratio; quia pondus eſt pudoris grauiſſimi propria voce conuinci.* Quid autem mirum, ſi vitæ exemplum vocem Doctoris fulciat, cum Eccleſiam ipſam ſuo robore firmet, & muniat. Vnde illud Canticorum: Columnas eius fecit argenteas de Doctoribus explicat ſanctus Gregorius inquiens: *Chriſtus columnas ferculi argenteas fecit, quia Eccleſiæ prædicatores dedit? Qui vt eam exemplis ſuſtentarent, magna iuſtitiæ rectitudine roborauit; & vt prædicationibus* erudi-

S. Gregor. in fine expoſitionis c. 28. Iob

Caſſiod. lib. 5. variar. epiſt. 21. ad Capuanum.

Cant. 3.

Ibi.

erudirent, nitore eloquij, quaſi ſplendore argenti decorauit.

Porro hoc interiectum eſt diſcrimen inter verbum, & exemplum, vt verbum, tanquam ignis, auditoris mentem liqueſaciat: at exemplum, vt typus, eam virtutis forma figuret, & perficiat. Hinc Paulus ait: *Obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Græce typon, id eſt, ſicut habetis typum noſtrum. Quo loco ſanctus Chryſoſtomus docet Apoſtolorum vitam typum fuiſſe noſtrum; Doctorumque vitam ſimiliter typum eſſe oportere. *Exemplar*, inquit, *erant Apoſtoli, imaginem quandam primarij exemplaris ſeruantes. Cogitate quam exacta vita illis fuerit, vt archetypum, & exemplum, vitaſque leges alijs exhiberent. Quod enim litteræ referebant, illud reipſa omnibus conſpicuum faciebant.* Subinde ab omnibus Doctoribus idipſum præſtandum vniuerſe docet. Verbum ergo iuxta illud Pſalmi, *ignitum eloquium tuum vehementer.* Cor auditoris tanquam metallum emollit: at exemplum typus eſt, in quo formam virtutis recipit.

Ad Philip. 3.

Pſal. 118.

CAPVT XII.

Idem argumentum iteratur.

DOctrinam & virtutem, facere & docere, duo præcipua naturæ rationalis lumina neceſſaria eſſe Doctori etiam adumbrata in rationali, & ſuperhumerali antiqui Pontificis docet Origenes inquiens: *Rationale ſuper ſupra pectus Pontificis annexum formam habet ſenſus rationabilis; humeralis vero ornatus indicium eſt actuum bonorum. Actus ergo cum ratione, & ratio cum actibus ſociatur, vt ſit conſonantia in vtroque; qui enim fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Idem monſtrat Hieronymus ex veſtibus eiuſdem Pontificis, vbi explicans, cur in veſte ſacerdotali, & tintinabula & mala punica appenſa fuerint, ita habet: *Tanta debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis, vt & greſſus eius, & motus vniuerſa vocalia ſint, vt quidquid agit, quidquid loquitur doctrina ſit populorum: abſque tintinnabulis enim, & diuerſis coloribus, floribuſque virtutum, nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.* Hanc doctrinam Chryſologus firmat exemplo Baptiſtæ; De quo ait: *Ioannes doctor dicto factoque magiſter verus, quod verbo aſſerit, demonſtrat exemplo, magiſterium ſtat, de ſcientia, ſed magiſterij authoritas conſtat ex vita: docenda faciens, obedientem perficit auditorem; docere factis ſola eſt norma doctrinæ, doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis virtus. Scientia ergo illa vera eſt, quæ fuerit mixta virtuti, illa diuina eſt, non humana.* Accedit Cyrillus Alexandr. qui in hanc ſententiam exponit illud Iſaiæ: *poſuit os meum, quaſi gladium acutum & poſuit me ſicut ſagittam electam.* Vbi Sanctus Doctor ſic habet: *Per gladium, qui eſt in ore, verba doctrinæ; per ſagittam electam exempla vitæ intelligere videtur, quæ duo in perfecto magiſtro coniuncta debent reperiri.*

Origen. hom. 13. in Exod.

Chryſolog. ſerm. 167.

Iſai. 49.

Cum autem Chriſtus Dominus dixit eum magnum in regno cœlorum vocandum, qui fecerit & docuerit. Primo loco poſuit fecerit, ſecundo *docuerit*, vt inde conſtet primas dandas eſſe virtuti, ſecundas doctrinæ; in Doctore enim præſtantius, magiſque neceſſarium eſt virtutis opere, quam doctrinæ ornamento lucere. Quod ex dictis intelligi debet: nam cum doctrina ſit gladius; exemplum vero ſagitta; hæc non ſolum cominus, ſed etiam eminus percutit, & magis penetrat; quia nimirum exemplum pluſquam doctrina, mouet; & magis ad intima penetrat. Rationem aliam tradit Lactantius: *Homines* inquit, *malunt exempla, quam verba, quia loqui facile eſt, præſtare difficile.* Vnde Origenes ait: *Sit ergo in nobis ſermo de actibus pendens, ſicut rationale ex ſuperhumerali, vt ſermonem actus exornent, iſte eſt ornatus eorum, qui in tantum profecerunt, vt præeſſe populis mereantur.* Pendet ergo doctrina ex opere; quia ſi hoc labat, & illa concidit, ideo etiam à Domino dictum videtur: *Ex his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.* Tota enim doctrina legis, & Prophetarum per opera amoris Dei, & proximi ſubſiſtit. Diuino ergo conſilio Dominus de Doctore ſermonem habens prius dixit, *qui fecerit*; deinde, *& docuerit.* Quod expendens Chryſoſtomus dixit: *Conſidera quomodo prius actionem poſuerit; & mox doctrinam; præcedente enim actione, licet doctrina non conſequatur, poſſunt opera bona voce clarius docere vos reſpicientes. Hoc ita ſemper conſideremus, vt prius factis, deinde verbis doceamus.* Quin ad mouendos hominum animos etiam in ipſo Deo plus ponderis habet exemplum, quam verbum, vt ſatis indicat Regius vates inquiens: *Exurge Domine in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te.* Vbi Sanctus Auguſtinus ad rem noſtram ſic annotat: *Tu prior imple, quod præcepiſti, & ſynagoga populorum circumdabit te, faciente enim eo, quæ præcipit opera, illico exeunt omnes qui audiunt.* Audiendus etiam eſt Sanctus Cyprianus dicens: *Efficacius eſt vita, quam linguæ teſtimonium, habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam tacente lingua.* Denique Sanctus Ambroſius ſic habet: *Plus tibi viua vox & conuictus, quam oratio proderit, primum quia homines amplius oculis, quam auribus credunt, deinde quia longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla.*

Lactantius lib. 4. de vera ſapientia cap. 13.

S. Chryſoſt. hom 71. ad populum.

Pſal. 7.

S. Cyprian. lib de duplici martyr.

S. Ambroſ. lib. 1. epiſt. 6.

Ex quibus debet intelligi, quam præpoſterum ſit, non vita, ſed ſola lingua docere. Nam qui doctrina clari, moribus vero obſcuri ſunt, plus vita obſunt, quam lingua proſunt. Vnde ſanctus Chryſoſtomus, ait: *Si non habueris opera, non tantum loquens, non profuiſti, ſed & potius læſiſti, & melius eſt tacere. Quare? Quoniam opus mihi reddis impoſſibile. Cogita namque, quod ſi tu tanta differens non efficis; multo magis ego venia dignus. Præterea Propheta dicit: peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Maius enim hoc damnum, cum aliquis bene verbis docens, per opera doctrinam impugnat.* Optime ait huiuſmodi Doctorem per opera doctrinā impugnare. Nam vt S. Greg. docet: *Conſcientia loquentem præpedit, cum vita linguā antecedat.* Vita enim antecedens offendi

S. Chryſoſt. hom. 38. ad Pop.

S. Gregor. lib. 6 mor. cap 16.

Digitized by Google

offendiculum, & obſtaculum eſt, quo præpedita lingua munus ſuadendi minimè valet exercere. Hinc ſapiens Phocio, vt in eius vita refert Plutarchus male moratos oratores taxans, dicere ſolebat: *Horum oratio cupreſſorum ſimilis eſt, hæ enim grandes ſunt & excelſæ, ſed non ferunt fructum.* Parum erat non ferre fructum, dum inſuper non inferrent damnum. Vnde

S. Gregor. lib. 21. mor. cap. 8.

S. Gregorius elegantius hos ſimiles dicit illi mulieri, quæ filium quem vigilans lactabat dormiens oppreſſit: *Neque nobis*, inquit, *eſt mente tranſeundum, quod mulier filium, quem vigilans lactare conſueuerat, dormiens interemit quia nimirum Magiſtri, vigilantes quidem ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per ſomnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur.*

3. Reg. 3.

S Ambroſ. in Pſal. 118.

Optime S. Ambroſius dixit: *Vita bona ſine doctrina gratiam habet; doctrina ſine vita integritatem non habet.* Vita quidem bona, quamuis careat doctrina integritatem habet, & gratiam; at doctrina ſine vita vtroque caret. Quamobrem is, qui huiuſmodi doctrinam habet, iubetur tacere, ne enarret iuſtitias Domini, nec eius teſtamentum ore pronunciet; nec enim pulchra laus in ore peccatoris. Quod adumbratum eſt in Leuitico,

Leuit. 3.

vbi de leproſo hæc lex ſancitur: *Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum.* Vbi Origenes aptiſſime ita philoſophatur: *Quid hoc eſt quod omnes corporis partes detectas habere præcipitur, & os ſolum operire iubetur? Nonne palam eſt, quod ei, qui in lepra peccati eſt, clauditur ſermo, clauditur ei os, vt fiducia ſermonis, & docendi authoritas excludatur? Clauſum ergo habeat os peccator, quia qui ſe ipſum non docuit, docere alium non poteſt, qui male agendo, loquendi perdidit libertatem.* Is ergo, qui docet, & non facit, non verus Doctor eſt, ſed fictus, ſiue pictus, quia vt dicebat Ambroſius: *Doctrina ſine vita integritatem non habet.*

S. Baſil. in lib de legend. lib. gentil.

Vnde S. Baſilius improbos Doctores cum pictoribus & hiſtrionibus, & vmbris aptiſſime confert: *Qui verbo tenus*, inquit, *ſunt philoſophati, nec vita ſermonem ſunt comitati, vmbris comparandi, & ſimile aliquid pictoribus, præ ſe ferentes exiſtunt, qui hominis pulchritudinem imitantes, effingunt talem, qualis ille vere non habet. Quoniam magnificè quidem virtutem laudare, & longos de hac re ſermones facere; priuatim vero voluptatem ſectari, ſimile ego dixerim hiſtrionibus, qui in ſcena fabulas agunt, & vt Reges, ac Principes ſæpè numero ingrediuntur, qui nec Reges, nec Principes exiſtunt.* Illam pictoris ſimilitudinem vſurpauit, & illuſtrauit S. Gregor. dum ex humilitate de ſe ipſo ſic loquitur: *Dum monſtrare qualis eſſe debeat paſtor, immigilo pulchrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor.* Id ſibi aſſumant, qui docent, & non faciunt: nam S. Gregorius pulcherrimus omnino Pontifex, qui & fecit præclarè & docuit, & pulcherrimum libris ſuis veluti ſapientiæ penicillis Pontificem pinxit.

Capvt XIII.

Bonorum operum lux in Dei gloriam deſtinanda eſt.

NEc hoc prætermittendum eſt, quem intendere ſcopum in bonis operibus debeamus, cum ait: *Luceat lux veſtra coram hominibus*, non vt glorificent vos, ſed *vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Hic noſtræ lucis ſcopus, non eo dirigatur, vt nomen noſtrum, ſed vt diuinum illuſtre fiat. Sic faciunt Doctores, qui vere lux ſunt, de quibus Baruch dicit: *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Baruch. 3. Vbi Hugo ſic habet: *Stellæ dicuntur Prædicatores: qui dicuntur ſtellæ à ſtando, quia firmamento, id eſt, Chriſto affixæ ſunt.* Hæ ſtellæ *luxerunt ei*, quia non ſibi, ſed Chriſto lucent, dum doctrinæ & vitæ ſplendorem non in ſuam, ſed in Chriſti gloriam dirigunt. At ſuperbi Doctores ſibi lucent, & Saulem imitantur, qui poſt victos Amalechitas, fornicem triumphalem ſibi erexit, vt dicitur in libris Regum. 1 Reg 15. In quem locum S. Gregor. ita ad rem noſtram diſſerit: *Arrogantes Doctores dum magna dicunt, ſe in ſublimè æſtimationis erigunt, & quales ſe intus aſpiciunt, per iactantiam, & oſtentationem, foris innoteſcunt. Cumque & illud, quod per ſe alij proficiunt, ad fauorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, niſi altum victoriæ ſignum inſigni titulo demonſtrare?* Hi non ſtellæ ſed pecudes debent appellari: eis enim quadrat, quod de ſtultis Iſraëlitis dicitur: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Pſal. 105. Mutant enim gloriam Dei, ad quam ſua opera dirigere debuerunt in vitulum, qui fœno paſcitur, in quo inanis gloria adumbrata eſt. Audi Richardum dicentem: *Cum ſcriptum ſit; omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri, quid aliud erit vitulus fœnum comedens, niſi humani fauoris appetitus, carnalem & temporalem gloriam ambiens?* Fœno paſcitur popularis auræ captator; at qui quærit Dei gloriam, is cœleſtibus, ac diuinis fruitur paſcuis.

Richard. Vict lib 1 de erudit. interni hominis part. 1. cap. 4.

Non Deo, ſed ſibi lucebant, & fœno inanis gloriæ paſcebantur Scribæ & Phariſæi, de quibus ait Dominus: *Cauete à fermento Phariſæorum*, Marc. 8. Vis Phariſæorum videre fermentum? *Omnia opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus.* Matth. 23. Fermentum enim hoc inanem gloriam adumbrat: nam quemadmodum fermentum maſſam inflat: ſic ſuperbia inaniſque gloria tumidum reddit hominem. Propterea Philo, putat ab altari repulſum: ſic enim ait: *Iubet legiſlator oblationem omnem ſine fermento fieri, propter tumiditatem, quam efficit, figurato præcepto, ne quis ad altare accedat elatus, tumidus faſtu, & arrogantia.* Hoc fermento feruebant viſcera Alexandri, qui vt refert Plutarchus nuntium ſumma lætitia geſtientem, dexteraque protenſa accurrentem his verbis excepit: *Quid mihi vir bone nuntiabis aliud, quam Homerum reuixiſſe?* Nihil videlicet, vt ait idem Author ſibi deeſſe his verbis conteſtatus eſt, quam famam inſignem apud poſteros. Hoc enim vnum cupiebat, Ho-

Philo lib. de offer. victimis.

Plutarch. lib. de Profectu morum.

merum Poëtarum Principem in vitam reuocari, vt res, quas geſſerat principe carmine celebratæ, Homericoque penicillo depictæ, ab omnibus hominibus cognoſcerentur. Sed demus veniam homini ethnico. Videat Chriſtianus Doctor, ne hoc fermento inficiatur; ſed ita doctrina & exemplo luceat, vt non ſibi ſed Deo fulgens, omnes glorificent communem Patrem qui in cœlis eſt.

CAPVT XIV.

De eadem materia.

IGitur Doctores & Præſides bona ſua opera ita perfecta efficiant, & ea ſe dirigere in Dei laudem, atque gloriam ſic oſtendant, vt homines talia opera videntes, eamdem Dei gloriam extollant & magnificent: in bonis enim operibus, & ab his qui ea faciunt, & ab his qui vident, glorificandus eſt Deus is autem bonis operibus Deum laudat, & glorificat, qui ex charitate, & amore diuino, quo flagrat, ipſi Deo placere intẽdit. Aurea virtus eſt charitas, & qui charitatem habet, ferreis etiam operibus auream apponit intentionem, ob quam magnifiunt æſtimanda, id in tabernaculo, quod columnis ſuſtentabatur [Exod. 16. Ricciard. tom. 1. comment. ſymbolic.] adumbratum eſt: nã ſicut Antonius Ricciardus ſcripſit, aurea capita columnarum ſignificant charitatis intentionem, qua bona opera ſunt abſoluenda, & coronanda. Bona enim opera colũnæ ſunt, quibus tabernaculum ſanctæ vitæ ſuſtentatur ſed harum columnarum capita; ideſt operum intentiones aurea debent eſſe, id eſt, gloriam Dei reſpicientia. Ex hac quidem aurea intentione pretium, ac æſtimatio operibus pro- [Hugo Victor. lib. 3. miſcell.] uenit. Quod Hugo Victorinus, dum opera noſtra monetis comparat, ſic oſtendit: *Nummorum probitas in tribus conſiſtit, materia, pondere, figura: Materia eſt charitas, quæ auro comparatur, pondus ſpes, quæ à terrenis ſubleuat; figura fides, quæ verum ſignum imprimit.* Quamuis autem in monetis operum hæc tria requirantur, ſed præcipue ea extollit aurea materia charitatis, quæ ex intentione pendet. Quam verò neceſſaria ſit operibus hæc materia monſtrat Hugo ita ſubiungens: *Hanc monetam dicit Apoſtolus valere. Omnia veſtra in charitate fiant; & quod extra hanc materiam fabricata falſa ſit, oſtendit, dicens: ſi diſtribuero in cibos pauperum, &c.* Opera ergo, quæ ſine charitate fiant, falſæ monetæ videntur, de quibus Hugo adiungit: *Qui reprobam pecuniam ſoluit, non ſe liberat.* Nam qui Deo debitam operum pecuniam ſoluit, non ſolum non ſe liberat debito, ſed potius obſtringit ſupplicio. Supplicium autem Hugo ſic exprimit: *Si falſam monetam Deo obtuleris, perpetuis ignibus cremaberis: nam falſæ monetæ pœna eſt viuorum exuſtio.*

Sæpe autem opera bona aureæ monetæ eſſe videntur; ſunt autem ſubæratæ, & falſæ; quia in eis non aurum charitatis, rectæque intentionis, ſed æs prauæ inuenitur. Cuius exemplum [4. Reg 10.] ſatis illuſtre extat in Iehu, quem Deus elegit ad puniendum Achab propter mortem Naboth. Is enim poſt occiſum in agro Iezrael iuxta præceptum Domini egregie laudatur ab eo ſic: *Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis & omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab; filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.* Ecce factum Iehu ex teſtimonio Domini non modo ſtudioſum prædicatur, ſed præclaro remuneratur præmio. Et tamen per Oſeam ait [Oſeæ 1.] idem Dominus: *Adhuc modicum & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu,* id eſt, poſt paululum vindictam ſumam de domo Iehu, ob ſanguinem, quem effudit in agro Iezrael. Hic locus ad præcedentem relatus, crux eſt multorum ingeniorum: nam ſi tot verbis laudauit Dominus factum Iehu, quomodo eſt adhuc in eo, quod vlciſcatur? Multi multa dicunt, ſed Ruperti optima videtur reſponſio: Iehu in ea vltione ex peculiari odio multa geſſiſſe, quibus mandati Domini metas tranſiliit, præſertim, quia non ſolum zelo Dei, ſed etiam cupiditate regnandi executus eſt eius ſententiam; ideoque factum eius poſt mortem ad exactam iudicij diuini libram iure damnatum eſſe ac poſtea in eius poſteros ſeuere vindicatum. Itaque Iehu fecit opus bonum, ſed non bene; impleuit præceptum, ſed non iuxta intentionem præcipientis: quia bonum fecit, laudatur, & præmio temporali afficitur; ſed quia bonum non benefecit, graui ſupplicio mulctatur. Huic tam celebri exemplo aliud adiungamus ex Chronica Ciſtercienſis ordinis, vbi memoriæ eſt proditum Sanctum Bernardum aliquando in choro canentem Angelos vidiſſe piam canentium monachorum operam ſcribentes, ſed non vno modo: nam aliquorum cantum litteris aureis, aliorum argenteis, horum attramento, illorum aqua exarab[...] aliorum vero nullo modo ſcribebant. Quia idem profecto opus non eodem modo ab omnibus fiebat; ſed diuerſimode in Dei laudem, & gloriam ſinguli referebant. Videat ergo vnuſquiſque, quomodo bona opera efficiat; Deus enim à nobis non tantum bonum opus exigit, ſed modum etiam requirit, quo opus bonum benè fit.

Hanc ob cauſam, cum Rex quidam ſapientiſſimo viro mandaſſet, vt breuiter in libello præcipuas gubernandæ Rei pub. leges ſcriberet; ſola iſta voce: *modus*, totum librum refferſit, quo ſignificaret bonos Principis actus modum, quo benè fiant, præcipue debere reſpicere. Id in omnium operibus ſeruari debet, in quibus præcipuum eſt modus quo bene fiunt: is enim vere Deum laudat, & gloriam Dei procurat, qui opera bona bene facit. Ita docet Auguſtinus, qui in illa verba Pſalmi, *tota die laudem tuam.* Sic [Pſal 34.] habet: *Quidquid egeris, bene age & laudaſti Deum.* Ille ergo Deum laudat, & recta intentione ipſius gloriam quærit, qui opus bonum benefacere ſtudet. Id autem fit, cum opus bonum monſtratur in publico, bona vero intẽtio viget in occulto. Cuius rei maxime Epiſcopi curam debent habere. Quodquidem ſignificant Chirothecæ, quibus ipſi Epiſcopi [Michaël Timoth. lib. 1. de miſſ. ſacrif. q. 8. ait. 1. & Æmarus Hennequinæus lib. de cærem. miſſ. cap. 5.] vtuntur: nam dum manus tegunt, bonorum operum intentionem in animo deliteſcentem indicant, vt non ob externam hominum laudem, ſed ob internam Dei gloriam fiant, neſciatque ſiniſtra, quod facit dextera. Hanc Chirotecarum ſignificationem tradit Michaël Timoth. & Æmarus Hennequinæus.

CAPVT

CAPVT XV.

Virtutis opera Deum glorificant.

ADhuc etiam oſtendere iuuat, quo pacto opera virtutum Dei bonitatem commendant, & ipſius gloriam amplificant. Quod ab omnibus fidelibus poſcebat Paulus, cum diceret: *Glorificate, & portate Deum in corpore*

1. Cor. 6.

veſtro. Quæ verba Theodoretus ſic elucidat: *Oportet ergo vos, & per corpus, & per animam ipſum glorificare, illa facientes, & dicentes, quæ omnes linguas ad laudandum, boniſque verbis proſequendum moueant.* Id quidem Regius vates

Pſal. 29.

præſtare curabat, ideoque canebat: *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me.* Ad quem locum Sanctus Baſilius ita quærit: *Quomodo is, qui in altiſſimis habitat, exaltatur ab his, qui humilem ſortiti ſunt locum? ſi enim Deus in cælo ſurſum, & tu in terra deorſum, quonam pacto Deum queas exaltare?* Reſpondet in hunc modum: *An quod fortè ab his dicitur exaltari, qui quæ magna, & quæ nihil Deum dedeceant, intellectu & cogitatione apprehendunt, & vitam omnem ad vnius Dei gloriam componunt? Qui igitur ab beatitudinem cum ſcientia properat, Deum exaltat.* Etenim, cum Dei exaltatio ſanctitas ſit, tunc eum exaltamus, cum ipſum ſanctificamus, iuxta id quod

Matth. 6.

petimus in oratione Dominica: *Sanctificetur nomen tuum.* Deus enim, qui in infinitum eſt ſanctus, & quem Cherubim, & Seraphim inceſſanter ſanctum proclamant, tunc à nobis ſanctificatur, cum noſtris ſanctis operibus ſanctus prædicatur. Ita exponuntur hæc verba à ſancto Paſchaſio, qui ad hunc locum ſic ait: *Ac ſi dicamus: Pater ſanctificetur nomen tuum, vt tales ſimus, qui ſanctificationem tuam, non modo intelligere, verum capere valeamus, quatenus tu ex noſtra conuerſatione ſpirituali ſanctus appareas.*

Contra verò ſicut per ſanctam iuſtorum conuerſationem virtutum operibus illuſtratâ Deus ſanctificatur, excitatur, glorificatur: ita per peccatorum peruerſa opera ipſius nomen obſcuratur, deiicitur, probro afficitur. Nam cum homo imago ſit Dei, dum peccator in ſe hanc imaginem ſceleribus deturpat, ei, cuius imago eſt, iniuriam irrogat. Id Sanctus Auguſtinus ſic tractat: *Dices, vnde iniuriam facio Deo, quia corrumpo me ipſum? vnde facit tibi iniuriam qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tui eſt, in domo tua inaniter poſita ad vanum honorem tuum, nec ſentiens, nec loquens, nec videns? ſi quis illam lapidet, nonne in te eſſe contumeliam factam attendis? cum vero imaginem Dei, id eſt, te corruperis, non attendis, cuius imaginem violaſti.* Eadem ferme ſimilitu-

S. Gregor. Nyſſen. in epiſt. de profeſſ. Chriſtian. ad Harman.

dine hoc ipſum ponderat Sanctus Gregorius Nyſſenus, ſic ſcribens. *Ponatur aliquis eſſe, qui artem pingendi profiteatur atque huic imperari à magiſtratu, vt his, qui procul habitant, Regis imaginem ſculpat; ſi igitur turpem aliquam, & deformem ſpeciem in tabula ſculptam, imaginem Regis, indecoram, eam formam nominauerit, an non veriſimile eſſet indignaturam eſſe poteſtatem, quod pulchritudo principalis propter malam illam picturam vituperetur inter ignotos. Qualis enim in imagine ſpecies oſtenditur, talem etiam formam principalem exiſtimari neceſſe eſt. Quocirca qualem vitam quam iuxta imitationem Dei traduci, creditum eſt inter nos, viderit is, qui nondum myſterij rationem acceperit, tale noſtrum quoque nomen eſſe exiſtimauit.* Gloriam ergo Dei minuit, & obſcurat, qui ipſius ſupremi Regis imaginem vitiis deturpat; ille ex aduerſo Deum glorificat, qui eius imaginem in animo expreſſam multarum virtutum operibus quaſi floridis pigmentis colorat, & auro perfectæ charitatis illuminat.

Meritò igitur commendat ſuis diſcipulis Dominus, vt ſic eorum lux coram hominibus luceat, vt apud eos cæleſtis Pater glorificetur. Is enim eſt bonorum operum ſplendor, vt ad gloriam Dei magnopere deſeruiant, & cum iuſti virtutum exemplis lucent, Dei bonitatem ac ſanctitatem commendant, & diuinæ gloriæ miniſtri exiſtunt. Quod aptè docuit Sanctus

S. Chryſoſt. in Matth. 5.

Chryſoſtomus, dicens: *Per illos autem Doctores, qui docent, & faciunt, magnificatur Deus: nam diſciplina Domini ex moribus familiæ demonſtratur.* Quapropter Regius vates Deum à

Pſal. 25.

familia ſua glorificari cernens dicebat: *Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sanctus Auguſtinus referens hoc ad ſanctos ſic exponit *vbi habitans glorificaris.* Luculenter Caſſiodorus in eadem verba ita ſcripſit: *Decorem domus non dicit pulchritudinem parietum, aut miniſtrorum pretioſiſſimos apparatus; ſed ipſorum actuum beatiſſimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Eccleſia; ſcilicet, in Pſalmorum iubilatione, in precum ſanctitate, in Chriſtiani populi deuotione.* Huiuſmodi actus decoram atque glorioſam Dei domum, & ipſum Deum reddunt.

Ad hæc: quia iuſti filij ſunt Dei, atque adeo ipſius imagines, fit, vt quo imago bonis operibus, quaſi floridis coloribus pulchrior pingitur, eo exemplar diuinæ bonitatis illuſtrius redditur.

Origen. hom in c. 1. Lucæ.

Quod bene conſiderauit Origenes his verbis: *Quoniam anima imago eſt Dei, quando magnificauero animam meam, opere, cogitatione, ſermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cuius imago eſt in anima mea magnificatur.* In ſe quidem magnificari Deus non poteſt; magnificatur autem in anima, quæ cum, vt decet, magnificis operibus repræſentat, vt ſol magnificatur in ipſius imagine, quam ſpeculum Chriſtallinum, vel fons puriſſimus refert. Qua verò ratione hæc Dei imago ornanda, & magnificanda ſit, vt Deus per eam magnifice-

S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. c. 7.

tur, monſtrat Sanctus Ambroſius inquiens: *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis: illa anima bene picta eſt, in qua eluceat diuina operationis effigies: illa anima bene picta eſt; in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ.*

S. Hilarius in Pſal. 69.

Simili alio modo declarat Sanctus Hilarius rationem, qua Deus per bona iuſtorum opera magnificatur, ſic enim habet: *Cum Deus in ſe incrementi capax non ſit, magnificatur per beneficiorum ſuorum incrementa nobiſcum,* id eſt, cum Deus in ſe magnificari non poſſit, magnificatur autem in beneficiis ſuæ gratiæ, quæ noſtrorum operum cooperatione amplificantur, & cumulantur. Vt enim miles, qui à Rege gladium

dono accepit, quo egregia facinora patrauit, Regem magnificauit: & ſimiliter diſcipulus qui clara ſapientiæ opera edit, magiſtrum illuſtrat, à quo doctrinæ munus accepit: ita iuſtus Deum glorificat, ſeu magnificat, cum per diuinæ gratię beneficia, glorioſa, & magnifica opera facit.

Porro autem, quamuis peccator abiectis, & ſordidis operibus cœleſtem Patrem probro afficit, à quo degenere vilitate deſciſcit, vt in filio prodigo contigit; tamen per veram pœnitentiam ad Deum reuerſus, opera iam efficit, quibus Patrem glorificet. Id quod in ipſo prodigo apertè monſtratur, vbi Pater ſeruis mandat: *Date annulum in manu eius.* Ad quæ verba Sanctus Hieronymus ait: *Annulus eſt ſignaculum ſimilitudinis Chriſti: hoc ſignaculum in manu datur, quando opera iuſtitiæ ſcriptura ſignificat.* Per opera ergo iuſtitiæ ſimilitudine Chriſti ſignatur, vt iam ſimilis parenti, ipſum honoret, quem antea diſſimilis & degener dehoneſtabat. Addit etiam ad rem Caiet: *Annulus ornamentum eſt manus, ac per hoc operum ornamenta ſignificantur: oportet enim opera non ſolum ab omni ſpecie mali eſſe aliena, ſed palam velut decora, & ornata apparere.* Hoc certè operum ornamentum lux illa eſt, quam hoc loco exigit Dominus, vt eam in operibus homines videntes, glorificent Patrem cœleſtem.

Luc. 15.

Capvt XVI.

Doctor humilitate fundatus, non ſuam, ſed Dei gloriam quærere debet.

CVm Doctores Chriſtus monet, ita coram hominibus doctrina, & virtutum operibus lucere, vt ipſi homines cœleſtis Patris gloriam amplificent; tacite ipſis Doctoribus ſtudium humilitatis commendat, qua doctrinæ ſuæ, atque bonorum operum fructum, non in propriam laudem, ſed in diuinam gloriam referant. Nam cum humilitatis virtus neceſſaria ſit omnibus, maximè verò Doctoribus, Paſtoribus, & his, qui principatum aliquem tenentes, coram hominibus lucent. Optima id comparatione docuit Sanctus Iſidorus: *Sicut in numiſmate*, inquit, *metallum, figura, & pondus inquiritur: ita in omni Doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli doctrina; per figuram, ſimilitudo Patrum; per pondus, humilitas deſignatur. Qui vero ab his tribus diſcrepauerit, non metallum, ſed terra erit.* Eadem ſimilitudine vtitur Caſſianus. Cum ergo Doctor Eccleſiaſticus aureum numiſma ſit, quo Chriſtus negotiatur, vt animas lucretur, pondus humilitatis habere omnino debet. Hoc humilitatis pondere carebat aureum illud Babyloniæ numiſma, cui dictum eſt *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Hanc virtutem Doctoribus; & Paſtoribus maximè neceſſariam eſſe ex ipſo muneris ſplendore, qui in ſuperbiam mentem impellit; oſtendit Sanctus Gregorius: *Vicina* (inquit.) *eſſe ſuperbia potentibus ſolet, & pene ſemper rebus affluentibus elatio ſociatur: quia & ſæpe humoris abundantia duritiam dat tumoris.* Sicut enim humor in infimam corporis partem è capite fluens tumorem efficit, & eo quidem duriorem, quo maior eſt humoris copia: ita ſuperbiæ tumor tanto eſt durior, quanto honoris abundantia maior. Bene ergo Sanctus Gregorius ait: *Humoris abundantia duritiam dat tumoris.* Hinc docet mirabilem eſſe coniunctionem potentiæ & humilitatis, & quæ ſubtiliſſimam mentis artem requirat, ac proinde ſubdit: *Subtiliſſima namque ars viuendi eſt culmen tenere, gloriam premere, eſſe quidem in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire.* Quia vero rara eſt humilitas in potentia & culmine honoris, fit, vt Deo oblatio, ac ſacrificium ſit gratiſſimum, vt pote de re noua, ac velut ex remotiſſimis, & vltimis regionibus deportata, vnde Sanctus Doctor ſubiungit: *Potentes quique cum humiliter ſapiunt, culmen extraneæ, & quaſi longè poſitæ virtutis attingunt: & rectè hac virtute Dominum quantocius placent, quia illud ei ſacrificium humiliter offerunt, quod potentes inuenire vix poſſunt.* Hoc ſacrificium potens ille, & humillimus Rex ſæpius Deo offerebat, qui dicebat: *Domine non eſt exaltatum cor meum neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Ecce eandem virtutis profeſſionem, in quam multas partes diuidit, quam minutè concidit, quam ſæpe repetit, quaſi rem gratiſſimam Deo iterum, atque iterum diuinis oculis proponens. Quod obſeruans idem Sanctus Gregorius, ait: *Ecce humilitatis hoſtiam ab intimo cordis oblatam, crebro replicat, & iterum, atque iterum confitendo offerre non ceſſat, eamque multipliciter loquens, iudicis ſui oculis oſtentat. Quid eſt hoc? & quomodo iſtud ſacrificium Deo placere cognouerat, quod in conſpectu eius tanta iteratione vocis immolabat.* Doctores ergo, atque Paſtores, omneſque in ſublimi dignitate conſtituti, quia vicinam elationem habent, remotam, & extraneam ſibi humilitatem Deo immolare feſtinent. Quod vt facere rectius diſcant, mutandam præfati Regis humilitatem expendant. Ait enim: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Qui duas haberet domos, alteram humilem, & ruſticanam, in qua paſtoritiam vitam exercuerat; alteram vero Regiam, in qua tranſlatus ad regnum, morabatur, ſi is memoria, & animo, non in hac, ſed in illa ſemper ambularet, modeſtiſſimum ſane, & humillimum animum indicaret: ita faciebat Dauid, de quo Sanctus Zeno Epiſcopus Veronenſis ait: *Magnis ac mirabilibus ſæculi non immutatur; ſed eum humilemque retinet vbique Paſtorem.* Ea quæ ſæculares homines magna, & mirabilia ſuſpiciunt, ipſum non immutant, vt non priſtinam paſtoris humilitatem retineat, & in habitu, atque apparatu Regio paſtoralem caſam diſpiciat. Vnde fuit in Regem electus, aſſlatus in prophetam paſtoralis baculus in ſceptrum tranſlatus eſt, pera, in coronam mutata, ipſe tamen mutatus non eſt, ſed abiecti paſtoris animum ſæcularibus pompis circumdatum gerebat. Quapropter Sanctus Gregorius dixit: *Bene Dauid Propheta intra acceptas ex diuina largitate menſuras pedem cordis preſſerat, cum dicebat: neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me. Super ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi apparere ma-*

S. Iſidor. lib. 3 ſentent. cap. 36.

Caſſian. collat. 1. cap. 20 de probabili trapezita.

Dan. 4.

S. Gregor. lib. 26. mor. cap. 23.

Pſal. 130.

Idem.

S. Zeno ſerm. in hunc Pſal.

S. Gregor. lib. 28 mor. cap. 6.

gnus vltra quam poterat, quæreret. Super ſe namque in mirabilibus attollitur, qui & in his, ad quæ non ſufficit, videri idoneus conatur. Quam vero periculoſum ſit veræ humilitatis tranſilire menſuram annectit: *In præcipitio enim pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit.* Hoc certè præcipitium timebat Paulus, cum

Ad Rom. 15.

dicebat: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam verbo & factis.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus ſic exponit: *Nihil iacto, quod ipſe non fecerim; imo quod feci, non ego feci, ſed Chriſtus per me.* Plane quidem intra ſuam ſe menſuram continebat; quam diſcere debemus ex ipſo, & cæteris ſanctis, quorum vita, & ratio linea menſuræ eſt, ad quam noſtras dirigere actiones debemus. De hac linea loquitur Deus vbi terræ for-

Iob 38.

mationem enarrans, ait: *Quis tetendit ſuper eam lineam?* Cuius lineæ ſignificatum Sanctus Gre-

S. Gregor. lib. 28. mor. cap. 11.

gorius ſic explicat: *Super hanc enim terram linea tenditur, quando electæ vnicuique animæ ad ſumendam viuendi regulam, Patrum præcedentium exempla monſtrantur; vt ex illorum vita conſideret quid in ſuis actibus ſeruet: quatenus reſpectoiuſti limitis tramite, nec infra minima negligens deficiat, nec vltra maxima ſuperbiens tendat.* Meritò ergo Regius vates dicebat: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.*

Sequentibus etiam verbis oſtendere licet, quam humilitatem Paſtor, ac Princeps debeat ſeruare; ait enim: *Si non humiliter ſentiebam.* Alij legunt: *Si non æquiparaui, ſeu adæquaui,* hoc eſt, ſi non me æqualem, & comparem ſubditis cenſui, & exhibui, ſi aliquem meorum deſpexi, in maximum mihi crimen cedat, ſiquidem huiuſmodi Princeps obliſci ſuæ conditionis & naturæ videtur, vt tanquam altetius naturæ inſolentius ſe efferat, & ſubiectos deſpiciat. Paraphraſis Chaldæa habet: *Si non poſui manum ad os.* Ne ſcilicet quid, vel de me ſuperbius vel humilius de meis ſubditis per contẽptum, proferrem. Theodoretus ex Symmacho vertit: *Si non dignatus ſum, & ſimilem reddidi animam meam ablactato erga matrem ſuam: ſic*

S. Chryſoſt.

retribuatur anima mea. Putat autem Chryſoſtomus eſſe hyperbaton, vt ita ſit intelligendum *ſi non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam; ſed exaltaui animam meam, ita retribuatur anima mea.* Quis vero neſciat infantem humilitatis, & benignitatis eſſe ſymbolum? Quam Dauid corde ferebat, ferreque debent omnes Eccleſiæ Paſtores, atque Doctores, vt rectè munus ſuum exequi poſſint.

Caput XVII.

Opera & mores Præſulum latere non poſſunt.

Reliquum eſt vt conſideremus præſulem non ſolum vt lucem, ſed etiam vt ciuitatem iuxta dictum Chriſti Domini. Quapropter bona etiam Præſulum operatio præferẽda eſt prorſus, quia latere nequit; patentius enim ſpargitur rumor vitæ quam ſonus vocis. Opera eminentium, & mores Præſidum conſpicui ſunt omnibus non aliter quam ciuitas ſupra montem poſita. Non poteſt abſcondi, qui Reipub. præeſt Pontifex, Doctor, aut Paſtor, ante hominum oculos neceſſe eſt verſetur. Quid agat, quid loquatur, quid exempli præbeat, diligenter attendat: neque enim latere poteſt lux mundi. Huc ſpectat illud Senecæ: *Tibi non magis, quam ſoli*

Senec. lib. de clem. cap. 8.

latere contingit; multa contra te lux eſt, omnium in iſtam conuerſi oculi ſunt. Idem ſubiungit: *Nullis magis cauendum eſt, qualem famam habeant; quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt.* Quo enim maior eſt qui peccat, eo magis ſunt conſpicua peccata. Vnde

Caſſiod: lib. 5. var. in epiſt. Theodorici Regis ad Argolicum de præfectis, & lib. 11. ep. ad Ioan. Cancellar. & lib. 6 in formula Rectoris Prouinciæ.

Caſſiodorus ait: *Non patitur claritas illa committere, quod poſſit mobilis turba neſcire. Locatus in medium, ad ſe cunctorum trahit aſpectum, & totius vitæ iudicium promulgat fama populorum.* Item alio in loco ſic habet: *Latere non poteſt, quod inter cancellos egeris, tenes quippe lucidos fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas. Et quamuis ſtudioſè claudas, neceſſe eſt vt te cunctis aperias. Vndique conſpiceris, qui in illa claritate verſaris.* Et alibi ſic habet: *Eſto vitæ continens, vt poſſis in alios eſſe iudex. Prima æquitas eſt, a ſe Præſules inchoare, vt debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullas enim in ſe culpas timet reus, quas in ſe habere proſpexerit cognitorem.* Dignum etiam eſt, quod

Plutarch. in Polyticis.

referatur illud Plutarchi: *Eorum qui Reipublicæ præſunt, non modo ſingula verba, nec res tantum publicitus geſta animaduerti, notarique ſolent, ſed victus quoque, toti ſimul, & ſeria quæque, domus ipſa, familia, vxor, cubile, curioſius inquiruntur, &c.* Meritò ergo idem Philoſophus ibidem adiunxit: *Quemadmodum maiori ſolent eſſe dedecori notæ in facie, quam in reliquo corpore: ſic etiam minima quæque Principum errata notantur.*

Hoc autem, ſcilicet Principum vitam omnium oculis propoſitam eſſe, vt pote in edito loco poſitam, eos, vt in officio ſe contineant plurimum obligat. Vnde illud pulchrè à Sineſio di-

Sineſ. ep. 105.

ctum: *Epiſcopum diuinum eſſe hominem oportet, qui quo vitæ ſuæ propoſitum teneat, ab innumerabilibus oculis cuſtoditur.* Si Princeps ſapiat, à coniectis in ſe oculis omnium, tanquam à ſatellitibus cuſtodietur, ne in eum truculentus animæ hoſtis poſſit obrepere. Quo etiam ſpectant verba Chryſologi: *Propinquorum,* (inquit)

S. Chryſol. ſerm. 1.

quot oculi, tot lucernæ. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non poſſunt.

Caput XVIII.

Loci celſitudo non elationem & ſecuritatem ſed timorem, & vigilantiam parare debet.

Cum Doctores, Paſtores, & Principes ciuitates ſupra montem poſitæ, & lucernæ ſuper candelabrũ collocatæ dicuntur à Domino, non ad ſuperbiam vocantur, ſed ad humilem potius vigilantiam inducuntur. Audiant Au-

Auguſt. in Pſal. 26.

guſtinum ita dicentem: *Quomodo vinitori altior fit locus, ad cuſtodiendam vineam: ſic &*

Epiſcopis

Epiſcopis altior locus factus eſt. Et de ipſo alto loco periculoſa ratio redditur, niſi eo corde ſtemus hic, vt humilitate ſub pedibus veſtris ſimus, & pro vobis oremus. Hunc timorem ex periculo excelſi loci ortum auget Sanctus Ambroſius, cum S. Ambroſ. ſerm. 83. ait: *Ruina quæ de alto eſt, grauiori caſu paſtor colliditur, &c.* Sicut autem Paſtor ruinam, quæ de alto eſt timere debet, ita ad cuſtodiam commendatarum ſibi ouium vigilare tenetur; ad id enim altus ei locus conceſſus eſt. Paſtor namque ſpeculator eſt, ideo in edito ponitur loco, non vt ſuperbiat, ſed vt vigilet, populumque cuſtodiat diligenter. Optime Auguſtinus eodem loco ait: *Ideo altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & Græcè quod dicitur Epiſcopus, hoc latinè ſuperintentor interpretatur*; quia S. Auguſt. lib. 19. de ciuit. c. 19. ſuperintendit, quia *deſuper videt*. Et alibi ſic habet: *Nomen Epiſcopi eſt nomen operis, non honoris, Epiſcopi in ſi velimus latine, ſuperintendere poſſumus dicere. Vt intelligat non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe.*

Præterea, qui in excelſo Eccleſiæ loco eſt, cum timore, & vigilantia ſummiſſionem cordis debet coniungere, ſuperbiam autem longiſſime repellere. Abſit enim vt Paſtor, idolum ſit, Zachar. 11. iuxta illud Zachariæ. *O Paſtor, & idolum.* Idolum vero erit, ſi id vnum quæſierit, vt idoli inſtar ab hominibus colatur, & adoretur. Qui ergo locum altum tenet, humilitate ſe deiiciat, & pedibus ſubditorum proſternat. Hæc vera celſitudo eſt, aliorum pedibus ſubiici, iuxta illud Caſſiodori: *Nimia magnitudo eſt* Caſſiod. libro de anima. *ſuam intelligere paruitatem.* Qui ergo ſupra verticem montis erectus eſt, caueat diligenter, ne vehementiſſimo ſuperbiæ flatu, atque turbine corruat, & deturbetur: qui ſupra candelabrum Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis dignitatis fulget, videat attentè, ne moleſtum ſuperbiæ præbeat fumum, quo ſubditorum oculis noceat. Pura ſit lucernæ flamma, vera humilitate emungatur. Solis lux fumo caret; careant & Doctores qui lux mundi ſunt. Ne ſanctiſſimus Bernardus iterum conqueratur, vt olim S. Bernard. in præfat. vitæ S. Malachiæ. illis verbis: *Quem mihi oſtendas, vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de ſublimi fumantem, quam flammantem.* Lucerna ergo in ſublimi candelabro locata, non ſuperbe fumet, ſed humiliter luceat; & quanto magis luceat, magis humilietur, iuxta illud Eccleſ. 3. Eccleſiaſt. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* Vbi bene Hugo Cardinalis ſic exponit: *Quanto magnus es generis nobilitate, vel ſcientiæ ſublimitate, vel honoris dignitate, humilia te in omnibus, id eſt, coram omnibus ſaluo iure gradus.* Opportunè addidit: *Saluo iure gradus:* Nam Prælatus non ſuam dignitatem, ſed ſe debet humiliare.

Capvt XIX.

Perfecta Antiſtitis virtus omnem hominem mirificè connectit, & ordinat.

Ivuet tanta Præſulem humilitas, vt exactiſſimo ſuppleat exemplo ſuam vilitatem, nequid in illo inordinatum ſit, nihil reprehenſione dignum, eapropter illum tanquam perfecta, & Apoſtolica virtute præditum Chriſtus Dominus ciuitatem appellat. Ciuitate enim nihil eſt ordinatius: nam vt Ariſtoteles docuit: *Ciuitas* Ariſt. 1 & 5. Polit. cap. 2. & 5. *velut quædam natura animata, & ſicut animal bene diſpoſitum ſecundum naturam, componitur ex quibuſdam proportionatis partibus inuicem ordinatis, ſuaque opera ſibi inuicem communicantibus ad totum: ſic ciuitas ex quibuſdam talibus conſtituitur, cum bene diſpoſita, & inſtituta fuerit ſecundum rationem.* Sicut ergo ciuitas bene inſtituta animalis bene diſpoſiti ſpeciem refert: ita homo perfectiſſimus animalium ciuitatem perfectam repræſentet. Enimuero, vt M. Varro dixit: *Diſtractione ciuium* M. Varro lib. 1. de vita Pop. Rom. *clangueſcit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit, & conſeneſcere.* Ita homo diſtractione, ac diſſidio partium animi, langueſcit, ægrotat, & perit. Contra vero, ſicut præcipuæ partes ciuitatis tunc optimo ordine cohærent, cum iuxta ſententiam Solonis: *Ciues magiſtratui obediunt; magiſtratus autem legibus.* Ita hominis vires & partes, tunc apta ſtructura concinnantur, cum ipſæ in id conſpirant, vt obediant rationi, ratio autem Deo, quod ſola virtute efficitur.

Id optime docuit Sanctus Gregorius his S. Gregor. in c. 1. Iob. verbis: *Familiam multam nimis poſſidemus, cum cogitationes innumeras ſub mentis dominatione reſtringimus, ne ipſa ſui ſimilitudine animum ſuperent, ne peruerſo ordine diſcretionis noſtræ principatum calcent.* Cum autem homo hac ratione per virtutem ordinatur, cœleſtis ciuitatis ordinem, id eſt, Angelicæ Hierarchiæ concentum æmulatur. Vnde à S. Gregorio ſubiungitur: *Cum igitur huic familiæ dominamur, iungi per eandem diſcretionem Angelis conamur. Vnde recte ſubiungitur; eratque vir ille magnus inter omnes orientales.* Arca Noë à perfectæ ciuitatis imagine non longe eſt, in qua animarum cuncta animantia manſionum ſuarum ordinem pacifice tenentia, ſanctiſſimo viro Noë, qui in ſuprema erat manſione famulabuntur. Ita in homine, quem adumbrabat arca illa, vt docet Hugo Victor. omnes beſtiales cogitationes, & appetitiones ſic rationi ſupremum locum tenenti obediunt, vt intra cancellos manſionem ſuarum miro ordine contineantur; ipſe vero Noë ſub culmine eſt arcæ, id eſt, rationis principatus ſub Chriſto: nam arcam in cubito conſummari, ſignificat, omnes hominis partes debere Chriſto Domino obedire, vt tradit laudatus Hugo. Hugo Victor. lib. de arca moral. in princ.

Porro præcipuas animæ partes à virtute ſubiugatas, & congruo ordine diſpoſitas ſymbolicè ſignificauit Plato nomine duorum equorum, Plato in Phædro. qui ſub iugo curribus iunguntur: nam vt Budæus in ſtudio inſtituendo interpretatus, dexter equus ſignificat rationē, ſiniſter vero corporis appetitū, qui fræno ſit coercendus. Tunc quidem optime ſe habet anima, cum auriga virtus id ſua dexteritate præſtat, vt ſiniſter equus cum dextero bene compoſitus, & concors ab eo non reſiliat, aut recedere tentet. Hoc autem Platonis ſymbolum multo melius deſcriptum eſt in quatuor illis Ezech. c. 1. ſanctis animalibus, quæ currum Dei trahebant, & concordi ſpiritus impetu, ferebantur: nam omnes animæ partes mira concordiæ coniunctione copulatas ſignificabant. Homo enim rationalem

tionalem partem; leo iraſcibilem, vitulus concupiſcibilem; aquila conſcientiam, ſiue virtutem adumbrat. Aquila quidem eam partem exprimit, quæ ſuperat reliquas tres, & eſt extra illas; ipſaſque corrigit, nempe conſcientia virtute munita, de qua dicitur: *Et facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor*. Quam expoſitionem, vt communiorem refert Hieronymus inquiens: *Plerique iuxta Platonem rationabilitatem animæ, & iraſcentiam & concupiſcentiam in homine, & leone, & vitulo intelligunt. Quartam ſupra hæc, & extra hæc tria ponunt, quam Græci vocant ſynderesim, quo ſcintilla conſcientiæ, in Cain quoque non extinguitur.*

Hieronym. ad hunc locum.

Cum autem per primum peccatum omnes animæ partes earumque vires, mirificum perdidiſſent ordinem, quem à Deo acceperant, & penitus inuerſæ, ac diſſipatæ eſſent, ac velut in ciuitate ab hoſtibus euerſa, & ſolo complanata, omnia confuſa, & permixta iacerent: & ſicut in horologio diſſoluto, laxis rotarũ compagibus, disjunctis virgularum nexibus, omnium inſtrumẽtorum ordo perturbatus eſſet, per ſolam virtutem ad rectum ordinem & concinnam diſpoſitionem ciuitas & horologium humanæ ſtructuræ reducitur. Qua de re luculenter diſputat Hugo Victor. vbi perturbatum huius horologij ordinem, ita primum deſcribit: *Trinitas ergo quæ cecidit eſt memoria, ratio, voluntas. Trinitas per quam cecidit, ſuggeſtio, delectatio, conſenſus. Trinitas in quam cecidit, peccatum affectus, effectus, & conſuetudinis.* Deinde fusè oſtendit qua ratione per præclaras alias, & inter ſe connexas trinitates virtutum ad priſtinum ordinem humanam ſtructuram Deus redegerit. *Lapſum*, inquit, *naturæ noſtræ reparauit illa beata Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Hæc Trinitas aliam Trinitatem in nobis effecit, fidem, ſpem, & charitatem: Pater fidem, Filius ſpem, Spiritus ſanctus charitatem. Per hanc Trinitatem, velut per tridentem, de limo profundi ad amiſſam beatitudinem incommutabilis Trinitas mutabilem, & lapſam Trinitatem reduxit. Nam fides illuminauit rationem, ſpes erexit memoriam, charitas purgauit voluntatem.*

Hugo Victor. lib. 3. miſcel. tit. 1.

CAPVT XX.

Iuſtus, maximè Doctor, & Paſtor omnes virtutes comparare, debet.

Ciuitas appellatur à Chriſto Domino Doctor, atque Paſtor; idem dici de perfecto viro & iuſto poteſt, quia ſicut ciuitas non paucas ſed quam plurimas domos complectitur: non vnam, vel alteram artem, & officium; nec vnum hominum ordinem ſed conctos aggregatos habet: ita Prælatus, & Doctor, omneſque perfecti iuſti non vnam, vel aliam virtutem pollident, ſed omnibus prorſus muniuntur & ornantur. Quod cecinit Regius vates, cum de perfecti hominis anima ſermonem habens dixit: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Vbi S. Hieronymus de præfata anima totum Pſalmum intelligens ait: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Ciuitas non eſt vnum ædificium, ſed in multis ædificiis conſiſtit: ſic & Sion noſtra niſi plures virtutes habuerit, ciuitas Dei non erit.* Chriſtus animam ſponſam ſuam omnibus quidem virtutibus ornatam agnoſcebat, cum eam ita laudabat. *Pulchra es amica mea ſicut Hieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Sicut enim Hieruſalem ex multarum domorum pulchritudine pulcherrima ciuitas euadebat: ita iuſti anima ex præclara multarum virtutum ſpecie pulcherrima ſponſa redditur. Eodem ſpectat adiuncta caſtrorum comparatio. Vnde Hugo Card. ad hunc locum ita habet: *Anima fidelis pulchra eſt Hieruſalem, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata, id eſt, in variis virtutum operibus, tanquam fortiſſimis, & fideliſſimis bellatoribus præmunita.* Omnium ergo virtutum connexio & ad ornamentum, & ad firmamentum animæ neceſſaria eſt, vtrumque complexus eſt S. Hieron. dum de quatuor Cardinalibus virtutibus diſputans ait: *Nihil hoc monili pretioſius. Nihil hac gemmarum varietate diſtinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, & protegeris: & ornamento tibi ſunt, & tutamini: gemmæ vertuntur in ſcuta.*

Pſal. 1.

Cant. 6.

Hugo Cardinal. epiſt. ad Nepotian.

Id quidem Salomon in parietibus templi pulchris cęlaturis pulchrè depinxit, ſic enim legimus: *Sed & omnes parietes templi per circuitum ſculpſit cælaturis variis.* De quo Hugo Victorinus eleganter ad rem noſtram diſputat in hunc modum: *Habes igitur in templo ſpirituali diuerſas cælaturas, dum intrinſecus in animo virtutum diuerſitates locas. Attende igitur in quolibet loco intelligibilis templi boni imaginem, id eſt, manſuetudinem: imprime, & alibi leonis figuram, rigorem videlicet ſeueræ diſtrictionis: imprime columbam, ſimplicitatis formam: adde & turturem, id eſt, caſtitatem: interpone munditiam lilij, ſeu roſam martyrij.* Quod ſane & ſapientes gentium ſubodorati ſunt, dum muſas manibus inuicem ſe tenentes, choream in gyrum ducere finxerunt, ſignificantes, omnes ſcientias, & virtutes inter ſe concatenatas pariter eſſe complectendas vt gyrum quemdam faciant, quę encyclopædia dicitur, vt interpretatur Barthol. Tægius. Ad hanc muſarum coniunctionem ſpectat, quod eleganter Origenes dixit: *Iuſtus intra cor ſuum bibliothecam diuini conſecrat verbi.* Sicut enim in bibliotheca omnium artium, & ſcientiarum aſſeruantur libri. Ita in corde iuſti omnes habitant non muſæ, ſed virtutes.

3. Reg. 6. Hug. lib 3. de clauſtro animæ c. 21.

Bartol. Tæg. lib 1 de arte fabrican inſig.

Cæterum, vt iuſtus Chriſti bonus odor ſit, gratiam ipſi ſuaueolentiam offerens, cunctis virtutibus cor eius debet fragrare. Cuius non ignara ſponſa variorum florum odoribus cordis ſui lectulum curauit ſpargere, vnde gloriabunda dixit: *Lectulus noſter floridus.* Ad quæ verba S. Bernard. in noſtram ſententiam ſic habet: *Lectulus reſperſus floribus, conſcientia eſt bonis referta operibus.* His multarum, & variarum virtutum odoribus capitur ſponſus, & ad lectulum conſcientiæ trahitur. Quos varios florum id eſt, virtutum odores congruè deſcripſit S. Gregor. inquiens: *Aliter olet flos oliuæ, quia ſuaue eſt opus miſericordiæ, quia more olei refouet, & lucet. Aliter flos roſæ, qui à mira eſt fragantia, quæ rutilat, & redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilij, quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna eſt virtus humilium, qui ex deſiderio loca vltima tenentes ſe per humilitatem à terra in altum non ſubleuant, & cæleſtis Regni purpuram in mente ſeruant.* Huiuſmodi virtutum

Cant. 1. S. Bernard. ſerm 47 in Cantic.

S. Gregor. hom. 6. in Ezech.

virtutum odoribus ita delectatur Dominus, vt thymiama ex variis compoſitum iugiter in altari ſuo ardere voluerit. Quid autem hæc odorum coniunctio, ac compoſitio ſignificet, optimè explicuit Cyrill. Alexandrin. inquiens: *Quia non*

S. Cyrill. lib. 9. in Leuit.

eſt vna ſola ſpecies operum; ſed ex iuſtitia, ex pietate, ex continentia, ex prudētia, & omnibus huiuſmodi virtutibus componitur hoc, quod placet Deo. Cor iuſti aureum thymiamatis altare eſt, in quo virtutum omnium aromata coniuncta ardent, atque redolent. Vnde iuſti anima Chriſti ſponſa

Cant. 3.

ex huiuſmodi aromatibus compoſita, ardens, redolenſque deſcribitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Vbi S. Greg. in noſtram ſententiam ſic explicat: *Pigmenta quippe facimus, quando virtutes cōgregamus in corde. Quando vero ipſas noſtras virtutes per ſingula quæque opera diligētius retractamus, nequid in operibus noſtris incultū remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc proculdubio vnguenta virtutum quaſi in puluerē tundimus, vt eo mundiora ſint opera noſtra, quo ſubtilius ea ab omni ſubreptione vitiorū diſcernere non ceſſamus.* Quia vero anima ipſa ſponſæ tanquam virgula fumi, quæ ex igne conſurgit, deſcribitur. Ad id etiam S. Doctor omnes virtutes requirit, alia quidem ratione, quam eleganter exprimit his verbis: *Cum anima ſe ad cœleſtia maiori deſiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes ſuperfluas cogitationes feruenter abiicit, quaſi thuribulum cor ſuum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quaſi carbones in thuribulo coaptat, in quo ſeipſam mens in conſpectu Dei igne charitatis accendat. Dumque feruentes, & mundas orationes ad Deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit, vt coram dilecto ſuaue redoleat, & proximos quoſque ad eius amorem per bona exempla concitare non deſinat.* Apte quidem comparat cor iuſti thuribulo, charitatem igni, virtutes coniūctas prunis in thuribulo coaptatis, mundas orationes, & ſancta operum exempla ex charitate manantia fumo aromatum ex igne progredienti. Qui ergo velit ſuauiſſimi odoris fragantia Deum & proximos oblectare, virtutes omnes ſtudeat in corde coniungere. Similiter quiſquis deſiderat diuinas aures ſuauiſſima muſica delinire virtutes omnes, quaſi plures præclaras voces, ſine quibus concentus non eſt, in ſe diligenter debet copulare. Quod egregiè præſtabat Dauid de quo eleganter

S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 22.

S. Ambroſ. dixit: *Dauid etiam fortis in bello, patiens in aduerſis, in Hieruſalem pacificus, in victoria manſuetus, in peccato dolens, in ſenectute prouidus, rerum modos, vices temporum per ſingularum ſonos ſeruauit ætatum, vt mihi videatur non minus viuendi genere, quam canendi ſuauitatè prædulci, immortalem Deo ſui fudiſſe cantilenam.* Vbi duo, quæ ad prædulcem cantilenam requiruntur, attentè notauit & congrue admodum vitæ ſancti Regis applicuit. Etenim ad egregiam cantilenam neceſſarius eſt, & multarum vocum concentus, & proprius cantilenæ modus, ac ſonus ad rhythmicā normā directus, vulgo *tono ô tonada.* Hæc enim duo valde diuerſa ſunt, cum idem vocum chorus, ac concentus, diuerſos paſſim cantilenæ modos, ac ſonos concinere ſoleant. In ea ergo ſpirituali cātilena, quā iuſti Deo fundunt, virtutum omnium coniunctio multarum vocum eſt chorus ad concentum neceſſarius, quem virtutum chorum monſtrauit Ambroſius, cum Dauidis fortitudinem patientium, pacem, manſuetudinem, pœnitentiam, & prudentiam recenſuit: at modulatos cantilenæ ſonos pro rerum modis, pro temporum vicibus, pro ætatum qualitatibus diſcriminauit. Idem enim virtutum chorus in iuſto, aliter ſpiritualis cantilenæ ſonum modulatur in re aduerſa, aliter in proſpera, vno modo in iuuentute, alio in ſenectute, & pro diuerſitate euentuum diuerſos edit cantilenæ modos.

Planè, ita debet homo omnes virtutes comparare, & in corde ſuo coniungere, vt non ſolum vires, ac potentiæ animæ, ſed omnia pariter corporis membra ipſis virtutibus exerceantur, muniantur, ornentur. Quod ſatis indicauit Paulus, 1. Cor. 7.
cum à Virgine expoſcit, *vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Quæ verba dum optimè pendit S. Hieronym. ait: *Non dixit, vt ſit ſancta membro, aut corpore tantum, ſed vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Membrum enim vna corporis pars eſt; corpus verò omnium compago eſt membrorum. Cum ergo dixit, vt ſit ſancta corpore, omnibus membris eam ſanctificari debere teſtatur: quia non proderit ſanctificatio cæterorum membrorum, ſi inueniatur in vno corruptio.* Conſonat S. Gregor. Nyſſenus inquiens: *Repleatur oculus earum rerum aſpectu, quæ recta ſūt. Repleatur manus operibus bonis. Repleantur itidem pedes ad viſendos pauperes, & ad ea, quæ oportet exequenda proficiſcentes; omnia denique membra noſtra repleantur obſeruatione mandatorum Dei.* Quod ſi homo non ſit omnibus virtutibus inſtructus, nequaquam poteſt membra omnia bonis operibus replere.

S. Hieron. ep. 14. de laud. virg.

Sed quamuis omnis iuſtus virtutes comparare, & cūctas habere debeat; maximè vero Doctor atque Paſtor. Quod typicè præſignatum eſt in veteris legis ſacerdote, qui duodecim lapides pretioſos in rationali præferebat, & virtutes omnes à Doctoribus, & Paſtoribus in pectore gerendas repræſentabat. Quapropter S. Hieron. de veſtitu ſacerdotum ſic habet: *Rationale duodecim lapides habet, quatuor ordinibus diſtinctos, ita vt quilibet ordo lineam trium lapidum efficiat. Quatuor ordines, quatuor puto eſſe virtutes, prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, & temperantiam, quæ ſibi hærent inuicem; & dum mutuo miſcentur, duodenarium efficiunt numerum.* Doctor ergo pretioſis virtutum omnium lapidibus ornari debet. Non vnum, aut alterum lapidem, ſed omnes geſtare debet in pectore. Ideo collum Eccleſiæ, in quo propter vocem, Doctores intelliguntur, non vni, ſed multis monilibus comparatur: *Collum tuum ſicut monilia.* Vbi S. Greg. Nyſſenus: *Non vni* (inquit) *ſed pluribus monilibus comparatur, quod multarum virtutum ornamento egeat.* His ergo monilibus lapidibuſque pretioſis Doctor atque Paſtor ornentur

S. Hieron. epiſt. ad Fabiolam.

Cant. 1.

DE

DE SALE MYSTICO.

LIBER VNICVS.

IVSSIT in Leuitico Dominus: *Ne auferas ſal fœderis Dei tui de omni ſacrificio tuo, nec non, & in omni ſacrificio ſal offeres*, videlicet in omni munere, vt quodcumque docueris, aut correxeris, in quocumque propoſito verſatus fueris, Apoſtolicam ſapientiam, & imitationem ſemper habeas, vt interpretatur Sanctus Paſchaſius alludens ad illam ſaluatoris ſententiam Apoſtolos alloquẽtis, *vos eſtis ſal terræ*. Quod idem Sanctus Paſchaſius ſic exponit: ſal vtique pro ſapientia figuratè accipitur. De qua Paulus, Sapientiam, inquit, loquimur inter perfectos. Sapientiam autem, non huius mundi, neque principum mũdi huius, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſtinauit ante ſæcula ad gloriam noſtram. Nec itaque mirum, ſi os ſapientiam voluit appellari, qui & Dij & lux ſunt vocati: equidem non ſubſtantialiter, ſed per gratiam, multis huiuſmodi nominibus ſublimati: ſal terræ, id eſt, ſapientiam eos dicit, propter donum Spiritus ſancti, ex quo ſunt veræ ſapientiæ participes facti. Et ſi quærenda eſt proprietas dictorum, aquæ, & ignis, quibus duobus ſal conficitur, cogitanda ſunt elementa. Vnde in Pſalmo: *Tranſiuimus*, inquit, *per ignem: & aquam, & induxiſti nos in refrigerium*. Ac ſi patenter dicat, vos eſtis ſal terræ, quia ex aqua Spiritus ſancti, quam ego dedi vobis, & igne tribulationis, in vnum ſapientiæ ſaporem concreti. Vel certè per aquam Baptiſmi, & ignem charitatis renati ad condimentum terrenarum mentium dati eſtis. Terrenarum enim mentium inſipientia, quia terram ſectantur, cruentat animas. Idcirco ſalis officio ad ſaliendas eas data eſt doctrina Apoſtolorum. Quidquid enim ſale conditur conficiendo caret ſanguine, & putredinem purgat. Vbi autem peccati corruptio ſale deſiccatur ſapientiæ, vermes non demoliuntur, nec ſapor infatuatur. Vt igitur cibus non eſt aptus ad comedendum, niſi ſale condiatur: ita ſermo vtilis non erit ad diſciplinam, ſi Apoſtolicæ ſapientiæ non habuerit documentum. Hactenus ille. Quo pacto poſſimus hoc præſtare, haud inutilis erit opera diffuſius exponere, & totam illam ſaluatoris ſententiam plenius illuſtrare, *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*.

Leuit. 2.

S. Paſchaſ. lib. 5. in Matth. ad cap. 5.

Pſal. 65.

CAPVT PRIMVM.

Sal ſapientiæ, ac prudentiæ maximè neceſſarius eſt in Prælato & Principe.

DVM Chriſtus Dominus Paſtores, atque Doctores *ſal terræ* appellat, ſapientiam doctrinam, ac prudentiam ab eis requirit, quæ in ſale ſymbolicè ſignificatur. Nam ſicut omnis cibus ad nutrimentum aptus neceſſario ſale conditur: ita omnis ſermo ſalutaris, ac vtilis Apoſtolicæ omnimodo ſapientiæ neceſſarium habet condimentum. Ideo Patres hoc loco Apoſtolicæ ſapientiæ doctrinam, qua animæ condiuntur per ſalem intelligunt Sanctus Hilarius. De Apoſtolis inquit: *Meritò ſal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrinæ quaſi ſalientes, æternitati corpora ſeruant.* Expreſſius Remigius ſalis proprietates Apoſtolicæ Sapientiæ accommodans ait: *Sapientia cœleſtis per Apoſtolos prædicata exiccat humores carnalium operum, aufert fœtorem, & putredinem malæ conuerſationis & vermem libidinoſæ cogitationis, & illum de quo dicit Propheta, vermis eorum non morietur.* Chryſoſtomus etiam ſic habet: *Doctor enim cum fuerit omnibus prædictis virtutibus ornatus, tunc eſt quaſi optimum*

mum ſal, & totus populus de illo conditur, videndo eum, & audiendo. Populus cum ſanctum videt Doctoris exemplum, & ſapientis doctrinæ audit documentum, quaſi optimo, ac viuifico ſale ad æternitatem conditur.

Debent ergo Paſtores & Doctores ſale cœleſtis doctrinæ atque ſapientiæ ſubiectam ſibi plebem condire, & à vitiorum corruptione præſeruare: nam ſine ſapientia, ac prudentia potius perdent, quam ſeruabunt populos. Hinc illud Pythagoræ conſilium, quod tantopere laudat Sanctus Auguſtinus inquiens: (S. Auguſt. lib. de ordine.) *Mirari, & quotidianis efferre laudibus ſoleo, quod regendæ Reipublicæ diſciplinam ſuis auditoribus vltimam tradebat, iam doctis, iam perfectis; iam ſapientibus, iam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, vt eis nollet committere niſi virum, qui & in regendo penè diuinè ſcopulos euitaret, & ſi omnia defeciſſent ipſe illis fluctibus quaſi ſcopulus fieret. De ſolo enim ſapiente veriſſimè dici poteſt: ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.*

Sapientia ergo ad gubernationem populorum maximè requiritur. Quod vt Ioannes Goropius docet in Vertumno ſignificarunt antiqui, cum finxerunt, Palladem ſapientiæ Deam conſeruationi vrbium præſidere; intelligi nimirum volentes, in ſolis hominum prudentem conſiliis & ſapientia Reipublicæ ſalutem ſitam eſſe. Id autem ſapientes tunc maximè præſtare valent, cum pariter potentia vigent. Nam vt Plato ſcribit, (Plato in epiſt. ad Dionyſ.) Palladem artes callere, & ſimul haſtam vibrare, & armatam effingi, ſignificat feliciſſimam eſſe copulam, & ſapientiæ, & potentiæ, quando in eodem animo, & ſapientia, & potentia copulantur. Hunc ſapientiæ, & potentiæ nexum in animo gubernatoris egregio ſymbolo ſignificauit Claudius Paradinus, (Claudius Paradinus in ſymbol. Heroicis.) cum depingit malum nauis in cuius vertice ſint velut duo ignes, qui à nautis antiquis dicebantur Caſtor, & Pollux; à noſtratibus vero dicuntur ſtellæ Sancti Nicolai, vel ſancti Hermiæ, cum titulo: *Proſper vterque mari.* Nam hi duo ignes coniuncti ſalutem nauis portendunt; ſi vero vnus tantum ignis in mali vertice apparuerit, quem ignem ſolum Helenam vocant, quod minetur naufragium, ſignificat ſolam potentiam prudentia deſtitutam.

Verum, cum Prælati ſatis ſint poteſtate muniti, in doctrinam ſapientiæ comparandam toto pectore debent incumbere. Nam vt de eis dicitur: (Prouerb. 25.) *Gloria Regum eſt inueſtigare ſermonem.* Quod exponens Sanctus Gregorius, (S. Gregor hom 6. ſuper Ezech.) ſic ait: *Tenebroſa aqua in nubibus aeris; quia obſcura eſt ſcientia in Prophetis. Sed Salomonis voce atteſtante audiuimus: gloria Dei eſt celare verbum, & gloria Regum inueſtigare ſermonem: quia honor Dei eſt ſecreta ſua abſcondere; & gloria hominum myſteria ſermonis eius aperire.* Hæc gloria Doctores, & Prælatos maximè decorat, cui proinde magnopere operam debent nauare. Id ex Apocalypſi Ioannis intelligere licet, vbi omnium Eccleſiarum Epiſcopi, ad quos de mandato Chriſti ſcribit Ioannes, Angeli in his litteris appellantur, ob ſcientiam, ac ſapientiam, qua præſtare debent: quemadmodum docet Sanctus Dionyſius Areopag. (Dionyſ. Areopag. lib de cœleſti Hier. cap. 11.) Quam rationem complexus eſt Malachias, cum dixit: (Malach. 2.) *Labia ſacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quem locum ſic interpretatur Sanctus Hieronymus: *Angelus, id eſt, nuntius, ſacerdos Dei veriſſime dicitur; quia Dei, & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum nuntiat voluntatem: & idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina, & veritas ponitur; vt diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis.* Quibus verbis alludit Hieronymus ad illud: (S. Hieron. ad Exod 28.) *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Doctrina ponitur propter ſcientiam, veritas propter ſinceritatem, vt nihil affingat, ſed omnia ſic tradat, ſicut à Deo accepit. Pro doctrina eſt Hebraicè *vrim*, id eſt, illuminationes, quia magna ſit oportet doctrina Prælati, vt omnes poſſit illuminare. Pro veritate eſt, *Tummim*, id eſt, perfectiones; quia magna debet eſſe in Prælato perfectio, & integritas, tum vitæ, tum etiam doctrinæ. Hac debet vti ad directionem, admonitionem, & correptionem ſubditorum, quæ qualiter fieri debeat ſequentibus exponemus capitibus.

CAPVT II.

Sal Eccleſiæ fideles ad virtutem condit.

CVm Chriſtus vocat Apoſtolos ſal terræ, eorum commendat Euangelicam doctrinam, & ſapientiam, qua terrenos homines æternitatis ſapore condiunt, & à vitiorum putredine liberant: Apoſtoli enim, Doctores, ſacerdotes, & vniuerſi Paſtores, non per ſe ſal terræ ſunt; ſed quatenus doctrinam veritatis habent; quâ ſalis munia in hominibus exerceant. Sal ergo Eccleſiæ doctrina eſt Euangelij, & fidei, atque veritatis ſapientia, quem ſalem, cum Dominus Eccleſiæ dedit, fideles omnes ad veram, perfectamque virtutem obſtrinxit.

Idcirco iſte ſal Chriſtianæ ſapientiæ in Eccleſia perpetuò durabit, ne ad condiendos munus, & præſeruandos animos, defectum ſalis poſſint homines cauſari. Nam vt ſal in menſa vſque ad prandij permanet finem; ſic diuinus Chriſtianæ doctrinæ ſal ad finem vſque mundi in Eccleſia permanebit. Vnde Dominus ait: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio, &c.* Nunquam enim in Eccleſia Euangelici viri deficient, qui ſalis munere fungantur. Nam quemadmodum ex aſtris, cum occidunt quædam, alia oriuntur, ita ex fulgentibus his ſideribus id eſt, Eccleſiæ ſapientibus, cum alij moriuntur, in locum eorum alij ſubſtituuntur. De familia quadam

Caſſiod. lib. 5. var. epiſt. Reg. Theodorici ad ſenat. Romanum.

quadam ait Caſſiodorus : *Concordat huic familiæ ramus ille ditiſſimus, qui Virgiliano carmine ſemper enaſcitur.*

Hoc enim avulſo, non deficit aureus alter
Et ſimili frondeſcit virga metallo, &c.

Hoc certe elogium ſoli Chriſti familiæ congruit, in qua vno Doctore mortuo, non deficit alter aureus, aurea fide, charitate, & ſapientia præditus, & ſimili ſemper Doctorum metallo Eccleſia direſcit. In omni igitur tempore, & loco minime deeſt fidelibus ſapientiæ ſal, quos ſuos poſſint animos, niſi torpeant, affatim condire. Olim Deus ſalis quandam ſtatuam in mundo propoſuit, vxorem videlicet Loth in ſtatuam ſalis conuerſam, quod poſt tergum reſpexiſſet.

Geneſ. 19.

Hoc ſale, id eſt, mulieris exemplo condire nos voluit, ac docere, ne poſt tergum reſpiciamus, ſed quæ retro ſunt cum Paulo obliuiſcentes ad ea, quæ ſunt priora nos ipſos extendamus. In hunc enim ſenſum locum interpretatur Sanctus Auguſtinus his verbis:

S. Auguſt. lib 16. de ciuit. Dei c. 30.

Ad quod pertinet, quod prohibiti ſunt, qui liberantur ab Angelis, retro reſpicere, niſi quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur, ſi vltimum iudicium euadere cogitamus. Denique vxor Loth, vbi reſpexit, remanſit, & in ſalem conuerſa hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. Tunc quidem vnicam ſalis ſtatuam in definito loco, ac tempore ad condiendos hominum animos deſtinauit: at in hoc Euangelij tempore non ſtatuam ſenſu carentem, ſed viuentes, ſpiranteſque ſalis homines, in omni loco & tempore frequentes, mundo condiendo Deus præbet. Vos, inquit, diſcipuli, vos ſacerdotes, populique Doctores, eſtis ſal terræ viuens, atque ſpirans, qui tum vita tum verbo inſulſis hominibus cœleſtem ſaporem afferre debetis.

Quæ dicta ſunt ad ſalis pertineant quantitatem, quam tam abunde Deus ſuppeditauit, vt inſulſi homines excuſationem vllam nequeant prætendere; nunc de eiuſdem qualitate & efficacitate dicendum, quæ tanta eſt, vt homines omnino reddat inexcuſabiles. Sal enim diuinæ doctrinæ, & ſapientiæ ita hominem condit, vt qui cibus erat Diaboli, cibus Dei euadat. Peccator enim terra eſt, atque adeo cibus Diaboli cui dictum à Deo eſt, *terram comedes.* Hæc verba interpretatus Sanctus Auguſtinus, ait:

Geneſ. 3. S. Auguſt. lib de Agone Chriſtiano cap. 2.

Datus eſt in cibum Diabolo peccator. Non ſimus terra, ſi nolumus manducari à ſerpente. Vt igitur cibus eſſet Dei, qui cibus erat ſerpentis, miſit Deus in terram ſalem, à quo conditus ſerpentis cibus, cibus fieret Dei: *Vos eſtis* ait, *ſal terræ:* Terræ, inquam, illius ſal eſtis, quam ſerpens comedebat, ne iam illam comedat. Si Apoſtolico ſale bene condiatur terra, ſerpentis cibus eſſe non poterit; ſi ſalem reſpuat, à ſerpente deuorabitur. Iuuat audire Sanctum Gregorium dicentem:

S. Gregor. hom. 17 in Euang.

Quid animas hominum, niſi cibum Domini dixerimus? Quæ ad hoc ſunt condita, vt in eius corpore traiiciantur, id eſt, vt in æterna Eccleſia augmentum tendant. Sed huius cibi condimentum nos ſacerdotes eſſe debuimus, &c.

Præterea, materialis ſal ſterilis eſt, nam ſuccum terræ non ſolum exedit, ſed exurit: vnde Sanctus Hieronymus ait: *Legimus vrbes quaſdam ita victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur.* Ad hunc locum.

At ſal Chriſtianæ ſapientiæ fertilis eſt. Quapropter victor mortis, tartarique Chriſtus mundum victum ſale ita ſeminauit, vt præclariſſima ederet germina. Rhodig. lib. 6. c. 1.

Sal victoris Chriſti virtutum germina non extinxit, ſed emortua excitauit. Hoc ſale effloruerunt virginitatis lilia, martyrij roſæ, humilitatis violæ, charitatis, reliquarumque virtutum præſtantiſſimi flores, & vberrimi fructus toto ſunt orbe ſparſi.

Ad hæc, ſal corporibus ſalutem affert, atque corruptionem arcet. Quapropter Cœlius Rhodiginus ſcripſit: *Vetus ſententia eſt, à celeberrimis vtriuſque linguæ authoribus litteris commendata; totis corporibus nihil eſſe vtilius ſale, ac ſole. Ideoque piſcatorum corpora videri cornea. Item: aſtringit ſal, ſiccat, alligat, putreſcentia quoque corpora ita vendicat, vt ea durent per ſecula. Quod Ægyptiorum comprobant inſtituta, quibus mortuos ſale condire moris fuiſſe plane Herodoto credimus.* Nihil vtilius eſt corporibus ſale, & ſole, nihil item vtilius animis ſale & ſole, ſed Apoſtolico. Aſtringit hic ſal, ſiccat, alligat, & corruptionem peccatorum, putredinemque depellit. Sal, quo Ægyptij mortuos condiebant, vitam illis minime dabat; Apoſtolicus autem ſal vita carentes à morte excitat, de peccatoribus Dauid ait: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Pſal. 13. Et in Geneſi dicitur: *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Geneſ. 6. Et in alio Pſalmo. *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Pſal. 37. Vt hunc mundi corruptionem, putredinemque ſanaret, ſalem Deus miſit in mundum. Tanta enim vis Apoſtolici eſt ſalis, vt non ſolum ſana à corruptione liberet, verum corruptis etiam ſanitatem afferat. Porro ſal Chriſtianæ doctrinæ, atque ſapientiæ hunc tam mirum effectum non mendaci ſuauitate, ſed viuida mordacitate præſtat. Melle, ideſt, voluptate, fermentoque peccati totam maſſam, id eſt totum hominem, animam, corpuſque Diabolus corrumpit: at Deus mel, fermentumque execratur, ſale aſtringente, ſiccante, ſuauiterque mordente, mellis, fermentique, id eſt voluptatis ac peccati corruptionem pellit, & gratiæ ſalutem ſeruat. Id vt ſignificaret Deus ſic mandat: *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Leuit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificii ſale condies.* Mel & fermentum Dominus à ſacrificiis ſuis reiicit; ſalem in omnibus poſtulat; quia voluptas ſenſualis opera noſtra maculat, mortificatio vero carnis ſacrificia noſtra conſummat. Sal enim mortificationis vitali mordacitate carnem condit, vt virtutum bona parere poſſit. Sal enim carnem erodit conchatum. Vnde præclari vniones exoriuntur, vt Plinius ſcribit his verbis: *Conchæ capiuntur retibus; multo deinde ſale obrutas (tradunt quidam) in vaſis fictilibus, eroſa carne omni, nucleos quoſdam corporum, id eſt, vniones decidere in ima.* Plin. lib. 9 c. 35. Eodem pacto ſi diuinum ſal carnem noſtram erodat, atque conſumat,

ſumat, id eſt, mortificet: eximij, puriquе exorirentur vniones, gemmæque virtutum pulcherrimæ.

Capvt III.

Paſtores ſeu Prælati ſeueritatem correctionis ſuauitate conſolationis temperare debent.

SAl in ſe continet ignis, & aquæ vim, ac proprietatem, vt docet Sanctus Hilarius. Vnde ex blanda aqua trahit ſuauitatem, qua grato ſapore condit cibos; & ex violento igne ſumit mordacitatem, qua corpora conſtringit, exſiccat, & à corruptione ſeruat. Cum ergo Apoſtoli, omneſque Paſtores ſal terræ à Chriſto vocantur, geminæ functionis proculdubio admonentur, quas in ſalutem animarum debent impendere, vt nimirum mordacitatem ſeueritatis, & ſuauitatem conſolationis coniungant, & diſtrictæ correctioni paternam dulcedinem admiſceant.

in Matth. 5.

De his quidem duabus functionibus per baculum paſtoralem, qui Prælatis datur, omnes Paſtores admonentur, vt docet Michael Timothæus. Baculus enim & percutit, & ſuſtentat, quo docetur Paſtor debere ſe corripere, & conſolari. Quamobrem vt refert Durandus, à conſecratore dicitur conſecrato: *Accipe baculum Paſtoralis officij, vt ſis in corrigendis vitiis piè ſæuiens.* Baculus ergo Paſtoralis piam ſæuitiam, vel ſæuientem pietatem ſignificat, id eſt, ſeueritatem ſuauitati admixtam. Et quidem ſi Paſtor baculo tantummodo vtatur ad percutiendum, parum profectò proficiet. Id quod adumbratum eſt, vbi puer mortuus non Prophetę baculo, ſed ipſius vitali calore ad vitam reuocatur. De quo Petrus Damianus ſic habet: *Is qui terroris virga ſuſcitari non potuit, per amoris ſpiritum puer ad vitam redit.* Quam multos licet frigidos ac demortuos ad vitam animæ reuocaret Prælatus, ſi eos non tam virga percuteret, quam amore calefaceret. Id exactè adumbrarunt tria illa diuini fœderis inſtrumenta, quæ in arca veteri ſeruabantur, ſcilicet tabulæ legis, virga, ſiue baculus Aaron, & in vaſe manna: nam ſcopus Prælati, debet eſſe, vt ſubditi legem tabularum integrè ſeruent; ad hoc autem perficiendum vti debet baculo, & manna, vt virga correctionis percutiat, & manna conſolationis permulceat. Qua in re Prælatus virgam & baculum ſummi Paſtoris Chriſti debet imitari, de quo Dauid ait: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Hoc eſt, ita virga tuæ correctionis me percutis, vt baculo tuæ conſolationis pariter me ſuſtentes in quem ſenſum Caſſiodorus dixit: *Virga eſt diſtrictio, quæ conuertit vitia; baculus gubernatio quæ ſuſtinet fideles.* Et Sanctus Auguſtinus ſic: *Ipſa me conſolata ſunt, quia erudiendo non afflixerunt.* At dices: qua ratione poteſt conſolari ſummi Paſtoris virga, cum ferrea, id eſt, duriſſima ſit iuxta illud Pſalmi: *Reges eos in virga ferrea.* Quid enim rigidius ferro? Quid æque timendum, ac virga ferrea, qua Chriſtus armatus orbis totius regimen auſpicatur? Bene virga ferrea Chriſto committitur; ferrea autem dicitur, non quia rigida, ſed vt occurrit Sanctus Hilarius; *quia validiſſima, & pro natura ſua ſoliditate firmiſſima.* Hoc autem ferrum emollitum eſſe mira gubernationis ſuauitate, ſuadet illud apud Iſaiam: *Egredietur virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet.* Virgam dixit ferream, vt ſoliditatem, & integritatem iuſtitiæ demonſtraret; ſed radicem attulit, vt aliquantulum de rigore ferri detraheret. Florem denique appoſuit, vt nihil ſuauius, & fragrantius, quam Chriſti Domini diſciplinam eſſe intelligeremus. Quod ſubtiliter ſubnotauit Sanctus Hilarius. *Ecce, inquit, virga de radice Ieſſe ac ne tyrannicam in eo ſeueritatem per virgæ nuncupationem auderet quiſquam opinari, continuo Propheta adiecit: & flos de radice eius aſcendet: vt virgæ ſeueritatem floris ſuauitas temperaret.* Habeat ergo Prælatus baculum, ſiue virgam percutientem, ſed quæ flore benignitatis duritiem correctionis leniat. Sic enim Chriſti virgam, id eſt, Dei iuſtitiam, ac bonitatem imitabitur, vt Sanctus Diadochus docet: *Cum contra eos (inquit) qui aliquid iniquè aut flagitioſè committunt, ira ſedate vtimur, vt aut ſalui fiant, aut pudore afficiantur, manſuetudinem ei adiungimus; eodem enim tendimus, quo iuſtitia, & bonitas Dei ſpectat.* Hoc eſt, cum pacatè, & manſuete eos corripimus, qui delinquunt, atque iræ manſuetudinem miſcemus, tunc Dei bonitatem, & iuſtitiam imitamur. Cum autem bonitatis, & iuſtitiæ ſit commixtio, proſperū euentum habet correctio. Vnde ait Propheta: *Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Sanctus Hieronymus legit: *Propter manſuetudinem iuſtitiæ.* Quaſi in Deo ipſa iuſtitia ſit manſuetudine temperata, & inde eueniat vt correctio ſit frugifera. Accedat denique Sanctus Gregorius ea quæ diximus ſua authoritate confirmans, qui ſic habet: *Quod iuxta Pauli vocem, bene illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul, & manna eſt; quia cum ſcriptura ſacra ſcientia in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc & Dauid ait: virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet: ſit itaque amor, ſed non emolliens; ſit rigor ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat, parcens, vt dum ſe in arce regiminis iuſtitia, clementiaque permiſceant, is qui præeſt, corda ſubditorum, & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.* Habeat igitur baculus prælati in ſummitate ſymbolum illud, quod olim Ægyptij in ſuperiori parte ſceptri Regalis depingebant, nempe ciconiam, & hippopotamum, id eſt, monſtrum quoddam fluuiatile, ſeu Niliacum, vt in illa Regis pietatem, in hoc ſeueritatem adumbrarent. Ita tamen, vt pietas potiorem locum obtineat. Id ſuo exemplo edocet Paulus, cum Corinthios ita obiurgat: *Quid*

Timoth. in Miſſ. ſacrific. tract. 1. q. 8.
Durand. lib. 3. c. 15.
4. Reg. 4.
Pſal. 22.
Pſal. 2.
S. Hilar. in Pſal. 2.
S. Diadoch. de profect. ſpirit. c. 62.
Pſal. 44.
S. Hieron. epiſt. 150.
S. Gregor. in Paſt. p. 2. cap. 6.
1. Cor. 4.

Digitized by Google

Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis? Quæ verba optime expendit S. Ambroſius inquiens: *Vt ſcias mitem eſſe doctorem eorum ipſorum, quos arguit, conſulit voluntatem. Semel virgam dixit, bis mitiora ſubiecit, adiiciens manſuetudinem charitati.* Vide quam multo condimento temperat virgæ acerbitatem.

S. Ambroſ. lib. 7 in Luc. c. 10.

Caput IV.

Idem aliis auctoritatibus oſtenditur.

COniungendam eſſe in Apoſtolico ſale corripiendi mordacitatem cum ſuauitate condiendi, multa alia ſuadent. Primùm, ſummus ſacerdos & ſanguine & oleo initiabatur, vt videlicet pia lenitate ſæuitet; & ita ſanguinem cogitaret, vt blandiſſimi quoque olei meminiſſet. Cuius etiam rei egregium ſymbolum eſt in Ezechiele, vbi per parietes myſtici templi affictus erat inter palmas Cherub huiuſmodi: *Duaſque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* In templo, quod ſedes eſt Prælatorum, ac ſacerdotum, congruè ipſorum effigies deſcribitur. Nam Paſtor & Doctor duas facies debet habere, & hominis benignam, & leonis rigidam: vtraque autem palmā reſpiciebat; quia ſiue Paſtor, inſtar leonis rugiat, vel tanquam homo benigne agat, id ſpectare debet, vt qui corrigitur, palmam æternæ ſalutis conſequatur. Has duas in rectore facies optat Sanctus Gregorius, cum in eo & maternam pietatem, & paternam diſciplinam requirit, inquiens: *Curandum quippe eſt, vt rectorem ſubditis, & matrem pietas & patrem exhibeat diſciplina. Nam erga ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſte conſolans miſericordia, & pie ſæuiens diſciplina.* Hoc autem exemplo pij Samaritani ſignificatum eſſe à Chriſto, ſubinde ita confirmat: *Hinc namque eſt, quod docente veritate, per Samaritani ſtudium ſemiuiuus in ſtabulum ducitur, & vinum, atque oleum eius vulneribus adhibetur, vt per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Neceſſe quippe eſt, vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur.* Quamobrem Paulus, cum videret diſcipulum ſuum Timotheum vino ſeuerioris diſciplinæ abundare, oleum miſericordiæ ipſi commendat, vt ex vtroque temperamento facto, ſubditorum vulnera, curaret. Nam in prima ad ipſum epiſtola ſic titulum præfigit: *Timotheo dilecto filio in fide gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Prudenter obſeruat Rupertus, Propterea ab Apoſtolo fieri hic peculiarem miſericordiæ mentionem, quia cum epiſcopo agitur, qui in ſceleribus obiurgandis aſperior eſſe, quam par erat videbatur. *Cum Apoſtolus*, inquit, *in omnibus epiſtolis ſuis ſalutando Eccleſias, hæc duo gratiam ſcilicet, & pacem coniungat, dicendo: gratia vobis & pax; in iis duntaxat, quas ad diſcipulum Timotheum ſcribit, miſericordiam interponit: nam quia in illo diſcipulos omnes informat, cuius officij ſummum, & neceſſarium decus eſt miſericordia, & ille, vt fertur zeli feruentioris erat, idcirco rectè, & opportune viſcera miſericordiæ illi, vt haberet, præoptabat.* Commiſcendum igitur eſt cum vino ſeueritatis miſericordiæ oleum, quæ emixtio perpetuò in diuinis litteris reperitur, qua Deus in corrigēdis hominibus vtitur. Id monſtratū eſt Ioanni, vbi dicitur. *Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Quod Rupertus optime exponit: *Sicut in tonitruo terroris aſperitas; in citharis vero ſonantibus dilectionis eſt ſuauitas: ita in ſcripturis ſanctis comminatio iudicij peccatores terret, & ſalubriter turbat; promiſſio vero præmiorum bene operantes mulcet, & lætificat.* Quem ergo morem in ſcripturis Deus ſeruat ad hominum correctionem, vtendo videlicet voce tonitrui & voce citharæ, eundem tenere debent omnes, & Paſtores, & Doctores in correctione commiſſorum ſibi proximorum; vt videlicet corrigentis vox ſit tanquam tonitrui per ſeueritatem diſciplinæ coercentis; & tanquam citharæ per ſuauitatem charitatis fouentis. Quæ duo tunc bene temperat Prælatus, cum prius ipſius vox tanquam aquarum multarum eſſe conſtiterit; quando nimirum correctionis vox ex fonte procedit multarum lachrymarum, quibus communem naturæ infirmitatem ſpeciale proximi malum, & proprium quoque periculum amarè plorat. Ex his tribus liber Hieremiæ intus & foris ſcriptus monſtrabatur in quo nimirum vidit *Lamentationes, carmen*, & *væ*. Dum audis *lamentationes*, vocem aquarum, id eſt, lachrymarum intellige: *In carmine* vero vocem citharæ, & in *væ* vocem tonitrui accipe. Quæ tria doceri ſibi optabat ille Rex, qui ad profectum commiſſi ſibi populi delinquentis ex veritatis, & rationis regula corrigere curabat: *Bonitatem*, inquit, *& diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Bonitas vox eſt citharæ, diſciplina tonitrui, ſcientia vero humanæ infirmitatis cognitio, & lachrymabilis compaſſio. His partibus conſtans vox non de terrenæ prauitatis affectu, ſed vere de cœlo eſt iuxta verbum Ioannis dicentis: *Audiui vocem de cœlo, tanquam vocem, &c.* Moſes populum idololatria lapſum corrigere volens vocem citharæ habuit, cum Deum ita rogauit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro vitæ.* At voce tonitrui terruit, cum ita mandauit: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum: & ceciderūt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Quam mitis apud Deum! Quam ſeuerus apud populum! Quam blanda charitate Deum obſecrat! Quam dura iuſtitia ſcelératum populum punit! Ibi ſuaui cithara canit, hic horriſono tonitruo terret de quo S. Greg. ait: *Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta ſeueritas vt eos, quos diuinitus feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret.*

Exod 29. — Ezech. 41. — S. Gregor in Paſt. p. 2. cap. 6. — Luc. 10. — 1 Timot. 1. — Rupert. lib. 1. comment in c. 1. A. 10. — Apoc. 14. — Pal. 118. — Exod 32. — S. Gregor. lib. 20. mor. c. 8.

CAPVT V.

De eodem argumento.

PRæfatus Apoſtolici ſalis functiones, ſuauitatem ſcilicet in condiendo, & mordacitatem in aſtringendo, quod earum commixtio ſit, in primis Paſtori, atque Doctori neceſſaria, pluribus adhuc confirmare operæpretium erit cum magnopere oporteat hoc ſuadere. Etenim quacumque ratione conſideres, hominem corrigendum, plures ſuppetent rationes, quæ ſeueritatem pariter & ſuauitatem in correctione ſeruandam, admoneant. S. Auguſtinus ad id ſuadendum, hominem corrigendum tanquam vas vitreum proponit, Sicut enim, qui huiuſmodi vas mundat, vel lauat, & vim aliquam adhibet, vt ſordes abſtergat, & magna id ſubtilitate facit; quia vitrum tractat, ita qui ſubditum corrigit, vitrum ſe mundare exiſtimet, quod ne frangatur molli brachio debet mundari. Et quidem vitreus homo ſi leniter tractetur, incolumis perpetuo durabit. Vnde meritò adiungit Auguſtinus. *Quid fragilius vaſe vitreo, & tamen ſeruatum durat per multa ſæcula; & inuenies calices ab auis, & proauis in quibus bibunt nepotes; & pronepotes; tanta fragilitas cuſtodita eſt per annos.*

S. Auguſt. ſerm. 7. de verb. Domini.

Deinde, quia corrigendus æger eſt, rigide, atque æque ſuauiter eſt ad ſalutem ducendus. Hac ratione vſus eſt Seneca: *Corrigendus,* (inquit) *eſt itaque, qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aſpere, meliorque tam ſibi, quam aliis faciendus non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim ei, cui medetur, iraſcitur?* Explicat idipſum Sanctus Chryſoſtomus inquiens: *Non videtis medicos, quando vrunt, vel ſecant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? multo magis corripientem oportet hoc agere, vt manſuetus, ac lenis ſit, &c.* Prælatus quidem ſeuere, ac rigide ſecare, atque vrere ſæpe debet; tunc autem ſuauia multa, ac lenientia medicamina pariter adhibere tenetur, ne vulnera exulcerentur, & cruda tetros excitent dolores. Medici quidem non raro ſanguiſugas ægris admouent; quæ corruptum ſanguinem è venis eliciant: at contingit aliquando, vt id quod remedio quæritur, in exitium conuertatur: nam vt Plinius affirmat: *Aliquando ſanguiſugæ ex morſu affixa relinquunt ora, quæ cauſa vulnera inſanabilia facit: ſicut Meſſalinum à Conſularibus Patriciis, cum ad genua admiſiſſet.* Ita ſæpe Prælati, atque Doctores, cum vitia aſperius, & acerbius corripiunt, quam par eſt, ex morſu ſuo verba quædam virulenta, & venenata in animis altiſſime defixa relinquere ſolent, quæ interitum audientibus certo afferunt, quemadmodum virulentiſſimarum hirudinum venenatiſſima vulnera. Quapropter, ſicut medici, vt ſanguiſugæ virus emendent, & corrigant, eas dulci ex ſaccharo aqua immergere & diutius includere, & aſſeruare iubent, & tunc demum depoſito veneno ægris admouent, vt tradit Galenus. Ad eundem modum Prælati amarulenti, & acerbioris linguam emendari oportet, vt correptionis acerbioris virus deſerat: nam charitatis, & manſuetudinis prædulci liquore tingenda, & immergenda eſt, & inſuper diutius includenda, & aſſeruanda; lingua enim huiuſmodi, quam charitatis dulcedo imbuit, & diuturna cuſtodia continuit, iam tunc ægris admoueri, & ſine damno, aut iniuria, proximorum vitia carpere poteſt. Egregium ſane medicum agebat Paulus, qui in duplici epiſtola quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, ita ſe habuit, vt in priori quidem multa benignitate; in poſteriori autem non exigua ſeueritate vteretur: in illa preces, in hac minas adhibebat inquiens: *Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis; vt quieti ſitis.* Quid modeſtius, quid lenius, quam precibus hortari, quos poterat imperiis vrgere? At in poſteriori epiſtola inquit: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Quid ſerius, ac ſeuerius, quam interpoſita ſacroſancti nominis maieſtate tanquam ſcelerum vltrice, à ſceleribus deterrere? Notauit quidem loquutionis diſcrimen, nunc placatæ, nunc iratæ Caſſianus dicens: *Hos ipſos quos in epiſt. prima molli fouerat palpatione verborum; in ſecunda, veluti qui non profeciſſent ad leniora media, auſterioribus quibuſdam & cauſticis medicamentis ſanare aggreditur; nullaque iam mitium verborum fomenta præmittit, non vllam teneram vocem, aut blandam, vt ibi rogamus, ſed denuntiamus, &c.*

S. Chryſoſt. hom. 30. in ep. ad Hebræos.

Plin. lib 32. cap 10.

Galen. tom. 5. claſ. 6. c. 1. de hirudinib.

1. Theſſ. 4.

2. Theſſ. 3.

Caſſian. lib. 10. inſtit. c. 7.

Itaque ſal Apoſtolicæ doctrinæ, & ſaporis ſuauitate debet condire, & acrimoniæ mordacitate reſtringere. Quo etiam ſpectauit Salomon, cum inter cætera templi ornamenta, *Leones pariter, ac boues* iuſſit ſculpi. Nam vt Beda ad eum locum ait: *Sanctorum mentes habent cum leonibus boues, quando inuectionem correctionis, cum ſpiritu manſuetudinis exhibent.* Exemplo ſancti Stephani rem illuſtrat, qui leonem ſe præſtabat, arguendo impios, ac dicendo: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus.* Et ſtatim bouis manſuetudinem oſtendebat, orando pro lapidantibus: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Adiicio duas alias eiuſdem rei clariores imagines. Nam duplici ſub ſpecie, columbina, & ignea, diuinus ſpiritus ſe mundo oſtendit non quidem ſine myſterio; vt ſentit Sanctus Gregorius: *Quia, inquit, quos implet, & columba ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet.* Vnde ſtatim concludit: *Nequaquam ergo ſancto ſpiritu plenus eſt, qui aut in tranquillitate manſuetudinis, feruorem æmulationis deſerit, aut rurſum, in æmulationis ardore virtutem manſuetudinis amittit.* Rurſus, in duabus aliis imaginibus idem contemplari licebit: iuxta ſenſum aliquorum Doctorum remiſit aliquando Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos, non ad alios præceptores, & Doctores, priuſquam ad coruos: *Conſiderate,* inquit, *coruos, quia non ſeminant, neque metunt, &c.* Et paulo poſt eoſdem ad lilia, tanquam à bonis magiſtris inſtruendos, erudiendoſque tranſmittit: *Conſiderate,* inquit, *lilia, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent, &c.* Cur diſcipulis ſuis nunc coruos infeliciſſimos alites; nunc lilia amœniſſimos flores, conſtituit præceptores? Credo, vt ex priori magiſterio non leuiter perſtringeret, ex poſteriori non medio-

3. Reg. 7.

Matth 3. & act. 2.

S Gregor. 3. p. Paſt. admonit. 17.

Luc. 12.

Digitized by Google

eriter demulceret, atque adeo temperata quadam ſeueritate, & pungeret, & leniret. Ita S. Petrus Chryſologus. (S. Chryſol. ſerm. 163.) *Deus*, inquit, *ſic hominum diligit genus, vt ipſos, quos dominantis iure corripit, mox paterno ſoletur, & mulceat blandimento: quos comparatione fœdiſſimæ auis exaſperaſſe videbatur; ad floris odorati, & ſpecioſi nimium reducit exemplum.* Hoc, quidem ſeueritatis, & manſuetudinis temperamentum, ad animarum regimen tam neceſſarium, ſæpe Paulus diſcipulorum ſuorum animis ſummopere curauit ingerere. Nam Timothæum zelo feruentem patientiæ fræno coërcebat: (2. Timoth. 4.) *Increpa*, inquit, *in omni patientia.* At vero Titum manſuetudini vacantem poteſtatis ſuæ ſtimulo incitabat: (Tit. 2.) *Argue*, inquit, *cum omni imperio.* Vt in vtroque amorem cum rigore; lenitudinem cum ſeueritate temperaret. Quod S. Gregorius obſeruans; ait: *Titum, quem manſuetioris ſpiritus eſſe vidit, per æmulationis ſtudium inflammat: Timotheum quem feruentioris ingenij eſſe nouit, per lenitatem patientiæ temperat. Illi, quod deeſt, iungit; huic, quod ſupereſt, ſubtrahit: illum ſtimulo impellere nititur, hunc fræno moderatur.* Vt ſic vterque ex miſericordia, & iuſtitia temperatus, ſuis, prout quiſque exigeret, ſubditis prouideret. Habeat ergo Paſtor Dominici gregis acrem in puniendo iuſtitiam; ſed ipſam, ne nimis ſæuiat, miſericordia vallet, Dominum imitatus, de quo Regius vates prædicat: (Pſal. 114.) *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur*, vbi Deus ſeueritatem ſuam gemino benignitatis muro circumcludit, vt S. Ambroſius notauit his verbis: (S. Ambroſ. de obitu Theodoſij.) *Bis miſericordiam poſuit ſemel iuſtitiam. In medio iuſtitia eſt gemino ſepto incluſa miſericordiæ*, ſcilicet, ne iuſtitia foras in vindictam, niſi per miſericordiam erumpat, in cuius muro eius mucro hebetetur: & ne quis impius in diuinam iuſtitiam incidat, niſi per miſericordiam delatus, à qua prius armetur, vt à iuſtitia mitius feriatur. Et quidem Regius vates diuinam iuſtitiam ita circumvallatam, non adeo timebat: at abſque muro libere vagantem vehementer perhorreſcebat. Hinc obſecrabat: (Pſal. 6.) *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Vbi Theodoretus ita habet: *Non precatur, ne reprehendatur, ſed ne cum furore reprehendatur. Neque petit, ne caſtigetur; ſed ne cum ira hoc patiatur. Paterne, inquit, non iudicis ritu: medici more, non tortoris: ne metiaris vindictam peccato ſed benignitate iuſtitiam tempera.*

Capvt VI.

Increpatio culpæ laude virtutis condiri debet.

Evangelicus Doctor, atque Paſtor duas ſalis functiones, id eſt, mordacitatem in aſtringendo, & ſuauitatem in condiendo, tunc optime coniungit, cum obiurgaturus ſubditum, culpæ increpationem laude alicuius virtutis temperat, atque condit. Id docere nos voluit Christus Dominus, vbi reprehenſurus Epiſcopum Epheſi præmittit eius laudem his verbis: (Apoc. 2.) *Scio laborem tuum; & patientiam tuam.* Subiungit continuo reprehenſionem; poſtquam ad laudem regrediens, ſubdit: *Sed hæc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Inter has duas laudationes vnicam reprehenſionem includit his verbis: *Sed habeo aduerſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti, &c.* Quod optime ad hunc locum ediſſerit Rupertus ita ſcribens: *Notanda diſpoſitio ſermonis, quam artificioſa ſit. Et priuſquam emitteret auſteritatem reprehenſionis, quæ laudanda erant, collaudauit. Et poſt vbi corripuit, atque minas intentauit, rurſus quod laudandum erat, laudauit. Ita reprehenſionis amaritudinem, ne nimis offenderet, atque exterreret, collaudationis dulcedine circumliniuit.* Eandem moderationem tenuit Christus in fœmina illa Samaritana arguenda. Nam in primis eius in (Ioan. 4.) loquendo veritatem commendauit. *Bene dixiſti*, inquit, *quia non habeo virum*, deinde eius in viuendo intemperantiam reprehendit: *Quinque viros* (ait,) *habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Tandem quaſi non ſatis fuerit eius veritatem ſemel commendaſſe, iterum commendat, *hoc vere dixiſti.* Plane oſtendens fœminam nulla falſitate, ſuum peccatum occultantem, ſed vere, ac diſerte confitentem, nulla ſatis laudatione prædicandam; cum humanum ingenium, & præſertim muliebre feratur ad ſuam culpam quouis falſitatis fuco obtegendam. Itaque reprehenſurus à laude incipit, & in laudem deſinit, & intermediam reprehenſionem hinc; atque inde laudibus circumcludit. Quod item Rupertus obſeruans, (Sup.) ait: *Magnum hoc, & digne imitandum eſt magiſterium ſpiritus Dei: corripere quidem ea, quæ emendatione indigent; ſed inter corripiendum, & prius, & poſterius collaudare: Si qua bene dicta ſunt, vel acta ab eo, qui in aliis corripitur; quatenus quoad fieri poteſt, teneatur beneuolus, & non refugiat confuſus, aut exterritus, audire non ſuſtinens peccatoris animus.* Quo magno ſpiritus Dei magiſterio imbutus erat Apoſtolus, qui Corinthios, vt patienter increpationem audirent, prius laudibus deliniuit. Nam ſic ait ad Corinthios: (1. Cor. 11.) *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et paulo poſt: *Hoc autem præcipio non laudans, quod non in melius, ſed in deterius conuenitis, &c.* Et alibi eos reprehenſurus magnifice laudauit his verbis: (1. Cor. 1.) *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Christo Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, ita vt vobis nihil deſit in vlla gratia.* Quem locum tractans S. Gregorius, (S. Gregor. hom 11. in Ezech.) merito tam excellentem laudem miratur, & Paulum ita rogat: *Quæſo te Paule, ſi iam nihil deeſt cur eis ſcribendo fatigaris? Cur in longinquo poſitus loqueris? Ecce eis gratiam Dei datam aſſerit, factos in omnibus diuites dicit, & nihil eis deeſſe in vlla gratia teſtatur. Quis rogo credat, quia paulo poſt eos corripiat, quos ita laudat?* At certè eos ſubinde corripit his verbis: *Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſignificatum enim eſt mihi de vobis, &c.* Quod Apoſtoli magiſterium ſanctus Doctor apta collatione declarat, inquiens: *Peritus enim medicus vulnus ſecandum videns, ſed ægrum timidum eſſe conſpiciens, diu palpauit, & ſubito percuſſit. Prius*

blanda manu laudes poſuit, & poſtmodum ferrum increpationis fixit. Rationem huius optimam prudenter aſſignat dicens: *Niſi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehenſæ, ita vt ex aliis rebus audiant, quod in conſolationem conſumant; per increpationem protinus ad deſperationem cadunt.* Sed ne aliquis putaret, mentitum eſſe Paulum, dum prius eis nihil deeſſe in omni gratia diceret, quibus poſtmodum dicturus erat, vnitatem deeſſe, docet Gregorius, præfatam laudem Corinthiorum de perfectis eſſe intelligendam; obiurgationem vero in imperfectos deſtinandam. Id, in eadem medicinæ comparatione perſiſtendo, declarat: *Nam cum feriendum vulnus medicus aſpicit, prius ea membra, quæ circa vulnus ſana ſunt, palpat, vt poſt ad ea quæ vulneranda ſunt, leniter palpando perueniat.*

Hæc autem, quæ dicta ſunt, obſeruari debent, cum verecundis ingeniis, & ad modeſtiam compoſitis: at cum his, qui delinquunt, impudentes ſunt, & natura duri, ac proterui, lenitudo correctionis amouenda eſt, & citra vllam laudem grauiter corripiendi. Id quidem & notat Sanctus Gregorius ſupra, & exemplo Pauli confirmat, qui Galatas, nulla præmiſſa
Galat. 1. laude, ſic initio epiſtolæ reprehendit: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, &c.* Deinde ſubiungit Gregorius: *Mentes etenim duræ, niſi aperta eſſent increpatione percuſſæ, nullo modo malum cognoſcerent, quod egiſſent.* Et paucis interiectis concludit. *Vnde neceſſe eſt, vt ſemper ſermo prædicantis, tum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aſpera, aut impudentibus lenia loquatur.*

CAPVT VII.

In Prælatis neceſſaria eſt non exigua ſeueritas.

ILlud ſciendum, quoniam cum Chriſtus Dominus Prælatos Sali comparat; mordacitatem, atque vim aſtringendi ſalis propriam, abſque dubio commendat. Ne videlicet deſides ſint, ſegniterque agant in ſubditos, & ignaua indulgentia eorum vitiis conniuere videantur; ſed potius ſalis acrimonia laxa reſtringant, redundantia mordeant, putreſcentia exurant, id eſt; acriter in vitia animaduertant. Neque enim id pietati, ac miſericordiæ Prælatorum obſtat: nam vt optime ſanctus Ambro-
S. Ambroſ. lib. 2 offic. cap 27. ſius: *Cum dolore amputatur, etiam quæ putriit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis: ſi non poteſt, tunc à medico bono abſcinditur.* Stulta prorſus atque damnoſa eſſet miſericordia, quæ cum periculo corporis totius, parti parceret; contra vero qui flagitioſum ſeuere punit, totam ſubditorum congregationem tuetur, & quietam reddit. Quod Lamech de nato ſibi filio præſagiens, cum ap-
Geneſ. 5. pellauit Noë, dicens: *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum, in terra, cui maledixit Deus.* Vel vt habent Septuaginta: *Iſte requieſcere nos faciet, ab operibus noſtris, & à triſtitiis manuum noſtrarum, & à terra quam maledixit Deus.* Ex quibus verbis liquido apparet, ipſum Lamech præuidiſſe fore, vt filius ſuus Noë ingentem quandam conſolationem, & quietem mundo eſſet allaturus, & propterea appellauit eum Noë, quod quietem ſignificat. Quæ autem fuerit iſta conſolatio, & quies, non eodem modo à ſacris doctoribus explicatur. Placet interpretatio Chryſoſtomi, vbi quietem inductam à Chryſoſt. hom 21. in Geneſ. Noë eam eſſe exiſtimat, quam nactus eſt mundus punitis, & exterminatis peccatoribus. *Vocauit*, inquit, *nomen illius Noë: apud nos hoc nomen, ſi quis interpretetur, quietem dicit; quietem autem vocat generalem illum interitum, poſt multos annos futurum, ſicut Iob dicit: mors viro quies: quoniam magnus valde labor eſt malitiæ. Abolitionem & ſublationem per diluuium futuram, quietem vocat & vocauit nomen illius Noë.* Sicut enim tunc quieſcit grex cum lupus eſt à canibus interfectus: ſic quieſcit populus cum nocens ſupplicio eſt affectus. Vnde ad illa verba quibus Chriſtus Epiſcopum Epheſi laudat: *Scio opera tua, &c. Et quia non potes ſuſti-* Apoc. 2. *nere malos.* Hugo Cardinalis ait: *Hic commendatur Zelus, quia ſicut dixit Beda: Lupus inter oues non bene conuerſatur.* Paſtor ergo baculo, funda, cane, & ſi opus eſt gladio, atque ſagitta lupum inſectetur, exterminet, interimat. Hunc zelum inſectandi lupos ſummo Paſtori Eugenio ingerere curabat Bernardus, dum eos Eccleſiæ Principes deſiderat: *Qui Regibus Ioan-* S. Bernard. lib 4. de conſider. *nem exhibeant, Ægyptiis Moyſem, fornicantibus Phineem, Eliam idololatris, Eliſeum, auaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiatoribus Chriſtum.* Hi namque omnes igneo, & cœleſti zelo lupos perſequuti ſunt, ne Dominicum gregem diſperderent. Ideo autem Bernardus tam accurate hac de re monet Eugenium, ne ſi taceret, reus & ipſe eſſet ſanguinis omnium. Quo eodem timore perculſus ſanctus Iſidorus Peluſiota monet Cyrillum Alexandrinum, quem ſuum ſibi patrem ſpiritualem recognoſcit, vt lupos à ſuo grege procul abigeret & eos, qui tunc diſſidia, ac diſcordias diſſeminabant, graui punitione comprimeret: *Quamobrem*, inquit, *ne & ego condemner, & tu* Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 370. *diuinum iudicium ſubeas; ſimultates ac diſſidia comprime, &c.* Inde autem ſe timere dicit, niſi moneat, quod Ionathas priuſquam Saül in prælio occubuerit à Philiſthæis interfectus, 1 Reg. 31. quia Saüli Pythoniſſam conſulenti non obſtiterit, tantamque eius inſaniam non cohibuerit: *Angorem*, inquit, *mihi ac ſolitudinem affert Ionathæ pœna; quia patrem pythoniſſam quærentem minime prohibuerat, ob idque ante eum, qui ſcelus admiſerat, is, qui prohibere poterat, in bello interiit.* Si ergo qui paſtorem dormientem non excitat, in culpa eſt, quas ipſe paſtor pœnas luet, niſi luporum rabiem inſectetur. Audi Cardinalem Petrum Damianum dicen- Petr Dam. lib. 1 ep. 6. tem: *Merito debet ſuperni iudicis ſubire vindictam, qui neglexit in ſubditos exercere diſciplinã; illique Leoni, qui circuit, quærens quem deuoret, meritò traditur, qui ab infligendo pœnitentiæ vulnere per torporis deſidiam cohibetur*, in verbis illis, *Leoni traditur*, alludit ad illud cum Propheta, qui ſuum ſocium rogauit, vt ſe percuteret, renuentem ſeuere damnauit, dicens: *Quia* 3. Reg. 20. *noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te Leo.* Nã vt ibi diſſerit Damianus:

His

Digitized by Google

His verbis quid aliud innuitur, quam quod incompoſita pietas proculdubio meretur iram Dei; dum non promulgat in reos, ſub diſtricti iuris
Bleſenſ. ep. 5.
equitate cenſuram? Quamobrem Petrus Bleſenſis inuehitur in Richardum Archiepiſcopum Cantuarienſem, à ſuo illo prædeceſſore, & inſigni martyre Thoma degenerantem, ac rebus ſecularibus, quam ſpiritualibus curandis diligentius incumbentem: *Vobis*, inquit, *imputant quod ab Allophilis arca Domini capitur; quod gladium Petri rubigo conſumit: quod Malchus in Chriſtum; quod Phaſſur in Hieremiam, quod Balthaſar in vaſa Domini, manus extendit ſacrilegas.* Hoc malorum agmen deſidi Prælato imputatur, dum graui pœnæ cenſura nocentes non perſequitur. Quibus puniendis ſic inuigilare debet, vt eo viuente, flagitioſus quiſpiam nullo ſe loco tutum poſſe con-
Num 35.
ſiſtere confidat. Ideo enim cauetur ne homicidæ in aliquam ex refugij ciuitatibus recepti, ante mortem Pontificis in patriam redirent: *Exules* (inquit lex) *& profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterunt.* Cur ita? Mitto alias rationes: illa eſt ad rem. Quia Pontifex, quandiu viueret, ſemper eſſe debebat iuſta ſeueritate armatus in delinquentes; qui proinde ſuis ſe continere aſylis cogebantur; ne ſi inde paululum exirent, in vltrices Pontificis manus ſemper ad malefacta punienda paratiſſimas deuenirent. Hanc rationem tradit Philo Hebræus inquiens:
Philo lib. de ſpecialib. legib.
Quemadmodum quiſque occiſus cognatos habet ſuperſtites vltionis auidos: ita vniuerſæ gentis in commune cognatus, & propinquus eſt Pontifex, reddens omnibus iura, controuerſiaſque dirimens. Hunc igitur timere debet, quiſquis inuitus cædem patrauit, vt propugnatorem, protectoremque necatorum; continereque ſe intra ſua receptacula, ſi modo cupit ſine periculo viuere. Ex quo debet intelligi, Prælatos non minus promptos eſſe debere ad ſubditorum iniurias vlciſcendas, quam cognatos ad cognatorum; niſi quod hi aliquando amore vindictæ rapiantur, illi zelo iuſtitiæ ſemper ſtimulentur. Quare in omnium vtilitatem remiſſa lenitas amputanda; ſeuera integritas adhibenda. Et quidem quo maior in ſubditos ſcelerum colluuio inundat, eo maior in Prælatis requiritur ſeueritas, qua tantis malis vena obſtruatur. Ne ſi amari ſubditis arguendo eſſe nolint, & ſibi, & illis extremæ amaritudinis calicem
S. Auguſt. lib 5. de ciuitate cap. 9.
propinent. Nam vt bene S. Auguſtinus de ignauis Prælatis aduertit: *Iure iſtam vitam, quando diuinitus affliguntur, amaram ſentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus amari eſſe noluerunt.*

Capvt VIII.

Salis Apoſtolici functio matura; ac feſtina eſſe debet.

SAl, vt nemo ignorat maturè, ac feſtinè rebus adhiberi ſolet, prius nimirum quam corrumpantur; quæ enim iam putruerunt, ſalis perfricatione minime poſſunt inſtaurari: Similiter quidem correctionis ſal celeriter à Prælato debet adſpergi, prius ſcilicet, quam vitiorum corruptela libere ſerpat. Ita faciebat Rex ille qui dicebat: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Pſal. 100.
Pernoctare apud ſe ſuorum ſcelera non ſinebat; ſed vix nata, quam primum iugulabat, Deum imitabatur, de quo idem Dauid dixit: *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Pſal. 77.
Quaſi nulla mora inter culpam & pœnam interceſſet. Hanc diuinæ iuſtitiæ in puniendis hominum peccatis, ne licentius graſſentur, velocitatem imitari debent Principes, & Prælati, ne malũ impudentius vires acquirat. Ad hoc confirmandum appoſita inductione vtitur Sanctus Chryſoſtomus: *Furentem equum niſi quis cito repreſſerit, citò peribit. Medici venenum ſerpens, & emanans maxima celeritate, ne vlterius progrediatur, ſiſtunt, eius vitium incidentes. Hoc autem nos quoque faciamus, & quod in nobis eſt, vitium maxima celeritate reprimamus, ne vlterius progrediens morbum augeat.*
S. Chryſoſt. in Pſal. 66. ad finem.
Duplici alia ſimilitudine rem illuſtrat, ſubiungens: *Poſtquam in domo aliqua parum ſtuppæ accenſum viderimus, conturbamur, & tumultum mouemus; non enim attendimus initium, ſed ex initio finem. Conturbantur etiam nautæ, non quando mare iam ſuperare, ſed quando id facturum eſſe vident.* Vt ergo velociter ignem extinguimus, & nautæ tempeſtatis periculo maturè obſtant: ita Prælatus ſubditorum peccata feſtinè coërcere debet, vt vix nata celeriter comprimantur, ne adulta implacabiliter tumultuentur. Id Bachiarius ex veteri ſacrificiorum ritu ita confirmat: *Aſpice quod nuſquam in ſacrificiis peccora ſenio confecta iugulantur, ſed vbique, aut agnus, aut vitulus, aut hircus immolatur; id eſt, tenera adhuc, & parua, vel modica peccata.*
Bachiarius in epiſt. ad Ianuar.
Beatum iudicat Dauid eum Prælatum, qui filios Babylonis *allidit paruulos ad petram*: nam ſi creſcant, vireſque ſumant hoſtes, ægrè admodum opprimentur. Vnde merito Bachiarius ſubdit: *Expectas, donec gigas tuus inimicus efficiatur?*

Vt poſſit autem Prælatus huiuſmodi vitia velociter extinguere, neceſſarium omnino eſt, vt ſolerti vigilantia in ſubditorum ſuorum ſcelera excubet, & congrua remedia maturet. Olim Ægyptij, vt teſtatur ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Volentes ſignificare Deum, pingebant oculum, cui baculum ſubſtituebant.*
S. Cyrill. Alex. lib 9. contra Iulianum.
In oculo vigilantem ſapientiam, qua omnia videt, in baculo iuſtitiam, qua omnia coërcet, adumbrabant. Ad hunc baculum, ſiue virgam vigilanti oculo præditam alluſiſſe videtur Hieremias, cum dixit: *Virgam vigilantem ego video*, Hierem. 1.
id eſt, rectiſſimum diuinæ iuſtitiæ oculum, quo naſcentia peccata contemplatur, vt ea tempeſtiue comprimat. Qua in vigilantia Deum imitari debent Paſtores, baculo vtentes oculato, & vigilanti: nam ſi dormiant, & corripere moreantur, mala impunius graſſabuntur. Et quidem dormientibus agricolis, venit inimicus homo, *& ſuperſeminauit Zizania in medio tritici.* Matth. 13.
In quem locum ſanctus Chryſoſtomus merito conqueritur viros deſides, & ignauos ad gubernacula Eccleſiarum promoueri. *Qua ex re*, inquit, *tanta facultas diabolo data eſt, vt iam illis in medio prælatis multo minus laboret.*
S. Chryſoſt. hom. 47.
Quaſi ex ignauia Prælatorum ad expugnandos ſubditos diabolus roboretur. Prælatos ergo vigilare

gilare oportet, ſicut Nehemias, qui nocturno tempore non ſolum per internuntios, ſed etiam per ſe ipſum tota nocte vagabatur. *Egreſſus*, inquit, *per portam vallis nocte, & tranſivi ad portam fontis, & aſcendi per torrentem, & conſiderabam murum, & reuerſus veni ad portam vallis.* Quorſum hoc? niſi vt prælatos ſpirituales ad vigilandum inſtrueret. Nam vt ibi Gloſſa ait: *Horum proprium eſt, ſæpius nocte ſurgere, & ſolerti indagine ſtatum Eccleſiæ, quieſcentibus cæteris, inſpicere.* Prælati ergo vigiles canes ignotis omnibus allatrantes ad cuſtodiendam Dei domum eſſe debent. Quapropter ſanctus

S. Ambroſ. lib.6. exam c.4.

Ambroſius ita ſcribit: *Sunt canes qui nouerint latrare pro Dominis, nouerint ſua tecta defendere. Vnde & tu diſce vocem tuam exercere pro Chriſto, quando ouile Eccleſiæ incurſant lupi graues: Diſce in ore tuo verbum tenere, ne quaſi mutus canis commiſſam tibi fidei cuſtodiam quodam præuaricationis ſilentio deſeruiſſe videaris.*

Capvt IX.

Sal Chriſtianæ correctionis in obſtinatos magna mordacitate debet vigere.

PRælatus, & Doctor, qui ſal terræ dicuntur in reprehendendo, & corrigendo inſtar ſalis debent mordere, & in obſtinatos, ac peſſimos, ita ſe ad id muneris componere, vt verba grauia, & ſeueritatis ſint plena, minas ſpirantia, vt tonare videantur: oris geſtu, & vocis ſono, non lenitudinem, ſed aſperitatem oſtendant; non porrigant, ſed contrahant frontem, non blanditias, ſed minas inhalent; non tunc amabiles, ſed terribiles ſe exhibeant. Sic facit Sanctus Iob, qui ſtultam vxorem vel ſolo aſpectu

Iob.2.

terruit, ac corripuit: nam cum illa diceret: *Benedic Deo & morere*, ait ad illam. Seu vt vertunt Septuaginta *reſpiciens in illam ait*. Quem

Baſil.& Chryſoſt. in Catena Græca.

reſpectum toruum fuiſſe ſignificant Baſilius & Chryſoſtomus dicentes: *Cum ea verba ſtomachum Iobo mouiſſent, pleno iracundiæ vultu, trucique aſpectu ad vxorem conuertitur.* Addit vero

Idem Chryſoſt. hom.5. in Iob.

S. Chryſoſtom. *Ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit leone temulentior factus, furore plenus & iracundia.* Ex quo debet intelligi ſolum vultus habitum ſatis ſalis habere ad arcendam luem vitiorum. Iuxta illud Eccleſia-

Eccleſ. 7.

ſtæ. *Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Subtriſtis enim oris geſtus, aut terribilis, aut lachrymabilis ſatis aliquando eſt, vt

1.Eſdr 9.

peccatores corrigat. Audiuit Eſdras innumera totius populi peccata, nec tantum dicitur corripuiſſe, ſed fleuiſſe. Sic enim ille dixit: *Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mœrens.* Quid inde? conuenerunt ſta-

Cap.10.

tim ad eum, non ſolum Principes, ſed etiam populares, fleuerunt pariter cum eo, & contracta ſcelera abiurarunt vbi Gloſſa ait: *Nota quantum exempla Doctorum iuuent; nihil ſcribitur Eſdras locutus eſſe; ſed tantum audito ſcelere lachrymaſſe, & turbam ad ſe fidelium non vociferando, ſed lachrymando traxiſſe.*

Accedat ad vultus habitum, ſeuerior vocis ſonus, qui ad duriorem obiurgationem multum confert: nam qui voce nimium tranquilla vtitur ad arguendum, non obiurgare videtur, ſed cantare; imo nec reuocare à peccatis, ſed potius ad maiora excitare. Id quidem indicauit Sapiens cum dixit: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Cuius parœmiæ ſenſus, iuxta communiorem expoſitionem eſt, vt ſicut nitrum aceto dilutum amittit vim omnem lauandi, quam alioqui habet efficaciſſimam, iuxta illud Hieremiæ: *Si laueris te nitro*, nec expur- Hierem. 2.

gat veſtes, ſed maculat: ita qui peſſimos homines arguit, miti, ac blanda voce, in morem potius canentis carmina quam peccata obiicientis, perinde ſe habet, atque ille, qui nitrum aceto diluit: nam illos minime expiat, ſed potius maculat, dum peiores fiunt. Nam vt optime Sanctus Gregorius dixit: *Impudentes à ſuo vitio non niſi increpatio dura compeſcit.* Quamobrem idem

S. Gregor. 3.p. Paſtor. admonit.8. & hom. 9. in Ezech.

Gregorius præfatum Prouerbiorum locum, licet alia ratione, tamen in eandem ſententiam explicat alibi inquiens: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo. Acetum quippe ſi mittatur in nitro, ferueſcit nitrum protinus, & ebullit: & peruerſa mens, quando per increpationem corripitur, & per prædicationis dulcedinem bona ſuadentur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitate ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci.*

Accedant etiam ad aſpera verba, dura pariter ſupplicia. Nam vt prudenter Theodoretus de

Theodoret. q.10.in lib.1. Reg.

quibuſdam impudentibus peccatoribus agens, ait: *Horum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, ſed acerrimis, & aſperrimis.* Et S. Greg.

S Gregor. in cap.2. lib 1.Reg.

eos Prælatos damnat, *qui ſi aliquando ad arguendos ſubditos exeunt, eorum tamen obſtinationem digna ſeueritate non confundunt.* Quod aliter non contingit, niſi quia verbis verbera non adiiciunt. Concinnit S. Hieron. docens Heli ſacer-

S. Hieron. lib.1. aduerſus Pelagianos.

dotem filios quidem ſuos corripientem, nihilominus à Deo punitum eſſe, *quia non corripere debuit ſed abiicere*, id eſt non ſolis verbis corrigere ſed ſuppliciis vrgere, & tandem domo eiicere, & bonis paternis abdicare. Quod S. Chryſoſt. cla-

S. Chryſoſt. lib 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

rius expreſſit: *Minus, inquit, addere debuerat & à ſuo conſpectu amouere, & verberibus afficere, multoque illis grauius, & durius inſtare.* Id quidem exacte faciendum eſſe exemplo medicorum

S. Baſil. in reg. fuſius diſputat.

docet S. Baſil. *Medici, inquit, quodcumque tandem membrum inſanabili morbo correptum inuenerint; ne vitium latius proſerpat, neue ex contage ſe diffundente contiguas partes corrumpat; illud ſecando, vrendove tollere funditus ſolent.* Hanc rigidæ diſciplinæ ſectionem grauiter, & luculenter docuit S. Leo inquiens: *His quibus prodeſſe non

S. Leo epiſt.76. ad Anatolium Epiſcop.

potuerit correctio, nō parcat abſciſſio Oportet enim nos Euangelici meminiſſe mandati, vt ſi nos oculus aut pes, aut dextera ſcandalizauerit manus; à compage corporis auferatur; quia melius ſit, bis in Eccleſiis carere membris, quam cum ipſis in æterna ire ſupplicia.* Nullum membrum in Eccleſiaſtico corpore ita poteſt excellere, quod obſtinatum, ac emortuum pro ſalute eiuſdem corporis, non debeat abſcindi. Quamobrem

S. Hieron. lib.1. aduerſ. Pelagian.

S. Hieron. ita concludit: *Quid faciet Paſtor, qui gaudet ad vitia qui emendare non audet, qui conſcientiam ſuam non metuit; & quod cunctus populus clamitat, neſcire ſe ſimulat.*

CAPVT

CAPVT X.

Parentes in correctione filiorum ſalis mordacitatem adhibere debent.

QVod de Doctoribus, ac Paſtoribus eſt dictum; de parentibus quoque intelligendum eſt, quos nimirum natura filiorum Prælatos conſtituit, atque adeo eos etiam Chriſtus nomine ſalis comprehendit, vt filiorum mores condiant, & ardenti ſalis mordacitate eorum vitia conſumant. Parentes enim ſeueriſſimi filiorum cenſores eſſe, & omnia eorum vitia acriter perſtringere debent, ſi ſeueriſſimum Dei iudicium nolint ipſi ſubire. Qua de re Origenes dixit: *Hi enim & filiorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt; & ſemetipſos in furorem iudicij demergunt; omnia enim quæ deliquerint filij, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos.* Concinit Chryſoſtomus dicens: *Neque enim parui meriti eſt; indultos nobis à Deo liberos ad ipſius exercere militiam, eiſque ab ipſis infantiæ pannis dedicare. Nam ſi eiuſce educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis, quemadmodum, ſi neglexerint grauiſſimis cruciatibus.* Id acrius docet alibi, inquiens: *Etſi vitam noſtram omnem ſumma cum diligentia, & cura diſponamus; extrema animaduerſione puniemur; ſi liberorum ſalutem neglexerimus.* Quamobrem mollem illum animi affectum, qui rigidæ in filios cenſuræ poſſet obſtare, è corde parentum eliminare, Deus magnopere curauit. Hac enim de cauſa legem illam tulit, qua iubentur parentes ducere ad ſeniores ciuitatis, & ad portam iudicij, *& accuſare filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris, & matris imperium & coërcitus obedire contempſerit.* Quæ verba expendens Rupertus, ait: *Grauis & matura ſententia ſanctæ legis, teneros falſæ pietatis affectus à cordibus patrum erga filios, ne habeantur, excludit. Nam in cauſa Dei, nec filium pater ſapiens agnoſcit.* Quod paucis interiectis confirmat exemplo Dei, *Qui inobedientes,* inquit, *filios, primos homines, ſcilicet; de paradiſo expulit.* Pater certè, qui blandè obiurgat filiorum culpas, eas potius fouere, quam extirpare videtur. De quibus proinde parentibus Hildebertus Cœnomanenſis intelligit illud Ezechielis: *Væ his, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus; & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Sic enim apponit: *Tali puluillo, talique ceruicali circa filios delinquentes vſus eſt Heli. Ne igitur eodem plectar exceſſu, patrem exuens blanditias increpationibus mutabo.* Porro Heli ſacerdos ob falſam in filios peccantes pietatem, & abſurdam, ac præpoſteram indulgentiam, grauiſſime punitus eſt, vt Petrus Damianus optimè expendit: *Heli,* inquit, *ſacerdotij dignitate detruditur; dum non ſuccenſet ac filiis verbera, ſed blanditur; vtcumque tamen corripuit illos, ſed lenitate patris, non auſteritate Pontificis; atque idcirco ceruicibus effractis occubuit; quia peccantibus inclementer indulſit.*

S. Chryſoſt. hom. 9. in 1. Timoth. 3.

Lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

Deut. 21.

Rupert. lib. 1. in Deut. c. 11.

Hildebert. Cœnoman. Epiſc. ep. 74. Ezech. 13.

Petr. Dam. lib. 7. ep. 3. ad Henric. Romanorum Regem.

CAPVT XI.

Idem argumentum iteratur.

FIlios à parentibus ſeuera cenſura domandos, & ne putreſcant moribus rigida vitæ diſciplina, quaſi ſalis mordacitate conſtringendos, multa alia ſuadent. Sanctus Ambroſius pulchrum Halcyonis exemplum proponit: nam poſtquam huius auis mores deſcripſit, quæ oua ſua in littore maris deponit, atque ibidem pullos excludit, educatque, ſubdit in hunc modum: *Teneros fœtus non latibulis abſcondit, ſed fluctibus verberandos exponit, nudo, & rigenti ſolo tradit, nec defendit à frigore ſed diuino fotu, quo magis cætera deſpiciat, eo tutiores eſſe exiſtimat. Quis vero noſtrum filios ſuos non veſtimentis tegat, tectiſque abſcondat? Quis non claudat eos ſeptis cubiculorum? Quis non ita diligenter vndique feneſtras obſtruat, ne qua poſſit aura vel leniter penetrare? Quis eorumdem vitiis, & prauis moribus non indulgeat, & conniueat? Merito autem, quos tam ſolicite induimus, fouemus, ac impunes eſſe iubemus, exuimus diuinæ clementiæ inuolucro. Halcyon vero quos nudos proiicit eos diuino veſtit amictu.* Quemadmodum vero Halcyon inter fluctuum flagella, diuina prouidentia ſeruante, pullos ſuos abſque diſcrimine aliquo educat: ita etiam ab ipſa edocti parentes omnino credant, non poſſe melius, ac tutius liberos educari, quam inter verbera, & flagella. Hac ratione filij ſeruantur; è contrario vero molli indulgentia pereunt. Ad quod ſignificandum eleganti ſymbolo ex agricultura ſumpto aliqui auctores vtuntur. Nam Glychyrriſa dulciſſimæ radicis arbuſtum, vulgo *Regalizia*, ſi oliuæ adhæreſcat, & circa ſtipitem eius radices agat, non longo interuallo ipſam interire cogit: ſic nimia parentum erga liberos mollicies, & dulcis indulgentia eos ocyus ad necem adigit. Quamobrem eam parentes in educatione filiorum ſeueritatem dulcedini admixtam, debent adhibere, quam apta ſimilitudine docuit S. Anſelmus. *Vidiſtis,* inquit, *aliquando artificem ex lamina auri, vel argenti ſolis malleorum percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. Imo potius vt aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leniter premit, ac percutit, & poſtmodum planat; deinde leuamine lenius leuat, & informat: Sic & vos, ſi pueros veſtros cupitis optimis moribus ornatos eſſe, neceſſe eſt, vt cum depreſſionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis, & manſuetudinis leuamen, atque ſubſidium.* Quamuis ergo in educatione filiorum lenitas, & ſuauitas prætermitti non debeat; ſeueritas tamen potius eſt adhibenda, ſi virtutis effigies in filio diſcolo, velut in aurea lamina, ſit efformanda. Id quod ſanctus Chryſoſtomus apta alia ſimilitudine exponit: *Quemadmodum,* inquit, *ager diu non proſciſſus ſylueſcit: ita iuuentus neglecta.* Agrum ſibi, quem colat, commiſſum pater intelligat, cum à Deo filium accepit; quamobrem ſi virtutis frugem ex eo deſiderat, duras prauarum appetitionum, atque morum glebas diſtrictæ diſciplinæ

S. Ambroſ. l. 5. Hexam. cap. 13.

S. Anſelm. lib. de ſimilitudin. c. 176.

S. Chryſoſt. hom. 5. in Matth.

diſciplinæ vomere proſcindat, ne vitiis ſylueſcat. Pater enim, qui parandis filiò opibus ſtudet, & ſeueriorem in eum diſciplinam negligit, ei profectò ſimilis eſſet, qui agrum quidem incultum relinqueret, quem tamen eleganti maceria, & multis pulcherrimarum arborum ordinibus circumvallaret: ex huiuſmodi enim agro non diuitias, ſed mendicitatem deprometet. Apte Saluianus ait:

Saluian. l. 3. ad Eccleſ. Cath.

Relicta filiis diuitia parentes non liberant de mendicitate; imo relicta immoderatè filiis facultas, parentum eſt ſempiterna mendicitas. Ac per hoc nulli parentibus magis noxij, quam filij nimis amati: dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in ſempiternitate cruciantur. Ornetur ergo ager ſed ſtudioſius, & impenſius colatur. Hortum quidem, ſiue agrum ſponſæ floribus vernantem, ne luxuriaret, falx putationis præſecabat:

Cant. 2.

Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. Cum enim flores apparent, id eſt, diuitiæ filiis parantur, cum inuentus flores aſſatim eſſert, tunc eiuſdem mores amputendi, ne in vitia redundet. Quamobrem merito idem Saluianus concludit:

Idem lib. 1. ad Eccleſ. Cath.

Epheſ. 6.

Auſim dicere, non amari filios à parentibus, qui grandibus ditantur patrimoniis; ſed eos, quibus parentes hæ facultates, iuxta Apoſtolum ad fidem, timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam diſciplinam reliquerunt. Non amantur à parentibus filij, quos prauis iniuſtitiæ, & auaritiæ exemplis, plus vitiis, quam opibus diuites relinquunt, & ad tartara ducunt.

Hæc ſalis mordacitas ad ſeueram in filios diſciplinam adumbrata etiam eſt in lege purificationis matrum, ſiue præſentatione primogenitorum ante Dominum, iuxta quam legem duos pullos Columbarum, aut par turturum offerebat puerpera. Quorſum autem ſacerdos oblatam vnam auem, obtorto in guttur capite, Domino præſentabat? Reſpondet Euſebius Emiſſenus:

Euſeb. Emiſſen. hom. in Purific.

Vt iam non erecta ceruice, ſed humiliato capite puer diſcat incedere. Quid deinde myſterij, quod auiculæ aſcellas perſtringeret? Reſpondet idem: *Pueris, quibus omnem, & agendi licentiam intercidimus eis vtique aſcellas frangimus; vt & nobiſcum maneant, & ad inutilia volare deſiſtant.* Hoc certè præſtabat ſanctus Iob, de quo ſic dicitur:

Iob 1.

Mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis; dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei, &c. Ex qua ſanctificandi pro filiis cura, etiam ipſos corrigendi ſtudium colligit ſanctus Gregorius his verbis:

S. Gregor. lib. 1. Mor. cap. 3.

cum dicitur: *Mittebat, & ſanctificabat illos, apertè demonſtratur, quid diſtrictionis erga illos præſens ageret, quibus abſens ſolicitudine non deeſſet.* Similia habet ſanctus Chryſoſtomus: *Qui pro incertis, (inquit,) ſacrificia offerebat, multò magis certorum pœnas exigebat.* Patet ergo filio, ſicut ſacerdos aui, & collum obtorqueat, & aſcellas conſtringat, ne erecta ceruice ad inutilia, & pernicioſa volitet.

Eccleſ. 30.

Nam vt dicitur: *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps.* Vbi Sapiens cum indomito equo filium molliter educatum componit; qui ſanè niſi fræno ſeuerioris diſciplinæ coërceatur, & ſupplicij ſtimulo pungatur, & parentis virga imperioque dometur, pariter cum parente præcipitabitur. Additur à Sapiente: *Ne corrideas illi; ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcant dentes tui.* Sicut edere non poteſt, cui dentes obſtupuerunt: ita patri nihil in vita ſapidum, dulce, iucundum, ac lætum continget, ſed infinitæ occurrent moleſtiæ, ſi filium nimia nutriat indulgentia. Stuporem autem dentium ſatis explicat Sapiens, cum adiungit: *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius.* Senſus eſt: qui nimis tenere filium diligens, non audet eum ſeuerius tractare, cogetur poſtea miſer illius vulnera, & corporis, & famæ, & animæ obligare, curareque acceptis vndique medicamentis, totaque vita in ſumma ſolicitudine, perturbationeque verſabitur; ita vt ad omnem clamorem, qui in ciuitate excitatur, miſeri patris torqueantur viſcera metu, ne de filij capite agatur. Ita interpretum plerique locum intelligunt. Ex quo poteſt intelligi, cui miſerus hic [illegible] parens cum ſimia comparatur. *Cuius* (teſte Plinio) *tanta eſt in fœtum affectio, vt frequenti, preſſoque complexu filios ſoleat necare.*

Plin. lib. 8. cap. 54.

Saluian l. 3. ad Eccleſ. Cath.

Quamobrem prudenter Saluianus parentes monet, vt ſeuera filiorum educatione & ſibi, & ipſis conſulant. *Hoc ſpecialiter, inquit, dico, & peculiari admonitione commoneo, ne vllum omnino aliquis, quamuis chariſſimum pignus, animæ præferat. Neque enim iniquum eſt vt quilibet Chriſtianorum etiam legitimis hæredibus in hoc ſæculo conſulat, dummodo ſibimet in æternitate ſuccurrat.*

CAPVT XII.

Prælati, & Doctores doctrina, & exemplo ſubditos condire, & conſeruare debent.

QVoniam non ſatis eſt mordacitate Præſules vti, ſed lenitatis ſuauitate, vt diuinam imitari ſapientiam. Diſponant omnia ſuauiter, quod potiſſimum præſtabit vita & exemplum virtutis. De hoc etiam non nihil agendum: nam cum Paſtores ſal terræ à Domino vocantur. De condiendis & conſeruandis virtute ſubditis admonentur, quos non tam igne, & ferro correctionis, quam doctrina, exemplo, & orationibus in officio continere, & in omni virtute conſeruare debent. Quod typicè adumbratum eſt in fortiſſimo illo viro Sangar, de quo dicitur: *Poſt hunc fuit Sangar, qui percuſſit de Philiſtiim ſexcentos viros vomere.* Id Origenes attentè conſiderauit, & allegoriam eleganter euoluit his verbis:

Iudic. 3.

Origen. hom. 4.

Aliud genus laudis in Sangar video. Iſte in aratro vincit. Poteſt ergo fieri, vt Eccleſia iudex non ſemper gladium proferat, non ſemper auſteritate, & acumine correptionis vtatur, ſed aliquando etiam imitetur agricolam, & velut aratro ſulcans animæ terram, ac ſæpius eam commonitione reſcindens [illegible] eam ſuſcipiendis ſeminibus paret. Cum Paſtor ſeuerè corripit, quaſi gladio hoſtium interficit, cum autem doctrina, exemploque ſuadet, induſtrium agricolam refert, qui verbi vomere cordis

terram

terram commouet ſubigit, & mollit, & ad ferendos virtutum fructus parat. Plane tanta vis eſt in voce Prælati, & in ipſius exemplo virtutis, vt etiam feroces homines condiat, & in officio contineat. Sicut enim ferocia olim animalia ſancti Patriarchæ Noë præſentia, ita ſunt cicurata, vt cum infirmioribus animalibus in arca manſuetè viuerent: ita ſancti Prælati verbo, atque exemplo etiam proterui ſubditi in modeſtia, & continentia ſeruantur, & quaſi multo ſale condiuntur. Quod Sanctus

S. Ambroſ. lib. de Noë, & arca c.16. Ambroſius annotauit his verbis: *Vt animantia, quæ ferociora erant ſancti viri vicinitati manſueſcerent.* Verum quia Prælatus ſiue Doctor ob doctrinam, & exemplum ſal ſubditorum dicitur: ita etiam fermentum appellatur, quod totam ſubiectæ ſibi plebis maſſam, quantumuis magnam optimè afficiat, & quaſi condiat.

Matth. 13. Ideò dicitur: *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus donec fermentatum eſt totum.* Quam parabolam enucleans Theophylactus ait: *Fermentum dicit Apoſtolos: ſicut enim fermentum, cum paruum ſit, totam farinam in ſe transferi: ſic & vos totum mundum transformabitis, licet pauci ſitis.*

CAPVT XIII.

Qui ſal terræ ſunt, Dei timore ſolidari, & confirmari debent.

AD exemplum veræ virtutis præſtandum. Oportet habeant Præſules & Doctores ipſum virtutis fundamentum ſanctum Dei timorem. Idcirco illuſtri præconio Chriſtus extulit dignitatem Doctorum ac Paſtorum, cum dixit: *Vos eſtis ſal terræ*: At ne animos tollant, ſed vera humilitate ſubmittant, illico adiecit: *Quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur.* Quamuis enim, vt eſt in veteri elogio, ſale & ſole nihil ſit vtilius; ſal tamen, quod cum ſole componitur, euaneſcere poteſt, & ita quidem, vt eiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus: ſale enim infatuato nihil eſt vilius, cum eodem integro nil ſit vtilius. Quo Paſtores & Doctores admonentur, vt propriam infirmitatem, & perditionis periculum cognoſcentes in ſolo Dei timore, ſolidari, & confirmari ſatagant. Sic faciebat Propheta ille, qui ſal erat totius populi, quem non ſolo regimine, ſed diuinis

Pſal. 118. quoque elogiis condiebat cum dixerit: *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Sapientiam diuini eloquij, qua ſal erat populi, ſtatui, atque firmari in Dei timore poſtulabat, quo eam tuto poſſet cuſtodire, ac poſſidere. Sic enim ad hunc locum verba intellexit Ambroſius, ita inquiens: *Baſis quædam verbi eſt timor ſanctus: ſicut enim ſimulachrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam cum in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandique acceperit firmitatem: ita verbum Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, &c.* Itaque ſal ſapientiæ nec euaneſcat, diuino timore debet confirmari. Sed quia Apoſtoli, Apoſtolicique viri ſal terræ nuncupantur, hi etiam in baſi timoris Domini ſtatuuntur. Sic enim ſubiungit Ambroſius: *Et quia baſim timorem Dei diximus, ne quid alienum ab ſcripturis poſuiſſe nos quiſquam putet, accipiat lectum in Cant. Crura eius columnæ marmoreæ, fundatæ ſuper baſes aureas: ſignificans columnas eſſe Eccleſiæ Apoſtolos, qui fundati ſunt in timore ſancto. Et ſicut Petrus, Iacobus, & Ioannes, & Barnabas, columnæ eſſe videbantur Eccleſiæ. Sic etiam quicumque viceris hoc ſeculum, ſit columna Dei, quam confirmat, qui dicit, ego confirmaui columnas eius.* Si ergo Apoſtolici viri, Doctores inquam & Paſtores firmi eſſe velint, ne eos ſuperbiæ ventus exturbet, in baſi timoris Domini, tanquam Eccleſiæ columnæ ſtatuantur. Nam quantumuis firmi, & robuſti videantur, niſi timore Dei firmentur, & cadent; & caſu diſſoluentur, ac diſſipabuntur. Quod Sanctus Paſchaſius aptiſſimo ſcutorum fuſilium exem-

S. Paſchaſ. lib 3. in thren. plo ita explicat: *Scuta ergo ſi ſunt fuſilia in ſuſcipiendo ſagittas, robuſta ſunt; ſed caſu fragilia. Ictu quidem ferientium minimè penetrantur; ſed ſuo lapſu per fragmenta diſſoluuntur.* Doctores quidem, atque Paſtores ſcuta ſunt Eccleſiæ, ſed fuſilia: nam quamuis aduerſariorum ictus fortiter ſæpe propulſent; ſi tamen ipſi labantur, ſuo lapſu per fragmenta diſſoluuntur, vt ad rem nullam vtura iam habeantur. Quamobrem huiuſmodi ſcuta Dei timore ita fixa eſſe, & tam firmiter pendere debent, vt caſus fragilis minimè eis contingat. Scutum erat antiqui populi ſanctus Patriarcha Iſaac, at diuini timoris clauo ſic fixus erat, ne caderet, vt ab eius filio Iacob Deus *timor Iſaac* appelletur: ita Iacob ad La-

Gen. 31. ban dixit: *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modo nudum me dimiſiſſes.* Vbi Paulus Burgenſis

Paul. Burgenſ. addit 2. meritò quærit, cur eundem Dominum Iacob appellauit Deum Abraham, & timorem Iſaac, cum non minus Abraham timuerit Deum, quam Iſaac; ideòque eodem modo de vtroque loquendum videbatur. Ex ſua autem, & multorum ſententia ita reſpondet: *Quando hæc verba dixit Iacob, Abraham iam diu ante deceſſerat; ſed Iſaac adhuc viuebat, idcirco de Abraham, qui iam erat in ſecuro dixit: Deus Abraham; ſed de Iſaac, qui adhuc erat in vita dixit: timor Iſaac, id eſt, quem timet Iſaac.* Ex quo intelligi par eſt, quemlibet iuſtum quauis virtutis laude conſpicuum, dum degit in hac vita tot periculis obnoxia, ne in ipſis labatur, magno Dei timore debere percelli. Cur non omnes timeamus, qui portamus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.

Hunc ſanctum Dei timorem habeant Præſules, quoniam peccantes ipſa timent ſuæ remedia ſalutis. Vnde difficilis ſolet reſipiſcentia accidere, quæ in Præſulibus difficilior erit. Idcirco quaſi fieri non poſſit, vt Paſtor, ſiue Doctor infatuatus ad priſtinũ ſapientiæ vigorem redeat, ita à Domino dicitur: *Si ſal euanuerit,*

nuerit, *in quo ſalietur*? Quia profectò peccatores omnes, & in primis Doctores, & Paſtores; ita ipſa malorum ſuorum remedia peruerſiſſimo errore timent, & fugiunt, vt nullum ſal, quo condiri poſſint, eſſe videatur. Sunt quidem omnibus in hac vita malorum æternarum parata remedia: at peccatores qua ſunt, inuerſa mente, ipſa timent, & fugiunt remedia. Sicut enim qui à cane rabido morſus, rabiè laborat, aquam, in qua ipſi ſalutis ſpes ſita, perhorreſcit; ita peccatores lethali morbo laborantes ſalutaria remedia fugiunt. Quod apte exaggerauit Sanctus Gregorius inquiens: *Velut in perturbatione conſilium non habent dum moriuntur, & vitam timent.* Ad hoc confirmandum eleganter ratiocinatur ex capite quinto Lucæ in hunc modum diſſerens: *Quorum bene Petrus adhuc in infirmitate poſitus ſpeciem tenet; cum viſo miraculo piſcium dixit: exi à me Domine, quia homo peccator ſum, imo ſi te peccatorem conſideras, oportet vt à te Dominum non repellas.* Similiter quamplurimi, cùm ſe peccatores conſiderant, Deum ſanctificatorem à ſe repellunt, vt Gregorius ſubiungit his verbis: *Et peccatores ſe fatentur, & Dominum repellunt, eumque in quo ſanctificari debuerant, fugiunt.* Hos ſimiles ei dixeris, qui ſe ſordibus inquinatum conſpiceret, & tamen fontem timens, ab ea longe recederet. Peccatores quidem fontem vitæ fugiunt, quia mundat; cum ob id ipſum quærendus eſſet, vt à ſordibus ipſi mundari poſſent. Omnia peccatores miſcent, præpoſtere ſemper ratiocinnatur, & ita vbique inuertunt conſilia, vt id timeant, & fugiant, quod maxime optare, & complecti debuerant. Documento tibi ſit ſeruus ille piger, qui ideo abſcondit talentum, nec cùm eo lucrari voluit; quia ſciebat Dominum durum eſſe, & vbi non ſeminaſſet, metere fuiſſe ſolitum; cum ob id maxime deberet ſolicitè lucrari, ne durum experiretur Dominum, vt re ipſa expertus eſt. Id ſanctus Gregorius loco citato ſic annotauit: *Inutilis ſeruus durum Dominum vocat; cui tamen ad lucrum deſeruire diſſimulat, & timuiſſe ſe dicit in lucrum talentum expendere; qui hoc ſolum timere debuerat, ne hoc ſine lucro ad Dominum reportaret.* Hunc ſeruum hi imitantur, qui acceptum à Deo talentum exercitio expendere & melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen iacere in ſui torporis ignauia, quod maximè timere debent, non pertimeſcunt.

S. Gregor. hom. 9. in Euang.

Luc. 5.

Matth. 25.

Capvt XIV.

Quo pacto Doctores, & Prædicatores ſolidum ſal erunt.

Aliquas nunc ſalis proprietates exhibebimus, vt per eas proponamus, quo pacto ſoliditatem Euangelici ſalis Præſules, & Prædicatores obtinebunt. Et quidem cum Apoſtoli, & Apoſtolici viri ſal terræ nominantur, officij ſui ſymbolice admonentur: nam & verbo acri, & exemplo integro ſal populorum eſſe debent. Quod ſi Doctores & ſacerdotes præſtarent, pauciſſimi ad totum orbem condiendum ſufficiebant. Nam vt condiatur cibus, non magna ſalis copia opus eſt. Similiter Doctores, & Prælati pauci erunt ſatis, ſi ſalis habeant acrimoniam. Quapropter Sanctus Chryſoſtomus ait: *Sufficit vnus homo fidei zelo ſuccenſus, totum corripere populum.* Sufficit Epiſcopus vnus zelo Dei ſuccenſus, totum vt corrigat Epiſcopatum. Sufficit parochus vnus charitate inflammatus, vt totam corrigat paræciam. Sufficit Abbas vnus, Præſes vnus, Dei, proximique amore exardeſcens, vt totum corrigat, & inflammet cœnobium. Quod ſi ſal euanuerit, ſi ſacerdotes, ac Doctores zeli, charitatiſque acrimoniam amiſerint, etſi multi ſint, non ſufficient. Id etiam aduertit Sanctus Chryſoſtomus dicens: *Cum non vnus tantum, neque duo, vel tres, ſed tanta ſit multitudo, quæ negligentium curam poſſit attingere, non aliunde; ſed per torporem veſtrum, non per impotentiam plures pereunt, & labuntur.*

S. Chryſoſt. hom. 1. ad pop. Antioch. in fine.

Sacerdotes igitur & Paſtor inſtar ſalis, populo diuinum quendam virtutis ſaporem debet impertire, laxa reſtringere, noxios animæ humores exſiccare, & ſua quadam mordacitate à putredine vitiorum mentes liberare. Præclare quidam ſanctus pater ſic diſſerit: *Petra ſalis ſacerdos debet eſſe in populis. Curare namque ſacerdotem neceſſe eſt, quæ ſingulis dicat, vnumquemque qualiter admoneat, vt quiſquis ſacerdoti iungitur, quaſi ex ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur.* Et rurſus: *Quiſquis ad nos iungitur, ex lingua noſtra ſale condiatur.*

Id autem, vt præſtare valeat Doctor charitate debet ardere, & quaſi liqueſcere. Nam ſicut ſal, vt condiat, liqueſcit: ſic paſtor miſericordia liqueſcit, vt proximo ſuccurrat. Cum liqueſcit ſal, tunc ſaporem cibis præbet, cum charitate liqueſcit Paſtor, vel Doctor, tunc æternæ vitæ ſapore populum condit. De Samaritano illo, qui ſpoliatum, & cæſum à latronibus non deſeruit, dicitur: *Miſericordia motus appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, &c.* Samaritanus cuſtodem ſonat, & Paſtorem animarum ſignificat, qui ſi miſericordia mouetur, ſi inſtar ſalis liqueſcit, ad ouium vulnera alliganda, euigilat, & feſtinat, vinumque infundit, & oleum, quia vel increpat, ſi opus eſt, vel indulget, & blanditur, ſi hanc medicinam vulnus flagitet. At ſacerdotes, qui miſericordia, & charitate non ſunt liquefacti, ſeminiuum hominem viderunt, ſed præterierunt. O ferrea pectora! liqueſcat ſal, vt condiat; liqueſcant charitate viſcera, vt proximo opem ferant. Liqueſcebant prorſus Pauli viſcera, qui dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror.* Etenim ſal, vt ſuo fungatur munere, & liqueſcit & detrimentum patitur, & perit: ita Paſtores, qui ſal ſunt terræ pereunt corpore, ne ouium pereant animæ: *Nam bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Pretioſum detrimentum, & plena lucro iactura, quam propterea incurrit Paſtor, vt ſuccurrat ouibus. Audi bonum

Luc 10.

2. Cor 11.

Digitized by Google

Exod. 32. Rom. 9. 2. Cor. 12.

bonum Paſtorem, vide ſalem condiendo pereuntem: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Et Apoſtolus ait: *Optabam anathema eſſe pro fratribus meis.* Et alibi. *Ego libentiſſimè impendam; & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Hoc eſt, non mea tantum vobis largiar, ſed vitam etiam ipſam pro animabus veſtris profundam.

Porro autem, vt præfata ſalis munera Euangelicus Doctor poſſit præſtare, enixè curet, ne euaneſcat, ſed omnimoda integritate vigeat: *Nam ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra; niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Euaneſcit autem ſal, ſi mari admiſcetur. Fit ſal ex aqua è mari ſeparata, quod ſi mari iterum admiſceatur, liqueſcit, diffluit, & euaneſcit. Fugiat igitur mundi mare Euangelicus Doctor, ſi inſtar ſalis non vult euaneſcere. Dices, neceſſe eſt ſalem in mare mitti; id eſt, ſacerdotem, & concionatorem in mundum ingredi, & cum hominibus verſari. Fateor, ſed aliud eſt, in mare, ideſt, mundum ingredi, aliud marinis aquis, ideſt, mundi cupiditatibus admiſceri. Qui ſolummodo mundum ingreditur, vt homines condiat non euaneſcit; qui vero mundanis ſeſe motibus admiſcet, proculdubio diffluet. Audi Sanctum Ambroſium dicentem:

S. Ambroſ. ep. 10. ad Irenæum.

Non vtique tranſire in Ægyptum, crimineſum eſt, ſed tranſire in mores Ægyptiorum. In Ægyptum tranſit Moſes, ſed non euanuit; quia in mores Ægyptiorum non tranſiuit. Vt populum ex Ægyptiaca captiuitate educeret in Ægyptum venit, Ægyptiorum vitiis ſe non admiſcuit. Ita concionator in Ægyptum, id eſt, mundum veniat, ſed Ægyptiorum mores fugiat, populum ex diaboli captiuitate eripiat, mundi vitiis ſe non admiſceat. Sic in eo implebitur, quod de populo Iſraelitico Moſes cecinit:

Exod. 15.

Ambulauerunt per ſiccum in medio eius. Huiuſmodi erant præclari illi viri Theotiſtus, & Andreas, ad quos Magnus Gregorius ſic ſcribit:

S. Gregor. lib. 6. ep 23.

Quod in tanto tumultu cauſarum veſtra excellentia poſita ſacri verbi vbertate plexa eſt, atque ad æterna inceſſanter gaudia ſuſpirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago; quia hoc in vobis impletum video, quod de dilectis Patribus ſcriptum eſt: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum per medium mare, vos ad repromiſſionis patriam, inter vndas cauſarum ſæcularium ſiccis, vt video greſſibus ambulatis. Agamus ergo gratias ſpiritui, qui corda, quæ implet, leuat, qui inter tumultus hominum ſolitudinem in mente facit. Tunc ergo ſal non euaneſcit, cùm Doctor in mundano mari per ſiccum ambulat, cum inter hominum tumultus ſolitudinem in mente gerit, nec ex mundanis ſordibus quidquam ſibi adhærere permittit. Quod optimo ſymbolo adumbratum eſſe docet Hugo Cardinalis his verbis:

Hugo Cardinal. in 2. Cor 4.

Data eſt lex in igne, qui ſordes conſumit, & non recipit: quod ſignificat illos, per quos lex datur, ita puros eſſe debere, vt ſordes conſumant, non accipiant.

Euaneſcit præterea ſal, cum mordacitatem perdit, & Doctor cùm mordendi vitia zelum amittit. Euaneſcit, cùm vanam populi laudem vanus captare ſtudet; cum ſalem Apoſtolicum in ſales, facetiaſque, & in mella conuertit. Mordeat ergo ſal Apoſtolicus, non perſonas, ſed vitia. Nam vt Sanctus Chryſoſtomus ait: *Hoc eſt opus ſalis laxa quæque vrere, atque reſtringere.* Et Theophylactus illud: *Vos eſtis ſal terræ* ita interpretatur: *Vos eſtis ſal terræ mordentes, & condientes doctrina, & reprehenſionibus diſſolutos, vt non pariant vermes perpetuos.* Sanctus quoque Ambroſius. *Tunc, inquit, auditor proficit, quando auſteriora annuntiat Prædicator.* Audi etiam Sanctum Hieronymum ad illa verba Iſaiæ: *Vinum tuum mixtum eſt aqua,* ita dicentem: *Omnis Doctor, qui auſteritatem ſcripturarum per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, ſed delectet audientes: vinum ſanctarum ſcripturarum corrumpit ſenſu ſuo.* Audiat Paulum concionator, audiat Paſtor: *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ. Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, &c.* O verum mundi ſalem, nunquam euaneſcentem.

S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. — S. Ambroſ. ſerm. 84. — Iſai. 1. — 1. Theſ. 2.

Denique, ne euaneſcat Doctor, ita in animarum ſalutem incumbat, vt multo enixius propriæ ſaluti nauet operam: ſic enim ſal terræ condire alios debet, vt ipſe non euaneſcat. Niſi enim hanc curam adhibeat, id ei eueniet, quod plorabat ſponſa: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.* Quod Sanctus Gregorius ſic explicat: *Vinea quippe noſtra actiones ſunt, quas vſu quotidiani laboris excolimus; ſed cuſtodes in vineis poſiti, noſtram vineam minime cuſtodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.* Eodem loco ſacerdotes huiuſmodi cum aqua baptiſmali confert: *Qui, inquit, ſimiles dixerim ſacerdotes malos, niſi aqua baptiſmatis quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit.*

Cant. 1. S. Gregor. hom. 17. in Euang.

CAPVT XV.

Per negligentiam in bene operando ſal Apoſtolicus euaneſcit.

CVm ſal infatuatus, ſiue vanus ad nihilum valeat vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, nihil magis eniti debent, qui ſalis Apoſtolici nomine nuncupantur, quam ne euaneſcant, ſiue infatuentur. Tantum autem malum, vt vitare poſſint, id certum conſtituere, & ſibi perſuadere debent, ſalem Apoſtolicum per incuriam, & bene operandi negligentiam, quam maximè euaneſcere. Nam cum Doctor, ſiue Paſtor bona opera negligit, in quibus præcipuè ſalis Apoſtolici virtus ſpectatur, rectæ prudentiæ, ac ſapientiæ ſenſa, atque conſilia perdit. Hanc ob cauſam per Zachariam dicitur: *Brachium eius ariditate ſiccabitur & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.* Quia profecto, cum per negligentiam brachium, id eſt, bene operandi vis ariditate ſiccatur, tunc oculus dexter, ideſt ſapientia, diuinorumque cognitio tenebreſcens obſcuratur. Prius brachium ex negligentia ſiccatur. Quod prudenter aduertit Sanctus Gregorius:

Zach. 11.

S. Gregor. 3.p.Paſt. admonit.16.

Gregorius : *Per Salomonē, inquit, dicitur: pigredo immittit ſoporem. Piger enim rectè ſentiendo quaſi vigilet ; ſed pigredo ſoporem immittere dicitur ; quia pauliſper etiam rectè ſentiendi vigilantia amittitur, dum à bene operandi ſtudio ceſſatur.* Prius bene operandi ſtudium ceſſat, quod eſt brachium areſcere ; deinde bene ſentiendi vigilantia amittitur, quod eſt dexterum oculum tenebreſcere, & omnino infatuari. Quod expreſſum à Domino eſt in parabola ſeruorum, quibus Dominus bona ſua tradidit, & ad negotiandum partitus eſt : nam ille, qui vnum talentum tantummodo accepit, eos deſignat, qui prudentia, & ſcientia, ac intelligendi acumine præditi ſunt, vt Sanctus Gregorius ſic explicat : *Sunt nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, ſed tamen ſola, quæ carnis ſunt ſapiunt, de quibus per Prophetam dicitur: ſapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Vnum ergo talentum accipit, qui donum intelligentiæ, atque prudentiæ percipit. Sed cùm is ſeruus acceptum talentum fodit in terram, & abſcondit Domini ſui pecuniam, eos adumbrat, qui deſidiæ negligentia torpent, ſicut Sanctus Gregorius ita ſubiungit : *Sunt plerique intra ſanctam Eccleſiam quorum iſte ſeruus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen iacere in ſui torporis ignauia non pertimeſcunt.* Sed in eum qui talentum abſcondit, Domini voce pronuntiatur : *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Quia is qui accepto intelligentiæ, ac ſapientiæ munere, eo ignauus non vtitur, ipſo dono priuatus infatuatur. Sic intellexit hoc Sanctus Chryſoſtomus inquiens : *Qui gratiam ſermonis & doctrinæ ad proficiendum habet, non vtens ea, gratiam perdit ; qui autem ſtudium adhibet amplius attrahit donum.* Similiter Sanctus Hieronymus de hoc torpente ſeruo ſic habet : *Multi cum ſint ſapientes naturaliter, & habeant acumen ingenij, & fuerint negligentes, & deſidia bonum naturæ corruperint, ad comparationem eius, qui paululum tardior labore & induſtria compenſauit, quod minus habuit, perdunt bonum naturæ, & præmium, quod eis fuerat repromiſſum, vident tranſire ad alios.* Igitur per negligentiæ torporem ſal infatuatur, cum accepto ſapientiæ lumine ignauus homo non vtitur. Vnde congrua pœna puniri mandatur, cum dicitur : *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores.* De qua pœna ſanctus Gregorius ſic ait : *Per pœnam in tenebras exteriores cadet, qui per ſuam culpam ſponte in interiores tenebras decidit.* Sed de his exterioribus tenebris notabilis eſt expoſitio, quam Origenes hoc loco refert his verbis : *Legimus etiam aliquem ante nos exponentem de tenebris abyſſi, quæ eſt extra mundum, vt quaſi indigni toto mundo, in abyſſum illam foras eiiciantur, in qua ſunt tenebræ, nemine eas illuminante.*

Matth. 25.

S. Gregor. hom.9 in Euang.

Hierem. 4.

S Chryſoſt. hom.79. in Matth.

Sup.

* * *

Capvt XVI.

Per peccatum, quod viliſſima res ſit, ſic euaneſcit & infatuatur ſal Eccleſiæ, vt nihilum valeat.

PRælatos ac Doctores Eccleſiæ ſacra dignitate fulgentes, & omnes vniuersè Principes, qui ſalis etiam nomine nuncupantur, peccato infatuatos inutiles reddi, dignoſque eſſe, vt foràs eiiciantur, abiiciantur, & ab omnibus conculcentur, authoritas Domini teſtatur ; vt intelligi debeat, quam viliſſima res peccatum ſit, quamque abiectos efficiat eos, qui ipſi ſubiiciuntur, quantumuis ſint dignitatis claritate conſpicui. Nam ſicut ſanctus Auguſtinus annotat ſalem infatuatum conculcari, ſignificat hominem exiſtentem in peccato fieri contemptibilem. Quod quidem magno charitatis dolore Hieremias deplorauit, cum dixit : *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Quæ verba ſanctus Gregorius ad rem noſtram ſic explicat : *Aurum obſcuratur, cum conſequentibus iniquitatum tenebris, iuſtitiæ pulchritudo deſeritur. Color optimus mutatur, cum ſplendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.* Sed exactius alibi idem Gregorius totam hanc ſententiam pertractat, inquiens: *Quid auro quod metallis cæteris præeminet, niſi excellentia ſanctitatis ? Quid colore optimo niſi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur ? Quid per ſanctuarij lapides niſi ſacrorum ordinum perſona figuratur ? Quid platearum nomine niſi præſentis vitæ latitudo ſignatur? Quia enim Græco eloquio platos latitudo dicitur, profectò à latitudine plateæ ſunt vocatæ. Per ſemetipſam vero veritas dicit : lata & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem.* Hinc ſanctus Doctor ad ſingulas huius loci partes explanandas, ita proſequitur : *Aurum igitur obſcuratur, cum terrenis actibus ſanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorumdam, qui degere religioſe credebantur, æſtimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet poſt ſanctitatis habitum terrenis ſe actibus inſerit quaſi colore permutato, ante humanos oculos eius reuerentia deſpecta palleſcit, ſanctuarij quoque lapides in plateas diſperguntur, cum cauſarum ſæcularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Eccleſiæ internis myſteriis, quaſi in ſecretis ſanctuarij, vacare debuerunt. Ad hoc quippe ſanctuarij lapides fiebant, vt intra ſancta ſanctorum, in veſtimento ſummi ſacerdotis apparerent. Cum vero miniſtri religionis à ſubditis honorem redemptoris ſui ex merito vitæ non exigunt, ſanctuarij lapides in ornamento Pontificis non ſunt. Qui nimirū ſanctuarij lapides diſperſi per plateas iacent, cū perſonæ ſacrorum ordinum voluptatum ſuarum libidini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandū quod non hos diſperſos in plateis, ſed in capite platearum dicit : quia & cum terrena agunt, ſummi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum ſint capite ex honore ſanctitatis. Nihil quoque obſtat, ſi ſanctuarij lapides eoſdem ipſos quibus conſtructum ſanctuarium exiſtebat, accipimus, qui diſperſi in platearum capite iacent,*

S Auguſt. tract.1.de ſerm.Dom. in monte.

Thren.4.

S. Gregor. lib.34. mor. cap.9.

S. Gregor. 2.p.Paſt. cap.7.

Digitized by Google

iacent, quando ſacrorum ordinum viri terrenis actibus ex deſiderio inſeruiunt ex quorum prius officio ſanctitatis gloria ſtare videbatur. Ecce ſal infatuatum foras miſſum, & ab hominibus conculcatum.

Cluniacenſ. epiſtolarum lib. 2. ep. 2.

Vnde Petrus Cluniacenſis ait: *Monachi, qui vt aurum in domo Dei fulgere debebant, vt vile lutum per omnes plateas omnium pedibus ſe conculcandos proſtrarunt, de quibus Propheta, quomodo obſcuratum eſt aurum, &c.*

Bleſenſ. epiſt. 17. ad quoſdam Canonicos.

Sed audiendus quoque eſt Petrus Bleſenſis, qui quantopere vileſcat ſal infatuatum grauiter quidem, & eleganter explicat his verbis: *Irruunt laici in ſancta ſanctorum; ſanctuarij vero lapides diſperguntur in capite omnium platearum. Conuertuntur hodie clauſtra in caſtra, & fora; religioſi in ethnicos; paſtores in lupos; lilium in ſpinam, aurum in ſcoriam, frumentum in lolium; vinum in acetum, oleum in amurcam.* Sanctus Bonauentura ad eundem Prophetæ locum, dum ſingula verba exponit infatuati, ac deſpecti ſalis rationes aperit, ſic inquiens: *In auro obſcurato ſubuerſio ſanctitatis; in colore mutato ſubuerſio honeſtatis; in diſperſione, ſtudium cupiditatis, & conſequentis diſſenſionis in platearum capite exemplum peruerſitatis.* Optime colorem optimum animæ in honeſtate, ſiue caſtitate conſtituit. Quam etiam ſententiam complectitur ſanctus Paſchaſius ad eundem Prophetæ locum dicens: *Dum intus anima carnalium rerum fumo denigratur, quid niſi color candoris optimus, & pulchritudinis in deterius commutatur?* Deinde quam miſera ſit hæc coloris, auri, & lapidum commutatio, id eſt, ſalis infatuatio, ita ſubiungit: *Peſſima igitur commutatio, dum amor æternarum rerum, & concupiſcentia cœleſtis patriæ, in amorem temporalium, & concupiſcentiam vanarum rerum vertitur. Pro quo rectè plangitur; quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! vnde quia concupiſcentia æternæ vitæ verſa eſt in amorem, & concupiſcentiam carnis, iure lapides ſanctuarij Dei, reliquæ ſcilicet virtutes animæ, in capite diſperguntur omnium platearum: quoniam charitate amiſſa, virtus nulla in anima ſolidatur, imo omnes affectiones ſuas ad lata viarum itinera, & ſpacioſa concupiſcentiarum conamina, in capite tranſportauit platearum.*

Hanc præterea infatuati ſalis vilitatem rurſus admiratur, & lamentatur Propheta, cum ita ſubiungit: *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?*

S. Cyrill. Alex. lib. 9. in Numer.

Quæ verba Sanctus Cyrillus Alex. ita interpretatur: *Peccatores vaſa fictilia fiunt; ſicut Hieremias Propheta deſignat in lamentationibus dicens: filij Sion inclyti, &c. Si intellectus noſter luteus ſit, & de luto ſemper, ac de terrenis cogitet, efficiemur vas fictile & opus manuum figuli.*

S. Bernard. ſerm. 2. de verb. Apoſt.

Similiter Sanctus Bernardus circa illa verba Apoſtoli: *Non eſt regnum Dei eſca, &c.* potius ſic ſcribit: *Filij Sion, illius videlicet ſpeculatiuæ ciuitatis, quam ædificauit Dominus, vt videatur in gloria filij ſupernæ Hieruſalem, quæ libera eſt mater noſtra: inclyti per dignitatem conditionis; amicti auro primo, per diuinitatis imaginem. Quomodo ergo ex his nos quidem reputati ſumus in vaſa teſtea, in hæc lutea, & fragilia corpora degenerauimus.* Paulo aliter, & propius ad rem noſtram explicuit verba Prophetæ Sanctus Paſchaſius his verbis: *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribitur. Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apoc. 2. *Quod eſt aperiè dicere: ſcito & intellige, cuius dignitatis fueris per gratiam, & adoptionem Dei, quam inclytus & nobilis, veſtitus auro primo, & puriſſimo charitatis; ac deinde quam vilis, & luteus, propter corruptionem, & pœnam peccati, vaſis fictilibus compararis.* Illi ergo qui auro puriſſimo & primo prius veſtiebantur, imo qui aurum primum ipſi erant, per peccatum in ſcoriam verſi ſunt. Vnde in Pſalmo vbi nos legimus: Pſal. 118. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* In editione Hieronymi, & Symmachi habetur: *Quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ.*

Tantopere vileſcit, atque infatuatur ſal, id eſt, Princeps ſeu Prælatus per peccatum euaneſcit; in eamque abit vilitatem, vt ab omnibus conculcari mereatur. Vnde huiuſmodi Principibus per Iſaiam dicitur: Iſai. 47. *Deſcende, ſede in puluere filia Babylonis, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum.* Qui in ſolio dignitatum glorioſè ſedebant, per peccatum adeo vileſcunt, vt deſcendere de ſolio, & in puluere ſedere iubeantur. Cuius loci in ſenſu myſtico elegans eſt interpretatio Petri Damiani ad hunc modum:

S. Petr. Damian. Apolog. de contemptu ſæculi c. 22.

Menti reprobæ, negotiiſque ſæcularibus inhianti, ſub Babylonis ſpecie dicitur deſcende: in alto enim humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat? ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cum turpiter victus ſeſe defluentibus mundi deſideriis ſubiicit. Sede in puluere: quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus, in infimis vileſcit. Sede in terra: exprobrans dicit, quia cœleſti conuerſatione noluiſti te regere, ſub temetipſo proſtratus, in terrenis actibus humiliare. Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum ſeu filiæ ferocium. Ferocia ſunt terrena deſideria quæ duram, atque inſenſibilem mentem reddunt. Non habet ſolium, quia in eo quod ſe terrenis deſideriis ſubiicit, ſedem iudicij amittit.

Nec mirum quidem, ſi peccator in puluere ſedere iubeatur, cum ipſi pulueri comparetur in Pſalmo. Ideo ſanctus Hieronymus ait: Pſalm. 1. *Impius dicitur tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Puluis licet de terra ſit, tamen deſinit eſſe terra. Tam infelix erit impius, vt nec terrenus quidem ſit. Puluis nihil habet ſolidum huc, illucque diſpergitur, nunquam in vno loco eſt, quocumque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur: quocumque impium aura Diaboli traxerit, illuc errore perducitur.* In tantam peccator vilitatem deuenit, vt tres ſancti Pueri in camino Babylonico diuinas laudes decantantes, & ad hoc ſacrum munus cunctas creaturas acceſſentes, ſolum peccatorem ab hoc communi choro reiecerunt. Cumque Dracones, & ſerpentes, & ipſas etiam tenebras ad diuinas laudes canendas acciuerint, ſolum peccatorem, tanquam in infimo abiectionis gradu conſtitutum, omittunt, & repudiant. Ideo peccatorem ad laudandum Deum cum cæteris creaturis non admittunt; quia peccator, vt talis eſt, non ad creaturas ſed ad ipſum nihil ſpectet. Quod rectè confir-

S. Auguſt. lib. 12. de ciuit. c. 1. & 6. S. Fulgent. lib de fid. ad Petr. c. 3. S. Gregor. lib. 25. mor. cap. 5. S. Thom. in 2. dist. 44. art. 1. S. Bonauent. ibid.

mari poteſt ex doctrina quadam Auguſtini, Fulgentij, quin etiam Gregorij Magni, quam amplectitur Sanctus Thomas, & Sanctus Bonauentura, & ſequitur pars maxima ſcholæ Theologicæ, ſcilicet peccandi potentiam conuenire homini non quatenus à Deo eſt, ſed quatenus ex nihilo, vnde habet vt deficere poſſit. Verba S. Gregorij ſunt: *Humana anima quia ex nihilo eſt condita ex ſe infra ſe tendit, niſi ad boni deſiderij ſtatum artificis ſui manu teneatur.* Igitur cum anima te ipſa peccat ad nihilum per ſe tendit, quo vlterius eius vilitas non poteſt procedere. Cui quidem conſonare videtur Poetæ dictum, *& redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.*

Caput XVII.

Doctori ſiue Prædicatori etiam improbo auſcultandum eſt.

QVod à Domino dicitur, ſal nimirum infatuatum, & inutile eſſe, & foras mittendum, & ab hominibus conculcandum; non quidem ita eſt accipiendum, quaſi Doctor, aut Prædicator ſceleratus non ſit audiendus, nec de doctrina eiuſdem curandum: nam quamuis eius mores non ſint imitandi; ſana tamen ipſius doctrina eſt reuerenter auſcultanda, & opera diligenter exequenda. Improbus enim Doctor palmes eſt ſpinis implicatus: at propter ſpinas, non eſt contemnenda vitis, neque fructus eius repudiandus eleganter. Sanctus Auguſtinus ſcripſit: *Botrum carpe; ſpinam caue; non enim ſpinam vitis attulit, ſed ſpinis palmes incubuit. Noli interrogare niſi radices. Quare radicem ſpinæ, extra inuenies à vite: quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice. Phariſæorum mores ſpina erant; doctrina vero palmes in ſepe. Botrum inter ſpinas cautè lege; ne dum quæris fructum laceres manum: & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Vitis Chriſtus, palmes Doctor, botrus doctrina; quamuis ergo palmes implicatus ſit vepribus, cauenda eſt ſpina, & carpenda vua quæ ex optima vitis radice procedit. Tunc botrus legitur de medio ſpinarum, cum vtilis doctrina depromitur, & vox ac verbum Dei auditur ex ore Doctorum prauorum morum ſentibus horrido. Quid enim eſt Prædicator improbus, niſi rubus aridus, infœcundus, & totus ſpinis armatus? Per huiuſmodi autem Doctores Deum aliquando homines alloqui, ipſe ſignificauit, quando cum Moyſe locuturus, non aliam amœniorem, feliciorem que plantam, ex qua loqueretur, elegit. Nam dicitur in Exodo: *Apparuit ei Dominus de medio rubi.* Et rurſum, *vocauit eum de medio rubi.* Sic enim interpretatur Sanctus Ambroſius. *Cur,* inquit, *deſperandum, quod Dominus loquatur in hominibus, qui eſt locutus in ſentibus, nec rubum eſt dedignatus.* Subinde autem Sanctus Doctor, qua erat humilitate, huic rubo ſe ſimilem fatetur; ex quo tamen Deus verbum ſuum aliis pronuntiet, ſic enim attexit: *Atque vtinam meas quoque illuminet ſpinas. Erunt fortaſſe, qui etiam in noſtris ſentibus aliquem mirentur lucere fulgorem, quos ſpina noſtra non vratierunt, quibus de rubo audita vox noſtra ſoluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus eruatur mentis exceſſus.* Improbus plane Doctor rubus eſt ſpinoſus, & infructuoſus; per quem tamen Deus diuinas voces ab hominibus auſcultandas edit.

S. Auguſt. tract. 46. in Ioan.

Exod. 3.

S. Ambroſ. lib. de virginib. ſub initium.

Præterea quid fœtidius ore leonis, qui omnem prælibatam à ſe eſcam fœtore corrumpit? vt paſſim authores tradunt. Quid aridius mandibula aſini? Et tamen Sanſon ex hac copioſos latices hauſit, & ex graueolente leonis ore mella ſuauiſſima deprompſit vt non ſit mirandum, ſi per aridos, ac fœtidos Doctores ſuauiſſimo diuini verbi cibo, atque potu Deus homines nutriat. Nil nocet prudentibus auditoribus, aut leonis fœtor, aut aſini deſidia quominus ſuauiſſimo cibo, potuque paſcantur. Audi Beatum Petrum Damianum ita dicentem: *Sanſon de ore mortui leonis fauum mellis eduxit, & ex arente mandibula aſini aquis ſe profluentibus ſatiauit: ſed nec aſelli in aqua deſidiam; nec belluinam guſtauit in melle ferociam. Vtrobique nimirum, quod ſumptum eſt, iuxta proprietatem ſuam in ore ſapuit; vnde ſumptum fuerit non magnopere diſcreuit.* Siue deſidia aſinum, ſiue ferocia leonem prædicatorem appelles, nihil verbum Dei ex leone, vel ex aſino redolet, nihil ei adhæret maculæ purum per ora leonis, ſiue aſini ad comedentes, & bibentes tranſit.

Iud c. 4.

S. Petr. Dam. tom. opuſculor. opuſc. 6.

Id quidem vt firmius teſtatum omnibus relinqueretur, ſicut per leonem, & aſinum Deus Sanſonem, ita per coruos Eliam longo tempore aluit. In tertio regum libro dicitur: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane; ſimiliter panem & carnes veſperi.* Quo ſymbolo ſignificatum eſt, ſpiritualia ſacrarum ſcripturarum alimenta, etiā per nigros, ac reprobos diuini verbi miniſtros, ſæpe ſuppeditari. Quod rectè obſeruauit S. Iſidorus Peluſiota, ſic ſcribens: *Si quid etiam, quod magis mirandum ſit, intelligere cupis; per coruum, hoc eſt, immundam auem, cœlipetam illum Eliam paſcebat. Quocirca, ne dubites, quin per flagitioſos quoſdam ſacerdotes diuina, & natura ſublimiora beneficia tribuantur, &c.* Cæterum improbus Doctor ipſe ſibi conſulat, & caueat, ne bene docendo, & male viuendo, illud efficiat, quod aduertit autor operis imperfecti: *Bene* (inquit) *viuendo, & bene docendo, populum inſtruis, quomodo debeat viuere; bene autem docendo, & male viuendo, Deum inſtruis, quomodo te debeat condemnare.*

3. Reg 17.

Chryſoſt. hom. 43. in Matth.

Prælatus ſimiliter, quamuis ſceleratus, quia Prælatus eſt, veneratione eſt ſuſpiciendus, & digna humilitate obtemperandus. Non enim ſpectandum eſt qualiter viuant, ſed quod Chriſti vocem habeant, intuendum. Quapropter Sanctus Auguſtinus ait: *Per eos vox Chriſti auditur, inſequuntur oues, non mercenarium, ſed vocem Paſtoris per mercenarium.* Licet enim mercenarius manus habeat Eſau, eius tamen vox, vox Iacob eſt, quam proinde merito ſequuntur oues. Vnde Beatus Petrus Damianus ait: *Nolite de priorum veſtrorum perperam viuentium meritis diſputare & non qua via gradiantur, ſed cuius vice fungantur attendentes, illis in Chriſto humiliter obedite.* Quod exemplo Samuëlis, ac Dauidis ſubinde confirmat in hunc modum: *Samuël quamuis*

S. Auguſt. tract. 46. in Ioan.

S. Petr. Damian. opuſc. 13. cap. 10.

reprobo

Digitized by Google

reprobo ſacerdoti, quia tamē humiliter paruit, oraculum mox diuinæ reuelationis accepit. Superbum Saülem nunquam ſpiritus vexat; & ei Dauid obſequi pulſando citharam non recuſat. Quod
S.Chryſoſt. in c. 1. epiſt. ad Coloſſ. hom. 3. grauiter adſtruit S.Chryſoſt. ex munere legationis, quo Prælati etiam reprobi funguntur, ita diſſerens: *Legati, qualeſcumque tandem ſint, propter legationis prærogatiuam multo potiuntur honore. In mediam barbarorum terram ſoli ingrediuntur: & quoniam plurimum valet legationis lex, omnes eos honorant, omnes in eos intendunt, omnes cum fiducia, & libere dimittunt.* Mox vero ex hoc gentium iure ad firmam indignorum paſtorum obedientiam ſic ratiocinatur: *Iam & nos legationis ſermonem accepimus; hoc enim eſt Epiſcopatus dignitas. Honore vero potiri volumus; non propter nos; abſit: Scimus enim noſtram vilitatem; ſed propter vos, vt quæ à nobis dicuntur, diligentius audiatis.* Parendum ergo eſt reprobis etiam Prælatis, qui quamuis vitam habeant peruerſis moribus contemptibilem; dignitatem tamen præferunt diuinis muneribus venerabilem. Sed quamuis Prælatus improbus ſibi infructuoſus ſit, ſpirituali tamen ſubditorum fructui, atque profectui per diſpenſationē regiminis, atque obedientiæ plurimum ſeruit. Exemplum illud huic argumento qua-
Origen. hom. 10. in Ioſue. drat, quo vtitur Origenes. *Vlmus,* inquit, *quæ fructum non affert, portat tamen vitem, quæ affert plurimum fructum, & ex eo, quod adminiculo eſt viti, quæ eius viribus nitens, vel afferre, vel ſeruare poteſt plurimum fructum; etiam vlmus, quæ infructuoſa eſt, neceſſaria videtur & vtilis; ex hoc ipſo, quod frugiferæ deſeruiat vitæ. Tale aliquid intellige, &c.* Superior quidem improbus, alta regiminis dignitate, proceræ vlmo ſimilis eſt, quæ quamuis infructuoſa eſt arbor, fructuoſam tamen vitem ſuſtentat, & ad augendos fructus adminiculatur.

CAPVT XVIII.

Deus etiam per iniquos loquitur.

QVoniam argumentum hoc locuples, & neceſſarium eſt, aliqua addere operæpretium erit. Sicut enim Deus per os impij Balaam loquutus eſt: ita etiam per ſceleſtum quemque Doctorem verba facit. Eleganter hac de re phi-
Origen. hom. 14. in Num. loſophatur Origenes inquiens: *Dicitur ad eum: verbum quodcumque dedero in ore tuo loqueris. Si dignus fuiſſet Balaam, verbum ſuum Deus non in ore eius, ſed in corde poſuiſſet; nunc autem quoniam in corde eius deſiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei non in corde, ſed in ore eius ponitur.* Licet ergo verbum Dei non in corde, ſed in ore Doctoris ſit, verē verbum Dei eſt, ab eo ibi poſitum, atque adeo reuerenter audiendum. Sicut enim aqua in viſceribus altiſſimi montis concepta, & per occultas terræ venas deducta, tandem in medio alicuius vrbis foro per os effictum beſtiæ, ſerpentiſve prorumpit; & tamen nec terrorem ingerit accedentibus, nec venenum inſtillat excipientibus, nec horrorem incutit potantibus, cum probe calleant nihil officere ſalutari aquæ per quid tandem egrediatur, ſed vnde promanet conſiderandum. Similiter de aqua cœleſtis ſapientiæ, atque diuini verbi ratiocinandum. Quod ſignificatum eſt in Sanſone de mandibula aſini bibente. Nec piget iterum eandem San- Iud. 15.
ſonis hiſtoriam noua attingere conſideratione. Nam erudite notauit Theodoretus eam mandibulam triplici de cauſa ex lege fuiſſe immundam: nam & aſinus viuus eſt immundus, & mortuus rurſus eſt immundus, & quod cædis fuiſſet inſtrumentum, quo videlicet mille alienigenas Sanſon interemit. Sed quamuis illa mandibula trifariam eſſet immunda, mundiſſimæ tamen aquæ ſcaturigo efficitur. Vnde Sanſon ſitim ſedauit, & vires recepit. Ex quo Theodoretus docet Deum ab immundis mandibulis, id eſt terque quaterque immundis Doctoribus ſalutarem ſapientiæ aquam poſſe elicere, & elargiri. Non ergo contemnenda eſt aqua doctrinæ, ob turpitudinem mandibulæ. Vnde aptiſſime autor operis imperfecti ait: *Nunquid propter* S. Chryſoſt. hom. 43.
terram vilem pretioſum aurum contemnitur? Nam ſicut aurum eligitur; & terra relinquitur: ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Aliam non minus aptam apponit ſimilitudinem his verbis: *Apes flores colligunt, herbas relinquunt: ſic & vos flores doctrinæ colligite, & conuerſationem relinquite.* Neque contempſit Sanſon fauum mellis, quod in ore mortui, corrupti, ac fœtidi Leonis illum inuenerit. Ita ne- Iud. 14.
mo eloquia Dei, quæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum, ideo parui faciat, quod in ore corrupti Doctoris inueniantur. Nam vt bene Procopius hanc allegoriam euoluens, ait: *In Samſon qui* Procop. in cap. 14. Iud.
Leonem tenuit & occidit, & in ore mortui Leonis fauum mellis inuenit, ſignificatum eſt, quod in ſuperbis, in quorum ore putor fuerat blaſphemiæ, eſſet poſtmodum dulcedo laudis & gratiæ Dei. Verum ſicut apes etiamſi abhorreant à fœtidis, ſicut ibi notauit Lyra, tamen in ore putrido mellificarunt: ſic etiam puriſſimum diuini eloquij mel in horrido, tabidoque ore veluti fabricatum reperitur, & fortaſſis ideo diuinitus cum Nazaræo Samſone diſpenſatum eſt in lege de non attingendo cadauere, vt notauit Theodore- Theodoret. Serar. q. 16.
tus, & probat ibi Serarius, vt poſteris conteſtatum maneret, nihil omnino contaminationis in eo reperiri, quod quis mel doctrinæ ab immundo ore hauriat, & ſuſcipiat. Et quamuis mortuus Leo nihil dulcedinis guſtet ex fauo, quem ore tenet; tamen qui fauum inde accipit, mellifluam ſuauitatem affatim percipit. Prauus enim Doctor, cum diuini verbi cibum abunde apud ſe habeat, ipſe inedia tabeſcit, cum famelicus auditor eo cibo optime nutriatur. Quod prænuntiatum eſt illis verbis Iob: *Cuius meſſem* Iob 5.
famelicus comedet. Vbi S.Gregorius in noſtram S. Gregor. lib. 6. mor. cap. 5.
ſententiam ita diſputat: *Habet ſtultus meſſem, quia iniquus quiſque donum rectæ intelligentiæ accipit, Sanctæ Scripturæ ſententias docetur, bene loquitur, ſed tamen nullo modo hoc quod dicit, operatur. Verba Dei profert; nec tamen diligit; laudando exagerat, viuendo calcat. Quia ergo ſtultus iſte recte & intelligit, & dicit; ſed tamen hæc operando non amat; meſſem habendo ieiunat, quam nimirum famelicus comedit: quia is, qui ad Deum ſanctis deſiderijs anhelat, diſcit quod audit, agit quod diſcit, & dum Doctoris praui recta prædicatione reficitur, quid aliud, quàm ſtulti fruge ſaturatur.*

Digitized by Google

gilare oportet, ſicut Nehemias, qui nocturno tempore non ſolum per internuntios, ſed etiam per ſe ipſum tota nocte vagabatur. *Egreſſus*, inquit, *per portam vallis nocte, & tranſiui ad portam fontis, & aſcendi per torrentem, & conſiderabam murum, & reuerſus veni ad portam vallis.* Quorſum hoc? niſi vt prælatos ſpirituales ad vigilandum inſtrueret. Nam vt ibi Gloſſa ait: *Horum proprium eſt, ſæpius nocte ſurgere, & ſolerti indagine ſtatum Eccleſiæ, quieſcentibus cæteris, inſpicere.* Prælati ergo vigiles canes ignotis omnibus allatrantes ad cuſtodiendam Dei domum eſſe debent. Quapropter ſanctus

S. Ambroſ. lib. 6. exam c. 4.

Ambroſius ita ſcribit: *Sunt canes qui nouerint latrare pro Dominis, nouerint ſua tecta defendere. Vnde & tu diſce vocem tuam exercere pro Chriſto, quando ouile Eccleſiæ incurſant lupi graues: Diſce in ore tuo verbum tenere, ne quaſi mutus canis commiſſam tibi fidei cuſtodiam quodam præuaricationis ſilentio deſeruiſſe videaris.*

CAPVT IX.

Sal Chriſtianæ correctionis in obſtinatos magna mordacitate debet vigere.

PRælatus, & Doctor, qui ſal terræ dicuntur in reprehendendo, & corrigendo inſtar ſalis debent mordere, & in obſtinatos, ac peſſimos, ita ſe ad id muneris componere, vt verba grauia, & ſeueritatis ſint plena, minas ſpirantia, vt tonare videantur: oris geſtu, & vocis ſono, non lenitudinem, ſed aſperitatem oſtendant; non porrigant, ſed contrahant frontem, non blanditias, ſed minas inhalent; non tunc amabiles, ſed terribiles ſe exhibeant. Sic facit Sanctus Iob, qui ſtultam vxorem vel ſolo aſpectu

Iob. 2.

terruit, ac corripuit: nam cum illa diceret: *Benedic Deo & morere*, ait ad illam. Seu vt vertunt Septuaginta *reſpiciens in illam ait.* Quem

Baſil. & Chryſoſt. in Catena Græca.

reſpectum toruum fuiſſe ſignificant Baſilius & Chryſoſtomus dicentes: *Cum ea verba ſtomachum Iobo mouiſſent, pleno iracundiæ vultu, trucique aſpectu ad vxorem conuertitur.* Addit vero

Idem Chryſoſt. hom. 5. in Iob.

S. Chryſoſtom. *Ante vocem ab ipſo proſpectu machinamenta repulit leone temulentior factus, furore plenus & iracundia.* Ex quo debet intelligi ſolum vultus habitum ſatis ſalis habere ad arcendam luem vitiorum. Iuxta illud Eccleſia-

Eccleſ. 7.

ſtæ. *Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Subtriſtis enim oris geſtus, aut terribilis, aut lachrymabilis ſatis aliquando eſt, vt

1. Eſdr. 9.

peccatores corrigat. Audiuit Eſdras innumera totius populi peccata, nec tantum dicitur corripuiſſe, ſed fleuiſſe. Sic enim ille dixit: *Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mærens.* Quid inde? conuenerunt ſta-

Cap. 10.

tim ad eum, non ſolum Principes, ſed etiam populares, fleuerunt pariter cum eo, & contracta ſcelera abiurarunt. Vbi Gloſſa ait: *Nota quantum exempla Doctorum iuuent; nihil ſcribitur Eſdras loquutus eſſe; ſed tantum audito ſcelere lachrymaſſe, & turbam ad ſe fidelium non vociferando, ſed lachrymando traxiſſe.*

Accedat ad vultus habitum, ſeuerior vocis ſonus, qui ad duriorem obiurgationem multum confert: nam qui voce nimium tranquilla vtitur ad arguendum, non obiurgare videtur, ſed cantare; imo nec reuocare à peccatis, ſed potius ad maiora excitare. Id quidem indicauit Sapiens cum dixit: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Cuius parœmiæ ſenſus, iuxta communiorem expoſitionem eſt, vt ſicut nitrum aceto dilutum amittit vim omnem lauandi, quam alioqui habet efficaciſſimam, iuxta illud Hieremiæ: *Si laueris te nitro*, nec expurgat veſtes, ſed maculat: ita qui peſſimos homines arguit, miti, ac blanda voce, in morem potius canentis carmina quam peccata obiicientis, perinde ſe habet, atque ille, qui nitrum aceto diluit: nam illos minime expiat, ſed potius maculat, dum peiores fiunt. Nam vt optime Sanctus Gregorius dixit: *Impudentes à ſuo vitio non niſi increpatio dura compeſcit.* Quamobrem idem Gregorius præfatum Prouerbiorum locum, licet alia ratione, tamen in eandem ſententiam explicat alibi inquiens: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo. Acetum quippe ſi mittatur in nitro, ferueſcit nitrum protinus, & ebullit: & peruerſa mens, quando per increpationem corripitur, & per prædicationis dulcedinem bona ſuadentur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitate ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci.*

Hierem. 2.

S. Gregor. 3. p. Paſtor. admonit. 8. & hom. 9. in Ezech.

Accedant etiam ad aſpera verba, dicta pariter ſupplicia. Nam vt prudenter Theodoretus de quibuſdam impudentibus peccatoribus agens, ait: *Horum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, ſed acerrimis, & aſperrimis.* Et S. Greg. eos Prælatos damnat, *qui ſi aliquando ad arguendos ſubditos exeunt, eorum tamen obſtinationem digna ſeueritate non confundunt.* Quod aliter non contingit, niſi quia verbis verbera non adiiciunt. Concinnit S. Hieron. docens Heli ſacerdotem filios quidem ſuos corripientem, nihilominus à Deo punitum eſſe, *quia non corripere debuit ſed abiicere*, id eſt non ſolis verbis corrigere ſed ſuppliciis vrgere, & tandem domo eiicere, & bonis paternis abdicare. Quod S. Chryſoſt. clarius expreſſit: *Minas inquit, addere debueras & à ſuo conſpectu amouere, & verberibus afficere, multoque illis grauius, & durius inſtare.* Id quidem exactè faciendum eſſe exemplo medicorum docet S. Baſil. *Medici, inquit, quodcumque tandem membrum inſanabili morbo correptum inuenerint; ne vitium latius proſerpat, neue ex contagio ſe diffundente contiguas partes corrumpat; illud ſecando, vrendove tollere funditus ſolent.* Hanc rigidæ diſciplinæ ſectionem grauiter, & luculenter docuit S. Leo inquiens: *His quibus prodeſſe non potuerit correctio, nō parcat abſciſſio Oportet enim nos Euangelici meminiſſe mandati, vt ſi nos oculus aut pes, aut dextera ſcandalizauerit manus; à compage corporis auferatur; quia melius ſit, his in Eccleſiis carere membris, quam cum ipſis in æterna ire ſupplicia.* Nullum membrum in Eccleſiaſtico corpore ita poteſt excellere, quod obſtinatum, ac emortuum pro ſalute eiuſdem corporis, non debeat abſcindi. Quamobrem S. Hieron. ita concludit: *Quid faciet Paſtor, qui gaudet ad vitia, qui emendare non audet, qui conſcientiam ſuam non metuit; & quod cunctus populus clamitat, neſcire ſe ſimulat.*

Theodoret. q. 10. in lib. 1. Reg.

S. Gregor. in cap. 2. lib. 1. Reg.

S. Hieron. lib. 1. aduerſus Pelagianos.

S. Chryſoſt. lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

S. Baſil. in reg. fuſius diſputat.

S. Leo epiſt. 76. ad Anatolium Epiſcop.

S. Hieron. lib. 1. aduerſ. Pelagian.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt X.

Parentes in correctione filiorum ſalis mordacitatem adhibere debent.

QVod de Doctoribus, ac Paſtoribus eſt dictum; de parentibus quoque intelligendum eſt, quos nimirum natura filiorum Prælatos conſtituit, atque adeo eos etiam Chriſtus nomine ſalis comprehendit, vt filiorum mores condiant, & ardenti ſalis mordacitate eorum vitia conſumant. Parentes enim ſeueriſſimi filiorum cenſores eſſe, & omnia eorum vitia acriter perſtringere debent, ſi ſeueriſſimum Dei iudicium nolint ipſi ſubire. Qua de re Origenes dixit: *Hi enim & filiorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt, & ſemetipſos in furorem iudicij demergunt; omnia enim quæ deliquerint filij, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos.* Concinit Chryſoſtomus dicens: *Neque enim parui meriti eſt; indultos nobis à Deo liberos ad ipſius exercere militiam, eique ab ipſis infantiæ pannis dedicare. Nam ſi euiſce educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis, quemadmodum, ſi neglexerint grauiſſimis cruciatibus.* Id actius docet alibi, inquiens: *Etſi vitam noſtram omnem ſumma cum diligentia, & cura diſponamus; extrema animaduerſione puniemur, ſi liberorum ſalutem neglexerimus.* Quamobrem mollem illum animi affectum, qui rigidæ in filios cenſuræ poſſet obſtare, è corde parentum eliminare, Deus magnopere curauit. Hac enim de cauſa legem illam tulit, qua iubentur parentes ducere ad ſeniores ciuitatis, & ad portam iudicij, *& accuſare filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris, & matris imperium & coercitus obedire contempſerit.* Quæ verba expendens Rupertus, ait: *Grauis & matura ſententia ſanctæ legis, teneros falſæ pietatis affectus à cordibus patrum erga filios, ne habeantur, excludit. Nam in cauſa Dei, nec filium pater ſapiens agnoſcit.* Quod paucis interiectis confirmat exemplo Dei, *Qui inobedientes*, inquit, *filios, primos homines, ſcilicet, de paradiſo expulit.* Pater certè, qui blandè obiurgat filiorum culpas, eas potius fouere, quam extirpare videtur. De quibus proinde parentibus Hildebertus Cœnomanenſis intelligit illud Ezechielis: *Væ his, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Sic enim apponit: *Tali puluillo, talique ceruicali circa filios delinquentes vſus eſt Heli. Ne igitur eodem plectar exceſſu, patrem exuens, blanditias increpationibus mutabo.* Porro Heli ſacerdos ob falſam in filios peccantes pietatem, & abſurdam, ac præpoſteram indulgentiam, grauiſſime punitus eſt, vt Petrus Damianus optimè expendit: *Heli*, inquit, *ſacerdotij dignitate detruditur; dum non increpat filiis verbera, ſed blanditur; vtcumque tamen corripuit illos, ſed lenitate patris, non auſteritate Pontificis, atque idcirco ceruicibus effractis occubuit; quia peccantibus inclementer indulſit.*

S. Chryſoſt. hom. 9. in 1. Timoth. 3.

Lib 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

Deut. 21.

Rupert. lib. 1. in Deut. c. 11.

Hildebert. Cœnoman. Epiſc. ep 74. Ezech. 13.

Petr. Dam lib 7. ep 3. ad Henric. Romanorum Regem.

Capvt XI.

Idem argumentum iteratur.

FIlios à parentibus ſeuera cenſura domandos, & ne putreſcant moribus rigida vitæ diſciplina, quaſi ſalis mordacitate conſtringendos, multa alia ſuadent. Sanctus Ambroſius pulchrum Halcyonis exemplum proponit: nam poſtquam huius auis mores deſcripſit, quæ oua ſua in littore maris deponit, atque ibidem pullos excludit, educatque, ſubdit in hunc modum: *Teneros fœtus non latibulis abſcondit, ſed fluctibus verberandos exponit; nudo, & rigenti ſolo tradit, nec defendit à frigore ſed diuino fotu, quo magis cætera deſpiciat, eo tutiores eſſe exiſtimat. Quis vero noſtrum filios ſuos non veſtimentis tegat, tectiſque abſcondat? Quis non claudat eos ſeptis cubiculorum? Quis non ita diligenter vndique feneſtras obſtruat, ne qua poſſit aura vel leniter penetrare? Quis eorumdem vitiis, & prauis moribus non indulgeat, & conniueat? Merito autem, quos tam ſolicite induimus, fouemus, ac impunes eſſe iubemus, exuimus diuinæ clementiæ inuolucro. Halcyon vero quos nudos proiicit eos diuino veſtit amictu.* Quemadmodum vero Halcyon inter fluctuum flagella, diuina prouidentia ſeruante, pullos ſuos abſque diſcrimine aliquo educat: ita etiam ab ipſa edocti parentes omnino credant, non poſſe melius, ac tutius liberos educari, quam inter verbera, & flagella. Hac ratione filij ſeruantur; è contrario vero molli indulgentia pereunt. Ad quod ſignificandum eleganti ſymbolo ex agricultura ſumpto aliqui autores vtuntur. Nam Glychyrriſa dulciſſimæ radicis arbuſtum, vulgo *Regalizia*, ſi oliuæ adhæreſcat, & circa ſtipitem eius radices agat, non longo interuallo ipſam interire cogit: ſic nimia parentum erga liberos mollicies, & dulcis indulgentia eos ocyus ad necem adigit. Quamobrem eam parentes in educatione filiorum ſeueritatem dulcedini admixtam, debent adhibere, quam apta ſimilitudine docuit S. Anſelmus. *Vidiſtis*, inquit, *aliquando artificem ex lamina auri, vel argenti ſolis malleorum percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. Imo potius vt aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leniter premit, ac percutit, & poſtmodum planat; deinde lauamine lenius lauat, & informat: Sic & vos, ſi pueros veſtros cupitis optimis moribus ornatos eſſe, neceſſe eſt, vt cum depreſſionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis, & manſuetudinis leuamen, atque ſubſidium.* Quamuis ergo in educatione filiorum lenitas, & ſuauitas prætermitti non debeat; ſeueritas tamen potius eſt adhibenda, ſi virtutis effigies in filio diſcolo velut in aurea lamina, ſit efformanda. Id quod ſanctus Chryſoſtomus apta alia ſimilitudine exponit: *Quemadmodum*, inquit, *ager diu non proſciſſus ſylueſcit; ita inuentus neglecta.* Agrum ſibi, quem colat, commiſſum pater intelligat, cum à Deo filium accepit; quamobrem ſi virtutis frugem ex eo deſiderat, duras prauarum appetitionum, atque niorum glebas diſtrictæ

S. Ambroſ. l. 5. Hexam. cap. 13.

S. Anſelm. lib. de ſimilitudin. c. 176.

S. Chryſoſt. hom. 5. in Matth.

diſciplinæ

diſciplinæ vomere proſcindat, ne vitiis ſylueſcat. Pater enim, qui parandis filio opibus ſtudet, & ſeueriorem in eum diſciplinam negligit, ei profectò ſimilis eſſet, qui agrum quidem incultum relinqueret, quem tamen eleganti maceria, & multis pulcherrimarum arborum ordinibus circumvallaret: ex huiuſmodi enim agro non diuitias, ſed mendicitatem depromeret. Apte Saluianus ait: *Relicta filiis diuitia parentes non liberant de mendicitate; imo relicta immoderatè filiis facultas, parentum eſt ſempiterna mendicitas. Ac per hoc nulli parentibus magis noxij, quam filij nimus amati: dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in ſempiternitate cruciantur.* Ometur ergo ager ſed ſtudioſius, & impenſius colatur. Hortum quidem, ſiue agrum ſponſæ floribus vernantem, ne luxuriaret, falx putationis præibat: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Cum enim flores apparent, id eſt, diuitiæ filiis parantur, cum iuuentus flores affatim effert, tunc eiuſdem mores amputentur, ne in vitia redundet. Quamobrem meritò idem Saluianus concludit: *Auſim dicere, non amari filios à parentibus, qui grandibus ditantur patrimoniis, ſed eos, quibus parentes hæc facultates, iuxta Apoſtolum ad fidem, timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam diſciplinam reliquerunt.* Non amantur à parentibus filij, quos prauis iniuſtitiæ, & auaritiæ exemplis, plus vitiis, quam opibus diuites relinquunt, & ad tartara ducunt.

Saluian. l. 3. ad Eccleſ. Cath.

Cant 2.

Idem lib. 1. ad Eccleſ. Cath.

Epheſ. 6.

Hæc ſalis mordacitas ad ſeueram in filios diſciplinam adumbrata etiam eſt in lege purificationis matrum, ſiue præſentatione primogenitorum ante Dominum, iuxta quam legem duos pullos Columbarum, aut par turturum offerebat puerpera. Quorſum autem ſacerdos oblatam vnam auem, obtortò in guttur capite, Domino præſentabat? Reſpondet Euſebius Emiſſenus: *Vt iam non erectâ ceruice, ſed humiliato capite puer diſcat incedere.* Quid deinde myſterij, quod auiculæ aſcellas perfringeret? Reſpondet idem: *Pueris, quibus omnem, & agendi licentiam interdicimus eis vtique aſcellas frangimus, vt & nobiſcum maneant, & ad inutilia volare deſiſtant.* Hoc certè præſtabat ſanctus Iob, de quo ſic dicitur: *Mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis; dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, &c.* Ex qua ſacrificandi pro filiis cura, etiam ipſos corrigendi ſtudium colligit ſanctus Gregorius his verbis, cum dicitur: *Mittebat, & ſanctificabat illos, apertè demonſtratur, quid diſtrictionis erga illos præſens ageret, quibus abſens ſolicitudine non deeſſet.* Similia habet ſanctus Chryſoſtomus: *Qui pro incertis, (inquit,) ſacrificia offerebat, multo magis certorum pœnas exigebat.* Pater ergo filio, ſicut ſacerdos aui, & collum obtorqueat, & aſcellas confringat, ne erectâ ceruice ad inutilia, & pernicioſa volitet. Nam vt dicitur: *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps.* Vbi Sapiens cum indomito equo filium molliter educatum componit; qui ſanè niſi fræno ſeuerioris diſciplinæ coërceatur, & ſupplicij ſtimulo pungatur, & parentis virga imperioque dometur, pariter cum parente præcipitabitur. Additur à Sapiente: *Ne corrideas illi; ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcant dentes tui.* Sicut edere non poteſt, cui dentes obſtupuerunt: ita patri nihil in vita ſapidum, dulce, iucundum, ac lætum continget, ſed infinitæ occurrent moleſtiæ, ſi filium nimia nutriat indulgentia. Stuporem autem dentium ſatis explicat Sapiens, cum adiungit: *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius.* Senſus eſt: qui nimis tenere filium diligens, non audet eum ſeuerius tractare, cogetur poſtea miſer illius vulnera, & corporis, & famæ, & animæ obligare, curareque accitis vndique medicamentis, totaque vita in ſumma ſollicitudine, perturbationeque verſabitur; ita vt ad omnem clamorem, qui in ciuitate excitatur, miſeri patris torqueantur viſcera metuentis, an de filij capite agatur. Ita interpretum multi locum intelligunt. Ex quo poteſt intelligi, cui ſimilis blandus parens cum ſimia componatur. Cuius (teſte Plinio) tanta eſt in fœtum affectio, vt frequenti, preſſoque complexu filios ſoleat necare. Quamobrem prudenter Saluianus parentes monet, vt ſeuera filiorum educatione & ſibi, & ipſis conſulant. *Hoc ſpecialiter, inquit, dico, & peculiari admonitione commoneo, ne vllum omnino aliquis, quamuis chariſſimum pignus, animæ præferat. Neque enim iniquum eſt vt quilibet Chriſtianorum etiam legitimis heredibus in hoc ſeculo conſulat, dummodo ſibimet in æternitate ſuccurrat.*

Euſeb. Emiſſen. hom. in Purific.

Iob 1.

S. Gregor. lib. 1. Mor. cap. 3.

Eccleſ. 30.

Plin lib. 8. cap. 54

Saluian. l. 3. ad Eccleſ. Cath.

Capvt XII.

Prælati, & Doctores doctrina, & exemplo ſubditos condire, & conſeruare debent.

QVoniam non ſatis eſt mordacitate Præſules vti, ſed lenitatis ſuauitate, vt diuinam imitati ſapientiam, Diſponant omnia ſuauiter, quod potiſſimum præſtabit vita & exemplum virtutis. De hoc etiam nonnihil agendum: nam cum Paſtores ſal terræ à Domino vocantur. De condiendis & conſeruandis virtute ſubditis admonentur, quos non tam igne, & ferro correctionis, quam doctrina, exemplo, & orationibus in officio continere, & in omni virtute conſeruare debent. Quod typicè adumbratum eſt in fortiſſimo illo viro Sangar, de quo dicitur: *Poſt hunc fuit Sangar, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere.* Id Origenes attentè conſiderauit, & allegoriam eleganter euoluit his verbis: *Aliud genus laudis in Sangar video. Iſte in aratro vincit. Poteſt ergo fieri, vt Eccleſia iudex non ſemper gladium proferat, non ſemper auſteritate, & acumine correptionis vtatur, ſed aliquando etiam imitetur agricolam, & velut aratro ſulcans animæ terram, ac ſæpius eam commonitione reſcindens iam eam ſuſcipiendis ſeminibus paret.* Cum Paſtor ſeuerè corripit, quaſi gladio bellum infert; cum autem doctrina, exemploque ſuadet, induſtrium agricolam refert, qui verbi vomere cordis terram

Iudic. 3.

Origen. hom. 4.

terram commouet ſubigit, & mollit, & ad ferendos virtutum fructus pareat. Plane tanta vis eſt in voce Prælati, & in ipſius exemplo virtutis, vt etiam feroces homines condiat, & in officio contineat. Sicut enim ferocia olim animalia ſancti Patriarchæ Noë præſentia, ita ſunt cicurata, vt cum infirmioribus animalibus in arca manſuetè viuerent: ita ſancti Prælati verbo, atque exemplo etiam proterui ſubditi in modeſtia, & continentia ſeruantur, & quaſi multo ſale condiuntur. Quod Sanctus

S. Ambroſ. lib. de Noë, & arca c.16. Ambroſius annotauit his verbis: *Vt animantia, quæ ferociora erant ſancti viri vicinitati manſueſcerent.* Verum quia Prælatus ſiue Doctor ob doctrinam, & exemplum ſal ſubditorum dicitur: ita etiam fermentum appellatur, quod totam ſubiectæ ſibi plebis maſſam, quantumuis magnam optimè afficiat, & quaſi condiat. Ideo dicitur: *Simile eſt regnum cœlorum*

Matth.13. *fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus donec fermentatum eſt totum.* Quam parabolam enucleans Theophylactus ait: *Fermentum dicit Apoſtolos: ſicut enim fermentum, cum paruum ſit, totam farinam in ſe transfert: ſic & vos totum mundum transformabitis, licet pauci ſitis.*

Caput XIII.

Qui ſal terræ ſunt, Dei timore ſolidari, & confirmari debent.

AD exemplum veræ virtutis præſtandum. Oportet habeant Præſules & Doctores ipſum virtutis fundamentum ſanctum Dei timorem. Idcirco illuſtri præconio Chriſtus extudignitatem Doctorum ac Paſtorum, cum dixit: *Vos eſtis ſal terræ*: At ne animos tollant, ſed vera humilitate ſubmittant, illico adiecit: *Quod ſi ſal euanuerit in quo ſalietur.* Quamuis enim, vt eſt in veteri elogio, ſale & ſole nihil ſit vtilius; ſal tamen, quod cum ſole componitur, euaneſcere poteſt, & ita quidem, vt eiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus: ſale enim infatuato nihil eſt vilius, cum eodem integro nil ſit vtilius. Quo Paſtores & Doctores admonentur, vt propriam infirmitatem, & perditionis periculum cognoſcentes in ſolo Dei timore, ſolidari, & confirmari ſatagant. Sic faciebat Propheta ille, qui ſal erat totius populi, quem non ſolo regimine, ſed diuinis

Pſal. 118. quoque elogiis condiebat cum diceret: *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Sapientiam diuini eloquij, qua ſal erat populi, ſtatui, atque firmari in Dei timore poſtulabat, quo eam tuto poſſet cuſtodire, ac poſſidere. Sic enim ad hunc locum verba intellexit Ambroſius, ita inquiens: *Baſis quedam verbi eſt timor ſanctus: ſicut enim ſimulachrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam cum in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandique acceperit firmitatem: ita verbum Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, &c.* Itaque ſal ſapientiæ nec euaneſcat, diuino timore debet confirmari. Sed quia Apoſtoli, Apoſtolicique viri ſal terræ nuncupantur, hi etiam in baſi timoris Domini ſtatuuntur. Sic enim ſubiungit Ambroſius: *Et quia baſim timorem Dei diximus, ne quid alienum ab ſcripturis poſuiſſe nos quiſquam putet; accipiat lectum in Cant. Crura eius columnæ marmoreæ, fundatæ ſuper baſes aureas; ſignificans columnas eſſe Eccleſiæ Apoſtolos, qui fundati ſunt in timore ſancto. Et ſicut Petrus, Iacobus, & Ioannes, & Barnabas, columnæ eſſe videbantur Eccleſiæ. Sic etiam quicumque vicerit hoc ſeculum, fit columna Dei, quam confirmat, qui dicit, ego confirmaui columnas eius.* Si ergo Apoſtolici viri, Doctores inquam & Paſtores firmi eſſe velint, ne eos ſuperbiæ ventus exturbet, in baſi timoris Domini, tanquam Eccleſiæ columnæ ſtatuantur. Nam quantumuis firmi, & robuſti videantur, niſi timore Dei firmentur, & cadent, & caſu diſſoluentur; ac diſſipabuntur. Quod Sanctus Paſchaſius aptiſſimo ſcutorum fuſilium exem- S.Paſchaſ. lib 3. in thren.
plo ita explicat: *Scuta ergo ſi ſunt fuſilia in ſuſcipiendo ſagittas, robuſta ſunt; ſed caſu fragilia. Ictu quidem ferientium minimè penetrantur; ſed ſuo lapſu per fragmenta diſſoluuntur.* Doctores quidem, atque Paſtores ſcuta ſunt Eccleſiæ, ſed fuſilia: nam quamuis aduerſariorum ictus fortiter ſæpe propulſent; ſi tamen ipſi labantur, ſuo lapſu per fragmenta diſſoluuntur, vt ad rem nullam vtura iam habeantur. Quamobrem huiuſmodi ſcuta Dei timore ita fixa eſſe, & tam firmiter pendere debent, vt caſus fragilis minime eis contingat. Scutum erat antiqui populi ſanctus Patriarcha Iſaac, at diuini timoris clauo ſic fixus erat, ne caderet, vt ab eius filio Iacob Deus *timor Iſaac* appelletur; ita Iacob ad Laban dixit: *Niſi Deus patris mei Abraham,* Geneſ 31.
& timor Iſaac affuiſſet mihi; forſitan modo nudum me dimiſiſſes. Vbi Paulus Burgenſis Paul. Burgenſ. addit 2.
meritò quærit, cur eundem Dominum Iacob appellauit Deum Abraham, & timorem Iſaac, cum non minus Abraham timuerit Deum, quam Iſaac; ideoque eodem modo de vtroque loquendum videbatur. Ex ſua autem, & multorum ſententia ita reſpondet: *Quando hæc verba dixit Iacob, Abraham iam diu ante deceſſerat: ſed Iſaac adhuc viuebat, idcirco de Abraham, qui iam erat in ſecuro dixit: Deus Abraham; ſed de Iſaac, qui adhuc erat in vita dixit: timor Iſaac, id eſt, quem timet Iſaac.* Ex quo intelligi par eſt, quemlibet iuſtum quauis virtutis laude conſpicuum, dum degit in hac vita tot periculis obnoxia, ne in ipſis labatur, magno Dei timore debere percelli. Cur non omnes timeamus, qui portamus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.

Hunc ſanctum Dei timorem habeant Præſules, quoniam peccantes ipſa timent ſuæ remedia ſalutis. Valde difficilis ſolet reſipiſcentia accidere, quæ in Præſulibus difficilior erit. Idcirco quaſi fieri non poſſit, vt Paſtor, ſiue Doctor infatuatus ad priſtinũ ſapientiæ vigorem redeat, ita à Domino dicitur: *Si ſal euanuerit,*

nuerit, *in quo ſalietur*? Quia profectò peccatores omnes, & in primis Doctores, & Paſtores; ita ipſa malorum ſuorum remedia peruerſiſſimo errore timent, & fugiunt, vt nullum ſal, quo condiri poſſint, eſſe videatur. Sunt quidem omnibus in hac vita malorum æternarum parata remedia: at peccatores qua ſunt, inuerſa mente, ipſa timent, & fugiunt remedia. Sicut enim qui à cane rabido morſus, rabiè laborat, aquam, in qua ipſi ſalutis ſpes ſita, perhorreſcit; ita peccatores lethali morbo laborantes ſalutaria remedia fugiunt. Quod aptè exaggerauit Sanctus Gregorius inquiens: *Velut in perturbatione conſilium non habent dum moriuntur*, *& vitam timent*. Ad hoc confirmandum eleganter ratiocinatur ex capite quinto Lucæ in hunc modum diſſerens: *Quorum bene Petrus adhuc in infirmitate poſitus ſpeciem tenet*; *cum viſo miraculo piſcium dixit*: *exi à me Domine*, *quia homo peccator ſum*, *imo ſi te peccatorem conſideras*, *oportet vt à te Dominum non repellas*. Similiter quamplurimi, cùm ſe peccatores conſiderant, Deum ſanctificatorem à ſe repellunt, vt Gregorius ſubiungit his verbis: *Et peccatores ſe fatentur*, *& Dominum repellunt*, *eumque in quo ſanctificari debuerant*, *fugiunt*. Hos ſimiles ei dixeris, qui ſe ſordibus inquinatum conſpiceret, & tamen fontem timens, ab ea longe recederet. Peccatores quidem fontem vitæ fugiunt, quia mundat; cum ob id ipſum quærendus eſſet, vt à ſordibus ipſi mundari poſſent. Omnia peccatores miſcent, præpoſtere ſemper ratiocinnatur, & ita vbique inuertunt conſilia, vt id timeant, & fugiant, quod maxime optare, & complecti debuerant. Documento tibi ſit ſeruus ille piger, qui ideo abſcondit talentum, nec cùm eo lucrari voluit; quia ſciebat Dominum durum eſſe, & vbi non ſeminaſſet, metere fuiſſe ſolitum; cum ob id maximè deberet ſollicitè lucrari, ne durum experiretur Dominum, vt re ipſa expertus eſt. Id ſanctus Gregorius loco citato ſic annotauit: *Inutilis ſeruus durum Dominum vocat*, *cui tamen ad lucrum deſeruire diſſimulat*, *& timuiſſe ſe dicit in lucrum talentum expendere*; *qui hoc ſolum timere debuerat*, *ne hoc ſine lucro ad Dominum reportaret*. Hunc ſeruum hi imitantur, qui acceptum à Deo talentum exercitio expendere & melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen iacere in ſui corporis ignauia, quod maximè timere debent, non pertimeſcunt.

S. Gregor. hom 9. in Euang.

Luc. 5.

Matth. 25.

Capvt XIV.

Quo pacto Doctores, & Prædicatores ſolidum ſal erunt.

Aliquas nunc ſalis proprietates exhibebimus, vt per eas proponamus, quo pacto ſoliditatem Euangelici ſalis Præſules, & Prædicatores obtinebunt. Et quidem cum Apoſtoli, & Apoſtolici viri ſal terræ nominantur, officij ſui ſymbolice admonentur, nam & verbo acri, & exemplo integro ſal populorum eſſe debent. Quod ſi Doctores & ſacerdotes præſtarent, pauciſſimi ad totum orbem condiendum ſufficiebant. Nam vt condiatur cibus, non magna ſalis copia opus eſt. Similiter Doctores, & Prælati pauci erunt ſatis, ſi ſalis habeant acrimoniam. Quapropter Sanctus Chryſoſtomus ait: *Sufficit vnus homo fidei zelo ſuccenſus*, *totum corripere populum*. Sufficit Epiſcopus vnus zelo Dei ſuccenſus, totum vt corrigat Epiſcopatum. Sufficit parochus vnus charitate inflammatus, vt totam corrigat paræciam. Sufficit Abbas vnus, Præſes vnus, Dei, proximique amore exardeſcens, vt totum corrigat, & inflammet conobium. Quod ſi ſal euanuerit, ſi ſacerdotes, ac Doctores zeli, charitatiſque acrimoniam amiſerint, etſi multi ſint, non ſufficient. Id etiam aduertit Sanctus Chryſoſtomus dicens: *Cum non vnus tantum*, *neque duo*, *vel tres*, *ſed tanta ſit multitudo*, *quæ negligentium curam poſſit attingere*, *non aliunde*; *ſed per torporem veſtrum*, *non per impotentiam plures pereunt*, *& labuntur*.

S. Chryſoſt. hom. 1. ad pop. Antioch. in fine.

Sacerdotes igitur & Paſtor inſtar ſalis, populo diuinum quendam virtutis ſaporem debet impertire, laxa reſtringere, noxios animæ humores exſiccare, & ſua quadam mordacitate à putredine vitiorum mentes liberare. Præclare quidam ſanctus pater ſic diſſerit: *Petra ſalis ſacerdos debet eſſe in populis*. *Curare namque ſacerdotem neceſſe eſt*, *quæ ſingulis dicat*, *vnumquemque qualiter admoneat*, *vt quiſquis ſacerdoti iungitur*, *quaſi ex ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur*. Et rurſus: *Quiſquis ad nos iungitur*, *ex lingua noſtra ſale condiatur*.

Id autem, vt præſtare valeat Doctor charitate debet ardere, & quaſi liqueſcere. Nam ſicut ſal, vt condiat, liqueſcit: ſic paſtor miſericordia liqueſcit, vt proximo ſuccurrat. Cum liqueſcit ſal, tunc ſaporem cibis præbet, cum charitate liqueſcit Paſtor, vel Doctor, tunc æternæ vitæ ſapore populum condit. De Samaritano illo, qui ſpoliatum, & cæſum à latronibus non deſeruit, dicitur: *Miſericordia motus appropians*, *alligauit vulnera eius*; *infundens oleum*, *& vinum*, *&c*. Samaritanus cuſtodem ſonat, & Paſtorem animarum ſignificat, qui ſi miſericordia mouetur, ſi inſtar ſalis liqueſcit, ad ouium vulnera alliganda, euigilat, & feſtinat, vinumque infundit, & oleum, quia vel increpat, ſi opus eſt, vel indulget, & blanditur, ſi hanc medicinam vulnus flagitet. At ſacerdotes, qui miſericordia, & charitate non ſunt liquefacti, ſemiuiuum hominem viderunt, ſed præterierunt. O ferrea pectora! liqueſcat ſal, vt condiat; liqueſcant charitate viſcera, vt proximo opem ferant. Liqueſcebant prorſus Pauli viſcera, qui dicebat: *Quis infirmatur*, *& ego non infirmor*? *Quis ſcandalizatur*, *& ego non vror*. Etenim ſal, vt ſuo fungatur munere, & liqueſcit & detrimentum patitur, & perit: ita Paſtores, qui ſal ſunt terræ pereunt corpore, ne ouium pereant animæ: *Nam bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. Pretioſum detrimentum, & plena lucro iactura, quam propterea incurrit Paſtor, vt ſuccurrat ouibus. Audi bonum

Luc 10.

2. Cor 11.

Digitized by Google

Exod. 32. Rom. 9. 2. Cor. 12.

bonum Paſtorem, vide ſalem condiendo pereuntem: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Et Apoſtolus ait: *Optabam anathema eſſe pro fratribus meis.* Et alibi. *Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Hoc eſt, non mea tantum vobis largiar, ſed vitam etiam ipſam pro animabus veſtris profundam.

Porro autem, vt præfata ſalis munera Euangelicus Doctor poſſit præſtare, enixè curet, ne euaneſcat, ſed omnimoda integritate vigeat: *Nam ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra; niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Euaneſcit autem ſal, ſi mari admiſcetur. Fit ſal ex aqua è mari ſeparata, quod ſi mari iterum admiſceatur, liqueſcit, diffluit, & euaneſcit. Fugiat igitur mundi mare Euangelicus Doctor, ſi inſtar ſalis non vult euaneſcere. Dices, neceſſe eſt ſalem in mare mitti; id eſt, ſacerdotem, & concionatorem in mundum ingredi, & cum hominibus verſari. Fateor, ſed aliud eſt, in mare, ideſt, mundum ingredi, aliud marinis aquis, ideſt, mundi cupiditatibus admiſceri. Qui ſolummodo mundum ingreditur, vt homines condiat non euaneſcit; qui vero mundanis ſeſe moribus admiſcet, proculdubio diffluet. Audi Sanctum Ambroſium dicentem: *Non vtique tranſire in Ægyptum, criminoſum eſt, ſed tranſire in mores Ægyptiorum.* In Ægyptum tranſit Moſes, ſed non euanuit; quia in mores Ægyptiorum non tranſiuit. Vt populum ex Ægyptiaca captiuitate educeret in Ægyptum venit, Ægyptiorum vitiis ſe non admiſcuit. Ita concionator in Ægyptum, id eſt, mundum veniat, ſed Ægyptiorum mores fugiat, populum ex diaboli captiuitate eripiat, mundi vitiis ſe non admiſceat. Sic in eo implebitur, quod de populo Iſraelitico Moſes cecinit: *Ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Huiuſmodi erant præclari illi viri Theotiſtus, & Andreas, ad quos Magnus Gregorius ſic ſcribit: *Quod in tanto tumultu cauſarum veſtra excellentia poſita ſacri verbi vbertate plena eſt, atque ad æterna inceſſanter gaudia ſuſpirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago; quia hoc in vobis impletum video, quod de dilectis Patribus ſcriptum eſt: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum per medium mare, vos ad repromiſſionis patriam, inter vndas cauſarum ſæcularium ſiccis, vt video greſſibus ambulatis. Agamus ergo gratias ſpiritui, qui corda, quæ implet, leuat, qui inter tumultus hominum ſolitudinem in mente facit.* Tunc ergo ſal non euaneſcit, cum Doctor in mundano mari per ſiccum ambulat, cum inter hominum tumultus ſolitudinem in mente gerit, nec ex mundanis ſordibus quidquam ſibi adhærere permittit. Quod optimo ſymbolo adumbratum eſſe docet Hugo Cardinalis his verbis: *Data eſt lex in igne, qui ſordes conſumit, & non recipit: quod ſignificat illos, per quos lex datur, ita puros eſſe debere, vt ſordes conſumant, non accipiant.*

S. Ambroſ. ep. 20. ad Irenæum. — Exod. 15. — S. Gregor. lib. 6. ep. 23. — Hugo Cardinal. in 2. Cor 4.

Euaneſcit præterea ſal, cum mordacitatem perdit, & Doctor cum mordendi vitia zelum amittit. Euaneſcit, cum vanam populi laudem vanus captare ſtudet; cum ſalem Apoſtolicum in ſales, facetiaſque, & in mella conuertit. Mordeat ergo ſal Apoſtolicus, non perſonas, ſed vitia. Nam vt Sanctus Chryſoſtomus ait: *Hoc eſt opus ſalis laxa quæque vrere, atque reſtringere.* Et Theophylactus illud: *Vos eſtis ſal terræ* ita interpretatur: *Vos eſtis ſal terræ mordentes, & condientes doctrina, & reprehenſionibus diſſolutos, vt non pariant vermes perpetuos.* Sanctus quoque Ambroſius. *Tunc, inquit, auditor proficit, quando auſteriora annuntiat Prædicator.* Audi etiam Sanctum Hieronymum ad illa verba Iſaiæ: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* ita dicentem: *Omnis Doctor, qui auſteritatem ſcripturarum per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, ſed delectet audientes: vinum ſanctarum ſcripturarum corrumpit ſenſu ſuo.* Audiat Paulum concionator, audiat Paſtor: *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ. Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, &c.* O verum mundi ſalem, nunquam euaneſcentem.

S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. — S. Ambroſ. ſerm. 84. — Iſai. 1. — 1. Theſ. 2.

Denique, ne euaneſcat Doctor, ita in animarum ſalutem incumbat, vt multo enixius propriæ ſaluti nauet operam: ſic enim ſal terræ condire alios debet, vt ipſe non euaneſcat. Niſi enim hanc curam adhibeat, id ei eueniet, quod plorabat ſponſa: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.* Quod Sanctus Gregorius ſic explicat: *Vineæ quippe noſtræ actiones ſunt, quas vſu quotidiani laboris excolimus; ſed cuſtodes in vineis poſiti, noſtram vineam minime cuſtodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.* Eodem loco ſacerdotes huiuſmodi cum aqua baptiſmali confert: *Cui, inquit, ſimiles dixerim ſacerdotes malos, niſi aquæ baptiſmatis quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleſte mittit, & ipſa poſtea in cloacas deſcendit.*

Cant. 1. — S. Gregor. hom. 17. in Euang.

CAPVT XV.

Per negligentiam in bene operando ſal Apoſtolicus euaneſcit.

CVm ſal infatuatus, ſiue vanus ad nihilum valeat vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, nihil magis eniti debent, qui ſalis Apoſtolici nomine nuncupantur, quam ne euaneſcant, ſiue infatuentur. Tantum autem malum, vt vitare poſſint, id certum conſtituere, & ſibi perſuadere debent, ſalem Apoſtolicum per incuriam, & bene operandi negligentiam, quam maximè euaneſcere. Nam cum Doctor, ſiue Paſtor bona opera negligit, in quibus præcipuè ſalis Apoſtolici virtus ſpectatur; rectæ prudentiæ, ac ſapientiæ ſenſa, atque conſilia perdit. Hanc ob cauſam per Zachariam dicitur: *Brachium eius ariditate ſiccabitur & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.* Quia profecto, cum per negligentiam brachium, id eſt, bene operandi vis ariditate ſiccatur, tunc oculus dexter, ideſt ſapientia, diuinorumque cognitio tenebreſcens obſcuratur. Prius brachium ex negligentia ſiccatur. Quod prudenter aduertit Sanctus Gregorius:

Zach. 11.

S. Gregor. 3. p. Paſt. admonit. 16.

Gregorius: *Per Salomonẽ,* inquit, *dicitur: pigredo immittit ſoporem. Piger enim rectè ſentiendo quaſi vigilet; ſed pigredo ſoporem immittere dicitur; quia paulisper etiam rectè ſentiendi vigilantia amittitur, dum à bene operandi ſtudio ceſſatur.* Prius bene operandi ſtudium ceſſat, quod eſt brachium areſcere; deinde bene ſentiendi vigilantia amittitur, quod eſt dexterum oculum tenebreſcere, & omnino infatuari. Quod expreſſum à Domino eſt in parabola ſeruorum, quibus Dominus bona ſua tradidit, & ad negotiandum partitus eſt: nam ille, qui vnum talentum tantummodo accepit, eos deſignat, qui prudentia, & ſcientia, ac intelligendi acumine præditi ſunt, vt Sanctus Gregorius ſic explicat: *Sunt nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, ſed tamen ſola, quæ carnis ſunt ſapiunt, de quibus per Prophetam dicitur: ſapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Vnum ergo talentum accipit, qui donum intelligentiæ, atque prudentiæ percipit. Sed cum is ſeruus acceptum talentum fodit in terram, & abſcondit Domini ſui pecuniam, eos adumbrat; qui deſidiæ negligentia torpent, ſicut Sanctus Gregorius ita ſubiungit: *Sunt plerique intra ſanctam Eccleſiam quorum iſte ſeruus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen iacere in ſui corporis ignauia non pertimeſcunt.* Sed in eum qui talentum abſcondit, Domini voce pronuntiatur: *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Quia is qui accepto intelligentiæ, ac ſapientiæ munere, eo ignauus non vtitur, ipſo dono priuatus infatuatur. Sic intellexit hoc Sanctus Chryſoſtomus inquiens: *Qui gratiam ſermonis & doctrinæ ad proficiendum habet, non vtens ea, gratiam perdit; qui autem ſtudium adhibet amplius attrahit donum.* Similiter Sanctus Hieronymus de hoc torpente ſeruo ſic habet: *Multi cum ſint ſapientes naturaliter, & habeant acumen ingenij, & fuerint negligentes, & deſidia bonum naturæ corruperint, ad comparationem eius, qui paululum tardior labore & induſtria compenſauit, quod minus habuit, perdunt bonum naturæ, & præmium, quod eis fuerat repromiſſum, vident tranſire ad alios.* Igitur per negligentiæ torporem ſal infatuatur, cum accepto ſapientiæ lumine ignauus homo non vtitur. Vnde congrua pœna puniri mandatur, cum dicitur: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores.* De qua pœna ſanctus Gregorius ſic ait: *Per pœnam in tenebras exteriores cadet, qui per ſuam culpam ſponte in interiores tenebras decidit.* Sed de his exterioribus tenebris mirabilis eſt expoſitio, quam Origenes hoc loco refert his verbis: *Legimus etiam aliquem ante nos exponentem de tenebris abyſſi, quæ eſt extra mundum, vt quaſi indigni toto mundo, in abyſſum illam foras eiiciantur, in qua ſunt tenebræ, nemine eas illuminante.*

Matth. 25. — S. Gregor. hom. 9. in Euang. — Hierem. 4. — S. Chryſoſt. hom. 79. in Matth. — Sup.

***

CAPVT XVI.

Per peccatum, quod viliſſima res ſit, ſic euanet & infatuatur ſal Eccleſiæ, vt nihilum valeat.

PRælatos ac Doctores Eccleſiæ ſacra dignitate fulgentes, & omnes vniuersè Principes, qui ſalis etiam nomine nuncupantur, peccato infatuatos inutiles reddi, dignoſque eſſe, vt foras eiiciantur, abiiciantur, & ab omnibus conculcentur, authoritas Domini teſtatur; vt intelligi debeat, quam viliſſima res peccatum ſit, quamque abiectos efficiat eos, qui ipſi ſubiiciuntur, quantumuis ſint dignitatis claritate conſpicui. Nam ſicut ſanctus Auguſtinus annotat ſalem infatuatum conculcari, ſignificat hominem exiſtentem in peccato fieri contemptibilem. Quod quidem magno charitatis dolore Hieremias deplorauit, cum dixit: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Quæ verba ſanctus Gregorius ad rem noſtram ſic explicat: *Aurum obſcuratur, cum conſequentibus iniquitatum tenebris, iuſtitiæ pulchritudo deſeritur. Color optimus mutatur, cum ſplendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.* Sed exactius alibi idem Gregorius totam hanc ſententiam pertractat, inquiens: *Quid auro quod metallis cæteris præeminet, niſi excellentia ſanctitatis? Quid colore optimo niſi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? Quid per ſanctuarij lapides niſi ſacrorum ordinum perſona figuratur? Quid platearum nomine niſi præſentis vitæ latitudo ſignatur? Quia enim Græco eloquio platos latitudo dicitur, profecto à latitudine plateæ ſunt vocatæ. Per ſemetipſam vero veritas dicit: lata & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem.* Hinc ſanctus Doctor ad ſingulas huius loci partes explanandas, ita proſequitur: *Aurum igitur obſcuratur, cum terrenis actibus ſanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorumdam, qui degere religioſe credebantur, æſtimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet poſt ſanctitatis habitum terrenis ſe actibus inſerit quaſi colore permutato, ante humanos oculos eius reuerentia deſpecta palleſcit, ſanctuarij quoque lapides in plateas diſperguntur, cum cauſarum ſæcularum foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Eccleſiæ internis myſteriis, quaſi in ſecretis ſanctuarij, vacare debuerunt. Ad hoc quippe ſanctuarij lapides fiebant, vt intra ſancta ſanctorum, in veſtimento ſummi ſacerdotis apparerent. Cum vero miniſtri religionis à ſubditis honorem redemptoris ſui ex merito vitæ non exigunt, ſanctuarij lapides in ornamento Pontificis non ſunt. Qui nimirũ ſanctuarij lapides diſperſi per plateas iacent, cũ perſonæ ſacrorum ordinum voluptatum ſuarum libidini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandũ quod non hos diſperſos in plateis, ſed in capite platearum dicit: quia & cum terrena agunt, ſummi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum ſint capite ex honore ſanctitatis. Nihil quoque obſtat, ſi ſanctuarij lapides eoſdem ipſos quibus conſtructum ſanctuarium exiſtebat, accipimus, qui diſperſi in platearum capite iacent,*

S. Auguſt. tract. 1. de ſerm. Dom. in monte. — Thren. 4. — S. Gregor. lib. 34. mor. cap. 9. — S. Gregor. 2. p. Paſt. cap. 7.

iacent, quando ſacrorum ordinum viri terrenis actibus ex deſiderio inſeruiunt ex quorum prius officio ſanctitatis gloria ſtare videbatur. Ecce ſal infatuatum foras miſſum, & ab hominibus

Cluniacenſ. epiſtolarum lib. 1. ep 2.

conculcatum. Vnde Petrus Cluniacenſis ait: *Monachi, qui vt aurum in domo Dei fulgere debebant, vt vile lutum per omnes plateas omnium pedibus ſe conculcandos proſtrarunt, de quibus Propheta, quomodo obſcuratum eſt aurum, &c.*

Bleſenſ. epiſt. 17. ad quoſdam Canonicos.

Sed audiendus quoque eſt Petrus Bleſenſis, qui quantopere vileſcat ſal infatuatum grauiter quidem, & eleganter explicat his verbis: *Irruunt laici in ſancta ſanctorum; ſanctuarij vero lapides diſperguntur in capite omnium platearum. Conuertuntur hodie clauſtra in caſtra, & fora; religioſi in ethnicos; paſtores in lupos; lilium in ſpinam, aurum in ſcoriam, frumentum in lolium; vinum in acetum, oleum in amurcam.* Sanctus Bonauentura ad eundem Prophetæ locum, dum ſingula verba exponit infatuati, ac deſpecti ſalis rationes aperit, ſic inquiens: *In auro obſcurato ſubuerſio ſanctitatis; in colore mutato ſubuerſio honeſtatis; in diſperſione, ſtudium cupiditatis, & conſequentis diſſenſionis in platearum capite exemplum peruerſitatis.* Optime colorem optimum animæ in honeſtate, ſiue caſtitate conſtituit. Quam etiam ſententiam complectitur ſanctus Paſchaſius ad eundem Prophetæ locum dicens: *Dum intus anima carnalium rerum fumo denigratur, quid niſi color candoris optimus, & pulchritudinis in deterius commutatur?* Deinde quam miſera ſit hæc coloris, auri, & lapidum commutatio, id eſt, ſalis infatuatio, ita ſubiungit: *Peſſima igitur commutatio, dum amor æternarum rerum, & concupiſcentia cæleſtis patriæ, in amorem temporalium, & concupiſcentiam vanarum rerum vertitur. Pro quo rectè plangitur; quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! vnde quia concupiſcentia æternæ vitæ verſa eſt in amorem, & concupiſcentiam carnis, iure lapides ſanctuarij Dei, reliquæ ſcilicet virtutes animæ, in capite diſperguntur omnium platearum: quoniam charitate amiſſa, virtus nulla in anima ſolidatur, imo omnes affectiones ſuas ad lata viarum itinera, & ſpacioſa concupiſcentiarum conamina, in capite tranſportauit platearum.*

Hanc præterea infatuati ſalis vilitatem ruſus admiratur, & lamentatur Propheta, cum ita ſubiungit: *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?*

S. Cyrill. Alex. lib. 9. in Numer.

Quæ verba Sanctus Cyrillus Alex. ita interpretatur: *Peccatores vaſa fictilia fiunt; ſicut Hieremias Propheta deſignat in lamentationibus dicens: filij Sion inclyti, &c. Si intellectus noſter luteus ſit, & de luto ſemper, ac de terrenis cogitet, efficiemur vas fictile & opus manuum figuli.*

S. Bernard. ſerm. 2. de verb. Apoſt.

Similiter Sanctus Bernardus circa illa verba Apoſtoli: *Non eſt regnum Dei eſca, & potus* ſic ſcribit: *Filij Sion, illius videlicet ſpeculatiuæ ciuitatis, quam ædificauit Dominus, vt videatur in gloria filij ſupernæ Hieruſalem, quæ libera eſt mater noſtra: inclyti per dignitatem conditionis; amicti auro primo, per diuinitatis imaginem. Quomodo ergo ex his; nos quidem reputati ſumus in vaſa teſtea, in hæc lutea, & fragilia corpora degenerauimus.* Paulo aliter, & propius ad rem noſtram explicuit verba Prophetæ Sanctus Paſchaſius his verbis: *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribitur. Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

Apoc. 2.

Quod eſt apertè dicere: ſcito & intellige, cuius dignitatis fueris per gratiam, & adoptionem Dei, quam inclytus & nobilis, veſtitus auro primo, & puriſſimo charitatis; ac deinde quam vilis, & luteus, propter corruptionem, & pœnam peccati, vaſis fictilibus compararis. Illi ergo qui auro puriſſimo & primo prius veſtiebantur, imo qui aurum primum ipſi erant, per peccatum in ſcoriam verſi ſunt. Vnde in Pſalmo vbi nos legimus:

Pſal. 118.

Prauaricantes reputaui omnes peccatores terræ. In editione Hieronymi, & Symmachi habetur: *Quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ.*

Tantopere vileſcit, atque infatuatur ſal, id eſt, Princeps ſeu Prælatus per peccatum euaneſcit; in eamque abit vilitatem, vt ab omnibus conculcari mereatur. Vnde huiuſmodi Principibus per Iſaiam dicitur:

Iſai. 47.

Deſcende, ſede in puluere filia Babylonis, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Qui in ſolio dignitatum glorioſè ſedebant, per peccatum adeo vileſcunt, vt deſcendere de ſolio, & in puluere ſedere iubeantur. Cuius loci in ſenſu myſtico elegans eſt interpretatio Petri Damiani ad hunc modum:

S. Petr. Damian. Apolog. de contemptu ſæculi c. 22.

Menti reprobæ, negotiiſque ſæcularibus inhianti, ſub Babylonis ſpecie dicitur deſcende: in alto enim humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat? ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cum turpiter victus ſeſe defluentibus mundi deſideriis ſubiicit. Sede in puluere: quia cæleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus, in infimis vileſcit. Sede in terra: exprobrans dicit, quia cæleſti conuerſatione noluiſti te regere, ſub temetipſo proſtratus, in terrenis actibus humiliare. Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum ſeu filiæ ferocium. Ferocia ſunt terrena deſideria quæ duram, atque inſenſibilem mentem reddunt. Non habet ſolium, quia in eo quod ſe terrenis deſideriis ſubiicit, ſedem iudicij amittit.

Nec mirum quidem, ſi peccator in puluere ſedere iubeatur, cum ipſi pulueri comparetur in Pſalmo. Ideo ſanctus Hieronymus ait:

Pſalm. 1.

Impius dicitur tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Puluis licet de terra ſit, tamen deſinit eſſe terra. Tam infelix erit impius, vt nec terrenus quidem ſit. Puluis nihil habet ſolidum huc, illucque diſpergitur, nunquam in vno loco eſt, quocumque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur: quocumque impium aura Diaboli traxerit, illuc errore perducitur. In tantam peccator vilitatem deuenit, vt tres ſancti Pueri in camino Babylonico diuinas laudes decantantes, & ad hoc ſacrum munus cunctas creaturas acceſſentes, ſolum peccatorem ab hoc communi choro reiecerunt. Cumque Dracones, & ſerpentes, & ipſas etiam tenebras ad diuinas laudes canendas acciuerint, ſolum peccatorem, tanquam in infimo abiectionis gradu conſtitutum, omittunt, & repudiant. Ideo peccatorem ad laudandum Deum cum cæteris creaturis non admittunt; quia peccator, vt talis eſt, non ad creaturas ſed ad ipſum nihil ſpectet. Quod rectè confir-

reprobo ſacerdoti, quia tamē humiliter paruit, oraculum mox diuinæ reuelationis accepit. Superbum Saülem nunquam ſpiritus vexat; & ei Dauid obſequi pulſando citharam non recuſat. Quod grauiter adſtruit S. Chryſoſt. ex munere legationis, quo Prælati etiam reprobi funguntur, ita diſſerens: *Legati, qualeſcumque tandem ſint, propter legationis prærogatiuam multo potiuntur honore. In mediam barbarorum terram ſoli ingrediuntur: & quoniam plurimum valet legationis lex, omnes eos honorant, omnes in eos intendunt, omnes cum fiducia, & libere dimittunt.* Mox vero ex hoc gentium iure ad firmam indignorum paſtorum obedientiam ſic ratiocinatur: *Iam & nos legationis ſermonem accepimus; hoc enim eſt Epiſcopatus dignitas. Honore vero potiri volumus; non propter nos; abſit: Scimus enim noſtram vilitatem; ſed propter vos, vt quæ à nobis dicuntur, diligentius audiatis.* Parendum ergo eſt reprobis etiam Prælatis, qui quamuis vitam habeant peruerſis moribus contemptibilem; dignitatem tamen præferunt diuinis muneribus venerabilem. Sed quamuis Prælatus improbus ſibi infructuoſus ſit, ſpirituali tamen ſubditorum fructui, atque profectui per diſpenſationē regiminis, atque obedientiæ plurimum ſeruit. Exemplum illud huic argumento quadrat, quo vtitur Origenes. *Vlmus*, inquit, *quæ fructum non affert, portat tamen vitem, quæ affert plurimum fructum, & ex eo, quod adminiculo eſt viti, quæ eius viribus nitens, vel afferre, vel ſeruare poteſt plurimum fructum; etiam vlmus, quæ infructuoſa eſt, neceſſaria videtur & vtilis; ex hoc ipſo, quod frugiferæ deſeruiat vitæ. Tale aliquid intellige, &c.* Superior quidem improbus, alta regiminis dignitate, proceræ vlmo ſimilis eſt, quæ quamuis infructuoſa eſt arbor, fructuoſam tamen vitem ſuſtentat, & ad augendos fructus adminiculatur.

S. Chryſoſt. in c. 1. epiſt. ad Coloſſ. hom. 3.

Origen. hom. 10. in Ioſue.

Capvt XVIII.

Deus etiam per iniquos loquitur.

QVoniam argumentum hoc locuples, & neceſſarium eſt, aliqua addere operæpretium erit. Sicut enim Deus per os impij Balaam loquutus eſt: ita etiam per ſceleſtum quemque Doctorem verba facit. Eleganter hac de re philoſophatur Origenes inquiens: *Dicitur ad eum: verbum quodcumque dedero in ore tuo loqueris. Si dignus fuiſſet Balaam, verbum ſuum Deus non in ore eius, ſed in corde poſuiſſet; nunc autem quoniam in corde eius deſiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei non in corde, ſed in ore eius ponitur.* Licet ergo verbum Dei non in corde, ſed in ore Doctoris ſit, vere verbum Dei eſt, ab eo ibi poſitum, atque adeo reuerenter audiendum. Sicut enim aqua in viſceribus altiſſimi montis concepta, & per occultas terræ venas deducta, tandem in medio alicuius vrbis foro per os effictum beſtiæ, ſerpentiſve prorumpit; & tamen nec terrorem ingerit accedentibus, nec venenum inſtillat excipientibus, nec horrorem incutit potantibus, cum probe calleant nihil officere ſalutari aquæ per quid tandem egrediatur, ſed vnde promanet conſiderandum. Similiter de aqua cœleſtis ſapientiæ, atque diuini verbi ratiocinandum. Quod ſignificatum eſt in Sanſone de mandibula aſini bibente. Nec piget iterum eandem Sanſonis hiſtoriam noua attingere conſideratione. Nam erudite notauit Theodoretus eam mandibulam triplici de cauſa ex lege fuiſſe immundam: nam & aſinus viuus eſt immundus, & mortuus rurſus eſt immundus, & quod cædis fuiſſet inſtrumentum, quo videlicet mille alienigenas Sanſon interemit. Sed quamuis illa mandibula trifariam eſſet immunda, mundiſſimæ tamen aquæ ſcaturigo efficitur. Vnde Sanſon ſitim ſedauit, & vires recepit. Ex quo Theodoretus docet Deum ab immundis mandibulis, id eſt terque quaterque immundis Doctoribus ſalutarem ſapientiæ aquam poſſe elicere, & elargiri. Non ergo contemnenda eſt aqua doctrinæ, ob turpitudinem mandibulæ. Vnde aptiſſime autor operis imperfecti ait: *Nunquid propter terram vilem pretioſum aurum contemnitur? Nam ſicut aurum eligitur; & terra relinquitur: ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite.* Aliam non minus aptam apponit ſimilitudinem his verbis: *Apes flores colligunt, herbas relinquunt: ſic & vos flores doctrinæ colligite, & conuerſationem relinquite.* Neque contempſit Sanſon fauum mellis, quod in ore mortui, corrupti, ac fœtidi Leonis illum inuenerit. Ita nemo eloquia Dei, quæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum, ideo parui faciat, quod in ore corrupti Doctoris inueniantur. Nam vt bene Procopius hanc allegoriam euoluens, ait: *In Samſon qui Leonem tenuit & occidit, & in ore mortui Leonis fauum mellis inuenit, ſignificatum eſt, quod in ſuperbis, in quorum ore putor fuerat blaſphemiæ, eſſet poſtmodum dulcedo laudis & gratiæ Dei.* Verum ſicut apes etiamſi abhorreant à fœtidis, ſicut ibi notauit Lyra, tamen in ore putrido mellificarunt: ſic etiam puriſſimum diuini eloquij mel in horrido, tabidoque ore veluti fabricatum reperitur, & fortaſſis ideo diuinitus cum Nazaræo Samſone diſpenſatum eſt in lege de non attingendo cadauere, vt notauit Theodoretus, & probat ibi Serarius, vt poſteris conteſtatum maneret, nihil omnino contaminationis in eo reperiri, quod quis mel doctrinæ ab immundo ore hauriat, & ſuſcipiat. Et quamuis mortuus Leo nihil dulcedinis guſtet ex fauo, quem ore tenet; tamen qui fauum inde accipit, mellifluam ſuauitatem affatim percipit. Prauus enim Doctor, cum diuini verbi cibum abunde apud ſe habeat, ipſe inedia tabeſcit, cum famelicus auditor eo cibo optime nutriatur. Quod prænuntiatum eſt illis verbis Iob: *Cuius meſſem famelicus comedet.* Vbi S. Gregorius in noſtram ſententiam ita diſputat: *Habet ſtultus meſſem, quia iniquus quiſque donum rectæ intelligentiæ accipit, Sanctæ Scripturæ ſententiis docetur, bene loquitur, ſed tamen nullo modo hoc quod dicit, operatur. Verba Dei profert; nec tamen diligit; laudando exagerat, viuendo calcat. Quia ergo ſtultus iſte recte & intelligit, & dicit; ſed tamen hac operando non amat; meſſem habendo ieiunat, quam nimirum famelicus comedit: quia is, qui ad Deum ſanctis deſideriis anhelat, diſcit quod audit, agit quod diſcit, & dum Doctoris praui recta prædicatione reficitur, quid aliud, quàm ſtulti fruge ſaturatur.*

Origen. hom. 14. in Num.

Iud. 15.

S. Chryſoſt. hom. 43.

Iud. 14.

Procop. in cap. 12. Iob.

Theodoret. Serar. q. 16.

Iob 5.

S. Gregor. lib. 6. mor. cap. 5.

Aug. lib. 2. de Doctrin. Chriſt.

Ex dictis poteſt intelligi prudentem auditorem, vnde doctrinæ cibum depromat, non debere attendere; ſed in ipſum doctrinæ cibum, quo nutriatur intendere. Nam vt prudenter dixit Auguſtinus: *Quiſquis bonus verusque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, vbicumque inuenerit veritatem.* Eleganter etiam & argutè S. Chryſoſt. ait: *Si bene vixerint eorum lucrum eſt, ſi bene docuerint, noſtrum: accipite ergo quod veſtrum eſt, & nolite diſcutere quod alienum eſt.* Cum ergo audis verbum bonum ex ore praui Doctoris, reuerenter habe & lauda Deum, qui annuntiat, non linguam, quæ pronuntiat: nam de characteribus eleganter formatis non laudatur calamus, ſed manus. Id quod attentè aduertit S. Bernardus his verbis: *Profectò lex Domini conuertit animas; non ego. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis; non ego. Laudatur de bona littera tornatura manus non calamus. Fateor, vt multum tribuam mihi, lingua mea calamus ſcribæ.* Quamobrem eleganter, & grauiter S. Auguſtinus inuehitur in eos, qui prauorum Doctorum non verba bona ſed exempla mala ſectantur. ſic ille ait: *Tam ſunt autem iſti abſurdi, & præpoſteri, & miſeri, qui præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicta Domini præcepta ſeruare, quam ſi quiſquam viator remeandum ſibi eſſe exiſtimet in itinere, cum viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare, &c.* Prauus quidem Doctor ſtatua lapidea eſt litteris plena (vt olim in more) quæ viam cœleſtis patriæ rectè oſtendit; & tamen ipſa à ſuo deſidiæ, & peccati loco nunquam recedit. Tu viã carpe, vt à ſtatua doceris; eius vero immobilem ignauiam nequaquam imiteris.

Idem lib. 10. hom in vltima cap. 19.

DE

Digitized by Google

DE VIRTVTE EXEMPLI, ET EXEMPLO VIRTVTIS.

LIBER VNICVS.

QVÆ vtiliſſima ſunt ſæpius commendare non prolixum ſed opportunum ſemper debet æſtimari; imò vt magna demonſtretur vtilitas, oportet quandoque eam inculcet repetita commendatio. Quapropter Dominus ſuam commendaturus legem ſecunda Deuteronomij memoratione illam iterauit. Quid vtilius Chriſtiano ouili, quàm virtus paſtorum: nam exempli ſumma energia eſt, quam non pigebit peculiari hoc commendare libello, & alibi celebratam nunc recinere. Et quidem Eccleſia extenſa eſt non tantum prædicatione fidei, ſed etiam exemplo virtutis, cui etiam multi ipſam debuerunt fidem ſine vllo prædicatore. Maior mundi ſapientia ad Martyrum patientiam ſtupuit, & ceſſit exemplis, quæ reſtitit argumentis. Ideo Martyres allocutus. Sanctus Ephren, dixit: *Intuiti ſunt ſapientes huius ſæculi immenſam ſtragem veſtram, & in ſtuporem tota ſapientia illorum conuerſa eſt; attonitique ad ſe inuicem aiebant. Verè magnus, & potens eſt Deus Chriſtianorum: in quem ipſius Diſcipuli ita firmiter crediderunt, vt nullis minis, nulliſque tormentis ab eius fide diuelli, amouerique potuerint. Frequenter autem & lictores, atque tortores ipſi, tanta beatorum Martyrum permoti conſtantia, Chriſtum veneranter adorarunt.* Scilicet, ſapientia ſæculi, quæ contemnebat verbum Dei, admirata eſt virtutem hominum. Reſpectus virtutis muta prædicatio eſt. Verum quod de ficubus dixit quidam Propheta, dicere de exemplis poſſumus, quæ ſunt bona, bona valde ſunt quoad efficaciam boni; & quæ ſunt mala, mala valde ſunt ob acrimoniam nequitiæ, tantæque malignitatis ſunt, vt quoad perniciem aſſimilentur hæreſi. Vulpes enim præcipuæ, quæ vineam Eccleſiæ demoliuntur hæreſes numerantur, & praua aliquorum Eccleſiaſticorum vita. Quapropter dixit Ratbertus Abbas: *Perditio non dormitat. Nec dubium, quod culpa ſacerdotum, & eorum qui in lege verſantur, ruina ſit populi: qui aut falſa docent abſque temperamento, quaſi quæ videant, aut iniquitatem ſuam populo, ſeu ſcelera, ſolicitè, vt ad pœnitentiam eum prouocent, non annuntient. Inſuper & plures, quamuis rectè doceant, ea quæ benè docuerint, ſuis prauis (non dico minima, verum etiam & maiora) exemplis diſſoluunt, & omnia, aut lucri cauſa faciunt, aut erroris, aut iactantiæ, vel deſidiæ. Neque enim curam gerunt animarum, ſed cuncta ſui cauſa faciunt, ſub hypocriſi loquentes, tantum vt ea obtineant, quæ ſectantur.*

Serm. de Laud. Martyrum fol. 746.

Lib. 1. in Lament. Ierem.

CAPVT.

Capvt Primvm.

Prælatorum exemplum vim maximam habet, tam ad ſalutem, quam ad perniciem ſubditorum.

MEriTo igitur monuit Chriſtus Paſtores & Doctores, ac vniuersè Populi Principes, vt claris & bonis operibus homines ad virtutem inducant, quoniam maiorum & Principum exempla miram vim habeant in vtramque partem, vel ad perdendos, vel ſeruandos ſubditos. Hanc ob cauſam Principum vita, typus ſubditorum appellatur: nam ſicut metalla liquefacta in typos infuſa eam formam, ſiue figuram recipiunt, quam ipſi typi habent, vel pulchram, vel fœdam, ſiue ſacram, ſiue prophanam. Ita ſubditi ex Principum vita morum formam contrahunt. Ideo Paulus Philippēſibus ita mandat: *Obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Græce *typon*, id eſt, typum noſtrum, vbi vitam ſuam, & cæterorum Apoſtolorum typum appellat, vt ibi ſanctus Chryſoſtomus explicat his verbis: *Exemplar erant Apoſtoli, imaginem quandam primarij exemplaris ſeruantes. Cogitate quam exacta vita illis fuerit, vt archetypum, & exemplum, viuaſque leges aliis exhiberent. Quod enim littera referebant, illud re ipſa omnibus conſpicuum faciebant.* Vt autem Apoſtoli, & Apoſtolici viri Sanctorum morum ſunt typi, ita peruerſi Principes vitiorum forma exiſtunt. Vnde ſanctus Cyrillus Alexandrinus de peruerſis Regibus Iſraël ſermonem habens, ait: *Typi quippe & exemplaria fuerunt aliis vitæ execrabilis.* Hinc ſanctus Iſidorus opportune loquitur: *Ideo Principem non oportet delinquere ne formam peccandi faciat, peccati eius impunita licentia.* Forma enim idem eſt, quod typus. Quare ſanctus Petrus Paſtores omnes Eccleſiæ paſtorali ſolicitudine hortatur, vt gregis typi monſtrentur illis verbis: *Forma facti gregis ex animo.* Nam per formam typum ad excudendum intellexit ſanctus Ephren: Nec multum diſcedunt ab hoc ſenſu aliorum Patrum expoſitiones, qui ad hunc locum Petri, vocem illam *forma*, ſiue vt habet textus Syriacus, *exemplar*, variè accipiunt. Nam Iſidorus Peluſiota illud exemplar intelligit, quod ad ſcribendum pueris à Magiſtro proponitur, vt perfectos characteres exarent. Gregorius vero Nyſſenus vult illud eſſe exemplar, quod pictor diſcipulo tradit, vt penicillo exprimat. At ſancto Auguſtino & aliis placet, vt illa accipiatur forma, ſiue exemplar, quod expreſſum in ſigillo, vel annulo, in quauis cera ſiue cretula exprimitur. Ob hanc cauſam, vt reor, ab Hieremia dicitur Iechonias: *Annulus in manu dextera Dei.* Et per Aggæum de Salathiel dicit Dominus: *Ponam te quaſi ſignaculum* Quia nimirum & hi, & omnes perfecti Paſtores ac Principes ſignaculum ſunt Dei, qui mediis ipſis, ſubditorum animos tanquam ſignatorio annulo, ſua effigie & nomine conſignat; iuxta priſcum Principum morem. Hunc annulum accepit filius prodigus à Patre, qui ſeruis dixit: *Date annulum in manu eius.* Nam eſſe ſignatorium hunc annulum, habereque expreſſam Chriſti parentis imaginem, vt eam filius ad priſtinam dignitatem reſtitutus in ſubditorum cordibus per bona opera imprimat, docet ad eum locum Hieronymus his verbis: *Annulus eſt ſignaculum ſimilitudinis Chriſti. Hoc ſignaculum in manu datur, quando opera iuſtitiæ ſcriptura ſignificat.* At improbi Principes, pro virtutibus, & Dei imagine, Dæmonis effigiem, quæ vitiis inſerta eſt, ſubditis imprimunt.

Philip. 3.

S. Cyrill. Alex. in c. 5. Iſai.

S. Iſidor. lib. 3. ſent. cap. 50.

1. Petr. 5.

S. Ephren. tom. 2 Pareneſi 47.

Peluſiot. lib. 3. ep. 259.

S. Gregor. Niſſen tract. de nomine & profeſſ. Chriſtiani.

Luc. 15.

Ob hanc ſanè vim, quam exempla Paſtorum, & Principum erga ſubditos habent, leges à ſapientibus appellantur. Ita Philo Patriacharum vitas & facta appellauit *leges & iura non ſcripta.* Non minus enim Reſpublica ad illorum exempla, quam ad illorum præcepta conformatur. Optime Pacatus dixit: *Blandiſſimè iubetur exemplo.* Illud enim quod Princeps voluntate & moribus probat, blandiſſima lege iuſſum eſſe putatur. Quamuis autem id, quod eiuſmodi Principi placet, blanda lex ſit; non tamen infirma, ſed valida eſt, vt teſtatur ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Velle,* inquit, *Imperatoris lex eſt non ſcripta, imperij, & potentiæ patrocinio ſepta, & quidem ſcriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, longe firmior, atque valentior.* Et alibi loquens de Epiſcoporum exemplo, ait: *Nimirum ipſius Antiſtitis factum pro lege ducitur.* Quam valida vero ſit hæc lex, ita annectit: *Vix aliquis etiam à Doctoribus adhibita vi, propendet ad meliora; quod ſi aut formam, aut exemplum habeat improbum, captus eſt; ſimilis eſt riuo per decliuia decurrenti.*

Philo lib. de Abraham.

Pacatus in Panægyric. ad Theodoſ.

S. Gregor. Naz. orat. 3. quæ eſt prima in Iulian.

In orat. de ſeipſo ad epiſc.

Capvt II.

Quam efficacior ſit doctrina operum, quam verborum.

TAntus virtutum ornatus commendat Præſules ob exempli efficaciam: nam cum Dominus teſtetur eum in Eccleſia magnum Doctorem, *qui fecerit, & docuerit*, primum locum dedit operibus; quia Doctor non tam verbis quam operibus docet, delectat, & ſuadet; & his quidem multo efficacius, quàm illis: id ex Deo ipſo diſcere licet. De quo Moyſes dixit: *In dextera eius ignea lex*, non ex ore prodibat, ſed in dextera micabat, quia magis eam factis, quam verbis exprimebat. Primi Deum imitati ſunt Apoſtoli, de quibus Chryſoſtomus, ſic habet: *Apoſtoli prius vita exemplis docebant quam verbis, quin potius, nec verbis erat opus, cum clamarent opera.* Magnus certè eſt operum clamor ad excitandos homines peccati ſomno ſepultos. Id ſanctus Ambroſius colligit ex præfatis Domini verbis ſic ſcribens: *Dominus in Euangeliſta dicit, qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Audis ergo, quoniam præcedit opus, ſubſequitur doctrina; ſiquidem benefacere prima doctrina eſt.* Ecce prima præcipuaque Eccleſiaſtici Magiſtri doctrina benefacere eſt. Confirmat propoſitum, ita ſubiungens: *Ceſſantibus*

Deut 33.

S. Chryſoſt. hom. 1. in Act.

S. Ambroſ. ſerm 76.

enim

enim verbis hoc ipſum docet hominem opus optimum, cum videtur, quod etſi voce aures non excitet; virtute tamen corda compungit. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, miretur, imitetur, ac velut tacito magiſtro vtens eius exemplo doceatur. Quod confirmare licet ex ſancto Ildephonſo Archiepiſcopo Toletano, qui de ſancto Helladio itidem Præſide Toletano ſic ait: *Scribere renuit; quia quod ſcribendum fuit, quotidianæ operationis pagina demonſtrauit.* Sciebat nimirum melius doceri homines bonis operum exemplis, quam bonis verborum ſententiis; vitamque ſanctorum librum eſſe ſapientiæ, cuius tot ſunt paginæ, quot impreſſa vitæ bona opera. Hoc ipſum elogium non minus eleganter de ſancto Antonio prædicauit Petrus Damianus ſic ſcribens: *Beatus Antonius non rhetoricatur; ſed toto conſpicuus orbe, litteris, vt ita loquar vitalibus legitur.* Sanctæ itaque actiones litteræ ſunt vitales, quibus virtus vtilius legitur, efficacius ſuadetur. Vnde illud optime dictum à ſancto Leone Papa: *Validiora ſunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam verbo.* Et illud à ſancto Bernardo dictum: *Sermo viuus & efficax exemplum operis eſt, facile faciens ſuaſibile, quod docetur, dum demonſtrat factibile, quod ſuadetur.* Hoc ergo diſcrimen interiectum eſt inter verba, & opera, quod illa ſunt mortuus ſermo, iſta ſermo viuus. Iure igitur optimo Petrus Damianus actiones virtutis vitales litteras appellauit, quibus vita Antonij extat ſcripta. Sed Antonio atque Helladio adiunge, ſi placet Moyſem, qui non erat eloquens, ſed impeditæ linguæ, vt ipſe confeſſus eſt; & tamen populum docuit, & in officio continuit, non ſplendore eloquentiæ, ſed virtutum fulgore, qui in facie relucebat. Quod animaduertens Petrus Damianus, ſic diſſerit: *Hinc eſt quod Moyſi qui dixerat, obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ; adeo poſtmodum facies clarificata reſplenduit, vt filiorum Iſraël viſus obtunderet, & in eum præ ſplendoris magnitudine reſpicere non valerent: Aaroni vero, de quo diuina voce reſponſum eſt, Aaron frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, nullus ſupernæ claritatis acceſſit ſplendor.* Populus ergo non eloquentia Aaronis, ſed Moſis facie virtutibus clarificata docetur. Vnde Paulus de lege veteri loquens ait: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Nam vt populus doceretur, & ad virtutem duceretur, non ſatis erat, eam legem ab Angelis ordinari, niſi pariter à Moyſe impleretur. Ordinata eſt lex per Angelos, non in lingua Aaronis, quæ eloquens erat, ſed in manu Moyſis, qui bene agendo, plus ad docendum valebat. Similiter Apoſtolorum doctrina, qua mundum ad vitam conuertunt, non tam ab ipſorum ore, quàm à manibus procedebat. Quamobrem, cum Euangelicus Propheta nationes varias recenſens quæ prædicatione Apoſtolorum ad obedientiam fidei eſſent venturæ ait: *Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt.* Cum lex atque præceptum ad linguam imperantem ſpectat; propheta tamen ad manum retulit; quia profecto Apoſtoli Chriſtianæ Religionis præcepta non tam lingua declarantes, quam magnifica manu agente docuerunt. Sicut ergo lex antiqua in manu Moyſi: ita lex Euangelica in manu Apoſtolorum ordinata eſt, & edocta. Ex quo ſanctus Chryſoſtomus ad illa verba: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, &c.* ſic infert: *Habet ergo vita tua claram vocem, & licet os tuum obſtruxeris, vel tuba clarius perſonabis.*

S. Ildephonſ. lib. de vir. illuſtrib. c. 7. — Petr. Dam. lib. 6 ep. 17. — S. Leo. Pap. ſerm. de ieiun. — S. Petr. Damian. lib. 8. epiſt. 1 — Galat. 3. — Iſai. 11. — S. Chryſoſt. in Pſal. 49.

Egregiè theſim hanc confirmat S. Gregorius Nazian. his verbis:

Vel ne doceto, vel doceto moribus,
Illa trahas metu, manu; pellas at hac.
Erit loquendum; ſi probe viuas, minus.
Sermone non, ſed manu pictor docet.

Nazian. in Tetraſticis.

Doctor quidem debet moribus præcipuè docere, ne quod doctrina extruit, moribus deſtruat, & quaſi altera manu homines trahat, altera pellat vt erat in veteri prouerbio, in eos, qui eandem rem, & faciunt & deſtruunt, ac inſtar Penelopis, telam eandem texunt, & retexunt, vel more Siſiphi, eundem lapidem ſurſum, & deorſum vertunt. Quod vero præcipua doctrina in moribus ſit, optimè monſtrat, cum ait: *Sermone non tam quam manu pictor docet.* Ille enim pictor egregie artem docet, qui ſtrenua manu pingens perfecta exemplaria proponit; contra vero vt idem Nazianzenus in carmine de ſeipſo ait: *Multorum quidem malorum pictorum prauum exemplar.* Prauum nimirum exemplar multis diſcentibus pingere propoſitum eos malos pictores efficit. Vt ergo pictor ſic manu docet, vt benè pingens bonos; malè vero malos pictores efficiat: ita Doctor, non tam lingua, quam manu doceat, ea virtutum proponens exempla, quæ ſint intuentibus exemplaria, vt igitur Angeli, qui Loth è Sodomis liberarunt, non modo cum verbis, atque conſilio à ſulphureis flammarum globis iam iam imminentibus auocarunt, ſed manu etiam extraxerunt; ait enim Sacer textus: *Apprehenderunt manum eius, &c.* Ita facere debent Doctores. Procopius in hæc verba ſic habet: *Nam non verbis ſolum à vitiis nos dehortatur Deus, ſed opere ac re ipſa opitulatur, ſicut ſcriptum eſt: Tenuiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me.* Similiter Prælati & Doctores, qui ſunt ciuitatum & prouinciarum Angeli, vt conſtat ex Apocalypſi, non ſolum lingua, & verbo ſed etiam manu & exemplo homines ab æternæ damnationis periculo debent abducere. Eſt ergo perfecti Doctoris non ſolum verbis ſed etiam factis docere. Vnde Seneca ſic amicum monet: *Eum elige Doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.* Denique bonorum operum doctrinam, atque vitalem vocem audire libet ex ſancto Gregorio ita dicente: *Tintinnabula veſtimentis ſacerdotis inſcribuntur inſerta. Veſtimenta etenim ſacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere? Propheta atteſtante, qui ait: Sacerdotes ſui induantur iuſtitiam. Veſtimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vita viam cum linguæ ſonitu, ipſa quoque bona opera clament ſacerdotis.*

Geneſ. 19. — Pſal. 72. — Senec. ep. 34. — S. Gregor. p. 2. Paſt. cap. 4. — Exod. 28.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt III.

Exempla maiorem vim habent, quam præcepta.

NOn ſolum ſuperat vita conſilia prædicantium, ſed etiam mandata antiſtitum. Hoc etiam commendat, & præſcribit Dominus Doctoribus, & Paſtoribus, & omnibus vniuersè Principibus, vt cum hominibus negotium ſalutis non tam præceptis quàm exemplis tranſigant. *Sic*, inquit, *luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Quaſi dicat: veſtram ſcientiæ, atque Doctrinæ lucem eo dirigere debetis, non vt multa verbo præcipiatis, ſed vt multa hominibus virtutis exempla detis, hæc enim ad mouendos animos maiorem vim habent, quam præcepta. Quod ſanctus Gregorius optimè docet his verbis: *Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo præcipit, oſtendendo adiuuat, vt fiat.* Præceptum quidem ore ſonat, ſed exemplum oſtenſum adiuuat, quod maioris eſt efficacitatis: nam iacentem in luto, vel hærentem in ſalebris, vel fluminis voragine ſubmerſum, plus iuuabit manus quàm vox. Confirmat id ſanctus Doctor ritu quodam ex antiqua ſacrificiorum lege deſumpto, inquiens: *Hinc & Aaron in eſu quoque, pectuſculum cum armo tribuebatur, vt quod de ſacrificio præciperetur ſumere, de ſemetipſo diſceret conditori immolare: pectuſculum Deo; armum operis mundo.* Sacerdos quid Deo offerre, quid mundo, ſiue hominibus deberet impendere, ex portione ſacrificij ad eſum ſibi conceſſa debebat ediſcere: nam cum pectuſculum accipit, vt ſuum pectus atque cor Deo offerat admonetur; cum vero armus ei datur, quid hominibus ipſe dare debeat indicitur, nempe opus bonum, quod in armo meritò ſignificatur. Ex oblato animali non dabatur ſacerdoti lingua, ſed armus; quia vt ſacerdos homines ad Deum alliciat, non tam lingua præcipiens quam armus operans requiritur. Firmat adhuc eandem doctrinam idem Gregorius verbis illis Iſaiæ: *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.* Quia profectò vt Doctor homines ad ſupernum cælorum montem tollat, plus momenti habet, ſi ipſe re ipſa aſcendat quàm ſi verbo præcipiat.

Matth. 5.

S. Gregor. epiſt. ad Anthem. cap. 24.

Exod. 49.

Iſai. 40.

Sup.

Cui affine eſt illud, quod à locupletibus authoribus traditur, tranſitum videlicet populi Hebræi per mare rubrum ad montem ſanctificationis, id eſt, terram promiſſam, non tam peractum fuiſſe Moſis præcepto, quàm cuiuſdam Principis exemplo. Nam cum ad cap. 49. Geneſ. quæri ſoleat, cur Iacob filiis benedicens regnum filio Iudæ tribuerit, & non potius dilecto præ omnibus Ioſepho? Reſpondet Abulenſis. Ideo Iudam cæteris fuiſſe prælatum; quia in tranſitu maris rubri omnibus metuentibus, & ſtupefactis, Dux de tribu Iudæ primus patefacto tramite ingreſſus eſt. Vnde colligit gubernandi poteſtatem meritò illi deferendam eſſe, qui ſciat non tam verbo quam exemplo cæteris ante ire, & viam ſequentibus aperire & monſtrare. Quod probè cognitum Regi Dauid erat, qui ſitibundus oblatam ſibi aquam repudiauit, cuius rei cauſam hanc tradit Angelomus: *Vt ſuo exemplo totus exercitus diſceret ſitim tolerare.* Nam ſi biberet Rex, regium exemplum milites imitati, caſtra deſerentes ad quærendos fontes dilaberentur. Id etiam ſatis perſpectum habebat prudentiſſimus ille Lacedæmonum Rex Ageſilaus, qui iam ſenex hyberno tempore ſimplicioribus veſtibus vtebatur, qua de re rogatus à ſuis, vt ſcribit Plutarchus reſpondit: *Vt iuuenes hanc vitæ rationem imitentur.*

Abulenſ. quæſt. 3 in Geneſ.

2. Reg. 23.

Plutarch. in Græc. apopht.

Ad hæc exemplum Principum non ſolum maiorem vim habet, quàm nudum præceptum; ſed etiam quam illud, quod ferro, atque ſupplicio eſt armatum. Qua de re eleganter dixit Hildebertus: *Cum benè multis imperas, nulli melius imperas, quam tibi. Maiore ſiquidem laude poteſtas exemplum promit, quam gladium. Illud autem doctrina lenis eſt, & iniquitatem flagello reprimit incruento; hic autem ſæpius odio educitur quam iudicio, furore quàm lege.* Etenim vbi virtutis exemplum in Principe conſpicuum eſt, nec præcepto, nec eius propugnatore gladio opus eſt. Adeo enim populus in mores & exempla Principum propendet, vt Solon ille Athenienſis, vt in eius vita ſcribit Laërtius, vulgares homines Principum vmbras ſit ſolitus appellare. Sicut enim vmbræ figuras corporum: ita vulgares homines Principum mores imitantur. Et quemadmodum fruſtra laborarit, qui exiſtente corpore curuo velit facere vmbras rectas: ita operam ſuam perdet, qui Principe in malos mores abeunte, velit Rempublicam ad bonos reuocare.

Hildebert. epiſt. 56. quæ eſt ad Regem Angliæ.

Capvt IV.

Quomodo bonorum operum exemplum firmamentum ſit, quo doctrina nititur, & ſuſtentatur.

BOna opera exigit Dominus à Doctore, cum ait: *Qui autem fecerit & docuerit*, quia tota docendi firmitas in bonis operibus conſiſtit, ſine quibus doctrina fragilis eſt, & caduca, & nullo robore nixa concidit. In hunc ſenſum explicat ſanctus Gregorius illud: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Nam ad eum locum ſic habet: *In terram verbum prædicatoris cadit, cum ex reproba prædicatoris conuerſatione vileſcit.* Ne igitur Samuëlis verba caderent in terram, ea ipſe bonorum operum firmamento fulciebat. Quia vero doctrina abſque adminiculo vitæ cadens in terram vileſcit, & confunditur. Ideo ſanctus Hieronymus Nepotianum monet: *Non confundant opera tua ſermonem tuum.* Et quia operis exemplum doctrinam docentis fulcit, merito prædicatio tubæ ſonanti comparatur cum dicitur: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Sicut enim tuba non ſolum ori imponitur, ſed etiam manibus tenetur: ita etiam concionator debet Euangelium, quod in ore habet, manu, id

S. Gregor. 1. Reg. 3.

S. Hieron. epiſt. 2.

Iſai. 58.

Digitized by Google

id eſt,operatione fulcire, ne cadat in terram;doctrina quippe per ſe ſtare non poteſt, niſi boni operis adminiculo ſuſtentetur. Id quod S. Bernardus obſeruauit in illis verbis Iſaiæ, & Oſeæ

Iſai. 37. Oſeæ 10. S Bernard. ſerm 37. in Cant.

ſeminate vobis ad iuſtitiam, metite ſpem vitæ, & tunc demum illuminate vobis lumen ſcientiæ. Nã horum verborum ordinem attentè inſpiciens S. Doctor. dixit: *Vltimam poſuit ſcientiam tanquã picturã, quæ ſtatum habere nequeat ſuper inane, & ideo illa duo præmiſit, & ſubiecit illi, tanquam ſi ſolidum aliquid picturæ ſubſterneret.* Sicut ergo pictura per ſe non poteſt ſubſiſtere niſi in tabula, vel pariete ſuſtentetur. Ita ſcientia doctrinæ per ſe ſtare non poteſt, niſi bonorum operum exemplo nitatur, & ideo præmiſit Propheta, *ſeminate ad iuſtitiam & metite in ſpem vitæ.* Quod bonis operibus præſtatur. Quamobrem S Baſil. aptiſſimè comparauit bona opera ſtamini, doctrinã vero ſubtegmini, quod in tela ſtamine conſtringitur, & fulcitur.

S Baſil. hom. 11 in Pſal 44

Puto (inquit) *ſpiritalem pertexi tunc veſtem, cum operatio attexitur verbo doctrinæ. Quemadmodum enim pallium tegendo corpori, tunc detegitur, dum ſub tegmen innectitur ſtamini; ſic vbi verbum primas inordiẽdo obtinuerit, ſi mox actiones verbo conſentaneè attexentur, tunc exornandæ animæ decentiſſimus, & plurimum habens honeſtatis amictus confici poſſit, amictus inquam ille, de quo Dauid: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Tunc quidem ſtamina aurea, vt cum Statio loquar, viliori ſubtegmine annectimus, cum bona opera doctrinæ copulamus, ſicut autem ſubtegmen per ſe ſtare non poteſt, nec pretioſam telam conficere; id enim ſtamen præſtat quod à ſtando dictum eſt. Ita doctrina niſi bonis operibus quaſi filis aureis cõſtringatur, & contineatur pretioſam virtutis telam, non conficit, qua veſtitur, qui faciens, & docens magnus eſt in regno cœlorum. Præterea quam debilis ſit doctrina, ac ſcientia adminiculo operis deſtituta ſatis exaggerauit Theophylus Alex. inquiens:

Theophyl. Alex epiſt. 1. Paſchali.

Vt aliquid propter eos, qui dialecticis artibus inſtituti ſunt, ex illa doctrina videamur adſumere, quo modo nomini coniungamus, perfectus ſenſus efficitur; nomenque ſi ſolum ſine verbo fuerit, nihil eſt omnino quod dicitur. Sic ſcientia abſque opere infirma eſt, & caduca; & è contrario ſcientia operi copulata perfectæ virtutis initium eſt. Si dicas ſimpliciter *homo* nihil declaraſti? ſi vero verbum adiungens dixeris *homo ratiocinatur*: multum dixiſti: ita doctrina ſine opere nihil eſt; ei vero copulata perfectæ virtutis indicium eſt. Ob eandem rationẽ ibidem comparat doctrinam veſtibulo domus; opus vero bonum perfecto, & firmiſſimo culmini, quod ſi non imponatur, veſtibulum nullius emolumenti eſt. *Habemus*, inquit, *ſermonem, vt ita dicam operis veſtibulum; porro opus ſermonis, & ſcientiæ ædificij tecta perfecta & firmiſſimum domus culmen impoſitum; ſermo enim & ſcientia abſque opere caſſa ſunt & inſtabilia.* Quid aptius. Antiqui certe adeo nihil eſſe putarunt doctrinam ſine opere, vt S. Iſidor. Peluſ. illorum ſenſum ſic referat:

S Iſidor. Peluſ. lib 3. epiſt 232.

Apud Lacedemonios qui ſermones actionum vmbras eſſe non immerito definierunt, ei, qui turpiter vixiſſet, ne probam quidem ſententiam pronuntiare licebat. Lacædemonij ſermones actionum vmbras dixerunt, quia ſicut vmbra ablato corpore omnino diſparet: ita ſermo, ſiuẽ doctrina abſque opere nihil eſt.

R. P. Ioan. Euſeby Nierembergij.

C A P V T V.

Doctores & Paſtores per bona opera præcipuè debent trahere homines ad Deum.

PRæſcribit Dominus Doctoribus, & Paſtoribus modum, quo debeant trahere homines ad glorificandum Deum, videlicet, non tam luce doctrinæ, quam exemplo bonorum operum, *vt videant opera veſtra bona, &c.* Id mõſtrari poteſt ex Theodoreto quærente, cur Deus diebus ſabbathi manna non pluerit, cum tamen cœteris diebus larga effuſione cõceſſerit? Reſpondet autẽ in hunc modum:

S. Theodor. in cap. 16. Exod.

Cum hominibus lege præcepiſſet quieſcere die ſabbathi, docuit illos ipſo facto ſeruare præceptum; ea ſiquidem doctrina magis inculcatur, & facilius animis ſubditorum inſeritur, & intimatur, quæ non tam dictis, quam factis monſtratur, & quem prius exequentem intuentur ſubditi, quam libenter imitantur ſequentes. Deum imitentur Præſules, ſi velint ad diuina ſeruanda mandata, omnemque virtutem colendam homines allicere.

Quamobrem, cum diuina ſapientia vellet homines ad ſuã academiam trahere, vt veræ ſapiẽtiæ doctrinam diſcerent, Procerum, & Prælatorũ operibus potius, quam voce cõpellauit.

Prou. 9.

Sic enim ibi dicitur: *Miſit ancillas ſuas, vt vocarẽt ad arcẽ & ad mœnia ciuitatis.* Septuaginta habent: *Cum excelſa prædicatione conuocauit.* Quam verſionẽ elucidat lectio Caïetani; quæ eſt huiuſmodi: *Miſit puellas ſuas, vocauit ſuper humeros excelſorum ciuitatis.* Vbi per ancillas virtutes intelligit quæ tunc maximè ad audiendam Dei ſapientiã trahunt homines, cum ſuper humeros excelſorũ cõſpiciuntur, redactæ nimirum ad opus & exercitium: nã virtutes in humeris opera bona ſunt iuxta illud S. Hieron. de rationali & ſuperhumerali loquentis:

S. Hieron. epiſt. ad Fabiol.

In humeris opera ſunt, in pectore ratio. Quare Caïetanus congruè verſionem ſuam exponit his verbis: *Virtutes miſſæ à diuina ſapiẽtia officium vocandi exercent, non prædicatæ, nec ſcriptæ, ſed portatæ ſuper humeros hominum, hoc eſt ſuſtentata factis, viribus, & laboribus.* Virtutes plane operibus oſtentatæ homines ad audiendã Dei ſapientiam alliciunt, ad id enim Apoſtoli, & Apoſtolici viri minimè mundum excitaſſent, ſi virtutes tantũ ore, & non potius humeris portauiſſent. Sic, cum inferiores homines vident excelſos ciuitatis portantes humeris ſuis virtutes, tunc efficaciter excitantur ad eas ſimiliter humeris portandas. Quod ſi earum pondere premuntur, & deficiunt, eodem excelſorum exemplo recreantur, & reuireſcunt. Quo videtur ſpectaſſe S. Aug. cum eleganter dixit: *Deficis ſub præcepto? confortare in exemplo. Adeſt ille, qui præbuit exemplum, vt præbeat & auxilium.*

Excelſi ergo ciuitatis, id eſt, Doctores, & Prælati virtutes in humeris geſtare debent, vt vidẽtes homines opera eorum bona glorificent Patrẽ qui in cælis eſt. Ideo enim in Exodõ ex animalibus ſacrificio oblatis Dei lege dabatur Prælatis

Exod. 29.

ſacerdotibus pectuſculum, & armus. Cuius doni allegoriam apte enudauit S. Greg. vt ſacerdos intelligeret ſe debere *armum operis mundo.*

S. Gregor. epiſt ad Anthem. c. 14.

Prælatus ergo humerum debet mundo, quo videlicet humero virtutes portet, quæ homines ad Deum

trahant. Porro cum Paſtor virtutum opera humero portat, homines ipſos portat humero, quia firmat exemplo. Qua de re diſſerit Rupertus inquiens: *Hac maxima Rectoribus cura impendet, vt quaſi in humeris eos tollant, iuxta Prophetam dicentem: Pueri eorum in humeris portabuntur, & ſuper genua conſolabuntur.*

Rupert. lib. 3 in Exod. c. 3.

CAPVT VI.

Doctor eas virtutes, quas aliis prædicat, in ſe opere impreſſas debet oſtendere.

VOluit Dominus, vt perfectus Doctor prius faciat, deinde doceat, quia profectò ea, quæ aliis prædicat, in ſeipſo opere impreſſa debet propalare. Id in Leuitico optimè adumbratum eſt, vbi non offerabātur Deo in ſacrificium turtures, & pulli columbarum, niſi retorto ad collum capite, hoc eſt, ore ad alas reuoluto, cuius loci gloſſa ſic habet: *Os turturis iubetur retorqueri ad aſcellas, vt quod habet in ore, oſtendat in opere.* Quæ gloſſa ſumpta videtur ex S. Greg. qui ſic ait: *Caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas.* Omnino docet, vt qui ab aliis fructum virtutis exigit, eodem fructu ipſe cumulatius exuberet. Cuius rei egregium ſymbolum præceſſit in antiquo Pontifice, qui cum ad ſacra facienda ingrediebatur, pendentia ex veſte hyacintina, & mala punica, & tintinnabula ordine ſtructa præferebat. S. Cyrill. Alex. in ſacerdote veſte hyacinthina induto prædicatorem cœleſtium rerum agnoſcit: *Qui tintinnabulis ſonat, quia claris ſapientia vocibus prædicat, ſed pariter malo granata pendentia oſtendit; quia quem fructum ab auditoribus voce poſtulat, in ſemetipſo vita demonſtrat.* Ideo mixta erant mala punica tintinabulis; ait enim ſacer textus. *Deorſum vero ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitū, quaſi mala punica facies mixtis in medio tintinnabulis.* Vbi gloſſa interlinealis ſic habet: *Vt nec opus ſacerdotij diſcrepet à verbo, nec verbum ab opere.* Mixta ergo, & paria ſunt tintinnabula, & malogranata in veſte ſacerdotis; quia prædicator quantum aliis ſonat in ore, tantum fructus oſtendere debet in opere. Vbi merito S. Bernard. eos reprehendit, qui prius agunt de aliena vita excolenda, quàm propriam coluerint, & virtutis fructum perceperint: *Hi ſunt, inquit, qui initio conuerſionis ſuæ aliis fructificare continuo velle præſumunt; contra legis decreta, arare in primogenito bouis, & ouis primogenita feſtinantes tendere.* Quo mandato ex ſententia S. Bernardi ſignificare vult Deus, virtutis habitum in aliorum fructum non exercendum, quouſque in ipſo homine firmata ſtirpe altas radices egerit, & adultos fructus tulerit. Quo ſenſu S. Greg. hæc legis verba expoſuit, & hæc adiecit: *tunc nobis à prædicatione ceſſandum eſt, vt vomer lingua noſtra proſcindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi ſumus, continere nos intra nos metipſos debemus, nedum tenera bona citius oſtendimus, amittamus.* Quod monſtrat & arbuſtorum, & recentium parientium exemplo. Illa enim quouſque firmas radices iecerint premenda non ſunt, & hi dum recentes ſunt, impelli non debent; facile enim euertentur, ſi ſecus fiat. Subinde concludit S. Doctor: *Prius etenim conualeſcere debet mens, atque ad vtilitatem proximorum poſtmodum demonſtrari, cum iam nec per laudem eleuata corruat, nec per vituperationem percuſſa contabeſcat.*

Leuit. 1. S. Gregor. hom. 7. in Ezech.

S. Cyrill. Alex. lib. 11. de adorat. in ſpiritu & veritate.

Exod. 28.

S. Bernard. ſerm. de ſancto Benedicto.

S. Gregor hom. 2. in Ezech.

Præterea quam excelſa vita debeat eminere, qui alios prædicatione ad ſuperna vocat, ſatis indicatum eſt à Deo, cum Prophetæ Iſaiæ ita mandauit: *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem.* Vbi prius iubetur montem aſcendere, quam vocem exaltare, vt prius ad bene viuendum, quam ad bene prædicandum moneatur. Cauſam ob quam Doctor montem excelſæ vitæ debeat aſcendere expendit egregiè Sanctus Gregorius, inquiens: *Vt qui cœleſti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur; tantoque facilius ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat.* Tunc iure optimo Doctor ſubditos ad montem perfectionis vocat, cum ipſe de eiuſdem montis vertice eos inclamat. Eodem ſenſu Deus ad Ezechiam ait: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël.* Quæ verba ſic aperit & expendit idem Sanctus Gregorius: *Cui enim aliena cura committitur, ſpeculator vocatur, vt in mentis altitudine ſedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non eſt enim ſpeculator, qui in imo eſt; ſpeculator quippe in alto debet ſtare per vitam, vt poſſit prodeſſe per prouidentiam.*

Iſai 40.

S. Gregor. 1. p paſt c 3.

Ezech. 3. Idem Greg. hom. 11 in Ezech.

Id ipſum ſub alterius allegoriæ myſterio docet nos cœleſtis ſponſus, cum perfectam animam ſic alloquitur: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis*, vbi prius exoptat videre faciem, poſtmodum audire vocem. Sanctus Gregorius ad hunc locum per faciem fidem bonorum operum lineamentis, atque colore decoratam intelligit; per vocem verò prædicationem, ac proinde ita ſubiungit: *Opera neceſſe eſt vt vox prædicationis ſequatur; quia quicunque in ſanctis operibus perfectè ſe dilatat, conſequens eſt, vt ad eadem facienda, proximos quoque exhortetur.* Homines quidem faciem prius pulchram debent videre, vt ipſius vocem libenti animo velint audire, nec doctor, dum diſtorta eſt facie prædicationis vtatur voce. Vnde Hebræi, qui laborioſo itinere, & exilij ærumnis ſqualore deturpatam præferebant faciem in cantu diuinæ laudis voce noluerunt vti dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vt obſeruauit Chryſoſtomus, additque Hebræos in ſalicibus, hoc eſt, infructuoſis arboribus organa muſica ſuſpendiſſe, quo ſignatur, eos, qui ſterili vita bonorum operum fructu caruerint debere prædicationis organa ſuſpendere. Merito ergo ſponſus prius perfectæ animæ videre faciem, quàm audire vocem deſiderat: vox enim quamtumuis ſuauis, vbi deformis eſt facies erubeſcere videtur. Quod Tertullianus ita teſtatur; *Oportet demonſtrationem, & commendationem alicuius rei adortos, ipſos prius in adminiſtratione eius rei deprehendi, & conſtantiam commonendi propria conuerſationis authoritate dirigere; ne dicta, factis deficientibus erubeſcant.* Ne ergo verba erubeſcant clara virtutis

Cant. 2.

Pſal. 136.

S Chryſoſt. in c. 2. ep. ad Rom.

Tertull. Lib. de patient. c. 1.

Digitized by Google

virtutis opera præcedant; abſurdum enim erit vt ſimul dormiat, qui alios ex officio à ſomno excitat, plurimum enim vigilare oportet, & operum exercitio ſe à ſomno crebrius reuocare, qui alios ad vigilandũ monere, & à ſomno peccati volucres excitare. Quod Galli canentis ſymbolo adũbratum eſt in Iob vbi Deus ait: *Quis dedit Gallo intelligentiam.* Hanc intelligentiam dum S. Greg. adhuc locum rimatur, ita ſcribit: *Eſt aliud adhuc in Gallo ſolerter intuendum; quia iam cum edere cantus parat, prius alas excutit, & ſemetipſum feriens vigilantiorem reddit, quod patenter cernimus, ſi ſanctorum prædicatorum vitam vigilanter videmus; ipſi quippe cum verbum prædicationis mouent, prius ſe in ſanctis actionibus exercent, ne in ſe ipſis torpentes opere, alios excitent voce.* Magnam certè intelligentiam Gallus ille habet, qui ad excitandas prædicationis voce gentes omnes electus, prius alas excutiens, & ſemetipſum feriẽs vigilantiorem ſe reddebat, vt ipſe teſtatur illis verbis: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Similiter Regius vates ad canendas diuinas laudes optime homines excitabat, cum in Pſalterio propoſitionem ſuam aperiebat iuxta illud Pſalmi, *aperiam in pſalterio propoſitionem meam.* Is enim vt interpretantur Hieronymus, & Baſilius in pſalterio propoſitionem ſuam aperit, qui doctrinam fidei docet, poſtquam in obſeruantia præceptorum Decalogi ſe exercuit. Decalogus enim in Pſalterio ſignificatur, quod decem chordis conſtet. Ille ergo, qui docturus eſt gentes, & à terrena in cœleſtem vitam tranſlaturus, terrena omnia debet deponere, & in obſeruantiam diuinæ legis nudo animo incumbere. In quam ſententiam explicuit S. Ambroſ. quod Deus Moyſi mandauit, cum ad educendum populum mittendus eſſet: *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Sic enim habet: *Nimirum, vt vocaturus populum ad Dei regnum prius carnis exuuias deponeret, & nudo ſpiritu, veſtigioque mentis incederet.* Doctor ergo prius faciat, id eſt, viriliter ſe in virtutibus exerceat & poſtmodum doceat. Vtrumque Deus equi ſymbolo aperuit, cum dixit: *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?* Vbi S. Gregor. in equo prædicatorem accipiens, ita ſcribit: *Verum quiſque prædicator ante fortitudinem & poſt hinnitum accipit, quia cum in ſe prius vitia extinxerit, tunc pro erudiendis aliis ad vocem prædicationis venit. Equus iſte habet fortitudinem, quia aduerſa conſtanter tolerat, habet hinnitum, quia ad ſuperna blandiens vocat.*

Iob 38.
Pſal. 48.
Exod. 3. S. Ambroſ. lib. de Iſaac. c. 4.
Iob 39.
S. Gregor lib. 31. mor. cap. 19.

Capvt VII.

Doctor circumſpicere ſe debet, vt adæquet opera ſermoni.

CONſequentia dictis ſunt quæ modo dicemus. Debent igitur Doctores, cum aliis prædicant, conſiderationis aciem in propriam reflectere conſcientiam, vt attente inſpiciant, an quod docent, & ipſi faciant, & inde ad implendam opere ſuam doctrinam primi procedant. Luculenter de hoc diſputat S. Greg. dum in hunc ſenſum interpretatur menſas de quibus per Ezech. dicitur: *Et labia earũ palmi vnius reflexa intrinſecus per circuitum,* cuius figuræ myſtrium S. Doctor ita enucleat: *Tunc menſarum labia intrinſecus reflectuntur, quando Doctores ad conſciẽtiam reuocant, tacita cogitatione quod dicunt, quãdo ſemetipſos ſubtiliter perſcrutantur, ſi faciunt, quod loquuntur. Rectè autem cum reflexa intrinſecus menſarum labia dicũtur, additur quoque (per circuitum) vt non in vna qualibet ſe parte conſiderent, atque ex alia ſemetipſos perpendere prætermittant; ſed vbique ſemetipſos inſpiciant, & in quantum præualent, ſtudeant ſingula opere implere quæ docent. O Doctor, ecce iam menſa es, iã vaſa portas, iam in vaſis fictilibus pondus holocauſti, & victimæ ſuſtines; ſed intus reflecte labium, id eſt, ad cor reuoca ſermonem, audi quod dicis, operare quod prædicas.* Ille ergo Doctor vere ſacra mẽſa eſt labium reflexum habens, qui ſermonem ad cor reuocans, nihil præter id, quod loquitur, operatur, quod promittit Deus, ſanctis Doctoribus per Iſaiam, cũ ait: *Infrenabo te laude mea.* Quod Hugo Card. ſic explicat: *te infrenabo mea laude, id eſt, prædicatione, ne facias oppoſitum eius quod prædicas.* Concionator quidem equus eſt gloriæ Dei; infrænatur autem ipſa doctrina, quam prædicat, ne ferox in præcipitia eat. Hunc prædicationis collo circũdatum depinxit Deus per Iob his verbis: *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?* Vbi S. Greg. in equo prædicatorem accipiens & ſingularem huius loci locutionem expendens, ſic ſcripſit: *Notandum cur hinnitus, qui interius nimirum per guttur ducitur, equi collo circumdari, id eſt, quaſi per gyrum trahi exterius dicitur? Quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, ſed extra circumdat. Nam quo alios ad bene viuendum ſuſcitat, cum ad bene agendum, & opera prædicantis ligant, ne extra ſermonem actio tranſeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus circumducitur; quia ne ad peruerſa opera prodeat, ſuis vocibus etiam vita prædicantis obſidetur.* id eleganter confirmat ex more Romanorum, qui victores torque aurea donabant, quo munere ad præclara alia facinora patranda obſtringebant. *Hinc eſt*, inquit, *quod potenter dimicantibus in munere torques datur, vt quia ſigna virtutum geſtant, maiora ſemper exerceant, & debilitatis crimen incurrere metuant, dum in ſemetipſis, iã fortitudinis eſt præmium, quod oſtentant.* Huc ſpectat quod Parœmiaſtes docuit, cum ait: *Animus laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum.* Quem locum idem S. Greg. ad noſtrum inſtitutum ſic exponit: *Os noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod dicimus à vitiis refrænamur. Quia turpe nimis eſt, ibi nos negligendo cadere, vnde prædicando conati ſumus alios leuare.*

S. Gregor. hom. 21. in Ezech.
Ezech. 40.
Iſai 48.
Hugo Cardinal. in c. 1. ep. ad Rom.
Iob. 39.
S. Gregor. lib 31. Moral. c. 19.
Prouerb. 16.
S. Gregor. hom. 18. in Ezech.

Turpe enim eſt paruam habere manum, longã linguam, & vt inſtar cotis aliorũ gladios acuas at ipſe retundaris. Caput ergo ad aſcellas retorquens, & ad opera coniungas. Os quidem Doctoris ita coniunctum eſſe debet operi, vt præcipuè de Doctore intelligendum ſit illud Pſalmi: *Os iuſti meditabitur ſapientiam.* Pro quo in Hebræo eſt *Os iuſti fructificabit.* Oris quidem fructus bonum opus eſt à doctrina manans: etenim doctrina in cogitatione mẽtis quaſi arboris gẽma eſt, in verbo oris flos, in opere fructus eſt; nec eſt perfecta prædicatoris doctrina quouſq; erũpat in fructum, qui eſt terminus & finis gẽmæ, atque floris. Quod ſcite docuit Theophylus Alex. inquiẽs: *Tacita quippe animi cogitatio arcanus eius eſt ſermo, qui per linguam forinſecus reſonans profert mentis ſententiã, cumque ſermo fuerit opere confir-*

Pſal. 36.

matus,ſcientia,& cogitationi noſtræ finis imponitur. Quia vero hæc tria vigere debet in Doctore, atque Patre animarum,ideo in virga primi Paſtoris à Deo electi deſignata ſunt,id eſt, in virga Aaron, quæ per miraculũ reuireſcens germinauit, & fronduit,& recenſens ſcriptura germina, quæ ſpeciatim protulit,ait: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* En tria,quibus Paſtoris vita debet pollere:in gemmis turgentibus cogitationes ſacrarum litterarũ eruditione grauidas intellige;in floribus, qui folia dilatarunt, pulchros de rebus diuinis ſermones accipe pro captu populi ſatis explicatos:at in amygdalis, in quas deformati,id eſt,formati,vel transformati ſunt flores,dulcia & ſolida virtutis opera ſignificãtur,quibus Paſtoris vita fructificat,& eo fructu ouium vitam ſuſtentat.Similiter quidem cum Deus bona nobis ſermone promittit,flores tantũ ore portat; quando vero promiſſa bona concedit,fructum iam in ore gerit.Quo loquendi ſchemate vſus eſt per Iſaiã: *Creaui fructum labiorum pacem his,qui longe, & pacẽ his, qui prope.* Vbi pulchrè exhibitio,operis dicitur labiorum fructus:nam verba tantum ſunt labiorũ flores. Doctor igitur mente cogitationes ſacra eruditione grauidas quaſi turgentes gemmas contineat;ore vero pulchros ſermones probè explicatos quaſi flores proferat.Et tandem labia in ſancta operum exempla quaſi in amygdalas erumpant.

Iſai.65.

Capvt VIII.

Perfectus Doctor quomodo ſplendere debet ſicut fulgur,ſol,& Angelus per bona opera.

Ille itaque Magnus Doctor à Chriſto Domino nuncupatur,qui fecerit,& docuerit, ideſt, qui vitæ ſanctitate fulgeat, deinde ſapienter doceat,pro vt videmus in Magno Doctore Baſilio. In cuius Epitaphio S.Greg.Nazianz.ita ſcripſit: *Tu qui ſolus & vitam doctrinæ,& vitæ doctrinam æquaſti. Tonitruum erat oratio tua, fulgur vita.* Sicut nubes prius fulgure lucet, deinde fragore tonat.Ita prius Doctoris vita fulgur eſt, poſtmodum oratio tonitruũ. Alludit,(vt reor) Nazianz. ad illud Apocalypſeos. *Et de throno procedebant fulgura & voces,& tonitrua.* Nam ex multorum interpretum explanatione per fulgura perfectæ vitæ clariſſima opera;per voces vero & tonitrua prædicatio intelligitur. Ita explicant Auguſtinus, Rupertus, & Richardus Victor. Sic etiam fulguris allegoriam accepit S.Gregor.inquiens: *Fulgura ex nubibus exeunt, cum mira opera ex ſanctis Prædicatoribus oſtenduntur.* Quamobrem prudenter S.Iſidorus Peluſiota dixit: *Qui ſermonem de Deo excitaturus eſt,hunc vita, ac morum virtutibus elucere oportet. Quod videlicet,diuinis legibus contumelia inferatur, cum per impuram, & ſceleſtam linguam proferuntur.* Id myſticè cõmendatur libro Iudicum, vbi milites Gedeonis accenſis facibus, & tubis corneis armati ad bellandum proficiſcuntur.Quia vt Origenes philoſophatur. *Pugnare decet Chriſti milites luce operum refulgentes, & ſplendore geſtorum.* Buccinis vero inſtruuntur,quia eodem Origene interprete: *Myſteria regni cœlorum humanis auribus panduntur.* Et ſubinde concludit:præcedat ergo & nos operum lux, deinde virtute verborum optima prædicatio efflorеſcat.

Apoc 4.

S.Gregor. lib 30.mor. cap.3.

Peluſiota lib.3. ep.232.

Iudic.7.

Origen. hom 9.in iud.

Quod quidem & in Moyſe,& in Chriſto Domino præclarè deſignatum eſt;Moyſes enim deſcenſurus ad populum,legemq; laturus,ac prædicaturus,prius miro ſplendore fulget;ita vt filij Iſraël non poſſent oculos in faciem eius intendere, qua luce donatus eſt, quoniam cum poteſtate promulgandi,& prædicandi legem veniret, vt S.Aug notauit. Qui ergo poteſtatem accipit ad defendendam prædicatione Dei legem, conſpicua opinione ſanctitatis prius ſplendere debet. Præcipuo documento nobis ſit Chriſtus, qui cum in monte Thabor conſtituitur à Patre mundi Doctor,atque adeo homines admonẽtur illis verbis, *ipſum audite*, ita transfiguratus eſt, vt reſplenduerit facies eius ſicut ſol: nam profectò qui docturus eſt alios, noua vita transfigurari,& clariſſima ſanctitate debet fulgere. Hoc per Chriſti transfigurationem nobis indicatum eſſe docet ad hunc locum Matthæi Hugo Card. dicens: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol; facies Chriſti ſunt clerici;quia ſicut per faciem cognoſcitur homo; ſic per clericos debet cognoſci Chriſtus; Hæc facies debet transfigurari in ſolem.* Et paulo inferiùs ait: *Prædicator debet reſurgere à mortuis, vt nouus ſit in anima & exteriori conuerſatione. Hæc eſt perfecta transfiguratio, vt ſplendeat facies mentis Deo,& veſtimenta proximo.*

Matth.17.

Hugo Cardinal.

Doctor & Prædicator, ſi non poteſt vitæ ſanctitate hunc ſolis fulgorem obtinere; debet tamen ad ſtellæ claritatem pertingere. Ideo ſacerdos,& Doctor per ſtellam ſignificatur, quæ Magos duxit ad Chriſtum; hoc eſt enim officium ſacerdotis, & Doctoris. Quapropter Petrus Damianus dixit: *Quid per ſtellam niſi quilibet ſacerdos honeſtæ vitæ, innuitur? Qui licet affluentis eloquij facultate non polleat;claris tamen operibus velut quibuſdam laudabilis vitæ radiis micat.* Hanc eandem ſtellæ illius allegoriam ſignificãtius aperuit S.Max. his verbis: *Verè ſtella hæc Dominicæ natiuitatis miniſtra,quæ tãto eſt Chaldæis obſequuta famulatu,vt inquirendo Chriſto,nõ ſolum eos moneret è cœlo,ſed ducatum illis præberet in terris.* Ille ergo idoneus erit,vt homines ab erroribus veteris conuerſationis abducat, & ad Chriſtum adducat, qui claritate bonorum operum ſtella ſit Chriſti miniſtra. De his quidem dicitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti,& qui ad iuſtitiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Matth. 2.

S.Petr. Damian. lib 8. ep 1.

S.Max. hom 4.in Epiphan.

Dan. 12.

Patũ eſt,ſi Doctor vitæ perfectæ claritate ſtellam referat; oportet enim, vt qui alios docturus eſt,Angelum imitetur. Cur olim facies ſancti Stephani Angelico fulgore colluſtrata reſplenduit?Dicitur enim, *intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio,viderunt faciem eius tanquam faciẽ Angeli.* Cur ita?quia profectò in eodẽ loco ſtatim habiturus erat longiſſimam concionem. Quaſi non eſſet aptus ad concionandum,qui nõ prius vitæ exemplis coruſcaret.Amplectitur hãc ſententiam Lyra ſic exponens: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli ex quadam pulchritudine & claritate ſibi diuinitus data, ad declarationem ſuæ ſanctitatis, & innocentiæ, vt ſic à malitia retraherentur.* Fieri enim vix poteſt, vt Doctor auditores à peccato retrahat, niſi faciem in eo Angeli intueantur. At ſi Angelicam claritatem in vita Doctoris videant benigni & faciles ad audiendum redduntur, dum eum virtutibus

Act.6.

Act.7.

Lyra.

bus amabilem, & ad dicendum gratioſum contemplantur. Vnde S.Chryſoſt. ait: *Ille fulgor fecit Stephanum ſuis auditoribus amabilem, & gratioſum ad dicendum, & proinde auditores ipſos faciles, & libentes ad auſcultandum.*

S. Chryſoſt. hom. 15. in Acta.

CAPVT IX.

Sententia Simeonis Theologi de Prælatorum exemplo ex eius orat. 24.

IVuat hic appendere, quæ Simeon iunior cognomento Theologus dixit de Prælatorum exemplo. Tota eius oratio, quam de hoc argumento concinnauit digna lectu eſt. Sic ille ait: [Dominus noſter Ieſus-Chriſtus nõ ſolum docentem beatum prædicat: ſed eum quoque qui fecit antequam doceret. *Beatus* (inquit) *qui fecit & docuit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Et SS. Patres Eccleſiæ lumina, ac magiſtri, nihil ſcriptis mãdarunt, aut voce locuti ſunt, quod ipſi prius facto non præſtitiſſent, & vbi præſtiterũt, res illis ſucceſſit ex ſententia. Etenim Diſcipuli magiſtro tali operam dantes ad eius imitationẽ incitantur: nec tantum ex illis ſermonibus proficiunt, quantum præclaris eiuſdem actionibus, & exemplo ad virtutem capeſcendã exardeſcũt, & iiſdem veſtigiis incedere coguntur. At enim, væ nobis, fratres, cum in iſtam confidentiam & in has tenebras monachi incidimus, vt vos Chriſti oues ſine Chriſto paſcere aggrederemur, ac propter voluptatem, cõmodaque corporis, & acquirendam pecuniam, honoremque ab hominibus (væ abiecto mihi, atque miſero) Apoſtolicam dignitatem omnimodis aſſumere contẽdimus, illorumque poteſtatem auro mercamur, nec Deũ timentes, nec homines non intuentes reueriti. Ac ſolium quidẽ Regis illo inuito conſcendere nemo audet. Sed neque Grãmatici, & Rhetoris alicuius occupare locum, qui idiota ſit: neque audiente populo ſcripturas recitare, qui litteras neſcit; cum nos interim Apoſtolici muneris amplitudinem quærimus; aut etiam delatam non reiicimus, qui gratiam Apoſtolorũ nondum accepimus; neq; fructus eius in nobis demeſſos aſpeximus. Et quomodo fratres, tantam audaciæ magnitudinem concipere non formidamus? Dicite mihi, dilecti, ſi frequẽs iſta, & ampla ciuitas quempiam aduocaret, ac diceret, te Præpoſitũ, & Imperatoris Protoueſtiarium creabimus, tu ſolus aſcende in regiam, ingreſſuſque cauſam noſtram apud Imperatorem age ipſumque precare, vt hæc & illa nobis præſtet. Si is palatium nunquã intrauiſſet: ſed tam ipſis aulicis omnibus, quã Imperatori ignotus eſſet, num iſtuc vnquam facere, aut dignitatẽ iſtam inire ſuſtineret? Adeo proiectum fore neminẽ omnes proculdubio fatebimur, & ſuaſores iſtos vt inſanos & amentes reprehenſurum, & irriſurum, dignitatẽque, non vt honoris, ſed vt dedecoris, & ſupplicij materiam repudiaturũ. Si igitur in rebus humanis hæc & ſimilia cõmittere nefas eſt, nonne horribile eſt ac videtur, fratres, Apoſtolicam dignitatẽ inconſideratè ſuſcipere, & ad inacceſſibile lumen accedere, mediatoreſque, & interpretes Dei, & hominũ fieri? Num leue quiddã, & deſpicabile huius rei conatũ ducimus? Prô dolor, fratres, quoniã vt vereor, in quandam tenebrarũ vniuerſitatẽ deuoluti ſumus, atque idcirco, quã audaci nos facinore obſtinxerimus, non videmus. Nã ſi videremus, nunquã eo arrogantiæ, confidentiæq; proceſſiſſemus, vt diuinis rebus inſultaremus, maioreque honore, ac timore terrenum, quã immortalem Regem Chriſtum coleremus. Quocirca nos ipſos excutere, examinareque, & ad hunc magiſtratũ indignè conantes aſcendere, omni ratione euertere, eorumque conſiliis obuiam ire ne deſinamus, ſed pro virili noſtra appetitu rationi haud conſentaneo, eos prohibere ſtudeamus, vt & ipſos damnatione liberemus, & nos vitam ſecuriorem agitemus.

Matth. 5.

Porro qui in ſemet diligenter inquirens, omni gloriæ deſiderio ſolutum, nec vllum in ſe voluptatis, aut corporeæ cupiditatis veſtigiũ inuenit, auaritiaque & maleuolentia ob illatam iniuriã purgatum perfectè, manſuetum, & iraſci neſciũ, vt ſola auditione nominis Chriſti, eius amore ac deſiderio accendatur, & oppleatur lachrymis & inſuper proximorum vice lugeat, alienaq; delicta ſua æſtimet ac ſe maiorem omnibus peccatorem ex animo reputet, ac poſtremo ſi vberem S.Spiritus gratiam, ſolis inſtar in ſe micantem, & interiora cordis eius perficientem videt, & vbi miraculũ in ſe manifeſtè perpetrari animaduertit, vt ardeat quidem in eo, quod igni inacceſſibili vniatur; non autem comburatur, in eo, quod eius anima omni turbido motu vacet: præterea ſi ſic humiliatur vt ſe haud idoneũ, & indignum, humanæ naturæ infirmitatem ſciens, arbitretur; fidit vero ſupernæ gratiæ, & aptitudini, quã illa largitur, & eadem ita poſtulante munus alacriter capeſſit, omnem humanam ratiocinationem repellens, animamque ipſam propter ſolum Dei mãdatum, charitatemque proximi pro fratribus morti obiectat: ſi inſuper mentem omni mundana cogitatione immunem habet, & lucida humilitatis tunica coopertus eſt, vt erga adiutores ſuos nec modicè afficiatur, ſed pari bonitate, cãdore, & innocentia cordis ſui in omnes eſt, ne tunc quidẽ citra Patris ſui conſilium, ac voluntatẽ, prouinciam ſuſcipere audeat: ſed humiliter ſe, & eo bene precante iubenteq; id faciat, præfecturamq; ob ſolã fratrum ſalutem accipiat. Verum ſi patrem ſuũ ſpiritualem eiuſdem ſpiritus participem, & eadẽ cognitione ac dono dignatũ nouit, vt non diuinæ voluntati contraria, ſed ſecundum ipſum donum & menſurã loquatur ei, quæ Deo placent, & eius animæ cõducant, quo non Deo, ſed homini obediens inueniatur, & gloria, collatoque ſibi dono exuatur. Sic enim adiutorem bonum, & ſpiritualem conſiliarium inuenerit, tutius iſtuc munus auſpicabitur, & humilius de ſe ſentiet. Hæc itaque omnia, & his plura ſi videns viderit, verè inueniet, & per ſeipſũ cognoſcet. Immò verò à ſole iuſtitiæ diſcet, ſi fortè etiam in ſolem aliquando oculos intendit. Quod ſi quæ prætexuntur talia, & tam difficilia ſunt, nec facilè eſt intelligere, quomodo ſecundum Deum fiant, quanto tandem operoſior erit rei ipſius aggreſſio, & adminiſtratio, & ad tentationes ſufferendas patientia, & in bellis iſtiuſmodi ſubtiliſſima diiudicatio.

Exod. 3.

Quare Pater ſpiritualis etiam, atque etiam cor tuum inſpecta, oculum animi tui magis ſemper laua, purumque & mundum conſerua, per quem, & cor tuum, & commiſſarum tibi ouium vel potius patrum & fratrum tuorum perſpicere poteris bene illos internoſcens,

Digitized by Google

ac pro eo vt decet gubernans. Eccleſia enim ſeu conuentus, & congregatio monachorum corpus quoddam eſt, vt audis ex Paulo de

Rom. 1.

Chriſtianorum Eccleſia, & eius caput Præpoſitus. Itam quemadmodum cætera corporis membra ſingula ſeorſum ſuam propriam functionem habent, vt pes ambulandi, manus tenendi, & operandi; caput autem totius inſtar eſt, vt pote, in quo omnes ſenſus, & mens & ratio habitant; ſic & in monaſterio fratres non omnes omnia, ſed alius aliud quiddam efficere, & in hoc, vel illo miniſtrare conſueuit. Vnde in cœtu ſub vnius obedientia degentium vix vnam, aut duas virtutes in eodem inuenias. Nec mirum, membra enim particulatim ſunt; Præſes autem, ſiue Præpoſitus omnes virtutes poſcitur, nec ſolum illas, quæ in anima, ſed etiam quæ in corpore ſubiiciuntur: & inſuper cum virtutibus ipſa myſtica, magnaque chariſmata. Sic vt namque viri caput, ab externa conformatione, & decora ſpecie eximiam, & honore dignam præfert elegantiam: verum tamen niſi mens in eo vigeat, ſenſuſque ſaluos, & integros habeat, inutile iudicatur, ſperniturque ab omnibus ita ſane & Præfectus. Non enim tantummodo ab animæ & corporis dotibus ornari & fulgere, verum etiam à chariſmatis ſpiritualibus plus honeſtari debet: ſiquidem aliud eſt virtus, & aliud chariſma. Virtutibus enim ſtudio ac diligentia noſtra rectè fungimur, & noſtris ex laboribus comparantur: ſpiritualia vero chariſmata dona ſunt, quæ certantibus à Deo dantur. Verbi cauſa ieiunium & caſtitas virtutes ſunt, marcidas etenim reddunt voluptates, & corporis incendia compeſcunt: quæ quidem noſtræ voluntatis & arbitrij opera ſunt. At vero ſine afflictione, ac labore has exercere, & ad caſtimoniam, abſolutamque perturbationum vacuitatem peruenire, hoc donum Dei, & chariſma ſummum eſt. Rurſum iræ, & excandeſcentiæ imperare, magni certaminis eſt, laboriſque non mediocris. Eò autem venire, vt ab his motum nullum ſentias, & cordis tranquillitatem, perfectamque manſuetudinem poſſideas, ſolius Dei opus, & illius dextræ mutatio eſt. Rurſum diſpergere ac diſtribuere facultates omnes pauperibus, mendicumque fieri & ſtipem cogere, noſtri eſt propoſiti, atque conſilij. Sed nihil concupiſcere, quin cum gaudio & voluptate mendicitatis duriſſima perferre incommoda, myſtica quædam, & diuina operatio eſt. Sic quælibet actio bona & honeſta ſecundum Dei legem ſuſcepta, virtus dicitur. Tamen ſicut agricola ſolum arando, fodiendo, & ſemina humo obruendo laborat, Dei autem munus eſt, vt eadem ſemina comprehendant, & fructum ferant matutinum, ac ſerotinum: ita & in ſpiritualibus omnino vſuuenire comperies. Noſtrum eſt nullam actionem ſubterfugere, & cum labore, ac ſudore virtutum ſementem facere: Dei ſolius donum & miſericordia; vt imber quoque benignitatis eius, & gratiæ terram cordium no-

Ioan. 12.

ſtrorum irriget, & ex ſterili frugiferam efficiat: vt ſi granum ſermonis, quod in animas noſtras cecidit, diuinæ clementiæ humorem acceperit, oriatur, atque augeſcat, & in arborem proceram excreſcat, in virilem videlicet, perfectionem menſuræ ætatis plenitudinis Chriſti.

Te igitur paſtorem ouium Chriſti omni virtute, vt diximus qua ſpiritus, qua corporis conſpicuum eſſe oportet, vt caput reliqui corporis; eius nempe quæ tibi ſubeſt Iſraëliticæ Eccleſiæ: quo fratres tanquam in archetypum bonitatis in te intuentes, ipſi quoque bonos, ac regales characteres, quam maximè ſibimet inſculpant. Ne ergo tuba reſonare in te vnquam deſinat; ſed aliis quidem venturam ſuper inobedientes, & præfractos rhomphæam prænuntia: vt ſi tibi non obtemperetur, tuam ſaltem à terribili ira Dei ſerues animam. Alios autem admone, doce, roga, ſi qui interdum reprehenſionibus, & obiurgationibus egeant,

2. Timoth. 4.

inſta opportunè, importunè, argue, increpa; conatus eorum ad malum comprime, vt tibi mandat diuinus Apoſtolus: viſcera tua omnibus fratribus tuis æqualiter aperi, totumque collegium dilige, & honorem cuique pro dignitate (quantum ſcilicet eius virtus meretur) tribue, ſpirituali ac virtute prædito, ne illum quidem anteponens, quem in miniſteriis gregis tui principem habes. Qui enim miniſtrant,

Act 6.

ſeptem Diaconorum, de quibus eſt in Actis Apoſtolicis dignitatem, officiumque adumbrant; qui etiam velut ſpiritus adminiſtratorij ſunt, in miniſterium miſſi, & ſincere, vt illi, fideliterque ac nullius turpis lucri gratia miniſtrantes, mercedem meritò & magnam tum hic, tum illic recipiunt. Cæterum qui orationi, quieti, & miniſterio verbi inſtant, in patientia exercitationis operum præſtātiſſimorum, ipſorum Apoſtolorum, & coryphæorum excellentiam tecum repræſentant: quos & in Euangelio ſpiritualis doctrinæ tuæ auxiliares habebis, fratrum onera ſuſcipientes & laboribus te leuantes, in medio videlicet, reliquorum, vt lapides pretioſos verſantes. In hoc munere nulla tibi requies corporis, nulla oblectatio. Noctes perinde vt dies in curam concreditarum tibi animarum impendes, ne qua ex ipſis à beſtia excipiatur; aut ab vrſo concupiſcentiæ deuorata, aut à Dracone iracundiæ abſorpta, aut à gryphibus ſuperbarum cogitationum diſcerpta, & vna vnius diuerſitatibus huiuſcemodi diſtracta ac diſſipata, multa fiat: ſed vt gregem tuum incolumem, fœcundum, totum virtutibus multis fructuantium, diuina cognitione illuſtratum, non ſcabioſum, non truncum auri-

1. Petr 5.

bus, aut planè claudum principi paſtorum conſerues. Sic enim & multos ſeruabis, in operibus perfectis perfectos reddens, nemini in vllo cedentes, totos caſtos, & à ſordidis operibus puros Chriſto tuo offerens; teque ipſum magnis & cœleſtibus remunerationibus dignum præſtabis, contubernalis Apoſtolorum, & Paſtorum Chriſti factus, & vnà cum ipſo Dei Filio in infinita ſæcula regnaturus.

Vita tua inculpata & recta in medio fratrum, ac patrum tuorum pro canone, ſeu regula eſto propoſita, ad quam aliorum obliquitates tortuoſitateſque dirigantur. Ne vanitatū mundi ſis amans, ne gloriæ, ne voluptatis, ne menſarum, ne vini. Ne ſis nugator, aut ſcurrilis, aut auarus: ne iracundus, ne inanis gloriæ cupidus, ne contumelioſus, ne iniuriæ memor, & malum pro malo rependens: ſed eſto potius pauper, gloriam, omnemque vitæ huius voluptatem, & carnis delicias odio habens, demiſſo

animo,

animo, frugalis, ad compunctionem facilis, placidus, manſuetus, expers iræ, non auarus, incurioſus, quietus, decenter veſtitus, patiens, fidelis, continens, ſine ſollicitudine, vigilans, diligens, æmulator, commendatarum tibi animarum, non ſecus quam tuorum ipſius membrorum curam gerens; & ſi res poſtulet, pro vnaquaque illarum etiam tuam animam ponens, nihil quippiam mundanum charitati erga illos præferens. Etenim poſtquam aliis, ad gregem Domini ac Dei tui rationis compotem paſcendum, regendumque prælatus es, oportet te iuxta verbum eius, ſpiritu & humilitate tua ſecundum Deum, vltimum eſſe omnium, vt tanquam validus infirmitates inualidorum ſuſtentes: vt medicus autem ſecundum animam ægrotantium morbos & affectiones cures: vt paſtor, quod erat, in viam reducas: & quod bene valet, virtutibus fœcundum reddas; ſcabie vero opertum, & incurabile, à grege tuo abſcindas, ne etiam ſanis ouibus tuis luem affricet, Domini tui gregem augere labora. Ne ad remiſſiones, aut ſuauitates corporis deflectas, neque lanam, & adipem ouium Chriſti perperam conſumas, tibi magis quam fratribus tuis monaſterij opes ad voluptates tuas in theſaurum recondens. Ne propter hominum gloriam quidquam rerum ad monaſteriū tuum pertinentium agas, aut corrigas. Ne ames crebro prodire in mulis ſplendide inſtratis, cum magno præcedentium ſequentiumque famulorum comitatu. Sufficiat tibi vel ſemel in menſe foras exire, & gregis tui negotia maioris momenti obire. Cætera curabunt qui miniſtrant, qui abs te miniſterio verbi, & procurationi fratrum cum precibus intento nunquam diſtrahuntur. Ne tibi epulas ſumptuoſas, filiis abiectas, plebeias, & inconditas para: ſed communis menſa, ſine aliquo morbi periculo, & inuitatione amicorum, tibi cum filiis tuis eſto; quorum idem tecum ſenſus, idem inſtitutum vitæ, ſiue ex coctis oleribus, & leguminibus, ſiue ex piſce ſemel per hebdomadem, Dominico die, & feſto deſpotico, (hoc eſt, ſolenmioribus Domini feſtis per annum) à cellario communiter paretur. Vbi nihil exiſtit, quod animæ periculum afferat, cauebis ira, & clamore contra fratres, ac filios tuos inſurgere, ſed miti ſermone, & alloquio docebis eos, quomodo vnumquemque ambulare, & in medio fratrum conuerſari deceat. Iuniores, & nondum confirmatos monebis parcere ſibi ipſis, & aliis fratribus ne aſpicientibus inceſſu moribuſque, ac ſtudiis incompoſitis offendiculo ſint. Qui in ſtatu Religioſo diutius vixerunt, eos prudenti oratione ad patientiam tentationum ab inimico ſuperuenientium, humilitatem, contritionem cordis, compunctionem, lachrymas, diligentiam, perſolutionem precationum, beatum luctum & ad verbo opereque cæteris commodandum erudies. Sacerdotes pietatem docebis, quietem, diuinarum ſcripturarum meditationem, accuratam Apoſtolicorum Canonum, traditionumque ſcientiam, dogmatum ſinceritatem, cordis puritatem in precibus conſtantiam & compunctionem in timore, & tremore ad Dei ſolium aſſiſtentiam, ſacrificij myſterium, reuelationem myſteriorum Dei, quoniam ſecundum Domini vocem, ipſis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, vt toti fratrum multitudini, & extraneis diuinum ſal, & lumen, verbum vitæ in ſeipſis continentes fiant. Quod ſi etiam contra turbulentos & inordinatos aliquando te in virga & baculo cum ratione iraſci oportet, vt malum aliquod prohibeas, & peſtiferam inter eos labem reprimas, ne opus malum, & affectus vitioſus in deterius ſerpat, neque iſtuc Apoſtolicis conſtitutionibus & diuinis Patribus alienum iudicatur. Omnis ſiquidem motio, & actio noſtra, quæ improbitatem compeſcit, ac perſequitur, iuſtitiæ autem, ac virtuti patrocinatur, laudabilis eſt, & Deo placet, iuſtiſque omnibus probatur maximè. Teſtis Ieſus, qui contumaces Iudæos ex domo orationis domum negotiationis facientes, flagello percuſſit, & menſas nummulariorum euertit. Ne igitur prætexens manſuetudinem propter ſolam laudem humanam modicum quippiam propter Dei mandatum admiſſum ad ſubuerſionem Apoſtolicorum Canonum, & conſtitutionum, contumeliamque vitæ Euangelicæ, & ſtatus monaſtici neglexeris; ſed Ieſum ac Dominum tuum imitatus, infremens, ac teipſum ſine turbatione turbans mandata Dei, & canones ab eius Apoſtolis præſcriptos vlciſcere. Cum omnibus iſtis etiam cuiuſque cogitationes diligenter inueſtiga, vt noris, qui ex ipſis ad comprecantium, & communicantium cœtum admittendi, & quibus excommunicatione ac pœnitentia cum lachrymis, ſtationeque pœnitentium opus ſit: ne Eccleſiam pro templo ſancto ſpeluncam latronum, aut lupanar vel ſciens, vel inſciens facias, dum per affectum cuipiam affixus es, & idcirco horrendum Dei iudicium non effugias. Scito enim vnicuique talium ab iis qui ſpectatores & diſcipuli ſermonis fuerunt, locum conuenientem, ac iure deſtinatum eſſe, quorum canonibus, conſtitutionibuſque legendis incumbere neceſſario debes, vt ne ignores, quæ credentium in Chriſtum abſcondita ſint myſteria, & ne pecces, dum pietati erga Deum parum conſentanea geris. Spirituales filios tuos ſecundum ſcripturas religioſos redde, eoſque à ſacris, & diuinis locis, ſimul & vaſis templi Dei ſanctificati, & miniſteriis eius abſtinere doce, ſiquidem ſcriptum eſt, *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*, quandoquidem ſolis conſecratis, & qui ex certaminibus, ac pœnitentia per lachrymas multas purgati immaculatorumque Chriſti myſteriorum participes ſunt ſanctificatis & religioſiſſimis monachorum miniſterium talium, & contrectatio à Patribus, & Apoſtolis dicata eſt. Non omnibus & cuique volenti ingreſſum diuini tabernaculi, ſed ſacratis dumtaxat, vt dictum eſt, & ſanctificatis, religioſiſſimiſque Fratribus & Patribus permitto. Reliquis & inordinatè ambulantibus (vide quid tibi dicatur) ipſum claudes. Multi quippe mihi crede, propter contemptum iſtiuſmodi rerum, è vita præſenti tolluntur. Et planè, ſi hoc præceptum vilipenderis, ſanguis de hac vita ſublatorum de manibus tuis requiretur.

Ioan. 2.

De loco pœnitentium vide epiſt. 5. Greg Thaumaturg. can 11. Ant. Auguſt. in notis ad eundem canonem.

Prouerb. 2.

Ezech. 3.

Hæc ſunt & plura his, ô Paſtor ouium Chriſti, quæ ad gregis tui cuſtodiam perfectè ſcire, & ſtudioſè facere debes. Proinde ſi noſti, te ad tantam ſufficientiam progreſſum tantaque chariſmata fœliciter adeptum, ex ſolo elucente

Digitized by Google

ex lumine bonorum operum, & diuinæ Sapientiæ ac notitiæ ad illuminandum omnes familiariter adeuntes ad te tuos alienoſque, & rege fidenter oues Chriſti ſcienti ſermone collatæ tibi gratiæ, & actione virtutis ſecundum modum & legem tibi prius datam deſuper; & paſce agnos eius in paſcuis ſalutiferis mandatorum illius, donec creſcant, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti occurrant, & (Epheſ.4.) inde præmium conſequere, quando cum Apoſtolis conſidebis, & habitabis. Sin minus apud te ipſum pauita, ſi quid mihi credis de (Deut.4.) ſalute tua ſollicito: ſiquidem Deus noſter ignis conſumens, quem decet omnis gloria, honor & adoratio in ſæcula. Amen.

Caput X.

De Doctoribus Eccleſiæ, qui præluxerunt exemplo ex Luca Tudenſi.

TAndem memorare licet tales fuiſſe Eccleſiæ Doctores, vt non minus elucerent candore exempli, quam ſermonis clamore, quorum elogium ex Luca Tudenſi Epiſcopo placet (Lib.2. cap.7.) hic apponere. Sic ille libro ſecundo aduerſus Albigenſium errores eloquitur: Sunt enim ſancti Patres nobis cœleſtia luminaria, ſplendore ſanctarum doctrinarum via cœleſtis patriæ illuſtratur, vt ambulent in lucem Chriſticolæ, ne in tenebris errorum offendant. Inter quos glorioſiſſimi Gregorius, Auguſtinus Hieronymus & Iſidorus quaſi lucifer inter ſidera ſupernæ ſapientiæ lumine decorantur. Organum Spiritus ſancti Gregorius morali, ac præclara Sanctarum Scripturarum declaratione præminet ſummus. Malleus hæreticorum fortiſſimus Auguſtinus acutiſſimis ſententiis veritatis fulget præcipuus. Eccleſiæ ſplendor Hieronymus lucida & veriſſima tranſlatione noui & veteris Teſtamenti perfulget. Clariſſimus Philoſophus Catholicorum Iſidorus tam ethymologiis, quàm rerum naturis differendis ſcientiarum & linguarum varietate inter Doctores obtinet principatum.

Tantam Dominus noſter Ieſus-Chriſtus horum vnicuique diuerſitate gratiarum in vnitate fidei contulit excellentiam vt rectè de quocumque illorum cœleſti tripudio cantet Eccleſia: *Non eſt inuentus ſimilis illi.* Quid de ſanctiſſimo dicam Ambroſio, qui omnium chariſmatum donis ita refulſit, vt plenus gratia, ſapientia, & fortitudine à Chriſti fidelibus meritò prædicetur. Glorioſiſſimos etiam Doctores, Hilarium, Leandrum, Fulgentium, Ioannem, & Beatiſſimum Bernardum Sancta Eccleſia veneratur, quorum fulget doctrinis, & patrociniis adiuuatur. Sunt & alij plures Doctores Sancti, fulgentes ſicut Sol in Eccleſia Chriſti, Sanctorum Doctorum præcedentium greſſu inuariabili ſequentes veſtigia, fidem Catholicam verbo & opere prædicantes, Sanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici illibatam obedientiam præſtantes, Sanctarum Scripturarum elucidantes obſcura. Superſtitiones & hæreſes veteris & noui Teſtamenti gladiis viriliter perſequentes, qui tanto ab hæreticis, & ſuperſtitioſis Catholicis, qui nouitatibus ſemper gaudent, habentur exoſi, quanto per eos ſuam cernunt perſequi, ac detegi prauitatem. Superſtitioſi Catholici, niſi reſipiſcant, ab hæreticis parum diſcrepant, quorum facti ſunt præcurſores dicentes, glorioſiſſimos Auguſtinum, Gregorium, & Iſidorum & cæteros Patres, aut idiotas, vel imperitos Philoſophos extitiſſe. Quibus ſtultis & inſipientibus Eccleſiæ Chriſti præclariſſimus Philoſophus laudatis Patribus Gregorio, Auguſtino, & cæteris Doctoribus ſacris ſubinferendo reſpondet, dicens: Omnia quæ ſunt de ſcientia philoſophicæ intentionis ipſi ſcimus: quod autem eſt noſtræ ſcientiæ, neſcierunt quia nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Audiant ſuperſtitioſi, qui philoſophos mundi Platonem, Ariſtotelem, & cæteros noſtris veris Philoſophis anteponunt Eccleſiæ Doctoribus. Erubeſcant & ſileant, quia ſpiritus qui viuificat, docuit iſtos omnem veritatem: cuius doctrina ſpiritus & vita eſt: ad quam nemo poterit peruenire, niſi ab iſtis acceperit, qui ſunt conſcij ſecretorum Dei. Illi ſicut ait Apoſtolus, *cum cognouiſſent Dominum, non tanquam Dominum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.* (Rom. 1.21.) Iſti autem, vt ait ſponſa in Canticis ſpiritualis amoris: *Quæſierunt eum & inuenerunt, tenuerunt nec dimiſerunt*, (Cant. 3.4.) donec cum eo æternæ quietis cubiculum intrauerunt. Hi ſunt Dei Patris amatores ſapientiæ, in quibus totius honeſtatis veræ ſcientiæ & honeſtatis ſumma conſiſtit. Quorum prudentiæ ac ſcientiæ, nulla eſt omnium philoſophorum ſcientia comparanda. Quia quantum excedit ſpiritus carnem, ratio ſenſum, fides opinionem, ſcientia fidem: poſtremo creator omnem creaturam: ſic Eccleſiæ Sancti Doctores omnium Philoſophorum tranſcendunt doctrinam, & Theologiæ ſcientia omnium peritiſſimorum mundi prudentiam. Denique quantum excedit vita mortem, tantum excedunt Doctores Eccleſiæ Philoſophorum ſtudia. *Quia mundi ſapientia, ſtultitia eſt apud Deum*, (1.Cor.1.) ſed miſeri & miſerandi mundi ſapientes propter ſimplicem eloquentiam Dei deſpiciunt ſapientiam, qui tantum quæritantes perituri mundi gloriam facetis, & inflatis vanitatis ſibilo verbis, malunt videri. De quibus Eccleſiæ Chriſti Philoſophus peritiſſimus à Spiritu ſancto doctus Iſidorus dicit. Qui de ſapientia laudari affectant loquentem Prophetam attendant: (Iſai.5.21.) *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes.* A ſentiendo *ſententia* dicitur, ac per hoc arrogantes, qui ſine humilitate dicunt, de ſola ſcientia dicunt, non de ſapientia. Ille enim ſapit qui rectè & ſecundum Deum ſapit. In ſuam dicuntur contumeliam Doctores, ſi dum ſint ab eis dicta ſapienter, nimium tamen eloquenter. Horret enim ſapientiæ ſpiritus verborum ambitum ac facundiam eloquentiæ inflatis ſermonibus per ornatum. Item idem. (Lib. 3. de ſum. bono. cap. 13.) Quidam plus meditari delectantur Gentilium dicta propter tumentem & ornatum ſermonem, quam Scripturam Sanctam propter eloquium humile. Sed quid prodeſt in mundanis doctrinis proficere, & inaneſcere in diuinis? Gentilium

dicta

Digitized by Google

dicta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis ſapientia manent. Eloquia autem ſacra exterius incompta verbis apparent; intrinſecus autem myſteriorum cœleſtium ſapientia fulgent. Faſtidioſis atque loquacibus Scripturæ Sanctæ, minus propter ſermonem ſimplicem placent. Gentili enim eloquentiæ comparata videntur illis indignæ. Sæpe reperitur compoſita falſitas, quæ hominem ſuis erroribus illiciat, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aſpergit. Quanto maiora fuerunt mundanæ ſcientiæ & litteraturæ ſtudia, tanto animus arrogantiæ faſtu inflatus maiori intumeſcit iactantia.

Lib. 3. de ſumm. bon. cap. 11.

Item idem. Nunquam conſequuntur legendo perfectam ſcientiam arrogantes. Contentioſorum ſtudium non pro veritate, ſed pro appetitu laudis certat, tantaque eſt in his peruerſitas, vt veritati cedere neſciant, ipſamque rectam Doctrinam euacuare contendant. Item idem. Ideo libri ſancti ſimplici ſermone conſcripti ſunt, vt non in ſapientia verbi, ſed in oſtenſione ſpiritus homines ad fidem perducerentur. Hæc à beato Iſidoro contra arrogantes prolata in Chriſtianorum cordibus ad vitandum faſtum ſuperbiæ recondantur. Etenim vera & ſimplicia debent eſſe eloquia Dei, vt erudiantur ſimplices, & ſuum imitentur auctorem. Venit Chriſtus verus & humilis, vt humilitatem & veritatem doceret fideles; & ideo non debent verba Dei depingi habitu meretricio. Hæc ſunt veritatis documenta, quæ nobis veritatis Philoſophi Gregorius, Auguſtinus, Iſidorus, & cæteri Sancti Doctores Eccleſiæ monſtrauerunt, vt in Apoſtolicis præceptis, & in Sanctorum Patrum traditionibus perſiſtamus, ad dexteram, vel læuam nullatenus declinantes. Hæc fide crediderunt, verbo prædicauerunt, operibus tenuerunt, & futuris, ſuis ſcriptis charitatis ſtudio reliquerunt. Hæc fuerunt iter eorum rectum, quo ad regna cœleſtia peruenerunt. Si igitur eos ſecuti fuerimus, verbo, & opere imitantes, ſimul cum illis in gloria coronabimur. Non enim aliter crediderunt, vel vixerunt, quam docuerunt, & ſanctitatis præmio gaudent. Nos ergo ſi eorum fidem habuerimus, opera ſeruauerimus, imitantes doctrinam, quo ipſi præceſſerunt ad palmam, eos ſequemur ad gloriam. Si vero nouos Doctores habere cœperimus, qui noua ſuadeant, & vel in paruo à Patrum Sanctorum veſtigiis receſſerimus, timendum eſt, ne erroris hæretici, lethali iaculo vulneremur. Sed dicit Doctor ſuperſtitioſus: Groſſe, ac ſimpliciter locuti fuerunt Gregorius, Auguſtinus, & alij Patres. Vnde quærendus eſt nobis ſubtilior intellectus. Ad quod ego: Amplectenda eſt potius Sanctorum Patrum ſimplicitas, & groſſities ſancta perducens ad cœlum, quam ſuperſtitioſa ſubtilitas pertrahens in infernum. Et quia (vt dicit Sacra Scriptura,) *qui ambulat* Prou. 10. 9.
ſimpliciter, ambulat confidenter: Nos ſimplicitatem Sanctorum Patrum teneamus, vt cum illis ſimpliciter gaudere in cœleſtibus mereamur.

DE

Digitized by Google

DE ARTE VOLVNTATIS.
LIBER PRIMVS.

PROLEPSIS I.

Ne fortuna, nec maiori cura naturæ indigemus.

Cap. 1. PRocvrare fidem fortunæ, tueri pietatem naturæ, expiare nomen vtriuſque infamatæ, &, quod inde ſequitur, domeſtico & parabili remedio humanis calamitatibus mederi, (quid enim promptius? quid magis ſine apparatu, ſine impenſa, quàm mutare cupiditatem?) irritæ, nec maiori, quàm hactenus repetendæ, felicitate, potiùs quàm inutilis pretium erit operæ. Nexa licèt inuicem illa ſint: namque, vt excuſent ſe mortales, quorum dumtaxat inertiæ, & auiæ libidini, felicitatis inuentum miſeriæ debetur, vt æquiùs quàm Atuntius, & Thracius proprio damnentur ingenio, accuſant non tantum iniurij fortunam, ſed impij naturam. Vtraque innocens eſt humanæ conditioni: inſuper & hæc prouidentior; illa liberalis, neque ſine affectu: nam nobiſcum duntaxat munifica eſt, adeò publica & vnicè amica, fida, æqua, omniſque noſtro generi, tametſi inſimuletur perfidiæ, vt bona ſua in nullos, niſi in homines, diſpendat, & ſolùm non dilapidat: quia non ſine conſilio, cùm omnibus non ſufficiant, diſtribuit per vices, ad diem commodat, vt quiſque, aliquo ſaltem tempore, aliqua ſaltem particula eius guſtet indulgentiam. Imperatorum liberalitas ab omnibus adoratur: etiamſi non omnes congiarium capiant, ſufficit poſſe. Cur damnatur ordo indulgentis fortunæ, cùm ita diſtribuat, vt nemini non tribuat? Quid ampliùs ab illa requires, quàm viſcera materna, quàm curas naturæ, quàm mores Philoſophiæ? Pia mater panem inter liberos diſtribuit, vt fruſtum veniat ſingulis; & minùs dat omnibus, vt det omnibus. Solicitior natura tranſmutat rerum vices, vt ſuas vitæ opes deguſtent omnia, & vt Syneſius ait:

Vt etiam ima pars in mundo ſortiatur vitam alternam.

Ἵνα καὶ πυμάτα
Μερὶς ἐν κόσμῳ
Λελάχῃ ζωᾶς
Ἐπαμειβομένας.

Ipſa conſtantiæ magiſtra, Philoſophia, non ſolùm inconſtans, vaga, omne ſolum peruadit, ne vni ſoli benefica eſſet. Quæ ciues mundi facit, vniuerſi peregrina errat de vniuerſis meritura benè. Ad Bactrianos, Chaldæos, Phœnices, Ægyptios, Atlanticos, Phrygas: lentè deinde relictis Barbaris Græciam appulit: procedenti mox gradu Romam. Sentit quandoque & in patria ſua frigus in Anacharſi Scytha, in Abari Hyperboreo: vidit & in incunabulis ſuis recentes euigilantis Solis ignes in Dandami, & Calano: exulauit aliquando in Euxino; ſed extorris priuilegium municipij mundani ſuo Diogeni dedit. In vnum ſolum beneficia cogere, nequit ſine maleficio, & coactione fieri: iam hoc ipſo ſine liberalitatis laude, quia ſine libertate. Vnum ſolum attendere, vnum reſpicere, ſeruire eſt, non liberalem eſſe. Libera liberalitas eſt, & regium quid, proptereà commune bonum, & ad omnes. Neceſſitatis eſt ad vnum eſſe. Non gratis dat, qui non alij dat: ſibi enim puto magis dediſſe, cui non placet homini dediſſe; ſed conſanguineo, aut adulatori, aut reddituro, &, vt vno verbo dicam, qui cum ſpe dederit. Dat alij, qui dat aliis, qui omnibus: magis enim liberalem credo, qui pluribus, quàm qui plus largitur. Non alio nomine fortuna iniqua eſt, niſi quia cunctis æqua; candidata, ſcilicet, maieſtatis, æmula pietatis, diſcipula naturæ, ſectatrix Philoſophiæ. Pia eſt, impia dicitur, dum perfuncta commodatis ſuis repetat aliqua, vt aliis quoque ſatisfaciat, & affabilem ſe præbeat. Hoc conſilium magis meretur gratiam. Propenſiorem cunctis ſe oſtendit, prouidam communis boni, & neminem ſibi placere, niſi vno titulo hominis. Quid ergo accuſamus, quòd det omnibus? Non, inquies, ob hoc: ſed, quòd det malis. Atqui & hoc laudi aliis vertitur. Ariſtoteles reprehenſus, quòd homini non bono dediſſet ſtipem, negauit dicens, ſolùm humanitati dediſſe. Humana fortuna eſt: homini dat, non homini iniquo.

Cap. 2. Crimen nihilominùs noſtrum imputamus illi, iniquam calumniantes, iniqui in illam. Quæ apud nos commodauit, recuperare nequit ſine querela, nequit ſine maledictis volentium retinere aliena contra fidem contractus. Sed in hoc excellentis ſpiritus eſt, quòd æſtimet plus beneficentiam, quàm beneficium, quod vult perdere, vt faciat. Fateor, dona ſua futilia, & exiguæ vtilitatis: affectum tamen damnare non poſſumus, niſi ingrati, quem gratum exhibet, & ſanum. Inſons ſaltem eſt, & de nobis meretur, ſi non euentu, ſtudio: licèt malè, quod forſitan commendatio eſt, apud vulgus improbum audiat, poſt ſe non modò trahens eruditiores, brutam, perfidam, luſcam, inconſtantem compellantes; ſed & probos, & pios. Abbas Philippus, maximam omnium, vulgaribus maiorem, in illam iaculatur calumniam:

Fit rea, ſed non pudet eſſe ream.

Culpam tribuit, verecundiam negauit, culparum

amuletum,

Digitized by Google

amuletum,morum ſalutem. Illud ſcelus, de quo cætera ſperes, imputauerat, periuram ad ſcelera dixit:

Promiſit fortuna manum,mentitur.

Mox,quod peius ſcelere omnium eſt, non erubeſcere.En meretricium fortunæ ingenium,impudentiam, & perfidiam amoris.Nullum amat, ſed fingit,iurátque amare.Impunitatem periurij dat impudentia. Palàm & hoc conuitium obiecit Georgius Piſides:

Verè meretrix,neminem quæ quamquam amet,amore fingit ſeruido ſe corripi.

Ἡ μαχλὰς ὄντως, ἢ ποθεῖ μεν οὐδένα.
Ἔστιν δὲ παντὸς σχηματίζεται πόθῳ.

Nos quoque libenter,alioqui aduocati fortunæ, adulabimur interdum,vulgò conſentientes eius conuitiis, ne conſentiamus vitiis. Malumus conſulere fortunatis, quàm fortunæ. Vtiliſſima hæc inuidia fortunæ foret, ſi noſtras inuidias tolleret. Vtiliſſimum odium eius, ſi nos, noſtráque bona faceret amare, non ſua dona. Illud eſt mirabile,& miſerabile, cùm omnes maledicant fortunæ, quòd omnes ament fortunas: præterquàm non refert accuſare excuſandam.

Cap.3. Maior culpa aliquorum Philoſophorum fuit, culpare naturam, quaſi homines non agnoſcat filios,ſed priuignos, quos, ſi non odium, faſtidium nouercarum negligit. Cætera animalia diligentius dices curaſſe.conſentanea vnumquodque ſuppellectili, & portione cognatæ hæreditatis ab ipſo donauit ortu:

Armauitque manu,cornu,pede,dente,veneno,
Atque aliis,quibus artis inops,animiq; minoris,
Et ratione carens animal ſe protegat,& ſe
Seruet ab aduerſis rebus.

Solum hominem imbellem, nudum, indigum reliquit.Exhæredem credes,vel ſolum fideicommiſſum fortunæ. Cum venia & huic crimen iſtud (ſi aliquod eſſet) poſſet adiici potiùs, quàm beneuolæ imponi parenti. Satius fuiſſet calumniari vni fortunæ. Non grauiter poſt tot calumnias, iſtam etiam appendicem toleraret. Innocentius eſſet, caſum matris, quàm negligentiam putare conditionem humanam;infortunium naturæ fuiſſe, non inuidiam; abortiuum filium ſine genitricis ſcelere, infectum hominem, rudémque effuſum, non vt priuignum contemptum, infenſúmque faſtidiiſſe. Quid iam mirum, ſi in humanum genus fortunatiſſimè præualeant infortunia; ſi auſpicata, & erudita in ipſa communi parente; ſi homo antè fortunam expertus, quàm naturam?

Cap 4. Sed nec minor cognatio pietatem minorem fecit, quòd minùs pignora ſua,& ex præcordiis nos natura agnoſcat: non enim ſe totus homo debet naturæ; minor,& deterior portio,donum eius eſt; altera,quæ ſublimior, & dos,& gloria humana,non ex beneficio naturali,& imis cauſis venit,proximè dexteram Dei matrem habet. Diuina pars eſt animus, diuino proinde natali illuſtris, nobiliſſimus, Quid?anne homini,quia diminutus, ſeu dimidius naturæ ſit filius,conſuluit natura diminutè, & auarè? aut relinquit omnia officia parentis, cùm non totum ſui fœtum videat? Innocentia, & integra viſcera illi ſunt,nec talia eſſent, niſi in eum etiam, qui ex ſuis viſceribus non totus eſſet. Maxima pietas fuit naturæ in hominum genus,ſcilicet, paterna,virilis.Aſſentior in hoc illis, qui negarunt illam matrem hominis; diſpliceant licet, quòd putarint nouercam:niſi,vt Phauorinus dixit de quartana,ſit ſemel nouerca,& bis parens. Maior illius prouidentia eſt,quàm ſegnioris,& muliebris ſexus Pater hominis eſt,mater aliorum animalium. Atque ſi meliorem partem hominis extraneam dicam, non mater, non nutrix, ſed nutricius animi eſt. Nimirum ſolicitat diſciplinam noſtram, non mulcere, non fouere, non blandiri. Erga alia animalia officia materna coluit, erga hominem paterna. Ne quid illis commoditatis deeſſet, veſtit,fouet, mulcet,pleno & muliebri affectu. Hunc erudiri mauult, viriliùs tractat,negligentior commoditatis,pleno & ſalutari conſilio. Spartæ indumenta,atque alimenta negabant filiis, vt neceſſitas extorqueret induſtriam, & efficax magiſtra viuendi eſſet, compenſante arte curas & officia pietatis: morſus enim irritatæ neceſſitatis(vt Portius dixit) grauiſſimi ſunt & acutiſſimi. Acuminat inopia ignauiam,erudit paupertas mentem.Neque crimini data hæc prouida crudelitas parentum; ſed pietate publica admiſſa, & legitimè conſecrata fuit. Ita natura negauit homini plura, vt neceſſitas meliora daret. Remunerat egeſtas quandoque in hoc moleſtiam ſuam, & pretio compenſat deſiderium: tum ne vacaret animus, etſi quidem iſtum non dediſſet natura nobis,edere vult,& exornare, vt quo poteſt modo, ſi non genitrix mentis,bene merita eſſet.Auſim dicere, dediſſe mentem, negando omnia,dando ſolùm neceſſitatem. Eleganter dictum:

χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν.

Si ineptum neceſſitas ſapientem facit, iam pars mentis cum neceſſitate venit.

Si omnia nobis dediſſet natura, quid daret nobis ratio?Hoc maius beneficium illi debemus quòd noluerit liberalis eſſe,(irrita mens, vacans arbitrium iaceret,)hoc ipſo iam liberalis,& virtutis ſuæ memor.Plauſibilior & comprobata naturæ laus, virtus liberalitatis eſt,cuius honos & lex intereſt media auaritiæ, & effuſioni; nec diſpendere,cùm ſuperuacui ſumptus ſunt; nec, cùm neceſſarij,retinere. Non prodiga, non auara eſt:nulli inuidet,quod neceſſe eſt; nulli,quod non eſt neceſſe, erogat. Quare, quoniam ſolo animo & virtute cætera ſuperfluant homini, negauit,quæ reliquis dedit inopibus dote mentis, arma genuina, & indumenta cognata. Non dentes homini falcatos dedit,vt apris;non vncinos,vt leonibus,vngues;non ſolidos & miſſiles, vt equis,quibus funda calces ſunt;non pellicea tela,vt hyſtricibus,quibus arcus & pharetra cutis eſt; non truſatiles domos, vt teſtudinibus, quod fuit Momi votum & conſilium; non loricas cuticulares,vt teſtaceis; non muros ſpiculatos,vt echinis:non denique amicit fetis,ſpinis, plumis, corticibus,cruſtis,teſtis,pilis; ſed exermem, exutúmque reliquit. Solum cerebrum, capútque inter humanos artus nudos protexit, & induit, reuerita in arce ac Capitolio ſuo animum,quo integro & curato,omnia in tuto ſunt, cuncta incolumia manent. Nec auarè illud perornauit,nulli animalium locupletiùs; potiùs inde prouidit cætero corpori, vt veluti ſub papilione natiuo prolixa caſtrametaretur cæſarie. Ab animo omnia proteguntur. Hic præponderat ſolus tot illis illecebris,tot blandimentis,tot Cap.5.

curis,

Digitized by Google

curis,quibus fœtus reliquos mulcet,& procurat. Oportebat alterius ordinis,id eſt,nobilioris,admoneri hominem, ne falleretur, comparem ſe brutis ratus felicitate extima, & ſeruienti. Proinde plebeius cenſus,& par ſupellex quadrupedem dedecebat.Non dignitas cenſu conſtat, nec honos ſupellectili menſuratur. Præſtat homo inops ipſis animalibus locupletibus, armatis, amictis, quibus ipſe egenus imperat,& ſibi ſeruire facit. Poteſt gloriari,vt ille triumphator de Sabinis,Samnitibus, Pyrrho, qui plures triumphos habuit,quàm ſeruos,(duo tãtùm in caſtris calones Manio Curio fuerunt,)& ad minus pares,tertius ſibi ſeruus ipſe Curius fuit;niſi quòd iam & hic quartus, & maior triumphus:triumphauit de ſe triumphatore.Hic frugalitate,rapiſque contentus, ingens auri pondus recuſauit: reſpondit offerentibus, malle ſe imperare locupletibus, quàm locupletem eſſe.Præſtat nudum, & ſolo animo dominum eſſe naturæ, & fortunæ.

Cap.6. Dum homo exutus manſit, & tam pauper,vt nec veſtem haberet,felici animalium regno, & incontrouerſa obedientia fuit potitus. Nudum Pœmenem feræ ſunt reueritæ; veſtitum, velut purpura tunc denudatum, non agnoſcentes diſcerpsêre: raro talione ab ipſo ſublimi viro prædicto,credo etiam impetrato,aut tranſacto,quòd peregrinum aliquando non liberaſſet,canum laniatione. At,dum exutus fuit,ſuſpenſa vindictæ irreuerentia, priſtinam hominis maieſtatem in nuditate ſuſpexêre bruta officioſa.Leoni incumbebat. Pro molli ſtramento habuit aſperam feram. Quando magis dominus,quàm cùm ſecurus?& quando magis ſecurus, quàm cùm auius dormiret? Tam officioſa beſtia fuit homini,ſuo inquam,Regi,vt ad cubitum ſtragulum,ad ſecuritatem ſatellitium ſe exhiberet.Pachonem item nudum coluerunt hyænæ;& expectantem etiam pro voto ſuo deuorari,ſolùm ſunt auſæ venerari oſculis nuditatem; ad officia hoſpitalitatis(erat in ſpelunca ſua,) lingebant pro ablutione hoſpitali, vt nudior adhuc eſſet ſudore & puluere. Adeò placuit nuditas, vt affectaretur. Fautinus ſecurus fuit quatuordecim inter feras annos, ſyluarum & montium ciuis. Nudus erat, hoc priuilegio ſeruatus. Didymus comprimens pedibus colubros,licet ipſa conculcatione ſtomachatos ad virus,non innocuos tantùm, patientes expertus fuit. Illam pedum nuditatem ſuſpiciebant,& regia ſuſtinebant fide,velut barbari ſuos Principes humeris.In vniuerſum ſerpentes reuereri exutos homines, inuadere veſtitos, fertur, niſi Epiphanium excipias. Sciunt & bruta vltrò obſequi, & inexpectata ſeruitia exhibere nudis. Miramur expoſitos infantes exceptos ab animalibus ſæpiſſimè,& alitos, Cyrum à cane, Semiramin à columbis,Iouem à capra,Telephũ à cerua,Arneam à Penelopenſibus, alios à lupis, alios à ſuibus.Abiecti plerumque nudi fuerunt, & ſuæ reuerentiæ & obſequij titulum monſtrabant nuditatem & innocentiam. Rara his brutorum obſeruantia,fides,officioſitas,ad miraculum ſanè,ad exemplum. Paraſium & Lycaſtum pueros, propriis reiectis catulis, lupa nutriuit: maluit perdere filios, quàm Imperatores. Non minor fidelitas erga Habidem ſæpè à brutis lactatum, mox etiam procuratum, in anguſtam abiectum ſemitam conculcandum armentis; poſteà famelicis,& multorum dierum excruciatis abſtinentia canibus, deinde ſuibus porrectum,vt vorarent: maluerunt fame mori, quàm Principem ſuum non viuere. Defuit potiùs ſibi natura, quàm in illum reuerentia. Defecit vitæ ſuæ miſericordia, non in nudum charitas, quamdam etiam vberibus nutritum. Fides maior humana, ne dicam, fide, ſed pietate. Citiùs inueniemus matres,quæ in anguſtia annonæ proprios manducaſſent filios, quàm alienos aluiſſent.

Cæterùm nuditatis loco paupertatem adorant, vt proximam humanæ dignitatis purpuram, atque ex cognata noſtri generis inopia regium inſigne. Neminem cum ſatellitio nouimus,cui belluæ vltrò paruiſſent. Vidimus multos ſine decore,multos cum paupertate,exermes multos.Heleno,& Pachomio paruêre crocodili; Beno etiam hippopotami; Antonio,& Machario onagri; Geraſſimo,Sergio,Helladio,Ioanni, & Simeoni Priſco leones; Philippo,& Ammoni dracones; Alexandrino Machario hyænæ; Theophilo,Sergio,& Hygino columbæ; Heliæ, & Benedicto corui; Nicephoro Petenenſi viſi, & anates; Adamo Firmano lupi,& hirundines; Ioſepho Anchetæ,noſtris ſæculis,quod non obſtat admirationi,tygrides; Paulo ſcorpiones, & cornutæ aſpides; Hilarioni boas vſque ad mortem,& mortem ignis paruit, immanis coluber, cui bos pro buccella fuit. Iſtud imperium non opulentia facit. Quid?Inquies, etiam diuitibus animalia ſeruire,equos ad inſidendum,boues ad arationem, iumenta ad vecturam, canes ad cuſtodiam: ſed & hoc non diuitiis,ſed gloriæ priſcæ authoritatis debetur.Reſtat illius hoc veſtigium:non totum regnum eſſe rebelle ſolet: domeſticis ſaltem diuturnior eſt fides, & ſuperſtes diademati. Manſerunt nobiſcum domeſticiores famuli.Aliqua etiam reuerentia debebatur ſimplici & nudæ natiuitati,morti denudatæ: naſcimur,& morimur quales viuere non peius oporteret. Non refert,ſi opponas leones Reginæ alicuius Berenices, & Hannonis; aut dracones Thoæ Achaïci,& Heraclidæ.Non hos famulos, ſed familiares puta:ſocietatem, non obſequium præſtiterunt:nec ex fide,ſed ex gratitudine. Nuditas, & paupertas ſolùm eſt ſacramentum hominis,in quas iurarunt animalia.Hac nos authoritate imperatoria præpoſuit, locupletauitque natura, nec ſeruitio irrationalium ſatis donaſſe putat libertatem rationis, quàm quoniam non dederit: quia non potuit,tentat,qua poteſt arte, & viribus. Satis dedit impotens,ſi dedit votum; nimis, ſi conatum. Conatur natura libertatem dare etiam in his,quæ non dedit, ne illa neceſſariò haberemus.

Quin & his, quæ dedit, per ea ipſa pauca & egena,quibus ſeruit nobis, & ad mentis nos liberæ recordationem vellicat,parte ſui iuris exemit,nec proprio neceſſitatis notauit charactere: ſigno potiùs quodam rationis prærogauit,atque inſigni libertatis: ad vnum noluit coarctare. Æmula,non inuida animi in ipſo imitatur corpore libertatem rudem:non vnus omnibus hominibus guſtus,non ſimplex cupiditas,non cibus idem. Cuique animalium generi ſuum diſpertit alimentum, cunctis ouibus herbas,leonibus carnes: rigidas & limitatas leges non promulgauit hominibus. Alij nutriuntur, vt feræ; Cap. 7. Cap. 8.

alij,

alij, vt mites & cicures; alij carnibus; alij ſtirpibus. Non omnibus victus idem: conſpatiatur ſenſus humanus quodam veſtigio libertatis liberior, quem non ad idem conſtringit, nec vt bruta vrget: adeò circumſpectè cum rebus noſtris agit, adeo ſplendidè indulget. Adorat arbitrij gloriam, & cauet violare, vt ſe quiſque, prout libet, fingat. Sic hominem infectum, vaſtúmque dedit, vt quod magis dediſſe videatur, materia ſit. Hæc iniuria putatur, hic liuor, hæc contumelia; fauor tamen eſt naturæ, fortaſſe & reuerentia. Noluit ſe nimis humanis rebus miſcere. Quare? Quia liberos non agnoſcit, velut filios colit, cùm liberos ſeruet. Vult, quod ſumus. Satis hoc eſt, vt calumnia inuidiæ falſa ſit: & ſiquidem libertatem nobis non dediſſet, copiam libertatis facit. In ſolatium, ſi non fuit liberalis, officioſa eſt.

Cap. 9. Anne maior gratia, ſi hominem fabricaſſet protectum ſquamis, aut veſtitum pilis, aut loricatum cruſtis, aut armatum ſpiculis, aut receptum hoſpitio, domeſtica ſarcina, aut innato carcere, quàm nudum, inermem, depilem, vt omnia poſſet eſſe, & mutare tegumenta & domicilia? Noluit diuinare natura, noluit præuenire humanum guſtum, incertum, liberum. Multi homines gauderent, vt gaudent modò, nudi incedere, alij veſtiti, alij armati, alij exermes, alij ſine domo, alij intra latibula, ideò non ſe introduxit, nec vſurpauit ius totum noſtræ conditionis, vt qui amictu gauderent, poſſent habere; qui ſecùs, carere. Non omnia omnibus placent, nec eadem eidem omni tempore. Præmoleſtum eſſet ſemper veſtitum eſſe, ſemper armatum, ſemper manentem domi, aut onuſtum ſua caſa, vt teſtudines, & oſtreæ. Arma belli tempore conueniunt; poſſunt tunc arripi. Pelles, & veſtitus, in hyeme; poſſumus tunc protegi: nuditas quoque ſuo tempori, & quieti, & balneis placet; tunc nos inueniemus eſſe ſine labore, quod volumus: votum erit natura, & ſemel gratis aliquid accipiet cupiditas. Domicilia contra nimbos tuentur; poſſumus tunc condi: nec hoc remedium graue, & ſeruile habemus cum onere perpetui oneris, aut carceris. Sæpe ſub dio iuuat eſſe, & tunc cælo perfrui in terra licet, & poſſumus exonerati: cælum tunc videmus, & totos nos cælum videbit. Dedit omnia nobis natura, cùm nihil dederit: omnium animalium dotes indulſit, cùm negauit, veſtimenta armentorum mutium, nuditatem ranarum, (non eſt, cur queramur, ſolos naſci exutos, ſiquidem ſunt, & quæ naſcantur, & viuant,) domeſticitatem teſtudinum, ruſticitatem dorcadum. Suas vices reliquit rationi, ſuum arbitrio ius. Permiſit animo omnia, vt hic excolatur & formetur. Incultum, informémque hominem fecit, arte refectum, & meliori conditione, in quibus defecit ipſa.

Cap. 10. Corpus animi cauſâ eſt: nec aptius animo libero & ſoletti poſſet eſſe, quàm iſtud corpus ſine maiori arte, nudum, expeditum, ſine obſtaculo, ad omnia. Abſque magno apparatu habet homo, quæ omnia habent. Parum refert rudes artus habere, ſi eruditur mente.

Α'ι χάριτες γυμναί νῦς ὐκ ἰνὶ κεντάυροισι.

Quid iuuat bimembres Centauros eſſe, ſi carent mente? Quid Gratias impedit nudas eſſe, ſi ſolùm veſte? Vnum animi pignus, cunctorum diuitiis animantium æquiualet: proinde homo locupletior. Ad huius imitationem præcipuum diuitiarum titulum vſurpauit pecunia: quia æquiualet cunctis rebus. Qui illam habet, licèt careat omnibus, omnia cenſetur habere: quia cum illa poteſt, cùm velit; & præſtat habere illam, quàm ea, quæ habentur per illam, cùm per illam habeantur omnia. Inter ipſas pecunias, inter ipſas diuitias hoc nomen præripuit aureus; quia ſimpliciùs plura continet: per imitationem enim paupertatis, & ſimplicitatis adſtruunt ſe, & magnificiunt diuitiæ: eò maiores ſunt, quò in minori conſtant. Adeo opulentiæ norma, ſimplicitas eſt; ſubinde opulentior: adeò diuitiarum idea, paupertas eſt; ſubinde ditior. Ita nobis in ſimpliciſſima re ſuperfluunt vniuerſa, hoc ipſo locupletiores; quia habemus omnia, & quia in vno.

Accedit, quòd in vno, & dupliciter: ſimplici enim animo bifariam hoc bonum obtinemus pro gemina eius dote, mente, & voluntate. Alterutra occurrere licet, & medicari infirmitatem noſtram, & præuertere cognatam inopiam; tametſi alterius firmius ſit remedium, ſi remedium eſt, & non potiùs ſanitas. Mente ſolùm poſſumus habere, quæcumque habemus opus. Purior & ſana opulentia eſt, non habentis neceſſitatem, quàm potentis ſubuenire. Bona valetudo optimæ medicinæ præſtat. Mens artes parturit in remedium naturalis orbitatis, cum quibus non inuidemus brutis ornamenta, & opes: non tamen adeò præualent, etſi compenſent donanda à natura, vt valeant contra fortunam. Supplent naturam, non ſuperant caſum; imò nec naturam omninò. Quantumuis probata, validáque medicina ſit, non omnem morbum, nec ſemper debilitat. Hoc ſolùm poſſunt facere, & ſatis eſt, ne inuideremus animalibus, ne iuſtè calumniaremur communem matrem. Cap. 11.

Verùm poſt tot artium adminicula reſtat, quid adiuuandum ſit: adhuc miſeros nos inuenimus, & miramur, cùm tamen noſmet faciamus ſuperfluarum ſolicitudinibus rerum, neceſſariarum pœnitentia, & impatientia intolerabili fortunæ tolerabilis quidem. Poſt inuenta ſolertiæ, reſtant curæ; poſt rerum affluentiam omnium, reſtant deſideria: & iam oblitos queri de natura nos adoriuntur ærumnæ, hoc ipſo nequaquam culpabili; quia vbi dona eius non deſideramus, damna aliunde timemus, aut lugemus. Non itaque ſolum ingenium expiat miſeriam, nec per mentem dumtaxat acrem exulant acria & moleſta. Hic labor, hoc ſtupendum opus eſt voluntatis: nam non ſine remedio miſeria eſt. Quod alia non concedunt artificia, dabit voluntas ſana, hoc eſt, voluntas ſine voluptate. Voluptatem tamen maximam, id eſt, ſine fæce, & Cap. 12.

tum fide; vndique iucundiſſimam, vndique conſtantem talis voluntas creat: cuius & quædam ſua ars eſt, cui ſi nomen indere velit, virtutem dixerit cum Hippodamo Pythagoreo, cuius opificium gaudium eſt, & inter pila fortunæ pax mentis pretioſiſſima. Prudenter inquit Prudentius:

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti pretium eſt, pretiúmq; pericli:
Sydera pace vigent, conſiſtunt terrea pace:
Nil placitum ſine pace Deo.

Ad rem tantam eſt quædam libertatis methodus. (Gratiam Dei ſemper deſidero, ſine qua omnis noſtra ad honeſtatem via, deuia eſt: ſed ſuppoſita illa, commodè erudire licet voluntatem; quia libertati ac commodatur gratia.) Eſt & quidam ſcitus voluntatis vſus, ne nobis abutatur fortuna. Cadit ſub diſciplinam aliquam, cupiendi, faſtidiendíque modus, vt fabricemus columen in diſcrimine, fortunam in infortuniis, tranquillitatem in tumultibus, gaudium in tormentis.

Cap. 13. Tot, tantotúmque officiorum proximum organum, vna voluntas eſt, ſi ordinata ſit, certis, ſalutaribúſque conſentanea canonibus. Sunt artificia, quæ vnici & paruuli motione inſtrumenti plura & magna facillimè, vnóque digito commotant. Machinas, quæ vires ſuperant, ars exiguo cum paxillo domat. Sic vnius voluntatis gubernatione totam felicitatis molem dirigere licet, machinas miſeriæ diruere, & fortunam immotam raro miraculo figere. In vſu inſtrumentorum aliarum artium, curioſitas meretur diſciplinam: cur iſtud gaudij organum gubernare non diſcimus, nec inertiam pellit vtilitas? Non minor eſt, quàm funus fortunæ acerbæ, & calamitatum interitus. Varia excogitare poſſumus, quibus tantiſper obſtemus triſtitiis, quibus fallamus infortunia: tollere de medio non licet, niſi ordinata voluntate. Ludi, ſpectacula, muſica; infirma ſunt artificia dolori & affectibus placandis, innatis tortoribus. Hæc & alia exhilarandi organa, obſtacula ſolùm poſſunt eſſe ad tempus, non pharmaca: ſuſpendere ægritudinem poſſunt, non tollere: ea ipſa mœror animi violat: nō vinci, ſed mitigari poteſt dubia fide. Quod ad momentum lenitur, mox recrudeſcet, & reſurget roboratius. Frigidæ aquæ poculum febricitantes ad præſens recreabit, mox ardentiùs exuruntur: ipſe humor in præcordia diffuſus flagrantia, fax eſt incendio adiecta. Non eſt ſolius ingenij gloria, triumphus fortunæ: modeſtia voluntatis laude iſta præcipuè perfungitur. In eadem ſtatuo imbecillitate quæcumque alia inuenta, & adminicula aduerſùs miſeriam, quæ prætetiacent nos. Intus ſolùm latet nobis remedium efficax & tam ſalubre, vt ipſa ſalus ſit. Ipſum remedium, valetudo eſt.

Cap. 14. Præſtò, ſúbque manu, imò ſub ſinu, ſúbque corde pharmacum eſt miſeriæ. Præcordialis eſt medicina angoris, & triſtitiæ: ſed parabile remedium contĕnimus, difficilia, inefficaciáque perquirimus. Quidni? Efficacia ſint alia, & in procinctu: limitata ſingula ſunt, nec tot, vt æquentur ægritudinibus animi, miníſque circumfrendentis miſeriæ. Vix deeſt in vita penuria alicuius rei, iactura multarum, (non prout nos egemus, ſed cupiditates noſtræ.) Pericula, iniuriæ, contumeliæ, mala affectio corpuſculi huius, quod vita afficimus, ſexcentáque alia incommoda, vt nequeant tot eſſe medicamenta, quot medicanda. Quin, ſi totidem eſſent, & paria pharmaca malis, illud malum nequit abeſſe, ille importunus vitæ labor, auferendi labores, & medicandi paſſim. Illa cura ſine curatione erit curandi curas vitæ. Ad hæc, pleno ore, & manu arrideat alicui fortuna integra, ſana, nullis vitæ remediis egena: illa iam ægritudo animi reſtat, venire poſſe ægritudinem, timor inconſtantis felicitatis, conſcientiáque volubilis ingenij. Nō igitur ſingulis malis ſingula reſpondere poſſunt pharmaca, nec per partes mederi, niſi vniuerſali ordinatæ voluntatis præmuniamur antidoto: aliter qui perinde eſt ac ſi aliquis, cùm plueret, nudus in agrum prodiret, & nollet madefieri; ſed ſingulas ſperaret poſſe guttas vitare. Pluunt in vita ærumnæ: ſingulas impedire nequimus, niſi ad remedium ſumamus, quod reſiſtat cunctis, veſtimento, aut tecto protecti. Demens eſſet, qui exutus in aciem prodiret, & volantium, pluentiúmque telorum cuſpides omnes præſumeret effugere; quia vnum, vel alterum iactum eludere valeret: thorace valido ſe oporteret munire, vnde cuncta obtunderentur. Humana vita non modò militia eſt, ſed prælium: niſi pectus armemus valido animo, exermes, nudóſque obruent ſtatim moleſtiæ; ſi non vi, numero. Quæcumque alia ſolatia non ſunt tam valida, vt omnem miſeræ ſortis ictum retundant. Tanta virtus ſolius virtutis eſt, & voluntatis ſua præoccupantis vota.

Inſtrumentum inſtrumentorum, manus eſt. Cap. 15.
Ipſam dixit Ariſtoteles organum ante organa: quia ſine manu noſtra manca ſunt cætera, & inutilia, quippe inertia, exanimia, niſi artis ſpiritu & motu viuificet humana dextera. Tranſtulit iſtam laudem ad mentem potiſſimè Galenus: quia artificia inuenerit omnia; quia dirigat, ipſámque manum manuducat; præcipuè quòd ſola mens paret ac ſuperet omnem naturæ indulgentis cenſum. Verùm vſurpatunt gloriam iſtam voluntati. Vna hæc dici inſtrumentum inſtrumentorum ſuo iure poteſt: ſupplet, quæ dare natura deberet, aut poſſet, & quæ ingenium dedit. Plus donat parcitate & quiete ſua, quàm liberalitate natura, quàm prodigalitate fortuna, quàm ſolicitudine induſtria. Dedit omnia, cùm dederit nullis egere: dedit plùs, quàm poſſit dari. Sine pompa ſupplet apparatum indolis, ſine cura ſolertiam ingenij, ſine additamento ſuperfluitatem fortunæ. Inſtrumentum inſtrumentorum eſt: non, quia efficiat, quæ conditio irrationabilibus largitur, quæ ſuppleuit in hominibus aſtutia, quæ ſuperfundit felicibus ſors: ſed, quia auferr, opus eſſe ope. Iam iterum excuſo naturam prouidentem cuique paria felicitati ſuæ arma. Irrationabilium forinſecam proſperitatem, tributariam exteriorum, & alieno cedentem arbitrio ornauit armis, vario adſtrinxit præſidio, vt eam aut vindicarent, aut potirentur: at, quia hominis arcanum peculium, intimáque proſperitas eſt, quid opus erat extimis grauare, ineptíſque gaudij officinis? Leoni robur datur, ceruo pernicitas, paſſeri pennæ, cuniculo latebræ, ad ſuæ incolumitatis fideiuſſionem: negatæ homini vires, velocitas, alæ, ſpecus, non modò, laceſſito, ſed quaſſato; ſtaturo ſuæ, dum velit, fixo ſecuritati,

curitati. Conſultius cum illo cautum, dum non de periculis modò, ſed de timore. Non eſt tuta ſecuritas, immunis diſcrimine, niſi ſit & metu. Tanti intereſt inter animalium, & hominis columen, vt illa prouiſa ſolùm ſint, hic ſecurus. Nulla itaque negligentia naturæ fuit, inopia & nuditas humana, ſi nudo & inopi ſufficiat apparatus gaudendi: imò ſui penè dimidium ſuperfluat, cùm nec artubus eius felicitas & gaudium egeat in voluntate nuda ſeſſurum & ſecurum.

Cap.16. Abutimur tamen hac machina euertendi totius infortunij, ad euertendum nos; & ipſam voluntatem maligno & indulgenti amandi, abominandique vſu in noſmet armamus, & ferocite facimus. Non aliud in cauſa eſt quare humanam conditionem, fabricatã curis noſtris miſeriâ, defleuerit Menander miſerabiliorem, quàm ferarum. Non derelictio parentis naturæ, falsò exiſtimatæ nouercæ, cùm iam non deſideret ingenium fauores alienos, nec maternas curas: ſibi præſumpſit plùs, quàm poſſet illa dare, ſine dubio quàm vellet, ſi nos amat. Sed, vt ſcitè temperata cithara imperiti muſici manu amœnat omnes; at ſi abſona & inordinata occupet digitos ignaros artis, punit audientes: ita temperata, ſibique concinna voluntas iucundum gaudij inſtrumentum delectat; incompoſita & diſſidens offendit. Quiſque artis ſuæ inſtrumenta optima quærit, aptare diſcit, ſcito gloriatur vſu, nauclerus gubernaculi, muſicus lyræ; cur humanæ artis organum gubernare peritè, negligimus? Nihil vſitatius homini eſt, quàm velle: nihil inuſitatius, quàm benè velle. Cui ſemper aſſueſcimus, numquam diſcimus: cur noſtræ vitæ, felicitatiſque inſtrumenti, cuius vſus continuus eſt, nunquam vſu proficimus? Fructum eius hactenus indicaui, deinceps aſſeram, verùmque monſtrabo. Et quia hæc gloria voluntatis non eſt, abſque ſeruitio & ſubuentione intellectus; huius quoque modum erga officia eius monebo.

PROLEPSIS II.

Gaudium alienum eſt rebus.

Cap.17. PRiuſquàm ad doctrinam pacis, ad fabricam lætitiæ veniamus, explorate iuuat, numquid hæc donum ſit rerum, & qualis patria gaudij. Si cordis noſtri vernacula eſt, tunc fortaſſe non inutilis erit libertatis aliqua methodus, & ars tranquillitatis. At, ſi rerum beneficium ſit, nec gaudium nobis ædificare poterimus, ſicut nec ipſas res, nec exitus manu facere. Non ita vt cor noſtrum, in manu habemus fortunæ cerebrum mobilius, quàm Zoroaſtricum; indicium, dices fortitan, non ſcientiæ, ſed inſaniæ. Non ita naturæ vterus, & ſinus in ſinu noſtro eſt, vt pectus proprium. In fortunæ libidinem, & naturæ neceſſitatem nullum, niſi patiendi, ius habemus. Haud opus tunc alia præceptione eſſet poſſeſſuro lætitiam, quàm iis rebus hærere, quæ fœcundæ eſſent oblectando; iis abſcedere, quæ matrices mœroris. At, qualem dabis conſtantem regulam? Quomodo hæc certò poſſunt dignoſci, vt in vnam clauem digeramus iucunda, in alteram redigamus mœſta, vt illis iungi, his ſeiungi liceat? Quod ſtatum documentum huius deſignabis? Ancipites quotidie agimur, ideò angimur. Quod modò me delectat, cras faſtidio: hodie placet, diſplicuit heri illud ipſum, quod vni eſt gaudium, alteri fit tædium. Archilochus ait:

Ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται. — Cor alij de alio mouetur gaudio.

Maior variatio quàm palati eſt. Guſtantium quibuſdam dulcia, aliis nonnihil acida accident. Huic ſtomacho eſt abominatio, quod alteri appetitio. Cibum, quem puer vel nare non ſuſtinebas, auido adoleſcens excipis & gratulanti ventriculo. Plures facies oſtenduntur voluntati, quàm ſaporum guſtatui Hæc rerum malignitas, permutatio vultus. Nulla tam experta, tam docta diſcernendi, decernendique mens eſt, vt ſtabilem valeat regulam præſcribere, & cribrare placida à moleſtiis. In omnibus confuſio eſt: & nihil tam certum, quàm incertitudo gaudendi. Omnes res ambidextræ ludunt nobiſcum, ita illudunt: æque citò ſiniſtra manu doloris verberant, ac dextera placiditatis permulcent.

Cap.18. At, ſi adhuc tentare libeat rerum æſtimationem, & quoſque inconſentaneos ſibi colligere ordines, ſtatim nos ſeductos inueniemus. Ecquis vitam non admittet in exoptabilium ſerie; non abiiciet mortem in claſſem terribilium? Quis non accenſebit in delectabilium catalogo diuitias; & in cenſu moleſtorum, pauperiem? Quotuſquiſque non adſcribet inter placida honores; & in matricula triſtium ignominiam? Quis non computabit inter amœna voluptates; & non apponet dolores ſub calculos horribilium? Errorem tamen in ſuis rationibus reperiet. Opus erit expungere plura. Mors multis placuit; pleroſque offendit vita Plures triſtes, alios miſeros, nonnullos infenſos, omnes ſolicitos opulentia fecit; multos exhilarauit inopia. Quidam, non aliter ac peſtilentis aëris flatum, fugerunt honores; alij contriſtêre inglorij. Nonnulli inter delicias triſtes: alij in tormentis lætabundi & iocoſi: Quid patentius, quàm gaudium, & triſtitiam, alienigenas rerum eſſe; non illis inſidere; aliunde naſci? Res ipſæ eædem ſunt; euentus diuerſi. Permanentibus rebus variatur affectus. Conſtantem eamdem ſedem nunc dolor, nũc lætitia occupat. Si rerum ſuppellex, gaudium, & mœror fuiſſent; ſicut res ſunt eædem, eadem ſua ipſis dos comitaretur; eadem delectatio, aut mœſtitia hæreret Anne conditionem ſuam mutauit mors, aut aliquando amiſit æquitatis ſuæ laudem, vltimum ſolatium inæqualitatis fortunæ, imò æqualitatis ſuæ, vt non eadem ſit omnibus: Quomodo, quam omnes timent, contempſit Socrates, riſit Theramenes, iocatus Canius, qui vltra conſtantiam, & illuſionem mortis, habuit curioſitatem; & quam contemptibilem ex ſe putauit, voluit diligentia obſeruationis ſuæ pretioſam facere? Anne alterius ingenij ſunt diuitiæ, quas recuſauit Curius, quas formidauit Crates, & ne naufragaretur ipſe, ipſas humanæ vitæ procellas naufragas fecit? Aut alterius eſt naturæ paupertas, cui ſtuduit Antiſthenes? An alia facies honoribus, quos excuſauit Fabritius? Aut ignominiæ diuerſi ſunt geſtus, quòd in illis artiſiſſet Ariſtides; An voluptates mel ſuum inuiderunt, vt amaricarent Cynicum? Aut dolores & tormenta quo ſe imbuerunt ſac-

chato, vt in illis feſtiuus eſſet Anaxarchus? Mors vna eſt:& ſi fortè diſſimilis, illa quæ contempta, illa quæ accepta, quę optata, aut iniquior fuit, aut crudelior, aut violentior, cicuta Socratis, pila Anaxatchi, ferrum Deciorum. Opulentia, & inopia non ſunt aliæ. Similes ſunt ſemper honores, ſimiles ignominiæ: eadem voluptas, idem dolor.

Cap.19. Et vt nostros conueniamus: quem magis oblectauit vita, quàm Apollonia præoptauit mortem; impatienti, diuináque concupiſcentia præripuit? Nemo diuitiis lætior quàm Serapion Sindonita paupertate, ſine ære, ſine pera, ſine pelle lætus, & ne quid poſſideret, nec ſe, ſe vendidit; & ne vel non ſuus aliquid ſuum haberet, pretium ſeruitutis reſtituit. Gratis eſſe alienus voluit. Bis ſe vendidit, vt mercaretur dominos. Nemo hilarior gloriatione, quàm Alexius opprobriis. Non ſatis duxit pro ambitione ſuæ contemptionis à quibuſlibet deſpici; ſed à quibus ſuſpiciendus erat. Quid de voluptatibus dicam, quarum diligens faſtidium præcurrit ſatietatem, confundit famem? Nullæ ita inferſerunt humanum cor, vt cruciatuum helluo fuit Laurentius. Ipſum latus, quod non ita obſonauerant incendia, petiit accommodari, vt condiret flamma gratum pulmentum doloris. Nec exigua tormentorum gula Emano fuit. Domiturus concupiſcentiam, & voluptatem, ad extinguendam ſitim aqua ſalſa vtebatur. Haud ſimplici auſteritate contentus, tam delicati fuit palati, vt nollet ſine ſale affligi. Peregrinis cruciatuum inuentis irritabat voluptatem dolorum, quemadmodum coqui exquiſitam ciborum gulam. Nec fuit ſatis libidini patientiæ ſuæ quoduis tormentum, elegantiam curabat, & exquiſita acerbius arte. Conradus iucundioris abſtinentiæ auidus ſeruabat, donec putreſcerent, dapes.

Cap.20. Ex quo fonte hoc diſcrimen? Quod arcanum iſtud, vt in eodem alueo iam exundet gaudium, iam ſuperfluat mœror; nunc refrigeret, quod nuper adurebat? Sunt omnia ancipitia, perinde vt rupes Gonia, iam aquas fundebat, iam flammas, tam citò fons quàm fornax. Hæc diuerſitas non ineſt rebus, cùm eædem ipſiſſimæ ſint: at, ſi illis non inſidet, neceſſariò in affectione latet voluntatis. Duo tantùm ſunt extrema, inter quæ iaceat hoc diſcrimen, res ipſæ, & voluntas noſtra: ſi illis ſedes abſit gaudij, mœroriſque; erit in iſta. Reliqua ſeruili quadam natura neceſſitati parent, nec pro libidine mutare vultus valent. Neceſſariæ res ſunt, eædem proinde omnibus. Voluntas ſola immunis, ſola ingenua, libera, arbitrari potis, &, qua facie libet, induere cuncta. Quapropter hæc differentia non venit à rebus non differentibus ſibi: à voluntate potiùs ad vtrumuis indifferenti dilabitur, ſuóque potitura iure & priuilegio libendi. Decolores ſunt res, donec illas purpuret, & illuſtret affectus: inſipidæ ex ſe ſunt, donec voluntas ſaliat: iuxta huius condimentum, aut dulceſcent, aut acerbabunt. Dicebatur olim ignis, optimum condimentum: igni enim omnia condiuntur. Idem voluntati vſurpo: ipſa eſt pulmentum, ipſa condimentum rerum: provt obſonauerit, ſapient: ipſiùs fiet ærumnæ ſalſamentum: ab ipſa erit abſinthium delibutum melle: ipſa, ſi perſpergat aloën, saccharum amareſcet: iuxta taxationem ſuam, pretium omnium eſt.

Quid ſolicitamur de rebus ex ſe ſterilibus? Cap.21. Cur hæremus illis, & amplectimur, velut hedera, ſaxa duriſſima, haud conſtanter vernaturi? Virorem hederæ, non rupes, ſed humor proprius alit. Citò tamen noſtrum exſiccatur gaudium, quod è noſtro nutrire nolumus: malumus de ſcopulis exprimere, malumus allambere extrinſecùs. Non ſunt res fœcundæ lætitia, niſi aliunde adnaſcatur: nec fertiles dolore, quamuis vel ingrata humus tribulos non neget. Ferax & puerpera gaudij dumtaxat voluntas eſt. Ad ſummum, res erunt obſtetrices: iuuant, non edunt. Cor eſt, quod elucubrat lætitiam. Quid corpus, ſiue potiùs animum eludimus, effugamúſque à paupertate & patientia, cùm hæc ſint conſecrata aſyla fortunæ? Quid animam colludimus, ponè diuitias, deliciáſque mittentes, duplici damno, ineptis, deinde irritis votis? Æquè inopiæ, atque opulentiæ, ſuccus & frons certa abeſt. Æquales ſunt: nulla inter æqualia prælatio eſt, minùs electio. Æquè citò moratur gaudium in paupertatis caſa, fortaſſe ſecuriùs, & certè libentiùs, ac in prætorio opulentiæ. Fortuitò ſtat, quòd placeant hæc, & diſpliceant illa. Dolor, & mœror non innaſcuntur rebus, non ſunt indigenæ regione in iſta extranea. Vagi oberrant, nec vt viatores, in incertum vadunt: non eunt, ſed luſtrant. pariter diuerſantur in tuguriolo inopis, & in aula locupletis: vbi nox occurrit, ibi conſiſtunt, manè diſcedunt: peregrini vbique rerum. Nulli rei concatenatum eſt gaudium: nulla compes lætitiæ. Solum cor noſtrum poteſt felicitatem in vincula conjicere. E nulla re exul dolor, nec triſtitia proſcribitur. Quæ inſania eſt, velut in aliquod certum pergere, quæſituros gaudium, vbi ſolùm certum eſt, poſſe mœrorem præeſſe, & eſſe incertum, alterutrum priùs incurſaturum? Quis, vt emat panes, ad tonſtrinam vadit? aut, vt emat veſtem, ad cauponam? Æquè delinquit, qui gaudium in rebus veſtigat, quod ex ſe non habent, niſi ex fortuita voluntatis occurſatione. Quàm demens eſſet, qui immenſum metiretur Oceanum, tranſiliret regna, requireret non vrbes, ſed Orbes, ſine laboris induciis quæſiturus, quod domi ſeruabat? Procul quærimus, quod propè habemus: per alienas ianuas mendicamus ſtipem eius, quod in manu noſtra comprehendimus, quod nobis dare licet. Cur per ambages, & Syrtes perſequimur, quod in nobis compendiosè latet? quod perſonam ſequitur, non res? Magna hæc felicitas felicitatis veræ, quòd perſonalis ſit, non realis, nec pereuntium appendix rerum. Cuſtoditum eſt gaudium in corde noſtro.

Hunc vnionem non decet, nec capit alia theca, niſi animus: omnes tamen velut rem perditam inquirunt: tranſierunt Orbem, vt in illum incidant; peruertunt omnia; euertunt ſe. Cap.22. Quid tanti inueniri poſſet, vt compenſaret ruinam ſui? Quantò plus eſt collabi animo, quàm corpore? corruere mente, quàm pede? Dum gaudium quærunt, perdunt gauiſuros. Quandoque obtingit, vt eius, quod in manu habemus, obliti quæramus. Interdum, quia nimis cuſtodita eſt gemma, amiſſam putamus: fatigamur, vt inueniamus: nulla magis moleſta, nec irrita diligentia: conſcientia enim impoſſibilis iacturæ obtorquet, dum ſolicitiores agit: cúmque ibi, vbi quæritur,

Digitized by Google

ritur, impoſſibile ſit eſſe, quia ſeruata alibi eſt; diuturnior & deſperata inquiſitio plus deuexat. Ita nos tranquillitatem, & gaudium, quod in manu noſtra habemus, quod in pectore cuſtoditur, dum per externa quærimus, internè amittimus, caſſo inquiſitionis conatu, certo cruciatu. Idem nobis euenire video, quod Ægyptiis. Apin, Deum ſuum, quem ſecum habebant, enecabant in Sacerdotum fonte, rurſus factitio quæſituri luctu alium adorandum bouem: laceratis enim veſte & crinibus, occiſum à ſe plangebant: deinde lugubri habitu, flebilibus oculis circumcurſabant, vt alium inuenirent. Ita nos gaudium domeſticum, imò præcordiale extinguimus; mox mœſti, & lugubres eximus ad quærendum. Felicitatem, quam adoramus, domi ſeruare poſſumus; (quiſque ſuæ lætitiæ patria, & pater eſt:) afflicti tamen, & triſtes perquirimus exteriùs.

Cap. 13. Expetimur perfidiam lætitiæ promiſſæ ab iis circumforaneis; & tamen non diſcimus experientia. Solius fortunæ rude, hebéſque periculum eſt. Cùm totiens noſtrum naufragetur gaudium fortunæ fluctibus, iterum pelago nos damus quæſituri nouum: cùm paululùm ſedatam videmus, fictam putamus. Quid mirum, ſi fatigata curſu irrequieto, cùm per humanas res,

Ceu flamma per tedas, vel Eurus
Per Siculas equitauit vndas,

aliquando quieſcat? eſt, vt recreata recurrat. Pauſam fortunæ ex laſſitudine potius, quàm ex fide putare tutius eſt. Improbè (dixit probè Syrus) Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit. Improbè dico, fortunam damnat, qui bis luget infortunium. Siculus quidam mercator, cùm ficos veheret, fecit naufragium: poſteà ſedens in littore, placidum pelagus conſpiciens, ad illud inquit: Noui, quid velis: ficos vis. Vrbanè dixit, prudentiùs fecit: noluit ſe rurſus fluctibus confidere. Oporteret iocari pariter, ſed diffidere fortunæ: non calumniari illam, ſed nos accuſare. Qui fructus, & remedium famis quæreret ab vlmo, non iſtam, ſed ſe accuſet. Nemo prodiget, quod médicat. Nemo poteſt dare, quod non habet. Debet petere ab habente. Si non habent res gaudium, ſtultum eſt, illas flagitare importuno voto. Non itaque reæ noſtri angoris ſunt, quas abſque iure criminamur. Ipſæ innocentes à damnis nos vexantibus: ipſæ illiberales bonorum, quibus perfruimur. Non valent benefacere, nec ſciunt nocere: ſatis licèt in hoc beneficæ; prætereà ineptæ, niſi noſtra erudiat, opémque ferat voluntas, nóſve prodat. Nec gratiam merentur, nec bilem. Nihil dare poſſunt, quod ſibi cor non præcipiat.

Cap. 14. Nihilominùs noſtras illis imputamus moleſtias, & contra omne culpamus fas. Sumus vt ſceleſtiſſimi, quorum nequitia, non vt communis & vulgaris, excuſatione augetur, ſed accuſatione geminatur. Patrant ipſi facinus, cuius, vt ſe diſſimulent reos, inſimulatores ſe faciunt. Accuſant, imponúntque inſonti vicino, quod ipſi commiſêre. Ita inſimulamus res eius criminis, quod nos tenet. Quæ culpa tabulæ eſt, ſi pictor vultum imaginis obliquet, & erret? Crimen iſtud artis eſt, & imperitæ manus. Nulla obliquitas, nulla iniuria eſt vitæ, cuius non ſit reus amor vitæ. Nullum malum contra voluntatem accidit, cuius non ſit auctor voluntas, non complex modò. Noſtromet iugulamur gladio, diſtringendo in fortunam. Crimen noſtrum eſt, theriacen calamitatum' corrumpere in virus felicitatis. Sola voluntas fons eſt, cætera innoxia, imò inde indulgent. Iam innocentia pro beneficentia eſt: vndique læuigatæ ſunt, & rotundæ: nec vnde gaudium emineт potiùs, quàm mœror. Non ita eſt, vt putauit Epictetus, duplici omnia exornari anſâ; vnâ delectationis, tolerabili, & leui; aliâ doloris, importabili, & graui; & prove ab alterutra comprehenderentur, aut lætari nos, aut triſtari: meliùs diceret, duo eſſe voluntati brachia, (res ſine obice ſunt, & æquabiles,) vnum, quo grauеſcunt, quæcumque contigerint alterum, quo alleuiantur: illud architectatur dolorem; hoc fabricat lætitiam. Non ſunt in rebus duo manubria, ſunt duæ in voluntate manus: vna facem, alia aqualem geſtat. Dixerim de illis: Τῇ μὲν ὕδωρ φορέει δολίῃ χερὶ, τῇ δ' ἑτέρῃ πῦρ. Alia torpens, & inauſpicata; alia habilis, & tam perita, vt illinc etiam corripiens, vnde videntur fodicare & adurere res, calleat indemnis alleuare: atque ex iis, quæ aliis ſunt inſtrumenta torquendi, extorquet alacritatem. Quidquid contigerit, transformat in gaudium. Maior hæc gratia, quàm Midæ, cuius digiti fodinæ erant auri; cuius palma, India, aut Arabia aliqua. Non minùs manualis eſt lætitia, manum habet voluntas conuertendi omnia, ſi non in aurum, in id, quod auro non emitur. Ipſa eſt ſibi felix Arabia, ipſa India, ipſa aurifodina, & vena locupletis pacis, non indigæ rebus lætitiæ.

Ad hæc, ex nuntio falſo acquiſitæ hæreditatis, ex opinione mendace diuitiarum etiam iniurioſiſſima delectamur. Non ergo nos delectant res, non hæreditas, non diuitiæ, quæ tunc abeſſent. At, ſi ſeductio alterius tanti foret, vt nos exhilararet, cur ratio propria, & cognitio veri tantidem non erit? Valeat reſipiſcentia, quod inſipientia: poſſit ſapientia, quod ignorantia. Facile eſt ſeductis gaudere, quòd fidem adulationi prodigant: ad ea enim, quæ pro noſtro dicuntur guſtu propenſi ſuadémur, nec alium magis veritatis teſtem, & vadem expectamus, niſi commodum. Ex hoc iam gaudere poteras, aut credere nuntianti ditiſſimum fundum, tibi eſſe te ipſum. Falſas diuitias, & falsò annuntiantibus credimus, & exultamus: gaudeamus ſaltem hac opinione vera opulentiæ veræ. Demus quòd falſa ſit: fide digna eſt, quia vtilior, quia percommoda. Cap. 15.

PROLEPSIS III.

Quiſque ſufficit lætitię.

QVidquid igitur fortunæ, felicitatíſque poſſidet nomen, voce & aure tenus illo defungitur. Faciem boni ſi obtendat, eſt ad ſecuritatem, &, vt ſic dixerim, fortunam infortunij, ſub perſona aliena prouiſi, & feliciſſimi. Nemo hoſtiliùs vulnerat, quàm amabili manu: nemo magis ſine pietatis ſpecie, quàm qui ſine ſuſpicionis: ferit ſine timore is, de quo non timetur: Cap. 16.

Ira, quæ tegitur, nocet:
Profeſſa perdunt odia, vindictæ locum.

Non aliæ inſidię pernicioſiores ſunt, quàm ſecu-

Digitized by Google

ritatis. Diuitiæ, honores, voluptates, inſidiæ calamitatis, velamenta malitiæ, latebræ, & propugnacula miſeriæ, vnde graſſatur auſpicatiùs, iniuſtum felicitatis titulum vſurpatunt, eò magis alienum, quò nihil infelicius ſit, quàm videre felicem, & non eſſe. Hoc ipſo, quo perſuadent felicitatem, iu.ant non eſſe. Iis tamen fidem damus, non minùs inſani, quàm ſi dicenti ſe eſſe mutum, crederemus. Quis crederet verberanti, non lædere, ſed delinire? Quam tranquillitatem, quæ beatitatis, ſiue baſis eſt, ſiue coronis, dabunt diuitiæ, ſemina curarum, matrices timorum, illecebræ diſcriminum, officina fortunæ ſæuitura? Ferè potiùs, qui nullas habet diuitias, in numerato felicitatem habet. Quomodo arcam nummis aggrauans alleuiabit cor? Honores, ac voluptates, qua arte pacabunt voluntatem, ſi irritant? Honos non implet animum, ſed inflat, & ſpatium ambitioni laxat: & denique, vt egregiè Georgius Piſides:

Ruinoſa eſt felicitas ſpuriæ gloriæ: ſed ſapienti omnis terra eſt prima ſubſellia: communis enim eſt terra ad thronos, & ad tumbas.

Τὸ σαθρὸν εὐτύχημα τοῦ νόθου κλέους.
Τῷ δὲ φρονοῦντι πᾶσα γῆ προεδρία.
Κοινὴ γὰρ ἡ γῆ πρὸς θρόνους τε, καὶ τάφους.

Voluptas potiùs obruet appetitum, quàm ſatiabit. Res & ſubſtantia felicitatis, non aliis organis conficitur, quàm voluntate ſecum coaptata. Qualis amor, & affectuum vſus, talis fortuna. Huius monumenti ſimulachrum coluit Achaïa, fortuna amplexante amorem. Optima felicitas eſt factitia propria manu. Hoc opus eius conditionis eſt, vt nulli ſatisfaciat, ſi aliena elaboretur dextera, niſi amor cuiuſque excudat. Prout gubernatur cor, imperatur fortuna.

Cap. 27. Cuique ſua magis placent: & quò magis propria placidiora; eò magis cuiuſque ſunt propria, quæ facit. Nemo non afficitur erga ea, quæ efficit. Ea operá magis à ſe facta habet, quò minùs aliis ad faciendum habet opus. Si ergo, quod ſummoperè nobis placet, eſt felicitas, proprium cuiuſque debet eſſe, & opus cuiuſque ſolius, nec indigum aliena peregrinorum rerum opera, aut materia. Solùm igitur gaudij auctor, quiſque ſibi ſufficiet, non diuitiæ, quæ noſtræ non ſunt, nec opus noſtrum, ſed fortunæ. Procul ſunt, vt eas procul habeamus, cùm nos alienent. Eadem voluptatum iniuria eſt: ambæ præuertunt conſilia naturæ, in contrarium deflectentes. Ad corporis vſum exteriora dedit; ipſum corpus in ſeruitium animæ; ipſam animam in obſequium Dei. Hunc ſanctiſſimum ordinem abrogat vnaquæque inordinatio animi: voluptatum affectio ſubigit animam corpori. Sceleſtior eſt amor diuitiarum, qui vtrumque tertio prodit; & animam, & corpus vili tradit metallo, & iis, quæ extra nos ſunt. Si alienant nos, quomodo vſurpant gloriam felicitatis rei propriæ? Illi, qui alienus eſt, nihil proprium remanet. In hoc non tantum refutatur hæc ſpuria fortuna: ſed iam excluditur à ſocietate, & amore nummi, legitima & vera; priuatum, ſcilicet, cuiuſque bonum & donum, pax. Non poteſt ſibi aliquid dare, qui ſe non retinet. Quid de honoribus dicam, prætérquàm alieniſſimi ſint, & nos alienant? Alieniſſimi ſunt: quia minùs poſſunt eſſe opus noſtrum, quàm voluptas, & diuitiæ. Voluptatem ſine operatione noſtra non cupimus: diuitias ſine operatione alterius ſeruamus: at honos non eſt opus noſtrum, ſed eſt alterius. Non eſt honorati opus, ſed honorantis: hoc ipſo alieniſſimus, & quia non noſter, & quia alterius. Satis hæc repulſa, vt deleantur è cenſu felicitatis, quæ opus cuiuſque eſt. Alienant quoque nos, dum noſtros nos faciunt, non Dei: (nec enim ſuæ mentis, id eſt, ſanæ eſt, qui non ſit, & pareat diuinæ.) Scientiſſimam, ſcilicet, rerum methodum in cardine corrumpunt.

Pro amoris itaque gubernaculo adnauigat fortuna, ſine diuitiarum, & exteriorum armamentis. Quiſque ſecum vehit expeditam gaudij officinam. Deus, & homo, ſolitarij ſatis ſunt: quiſque ſufficit ſibi: cuique, inquam, ſufficit, quod ſuum eſt. Vnum puto ex omnibus felicem, qui in ſe vno ponit omnia. Nihil ſe amiſiſſe reſpondit Stilpo teſtituenti Demetrio, quidquid ablatum fuiſſet militari iniuria, cùm Megara cepiſſet. Digna Chriſtiano vox: ſed neque indigna eius, qui conditionem ſplendidam, muneraque Ptolomei recuſauit, qui ingenitam intemperantiam domuit. Cum gula & vinoſitate, fortiſſimis euertendo animum pugilibus, fortem illum Virum natura commiſit, ad experimentum virtutis: ſed eos non debilitauit modò, ſed vicit; ſed deleuit ſine veſtigio, ad monumentum victoriæ. Totus regius Philoſophus Prienenſis, cùm capta patria, onuſti rerum ſuarum ſarcinis vniuerſi fugerent, nihil ſuſtulit: rogatus cauſam: Omnia mea, inquit, mecum porto. Nouerat rem portatilem, ſine onere tamen, felicitatem eſſe. Ille alter, Ariſtippus aliquis, poſt naufragium nudus, venit locuples Rhodum, cæteris iacturam ſuam lamentantibus, ipſe alacris: quia ex fluctibus detulerat ſua omnia, dum ſe. Adde, in ipſo naufragio, velut in arido, ſapiens ſtat, conſtat. Pectus ſecum portat, ſecurum portum, non modò maris, ſed etiam in terra, procelloſæ fortunæ. Iuſta laus Charibetti Regis à ſancto viro Venantio:

Cap. 28.

Qui portum in proprio pectore ſemper habes,
Tempeſtas nullo penetrat tua corda tumultu:
Ne ſenſu titubes, anchora mentis adeſt.

In Neptuni vlnis iactatus, ſi tranquillo corde, omnia in littus miſit. Rectum cor omnia ſeruat; quæ ſeruanda ſunt, nimirum, quæ ſeruari oportet, & ſeruata ſufficiunt aduersùs pericula terræ, aduersùs minas cæli, aduersùs furias Inferorum. Non aliis armis, quàm exertis animi, audax, niſi arrogans, Epictetus prouocauit fortunam: O Iupiter, inquit, plue calamitates: ſtationem meam ſeruabo, non amittam bona mea, non pacem, Plue labores, plue pericula, plue dolores, plue ignominias, plue inopiam: nec importunitas laborum, nec timor diſcriminis, nec ſenſus cruciatuum, nec pudor opprobrij, nec incommoda paupertatis incommodabunt me, non obruent gaudium, non turbabunt quietem domeſticam cordi, non munitam modò, ſed ſecuram. Ipſa pace dimicatur fortiſſimè. Omnia prælia vitæ vincit. Nihil ita aduersùs fortunam, atque pax præliatur animi. Non iracundia opus eſt; ſed læto, blando, iuſto tamen amoris modo.

Cap. 29. Maiorem fiduciam pacis, & amoris ordinati, nobis præſtet exemplum & diſciplina Pauli, ſola amoris ordinatione armati, & nedum prouocantis, ſed iactantis, & certi, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque

neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poſſet illum ſua dimouere à voluntate, ſuo ſeparare ab amore, quem ſeparauerat à ſeparabilibus. Non exiguè fortis, non exiguè tutus erat, qui parum,& contemptibile duxit, certamina tribulationis, anguſtiæ, famis, nuditatis periculi, perſecutionis, gladij: aduerſùs maiora audebat. Valentiores æmulos contemnens, non vim modò terrenam, & hæc vulgaria fulmina fortunæ, inopiam, diſcrimina, dolores, calumnias, ſupercæleſtes copias, & Spirituum exercitus vnus ſolus fidentiſſimè præſumebat. Quo gladio? quo clypeo? niſi voluntatis charitate,& pace ordinata? O quanta vis pacis! ô quanta vis inermium potuit eſſe! Reſiſtit fortunæ, mundo: reſiſtit Cælo. Parum hoc: neque creaturam aliam dixit poſſe ſeparare. Fortaſſe meminerat infirmarum, ignobiliúmve creaturarum? Angelos, Principatus, Virtutes, Cæli robur, ac decus memorauit. Cur aliam creaturam laceſſit, nouam prouocat, creandam valentiorem deſiderat? Adeò ſuper omnia eſt animus ritè, & aptè amantis, vt id, quod non eſt, laceſſat; cùm id, quod ſit, iam vicerit. Macedonis ardor ſolùm votis minor: victoriis enim & iſto mundo maior, nouos expetiuit. Ita Paulus non aliis ordinibus,& phalangibus, quàm ſuæ ordinatione voluntatis, & fruitione amoris, parem æmulum non agnoſcens mundum, vltramundanum meditabatur: tam ſufficere ſibi valet, valens commilitone Deo animus, vt ſolus ſuperfluat cunctis, quæ ſunt,& quæ eſſent; iis, quæ ſunt,& quæ non ſunt; iis, quæ ſunt, & quæ poſſent eſſe; iſto, & alio mundo, id eſt, duplici maior. Secum locuples, & pollens, diſcipulus Diuinitatis.

Cap. 30. Nulli Deo theſauri ſunt: omnia bona ſecum habet, ipſe eſt. Nullus ſuæ felicitatis apparatus, niſi ipſe. Frugalis beatitas eſt, & ſine ſumptu. Virum quamobrem rerum contemptorem ſe contentum ſolo, de felicitate cum ipſo Deo contendere Philoſophi iactarunt: quia vterque ſufficeret ſibi. Geſtio mirabiliùs dicere: Deus ſufficit ſibi: ſed non ſupereſt. Totum, quod eſt, neceſſarium ſibi eſt. Ita tamen homo ſibi (cum Deo tamen) ſufficit, vt abundans ſibi, & ſuperuacaneum ſit ferè dimidium ſui: ſufficit animus, ſuperfluit corpus: adeò locupletes, affluentéſque ipſa nos natura fecit. Non totum quod dedit, non totus homo requiritur gaudio hominis. De ſe ſupereſt, vt ſit ſuperior rebus; vt ſit lætus, felix. Poſtquàm det portiones ſui, manebit cum omnibus ſuis æquè diues, ac anteà: adeò pronum & exemptum homini licebit gaudium, non fortunæ modò donis, ſed ſuis artubus; non immune modò exterioribus, ſed innatis. Proſcindatur manus, amputetur pes, reſecetur brachium, eruantur oculi: amputata dextera, ſciſſà tibia, ſecto armo, effoſſo lumine, poterit gaudere, retinere quietem ſui, integrum virum eſſe. Integritati noſtræ non requiruntur partes. Superfluunt artus, manus, pedes, brachia, oculi, & quidquid nobis deeſſe poteſt; non deeſt lætitiæ. Impertinens eſt gaudio, quod pertinet ad caſum. Quidquid nobis excidere poteſt, non eſt, cur in cenſu noſtrorum ſcribatur bonorum: ſemper enim, ait ſanctus Proſper,

Indemnis proprium ſeruat ſapientia cenſum.

Nihil vnquam mutuò accepit: Supremum fortunæ gradum poſuit Automedon, nihil debere. Verè quidem, ſi creditor fortuna ipſa fuiſſet. Puto eum, qui omnia fortunæ debet, etiamſi omnia poſſideat, in imo gradu felicitatis iacere. Nihil, aut minimum fortunæ habet, qui omnia ab illa habet. Sine alienis felix rebus eſſe poterit, cùm poſſit ſine ſe toto.

Dicat Antipater Cyrenaïcus, quid defuit illi, licèt defuiſſent oculi? Anne & nocturnum nullum gaudium poteſt eſſe? Ipſe orbitatem ſuã collacrymantes, aut ſolatus eſt, aut iocatus, quòd triſtarentur, flerentque oculis ſanis, & nihil ſibi exoculato deeſſet lætitiæ. Pardulphus noſter, parentibus, amicíſque dolentibus cæcitatem ſuam, ipſe ſolus gaudebat. Noluit, cùm poſſet, impetrare ſibi viſum, cùm daret aliis: illuminabat cæcos ipſe cæcus: ſubleuabat miſeriam alienam, ſeruabat lætitiam propriam. Dicat Epictetus, num deſiderauit pedem validum, quominùs cælo amicus inuideretur, aut coleretur? Præſtat voluptas ſedens & quieta, quàm iſtæ fugaces, perniciores, & pernicioſiores quadrupedibus, &, quod peius eſt, peiores, brutiores. Mutius non egebat dextera, vt ſuæ gloriæ fructum carperet. Sponte venit ad bonos lætitia: non opus eſt arripi. Scæuolæ quoque laudem abſtulit Barlaam ruſticus inexcuſſo thure, exuſta dextera, immota, quia & inconcuſſo pectore. Potuit & ſine manu rapere gloriam Dei; quid mirum, ſi Romanam. Attentiſſimum cælum aſpexit ſacrificium illud nolentis ſacrificare: & cùm ardentibus ſuis vidiſſet oculis, inuidebat ardenti manui. Anne Antigonus colliſo naſo, Philippus oblæſo crure, Philopœmenes ſine ventre, nunquam riſêre? aut Zeno ſecreta lingua ſemel ingemuit? Anne æternæ miſeriæ ſe damnauit Ammonius præciſa auricula? Anne Agatha ſine lætitia, quia ſine vbere, muliebri decore, ſupellectili ſobolis, penu infantiæ? Dicat ſanctiſſimus Damaſus:

Fortior hac, trucibúſque viris,
Expoſuit ſua membra flagris:
Pectore quàm fuerit valido,
Torta mammilla docet patulo,
Delicia cui carcer erat.

Non extra oſtium carceris exulat vita beata. Vbique capitur in omni anguſtia læta. Si licet in mundo lætari, licet in carcere. Mundus carcer eſt, ex quo ad cauſam dicendam ſui ſingulis diebus euocantur rei: quòd autem meus carcer, magnus ille Vir Morus dicebat, aliorum Principum carcere ſit minor, beneficij loco habeo, cùm è malis minimum ſit eligendum. Quid hunc, vel illum artum diuido? Diuellam cunctos,& corpus; ſi alienum ſit, omnia ſua animus habet. Seruiebat Barbaro Paulinus, ſeruiebat venditus Serapion, nullum membrum arbitrio ſuo ſtabat: ſtabat tamen animus, conſtabat gaudium.

Et, nè limitatum ſit viri priuilegium, non modò abſque artubus conſentaneis naturæ: ſed, quod plùs eſt, ſi repugnantibus conſtaret, ſecúmque ciuilia, genuináque tormenta geſtaret, &, vt de illo veriùs Charidemus Cynici Chryſoſtomi dixiſſet, ex tortoribus compoſitum hominem: nec tantùm, Cap. 31. Cap. 32.

ξογκεῖσθαι δὲ ἡμᾶς ἐξ αὐτῶν δὴ τῶν βασανιζόντων, ψυχῆς τὲ, καὶ σώματος. ſed tot carnifices habere, quot articulos ; adhuc non præualerent obruere gaudium. Summus ille patronus delectationis, Epicurus, in ſummo die vitæ, quem beatum dixit, atrociſſimis viſcerum, & veſicæ doloribus inuaſus, velut offenſis, & in vindictam, iuuidiámque deſenſæ voluptatis graſſantibus, cum his omnibus animi lætitiam compenſabat, vt Hermaco teſtatus eſt. Docuerat & ipſe Metrodorum, ſiue crucietur, ſiue excarnificetur, ſapientem nihilominùs felicem fore. Poteſt inter corporis cruciatus enatare alacritas mentis, & fluctus, quaſſatióque fortunæ miſeræ ſpumare lætitiam. Egregiè Speuſippus, cruribus reſolutus, monenti Diogeni, vt ſe ipſum eriperet moleſta vita, reſpondit: Non cruribus viuimus; ſed mente. Eius rei eſt beatè viuere, cuius & viuere. Anima viuimus: & anima beatè viuemus, ſi benè. Sufficit felici vitæ, quidquid ſufficit vitæ. Tunc cùm minùs in corpore occupatur, magis in Capitolio ſuo, mente, auguſtiùs, placidiúſque recepta viuit. Illuc colligitur vita, vbi præſtantiſſima eſt nec per futiles ſpargitur voluptates, nec diſſipatur per ſenſus. Vnita vita viuacior eſt, vt vis coniuncta efficacior. Libenter has miſceo Philoſophorum memorias, vt pudor nobis ſit non facere, quæ Ethnici, non eſt opus dicere, fecêre; ſed, quæ dixêre. Pleráque adulterinæ virtutis ſunt, fateor: hoc tamen ipſo nos arguet patientia vitij negligentiores, inertes, cùm fauorem contemnamus gratiæ. Quod in illis potuit malitia; ſi mitiùs ſentire volumus, ratio; cur in nobis non poterit virtus, & Deus?

Cap. 33. Nunc ſpectemus & noſtros. Mitogenes ſanus morbo, contentúſque corporis ſe totum continente lue, vota addidit: commiſerantes monebat, non corporis valetudinem ſibi optare, non poſtulare precibus, ſed animi. Aiebat: Deum oro, vt in hac infirmitate diutiùs durem. Adeò animus vigebat corrupto corpore. Quid iam egeret, qui nec corpore toto egebat? Non mirum, omnia munera Euſtochij refutaſſe. Superuacua exteriora duxit, qui ſibi ſuperfluus fuit. Barnabas Anachoreta ſtimulum infixum noluit eruere, putridóque pede gratulabatur ſibi. Reſpondebat admirantibus: Quantò magis homo exterior patitur, tantò magis interior viret. Iacturam pedis lucrum fecit animi. Dolor pretium, aut vadimonium lætitiæ fuit. Permiſit verò ſe Medicis: ſed, quia tantundem fuit, ac laniatoribus. Stephanus Libys phagedæna horribi lue corruptus, & ferè in dimidio ſui cadauer ante mortem, quoad vſum membrorũ, & fœtorem, non quoad ſenſum, qui ſolùm vitæ fecit fidem; patientiæ ſuæ ſuperuiuebat. Grandior natura Vir, grandior omni fide conſtantia & ſecuritas, cuius non obſtant admirationi miracula gratiæ. Interim dum curabatur, (honeſtè hoc dico, nam dilacerabatur,) non ceſſabat à penſo, & opera diurna. Iam ab Viro tam aduerſario otij magnum quid ſperabis. Torporémne? Vtique non actionis, ſed paſſionis: actuoſus fuit labori; obtorpuit dolori: manibus operabatur, & palmæ folia contexebat: affabiliter adſtantes alloquebatur: tam aberat à gemitu, quàm ab otio. Teſtes oculati ſunt Ammonius, & Euagrius, quos non allocutus modò interea fuit, ſed ſolatus. Reliquum corpus committebat Chirurgo, impia manu membra reſcindenti: ipſe minùs, quàm ſi alter ſecaretur, affectus, nec compaſſionem habuit. Poterat, ſi non ſui, præſentium habere, qui loco ſui, ſani, integríque patiebantur delicatiſſimo membro, corde, ſectionem alienam: ille tamen fuit tormenti immemor, niſi à compatientibus admoneretur pati: adeò perfunctoriè dolebat. Quid, inquam, dolebat? Cùm tuliſſet abſciſſionem artuum immutabilis, tanquam ſi veſtes ſcinderentur, aut inſenſiles pili, qui coram aderant, lugebant dilaniationem: ipſe minùs, quàm tonſuram putauit, ſua non impeditus opera in tanto opere carnificum. Quomodo, quod non turbauit manus, & linguam, turbaret pectus? Satiatum erat gaudio, vt in alios eructaret ſolatia. Quàm dominus doloris fuit, qui licentiam dolendi præ ſe alijs negauit? Neſcio an magnus, an multus Vir fuerit, qui & agere, & loqui, & pati, omnia vitæ munia potuit. Magnum eſt, ſimul potuiſſe: ſed admirabile, quod benè; incredibile, quod pati optimè; & cùm loqueretur benè, ageret meliùs, & id patiendo, vbi non habent dicta fidem, opera tempus. Maior fuit Stephani laus, quam in religioſiſſimo Honorato, vt ſummam, intonuit ſanctus Taio:

Vita fuit melior linguâ; ſed lingua modeſta.

Solatus eſt alios, cùm miraculum eſſet non queri. Laborauit, id eſt, vixit benè, cùm ſufficeret non malè mori. Fecit vltrò nouum, cùm ſtupendum fuit, neceſſarium laborem pati. Attendit, egitque plura, cùm vix credibile eſſet, ſe ſolum ferre. Perfunctorium quid ſe habuit, laborem, officium. Parergon, operantem duxit, ſed operam, opus ipſum. Adeò ſe neglexit, adeò quod à ſe dilexit. Exhibeo & molliſſimum, timidúmque ſexum, conſtantem, fortem, licèt exermis, non ære modò, non cute tantùm, ſed carne, ſanctam virginem Spem, ipſo nomine inauguratam gaudio, & cælo. Vnà viuens, ne dicam, cadauer fuit, ſed ſceletus carnibus denudata. Sine membris, niſi cum membrorum medullis, oſſibus conſtabat, &, quod mireris, conſtans. Non potuit palinodiam extorquere Antiochus inauditi Stoïcis, Cynicis, Gymnoſophiſtis, patientiæ iactatoribus, Paradoxi: *Nihil iucundius quàm pati.* veriſſimè cùm pro Deo, & cum Deo. Tunc primùm viſa Spes intrare cælum, & manere. Quin & regnum Dei hæreditatem poſthumam (nullo, niſi hærede, extincto) poſſedit ante mortem: cùm, ſcilicet, mortalis fuit, non mortua. Caro, & ſanguis regnum Dei non poſſident: ſed, quia Spes ſine carne, & ſine ſanguine, quid impedit poſſidere? Hæreditauit viua regnum Dei, cuius poſſeſſionis titulus, mors eſt; ſeu potiùs poſſeſſa eſt à regno Dei, & moritura citò, hæreditata à vita æterna. Argutè ait Iuſtinus Neapolitanus: κληρονομεῖσθαι μὲν τὸ ἀποθνήσκειν κληρονομεῖν δὲ τὸ ζῶν. Dicit & ἀποθνήσκειν μὲν σάρκα, ζῆν δὲ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Quid reliquum eſt, quod contra conſtantiam ſtet, & animi tentet arma? Mórſne, mutilatio magna hominis, id eſt, dimidij, totius, ſcilicet, corporis? Ridiculæ minæ non magis moleſtiam facient, quàm eum, qui cubitum eat, ſi adiuues exui.

PROLEPSIS

Digitized by Google

PROLEPSIS IV.

Gaudium factitium eſt.

Cap. 34. IAm ſiquidem propitiè actum nobiſcum : rebus enim non eſt confiſum gaudium. Frugalis apparatus , non modò corporis nudi veſtibus, ſed membris, imò animi ferè nudi corpore, ſatis eſt. Reliquum erit perſequi delectabilis huius artificij modum. Iacet in nobis tantæ operæ organum pretioſum ; dicam , pretioſius mundo. Vilet tamen, quia torpet, aut vacat, quod ſolùm negotiaturum erat. Reliqua, cùm vacent, & ſuperfluant nobis, exercemus, & ad officia lætitiæ vrgemus in caſſum : cur illud vnum, quod neceſſarium eſt, libertatem voluntatis, otiari patimur ? Quanti putabis eſſe poſſe velle, quæ libeant ? Tanti, ac poſſe, quæcumque libeant. Tanti eſt libertas ad amandam, quanti potentia in amatam rem. Per illam fit homo ſuæ arbiter lætitiæ, & pacis. Licet fingere felicitatem pro libito: alioqui precaria fortuna profeſtum eſt infortunij. Non eſt quid dominans & violentum, gaudium, aut mœror vitæ: aſſeclæ ſunt voluntatis, quæ, cùm libera ſit, liberum eſt, quibus velit, gaudere. Vbi non erit liberum lætari, ſi in ipſa calce fortunæ, in falce mortis, in face inuidiæ, in omni miſeriæ apparatu liberum eſt etiam ſeruis gaudere ? Barbarus ille, (excidit aliud nomen, non potuit excidere gloria) Hiſpanus ille obtruncator Aſdrubalis, domini vltor, poſthuma (rara auis) fide, qui retinuit nomen immortale ſine nomine, comprehenſus, inter cruciatus ipſos riſu exultabat, quaſi euaſiſſet : ridebat patiens, quod deflebant videntes, quod inuidentes; atque amœnitate frontis toruitatem ſæuientium terruit. Conditione ſeruus erat, opportunitate moribundus, loco odioſus, modo excruciatus: & tamen lætus, etiam ſine voto; & tamen ridens, etiam ſine paraſito ; niſi fallar, carnifices ſcurras habuit, tormenta excitabat cachinnum, calumniæ erant facetiæ. Si vicit libertas ſerui violentiam tormentorum, & in ipſis armis calamitatis gaudium ſuum potuit collocare, quæ violentia, quod telum fortunæ valebit intermittere, ſi fortiter nolimus? Adiungo regiam ſeruili conditioni. Gelimeres, Vandalorum Rex, victus, vinctúſque cum coniuge, cum liberis, cum familia, licentiam gaudendi habuit , & fortaſſe nunquam maiorem libertatem lætitiæ, ſine modeſtia. Ducebatur à Iuſtiniano in triumpho : cachinnanti tamen, & licenti diffluebat riſu. Putabatur alienatus mente præ dolore ſæuientis fortunæ : ſanum tamen ille ſe oſtendit. Rideo, inquit, fortunæ viciſſitudines, vt, qui modò Rex fuerim, iam ſeruiam. Negotium deſperatum habes, fortuna, ſi ridicula es, in quem tam ſeriò irata fuiſti. Quid præſumis poſſe luctum compellere , ſi tuæ artes , & vires riſui ſunt ? Non ſolùm , cum arrides , ridere facis ; facis, & cùm excandes. Fœdus , & immodeſtus furentium geſtus faciliùs cachinnum mouent, quàm ſerena facies. Iam , ſi de cruciatibus, de infelicitate licet lætari, cur non ſaltem cum illis?

Cap. 35. Quid, quæſo, maius eſſet ; libertas amandi, abominandíve quæcunque ; an potentia efficiendi, fruendique quæcumque amares, aut cuperes? Si volenti ſumptuoſum, & inſanum prætorium habitare , hoc ipſo enaſceretur ſuperba moles, conſtruerentur ſponte magnifica ædificia, cælatis fulta columnis, marmoreis diſtincta atriis , teſſellatis capacia cubilibus , bracteatis compta parietibus, vt votum eſſet, & exemplar, & artifex : ſi conſpatiari libuiſſet per amœniſſimos hortos, Theſſala Tempe, ſubitò parturiret tibi humus Paradiſos, & Elyſia arua : ſi libeat liberalem eſſe , repentè Lydij theſauri , lateres Crœſi, terram pondere ſuo fatigarent pro te: & ſic in reliquis cupiditatem ſuperaret facultas, deſideria euentus : omnem iſtam pernicem potentiam, hanc Mercurij virgam vincit libertas amandi ; nec deſiderat voluntas ſuæ tranquillitati, & gaudio prætoria, Paradiſos, gazas : melior ſibi virgula diuina eſt: omnia habet, ſi nolit: vſusfructus vtriuſque eſt idem, non cruciari, & pax animi. Habita virga illa, caduceus pacificans. Verè dictum de Chriſto, qui omnia contemnere docuit:

> *Πτηνὰ πέδιλ' Ἑρμῆν , χρυσείην καὶ ἀφεί-*
> *λετο ῥάβδον.*

Priuauit Mercurium alatis talaribus & aurea virga.

Virgam virtutis ipſe emiſit ex Sion. Minori pignore æquiualens pretium continet, qui contemnit: & compendioſè illis commodis perfrui licet, ſine ſtrepitu, ſine inuidia ; tacita quadam, pacifica, ſubita, & felici, vt ſic dixerim, felicitate. Anguſta iactatio fuit illa Seueri : Omnia fui. Omnia ſum, dicat Vir. Omnia eſt, cui nihil deeſt. Sed rectè adiecit ille: Omnia fui, & nihil expedit. Oppoſitum dicas: Omnia ſum, & omninò expedit. Hippias, nobilis Sophiſta , cùm veniret certamine Olympico Piſam , nihil eorum , quæ ſecum tulerat , aut emit, aut accepit: omnia ipſe ſibi propriis parauerat manibus , calceamenta, veſtes, geſtamina & ornamenta, quibus non indutus ſolùm, ſed ſplendidus fuit ; interulam, tunicam , purpurámque domi fecerat , balteum Babylonica pictura variegatum colorarat, annulum manus circulauerat , palam clauſerat, vnionem ſcalpſerat : omnia ſibi fuit , textor, aurifex, ſartor, faber, ſutor , multiſcius ſui artifex. Non eſt, quòd inuideat animus tot artes: omnia penſat artificium voluntatis: ipſa ſibi menſam Solis apponit: omnia ſibi non facit, ſed dat: maior gratia, labor minor. Laus Hippiæ fuit nihil ab alio petiiſſe: ſed negare non poſſet, à ſe laborem exoraſſe, à fortuna materiam, à natura tempus. Citò tamen ſibi dat omnia (ideò gratioſior) qui nolit. Sine elaboratione habet, in quo diu laboratur efficiendo , angitur conſeruando, timetur cauendo. Expertus hoc, qui fauore imperiali ab inopia ad ſummam opulentiam euectus, ſe querebatur inſidiis ſui Imperatoris ſomno , & otio priuatum. Quid ampliùs habet, qui diuitiis, aut inſidiis potitur, ſi vtriſque vigilat? Quid exigeres ab ambitu ædium, ab amœnitate hortorum, ab affluentia diuitiarum, niſi gaudere ? Hoc præſtare poteſt voluntas ſine tot adminiculis, & cum immunitate curarum ſeruandi, poſſidendi, prouehendi. Pereuntium enim amatorem rerum quodam miſeriæ dilemmate intercipit neceſſaria calamitas, ſiue optet, ſiue poſſideat, ſiue donetur, ſiue mulctetur votis. Veriſſimè ſanctus Proſper ait:

Seu caret optatis, ſeu fruitur, miſer eſt.

Nihil

Nihil puto intereſt marcere timoribus, an deſideriis. Parum refert, propinetur cicuta aureo calice, an fictili. Eamdem deſideria carenti, timores fruenti, miniſtrant triſtitiam. Quamobrem voluntas abſtemia fortunæ, & recta, ocyùs ad felicitatem venit ſuis irrita votis, quàm praua compos: imò illa ſæpè, iſta nunquam. Non ſemper eſt felix voluntas impleta. Illam felicem puto, quæ impleri non expectat.

Cap. 36. Lætitiam poſſeſſionis cùm habet, valet ex contemptu capere, ſi careat. Gaudium habendi cùm amauerit, poteſt compenſare non habendo, ſi faſtidierit. Commutet vota, commutauit gaudia. Facillimum eſt totius miſeriæ remedium, mutatio cupiditatis. Transferat deſiderium, & ſalua omnia fient. Qua parte ſæuit fortuna, eludat deſultoria libertate. Tranſultando præſtringemus miſeriam, eludemus ludentem fortunam. Æquè licet hæc cupere, ac odiſſe: æquè licet gaudere obtinendo, & carendo, pro prauio affectu. Licèt liberum non ſit habere, liberum eſt nolle: & perinde eſt poſſidere, ac non velle. Compendium cupiditatis ſupplet omne impendium, & prodigalitatem fortunæ; cuius cornucopia vberior eſt inopia amata. Leuius eſt non acquirere, quàm amittere: facilius carere, & contemnere, quàm conſequi. Cur non eligimus, quod leuius, quodq; facilius, ſi magis ſecurum, ſi non minùs fortunatum? Semper manet ſemita aliqua, quæ paci, atque gaudio pateat. Si iter poſſidendi occluditur, via contemnendi eſt regia, & expedita ſemper. Nucleum ſuauem, etiam ſine putaminibus, accipies; cur non & lætitiam ſine his, quæ illam continere putas? ſine lætis dico, quæ cortices ſunt lætitiæ, non lætitia: poteſt ſine illis eſſe. Delectatio ſequitur affectum, non res. Neſcit ſedere in poſſeſſione, aut priuatione rerum, donec voluntas hæreat, aut horreat. Si ita felix aliquis eſſet, vt quidquid videret, haberet, & poſſeſſionem cupitorum ſolùm oculis acciperet, non eſſet felicior, quàm qui poteſt, quidquid videt, non cupere. Stabilis fortuna eius eſt, cuius poſt currentem fortunam cupiditas non currit. Quid opus habes, palentur cupidines tuæ Immobilis ſolùm eſt, qui aſſequitur felicitatem; iſtam dico, quæ ſine ſtrepitu eſt, quæ intus latet, quæ verè pax eſt, cuius es cõſortio æmulus Diuinitatis. Non ſine magno ſacramento apoſtolicus, & cæleſtis Vir, S. Iuſtus, cuius meminit diuinus Lucas, (vt puto cum Maximo, Monothelitarum maximo triumphatore,) pacem Dei ἀφθεγξίαν vocat, & ἐπὶ πᾶσαν γιγνομένην πρόοδον, ἀκινησίαν. Silentij laus, patientiæ opus, & quietis meta, pax eſt, & felicitas.

Silentium, ſiue in loquacitatem. Ad omnem progreſſionem, quæ cognoſcitur, immobilitatem.

Cap. 37. O quàm citò, quàm pacificè, & ſine copiis, potes mundi, & rerum omnium potiri; imò prodigere, ſi deſpicias! Nondum dimidium Orbis adeptus fuit miles Macedo: ſi tu contemnis, dominus totius es, & renunciaſti aliis, contentus tibi, liberalis reliquis. Munificentia tua, Orbis eſt. Ad ſummum, regna dabat Alexander, non mundos, quos non niſi in votis habuit, & lacrymis; priúſque vidit Diogenem dominum omnium, dominum mundi, quàm ſe; & plus habuiſſe innocenter, & ſine cæde, quàm inhumanè ipſe, & tot cladibus. Quid poſt longam vſucapionem felicitatis, rerúmque crebrum vſum ſolet haberi, niſi faſtidium, etiam iucundarum? Idem habet ante felicitatem, qui contemnit. Perinde eſt contemnere, ac diu felicem fuiſſe: par exitus vtrobique. Quot tacitos & maiores Alexandros libertas ſua facit, qui mundum deſpiciunt, & vtendum concedunt aliis, id eſt, donant; nec digna ſe munera eius putant? Superat in hoc (æmula virtutis) auaritia fortunam: plura vota illa habet, quàm hæc dona. Nónne & ſuperabit virtus plura contemnens, quam fortuna iactat, quàm neget? Inuentio auaritiæ eſt, poſt omnia poſſe optare aliquid. Sunt cupiditates, vt numeri: nulla eſt, poſtquam non ſit alia. Idem hic mihi videtur dicendum, quod argutè Seneca videns Neronem occidentem plurimos, quotquot de imperio cogitare exiſtimabat. Dixit: Licèt plurimos occidas, attamen non potes ſucceſſorē tuum occidere. Ita eſt: etſi conſequatur plurima cupiditas, non poteſt vltimum conſequi, poſt quod non cupiat aliud. Virtutis autem ingenium eſt, poſt nihil habere omnia. Itaque libertas amandæ, non poſſeſſio rei amatæ, radix lætitiæ eſt. Multi plus gauderent, ſi non haberent, quæ habent; quàm alij lætarentur obtinendo: cruciantur optando.

Quid rerum mutationem deploramus? Demus alicui fidam fortunam: importuna erit, & moleſta, & non credo placituram. Ad nauſeam Samio tyranno fuit, qui ſolùm viſus fortunæ partus; cæteri priuigni, aut alumni. Et tamen maternos fauores, quia continuos, ægrè tulit: doluit importunam felicitatem: voluit, aut reiicere, aut interpellare, abiecto pretioſiore annuli pignore, (reſeruabantur odia poſthuma:) non potuit. Volens perdidit, inuitus repetit. Vnus fuit, quem felicitas perſequeretur, & inuaderet coràm, præter morem ſuum. Alioqui perſequitur felices ſuos fortuna; ſed cùm fugit, aut ducit illos. Demus ita ad guſtum cum aliquo actum, vt proſperitati obligaretur: genus infelicitatis eſſet, alligatam felicitatem geſtare, nec poſſe aliquando excutere. Hanc extraneam dico. Plures infelices ſe putarent, ſi neceſſariò futuri eſſent felices. Fuiſſent miſeri, ſi neceſſariò Reges. Maius igitur eſt bonum, libertas cupiditatis, quàm proſperitatis neceſſitas: magis enim fortunat, poſſe contemni fortunam, quàm ipſa regna. Imperia multi recuſarunt; alij, quia non potuerunt, miſerrimos iudicarunt ſe; & hoc ipſo fuerunt. Neminem fallit miſeria: ſi putetur, eſt. Hoc ipſo, quòd falleris, veriſſimè miſer eris. Quidni miſeriam putarunt feliciorem neceſſaria felicitate? Genucius exilium æternum antepoſuit regno. Gordianus purpuram, niſi coactus inſtantibus gladiis, noluit accipere. Secundum rerum malum putauit imperium; ſecundam poſt mortem, duxit ſecundam fortunam; inter purpuram, & necem dubius fuit. Quæ miſeria maior, quàm vbi fatum, & ſceptrum de neceſſitate certant? Cap. 38.

Dicam iam non aliquem, qui recuſauit regnum: ſed, quod maius, matrem, quæ illud recuſauit filio. Luſitani in Regnum Ternatenſe Aërium puerum decennem elaturi, à matre quæſierunt: renuit illa primùm: deinde muliebribus armis, lacrymis, precibus, mox robuſtiùs amplexibus, & viribus, & denique maluit occidi, quàm Cap. 39.

filium

filium Regem videre. Vnà è brachiis matris ereptus filius, & matri ereptus præcipitio ſpiritus. Adeò magnum infortunium eſt neceſſitas fortunæ. Vicit Philoſophia barbaræ fœminæ, lauæ natione, ambitionem Romanæ Agrippinæ. Hæc voto imperium filij, ſuæ præpoſuit vitæ: illa maluit mori, quàm filium imperare. Gaudium ſancto Patriarchæ Iacobo ex nuntio viuentis Ioſephi temperatum fuit, vt illud ſuſtinere viuus poſſet, quòd ſimul annuntiaretur imperaſſe Ægyptiis. Nullam lætitiam hæc felicitas excitare potuit: ſibi ſufficere dixit, ſi adhuc Ioſeph, filius ſuus, viueret. Non ſeruiuit fortuna filij lætitiæ patris: deſeruiit tamen vitæ, ne vita filij parricida eſſet, vt fuit in Romana fœmina. Timuit prudens ſenex forſan, mutatos in aula filij mores: timuit certiùs mutabiles fortunæ. Neutrum nuntium ſeorſim ſuſtinere fortaſſe poſſet, aut gaudio, aut triſtitia victus: vtrumque ſuſtinuit viciſſim attemperatum.

Cap. 40. Pluris igitur eſt libertas fortunæ, quàm ſi in te ſolum decoqueret illa totum patrimonium, & cum iureiurando repetendum negaret. Plura ſolùm poteſt fortuna dare; voluntas ſatis. Magnum intereſt diſcrimen inter plus, & ſatis habere: illud eſt limen cupiditatis, iſtud limes. Semper in veſtibulo cupiditatis eſt, qui cupit. Vndecumque incipitur, ſine vltima. Ex quauis cupidine ingreditur auaritia, etiam ingreſſa. In corpore infinito quamcumque partem aſſignes, æquè diſtabit à fine, ac priores. Vndique mediũ eſt, nullibi extremum. Quodlibet punctum eſt centrum. In medio iacet. Vaſtiſſima, infinitaque moles fit deſideriorum. Ex quolibet æquè diſtat terminis, quia nullus. In vnoquoque auaritia in centro eſt ſuo. Vndecumque ambitio in prima eſt linea. Vbi terminus nullus eſt, totum eſt initium. Adeò ſingularis genij eſt cupiditas, vt eius terminus nullibi ſit, & eius principium vbique. Poſt plura ſunt alia; poſt alia, omnia; poſt omnia reſtant auaritiæ vota; poſt ſatis, nullum. Diuino artificio fabricata eſt voluntas humana: in ea vna cuncta continentur, quia valet compenſare omnia, valet ſuperare. Peritia artis eſt, breui plura reſumere, & in cælatione exigui vnionis exprimere ingentem figuram ſuis abſolutam, ſuis magnam in paruo partibus, vt in Alexandri annulo. Maiori aſtutia elaborata voluntas, cùm vna ſit, plùs quàm omnia comprehendit. Ipſa eſt compendium gaudiorum; ſua tamen conſtantium magnitudine, & numero. Nihil opus habet mutuare à fortuna; quod non intus habeat; nihil deprecari, quod non queat eludere: cui mirabilior eſt vis, quàm annulo Gygis; nec minùs per eam ad regnum fortunæ ſcandere licet, quàm ad Lydium. Palam annuli ſi ad ſe conuerteret Gyges, inuiſibilis fiebat, tutúſque: ſi à ſe ad extrinſeca auerteret, rarum immunitatis priuilegium amittebat omnibus patens, viſibilis etiam inuidentibus. Ita cupiditas, ſi in ſe reflectatur, quiſque ſecurus erit, inuiſibiliſque fortunæ ſuis illum non attactutę iaculis, locupletiſſimum aſſequetur regnum: at, ſi ad exteriora conuertat, tunc ſcopus proponitur fortunæ, tunc conſpicuus & euidens rapidis exponitur telis. Adhuc incruentus & indemnis, miſer erit ſolo timore miſeriæ. Contrà erit is, qui introuerſæ cupiditatis eſt: etiamſi non ſit aliud, de quo gaudeat, de ſecuritate gaudebit, inter cæca & volantia fulmina ſtomachatæ ſortis perpetuò ridens, & columis.

Anne mendacium, aut quid impoſſibile monebat Diuus Paulus, cùm ciues Theſſalonicæ hortabatur ſemper gaudere? Neſciebatne alloqui homines, an Deos? Si homines, mortaléſne, an immortales? Mortales planè nouerat, in quos gladius, furor, inuidia, inſidiæ, iniuriæ, curę, morbi, & omnis denique miſeria ſæuit, & ſuarum virium facit non modò experimentum, ſed oſtentationem. Anne Epicureos aliquos, qui omnibus indulgentiis voluptatis reſiſterent tot copiis triſtitiæ? Non, niſi Chriſti diſcipulos, in quos ſuper omnia humani generis pericula adiectum eſt maius aliud, ipſum genus: in quos inſurgebant parentes, mundus, Infernus; qui nec ſui ſecuri ſunt; quibus omni voluptati vltimum vale, & æternum dicere opus erat; omnibus, quæ poſſidebant, nuntium mittere, maximè pro diſciplina illa veteri, & nouitio feruore. Ad hæc ſciebat, non quoſuis, ſed Theſſalonicenſes viros, tunc temporis bonorum ſuorum direptione, malorum inuidia, inſidiiſque non concuſſos, ſed oppreſſos, nec tutos morte interminante ſuperſtitibus, de ſublatis. Inter has machinas miſeriæ, inter tot organa mœroris, inter tot tormenta fortunæ, quid ſuaſibile putauit, ſine interpellatione gaudere? Opus iſtud indefeſſi gaudij, ſolius animi eſt. Quomodo hunc intercidere valebit fortuna, quem cædere non valet, nec cæſum videt? Nihil cum animo eſt illi. Inter mortalitatis iniurias ius quoddam immortalis tranquillitatis retinere poteſt, Deo immortali ſimilis homo moriturus. Cap. 41.

Deificum Philoſophiæ munus cenſuit Hierocles, illiúſque ſtudioſos dixit Deos mortales: Cap. 42. Diuinitatis titulum tribuit ob ſimilitudinem: addidit mortalitatis ob mutationem, & tranſultationem fortunæ, quæ, quia ſiniſtra, inuitè adhuc bonos verberat impotenti ſui illa manu, & errore impetus. Falſus eſt: æquo titulo Deitatis, & immortalitatis æmulatione geſtiunt. Independentia rerum, & ſui ſolius ſuſpenſio mortales facit; immortales poſſeſſuros ſuam ſine vſurpatione interpellante pacem. Similis virtutis ſtatua Deo æternitatem meretur. Vſurpo hoc dictũ Procli à diuino Epiphanio, & Methodio traditum: quemadmodum Phidias, cùm Piſæum ſimulacrum fabricaſſet, oleum circum pedes effundi iuſſit coram ipſa ſtatua, ex ebore enim erat; vt ipſam immortalem conſeruaret: non minùs ſummum illum rerum Artificem, quàm manuarios, ſui ſimulacri conſtantiam prouidiſſe. In ipſa ſimilitudine interruptionis cauſa eſt. Quæ ſimilitudo Dei? immunitas fortunæ, & ſufficientia ſui. Hæc, quia caſu immunis, ſtabilis; cuius quietem nec turbabit lex fati, nec illex fortuna interpellabit, nec ſeueritas mortis, nec leuitas ſortis, nec ſeria vnius, nec ludibria alterius. Factitius Deus euadit miſellus homo immuni, perenníque beatitate, ſolius voluntatis inauguratione. Si ars aliqua eſſet, quæ homines in Reges efferret; ſi robur ſub ingenium caderet; ſi elegantia, artuúmque proceritas induſtriæ pateret; ſi vis perſpicax, aciéſque mentis artificialis foret; quis pretio, quis labori parceret? quem non reddidiſſet largum auaritia, audacem cupiditas?

ditas? Cur, quia inuentio non ſit fortunæ, nec ars efficiendi Reges, dominóſque terreni anguli, ſed Deos Dynaſtas ſui, fortunæ, mundi; torpemus, & impatientes lucro deificæ dignitatis ſumus? Quæ mutatio noſtri generis eſt, vt ſolùm Diuinitatem iam faſtidiat cupiditas famelica omnium, niſi eius ſolùm, quo ſatiari poteſt? Vbi nunc eſt antiquus ille ardor primo coætaneus homini, cùm voluit eſſe ſicut Deus? Supplicium eſt præſens, faſtidium præteriti appetitus. Crimen fuit in ſcientia, & intellectu concupiſcere Diuinitatem: virtus eſt in amore, & voluntate conſequi. Tædium huius, pœna eſt illius auiditatis. Errauit Adam in modo, non in appetitu. Hoc patrimonio ſimilitudinis ſuæ donauit Deus hominem, fœtum vltimum, velut Beniamin dilectum, & Bennoni charum, æquè filium dexteræ ſuæ, & doloris, exclamat S.Hilarius:

O felix animal nimium, cui dextra Tonantis
Eſt pater.

Dicam, ô felicius! cui dolor Dei eſt mater. Manibus ſuis fecit Deus hominem, doloribus refecit. Non igitur, quem ſic dilexit, Benjamin, ex hæredem reliquit: ſed in ſimilitudinis ſuæ portione hæreditaria inſtituit adeunda, non inflatione ſcientiæ, ſed modeſtia voluntatis. Fruſtrà ad ſimilitudinem diuinam natalia humana celebrantur, ſi appetere, & imitari illam non liceret.

PROLEPSIS V.

In quo ſit gaudium.

Cap. 43. QVoniam ſuæ alacritatis architectus eſſe quiſque habilis eſt, ante elaborationis eius modum, oportebit, in quo pax animi, gaudiúmque ſiſtat, præmittere. Gaudium eſt quoddam ſilentium appetitus; quædam modeſtia ambitionis; quoddam clauſtrum cupiditatis; quidam thronus iam confidentis affectus; quoddam ſine faſtidio epulum cordis; quædam præda voluntatis; quædam mors deſiderij; quidam auaritiæ limes; quædam conteſſeratio animi, & rerum; quædam adæquatio amoris, & rei amatæ; quædam ſocietas voluntatis, & eius, quod optabat; quidam aſpectus deſiderati; quædam præſentia cupiti, quidam occurſus quæſiti; quidam contactus; quidam amplexus boni: & denique, vt hæc complectar, quoddam Satis. Non totum tamen in rebus conſidet, vix pede altero contingit, quatenus ſit nexus, & conſenſio earum atque voluntatis, quaſi mutuo connictu, reſpectúque viciſſim ſibi reſpondentium, reciproco attractarum complexu, adæquato conuenientium implemento. Omne gaudij opificium hæc completio eſt, ſi nihil cauum reſtet voluntati. Qui gaudet, contentus dicitur: quia tunc gaudet voluntas, cùm continet quidquid capere valet, aut volet; id eſt, quidquid exoptare; velut calix, liquorem. O raram rem, aliquam fidam ex rebus lætitiam! Omnia præter Deum curta ſunt voluntati, & grandi peccant paruitate.

Cap. 44. Ad diuinam normam ſtructa voluntas eſt. Quantumuis dilatentur, quantumuis inflentur, quantumuis explicentur hæc contracta, quæ vulgus bonorum titulo honorat, & ſuper pedum, digitos inſurgant extremos, ſurrigant ceruicem, attollant frontem; minoris ſtaturæ erunt, atque ex hac diligentia infirmiora, inſtabiliora, ridicula. Omnia minus ſunt, ſi noſtrum expandamus ſinum: inæqualia nobis, nec implebunt. Veſtis Zachæi adaptari non poſſet artubus Goliæ: nec Gigantis calceum impleret pes paruuli. Si vaſtus Oceani alueus exſiccaretur, illa aquæ non poſſet impleri. Anne cauum, quo poteſt capi Deus, occludet gutta vna mellis, aut flatus aëris, aut glebula luti? Quidquid, inquam, volupe ſit, quo mulceat libido; quidquid honorificum, quo ambitio inflet; quidquid opulentum, quo conſpurcet auaritia? Diuinis typis, iuxta Athanaſium, efformata voluntas eſt. Non mirum, ſi minus illi ſit, quidquid Deo eſt minus. Quomodo vaſta illa inanitas, Deum exceptura, ſolidabitur rebus inanibus? Solo intus Deo contento contenta eſt. Solus, qui eſt omnia, quadrat cupiditati. Solum illum, qui ſit omnia, dico: nam, nec omnia quadrabunt, niſi illud, quod ſit ſolum, omnia. Iam aliquid maius eſt, quàm omnia; vnum, quod ſit omnia. Addit ſuper omnia gloriam ſimplicitatis, & in vnitate cunctorum adamplíat virtutem, magnificat præſtantiam, creſcit in infinitatem. Vnio ſolùm ſatis eſt incremento, quid erit ſimplicitas? quid vnitas? quid ex vniuerſis vnum non vnitum, ſed vnitas? Non eſt, cur pingatur puſillus amor: ſuper omnia eſt: cum Deo ſolo audet componi, ſeque cum illo metiri.

At legitimum licèt gaudium, genuináque ſatietas voluntatis, Deus ſolus ſit; in cæteras inde Cap. 45. dilabitur. Res viatica quædam & modeſta lætitia, proludium & prælibamentum illius. Sinus eſt proptereà voluntatis vſus, & modus tranquillitatis: vt, licèt iſtis rebus prætereuntibus, properanti úſque ad interitum non ſedeamus; ſiſtamus tamen, & perfunctoria fungamur interim, factitiaque felicitate in hac vita, quæ ſitem amarorem eius tergat, fortunam expiet, & inaniam voluntatis, ſi non repleat, expleat. Duplex quies humani cordis eſt, vna appetitus, altera motus eiuſdem appetitus. Illam primam habere valemus, dum figimus cupiditatem in vno, determinamúſque, nec per rerum angulos oberramus vagi bonum reperturi. Intento tamen, inuentóque iam bono, tunc procedit motus appetitus ad fixum, ſtatúmque aliquid, cuius deinceps peregrinatio ſuauis eſt: quia non ſit error, ſed iter. Magis tunc laborant, & anguntur viatores, cùm quærunt iter, non cùm itinerantur. Eſt in vitæ huius via ſua quies: dum cupiditas non palatur. Aliud eſt quærere viam, aliud ire. Illud fatigat; quia inquietum, & incertum: iſtud etiam voluptatis cauſa ſumimus; ante terminum ſolet etiam quieſcere viator.

Verùm, nónne omnia nuper calumniati ſumus, minora, curta, & puſilla, præ capaciſſimo Cap.46. voluntatis gremio? Quomodo inane illud immenſum occupabunt? Vtique omnia exigua ſunt; &, ſi cupiditas ſe aperiat, cuncta non opperient. Poteſt tamen ſinus noſter laxari, & ſtringi: explicari poteſt, poteſt complicari. Eâ aſtutiâ fabrefacta voluntas eſt, vt, licèt immenſi ſit fundi, arctari ſciat, & minimis quibuſcumque conuenire adæquatam rebus ficti, hoc eſt, quietam. Duo, quæ inæqualia ſunt, alterutro poſſunt modo

modo pariari inuicem:ſi, aut maiori detrahatur, aut minori addatur:aut contrahendo illud, aut iſtud protrahendo. Non ſunt res tantæ, vt iactatum tolerent;faceſcent in nihilum:non ſunt tales, vt ſuſtinere onus poſſint; infirmæ ſunt:additamentum quodlibet grauabat,aut obruet.Remedium in voluntate erit : non è chalybe, aut ferro facta; è cera potiùs eſt: nata hîc miſeriis, & miſericordiæ: denſari poteſt;expandi poteſt, dilatari, & conſtringi:è materia ductili eſt, quæ in ſe colligitur, & è ſe producitur arcana quadam virtute ex libertatis vi:nũc ampliatur, nunc reſumitur adæquatura ſe rebus pro cuiuſque magnitudine:ita ſinum eius conſtrictum occupant parua: licèt naturalem menſuram non compleant,explent artificialem; quod quieti alicui ſatis eſt. Hoc rarum eſt priuilegium libertatis, ſe accommodare minoribus; æquare, cui voluerit.

Cap.47. Felicitas infinita eſt, parem eſſe cupiditatem cupitis: non dico ob ambiguitatem magnitudinis;ſed,cùm æqua eſt cupiditati potentia. Infinitum quid eſt,finire vota:ipſe terminus cupiditatum immenſus eſt Erramus tamen, cùm poſt interminabile oberramus; &, quod interminatum eſt, non quærimus. Quod tamen naturâ Deus, arte virtutis poteſt mortalis æmulari: & quod nequit potentia humana, poteſt abſtinentia. Igitur,cùm gaudium non in rebus commoretur,ſed in iſta ſtet contesſeratione,& adimpletione, pro libidine voluntatis; quacumque re voluntas expleatur, hilaris & tranquilla manebit:quia plena,tam in labore,quàm in mollitie; tam in cruciatu quàm in delinimento gauiſura. Æquè vtriſque compleri licet. Vrceus melle impleri poteſt,æque ac felle: quodvis infundas, plenus erit. Siue pyxis aloën,ſiue ſaccharum capiat,vtroque opplebitur: ita rebus ſine delectu duris, blandiſve voluntas referta erit. Si ſe accommodat,conſtringit;& velut Heliſæus paruulo commetitur,dum nihil vltrà velit, quàm habet, aut habituta eſt; ſiue labor, dolórve; ſiue alia ærumna ſit maior. Nullus labor acerbus eſt patientibus, ſed nolentibus. Nequaquam putes extra fidem,moleſta,ærumnoſáque lætitiam voluntatis poſſe alere: ipſis miſeriis poteſt nutriri felicitas. Nemo eſt miſer, qui ſua miſeria eſt contentus: potiùs, quòd ex voto in miſeria viuat, fortunatum dicam. Nullus eſt infelix ſenſu aliorum. Qui ſua conſcientia verè felix eſt, non erit falſo iudicio calamitoſus. Quis beatior, quàm qui agit ex voto ſuo,& res pro voto aguntur? Fabios,Camillos,Regulos paupertas & afflictio non moleſtarunt: quia non extra votum. Quid intereſt, quòd inops ſit, qui hoc vult eſſe? Quid refert,inglorius ſit, qui honorem reſpuit? quominùs lætiſſimus ſit, cùm id ſit, quod vult, plena & ſolidata voluntate?Deſideria ſunt rarefactiones, & productiones illius: at; ſi plena etiam abſinthij ſucco,gaudens perinde erit; expleri,gaudere eſt.

Cap.48. Quid cauſæ fuit,quòd Attalus regiis deliciis, licentioribus, inquam, omiſſis, olitor maluiſſet fieri,& ruſticam curam, quàm publicam gerere; hortos fodere, quàm in ſoliis ſedere; germina ſerere,quàm imperare? Quid vt deinde ærariæ artis fabricæ vacaſſet, cui aurum vacabat, ærarium,& ſupellex, ſatis eſt dicere ſua, Attalica? Laxauit cupiditatem regno & opibus gauiſus,ſiue gauiſurus,(vix aliud ſui bonum diuitię,quàm ſpem præbent:ſemper bona eſt; hoc tamen ipſo mala, quòd bona: hypocriſi enim laborat:)reſumpſit verò, cùm ager placuit. Quid, quòd Cincinnatus honorem annuum voluit, continuum noluit? ampliauit illic, collegit hic, cùm ſe ad rus collegit?Ibidem Africani ambitio deſiuit:inglorio tunc quieuit tuta gloria laborum: ille in merendis honoribus præmia duxit,labores in recuſandis. Æquè in vtroque laborauit,in merito, & in modeſtia, in qua maius meritum. Pro præmio fuit non ceſſare mereri. Tunc honos

Inferior virtute fuit, metuitque repulſam
Obuia maieſtas. Doluit fortuna minorem
Se confeſſa viro. Magnum, delata poteſtas;
Maiorem,contempta probat.

Dignus ſolùm dignitate eſt ille, quo dignitas non eſt adhuc digna, ſed candidata. Prouidentiſſimi iſti è fortunæ palmis vltrò exilire elegerunt,quàm cadere, aut proiici. Cadere periculum,proiici contemptus,exilire virtus eſt. Hanc magnam felicitatem habuerunt, non vinci felicitate. O quàm magna virtus fugere fortunam; deinde reſiſtere, maxima fugare! Robuſti animi eſt reluctari fortunæ, fortunati non cedere: Quid fecit Solonem recuſare thronum? Pulcherrimum locum nouerat: ſed,qui exitum non haberet; ſéque paucis, modiciſque, vt peruiis, adaptauit. Quid Audentium abnuere imperium? Conſtrictio cupiditatis. Quid Seuerum inter blandimenta ſortis, & adulatorum, in comitiis voluptatum,diuitiis,potentia,immunitate? Imperator erat, & neſcio, an dignus non mori, quàm non naſci. Seueritas condemnabat natiuitatem, vtilitas publicæ rei mortalitatem. Quid, inquam,fecit,vt leguminibus contentus eſſet;& adeò aſſuetus, vt carnem pro negato veneno ſumpſerit, qua expirauit? Accommodatio voluntatis. Nec aliud Antiſthenem, Zenonem Citrieum lætos, vt ego ad ſummum puto, vt ipſi, beatos in omni auſteritate,ſiue miſeria vitæ fecit.

Nostros prætereo, qui modicis vixerunt contenti. Deo pleni erant,quid mirum,tanto hoſpite ſi omnis occupatus locus, aliis ſpatium rebus non linqueret?Quid mirum ſit paruo contentus in quo Deus contentus occupat multùm?Nihil apud ſe ſuſtinent,cùm teneant,quod eſt omnia. Quid mirum,cæleſtis ille vir,Frãciſcus Lupius, noſtri Ordinis clarum, non ſolùm miraculis,ſed miſeria ſua decus, poſtquàm omnia reliquiſſet cunctiſque ſpoliatus præter ſe, quia non ſe nudum vidit, ſi pallium dediſſet egenis? Neque enim ſatis erit paupertatis amans,cui non exudet amor in pauperes. Vbicumque res amata conſpicitur,trahit, inſtar magnetis,corda. Vltra humanam gloriam factum iſtud fuit: nam, ſi gloriatus Chriſtus fruſtum dimidiari à Martino pallij coram Angelis oſtentabat, & penè præſumebat, non honeſtiori purpura arrogans, ſibique auguſtus;ecquis gloriæ pretium æſtimauit, cùm ad reliqua vltimæ miſericordiæ, & paupertatis argumenta pallium Lupius adiecerit, quod in partes diuiſit pauperibus,vt, licèt diuiſum,ad plures veniret totum?Sed, quamuis vltima hæc gloria, non fuit vltima charitas, nec extrema paupertas:tunicam deinde ſciſſam totiens donauit,quot in fruſta diſpertiuit. Nec dum hic ſte- Cap.49.

tit virtus, quæ neſcio qua arte cum ſumma inopia ſummam beneficentiam amicauit, vt nunquam defuiſſet homini munus, cui defuerunt omnia: tam eſt abſque fundo, vel cum ingenio, miſerationis ærarium. Quin,ſicut extra gloriam iam eius miſericordia abiit, ita extra viuos. Cadauer nudum mox videns exuit ſe ſubucula reſtanti,& decenter humat. Imitatus Martini officia in viuos, ſuperauit Beſſarionis charitatem in mortuos, qui ſuperhumerale dedit defuncto. Aliquid magis neceſſarium donatum à Lupio video, Martini, & Beſſarionis laudem in ſe cumulante. Quid appellem hominem adeò ſubſiſtentem ſibi, ſecúmque? Fortaſſe prouocatorem Pauli,cùm vltra diſciplinam ſuam,etiam ea,quibus indueretur, non reſeruauit; nullis, quibus tegeretur,contentus? An æmulum & repetitorem innocentiæ Adami:quia ſola nuditatis ſinceritate gauiſus? An Dei familiarem, contribulem, & diſcipulum: quia ſe ſolo,ſine adiacenti, lætus? Quid iam poſt omnia, poſt pallium,poſt tunicam, poſt induſium reſtabat, niſi ſe dare? Dedit, non ſe excuſauit:& cùm opibus non potuit, ſubueniebat operis: nudus vixit, nudus obiit,poſthuma adhuc virtute. Tam miſericors fuit vt ipſe fieret miſerandus, non miſer: nam hoc eſt cordis negotium, non aſpectus. Licèt omnia reſpueret, tefertus Deo erat. Paupertas nomen in illo amiſit: faciem potiùs miſeriæ habuit. Miſeria in illo ſubſtantiam amiſit: rem potiùs,& ſtatum beatitatis habuit. Non illum dumtaxat amor inopiæ; ſed copia amoris inſtigabat.

Cap.50. Prætermitto igitur Viros ſimiles, qui reiecêre magna omnia, ob anguſtias voluntatis non conſtrictæ ad exigua,ſed expanſæ; plenæ tamen diuino Spiritu,aliud minimè capturæ. Illos cõmemoraui Deo inanes: & tamen voluntatis artificio non capiebant, in quod inhiat,& panditur cupiditas vulgaris: ſe enim conſtringebant & adæquabant paucis,& licèt vacui, obturabantur: laxamenta enim, & caua cupiditatum,ſunt ferarum ſæuientium caueæ, curarum, mœrorum: nec alia voluntas miſera eſt, niſi inanis, id eſt,cupida.Solùm cupidines cor angũnt, quatenus partem eius vacuefaciunt; fragilem voluntatem reddunt, pumicoſam, carioſam,caries enim voluntatis,cupiditas eſt:non minùs illam, quàm ligna, ſuus perdit morbus. Quid deſiderium putas, niſi voluntatis hiatum? Hiare cupientes dicimus:hæc cauſa triſtitiæ. Corporis dolor,diuiſio eſt partium vnitarum:ita & animi dolor, vniti cordis ſciſſura, quæ cauum aliquid efficiat.Inanis ventriculus officina eſt famis:ſic deſiderium, eſuries amoris eſt impatientiſſima, quæ, cùm teſtat aliquid depletum, angit animum. Exigua mala corrumpunt magna bona: gutta aceti perdit vaſculum nobiliſſimi meri.In hoc maligna indoles cupiditatis: vna ſola corrumpit plura gaudia: per illam omnis diffluet lætitia. Sit licet plena, & gaudens voluntas, inſurgat vna cupido,euacuatur tota hilaritas. Vrceus plenus aqua, ſi fiſſuram facias, inaneſcet ſtatim. Hiet deſiderio aliquo animus, illac profunditur lætitia.Res delicata, felicitas eſt;facilis miſeria.Miſer eris,ſi deſit aliquid;etiamſi omnia præter illud habeas. Vt ſis felix, nihil excipiendum eſt: omnia habere opus eſt,aut omnia contemnere: illud arduum eſt, iſtud ſuaſibile. Iſto tramite obuia felicitas eſt, & æquè facilis, licèt claudat omnia bona; miſeria verò ſit contenta vno malo.

CANON I.

Adæquare voluntatem facultati.

ITaque gaudium non eſt incola rerum, neque cordis aduena. In adæquatione deſidet, vt ſic dicam,deſiderij, reique deſideratæ, cùm poſſeſſionis iure fungitur amor. Itaq; lætitia ex factitiis eſt. Nunc artificium iſtud ſcrutemur:nunç fidelis fortunæ ratam fabricam noſcamus. Bifariam tantùm conſummatur opus: aut,ſi voluntati ſuppetat robur efficiẽdi, quidquid peroptauerit: aut patientia, ne optet, niſi quod factura eſt, aut pollens ſit efficere,comparibus voluntate,& facultate, Penè æquè videntur cliuum fortunæ aſcendere, æquè felicitatis verticem contingere, & qui poteſt, quæcumque vult; & qui non vult,niſi quæcumque poteſt.Prius illud iter nemini,niſi Deo,patet. Nota iſta Diuinitatis, vt ex Ariſtotele Arſenius prodit, exequi, quæ volet;ſicut & humanus character, exoptare, quod deſit. In illo ſublimi tramite nullum gradum licet homini ponere, ſi multùm aueat, cùm parum valeat. Tota proinde inopia virum facellet in copiam cupiditatum, atque penu mœrorum. Aliâ ſemitâ compendioſâ culmen iſtud licet ſubire, & diuinam felicitatem æmulari. Siue omnia habeas,ſiue nihil velis, quod non ſis habiturus; limes idem videtur, quies cupiditatis. Duplici via itur eòdem. Si non potes exequi, quidquid velis, potes velle ſolùm,quod poſſis. Iſto etiam pacto adæquatur cupiditas votis. Pares ſimili erunt modo duæ paruæ virgæ eiuſdem quantitatis, atque duæ trabes æqualis longitudinis. Voluntas parum potentis exæquabitur optatis,ſi parum optet; ſicut & optantis multa, quia poteſt multa. Non eſt felicitas in nimiis, voluntate,& facultate;ſed in conſecutione,poſſeſſionéque cupitorum, in exæquatione voluntatis & voti, non in magnitudine, ſed in æqualitate. Sed hoc ipſo iam magnus eſt animus, quia æqualis. Quid intereſt, anguſta potentia ſit, ſi ſtricta cupiditas eſt, quominùs par, tranquilla, plena, hoc eſt, læta ſit? Omne miſeriæ momentum iſtud eſt, defuiſſe voluntat, quod ſperauit,ſi ſtulta;quod exoptauit ſi incontinens fuit. Quando manet amor, perit, quod amatur.Huius ſuperſtitis cupiditatis,huius quaſi pendulæ affectionis,vbi non eſt,in quo deſideat deſiderium,abortus eſt angor,miſeria,luctus, calamitas.

Tot tamen malorum pharmacum eſt, non plus velle quàm poſſis.Nunquam ita euanebunt voto ſine ſpe vouenti. Eadem tunc ſecuritatis pignora, eadem fideiuſſio amoris, & rei amatæ erunt. Vtrumque eſt voluntatis peculium, vtrumque libertatis proles. Quod in cordis manu eſt, nemo eripere valet: nunquam elabi poteſt cum fortuna. At, ſi ita fidum eſt, & illud dumtaxat percupias, nullũ in te triſtitia ius habet. Nemo poterit raptare, quod amas, cùm nemo auferre amorem poſſit. Idem vadimonium vtriuſque eſt,libertas tua; idem præſidium, voluntas:vtrumque in ſinu, in gremio habes: in *Cap.52.*

amplexu

amplexu tuo felicitas eſt. Beata eſt illa voluntas, quæ habet, quidquid vult; quia non vult, niſi quod poteſt. O nouum ſatietatis genus, ex ieiunio quæſitæ! Nolendo impletur cupiditas, inedia gliſcit; abſtinentia deſideriorum ſatutat voluntatem Quis non priuilegium naturæ maximum putaret ſatiari ſine cibo, ieiunando repleri? Nemo tam gulæ abactus, fidúſque, vt aliquando non ſentiat onus iſtud; doleat, & inculet hoc, quod ventri ſoluimus, quotidianum vectigal vitæ; moleſtum, quia non annuum, non menſtruũ, ſed diarium, horarium video eſſe aliquibus; importunis exactionibus manè, meridie, noctu flagitatur: iniquum, provt plerique ſoluunt: ipſam vitam impendunt, inſumúntque, vt ſoluant: comeſturi vt viuant, viuunt ſolùm, vt comedant. Apicius, qui Capitolij vectigalia cœnas fecerat, plus ventri ſoluit, quàm Orbis vrbi. Qui, cùm æquis ſumptibus iam æs alienum prohiberet glutire ſeſtertia, veneno liguriuit mortem; ſine, ne deſineret ſumptu ingenti votare aliquid, ſit vel fatum, impenſis omnium rei pretioſiſſimæ, ſpiritus; ſine deinceps reputans ſuperfluam vitam, ſine gula maxima: maluit reſtare abdomen, quàm ſpiritum. Maius, aut æquale feudum fundo eſt. Totam vitam occupat venter, interdum etiam temperatioribus: niſi labor, ſudor, angor, curæ tenuem victum non parant. Credo, vt hæc naturæ lex importuna & inſtans antiquaretur, facilè commutaremus voluptatem palati; & guſtui, quia moleſto, renunciaremus. Quid, ſi non tantùm eximeremur neceſſitate iſta veſcendi, vt bruta, ſed delectatio ciborum, & voluptas ſatietatis tranſigeretur in ieiunium, & abſtinentiam? Iam cum hac conditione libenter ſubſcriberet Geta ipſe ſuis literariis ferculis, quæ per alphabetum digerebat, quæ non poterat ſtomachus. Suffragarentur Clodius, & Maximinus, clariores aluo, quàm imperio. Conſentiret Atidamas, vnus omnium conuiuarum vicarius. At hic fauor & gratia non ventri fit, ſed cordi: ſi abſtineat, ſatiatur; ſine deſideriorum fame guſta

Cap. 53. Quid potiùs eliges, ex inopia ſatietatem, aut ex copia eſuriem, indigentiam, dolorem? Nihil habendo ſatiari potes. Omnia habendo adhuc eris famelicus. Si cum gutta extinguere ſitim potes, cur vis ex fluuij alueo, aut Oceano acuere, & exſiccari? Si ex abſtinentia ſaturatis, delectariſque, cur ex ingluuie mauis faſtidire, aut eſurire? Huius ingenij peruerſi cupiditas eſt, vt, ſi nutrias, eſuriat. Ouem, aiunt, morſam à lupo ſi quis edat, non ſatiari, ſed laborare fame. Illud certius, quidquid fortuna mordere poteſt, non ſaturabit cor; eſuriem potiùs acuet. Inedia reficitur appetitus, cùm petita negas. Poſtquàm plura conceſſiſſet Federicus Imperator importuno & inſtanti adhuc petitori, facetè reſpondit: Si tu non facis petendi finem, ego inueniam negandi principium. Hoc non dicat, ſed agat, quiſque ſibi, cui negare ſine pudore, aut querela poteſt. Nemo ſatisfaciet libidini, niſi non ſatisfaciendo. Plus ſibi poteſt dare, quàm fortuna. Quid? Hæc cuiuſque liberalitas in ſe tanta eſt, vt plus ſibi det negando plura, quàm fortuna dando omnia. Iniuſtè pretiũ hominis taxatur ex his, quæ habet. Hoc pretium infelicium, & ſterilium arborum eſt, quæ, cùm nullum ex ſe fructum gignãt, tanti dumtaxat æſtimantur, quanti lignum in truneo; tanti, ſcilicet, quantum habent. Humanum aliunde pretium eſt. Non ex iis, quæ habet; ſed, quæ fecit; ſed, quæ dedit: ſi tamen fecit benè dando; & altiùs omnium, ex his, quæ non habet, ſi libenter non habet. Laxior hinc æſtimatio, & pro dignitate erit. Habere ſolùm pauca quiſque poteſt, ſed non habere poteſt omnia. Valor hominis non minor eſt. Omnia valêt, dum volet nihil.

Itaque prima lex tranquillitatis eſto, compoſitio voluntatis, & facultatis. Oportet diligenti acie inſpicere res, pluſquàm exta. Inde capi augurium certum fortunæ, aut infortunij debet: num, quæ appetitum ſolicitant, ex iis ſint, quæ petant ſibi, an ex cenſu fortis: illis confidere cor poſſumus: iſtis nihil eſt fidendum. Sufficit, quòd ſint fortunæ, vt infortunium timeantur: nam ſua Cap. 54

Subtexta malis bona ſunt, lacrymæque ſequuntur

Vota.

Fauſtus rerum occurſus, opinio popularis, opulentum patrimonium, dignitas publica, delicatus victus, valetudo, robur, elegantia, amici, famulatus, priuſquàm occupent animum, inſpicienda ſunt, cuius ſ cenſus ſint, an fortunæ, an naturæ, an animi. Cùm conſtet fortuna ſubeſſe, occludendæ ſunt fores cupiditati, ne in corde noſtro ſit, quidquid in manu non ſit. Cur hoſpitari vis, domique recipere, quod illam ſit euerſurum: quod eximiam animi ſupellectilem, pacem, ſuffuraturum eſt? Famulum non admittes ad atria tua ſine fideiuſſione, & cautione: cur in penetrali pectoris, in larario animi, in foco amoris excipis, ſine vadimonio, aut compede, fures, homicidas? Cur poſſidere volumus, non quæ retinere modo non poſſumus; ſed nec habere? non, quæ manere modò; ſed quæ nec poſſunt non ire? Abiecit iſta domina, ſiue famulatum dominantem Barbarus quidam Arabiæ, dominus proinde ſuæ lætitię, hilaris ſemper, & corridenti vultu, placidus ad omnem geſtum fortunæ, Rogatus cauſam, cur nunquam triſtis eſſet; ſe nunquam reſpondit poſſediſſe, ob quod amiſſum dolere, aut triſtis eſſe debuerit. Scilicet, nulla iſta crepundia fortis Vir ille ſua putauit, nec amiſſis perdere quicquam.

Si alicui tam liberaliter indultum, vt omnia illi fortunæ armaria, omnes loculi panderentur, omnia eius obiectarentur dona, & quæque auarorum vota exquiſita, vt legeret, quæ, & quot voluiſſet, vnico dumtaxat dono excepto, hac lege, quòd ſi iſtud eligeret, nulla alia ſumere poſſet; ipſum tamen nunquam amiſſurum; ſin minùs plura poſſet capere, ſed amittenda cuncta: vniuerſa, opinor, relicturum, vt illud non amittendum haberet: mallet ſecuritatem fortunæ, quàm fortunas. Præter animi bonum, nihil ex omnibus ſecurum eſt, niſi iactura omnium. Cur expugnamus ſtatim maiori perdenda luctu, quàm inuenta gaudio, quàm quæſita labore? Non eſt cordati viri, exornare ſe alienis, quæ exigẽda ſunt nobis inopinis pro ſubita libidine domini. Quidquid noſtro non cedit arbitrio, alienum eſt, vita charorum, æſtimatio, opes, & quæque nos circumſtant mutuante fortuna, aut indulgente natura, corporis bona, valetudo, vires, artus, ipſaque manus in brachio, ipſi digiti in manu, non ſunt in manu noſtra. Nemo ita eſt Cap. 55.

dominus ſuæ dexteræ, aut pedis, vt illa nequeat ab hoſte truncari, & hic luxari. Nullum ius noſtrum retinere iſta poteſt: quæ aliena puta, hoc ſolo titulo non amanda: quiſque enim ſua diligit; negligit, quæ aliorum.

Cap. 56. Demus tamen fortunam tibi liberalem, non ſolùm confidentem; & dediſſe ſemel, non depoſuiſſe. Cur vis precariò viuere? Demus mutuum ſuum, non tantùm donum, ſed mãcipium tuum feciſſe: parum tutum eſt mancipiorum ſeruitium. Aut tandem perduelles, aut ſtatim fugitiui, aut ſemper contumaces ſerui ſunt, nec niſi coacti placebunt. Nobilior eſt familia ingenuorum, & liberorum obſequium. Quæcunque in noſtra voluntate ſunt, & ab ea pendent, egregiè genita ſunt, libera, ingenua, filij matris liberæ, ipſius, inquam, libertatis: maternam conditionem ſequuntur. Cùm nulli homini, nec fortunæ ſubiiciantur; cùm nemo illa impedire, nihil obſtare valeat; nónne libera erunt? Quæ verò extra ſunt noſtræ voluntatis potentiam, mancipia fortunæ ſunt. Tam deeſt illis libertas, vt quiuis etiam ſeruus poſſit in ea, quidquid velit, facere: ſi vita eſt, tollere; ſi honos, detrahere; ſi diuitiæ, furari; ſi deliciæ, perdere. Quæ omnibus ſubiecta ſunt, libera non ſunt: quæ tot impedimentis ſubdita, non ſunt ingenua. Ne igitur confidamus abituris his, fugitiuiſque mancipiis: nec doleámus fugitis. Potiùs fugiturientes res mittamus. Dicat quiſque, quod Cynicus, cùm ſeruus ſuus Manes aufugiit: Turpe eſt Manē ſine Diogene viuere poſſe; Diogenem ſine Mane non poſſe. Poſſunt fortunæ bona ſine bono viro eſſe; poſſit vir bonus ſine fortunæ bonis. Turpe eſt, fortunam ſine ſapiente poſſe eſſe; & non poſſe ſapientem ſine fortuna. Turpe eſt, liberum hominem ſeruire ſeruis; nec poſſe non ſeruire, cùm liberè ſeruiat.

Cap. 57. Hoc itaque intereſt inter illa, quæ noſtræ ſubſunt libertati, & ea, quæ extra ſunt; quòd illa libera, hæc ſeruilia ſint. Quare, qui liber eſſe velit; nec velit, nec nolit, quæ in aliena ſunt facultate fiet ſtatim ſeruus. Talis amor, chirographum emptionis erit, auctoramentum ſeruitutis. His nihilominùs tradimur ſine delectu rebus, his dominis ſeruis. Æqua inſania ac illius prodigi, qui equum conuoluto capite dimiſerat, & eius voluit eſſe, in quem primum in turba offenderet. Ius dominij fuit caſus: titulus ſeruitutis, neſcire, cui ſeruiret. Perinde cæci mancipamur rebus, vt nec herorum optionem velimus. Dixerim & de libidine noſtra, quod de libidinoſo cæco beatus Ennodius:

Nil videt, & rectum ſeruat iter ſcelerum.

Cùm imperio nati ſimus; quodam tamen cupiditatis inſtinctu, etiamſi cæci eamus, rectà imus ad ſeruitutem viliſſimam: ſi quidem hæc, quæ extranea cordi ſunt, famulantia ſint. Titulum, qui laus humilitatis eſt ſummis Eccleſiæ Præſidibus, qui ſe his dedat, ad vilitatis improperium vſurpat. Prudēter Simplicius ſeruos ſeruorum dixit cupidos terrenorum. Adderem ipſe, & ſeruorum ſeruientium. Gloria eſt dici ſeruum ſeruorum Dei: ſed eſſe ſeruum ſeruorum fortunæ, aut Dæmonis, ignominia vltima. Expendamus multiplicatam ſeruitutem, amantium fortunæ bona, & quot gradibus ſeruiles ſint, & quotæ pateant ſubordinationi herorum: nec enim modò ſunt ſerui ſeruorum, ſed ſerui ſeruorum ſeruorum. Ipſi ſerui, quibus ſeruiunt, ſeruiunt aliis, qui ſeruiunt. Singuli amatores exteriorum binos dominos habent, qui ambo ſunt ſerui: vnus dominus internus, forinſecùs alter eſt. Irrationalis, brutúſque appetitus, cùm aduerſùs rationem inſurgit, captiuam illam facit, ſéque captiuum ſimul cum illa tradit his externis heris, mancipiíſque fortunæ. Quin & hæc etiam potens domina impotenti ſui libidini ſeruit. At, quod propudioſum magis eſt, iſtud noſtrum multiplex ſeruitium liberum, aut libitum eſt nobis. Improborum herorum iuſſa ſerui etiam improbi inuitè exequuntur: nos libentes exequimur ea, quæ improbus appetitus cum damno noſtro imperat, & poſt externa fugientia impellit.

Refuga eſt omne bonum quia ſeruile, peregrinum; quod è voluntate non oritur. Nihil in corde manet, quod ab eo non manat. Quàm citò aufugiit à Dionyſio Siculum, à Tarquinio Romanum regnum? Dies ſatis: à mane ad noctem euanuit diadema. Scit & fortuna torpentes, & ignauos facere vigilantiſſimos Reges, inſomnéſque Magiſtratus, cùm non vltra diem. Scit fortuna, & poſt Solem orti, & ante Solem occidere. Reuilius vno die Conſul fuit: quis vigilantior, quàm qui ſomnum non vidit? cùm non eſſet Flamen, fuit Dialis? Gratias ageremus, ſi ſolùm refuga forent contenta vno vitio: ſæpè viatici loco ferunt vitam poſſidentium, ſemper gaudium: eſt Cap. 58.

Sæpè infelix magè corde ſuperbo:
Proſperitas rebus grauius ruitura ſecundis.

præclarè admonet ſanctus Paulinus. Anne retinuit ius aliquod poſt tot effuſiones, & delitamenta fortis Polycrates? cuius cupiditati tam eſt adulata fortuna, vt ſemel vinceret, niſi plus dediſſet, quàm cupiit ille: dedit, quæ noluit, dedit reſiſtenti dare: præpes tandem elapſa felicitas ſecum abſtulit vſque ad animam felicis plus repetens, quàm depoſuerat; fortaſſe compenſatura vſuras alieni vſus: nec reliquit illi, niſi tignum, quo ſuſpenderetur. Iuſtè quidem: alienis fuit vſus, vt propriis. Fur fuit. Plures, quos fortuna ſuperſtites, non dicam, operuit, ſed obruit auro; defunctos non operuit humo: crudelior in morte, quàm in vita prodiga. Par Polycrati, atque Aman fuit: arriſit viuenti, morienti irriſit: luſit in vita, illuſit in morte: vterque alienis cor alebat. Idem ſuſpendij ſupplicium cæteris eſt hiantibus hæc externa, his funibus felicitatis: penduli ſpe pereunt, quibus pro fune eſt capillus fortunæ, quæ lapſa non minùs exanimabit, quàm laqueus. Plures amor felicitatis, non miſeros modò fecit, ſed exanimes. Deficiente aura eius defecit illis ſpiritus præ dolore. Quos præſens proſperitas vix lætitiam propinauit; abſens, aut abiens occidit. Repetitio rei amatæ, raptus ſuæ animæ fuit: nec enim ſunt negligentes mortis ſatellites, mœrores dilabentis felicitatis. Quantumuis hæreamus rebus, & noſter amor ſtringat, non tam valide premit, quin tandem exprimat fortuna. Etſi agglutinemur, etſi ligemur, ſi non poteſt tollere, reuellet maiori ſenſu noſtro. Robuſtum habet lacertum, ſua extrahet; trahat licèt pariter aliena. Quidquid conferat, referet, cùm libuerit; licèt ſimul auferat animam.

Noſtra non facimus hæc, amando: aliena ſemper Cap. 49.

per manent: nihil alienare fortunæ licet: ſatis eſt commodare. Si ſemel donaſſe videretur, actio integra eſſet reſcindenda, ius donationis. Scilicet, pupilla eſt: tanquam ætate minor,cùm confert, non transfert: dominium retinet,aut ius vindicationis: è ſuis ludicris pupillam diſces.

Ludit, & eludit dando,negando manum.

inquit Philippus Abbas. Quid præterea quaſſatis calamis incumbimus? His incumbit calamitas. Quid ſuperſtruimus molem felicitatis, ædes gaudij,fluidis cæmentis,quibus ſolùm ſtat ruina?Quis agnoſcens quaſſationem arundinis, ſumet ad innitendum illi? Labant, labuntur, ruunt omnia iſta,& diruunt nos. Periculum infirmæ conſiſtentiæ agnoſcimus, imò timemus; & tamen amamus illa. Timor noſter accuſat amorem noſtrum, quòd amemus, de quibus timeamus. Cùm timet quis, aut dolet elapſam fortunam, duo repugnantia iungit; & noſſe ſe imbecillitatem, vilitatem proinde rerum;& nihilominùs diligere, & reclinare illis. Si alterutrum deeſſet,haud, puro,triſtaretur. Si non diligere illas, aut non nouiſſet vilem, moribundamque earum conditionem, nequaquam illis pereuntibus anxius, mœſtúsque foret.At, quis videns perire, quæ amauit, dolet perire, & non potiùs erubeſcet amaſſe, ſolatur doceri? Rudiſſimi enim cupiditate ſimus,etiam in iis,quæ ſcimus. Miramur deficere res, cùm prænoſcamus rerum defectum,miraculum diuturnitatem rati; &, vt Andronicus ait,

Mirum videtur,quod ſit factum diu.

Hæc admiratio diuturnitatis naſcitur ex præſumptione certa breuitatis. Cur antiqua in honore & reuerentia ſunt, cùm nouitas ex ſe placeat,niſi quia nouum putamus,vetuſtum eſſe,& extra rerum euentum cenſemus, durare? Nulla res perpetua, rara diuturna: aliquid maius rebus in diuturnitate ſuſpicamur. Quemadmodum in maiori pretio rara ſunt,quia accedunt Diuinitati viciniùs,quæ ſingularis eſt:ita etiam percolimus antiqua,quatenus veſtigium quoddam Dei exhibent,qui immortalis eſt,& quatenus ſingulare quid eſt, in hoc rerum alueo morari. Vſque adeò fortuna

permixta fluit, nec permanet vſquam;
Amiſitque fidem variando cuncta per omnes:
Non annis anni, non menſis menſibus vſque
Conueniunt,ſéque ipſe dies,aliámq; relinquit,
Horáque non vlli ſimilis producitur hora.

Cap.60. Igitur, priuſquàm in noſtrum tranſmigrent cor,diſcutiendæ ſunt,velut in telonio, res:euoluendæ, an ſint merces, & ſarcinæ fortunæ, ne repetantur:an ſint alienigenæ nobis, ne diſceſſu crucient;ne veniant,vt tranſeant. Præſtaret hic ſeuera illa Sinarum lex, omnes peregrinos, & extraneos ſui aditu regni interdicens capitali interminatione: ita vaſtum imperium pax ferè æterna ſeruauit, cùm alioquin non tantæ ſint fortunæ vires, vt copulet magnitudinem cum diuturnitate. Eò potentia breuior eſſe ſolet, quò grandior. Eadem ſancire voluntas debet, ſi pacem tutari velit: nihil alienum, nihil peregrinum admittat. Contrarium facimus:ſolùm hoſpites in corde excipimus: viatorū diuerſorium facimus prætorium Dei, ea amantes, quæ, quia noſtræ iuriſdictionis non ſint, citiùs nobis inſalutatis abeunt,quàm nos adeant. Pietas noſtri eſſet crudelitas Diomedæa,omnes iſtos obtruncare hoſpites. Iuuat idcircò noſtra inſpicere, & curare. Stultiſſimum eſt, alienis occupari contra voluntatem domini, propriaque negligere. Mente caret, qui eò mentem conijcit, vt diues, poténſque fiat, vt lætè viuat. Studet facere proprium, quod alienum; & liberum,quod natura ſua ſeruile. Ad iniuſtam litem appellat: contra ſe habet diſcrimina terræ, pericula maris,inuidentiam vicini, odium inimici,inſidias graſſantium,proditionis ſeruorum, incurſiones latronum, inclementias cæli, volubilitatem temporum, legem mortis, licentiam illegis fortunæ; &, ſi nihil aliud, ipſam rerum infirmitatem nullo impellente ruiturarum:ſi hæc non ſatis, ipſam potentiam, prouidentiámque diuinam. Quis vnus audebit aduersùs tot æmulos certare?quis reſiſtet ſolus tot copiis calamitatis extrahentibus imo è pectore cum rebus gaudium reuulſum?

Bona animi,dona virtutis. egregia opera, rectæ cupiditates,hic cenſus noſter eſt,quæ noſtræ parent voluntati: in hæc dominium dumtaxat habemus.Is rerum eſt dominus,qui, prout velit, aut nolit,dare,auferre,ponere,tollere poteſt. Nihil huiuſmodi licet in ſupellectilem fortunæ:licet tamen in patrimonium virtutis.Illam nobis, nec dare, nec adimere poſſumus: tam benignè nobiſcum actum eſt, vt, quidquid vile ſit,alienum ſit;quidquid pretioſum,noſtrum. Licèt careamus alienis, pauperes non erimus;ſed clariùs diuites defæcata opulentia:qua tamen priuabit nos libido opulentiæ, hiatus diuitiarum. Peculiare hic, & maius periculum, quàm cæteris iacturis:nam amando non propria, propria amittimus. Proprium noſtrum eſt rectus amor, honeſta rerum appetitio; hoc bonorū cuiuſque eſt: perdimus illud, exoptando aliena, & peregrina dona citò pœnitentis fortunæ. Hoc ipſo, quòd aliunde,quàm ex nobis, tranquillitatem quærimus,amittimus. Hoc ipſo, quòd appetimus externa, deſinimus rectè appetere, quod eſt internum, id eſt, noſtrum bonum. Geminum damnum eſt volentium, quæ in propria voluntate non ſint, & fruſtratio gaudij alienarum rerum, & iactura propriorum bonorum. Ibi mœror, ne quid deterius,pudor eſt. Cap.61.

CANON II.

Nec ſperare,nec timere.

Alterum ex his Canoni nuper dicto rudimentum accedit. Pauoris, expectationiſque immunitas,quæ in alienis fundis laborant, & nouales fortunæ volunt proſcindere. Ama, agnoſce, tene tuum, quod tuum eſt, rectas appetitiones, honeſtas actiones: agnoſce alienum, quod alienum eſt; cætera, in quæ fortuna ludit, quibus in te ſæuit: ita neque de Deo querelus, neque in homines iratus, neque pro rebus mœſtus eris: ita neque calamitoſum, neque infortunatum eſſe, in tua poteſtate erit.Quod hoc fortunatius?Calamitoſus eſt,cui accidunt, quæ non vult; infortunatus,cui non accidunt,quæ vult.Clariùs, breuiúſque dicā fortaſſe. Calamitoſus eſt, qui timet; infortunatus, qui ſperat. Vtramque fortunæ aſtutiam intercipit, Cap.62.

pit, qui id ſolùm vult, quod ipſe ſolus poteſt id non vult, quod ſola fortuna poteſt. Qui alacris ſemper, ablegatis ſpe, & timore, gaudium mundauit, egeſſit miſeriam, fortis aduerſùs ſortem caducam: ſed ideò & de noſtra imbecillitate fortiſſimam, in ſua conſtantia conſtantiſſimam. Inuictus, qui cum nulla re certauit, quam victam in ſua eſſe poteſtate non vidit.

Quid tantùm miſeri feros tyrannos
Mirantur, ſine viribus furentes?
Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas:
Exarmaueris impotentis iram.
At, quiſquis trepidus pauet, vel optat,
Quòd non ſit ſtabilis, ſuique iuris,
Abiecit clypeum, locóque motus
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

Columen mentis, & gaudium ibi eſt, vbi exulant metus, & cupiditas, præcipui fortunæ lictores, ſæui ſatellites. Noſtros animos, vt ſanctus Paulinus ait,

iugiter vrit
Defectus miſeri metus, & miſer ardor habendi.

Cap. 63. Callido tamen viro, experti formidinis, expectationiſque, non accident, quæ non vult; nec quæ vult, non accident: compos voti ſemper, dum compos ſui: apud quem non aliud valet, niſi voluntas, & ratio, & quod iſta valent: cui proſpera omnia cadunt, cùm ſtent, quæ velit. Suam ſemper exequi voluntatem, felicitas eſt æmula Diuinitatis, & præponderat imperio Orbis. Plures vitam, regnúmque ſuæ poſtpoſuerunt libidini ancipitis, atque intutæ voluptatis. Quàm felix, qui curata gaudij fide, ſuum ſemper vidit votum, tam facile, tam gratuitum, vt nec vouiſſe opus ſit! qui, dum pauca vult, mauult eſſe ſui, quàm fortunæ! qui ſummam fortunam iudicat, ſine fortuna fortunatum eſſe, ſine fortunis locupletem! Non arca, ſed corde diuitiæ metiendæ ſunt. Non eſt vera opulentia res opinionis, ſed conſcientiæ; non alieni iudicij, ſed proprij. Animus, non fama, iudex eſt: mens cuiuſque, non ſermo hominum. Aliud eſt videri diuitem, aliud eſſe. Loculis plenis apparent diuitiæ, non iudicandæ ſunt. Etenim, qui plures filias maritandas habet, etſi ampliſſimi cenſus ſit, pauperem ſe putat; quomodo, qui infinitas habet cupiditates ſuſtentandas, quarum vni non ſufficit Orbis, habebitur diues? qui ſe non tantùm inopem, ſed indigum ſentit? Non eſt pauper, qui caret; ſed qui eget: nec eget, qui caret; ſed qui deſiderat. Pauper Socrates forum ingreſſus, Quàm multis, inquit, non egeo! Quia non deſiderabat. Locupletior eſt, & beatior, qui nulla cupit, nec ſperat, quàm qui habuerit omnia, quæ cupierat: gratis habet, & per compendium votorum, quod alter magnis ſaltem cupiditatum impenſis eſt mercatus.

Cap. 64. Quid comparo incomparabilem virum? Ille ſolùm felix eſt, qui nihil cupit, nec expectat: at, qui omnia, quæ concupiuit, habet, ſolùm fortunatus eſt. Maius quid felicitas, quàm fortuna eſt. Deus felix eſt, non fortunatus: at felix ideò non tam eſt, quòd habeat, quæ cupienda ſunt; ſed, quia nihil cupit. Illud ſupra fortunam habet, non quòd habeat, quæ cupiuit; ſed, quæ forent cupienda. Minus felix eſt, qui fruitur, quæ expectauit cupiditas, quam qui nihil expectauit. Iam & inter eos, qui exæquatas voluntatem, facultatémque habent, ſubtiliùs diſtinguendo, ſi qua ſit iuſta diſtinctio, præferam illum, qui vult ſolùm, quæ poterit; ei, qui poteſt omnia, quæ voluit. Si igitur ſpes adhuc fortunati, & ſecura, dicere poſſum, felix, minuit felicitatem; quantùm perdet vulgaris noſtra ſpes, quæ fortunæ eſt trochus; ſuccutitúrque comite timore, excutitur occurrente damno? Omnis doloris cardo eſt; quia habes, quod non vis; quia vis, quod non habes. Velle autem, quod habes; & nolle, quæ non habes; quis tam tyrannus eſt, vt interdixerit? quis tam potens, vt ſuſtulerit tibi? In tua manu eſt, in te eſt fortuna tua, ſi velis habenda, ſi nolis non habenda: non, ſi ſperes iſta, non timeas illa. Timor eſt intempeſtiuus dolor, quo, dum ante neceſſitatem angimur, vltra neceſſitatem affligimur. Mœror rei perditæ, & timor perituræ hoc diſtant, quòd iſte diutiùs torqueat; & quatenus immaturus dolor, metus eſt, ſit ſæpè acerbior.

CANON III.

Amor immutabilium, & mutabilitatis.

Hinc & aliud occurſat præceptum (ſiue exceptio primi documenti) eſſe aliqua, etiam extra nos, exermia, innocentiáque cordi, quæ amare indemne ſit: in quæ, licèt nobis nihil liceat, amare ſummè licet ſecuro gaudio: quia ipſa ſecuriora ſint, gaudente potiùs defecturo, quàm ipſa. Hæc, quamuis in manu noſtra non ſint, poſſunt eſſe in corde. Cætera omnia, hoc ſolùm, quòd amantur, armantur in nos; &, quod mirum eſt, quæ minùs ſecura ſunt, ſecuriùs pugnant & cædunt: quò imbecilliora ſunt, magiſque infirma, fortiùs, citiúſque vulnerant ſua fuga. Magna ira fortunæ eſt, fragilia & arundinea contorquentis arma, potentiſque fortiſſimè percellere fugaci lacerto, ritus inſtar Parthici, quaſſatiſque contortis calamis, Cap. 65.

Sic vibrans animum fortunæ ludit arundo.

aptè dixit Abbas Philippus. Etenim amor infirmæ rei, eſt robur miſeriæ; amor ruinoſæ, eſt ruina felicitatis. Si quid ſtabile, fundatúmque ſit, ſecura huius cupido erit. Tuta itaque mens incumbet in amorem primæ mentis; æterna eſt. In hac columna figi lætitia poteſt. Huc omnem ſortem amoris, omnem aleam cordis mittamus. Sine alea ſortem ſortiemur, & fortunam veridicam. Quis ſummam pecuniæ mutuatutus, fidem debitoris non attendit, aut pignus non quærit? Omnis ſumma, omnis ſors animi, omnis cenſus mentis, amor eſt. Tantus es, & vales, quanti eſt, quod amas. Præuide, cui credas; ſi cautionem conſiſtentiæ præſtiterit. Sola æterna mens hanc fidem habet: huic ſolùm te credas.

Quis amne deuolutus rapido; inter aquas partim humatus, inter fluctus totus pugnax, dilabenti vndarum fluxu pariter fluens, ſi validam, fixámque arborem offendat, non apprehendet frondes? Solùm Deus quid ſtabile eſt, ſéque radicatum: hoc apprehenſo, ſolùm ſtabilimur: præterfluunt reliqua in hoc mundano alueo, & nos pari volutant, trahúntque fluore. Cap. 66.

Celeri vides rotatu

Rapidos

Digitized by Google

Rapidos dies meare,
Fragiliſque membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne, quod tenemus,
Neque fluxa habent recurſum,
Cupidáſque vana mentes
Specie trahunt inani.

Venuſtè iſta Diuus Paulinus: ſed ſignificanter Georgius Piſides:

Natura rerum talis eſt fluentium, ſcenæ ſoror, conſanguineáque inſomnij: Omnis procella, nempe, typhi præterit.

Οὕτω πέφυκε τῶν ῥεόντων ἡ φύσις,
Σκηνῆς ἀδελφὴ, συγγενὴς ἐνυπνίων,
Παρέρχεται γὰρ πᾶς ὁ τοῦ τύφου σάλος.

Quis ergo turbine, & inquieto procellæ fluctu iactatus, inſulam ſi videat, non appellet? Naufragamur fluctuantibus rebus: ſola inſula ſecuritatis in hoc pelago mundi eſt, quod eminet, & manet Deus, ſuperior omnibus, æternus ante omnia. Huc ſaluandi, non Neptuno, ſed fortunæ aufugiant. Deus radix fœcundiſſima entium. Arboris folia ventus rapit, frondes quatit, truncos quandoque infringit, ſolam radicem immunem inuenies, quàm non tantùm flatus non tangit, ſed nec videt. Decidunt omnia, niſi Deus. Mortalia ſunt cætera, quæ mortales amant, & amittenda; ſi non quotidie, certè vno die, vno momento omnia. Noſtra mors mortalia nobis omnia nobiſcum fecit: ſed ſæpè præcurrunt nos, & noſtram nos admonent conditionem exemplo ſui interitus. Nos tamen miramur mortem rerum, quia obliti noſtræ. Miramur, quòd moriantur, & pereant: quia, quòd eamus nos, & quò, mortis, ſcilicet, immemores ſumus.

Cap. 67. Sapienter, mundi membra, monet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, gyrare, & in circulos ſuos reuerti, vt rerum inconſtantiam ſummam, id eſt, conſtantem monſtraret. Nihil in rebus eſt firmum, niſi infirmitas; nec maior infirmitas poteſt eſſe, quàm quæ firmiter infirma eſt. Illuſtri documento oſtendit ſalubrem amoris eſcam quæ, & qualia liceat extra nos amplecti, immutabilia, ſcilicet. In circulo commoto duo dumtaxat ſunt immota, quieta, ſtantia; punctum medium, & motus ipſe: in omni partium mutatione, ſolùm immutabile eſt ipſa mutabilitas, & centrum: ſicut in hac ſphæra Vniuerſi, eius punctum terra in æternum ſtat. In fortunæ tota vnicum dumtaxat punctum in medio conſiſtit: non aliter, nec alibi quietus eris, niſi huc te colligas, & ad minimum reducas; ibi tamen nimiùm dilataberis. Immenſa illa, æternáque mens, iſtud centrum omnium eſt. Si illò accedere non potes, appropinqua: quò ſunt propinquiores puncto medio circuli partes, magis quietæ ſunt, lentiorique ambitu flectuntur. Si ad minimum non audes conſtringi, collige te ad mediocria. Partes mediæ in rota, licèt non veniant in ſublime, nunquam terram contingunt. Præſtat mediocritas fortunæ: hæc nunquam venit ad ſolum; honorabilis hæc eſt, locum medium honoratior occupat. Alias partes, poſtquàm in ſummum leuauerit, rotam vertit, & ſumma imis commutans apprimit, allíditque ad ſaxa, iiſque incumbit totum ſuæ machinæ onus. Deinde poſt centrum, nihil eſt immobile, niſi mobilitas. Circularis enim commotio caret fine; in nullam contendit metam extra ſe: in eodem ſtans loco, ibi globus concitatur quietus: in eodem inquietatur ſpatio; perpetim, quia ſine obice: firmus in eadem ſede currit. Argutè hanc faciem rerum labentium, circulum dixit Helias Cretenſis, quarum ſola conſiſtit in conſtantia.

Iam eſt quid extra te, quod tutò placere tibi poſſit: non fortuna mutabilis, ſed mutabilitas, quæ immutabilis eſt. Habes, quid in rebus ames mutationem. Habes, quomodo, ſi non hærens, ſed contiguus ſis. Diuersè ſe habent, quæ rotæ inſunt, aut quæ adſunt: inſunt paleæ, & lutum; adſunt ſaxa ſolida: illa voluit pariter rota; iuxta iſta dumtaxat voluitur: illa tranſeunt pariter; per iſta ſolùm tranſit; manent quieta ſecus inquietam ſphæram; tanguntur, non feruntur. Præterfluat nos fortuna, non confluamus vnà, reſpiciamus illam, non ſuſpiciamus: ad ſummum valeat tangere, non tractare, minùs contrectare. Tormentum eſt inſtrumentum eius, & crudeliſſimum rotæ ſupplicium. Fortaſſe miraberis putatam fœminam, cùm fœminea, & miſericordia viſcera non agnoſcas, niſi fortè ob inconſtantem indolem, & ſubitam, terribilémque iram; ſed debilem cum iis, qui viri verè ſunt: patet enim viris, ideò muliebri geſtu conficta. Si igitur figaris ſuo inſtrumento, quid mirum, excrucieris? Abſcedamus, deſcendamus. Cap. 68.

Extrinſecùs, velut pompam, videamus procedentem. Præſens dumtaxat facies nos afficiat, nec auidos futuri, nec inuidos præteriti: vt qui ad ſcenam, aut ſpectaculum ſedet, æquè iſtum delectat comœdia, atque tragœdia. Qui ſcenæ ſeruiunt, qui ſpectaculum ſui exhibent, laborant non delectantur: qui vident, qui adſunt, gaudet. Si deforis eſſemus, vtraque fortunæ arte gauderemus: nec noſtra lætitia mutaretur, ſed tranſmutaretur: non abſcederet gaudium, ſed ſuccederet; ſtaret potiùs, ab vna te in aliam transfuga. Pereuntes res non ſequamur, ſed videamus currere, gaudeamúſque perire, velut qui intuetur beſtiarum, & gladiatorum ſpectacula, interitu delectatur, cæde, fuga. Res deficiunt nobis; aut, quia abeunt; aut, quia pereunt. Si primum illud, cur inſequimur ea, quæ impatientia noſtri amoris ſunt? Si pereunt, non tanti fiant, vt debeant noſtro parentari fletu, & annuum luctum habere. Age gratias, te non periiſſe citiùs. Duplici ex capite mortales ſunt tibi res: pereunt, cùm pereunt; & pereunt tibi, cùm peris. Quid putas ex tuis immortale, ſi tu mortalis? Qui finem habet, nihil habet: vix enim habet id, quod eſt. Qui futurus non eſt, vix eſt, cùm eſt. Sed demus te manere, res ſolùm periie. Non decedunt ſine hærede: tranſeat ad ſucceſſorem gaudium, & pax. Tametſi defunctis integrum & elegans ſit patrimonium, veniet ad hæredem claudum, aut luſcum. Hæreditent noſtram pacem res: decedente vna, ius idem habeat altera ſuccedens, ſiue paupertas, ſiue morbus, ſiue ignominia. Non eſt lex, quæ inopem, aut ægrotum hæreditate excludat. Expiranti proſperitati ſancti Iob, quid ſucceſſit? non pauperies modò, ſed miſeria, quatuor fortunæ malleationibus ſubita, vt quinta & terribilior eſſet improuiſio. Vlcus deinde à planta pedis vſque ad verticem: contemptio denique, & ſiniſtra amicorum opinio. Non obinde ſuam his negauit ſerenitatem, non ſua ablata felicitas; ſed tranſlata à ſecundis ad Cap. 69.

 aduerſa,

Digitized by Google

aduerſa, hæreditario iure. Adhuc in ipſa miſeria, necdum reduce felicitate, dicam, quod diuinus Zeno, in melius, felicitatis priſtinæ ſtatum diſſimulando, non perdidit, ſed mutauit. Vadat amor poſt fortunam, non poſt res fortunæ, vt ſequitur Heliotropium Solem, ad ſuas conuerſum vices. Illi dumtaxat obſequitur fortuna, qui fortunam ſine ſpe fortunæ ſequitur.

Cap. 70. Conſtans animus nihil conſtanter amet inconſtantium: amet omnia, vt ſunt inconſtanter inconſtantia. Omnia de manu fortunæ capiat, licèt acerba & dura. Ariſtoteles, caricam porrigente Diogene, reputans ſententiam meditatum eſſe, niſi accipetet, ſumens inquit, Diogenem perdidiſſe caricam ſimul cum vſu. Sic illudes fortunam machinatam ludibrium tuum, meditatam dolorem tuum, ſi non admiſeris, quæ læua porrigit manu. Admitte, amittet arma ſua, ſimul cum vſu. Solùm poteſt nos triſtare, quia nolumus, quibus id vult. Fac velis, & ridens potes exclamare: Non magnus Diogenes, ſed magna fortuna! O potens, iam per me exermis! Si aliqua reiicienda ſunt, ſint, quæ vult accipi; iſta ſua purpurei corticis munera, delicias, &, quæ iis patrocinantur, diuitias. Quid hæc? Nazianzenus dicet:

Pila iuuenũ manibus reciprocata.

Σφαῖρα νέων παλάμαις ἀνταποπεμπομένη.

Colludere licet, & recutere fortunæ pilam ſuam, ſuo reiecto munere. Dum ludibundus es, non potes triſtis eſſe. Si vis, ne illudat te, lude cum illa, & ſtrenuè reiice, quidquid volatile, etiam aurum graue, iecerit. Sin minùs, ne apud te incaleſcat, cùm reperit. Friuola hæc bona friuolè amanda ſunt, infirma infirmiter; ad nutum dominæ reddenda ante exactionem. Non expectes fortunam, vt eripiat. Tu eſto tibi fortuna: occupa ſuas vices: aufer tibi, quod ſublatura eſt: relinque omnia felici infortunio per manum tuam. Redimes fortaſſe te iactura tuarum rerum. Præuiderat Ariſtippus exacturam, & vltrà pro fœnore vitam, inſtantibus apparitoribus ſuis piratis: anticipauit ſolutionem abiecto in mari auro, inuitum & imprudentem ſimulans caſum. Conſuluit hoc ingenio ſaluti: vitalis iam fuit ſine nummo: ſoluit mutuum ſine vſura: pretium ſuæ vitæ non aurum fuit, alioquin etiam amittendum; ſed anticipatio. Æſtimet quiſque, quod ille tunc dixit: Satius eſt, vt hæc per Ariſtippum, quàm propter hæc pereat Ariſtippus. Tota victoria ichneumonis, & aſpidis, anticipatio eſt: ſic hominis, & fortunæ: vincit aggreſſor. Præuertis fortunam, & euertes, ſi præcurras. Cùm veniat, omnia acta videat:

Totum iam ſponte videbis
Anticipaſſe Dei famulos,

Hanc ſanctus Proſper cauſam putat aſſuefactæ, & cicuris tranquillitatis, ſecuræ, vt ſic dixerim, ſecuritatis. Non contrectanda ſunt iucunda, nec detrectanda grauia: æquabilis ad omnia ſis.

Cap. 71. At, ſi adhuc tibi inuidiæ eſt nomen fortunæ, nec eius parere manui digneris, tolle vocem, Deum ſpecta. Fortunam vulgò appellamus. Ibi ſapiens Numinis ſtudium noſcit. Quiſque domi ſuæ iubet. Liceat Deo in ſuo mundo, quod licet ruſtico in ſua caſa: quidquid volet, aget. Suſtinuit toties noſtram malam voluntatem: ſuſtineamus quandoque ſuam bonam. Æquo animo filium accepit Abraham, & dabat; nec triſtior occidiſſet, quàm genuit. Non lætiori ferro arietem cecidit, quàm gnatum mactaret: à filio ad agnum tranſlatus idem vigor dextræ. Eleganter Zeno ait, nec mutatus vultus eius, cùm eſſet victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium: vbi enim fides fuit, non erat dolor. In illo ſacrificio ſolus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit: nam Abraham cum filio ſic probatus à Deo eſt, vt non poſtulans, miſericordiam mereretur. Scilicet, ita paruit Deo, vt non appareret pater: immemor naturæ, memor officij. Ita obſecutus fuit, quòd mentiretur paternitatem, vt exhiberet ſeruitium. Primam dignitatem putauit, eſſe ſeruum Dei. Ita voluit ſeruire, vt obliuiſceretur genuiſſe. Det, quod libuerit, Deus. Sed amemus plus donationem, quàm dona: quamuis & hæc amari poſſint, ſi æquè amentur. Eadem omnibus ratio amoris ineſt, non quod ſint: ſed, quòd dentur. Sic,

Quidquid mittit, mella putare decet.

Diuinas illas & aureas manus, plenas hyacinthis dixit Salomon: quidquid illis deciderit, pretioſum erit, & vnio, non ſilex. Pretioſa paupertas eſt, pretioſus dolor, pretioſa depretiatio ipſa. Illinc elabuntur, vbi nihil, niſi pretium eſt. Quid? Percuti videris, ſi vnio icit. Etſi egerat cruorem, non eliciet lacrymas. Lætum vulnus auaro erit, ſi fecit aurea gleba, vt cani lapidato oſſibus. Non minùs pretioſa manu verberat Deus, quàm locuples aratoris flagellum. Argutè beatus Ennodius.

Dentibus argenti fuluum concluditur aurum:
Contemnat nullus verbera pulchra pati,

Exornat Deus amore ſupplicia: pretium ſummum eſt ſeueritatis diuinæ:

Quæ capiunt mundum iungit mens docta, flagellum
Exornans cenſu, nobilitate plagas.
Argenti, atque auri vapulat quicumque metallis.

Cæterùm Sapiens hyacinthos illas vocauit gemmas: quia mirè iuuent & exhilarent cor. Mors, & morbus, & anguſtia, quin & triſtitia ipſa lætabit nos, diuino illo dilapſa pugno. Ipſa miſeria cordialis erit, ſi ab illa manu accipias. Et natura, & ars Dei, beneficentia eſt. Perita eſt diuina dextra benefaciendi. Solent artifices, & pictores artem oſtentare in ſcorpione, vipera, atroci, fœdóque aliquo reptili potiùs, quàm in forma regia. Exhibetur quoque dexteritas diuinæ manus in ægris, & duris: ibi magis nitet: maius, inquam, ſi non fulget, latet beneficium. Ex his itaque conſtans erit, qui non amet inconſtantia, vt eſt ipſe; ſed, vt ſunt illa, inconſtanter. Sic idem ipſe erit inter diuerſa. Varios fortunæ geſtus vno vultu ſpectabit; & expectabit atroces, ridibundóſque ſereno.

EPISTASIS.

In alienis caſibus diſſimulanda eſt conſtantia.

SEd, quia in alienis iacturis latus Sapientis inuadit ſors; cùm pectus, nec coràm, nec *Cap. 72.*
contigua manu poſſit, per tertium tunc molitur. Plùs opinor, iuſto viro laborandum eſt cum damnis.

Digitized by Google

damnis alienis, quàm propriis. Etenim, cuius patientia paſſione non vincitur, compaſſione tentatur: quem non monet caſus proprius, hunc præcipuè commouet alienus. Sapientis vitam, quoniam præcipua eſt, vtiliſſimam puta: non ſibi tantùm, ſed aliis quiſque viuit: vitam imprudentium, qui adhuc ſibi non viuunt, fideicommiſſam habet, velut tutor publicus vulgi. Eleganter Menander ait:

Hoc eſt viuere, non ſibi viuere tantùm.

Τῦτ' ἐςὶ τὸ ζῆν, ὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον.

Quare illud eſt viuere, non ſibi viuere ſolùm. Benè viuere, non eſt quid priuatum, & ſolitarij boni: in alios effluit ſenſus vitæ bonæ. Tutor ciuilis pupillorum miniſtrat fortunas: ſapiens, qui tutor populorum naturalis eſt, etiam ſenum, fortunam curat alienam. Pretium propterea erit alicuius moræ, quomodo in hac ſe gerat? An vultum mutare oporteat mutata, ſæuientique rerum facie? Licet quidem mutare geſtum, non animi, ſed corporis; & ſicca, virili, ſtabilique mente deflectere madidos oculos, maternum deiicere vultum ad eos, qui ſe deiectos, miſeróſque credunt. Inter lacrymas & lacrymatus felix tamen erit abſtinentia ſuæ cupiditatis, timoris, ſpei: & quamuis in aſylo fortunæ ſit, inde quia ſecurus impugnat illam, & iam in ſe victam ſtudet vincere in aliis; aperto bello in alienos campos copias ſuas educit; victricibus armis vbique inſequitur, &, vt Tzetzes ait,

Benefaciens hominibus, vndequaque demetens malitiam.

ἐυεργετῶν ἀνθρώπυς, ἁπανταχῦ θερίζον τὴν κακίαν. Cùm vim ſui animi alienum pectus minùs poſſe munire videat, ſtratagemate aggreditur ad ſolandum infortunatum, leuandúmque ſpe (altiſſimo omnium caſu) deiectum, & ſentientem, nondum contiguam, felicitatem grauem. Moleſtam ſarcinam Antiſthenes dixit bonum virum. Quis aſſentiet, niſi miſeri, dum ſine ſenſu miſeriæ manent? Sed hoc ipſo iam leuior vir bonus eſt, cùm illius ſentiant improbi moleſtiam, non ſuam. Grauior plaga eſt, quæ ſenſum adimit, quàm quæ dolorem incuſſit. At, ſi minuatur eorum miſeria, cùm noſcitur, séque miſeros inuiti vident, (parum refert, non credant,) leuem, ſalutatémque tunc fatentur virtutem, & ab ea ſaltem aliena dextra ſubleuantur, capiúntque ſolatium. O leuamen totius humani generis, etiam eorum, quibus grauis eſt! Tua manus leuat repugnantem tibi, &

defectum fortè labore,
Nilus vt Ægyptum, ſic tua lingua fouet:

Etiam malos, quorum contactu nunquam tua puritas attáminata fuit, per bonos auxiliaris. Hoc, quod de Bonegiſilo Duce cecinit Venantius, in omni alumno virtutis verum iudico; manu recreat, conſilio fouet: quos ex ſua palma excutit fortuna, hos in ſua excipit. Hinc aliter intelligo, quàm Philo, quod Iudęorum Legiſlator ait, ſapientem graues manus habere. Quid mirum, ſi pendeant inde, qui ſibi ſunt graues, ſtulti, miſeri, flentes?

Cap. 73. Sed vt hos leuet, neceſſe eſt flecti, & quodammodo blandiri miſeriæ, vt repugnet. Proprium hoc conſtantis, & felicis eſt. Tutò hic poteſt tuta felicitate deſcendere, & ſe miſcere miſeris. Nemo immobilis manens rapidis deuoluto vndis ſuccurret: nec ſi pariter fluctus eum inuoluat, trahet alterum. Aliud eſt deiici, aliud inclinari. Ne cadat, ſecurus animus ſit, & ſepoſitus fortuna. Inclinari licet, vt erigamus alios. Nullus iacentem ſuſcitabit, niſi inflexione ſui. Oportet medicaturum affecto, quodammodo aſſentire affectui. Huius generis potio, ſolatium eſt, vt non ſanet ægrotum, niſi ſimili morbo videat ægrotare Medicum: alioqui ſuſpecta putatur, & potiùs quid veneni, quàm pharmacum propinari. Contraria conciliare opus eſt. Qui affectu opprimitur, negat fidem affectibus exempto: & qui affectu ſuperatur, ſuccumbenti alteri manũ non valebit porrigere. Quare, qui affectis medetur, oportet, non habeatur affectibus, & monſtret habere. Aliud eſt ſeruire illis, aliud dominari: aliud haberi, aliud habere. Debet non teneri ſoluturus alios. Moratam equitum turmam Muſonianus videns inſpecturorum quid augurij capiendum ab occurrente alite; tanquam aliud agens tetendit arcum, confoſſamque prima ſagitta auem in terram dedit: tunc ridens ſocios arguit: parum inquit poſſe ab irrationabilibus conſilij, & opis capere, ſiquidem neſcirent, quæ ad ſe ipſa pertineant. Prius eſt ſibi cauiſſe, quàm aliis. Auxiliaturi manus in ſe initiatur: at niſi madida naufragum non redimet.

Quid, anne ſimulationem conſulimus? Nequaquam: lacrymas concedimus communes cum miſeris, non lacrymarum cauſam. Miſeri miſeriam deplorant: felix ille, & ſapiens, ipſos miſeros flet cum flentibus, quia malè flent; non mala, quæ flent: non flet fortunæ potentiam, ſed infirmitatem humanam. Lacrymantem Solonem reprehendit quidam, quòd defleret, cùm luctus non ſit fortunæ potio, nihílque prodeſſent lacrymæ. Hoc ploro, inquit, quod nihil proſunt. Communem fletum habuit, non materiam. Id poteſt vir ſapiens, & horribilis, atróxque fortunæ deflere, quòd fleant mortales, cùm nihil proſit flere. Cùm mœſtum, eiulantémque videt, ſolùm ſe commouet, vt ſoletur illum, non vt putet malum pati calamitate deplorata ex his externis. Diſtinguit ſubtiliter, hominem illum non affligi caſu fortunæ, ſed opinione ſua: non enim infortunati ſumus, quia ſumus; ſed, quia putamus. Maius aliquod malum, quàm ipſum malum deplorat, non ferri malum; & plus patientiam, quàm patientem. Malum verum, quod ibi noſcit, eſt malum falſum ignorare. Hoc flet, quòd defleatur. Qui ita diſſimulat conſtantiam ſuam, non ſimulat ſenſum. Nequaquam impaſſibilem illum facimus; ſed patientem, & compatientem, ipſius adhuc compaſſionis patientem. Licèt extra vulgus hominum mittamus, humanum volumus in vulgo. Non propterea interpellamus pacem, & ſerenitatem ſuam, hoc ipſo, quòd flet; quia vult, & iuſtè vult. Non eſt turbidus, non anxius, non miſer, imò felix, id eſt, ſui erit, & ſibi hilaritate arcana feſtiuus. Egregiè diuinus Ioannes Scholaſticus, fletum proborum dixit animæ riſum.

Cap. 75. Cæterùm Gregorius Nazianzenus Cæſarium laudat fratrem cum larua ſeruientem aulæ. Intùs Anachoreta, coràm aulicus fuit. Præſtat hac aſtutia negotiis (neceſſaria dico) committi, & pro rerum incurſu caſſidem componere, ſi neceſſe ſit. Non eſt in iactu fortunæ directo, in iactura, inquam, propria: ſemper in hac placet

nudus,

nudus, ſincerúſque vultus,& natiuus color,animi ſerenitas. Tam fortis animus ſit, vt nudus ſpectet fortunam,nudus vincat,non tantùm ſine armis,ſed ſine veſte. In alieno diſcrimine,& ſalutari prætextu, quandoque id opportunum erit ſine ignominia conſtantiæ virorum,imò ſine iniuria inconſtantiæ rerum,quarum bracteata inanitas eſt,ſuperficie tenus:laruatæ ſunt; non ſunt, quod oſtendunt: ſic cum larua ſatisfacies.Non ampliùs iure exigent, quàm habent. Simulata ſunt bona,& mala:non peccat,qui cum his diſſimulatus ſit.Sana inteſtina non habent:non licet ob hæc præcordia tua ſana corrumpere. Intus pax ſuo in ſolio cordis ſerena & candida fulgeat; forinſecùs licèt veſtiatur fuſcus & feralis color. Nemo meliùs adulabitur mundo,nemo conformior, quam qui ſolùm tradat faciem, reſeruet cor. Hæc indoles mundi, aſpectum dumtaxat ſine medulla præbere. Inſpice te; cætera inde coniicies: quotiens aliud quàm videbaris,fuiſti? Omnis hic rerum curſus, omnis fortunæ ludicra feſtinitas apparet mihi, laruatorum ludus, cùm per cohortes,obiecto vultu,ſtringente manu facem,curſum bini agitant:properant enim res,

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Currunt & ſimulatæ:compar his fiet, qui ſaltem ſe diſſimulet.

Cap.76. Licet in amicorum cum amicis, in parentum cum fratribus, in beneficorum cum coalumnis temperatè deflere mortem, non perdere pacem. Summa illa Nůminis indulgentia ita proſit: ſi malum videtur, larua eſt; in bonum cadet. Vt benè viuamus, ſuperfluit nobis: non eſt, cur deſideremus aliquid,vt viuamus;& hoc ipſo, vt miſerè viuamus.Hęc optima conditio noſtra eſt, vt gratis ſit vita beata,non miſeria. Illa non rebus, imò nec cupiditatibus eget: quinimò hæ ſunt,quibus minùs egeat. Miſeria ſine deſiderio non eſt,nec datur ſine pretio cupiditatis. Suppetit ad id,quod maius eſt,lætam vitam?cur ad id, quod minus eſt, vitam, egenos nos, ſuperfluis putabimus? Dum fulmina fortunæ non valent concidere, & tam validè percellere voluntatem, vt illinc fruſta reſiliant, (quod non valebunt,) integra omnia noſtra ſunt,& ſuam integram pacem,cor integrum reſeruat.Horridam hæc obiiciunt ſpeciem; ſed pueris dumtaxat. Reuelle fœdam caſſidem mali,quæ atterret;inuenies inibi bonum. Deceſsítne,qui tua, vt mater,ſollicitabat; vt pater, prouidebat; vt ſoror, ſtudebat? Fortaſſe præſtantiora officia adnaſcentur ex hoc deceſſu:nunc latent. Parentes interdum, vt ludant cum dilectis infantibus,perſonam ſumunt alienam,& deformem. Terrentur paruuli: ſed ſtatim reiecta larua inueniunt patrem, matrémve fuiſſe: rident tunc, aſſultántque in amplexus: aſtutiâ deinde notâ, repetitam iam non formidant perſonam: noſcunt ſubinde latere matrem,aut nutricem; iam cum ipſa larua luſitant, matrem balbutiunt. Quem non terreret vis malorum ſanctum Iob inuadens?vultus horridus, poſt liberorum, ſubſtantiæque iacturam vlcere peſſimo iacere? Vbinam? Noſocomium illi ſterquilinium fuit, vndique ſaniem fontificans,ſeu potiùs ſtagnans. Vermes pro piſcatione duxit. Quæ malorum facies atrocior? Sed non pertimeſcit virum,qui tam aberat, vt mala haberet, vt collætatus luſitaret ſcaturiente vermiculo. Detraxit rerum perſonatum geſtum; inuenit ibi maiora bona,officioſa pietate;ne paternas curas, nec materna viſcera, nec germana obſequia deſiderabat. Putredini dixit: Pater es: mater mea, & ſoror mea, vermibus. Cortex ille malorum fuit;nucleus, ſubſtantiáque bonorum. Velut pueri nucibus, his malis cruſtatis viri ludunt,obduri, infractique aduersùs calamitatem. Infringunt illam, & abiecto demum putamine medullam ſciunt edere ſuauem. Cùm itaque perſonata,& facialia ſint omnia,cum perſona & facie tenus,faciemus ſine iniuria ſatis.

Cap.77. Quid aliud monuit ciues Corinthi diuinus Paulus? Qui flent,inquit,tanquam non flentes; & qui gaudent,tanquam non gaudentes; & qui emunt,tanquam non poſſidentes;& qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Figuratam, ſcilicet, larualémque ſocietatem cum mundo permittit: audias rationem; iuſtitiam iſtius agnoſces ſocietatis. Præterit,inquit,figura huius mundi. Figuram ſolùm,perſonamque obiectantes concito prætereunt curſu res, vadunt, currunt, tranſeunt. Quò? rogabis. Meta, nihilum eſt:euanent,non ſiſtunt, vt fumus è camino:

Omnia prætereunt,vt inanis in aëre fumus.

ait Dionyſius Lyrinenſis. Illis nos exhibeamus ſimiles, laruati etiam. In imagine, excurſúque ſatisfaciamus, vt ipſa ſolùm nos volunt feſtinâ ſatisfacere ſpecie. Flere,& non flere; gaudere, & non gaudere; vti, & non vti; non compones, niſi laruali ter aliud lateat, aliud pateat. Patent oculi pluentes imbres lacrymarum:latet animus delibutus muliebri riſu.Frons Heracliti foris;cor Democriti intus. Perſona animi, frons eſt. Siue fortaſſe aſpexit Paulus theatrales tunc temporum ritus,cùm perſonati mimi, & inſtructa ſcena mutatitiis, verſibilibus, ductilibúſque figuris,aliis poſt alias ſuccedentibus; quæ,cùm, aut fabularum mutationes, aut Deorum aduentus, cum tonitribus repentinis erant futuri, procurrente præteribant verſura, & ſpecie exornationis primæ elapſæ, facies alia oſtendebatur figuræ. Mundum, magnum puta theatrum; Magiſtrum Comediæ,Deum; mimos,homines; exornationes, figuráſque,ſcenæ,res iſtas decurſu ſolùm apparentes, ſucceſſione feſtinâ mutatorias.

Cap.78. Quid aliud maieſtas Aſſyrij imperij fuit, niſi ductilis, tractitiáque figura ſcenæ? Præteriit: ſucceſſit alia verſura, regnum Medicum,& Perſicum:hanc prætereuntem Macedonica potentia ſequuta: euanuit etiam hæc figura ſubſequente Romana diſparitura quoque. Non ſunt immortalia regna mortalium; non digniora auctoribus. Vbi nunc Ninus, Semiramis, Zames, Aralius?Vbi Arbaces,Mandanes,Soſarmon, Articarmines? Vbi Cyrus, Cambiſes,Darius, Xerxes? Vbi Alexander, Arideus, Caſſander, Antipater? Vbi Antigonus, Ptolomæus? Vbi Iulius, Octauianus, Tiberius? Vbi magni iſti Patriarchæ ambitionis, radices imbelles gloriæ Aſſyriæ, Medicæ, Perſicæ,Macedonicæ, Aſiaticæ,Syriacæ,Ægyptiæ,Romanæ? Vbi illi primores faſtus, & libidinis pincernæ? Vbi primogeniti illi fortunæ,ante quos vt paſſer ante miluum, ſiluit Orbis? Quomodo nunc de illis ſilet?Baleus, Armatrites,Altadas, Mamicus, Mancaleus, Sterus, Mamelus, Spareus,Aſcatades, Bellopares,Lamprides, Lampares, Panyas, Mitreus, Tautanes, Tineus, Pyriciades, Octazapes, Sardanapalus: his interitu notus, infamiâ famoſus: cæteri,nec

vita,

Digitized by Google

vita, nec gloria: vix aliud quàm nomina, velut oſſa gloriæ, reliquerunt. Solum eſt eorum fuiſſe; ſolum noſcimus tranſiiſſe. Ipſa nomina non agnoſces fortaſſe; nec ſunt multa: adeò ruinoſa res gloria; quam tamen ſolam non mortalem putant habere mortales. Falluntur: nec pignora ſui cadaueris, nec titulum ſui ſepulcri reliquit: iam mortalior eſt mortuis gloria mortalium. Illorum ſiquidem reſtant ſilentio oſſa, reſtant dentes poſt funus viuaces, poſt cineres immunes, poſt ignes frigidi. Fama tandem edentula fit, & ſine igne perit, imò ſine aere, dum vox deeſt, cui vita eſt loqui. Laruata omnium felicitas præteriit: plurium ſine occipite euaſit, nec in ipſa fuga tergus oſtendit. Si imperia illa, hæc, inquam, onera orbis alleuata diſparuêre, quid fiet his, quas tractamus paleas rerum, feſtucas, pennulas? Illa regna ingentibus confixa vrbibus earum coloniam mundum diceres: vrbes ipſas validis munitas mœnibus, non ariete, ſed nec fulminibus quaſſandas crederes: numeroſis exercitibus, quibus campi anguſtiæ erant, vniuerſum mortalium genus peregrinum putares: ſanctis, quod plus eſt, prudentiſſimíſque legibus, Oracula ſuſpicareris, & ſuſpiceres: non habuerunt pignora ſtatus, nec tueri hæc omnia inualuêre, quominùs fortunam ibi radicatam, non videremus reuulſam. Quomodo nos, ſicca, deciduáque folia noſtra, valido concuſſa flatu, tanquam æterna habemus? Subleuantur omnia, & ſuis ruinis à nobis attolluntur, tam felici, certóque curſu properant, vt non morentur caſu; cadentia tunc magis elabuntur, currunt. Quidquid pretioſum eſt in mundo, inaurata nullitas, purpuratum nihilum eſt, ſub perſona in ſuum domicilium, interitum, procurrens: Properationem iniqua ſui conſcientia incitat, ne agnoſcamus in mora, & diſcernamus laruam; pudeatque comprehenſum agnitionis, comprehendentes amoris.

Cap. 79. Itaque iure Paulus ex his rerum verſibilibus, prætereuntibúſque figuris collegit, nos quoque licere perſonam obducere, vt ſuis theatrum conſtet officiis, ſimúſque Actores fabulæ. Hi dum flent, non dolent; dum emunt, non poſſident; dum iubent, ſine imperio ſunt; dum vtuntur, ſine vſu; dum obiurgantur, ſine vindicta; dum obiurgant, ſine ira: agunt, ſcilicet, alienam vitam: vtinam & nos. Eleganter pulchrum hominis canit Theologus.

Ζώειν τ' ἀλλότριον ζωῆς βίον.

Quia nemo alienis rebus afficitur, qui vixerit alienam vitam ſine affectu, id eſt, ſuus erit: omnia, vt hiſtrio, fabulam putabit. Salutare iſtud conſilium, etiam vt tibi conſulas, cape, non ab aliquo Muſonio, aut Telete, aut Epicteto, qui te hiſtrionem quoque mundi, & vt iſte ait, hypocritam dramatis monet fieri. Cape ab ore Dei, à Doctore mundi, Paulo. Talem perſonam age, qualis à Magiſtro deſignetur, qualem ipſe velit. Suprema illa, æternaque Mens huius mundani dramatis Magiſtra eſt, & Poetria: illa perſonas inducit, & diſtribuit. Breuem dedit; non quæras longam: egenam? non petas regiam: quamlibet tribuerit, eam ingenioſè repreſenta. Tui muneris ſolùm eſt commiſſam perſonam aptè effingere, non eligere: hoc Magiſtri eſt. Si dedit agere mendicum, ægrotum, claudum, humilem, calamitoſum; hoc cura, vt benè agas, non vt aliud. Non eſt gloria Actoris fabulæ, quòd repræſentet auguſtiſſimum Principem; ſed, quòd benè. Maior laus eſt, ſi ſtultum, aut mendicum, aut flentem aptè ſimulet, quàm ſi Philoſophum & Regem. Id etiam, tanquam bonus hiſtrio, qui nõ ſolùm benè Prologum, ſed & medium, & cataſtrophen fabulæ agit, cures primordia, medium, & finem vitæ rectè agere. Is optimus repræſentandi modus, ſi actione aptè exprimas idem, quod ore: ſi opere repræſentes doctrinam.

Viuere alienam vita vitam.

DE ARTE VOLVNTATIS

LIBER SECVNDVS.

APPENDIX I.

Tolerantia, & temperantia rerum.

Cap. 1. NVnc reſtituo me operæ. Inſiſtam, & appendam alia. Sub eamdem recurriam incudem ferrum idem. Plures ictus tunt extra, plures irriti, vt aliqui certi pangantur. Ad amoris modum redeo, quia fixam ſibi, conſtantémque voluntatem velim. Repetam partim eadem. Non vna, aut altera malleatione clauus figitur, plures repetis, deinde tentas, rurſúſque recutis, donec firmum videris. Neque tantùm erudire exopto virum, mallem facere. Breuis eſt doctrina beatæ, id eſt, bonæ vitæ; ipſa tamen opus prolixum eſt, & difficile ſuaderi, quod facile diſci: omnium quippe res facillima, & in promptu eſt, bonum eſſe, ſi alia erudiremur, quam Antiſthenes dixit neceſſariam, ego addo omnium difficillimam diſciplinam, dediſcere mala. Alia iam appendam, ſiue expendam documenta conſequentia eorum, quæ diximus: ex quibus duas pacis & lætitiæ anſas inuenio, tolerantiam, & temperantiam: his regatur, quæ te reget benè, voluntas. Velut equorum gubernatio, fræno, & calcari conſtat: cohibe te in bonis, inſtiga te ad ferendum mala, & velut vmbraticum equum ſuper ipſa, quæ te atterrent, coge te gradi, peſſumdare, dediſces metum fortunæ, qui virtuti rudes facit. Tolerantia malorum, eſt temperantia bonorum. Non facilè dicam, vtra maior ſit: illud certum; æquè oportere pati multa,

multa, ac velle pauca. Pauca tu potes, & multa in te poteſt fortuna, in quam maximè patientia potes maxima inter virtutes, quæ

vincit inermis,
Armatóſque ſolet vincere ſæpè viros.

Cap. 2. Sicut non magni conſtat benè viuere, ſic nec diſcere. Duobus verbis reſumitur tota voluntatis ars, tolerantia, & temperantia. Hoc eſt omne pacis myſterium; Eleuſinum credes, ignotum niſi ſacris animis. Hi ſunt Lares tranquillitatis, Penates bonorum. Hanc Philoſophiæ ſummam cum Epicteto puta, ἀνέχου, καὶ ἀπέχου. Non obtinet, nec retinet gaudium, niſi qui ſuſtinet, & abſtinet. Hæc ſunt cardines quietis, & virtutis. Vt pacem obtineas, abſtine; vt retineas, ſuſtine. Rarus poſſeſſionis modus. Recuſando conſequeris, excipiendo conſeruas: recuſando crepundia fortunæ, excipiendo flagra. Hac ſolùm diligentia Hieronicam fortunæ ſe putauit Diogenes. Cinxit pinu tempora, Iſthmica cæremonia, velut ſacrorum victor certaminum. Iuſſus, ne illegitimè honorem vſurparet, ſe reſpondit, duos Antagoniſtas viciſſe, voluptatem, & dolorem; illam, quia abſtinuit; hunc, quia ſuſtinuit. Ne imbellem te putes: habes temperantiam, & tolerantiam, egregia ſtratagemata aduersùs aſturias, quibus in te molitur ſors. Siue vi, ſiue dolo aggrediatur, omnia ſtudia ſua præuertis. Impetus, & illas iras repentinas non ſimulatas frangis tolerando: artes, & fera, altáque odia, conſiliis, cunctatione (fortiſſimo armorum genere) armata temperando, dum furit. Syncerus eſt iracundorum, & ſine artificio motus. Statim dura, acerba, vt obuia & ſimplicia tela, & palam arma torquet. Dum odit, lenta eſt: non vi ſua contenta, inſidias tentat: dolos, & doloroſiſſimam miſeriam poſt felicitatem adornat felicitate. Omne ſuum tormentum, omnis apparatus & machina turbandis, deturbandis, inquam, nobis iſtud eſt: quia dat, quæ nolumus; negat, quæ volumus. Reſiſtis, ſi abſtineas his, ſuſtineas illa.

Suſtine, & abſtine.

Cap. 6. Verùm hic geminus noſter morbus, quo grandi concepta propoſito aboritur cum felicitate virtus, inuersè nolle, & velle; faſtidire, & appetere: vtrumque abſurdiſſimè, præpoſterè. Appetimus intempeſtiuè, cùm neceſſaria eſt neceſſitas, quæ nihil aliud carenti eſt, quàm optare: appetimus, inquam, quando, & quæ fortuna non fert. In Ianuario ceraſa quærimus: ipſa ſe puniunt vota noſtra: hyemat plerumque fortuna. Quid alienū concupiſcis? Tempori ſeruiendum eſt, ne ſeruias fortunæ. Ægrotamus pica, velut grauidæ, quæ abominatione ſtomachi, & appetitu laborant, faſtidiunt ſalubria, &, vt mitteris, iucunda: appetunt abſurdos cibos, ſiue non cibos, gypſum, cymeliam, carbones, ſordes, in hyeme vernos fructus, in vere hybernos. Quid putas, eſt, abſtinere, & ſuſtinere? Opportunum fortunæ eſſe, ſcitè nolle, ſcitè velle, non cupere. Abſtine igitur: alioqui, quid cupiendo facis, niſi dilatare limites fortunæ, extendere ſcopum ſuum? Licèt nolit, telis ſuis te attinget. Non intereſt, cæca ſit, quominùs ſagittaria certa: ſi ſcopus vbiuis, ſi omnia ſit, errare exoculatus neſciet. Etiam inuita aberrare illa vulnere non ſciet in eum, cuius cupiditas per omnia oberrat. Sine collimatione ferit, ſi ſpes quocumque collimat. Nullum telum in caſſum cadit in conferto agmine. Tantùm patet eius ſcopus, quantùm vota tua.

Cap. 4. Scias in dimidio voluntatis circa hæc externa, & quaſi in contractiori arcu totam potentiam habere. Præſumere omnipotentiam poſſes, in tota, aut altera voluntatis parte, nec dimidiam: dicam penè nullam. Duo ſunt libertatis membra, velle, & nolle; potentiſſimum hoc lacertum; infirma illa manus: quidquid non habes nolle potes. Sed nemo poteſt habere, quidquid vult habere. Cùm nolis, potes in omnia; cùm vis, in nulla. Fortuita ſunt, paréntque fideliter fortunæ infidæ. O quantum ærarium eſt, quàm prouiſa panoplia aduersùs ſortem ſubitam hæc conciſa cupiditas! Quid angimur? Valemus aduersùs caſum, & nimiùm valemus, cùm dimidia præualeamus voluntate. Manca alterius manus ſufficit, & claudicans, vt ſic dixerim, aſſequitur refugam, alatámque felicitatem. Citò, certò, feliciúſque te locupletauit, quàm theſauri Crœſi: iſti mendicitas erunt coram te nihil volente, coram voluntate non mendica. Securè per illam diues es, ſiquidem es, cùm vis; nimirum, cùm nihil vis. Pauperem tunc facis fortunam. Quid maius optare potes, aut quando magis diues? Nihil in te habebit, nihil in ſe, quo tibi placere poſſit; fallere dico. Ditior eris Attalo, ſi Attalicam contemnas ſupellectilem, & potes. Maior vis quàm Midæ voluntati tuæ eſt: non eſt opus contactu, in abſentia plus valet: ſi quidem, cùm vis nihil velle, habes omnia, etiam quæ non videris: quid mirum, ſi quæ nec optaueris, aurea paupertate locuples? Egregiè Euſebius philoſophatur; Πλούσιον χρὴ νομίζειν τὸν ἡγεόμενον ἔχειν τὰ ἀρκέοντα τὸν δὲ ἀεὶ ἐπιθυμέοντα προσκτήσασθαι καὶ πληθώρην μηδέποτε τοῦ τοιούτου λαμβάνοντα, κἂν εἰ Μίδου πλούσιος μᾶλλον, πένητα καλέειν καὶ Ἶρον, οὐ ἐκεῖνος ἐξ ἀνάγκης εἶχε ψυχὴν κεκτῆσθαι. Idem ait, Φιλοχρημάτων ἄλογον τὰ κτώμενα ἀποβαλλόμενα μᾶλλον ἀνύσειεν, ἢ ὁ ἐφ' ἑκάστῃ ἡμέρῃ πλοῦτος, ἄπλετος ἐπιγιγνόμενος. Quare ſolùm diues es, ſolùm omnia in voluntate poſſides; ſi quidem omnia nolle in voluntate eſt. Vbicumque dixeris, ſufficit; vniuerſa habes. Quid dicam? Plus habes, quàm habere poſſis. Superfluunt tibi omnia. Si non credis habiturum, crede ſaltem tantumdem, aut maius habiturum, non indigere, ſuperuacua habere.

Ille diues exiſtimandus eſt, qui ſe ſatis poſſidere ſibi perſuaſit: cùm verò, qui partis ſemper aducere properat, acquirendíque ſaturitate nulla capitur, etſi Mida fuerit opulentior, pauperem, ac Irum appello, quo ſcilicet, omninò non minùs eſt pauper in animo.

Irrationabilem auaritiam citiùs conſument abiecta res parta quàm creſcentes quotidie immenſæ opes.

Cap. 5. Adeò immoderatus eſt vſus, ſiue immodica vſura temperantiæ. Nec minorem tolerantiæ puto. Eſt fortaſſe facilior: poſtquàm doctus abſtinere fueris, tunc benè ſuſtinere poteris. Ex cupiditate armatur impatientia, & ſpes noſtræ parturiunt timores. Abiice illas; & ſcies, aliquando poſſe iraſcentem fortunam cum gratulatione excipi, non tantùm cum patientia. Crates, ſiue Zeno, magnus quidem, quicumque ſit, aſpero Neptuno exoneratutus mercibus nauem libens, lætus opes ſuas in mare iecit, & gratias fortunæ agens, inquit:

Εὖ γ' ὦ τύχη, μοι τῶν καλῶν διδάσκαλε.

Benè, ô Fortuna bonorum mihi magiſtra.

Tunc quoque dices ob ipſum infortunium fortunæ benedicens: Benè eſt, ô Fortuna, magiſtram te mihi exhibes boni. Euge, euge, curatrix ſolicita

cita

Digitized by Google

cita animi. Gratias ago, quòd venias reportatura, quod ego diu iam debuiſſem reſtitututus ad te mittere. Gratiam hanc à te habeo, quòd dediſti vſum,& tollis abuſum, nec pro vſu vſuram exigis. Me admones. Malo conſilium tuum, quàm gratiam. Intelligo, quid dicas. Ad frugem me colligam, ad virtutem, ad me, ad Deum. Priuilegio mecum veteris. Non tantùm citas ad virtutem, ſed cogis. Benè vectus ſum naui confracta: inde integer curabo eſſe. Ecce & aliorum oblita es, quæ tollere potuiſti, tuo iure ſtant omnia. Tot mihi dediſti, vt perderes memoriam. Ego benè recordor, & te monebo: cape adhuc aliqua tua, agnoſce omnia præter me; nec. digna humano animo puto, quæ tu adhuc contemnis. Vtinam ſic cum fortuna ageremus, vt ille ſenex, graſſantibus latronibus: Quæcumque, inquit, vobis videntur, tollite. Fecerunt ita, ſolo marſupio præter ſpem relicto, quod ille accepit, & inſequutus illos, clamabat: Accipite etiam illud, quod tollere obliti eſtis. Fortaſſe iſtam comitatem mirata fortuna, etiam reſtituet omnia: reſtituerunt & prædones. Chriſtianus reiiciat fortunæ nomen, & diuinam manum in his noſcat, & oſculetur.

Cap. 6. Si adhuc rapax & trux ingenium ſortis non excuſaueris, non erit, vnde iuſtè accuſes illæſus. Tutò ſi te colligas ſine voto, & ſpe, diminuta fortunæ præda, in ipſo illius ſcopo & paupertate expectare ſua iacula licet. Credo nullibi fortaſſe ſecuriùs. Imperitum ſagittatorem cùm vidiſſet Stratonicus, iuxta ſcopulum conſedit, illic ſe ratus ſecuriorem. Cauſam reddidit: Ne me feriat. Cæca fortuna dicitur, in ſcopo ſuo mane: illud minùs attinget, quod intentat. Quin cadant in te omnia iacula, incruentus manebis, dum ſine cupiditate. Si telo primam ferri aciem perfregeris, nulla nocendi vis haſtili manet. Cuſpis fortunæ cupiditas eſt noſtra, poſtquàm detraxeris illam, ſine mucrone erunt ſua arma: tu ſine vulnere. Luſoria tela cruorem non guſtant.

Cap. 7. Iam arbitror longa Epictetum epitome reſumpſiſſe Philoſophiam, cùm duo verba, Abſtine, & ſuſtine, dixerit eſſe. Superfluit dimidia oratio, altero verbo ſatis conſtat, Abſtine, dico. Nemo eſt, qui nihil velit, ſi nolit aliquid, præſertim quod habet. Hoc ſuſtinere, eſt, non velle, niſi quod tenes. Limpida itaque & alba cupiditatibus voluntas, leuem fortunæ ſarcinam ſentiet: ex ſe enim fortuna leuis eſt: ſed grauiores ſarcinâ ſuâ clitellas habet cupiditates humanas, ſine quibus nullum onus imponit nobis: nullum ſine deſideriorum clitellis incommodum accommodat: nihil nos onerat, niſi vota, quæ tamen mala plerumque inſcij, vnde onus veniat, multiplicamus, vt alleuiemur; creſcente tamen miſeriæ pondere. Quidam ruſticus fatigatus ex aratione, regreſſurus in villam, aratrum aſello alligauit; inſuper aſcendit: ſed nimio grauatus onere aſellus progredi non poterat; tunc ille deſcendit, ſuiſque imponens humeris aratrum, iterum aſcendens ad aſellum inquit: Nunc procedere potes: non enim tu; ſed ego aratrum fero. Non iſto minùs ridiculi ſumus ruſtico. Curas & cupiditates noſtras, quæ noſtrum non opprimunt, ſed obruunt gaudium, nouis curis & votis tueri & alleuiare ſtudemus. Nihil profectò aliud facimus, quàm integrum onus priſtinum retinere, & pondera nobis noua imponere. Donec toleramus cupiditates, ſumus nobis intolerabiles ſine vlla adhuc fortunæ grauitate. Excutiamus illas, exoneremur ſpe: tunc ipſam fortunam leuem reperiemus, & nos, & illam ſuſtinebimus. Quæcumque ſuſtinere licet non ſuſtinenti futura; grauia profectò onera, quæ ſe mirè accommodant, vt nos grauent, ſuamque multitudinem aptè componunt, vt quæ tempus non capiet, capiat cor miſerum: pendentia enim non tantùm mala, ſed bona moleſta ſunt. Ex ipſis malis non tot poſſunt venire ſimul, quot poſſumus timere. Pauca ſunt pila, quæ vna vice mittere fortuna poteſt; & niſi adiuuaretur deſideriis noſtris, citò videremus exermem, & inani pharetra. Eſt itaque patientiæ matrix, abſtinentia cupiditatis, pari titulo, atque patientia malorum, & bonorum.

Cæterùm, cùm patientiam nomino, non dico rem ſimplicem. Non eſt patientia tantùm malorum, eſt & bonorum; & horum interdum difficilior. Illa eſt, cùm pateris: hæc, cùm agis. De iſta poſtmodum diſſeremus. Aliis diſtribuitur modis patientia: à diuino Ephrem trifariam: aliam dixit patientiam erga Deum; aliam erga Dæmonem; aliam erga homines. Ego quartam adiicio moleſtiſſimam, erga ſe. Siue in vniuerſum bifariam partior patientiam, & aliorum, & ſui. Iſta maior, quantùm diſtat ſuſtentare, quod reclinat, aut quod incumbit; ſuſtinere humero, aut tergore. Difficilius eſt ferre, quod ſupra nos eſt, quàm quod iuxta. Iumenta minùs poſſunt portare, quàm vehere: in vno homine ſatis habent, quod baiulent; ſed familiam trahunt. Omne momentum tranquillitatis, patientia eſt, magnum pacis ſacramentum, tuta ſecuritatis ara, præco & caduceus felicitatis. Quid iuuat, ſi cum exteris non confligimus, ſi inteſtine affligimur tumultuante in ſe corde? Nobis ipſi pacifici ſimus, & trucidato appetitu patientes noſtræ triſtitiæ, noſtræ adhuc impatientiæ, aliquando & patientiæ. Cap. 8.

Quemadmodum nihil magis contingens, quàm pati; nihil reputa magis tibi neceſſarium, quàm patientia. Naturale omnium humanorum malorum medicamentum eſt, quo velut dictamo expellimus aciem, ferrúmque damnorum. Non iniquius actum nobiſcum, quàm cum feris. Aper hederam ſuam habet, draco ſylueſtrem lactucam, anguis marathrum, teſtudo cunilam: aliis vicinior medela data eſt, ipſa membra: cani lingua balſamum eſt vulnerato. Hominibus vniuerſale pharmacum, ſilentium, & patientia eſt. Quid contingens pati, dixi? Iam emẽdo, neceſſarium eſt: quare neceſſariſſima patientia, qua ſolùm fit, ne patiaris anticipata quadam dote. Impaſſibilis patienter patiendo fies. Invulnerabilis animus, niſi ſolùm impatientia eſt, velut Achilles calce. Nec maiorem artem patientiæ putes, quàm ſi non vltrò, ſaltem non inuitè pati. Compendio quodam ſe à labore, & ſuppliciis vitæ liberat, qui facilè tulit. Sponte feratur neceſſitas. Manus, pedes, artus reliqui, ſuis potiùs deficiẽt muniis, quàm inefficaces & ſtupidi patiendo reddantur. Infirmi, mutili, penitùs adhuc reſciſſi, non inepti fiunt paſſioni. Egregiè Herodes Sophiſta, dum podagra & chiragra laborabat, Cùm, inquit, edere oportet, manus non habeo; oportet progredi, non ſunt mihi Cap. 9.

pedes; oportet dolere, tunc & pedes mihi ſunt, & manus. Ita integri ſemper ad patiendum ſumus. Satis hoc monſtrat integritatem viri in patientia eſſe. Adeò neceſſarium eſt pati, vt deficientibus manibus, non deficiat pati manibus. Quid, rogabis, poſſe pati illis, ſine illis? Dicam: Non habere, non poſſe illis pati. Nihil deeſt homini labori ſuo, etiamſi deſint artus: imò hoc ipſo minùs deeſt.

Cap. 10. Altè, & in medullas cordis demittenda vox Themanitæ illius: Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum. Intuere, quid deſit volucribus, vt volent: totæ in hoc poſitæ ſunt, roſtro acuto vt ſcindant proræ loco, aërem, alarum remigibus actuoſæ, oblongioribus ſuo ordine pénulis, ex vtroque inſtructæ latere velut tranſtris, cauda claui inſtar eſt, qua flectuntur & gubernantur, pedibus collectitiis, digitis ſpatiis, vnguibus aduncis, quibus tanquam anchoris aptè hæreant ſuis portubus ramis. Licèt nunquam volare vidiſſes, hoc ipſo quòd volucrum cerneres ſtructuram, diceres ad volandum facta iſta ætheris nauigia. Non minùs homo deuotus labori naſcitur: intuere illum: nihil notabis deeſſe, vt patiatur; etſi multùm deſit patientiæ. Tota hominis conditio in hoc videtur affabrè elaborata: rudis, vt laboret, vt pati poſſit: non inſtructus pennis, vt auis, ſed egenus, infirmus, nudus, exermis, adhuc ſui ſæpè deſtitutus. Vndique ſua nuditate, & egeſtate adornatus eſt paſſioni, vt auis cælo. Omnia obſeruabis, dum neque neceſſaria vitæ habere videas, habere neceſſaria, vt graue ſibi ſit vel viuere: quemadmodum paſſor leuitati ſuæ habet, quod neceſſe eſt. Id intereſt, quòd auibus deficere poſſint inſtrumenta volandi, non homini patiendi. Adeò fida natura eſt noſtræ conditioni, vt quod noſtra refert, non conſiderit caſui. Ceruo currere deficiet, lupo prædari, leoni timeri, non homini poſſe pati. Maior rerum noſtrarum cura eſt. Non temerè nobis data defutura, ſi profutura.

Cap. 11. Vitæ humanæ primitiæ, fletus eſt; primi flores, lacrymæ: inde auſpicia ſumit. Non ante naſcitur homo, quàm patitur; imò de ipſo gemit ortu. Primum lucis tributum, pati eſt: inde per reliquas ætates pendenda ſua, vt Bleſenſis ait, vectigalia miſeriæ. Arbitror, qui hanc penſionem indignè fert, qui laborem recuſat, indigniùs æſtimare naturam digniſſimam, hominem dico, & hoc ipſo dignum, vt non ſit. Iniuriam dignitati humanæ facit, ſi dignam patientia non cenſeat, & minori, vili, inquam, ſe taxet præmio ſui. Ferat adultus, quod infans tulit; nec pudeat conſectationis ſuæ, qui non priùs ſentit lucē, quàm dolorem. Hoc eſt primum, quod docetur, quod vltimò diſcitur. Omnia animalia ſuas ſtatim agnoſcunt vires: rudis homo naſcitur ad omnia, niſi ad lacrymas: ſed oportet erudiri ad lacrymarum cauſas. Omnia diſcere opus habet præter luctum. Omnia illi labore conſtant: ſolùm ſponte habet lacrymare. Vnus homini fletus datus gratis; cætera non ſine laborum pretio: ſed datus fletus gratis; quia omnium laborum appendix, leuamen ſit. Opportunum neceſſariis doloribus delinimentum adiungit natura, lacrymas. Iſtud præparauit oleum mitigandis fortunæ plagis, quas duriores ſentimus ſine hoc vnguento natiuo. Illa enim vulnera, quorum ſenſus non effluit per oculos, grauiùs feruntur. Puto iam naturale eſſe homini pati, cùm ſolus à natura habeat flere. Violenta eſt omnis vitæ huius felicitas externorum, & inuitus hic addititius fortunæ ſplendor, inde breuis eſt: nihil violentum, perpetuum. Modus naturalis hominis, pati eſt. Miſeria creditur: ſed ſine patientia, fateor. Non deficit natura in neceſſariis; minus prouidentia diuina, & gratia: nunquam igitur deficiet pati, neceſſariſſimum humanæ vitæ. Inueniti ſunt plures, qui non riſerint, nemo, qui nunquam fleuerit. Ipſe Democritus flendo eſt natus. Nemo ſine labore, ſine dolore nullus.

Cur, quæres, homo beatitudini vnicè deuotus naſcitur ad laborem? Cur flendo ſe dedicat gaudio? Vnum iſtud animal capax felicitatis, cur capax duntaxat fletus? Naſcitur ad virtutem, proximum felicitatis organum. Quare ad laborem, qui maſſa, &, vt ſic dixerim, argilla virtutis eſt, nulla ſine difficultatis elemēto, nulla ſine laboris emitur nummo? Neque paucorū officiorum materiam creant. Niſi homines eſſent indigi, vnde miſericordia? niſi infirmi, vnde conſtantia? niſi dolentes, vnde fortitudo? niſi egeni, vnde liberalitas? imò niſi mortales, vnde immortalitas contempta morte? Iam fortaſſe tenes momentum collationis, cùm homo comparatur aui. Naturâ volucris pennis ſe attollit ſuper humum: inde ima iſta deſpectura, in cæleſtium vicinia degit: cùm ad terram ſe demittit, adhuc ſuper nos, aut in arboribus diuerſatur ſublimis, aut ſuper tecta noſtra inſidet quieta, aut in præruptis habitat ſecura, eminens aliquod ſemper affectat. Homo pariter cælo natus, & deſpicientiæ huius terreni puncti, illuc ſe euehit laboribus, velut alis aſſurgit ſuis aquila in æthera. O ſalutare conſilium! ô diuinæ prouidentiæ ſtudium, & inuentum! Eius nobis neceſſitas imponitur, cuius pretium noſtra vota citare debet. Vtilitas neceſſitati eiſdem colligatur catenis. Satis hoc ad patientiam. Scitè quidam Arabs inquit: Sepes tolerantiæ, vtilitas: namque vt neceſſaria ſit noſtra vtilitas, labor neceſſarius eſt. Quantumuis in alicuius ſinum totam cornucopiam vacuefaciat fortuna ſemel prodiga ſine pœnitentia, aliquando laborem & inopiam ſentiet. Pompeius, & Darius ſiti afflicti fuerunt: tot fluuiorum domini, nihilominùs ſtillam optarunt. Torpuit aliquando Alexander frigore, qui ferè fuit dominus Solis, tantùm in domo ſua Oriente valuit, vt nil, niſi vetare orti, reliqua eſſet tyrannis.

Sunt prætereà, quia neceſſarius labor, alij quoque labores neceſſarij, voluntarios dico. Elegans Philoſophus in hoc Euſebius ait: Πόνοι οἱ ἑκούσιοι πόνοισι τοῖς μετὰ ταῦτα ἀναλώσασι ὥστε αὐτοῖς εὐπετεστέρως παρασκευάσθησαν προπονήσαντες. Sed iam in hoc remedium laborum vides patientiam. Qui vltrò patitur, non patitur, quod neceſſe eſt pati. Clauus clauum trudit. Morſus venenati applicito item veneno miteſcunt: ideò neceſſariis laboribus ſunt neceſſarij voluntarij, vt violenti non ſint inuiti. Sed nec graue foret, eſſe neceſſe pati, nec moleſta neceſſitas naturæ, niſi nos, vltra quod eſt, neceſſe fieremus neceſſitati, & miſeri. Mala augemus adiumento noſtro; propter ineruditionem, ait Diphilus: qui etiam beatum monet, diſcere miſerias. Quid rationabilius mortali, quam doceri mortalitatē ſuam, labores vitæ, quædam

Cap. 12.

Cap. 13.

Voluntarij labores neceſſarij ſunt laboribus in poſterū euenturis: quos faciliùs tolerabit ille, qui ſponte ſua præexercitatus in ipſis fuerit.

Digitized by Google

quædam mortis lemmata? Quid ſalutarius, quàm diſcere periclitari, vt dediſcamus fortunæ reuerentiam, cuius omnia ferre onera debemus, ac ſi optaremus?

Cap. 14. Magnum rudimentum patientiæ eſt, volẽtem pati, ſin minùs expectantem. Mirum eſt, cùm nihil frequentiùs obuerſetur in vita, quàm labores, vix ſuaderi futuros: antèà dolemus, quàm poſſe credimus. Plerumque fidem miſeriæ noſtræ nihil nobis, niſi ipſa miſeria facit. Præparandus quoque animus eſt, interdum probandus, & infortuniis imponendus luſoriis. Nec Democritus audiendus. Dicebat: Si quæ ſunt perpetienda, diſcere liceret, & non perpeti. Bonum eſſet diſcere: ſed, ſi perpetienda ſunt omninò, quid iuuat diſcere? perpeti enim neceſſe eſt. Ridiculum placitum, credo: ſi ſapuiſſet ipſe auctor, nihil aliud riſiſſet. Iuuat diſcere pati mala: ſed nos non malos fore. Iuuabit diſcere pati, ſi non vt mala non ſint, ſaltem ne mali ſimus: erimus impatientia. Prætorquàm quòd ipſa mala vitamus, vulnera, plagas naturæ, fortunæ, furoris, alicui fortaſſe & ſui vitare non poſſumus: ſed hæc mala non ſunt, ſed vaginæ malorum. Mala inde contra ſe diſtringit, aut opinio noſtra aut impatientia Bion aiebat, magnum malum eſſe, non poſſe ferre malum. Abſque hoc nulli poteſt vita ſuauis eſſe, ad quod eruditio ſua eſt.

Cap. 15. Batuat itaque animus rudibus laboribus, velitationéque ſe inſtituat dolorum, vt ad ſeriam fortunæ manum, decretoriáſque eius callidè, & iam doctus plagas excipiat. Salluſtius quidam, qui Simplicij ætate vixit, accenſum carbonem nudo imponebat femori, & flatu ipſe ignem excitabat, periculum de ſe facturus, quouſque tolerare poſſet. Credo illum ignem extinxiſſe fulmina ardentis fortunæ. Si leuia fiunt, quæ præuidentur; leuiora erunt, quæ prægustantur; cùm iam ſubinde non timeantur. Sunt timores, dentes acutiores miſeriæ, quibus intolerabiles morſus ſentimus. Ineptè Sybarita ille, de quo ſcripſit Serinus, cauſam cenſuit Spartanæ fortitudinis. Lacedæmonem fortè fortuna peregrinatus adſtupuit trucem illam diſciplinam, quibus à pueris graui educabantur cruciatu: tunc nihil ipſos præſtare dixit, quòd facilè mortem in bello obirent, ne ita viuere cogerentur. Neſciebat mollis homo, quantùm valeret labor contra laborem, & patientia aduersùs paſſionem. Conſtantia illa Spartana, non deſperatio fuit, ſed firmata patiendi virtus, quibus tantum dederunt voluntarij labores, vt non modò neceſſarios vitæ iſtos & vulgares ſopirent, ſed ipſam fati neceſſitatem occumbendo vincerent, in violentiam mortis violenti, dum non fecerunt inuitam morituris. Timidus veneni Mithridates aſſidua ciborum venenatione, tam innocens ſibi omne virus fecit, vt nec volenti noceret: ipſo ſe damno fecit ſecurum, etiam à ſe; & in adiumentum vitæ, nocumentum torſit: illum aluit exitium. Simili ſagacitate oportet ad inſidias, neſcio, an dicam naturæ, præſtrui. Laboribus aſſueſcere præſtat aduersùs ipſos. Iuuabunt, quos timemus. Efficax patiendo præparatur vitæ antidotum, patientia.

Cap. 16. Tanti præterèà eſt aſſiduus labor, vt pro conſtantia ſit, & ſinceriſſimam hanc fingat virtutem. Gladiatores & pugiles, perditi, barbaríque homines, ſi vel mediocriter exerciti, ſine gemitu, ſine geſtu plagas accipere malebant, quàm ignominioſè declinare: ſi quando decumbebant confecti vulneribus, mittèbant ad dominos, quid velint, vt ſatisfactum iis eſſet, velle decumbere; iuſsíque ferrum recipere, collum explicabant. O fides ſeria in ludis! ô fides ludorum in ſeriis diſcriminibus! Non intereſt iam putes ludicram fortunam, ludóſque agere, quominùs ſeriò pareas cum fide immortali, vſque ad mortem dico. Stet ſapiens ad iuſſa: vt ingenuus gladiator mittat, renuntiet Deo, quid velit, ſatisfactum de ſe ſit, ſtare ad iugulum, velit magis plagam, quàm turpiter vitare. Sacrum certamen ſapientis & fortunæ eſt: datur in ſpectaculum mundo, Angelis, hominibus, dicatum Deo. Patiendo vincat æmulam. Glorioſiorem Olympicis palmam obſtinata dabat patientia, quæ cedentium manus ſuſtinendo fatigauit. Sapientis eſt, omnem inimicam violentiam laſſare & vincere. Malè dixi, patiendo: ſed, patientia: iam non patiens, & neque percuſſus, nec percutiens victor. Hęc laus Melancomæ fuit, frequenter per totum diem decertabat: in vehementiſſimo anni tempore parem ſe duobus æmulis ſentiebat: alterum potuit antagoniſtam Solem ferre, tot manibus, quot radiis in æſtu pugnantem. Vtrumque tolerando vicit. Cùm victoriam citiùs obtinere cædendo valuiſſet, noluit, niſi cedendo. Plagis optimum quemque putauit à viliſſimo poſſe vinci, ſi ita cadat. Eam rebatur veriſſimam victoriam, cùm integer aduerſarius & abſque vulnere compellitur ſummitti. Tunc non à vulnere, ſed à ſemetipſo vinci.

Igitur, quod potuit in gladiatoribus & pugilibus vitium, & ſpuria patientia, poterit in te legitima: & quod in Melancoma conſuetudo & exercitatio valuit, poterit in te etiam ratio. Quod ratio in Poſſidonio, poterit in te gratia: & gratia, quæ in Euſtachio plurimum, in aliis ſatis præualuit, non in te vno amiſit vires. Virtus quidem Dei in infirmitate perficitur, vtique ſui periculum exhibens. Anne tollendo infirmitatem à te, aut te illam tolerante? Hoc puto. Exigua namque potentiæ gloria aduersùs rem infirmam eſſet; qualis aduersùs infirmitatem? Illa eſt magna virtus, quæ in animum pollet, rem liberam, quem firmum cum infirmitate ſuſtentat. Plus gloriatur virtus Dei poſſe in te, quàm in infirmitatem tuam. Cap. 17.

Verùm, ſi delicatius remedium quærimus, nec rudibus audemus laboribus erudiri ad labores, ſaltem ſpe præparemur, aut expectatione. Aciem ſuam obtundunt mala ad obtutum noſtrum: ſed quia inflectimur ad fauores fortunę, de qua ſẽper benè cogitamus, etiamſi maledicamus, & malè ſit de nobis merita, inſperatos nos ſubito aſſultu atterent. Non eſt arduus aduersùs ardua apparatus. Expectatio interdum ſufficiet, & quidem rei miræ, frequentíque fide venturæ, & quidem ſine mora. Quid enim crebrius in vita euenit, quàm euenius extra votum? Sæpiùs in die quid doleas quid ſaltem ſuſtineas, occurſat. Mirum, cùm bis in die cibus contingat capi, vt tota die & vita præparetur; & ad laborem, dolorem, triſtitiam, quæ non duas modò in die horas, ſed annos continuos occupent, nunquam ſimus inſtructi. Cùm tam in manu noſtra ſit præparatio, quàm in fortunæ animaduerſio? Natra, quot Cap. 18.

vni ſtomacho requitantur, pluſquàm ſacrificio. Non ſe leui maieſtate, nec quoquolibet ritu vult Deus venter coli. Quot homines occupat, coquos, lanios, piſcatores, opiliones, venatores? Quot inſtrumenta, obelos, ahena, fidelias, cacabos, vrnulas, tripodes, gabatas, mazonomos, pelues, ſcobinas, ſartagines, patinas, & ſexcenta alia vtenſilia gulæ. Cui rei tantus apparatus? Vni palato ſemel, aut bis, mulcendo. O inepti nos! ad voluptates, paramur, & non ad laborem; haud bis, ſed fortaſſe, ſi non continuum, per momenta ſuſtinendum. Quis ad aduentum hoſtis certum ſecurus & quietus erit, & ad familiaris fortuitum occurſum anxius? Quid, inquam, ad voluptatem nos præſtruimus, ad quietem ipſam, non ad laborem? Spõdis munimur, culcitris, puluinaribus, ſindonibus, ſtragulis; ad iucunda & mollia armamur, ſomnium, victum, quia frequentia. Frequentiùs occurrit, quid durum ſuſtineas. Laboramus, vt ſuſtineamus ventrem, & tergus: cur non, vt ſuſtineamus totos nos, conditionem noſtram? Cur non laborabimus, ne laboremus? Delicatus nimis ſenſus eſt ſecuri: acerbus dolor non putantis: validè caſus deiicit ſedentem: moleſtiſſimè fortuna laſſat quieſcentem. Rudis & indoctus laborum impatienti ſe affligit & macerat animo inter ipſas blanditias cupiditatis, in ipſo voluptatum ſinu, & quiete.

Cap. 19. Æſtimo impatientiam eſſe vigiliæ incubonem, atque ephialtem vitæ. Moleſtiſſimus hic morbus (nec enim ſine ſua moleſtia quies noſtra eſt, nec ſomnus ſine morbo, tam licet ſaltem ob numerum, cùm tempus vigiliæ non capiat, cedere malis, & aliter quàm repugnando quærere reſiſtentiam:) aggreditur morbus, inquam, iſte quieſcentes, & pondere ſuo preſſos videtur opprimere, præfocare, grauare ſine vllo onere, niſi quod ipſi imaginantur, & interdum

Tollunt clamorem, quaſi ſi iugulentur.

Et rurſus idem Lucretius ait:

Multi depugnant, gemitùſque doloribus edunt,
Et quaſi Panthera morſu, ſæuive leonis
Mandantur: magnis clamoribus omnia complent.
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis,
Vt quaſi præcipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur; & ex ſomno quaſi mentibus capti
Vix ad ſe redeunt permoti corporis æſtu.

Ad hæc maior omnium moleſtia eſt ſine ſpe remedij irritis conatibus conari in imaginem ponderis:

Nec quicquam auidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires: nec vox, aut verba ſequuntur.

Quæ expreſſior impatientiæ imago grauiſſimè incumbentis, iis potiſſimùm, qui quieti & inertiæ ſuæ incumbunt? Sine onere, niſi quod ipſi putant, opprimuntur, clamant, frendent, repugnant caſſo conatu. Grauius onus ſentiunt, quò magis ſuccutiunt; non excutiunt. Totum pondus impatientium eſt, nolle pondus; reſiſtere. At, ſi aliquando euigilent ad ſe, & velint, quod neceſſe eſt, (vbi enim magis eſt rationabilis voluntas, quàm cùm magis irrationabilis neceſſitas?) euanet grauitas illa. Non vi cum fortuna agendum, ſed patientia; niſi quòd & huius ſummæ ſunt vires, portat omnia: etenim portat, quod vult portare, & hoc ipſo quòd vult. Tulit Samſon portas ciuitatis Gazæ; pignus fortitudinis, crinis fuit, quemadmodum & Pterelao, & Niſo: magnum robur; ſed infirmæ ſecuritatis. Certius eſt patienti pignus virium, non capillus à Dalila aliqua, aut Comethe, aut Scylla, muliebri & timida tondendus manu. Ipſum velle, ſecuritas eſt roboris. hoc ipſo, quòd velit portare, non tantùm poteſt, ſed portat. Humerus patientiæ, voluntas eſt. Facilis animi fortitudo, non machina, imò nec lacerto, ſed nec voto eget. Robur virtutis extra ſe non eſt.

Sunt etiam labores neceſſarij, ſi non ipſi laboranti, aliis laboraturis. Pro communi Reipublicæ cauſa etiam mortem ferendum eſt: pro publica totius noſtræ naturæ non nimis erit conditionem naturę. In exẽplum interdum veniunt: poteſt ferri, quidquid potuit. Detrahe inde, cur non multò minùs poteris ferre, quàm potuit alius? Ad documentum patientiæ, obfirmandamque ruinoſam noſtram conditionem prouidit æternæ mentis maternus amor, paternaque cura, per interualla, velut nodos, ad fragilis arundinis conſiſtentiam egregia documenta virorum, quibus fulciretur genus mortale, donec immortalis ipſe ſæculorum, vitæque Pater, in vita mortali naſceretur patientiæ & morti. Interim, ne ſine aliquo ſpeculo mundus eſſet, vicarios & præcurſores patientiæ ſuæ præmiſit. Primum in Abel titulum patientiæ, vt ait diuinus Aldhelmus, originalis dedicauit. Cui nimirùm? Innocentiæ, quaſi originali quodam iure, priuilegio potiùs in cæteris iuſtis hæreditaturæ pati, & patientiam. Nulli plus, nulli melius. Sed iam in hoc minùs patiuntur, quàm qui minùs deberent, probi & iuſti. Nemo ſanctiùs patitur, quàm quẽ iniquiùs pati videris. Repertor laborum Adam fuit, patientiæ Abel: vicinum remedium perhibetur. Peccati inuentum mala ſunt; innocentiæ verò tolerantia: ita vt res propria & peculium, charior & abundantior eſt iuſtis patientia. Cæterùm, ille clamor Abelis poſthumus, non impatiens fuit: non enim iracundè patientis cauſam diuina ira ita ad ſe aduocaret: ſed, vt inquit ſanctiſſimus Petrus Alexandrinus, Ἄβελ ὁ δίκαιος, ὃς ἀδίκως ἀποθανὼν πρῶτος πάντων ἀνθρώπων ἔδειξε τὰ σαθρὰ εἶναι τοῦ θανάτου τὰ θεμέλια διὰ τοῦτο, καὶ ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖ. Ruinoſa fundamenta iecit mors in iuſto iniuſtè morienti, quæ ius ſolùm ex iniquitate habebat. Poſſet eius ne in ictu primo aberraſſe, auſpicatiùs in ſceleſto Caïn orſura. Meritò tamen per aliena, & mala fide poſſeſſionem mortalium mors accepit in iuſto & virgine, exterminanda iuſtiùs per iuſtum iuſtorum virginem, ex virginibus patre & matre gemina natalitia natum. Ephrem dixit. Vlulat mors in ſuo initio oſtendens, quem finem eſſet habitura. Etenim ardea quodam naturæ vaticinio tunc clangere & vlulare fertur, cùm emittitur à venatore falco occiſurus illam. Mortua eſt mors ab illo, in quem nihil habuit; quæ ſolùm locum habet, vbi peccatum eſt, vbi corruptio eſt.

Abel iuſtus, iniuſtè moriens, primus omnium hominum oſtendit, ruinoſa eſſe mortis fundamenta: proptereà adhuc mortuus loquitur.

Cap. 21. Alius nodus mundi ad conſtantiam, poſt ſpatium conſentaneum, poſitus Iob, qui debuit patientiam poſt felicitatem, & poſt innocentiam. Nullibi patientia lætior, & magis ſecum contenta, quàm in innocentibus. Vix idem contubernium probitas cum fortuna habet. Debuit coticula

cula

Cap. 20. — *(margin note beside "Sunt etiam labores neceſſarij")*

cula ſua aduerſitate probata clarere. Nulla virtus ſine labore eſt alimento ſuo: non commodè habitat, vbi procul annonam habet: ideò iuſtis & cæleſtibus viris vicinus eſt labor. Sua propterea ſententia intercipio Eliphazem: De humo non naſcitur dolor: nam naſcitur aliquando de cælo potiùs, & ad cæleſtes, purôſque libentiùs venit, quàm ad eos, qui ſordidæ & terrenæ ſunt vitæ.

Cap. 22.

Poſt Iob, ad interuallum competens, ſtatutus Tobias, ad oculorum plagam pro chelidonia patientia vſus: obcæcatus ab hirundinibus, præſtantius, quàm illæ, pharmacum cæcitatis inuenit, cuius & maior gloria, quòd portaſſet viuos, quàm quòd mortuos. Hic etiam poſt innocentiam, & licèt non poſt felicitatem, poſt laborem patiens, donec venit qui etiam poſt impaſſibilitatem, Filius Dei: tanto exemplo digna patientia fuit: tam voluntaria paſſio neceſſitati noſtræ patiendi erat neceſſaria. Exemplo ipſo ſuo alexicacum vniuerſi mali patientiam oſtendit, atque Cyrenaïcum Silphium animorum. Optimè quidam ad IESVM:

Extitiſti Nepenthes labores ſedans, ſaluteferum adiumentum.

Πανσίπονον τὺ πένθεϊ εὗρες, ἀναλγὲς ὄνειαρ.

Hoc aſpirabat arcano hallucinãs inſtinctu rudis ſenſus noſtræ miſeriæ, Filium aliquem Dei ad patientiæ documentum, item & virtutis ideam: non inuenit; fecit ſibi, propoſuítque Alcidem filium Iouis, continuæ patientiæ, obedientiæ, virtutíſque formam; in cuius laboribus & patientia nunquam maiori cum indulgentia poſſe mentiri ſibi eſt viſa antiquitas. Id cenſuit verè, laborem potiùs repugnantem eſſe, quàm indignam rem Diuinitate, dignam virtute, neceſſariamque, vt duplici patientiam modo iuuaret, & pretio patiendi, & dignitate patientis. Vicit iam figmenta humana veritas diuina, vltrà quàm mortalium vota licenter optauêre, non ſperarunt. Satis iam ex Filio Dei inſtructa patientia, blandimentum & panacea malorum. Vndique ſpirabat manſuetudinem IESVS, vita, doctrina.

Cap. 23.

Iſta conſtantiæ exemplaria proponenda ſunt, non alia ſpuriæ patientiæ, & limitatæ fortitudinis, quæ, cùm plura tulerit, non potuit ipſum fortem. Reiicio omninò, quod propoſuit Seneca, alioqui ſæpè verus, interdum Chriſtianus, Catonis exemplum: nam & ruit ipſe cum Republica. Quæ conſtantia fuit in ſtatu alieno? Qualis conſtantia, quæ conſtantem non ſuſtentauit; ſed victa eſt rebus, non dico, labantibus, ſed labentibus; non caducis modò, ſed cadentibus, exciſiſque. Fateor ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus ſuo operi Deus: fateor dignum virum fortem cum mala fortuna compoſitum: ſed non video pulchrum, nec magnoperè egregium, quod non in molliſſimo Sardanapalo inueniam. Si ſpectemus Catonem poſt ruinas publicas, vbi ſtat vel priuatus paries; cecidit vir ille nullo impellente, ſi vir fuit, qui decubuit, vel vt ad magni ſtrepitum caſus fœminæ intactæ corruunt. Quid? inquies, licèt omnia in vnius ditionem conceſſerint, cuſtodiantur legionibus terræ, claſſibus maria, Cæſarianus portas miles obſideat? Cato, quà exeat, habuit: honeſta vox, adulatio eſt: non niſi quà fugiat, dico. Non potuit pedibus, fugiit manibus. Quid refert? Vtrolibet fugiat modo, fuga eſt. Timor ſolers, inuentor fugæ, in illo ſagaciſſimus, quia maior conſternatio, inſperato effugio violentam viam reperit. At, cuiuſnam timidus rei homo ille fortunæ toties baiulus? Eandem fortunam timuit? Quînam? Eam nónne diu tulit? Vtique: Sed error hoc fecit: putauit eſſe, quæ ſolet, inconſtantem; expectauit illam mutari. Sed, cùm pertinacem nouit, & ſemel ſeriam, formidauit poſtremum ictum; & blandiùs ſibi conſulens, ſua manu compoſuit vulnus ad guſtum. Non eſt magna patientia, quæ, vt vult, patitur. Potuit iras ſuſtinere fortunæ, non odium. Leuis conſtantia, quæ ſolùm ad impetum eſt, quæ conſtantem fortunam non tolerat: breui tempore, etiam non nimis fortis magnum ſuſtentabit onus: diu ſuſtinere, & perpetuò, hoc eſt fortiſſimi. Vilis itaque & abiectus pugil Cato fuit: ab ſtadio fugiit, & impatiens reliquit in arena fortunam, non victam, ſed adhuc non defeſſam, & gloriantem integro lacerto. Quæ maior inconſtantia, quàm eius, qui conſtantior fuit verſabili fortuna? Quis minùs fortis, quàm qui fugit, currit priùs, citiúſque quàm illa. Iniuſtè conſtantis, iniuſtè ſapientis, iniuſtè iuſti, imò viri nomen Cato poſſedit, qui tam malè de ſapientia eſt meritus, vt caſum aliquem, aut cauſam pararit dignam ſapiẽtis morte. Vtinam prælegiſſet concluſionem Theodori, non diſſertationem Socraticam. Nullam ſatis magnam cauſam veriſſime affirmauit Theodorus Cythereus ſapienti eſſe ad vitam finiendam. Optima id probat ratione: iſtum enim, qui caſus humanos contemnit, vitam propter eos relinquere, quomodo non contrarium fuerit illi, qui nihil bonum, quàm honeſtum, & ſolùm turpe, malum aſſeruit? Vtinam ipſum Cato attendiſſet Socratem, damnantem αὐτοχειρίαν, & prohibentem præſcripta ſtatione egredi, non iubente ſummo vitæ duce. Quid igitur exaggeras magnum ducem Catonem, qui abiectiſſimus miles fuit? Reliquit ſtationem, abſcedit loco ſuo, non paruit vitæ duci. Quidni, inquies, adhuc etiam ſtudia vltima nocte tractabat! Opportuniora debuiſſet, & neſcio, cùm ſatis immortalitatem non didicerit: mortaliſſimæ enim patientiæ factus, cur tam citò voluit experiri, anne periret æternitas, ſi ipſe non periret? quam expectare poterat, vt expectauit fortunam, quam vſque ad mortem ſuam mortalem æſtimauit: non moreretur interim immortalitas. Debebat proludere, & periculum conſtantiæ priùs facere, quàm æternitatis.

Cap. 24.

Quæ igitur patientiæ, & fortitudinis laus fuit? Non fecit magis, quàm molliſſimi, Hæmon, & Sardanapalus. O magnum Catonis facinus patrare tantùm, quantùm is, qui fuſos tractauit! quàm fœminæ, Euadne, Iocaſta, Auctolia! quàm meretrices, Sappho, Phædra! quàm puellæ, Thyſbe, Biblis, Phyllis, Anaxarete! quàm pueri, Iphis, Damocles! quàm ſenes, Ægæus, Seſoſtris, Timathes! quàm infirmi, Ariſtarchus, Eratoſthenes: quàm furentes, Empedocles, Timagoras, Lucretius! Egregia laus ſapientis viri, feciſſe, quod amentes, quod pueri, quod puellæ, quod ſenes, quod languentes, quos impatientia, aut libidinis ſuæ, aut fortunæ fecit impatientes vitæ! Siue dicas, Catonem ſibi manus conſciuiſſe, vt fugeret fortunam, ſiue vt ſectaretur immortalitatem, impatientiam non negabis, aut voti, aut timoris, & vtrolibet modo vitæ. Vtinam

nam huius tam patiens fuiſſet, quàm ſitis. Illa clara vox, cùm ſitientibus ardore & ſiccitate Libyca copiis, miles in galeæ orbem vix è puluere correptam vndam illi porrexit.

Méne,inquit,degener vnum
Miles in hac turba vacuum virtute paraſti?
Vſque adeò mollis, primiſque caloribus impar
Sum viſus? Quantò pœna tu dignior iſta es,
Qui populo ſitiente bibas.

Clarior & illa manus, quæ omnium ſitim extinxit turbidæ modico effuſo aquæ,cùm

Sic concitus ira
Excuſſit galeam, ſuffecitque omnibus vnda.

Immemor poſteà præteritæ virtutis, patientibus fortunam ſuis,ille ſolùm pati noluit: populo ſeruiente, ille ſolùm euadere voluit. Foret ſolatium omnium, videre Catonem miſerum. Felicitas putaretur cum illo infelicem eſſe. Magnam ſæuitiæ partem deponit fortuna, cùm pariter in meliores ſæuit. Si quemadmodum reiecit remedium ſitis, reiiceret remedium fortunæ,integræ gloriæ eſſet.

Cap.25. Oportet igitur patientiam etiam vitæ, quam puto omnium maximam, habere,cuius duo clariſſima ſpecula in Iob, & Tobia habemus, qui non modò à fortuna prouocati,ſed à cōiugibus, ſuas tutati ſunt calamitates in patrocinio vitæ. Alteri patientiæ mortis,vt quæ minor eſſet,ſuffecit exemplum Abelis, miro conſilio diſpoſitum, (vſquequò vtriuſque patientiæ archetypum in Filio Dei poſſet reſpectari,) vaſtam & inexpectam mortem committere cum innocentia, vt primus efferi fati impetus obiectus patientiæ donaretur, cuius virtutis viribus retuſa acie ſui teli, fractóque robore, mitiùs inde ſauciaret mors mortales. Iuſtus Abel primus ad exemplum moriendi ponitur, cùm formidabilius vitæ fuit nomen mortis tunc illibatæ, vt eius tolerantiam doceret, & pro pharmaco porrigeret.At,cùm experientia docti mortales aliud malum morte maius, vitam apud ſapientes malam, apud miſeros ſuam; poſiti ſunt Iob,& Tobias ad patientiam viuendi, qui acerbiorem nece vitam miſeram, ne feciſſent malam, tolerarunt.Quò pariter facerent meliorem, docuerunt aliud pharmacum maiorum præſtantius morte, patientiam eſſe,& contra vulgus ſteterunt. Falsò enim iſtum commendabilem titulum morti arrogans Euripides appellauit,

Maximum malorum. Pharmacum. Κακῶν μέγιστον φάρμακον.

Quaſi ab ipſo alibi non poneretur mors maximum malorum. Quare ſi & ipſa non ſui pharmacum eſt, non eſt malorum medicamentum. Et iam ſatis magnum malum foret, non eſſe medicinam malorum, niſi maximum malum. Falsò item ab Æſchẏlo dicitur:

Tu ſola es Medicus malorum incurabilium. Μόνος οὐ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν ἰατρός.

Ridiculè Medicus malorum incurabilium eſt mors, ſi ipſe Medicus malum eſſet incurabile, cui iam nullus Machaon reſtaret. Similiter peccat illud Sophoclis:

Vltimus Medicus morborum, mors eſt. Ἔσθ' ὁ θάνατος λοῖσθος ἰατρὸς νόσων.

Si reſtat morbus, ipſa mors, medicandus; non eſt mors poſtremus morborum Medicus: ſed noſtrorum malorum curam æſtimarunt vulgari Medicorum more, violentis, acerbioribúſque ægritudine potionibus medentium. Cara ſalus: quorum ſanè morborum, imò & medicamentorum, fateor, medicamentum mortem. Citiùs & frequentiùs tollit morbum, quàm aliud remedium:ſed & ipſam non negant Comici acerbam, ſicut nec potionem:

Κακῶς ζῆν κρεῖττον, ἢ καλῶς θανεῖν.

Tam peſſimè apud eundem Euripidem mors *Melius eſt male viuere, quàm benè mori.* proſcinditur. Bonam mortem dicit peiorem mala vita. Quare iniquè prouiſum mortalium generi, ſi præter mortem non aliud malorum venenum atque pharmacum eſſet. Imperita & mutila medicina noſtræ conditionis fuiſſet, & cum certa ſua neceſſitate neceſſaria deſperatio per malum malis medicando,& malum aliquod ſine medicatione relinquendo.

At integrè,& in vniuerſum cautum eſt. Omnia mala curare non poteſt,niſi aliquod non malum: *Cap.26.* quamobrem non per mortem;ſiquidem & ipſa dicitur mala:talis habetur etiam non malis; ſed eſt ſolùm malis. Quam igitur, quæres, iſtam dixerim vniuerſalem malorum medicinam; Eam dico eſſe, quæ eſt ipſius adhuc mortis medicina: & quam nemo, nec maligni dixerunt malam, patientiam; quam, adhuc cùm mala eſt, laudarunt non mali,& Seneca in ſuo Catone,& Dion in ſuo Melancoma,& Philo in ſuo Pancratiaſte: adeò optima virtus patientiæ eſt, vt ſui nominis, aut imaginis reuerentia laudabile ſe fecerit à ſuis vitium calumniatoribus. Quid iam mirum, ſi cuius vmbra protegit vitium, eius fauor, & ſubſtantia tueatur virtuoſum? Hanc quoque dedit Leonides vnicam mortis medelam. Vindicet igitur hæc iure ſuo debitos titulos. Patientia eſt maximum omnium malorum pharmacum; incurabilium Æſculapius; vltimus Medicus morborum, ipſe etiam non vltimus; mortis remedium;omnium dolorum vnguentum; innocens damnorum medicina;ſuauis violentorum potio; & calamitoſorum ſacrum, vt reſtituam quoque, quod Boëtius morti vſurpauit,

Hoc patens vnum miſeris Aſylum.

Denique, ne illud negem, quod inuidia haud negauit fortunæ, patientia eſt, vt eleganter ait noſter Zeno, Regina rerum omnium. Preſſiùs dico, Regina fortunæ. Sed adiunge efficaciæ medendi,facilitatem medicaminis. Non eſt opus adduci ex alio orbe, aut euiſcerare terram, aut è fibris herbarum eliquare, aut è medullis animalium promere, aut Pharmacopolam adire, dicam, nec vouere:iam habes patientiam,ſi velis pati:præſtò medicina eſt, manuale pharmacum vbique,in promptu,in te,ad omnia,ad omnes. Nec Medicum voce acciri eſt neceſſe: non vt mors,quæ vocantes & egentiores deſtituit,& ſæua in flentes oculos,

Surda miſeros auertitur aure.

Hactenus dimidiam, & velut ex obliquo faciem patientiæ reſpeximus & quàm ſit de malis *Cap.27.* benemerita. Gratus omnis aſpectus eſt, & ſi ſpectemus integrum è regione, toto ore fruemur quàm ſit etiam merita de bonis. Hæc ſunt virtutis ſacramenta,mala pati,bona facere. Vtrumque patientia ſplendide ſuſtentat: cum qua malum non eſt; ſine qua bonum non eſt. Puto ipſam emporium & Metropolim bonorum. Omnis virtus colonia patientiæ eſt; ab ea tanquam matrice deducitur. Suam illi virtutes debent originem, cuius pars ineſt & ſingulis; quarum focus, quarum Veſta, atque Lararium, patientia eſt, quod aut ſacratius, aut glorioſius habent. Certè nihil neceſſarius: nam, ſicut ex

ære

Digitized by Google

arte effecturus imaginem, priùs diſſoluit & fundit; ita difficilis, duráque materia virtutum per patientiam emolliri & eliquari eſt opus, vt elegans, ſpiránſque ſtatua Diuinitatis euadat. Non mirum à virtuoſo requiramus laborem, ſi & à fabro. Hoc bonorum pretium lex quædam mundi iuſtiſſima taxat. Suſtine, quod non vis, vt obtineas, quod vis. Labor eſt crumena boni viri; patientia, aurea moneta. Sola ignauia & furor inertiæ, pauperes facit, non ſolùm bonorum corporis, & animi; ſed & ſui. Ipſam animam ſine patientia non poſſident. Non niſi de hac confidit ſua bona, ſiue natura, ſiue virtus, ſiue, quod magis miteris, fortuna. Nulli libentiùs, quàm labori, concredita felicitas copiam ſui facit. Non ſine colapho mulcet; non ſine pane laboris pulmentum felicitatis editur. De fortuna verè dicitur:

Panem inopi da, ſed condimenti vice pugnos.

Δὸς πτωχῷ ἄρτον, καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Anguis facilè elabitur manibus, niſi ficulneis foliis, aut aſperitate aliqua ſtringatur. Lubrica fortuna eſt: vix ſine labore, aut exaſperatione tenebitur. Et vt

Latius eſt, quoties magno tibi conſtat honeſtum.

ſic & ſecurius. Ipſe labor, arrha eſt contractæ in poſterum lætitiæ: ita velut pars adiicitur. Labor antecedens obſonat gaudia ſuccedentia. Quemadmodum fames naturale ſalſamentum, cibum, ipsáque gaudia ſimul alit. Libentiùs reſpicit, quod ſuum quiſque putat; & putat, pro quo laborauit. Titulus quidam poſſeſſionis eſt patientia, ius dat labor. Liberos cum maiore dolore editos chariores habet, & magis ſuos genitrix. Suauiùs, ſalubriúſque ſubit poſt amarorem nectar: fauus acerbis herbis conficitur, non guſtandus, niſi carpentibus thymum. Muſca Attica non inſidet Hymettio melli, quia nec amaro thymi flori, ait Tzetzes:

Muſca non inſidit melli Hymettio. nam apes illud fauum componunt ex thymis. Muſca verò animus fugit inſidere thymo.

Μυῖα οὐκ ἐπικάθηται μέλιτι ὑμηττίῳ,
Ἐκ θύμων γὰρ αἱ μέλισσαι τοῦτο κηροποιοῦσι.
Μυῖα γοῦν ἐνιζήσασα φεύγει θυμῷ τοῦ θύμου.

Eximiè Xenophanes nullam diligebat gloriam, pro qua non laboraſſet.

Cap. 28.

Ipſius Diuinitatis, cuius licèt patientia immunis, expérſque laborum ſit, non eſt gloria; quam ex illis oſtentauit nobis, ampliauitque in ſpecie, & ad exemplum ſuo modo. Malignè cogitauit de ſuprema illa actuoſa & optima mente Hermogenes, otio & inefficacia mollem putans: eleganter tamen ab Afro refutatus ita: Amplior gloria eius, ſi laborauit. Fecit Deus mundum, non tantùm videt, non tantum fruitur. Ex his quid putabis dignius gloria, niſi feciſſe? Quid glorioſius, quàm feciſſe gloriam. In ipſa quieris diuinæ memoria & celebritate, gloria laborum promulgatur mortalibus, quorum penſum pati eſt. Ipſum prætereà vltimum potentiæ diuinæ quaſi eruditæ iam, & quid peritius molituræ, ad extremum reſeruatum fœtum præcipua laborandi forma formauit. Non imperans Deus fecit hominem, vt reliquam plebem mundi; ſed operatus, & quaſi figulus laborans, fecit faciens. Animal vnum regium, beatitudinis capax, cæremonia laborum inaugurat felicitati & ſimilitudini ſuæ. Antè docetur homo, quàm ſit: priùs exemplum vitæ, quàm vitam capit: anteà ablegatur otium, quàm locum habuit. Dedit quoque & in animæ donatione ſpecimen laboris, ſpiratione ingerens limo, tanquam præ labore anhelus reſpiraturus. Vniuerſa ad obſequium hominis creata ipſo creationis modo per imperium erudiit & dicauit obedientiæ humanæ: hominem verò dominio tunc, poſteà & labori, & Dominus ipſe, & quaſi laborans fecit, vt originis ſuæ affectionem contraheret homo, & affectum oppignoraret Deus, magis ſuum reputaturus hominem, magis dilecturus, credo, iuxta Xenophanis guſtum. Labor quoddam eſt ſuperpondium amoris.

Tantùm prætereà ornamentum, ſiue patientiæ, ſiue patiendi eſt, opinor, vtriuſque, (labor enim ex ſe quoque bonus eſt, etiam non propter tolerantiæ bonum,) vt in fidem virtutis, in argumentum Philoſophiæ ſuam oſtentarint Samij diætam, Stoïci ſeueritatem, Cynici rigorem, Gymnoſophiſtæ crudelitatem, vſque ad deſperationis, aut inſaniæ faciem. Omnes de patientia ſubornabant ſapientiam, aut ſapiendi ſtatuam ſubſtruxêre. Omnis ſe de tolerantia probauit Philoſophia, falſa ſimulans, vera oſtendens. Ædeſius, poſtquàm mercaturæ gratia miſſus à patre in Græciam, Philoſophiæ dedit operam; poſt reditum plagis acceptus, patientiſſimè ferens, roganti patri, quid in Philoſophorum ſchola didiciſſet, Hoc, inquit, vt patris iram commodè perpeti poſſem. Idem diſciplinæ teſtimonium Zenonis alumnus perhibuit. Maius Poſſidonio periculum fuit: etiam volentes ipſos dolores maledici non exaudiuit: Nihil agis, dolor, ait: quamuis ſis moleſtus; nunquam te tamen confitebor eſſe malum. Ita ſe curioſo Pompeio Philoſophum dedit. Sed & Dionyſius Heracleotes, cùm non diſſimulauit, non potuit ſimulare Philoſophiam; quam vnà cum patientia poſuit: adeò auctoritas, & auguſtum illud, quod in virtute miramur, à conſtantia ſuſtentatur. *Cap. 29.*

Hoc præſtat patientia, quod ſpiculatores Regi ad maieſtatem, & ſecuritatem: & tutum, & verendum facit. Satellitium animi, patientia eſt: in ſua maieſtate ſeruat virtutem; virtuoſum in ſecuritate, ne mala malefaciant. Eſt velut tutelare quoddam Numen miſeris, & cuſtos afflictorum ſpiritus. Meritò illam Halitgarius dixit cuſtodem conditionis noſtræ. O quanta gloria virtutis, cuius ſatelles eſt, quæ eſt Regina rerum omnium, patientia! Ipſa vtique non ſolùm Philoſophiæ character, ſed & Chriſtianæ teſſera eſt militiæ, ſtemma dignitatis. Hanc non ſuſpiciunt modò impatientes; reuerentur & irati. Abraames cæſus, obtuſúſque ab infidelibus, integro oppido, non tantùm reſtitit, ſed feliciùs Alexandro, ocyùs Cæſare vicit. Machina, patientia fuit: tormentum inde iaculatum, veneratio ſui, admiratio. Demum rogatus etiam imperauit; in Præſidem, in Patronum, in ſpem denique ſuam alieno ambitu electus, à quibus ante experimentum tolerantiæ in rudera & funus abiectus. Poſteà maieſtatem virtutis contemplati, arbitrium rerum ſuarum penes illum locarunt, regium quid & imperio dignum longanimitatem adorantes. *Cap. 30.*

Verè quidem ait magnus Leander ad religioſiſſimos Patres Toletanos in tertio cœtu: Patientia æmulatores ſuos, aut ſuperat, aut lucratur. *Cap. 31.*

Digitized by Google

Hanc etiam vim nouit Solon: cùm accuſaretur, quòd deſpuentem in ſe toleraret: Piſcatores, inquit, vt gobium vnum capiant, patiuntur ſe aqua marina conſpergi; ego idem ferre non ſuſtineam, vt hominem capiam? Neſcio, an ceperit; cepit, piſcarúſque eſt regnum noſter Ioannes Fernandius, piſcator Chriſti, Xaueriíque comes. In triuio pro concione de myſteriis noſtris diſſerebat, cùm præteriens Ethnicus in faciem concionantis collectum in ore ſordidum ſputum ſeceauit: ille inturbidus, ne verbo quidem, ſed nec geſtu reddito, (percellit, fulminat interdum vultus ſine tonitru,) terſit, eodem pertexens tenore ſermonem; deinceps tamen ſupervacuum poſt exempli rhetoricen. Auſpicium iſtud patientiæ fuit Amangucianæ, Iaponicæque Eccleſiæ. Tũnc primus (& illatenus nemo) omnium conuerſus, qui vidit documentum patientiæ, inuidit genus Philoſophiæ diuinum: adeò quęſtuoſa induſtria, patientia eſt, & compendioſa vincendi ars. Salutare fuit Pimænij monitum: Malitia nunquam ſuperat malitiam: per bonitatem vincas malitiam. Sed, etſi poſſemus ſuperare vitio vitium, cur non hanc gloriam reſeruabimus virtuti? Eadem patientia per incruentam victoriam domuit Motois æmulum ſuum, à quo fugerat fortiſſimæ fugæ modo, ne offenderet, non dico, manu, (humeros ſolùm, non lacertos patientia habet,) ſed ne aſpectu. Mox quæſitus fuit: recluſerat ſe vltrò in cuſtodiam, reum ſe ſeruans inimici, hoc ſolo, quòd alius potuit iraſci: ſed audito aduentantis æmuli nomine, tunc impatiens ſolùm patientiæ, tunc violator ſui carceris, arrepta ſecuri fregit oſtium, ad hoſtem accurrit, & quaſi qui offenderat, ad pedes prior corruit, excipit hoſpitio & conuiuio. Dixerim iſta, vt videris iam, quàm ſit efficax organum tranquillitatis, & felicis, pacificæque vitæ, tolerantia: ſiquidem in alieno ſolo fructificat pacem, & mitigat extraneos. Quàm fœcunda erit ibi, vbi ſata eſt? Quantùm alit patiens virtutem propriam, quæ aliena etiam vitia non patitur?

Cap. 32. Cæterùm, Leander diuiſim dixit: ego copulo, & dilato. Patientia malos ſuperat, aut lucratur: ſed mala, & ſuperat, & lucratur. In homines valet, in fortunam prævalet: facit, vt ſeruiat vel inuita virtuti. Non honorarius duntaxat titulus eius eſt, habet & ſuos magnos ad virtutem quæſtus. Verè Theologus adfabulatur apud S. Maximum: ſub arbore illa, quæ reſecta pullulare in fabulis celebratur, & cum ferro certare, quæ, vt Poëtarum verba vſurpemus, θανατῷ ζῇ, καὶ τομῇ φύεται, ſapientem putat velari. Elegantiſſimè ait: Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ σαφῶς τοιοῦτο εἶναί τι ὁ φιλόσοφος, ὃς ἐνδοκιμεῖ τοῖς πάθεσι, καὶ ὕλην ἀρετῆς ποιεῖται τὰ λυπηρὰ, καὶ τοῖς ἐναντίοις ἐγκαλλωπίζεται. Etenim, ſapiente patiente,

Cum morte viuit, reſecta pullulat.

Mihi verò videtur ſimile quippiam eſſe vir Philoſophus, qui infortunijs illuſtratur, & moleſta quæque in virtutis materiam transfundit, ipſiſque aduerſis venuſtatur.

Non hydra ſecto corpore firmior.

Feraciſſima bonorum damna tolerando facit, per ipſa vulnera nouos ſpiritus bibit, arduus repueraſcit vigor, ſuo cruore irriguus eſt:

Durus vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido,
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes, animúmque ferro.

Cap. 43. Duplex itaque patientiæ beneficium eſt, minuere damna corporis, & inde augere animi bona; ſiue, vt propriùs dicam, vnum eſt officium, & id diuinum, damna conuertere in bona. Optimè Nazianzenus:

Πέψιν δὲ λύπης οἶδε μακροθυμίας.

Concoctionem moleſtiæ noui longanimitatem.

Concoctio, & digeſtio ciborum iſta quotidiana miracula facit: res mortuas anima donat; extraneas in ſuam ſubſtantiam & fortunam, vt ſe reformet viuens, ducit. Non aliter per patientiam, ſuum calidiſſimum virtus ſtomachum, in ſe, in ſui commodum transformat incommoda. Lupini amari aqua macerari dulceſcunt, & nutriunt: aduerſitates ipſas patientia macerat, vt iis ſaginetur; illas facit ſe, quatenus ſe illis reficit. Subſiliunt è plagis quædam animo diuinæ luces, velut ſcintillæ è ſilice afflicto. Quò minùs hæret corpori anima, quò minùs ſenſibilibus incumbit; eò rationis, diuinorúmque capacior, & magis ſui eſt. Quæ cluſa iſto carneo ſepto caligat; fracto, & percuſſo ad lumen aliquod euigilat, quaſi per ſciſſuras demiſſum. Corporis vulnera, feneſtræ ſunt mentis, quibus cælum reſpectat. Cæterùm, & lux animi eſt annona, inde veſcitur diuinis. Sublimiter ſapientiſſimus Gregorius inquit:

Τροφὴ μία πᾶσιν ἀρίστη
Δαίνυσθ' μεγάλοιο Θεοῦ νόον, ἠδὲ φάος τις
Ἕλκειν ἐκ Τριάδος σέλας ἄπλετον.

Vna alimonia omnibus optima veſci mente magni Dei, & trahere ex ſplendida Trinitate lumen immenſum.

Ipſam mortem, quam introduxit impatientia gulæ inueſcam, ſiue, vt noſter Zeno ait, indigeſtam, vorat, digerit, tranſſubſtantiat patientia in vitam, in ſe, dum erudita in Abele, docta in Chriſto: vt iam paradoxum non ſit illud Pyrrhonis, inter mortem & vitam intereſſe nihil; nec ad exaggerationem illud Euripidis:

Τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
Τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί· Πλὴν ὅμως βροτῶν
Νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
Οὐδὲν νοσοῦσιν, οὐδὲ κέκτηνται κακά.

Quis nouit, an viuere ſit, quod vocamus mori: mors autem vita? Verumtamen homines ægrotant viuentes: defuncti autem nihil ægrotãt, nec mala patiuntur.

Næ bona vita vitalem mortem, dum patitur, facit.

Porrò ſapientis opus eſt, quædam æmulatio mortis. In patientia expreſſam videbis. Deſerit per illam ergaſtulum ſuum animus, & in conſpicuum vadit. Etenim ardente, aut fluctuante friuolo iſto noſtro corpuſculo inuaſo doloribus, cruciatibus, aliiſque ſatellitibus mortalitatis, & iam penè domum ingreſſis, velut in illuuie poſt magnos imbres, cùm pauimenta vnda veſtiuit, refugit habitator ad ſuperiora domus, vbi naufragante ſolo, clementiori, minúſque ſeuero vtitur dio. Sic anima ſuper tecta ſe tota colligit ad mentem, poſt cuius limen laborem relinquit, dum ima corporis, velut ſua ſola, deſerit. Aſcendit, quò non aſcendit dolor. Grauiſſimo pedum dolore vexatus Ageſilaüs inuiſentem ſe Carneadem, mœſtúmque exire ſtatim volentem, neſcio cuius inſolentiæ impatientem, (in more eſt, mala non reuereri optimos: nullam veniam naturæ impetrant virtutis priuilegia,) acciuit: Mane, inquit, Carneades: nihil enim illinc huc peruenit, indicatis pedibus, & pectore. Oſtendit ita, licèt pedes doluiſſent, immunem animum, nec ab imo cruciatum aſcendiſſe illuc, quò ſe receperat in ſublime. Ibi hoc geminum bonum mens obtinet, minùs affici cum corpore, ſemota ab illo, longiúſque à ſenſu ſtans, proinde à dolore, & vicinior Deo ad liberos radios fruitur, velut è ſolario, cælo ſemper ſecuro animis, conſcientiam potiùs, quàm ſenſum doloris habens. Inde ab eminenti tutus deſpicies ima, vt qui è feneſtra ædi gladiatores ſpectat. Con-

Cap. 34.

ſtantiæ

ſtantiæ beneficio poſthuma ſuæ libertatis priuilegia etiam vinctus animus prægustat. Mors ſoluit animam è corpore, rumpitque arctiſſima vincula, vt tota euadat ſurſum, diuiniſque copuletur. Patientia, ſi non diſſoluit, laxat animam: velut catenam ſuam producit, vt conſpatiari latiùs valeat. Si non euellit, dimouet à corpore, & ferè totum hominem in animum reducit. Prolixa religatus reſte intra ſuum ambitum ſolutus, libérque eſt. Quin & mētis in ſe collectus ardor, velut per antiperiſtaſim, aduerſitatibus irritatus magis accenditur. Numquam ignis robuſtior, quàm inter aquas; denſo in nubilo occluſus parturit, fulmina: ita igniculus mētis, cùm clauſi omnes meatus voluptatis; quo camino calens ſpiritus in fumum diſſipatur; nunc erumpit in alta valentiùs, ipſum poſt ſe trahens interdum corpus, quod ſuffuratur paſſioni. Maior eſt leuitas ignis, quàm terræ grauitas. Magnas turres & montes imparis vis ignis attollit.

APPENDIX II.

Præcautio pœnitendorum.

Cap. 35. SEd ad patientiæ vim circa mala redeo; ſolidiori iam laude. Hactenus potentem illam prædicauimus aduersùs fortunæ potentiam; aduersùs illa, inquam, quæ videntur mala, ſolùm quia videntur, non quia ſint; niſi quòd iam, quia videntur, ſunt; ignominia, dolor, inopia, quę ſuis poſteà defendemus titulis: namque illud in ſceleribus fortunæ malum, aut maximum, aut ſolum eſt, putari. Quare vana & frigida gloria eſſet patientiæ, quòd hæc mala inania & friuola tollat, aut toleret: & ibi duntaxat polleret, dum mala non patimur, ſed fingimus. Laus eius vera eſt, ideò in vera mala pollet: non, quia portat; ſed, quia tollit: non, quia fert; ſed, quia aufert. Etenim, verè mala pati, ſolùm eſt malè agere, cuius quia cauſa eſt, & patitur, impatientia peſſima eſt. Optima verò patientia, quia non patitur. Hoc genus peſſimum mali, idcircò maius eſt; quia non videtur, cùm eſt, & niſi, dum fuit, videretur, actum de bono eſſet. Hæc ſolemnia vitia ſunt vitiis, aditus mendax, exitus crudelis. Mali paſſio; mala, inquam, actio inde ſuam malitiam oſtendit, quòd tam efficax ſit, vt cùm non ſit, ſufficiat dolori; & tam maligna, vt cùm ſit, vt ſit, ſufficiat dolo. Se negat, quantùm ſit, cùm eſt; explicatura, cùm fuit, ad cruciatum animi. Quantùm in ſe erit, cuius ita lædit vmbra? Quare, qui vitam beatam, gaudium, pacémque percupiat, hoc præcipuum curet opus, curare nullum, cui non ſubſcripſerit virtus. Quæ pax, & ſecuritas erit vlciſcenti ſe (quid ampliùs crudelitas velit?) proprio arbitrio? Quæ vita ſuo ſe (quid plus ira velit?) necanti marte? Quod gaudium torquenti (quid vltrà iuſtitia expectat?) aut torturo ſe conſcientia iniqua, etiamſi in vlnis fortuna pacificis mulceat. Nullum ſatis eſt fomentum extrinſecùs eius frigoris, aut caloris, quò minùs febricitans corripitur. Hyemis, æſtatiſque iniuriis reſiſtimus: rigorem, aut æſtum inteſtinum neceſſe eſt pati. Ita conſcientiæ repugnare non poſſumus, etiamſi fortuna nos iuuet.

Cap. 36. Quidni? Maior dolor conſcij ſui eſt, quàm perpetientis hoſtilia: ſicut maior eſt calor, qui à præcordiis, & febri per artuum medullas ſurrepit; quàm quem morſu Caniculæ irritatus Sol iaculatur è cælo. Quæ atrocior Ameſtris alicuius, aut Gyſenis, aut Pherotimæ, aut Perilli ita pœna miſeros & vinctos torſit, vt culpa Oreſtem immunem, niſi ſe? Non tyrannus crudelior, quàm conſcientia, ſiue Sylla carcere, ſiue Cæditius cenſura, ſiue Sinis Iſthmiaca pinu, ſiue Phalaris boue, ſiue Sciron caute, ſiue Faunus diuerſorio.

O mites Diomedis equi, Buſiridis aræ
Clementes: iam Cinnapius; iam, Spartace, lenis;

Parricidium vindicaturi Peluſij pro flagitij dignitate, nullum hactenus torturæ ingenium par duxerunt; non culleum, non viuicomburium; ſæuius quid cogitarunt, piæ, ſcilicet, matris naturæ ferulam, conſcientiam. Ad ſummæ atrocitatis exemplum docti, nouam ſæuitiam didicerunt, parricidam ſancientes triduo cogi ſpectare occiſi cadauer, vt ſic puniretur enormiſſimo omnium ſupplicio, admonitione facinoris. Ipſe Agrigentinus tyrannus vltra taurum nouit ſæuire conſcientia. Ne tantùm ingenio Perilli debuiſſet crudelitatem, inuenit conſcij animi tormentum: nonnullos vita donauit, vt damnaret atrociùs, non metallo, non ferro, non calido ære; ſed ſe conſciis ſui. Quin & prima parricidij pœna, conſcientia fuit: primus reus mortis ſpectatæ donatus vita. Qui mortem prius vidit, & fecit, dignus æſtimatur non minore ſupplicio, quàm ſecuritate vitæ, quam monſtrauit non ſecuram: etenim atrociùs morte malum eſt, vitam conſcire malam. Sic, qui prior obſtetricatus eſt morti, illatenus infœcundæ, tunc primiparæ, metu mulctatur, & conſcientia: adeò hæc torquet, cùm ipſa capitalis eſt ſalus. Ipſos mortis & generis noſtri primogenitores, qui priùs nobis dederunt mortem, quàm vitam,

Vbi peccati genitus pudor attigit;

maiorem ipſa morte pœnam putarunt, viuere reos mortis. Vellent ad mortem confugere, vt ſe fugerent. Bellè ait idem Marius Victor:

Cuperent, ſi fortè pateret,
Condere ſe barathro: vſque adeò contermina pœnæ
Culpa ſua eſt, vt iam miſeros mortale pauentes
Mortis imago iuuet; ſyluas, vmbroſáque luſtra
Obtendunt, vanis ſolatia falſa tenebris.

Habes iam legale ſupplicium, & politicum, conſcientiam eſſe apud Peluſios, habes tyrannicum ingenium ſub Phalari, habes diuinam cenſuram in Caïn, habes naturalem iuſtitiam in Adam: Deus, ratio, natura, & furor ipſe in hoc non deſipiens teſtantur, acerbiſſimum eſſe teſtimonium ſui.

Ad hæc, ſæuitiæ magnitudo cum certitudine Cap. 37.
certat. Nemo tyrannorum fuit, qui alicui non indulſerit; nemo, quem aliquis non euaſerit. nemo, quem ſatelles nunquam fefellerit: conſcientiæ ſolùm ſeueritatem, nec venia, nec fuga, nec fraus illudit. Non flexile illi cor, non pernices nobis pedes, non amicis manus, aut aſtutæ, aut validæ, vt vel dimitti, vel elabi, vel liberari poſſimus. Nemo à ſe, & extra ſe curret; nemo ſui eſt præuaricator cordis; nemo in præteritum valet. Peccaſſe, ineluctabilis tyrannis eſt animi. Laxè à Victore dictum:

Contermina pœna

Culpa

Culpa ſua eſt.

Item & à Platone, ἀκόλουθος, iniuriæ mulcta; ab Heſiodo meliùs, ἀλιτῶνς. Non conſectanea eſt pœna culpæ; ſed potiùs coætanea, aut collactanea fortaſſe ſoror. Cum ipſo ſcelere naſcitur, & ex ipſo; ſoror, filiáque eſt. Non antè editur facinus, quàm ex ipſo ſua mulcta oriatur: inque ipſo peccaturi pectore dum concipitur malignitas, iam grauida eſt, imò puerpera ſuæ pœnæ; pari ac muribus fœcunditate, quibus fœtus fœtui ineſt; in ipſo vtero concipiunt. Quin ipſius culpæ ipſa eſt maxima, & prima pœna: nullum non capitale ſcelus cuique apud ſe eſt, etiam poſt indulgentiam omnium.

Cap. 38. Nullus ſui aſylum habet. Qui malè egit, nullam aget bonam fugam, vbi, licèt tutus ſit, ſecurus maneat. Paueſcit, vbi putauit non metuere: non timebit inimicos, & erit in ſe, quid timeat: Fugit lictorem, euaſit ſpiculatorem: non ſufficit, ſe tenebit. Formidabit etiam tutus, etiam tuta. Non animo poteſt confidere, etiam qui fidem in tyranno inuenerit. Puto ſimili ſupplicio in nos naturam animaduertiſſe, ac barbari illi, qui damnatos vinciebant cadaueribus, vt fœtore torquerentur. Alligatum nobis ſupplicium eſt poſt culpam; cuius cadauer teſtat, pauor, pudor, &

Nocte, diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Ad hæc, cùm omnium malorum ſolatium, cruciatuúmque delinimentum, cæteris in nos ſæuientibus, quiſque ſit, & vltimum ſui perfugium, cùm à ratione auxilium poſtulat, hoc etiam deeſt peccanti, cuius cruciatum auget ratio, quæ reliqua mitigat mala.

Cap. 39. Itaque non ſolùm rea eſt fortuna noſtrarum miſeriarum; nos ipſi armamus triſtitiam, in eius ligamus manu gladium nos cruentaturum, perduelles, perfidíque nobis. Plùs torquet malum opus, quàm mala fortuna. Non ſolùm affligit nos, quod caſus fuit; ſed, quod electio noſtra. Miſerrimum genus miſeriæ, iudicio proprio fieri miſerum. Plùs triſtat, quod facimus, quàm quod patimur: quod contingit, dico. Nullum ita moleſtat damnum, quàm conſcientia damnans. Equidem reor, ſolum infortunium eſt opus malum. Tam peſſima, tam miſera res malitia eſt, vt tunc proſperari credas, cùm torquetur. Non alio iuſto titulo fortuna dici poteſt mala, niſi quòd pro malis, & malis plerumque fideiubeat, cùm bona eſt. Huic quoque tanto, id eſt, vero damno patientia medicatur; ſed ſupra ſe eleuata, & partim in ſpecie æmulæ ſuæ iracundiæ, vt iam ad alienum impatientiæ titulum tranſeat. Sic loqui liceat, & ſaltem pro vincentium lege à victa cognomen vſurpet.

Cap. 40. Igitur, quemadmodum fortunæ remedium exhibuimus, ferri: ita huius infortunij maximi & veri medicamentum redhibemus, non ferri. Diſſimiles morbi exigunt non ſimiles medelas: Venenum fortunæ eſt patientia, & aduerſùs diros illius morſus hæc theriaca iuuat: ſed impatientia culpæ eſt amuletum conſcientiæ; quamuis & huius impatientiæ baſis, ſumma patientia ſit. Fortuna mitigatur vulgari arte, adulatione, ſi approbetur, quæcumque fecerit. Conſcientiæ dolor cenſorio præſeruatur more, ſi reprobetur, quæcumque feciſſe pudebit. Fortunæ origo abſtruſa eſt. non cadit ſub mentem. At malæ conſcientiæ cauſam conſilium præcurrere poteſt: nam non eſt alieni arbitrij peccare. Malum malo, pœnam pœnæ oportet anteuertere; &, ne timeamus damna, timeamus damnanda. Non dolebit pluſquàm neceſſe eſt, qui dolet antequàm, & ne ſit neceſſe dolere. Adiumentum, quod aduerſùs fortem habemus, poſterius quid eſt; quod verò aduerſùs mordentem conſcientiam, quid præuium. Illud remedium eſt; iſtud impedimentum: namque triſtitia, quam fors ardua immiſit, poteſt in ſe eleuari; quam verò dimiſit culpa, non dimiſſa, non debet, etiamſi poſſit. Sicut conſtantia, & hilaris vbique mens, eſt innocentiæ fructus, & ornamentum neceſſarium: ita & mœror noxiæ, ſequénſque pudor, quidam innocentiæ flos eſt, & ſpes bona. Verecundia iam eſt infantia virtutis: proptereà non eſt extinguenda triſtitia extinctura culpam: nam nec noxia eſt, quæ tollit noxias. Ita diuinitùs comparatum in perniciem malorum, vt aut mala infœcunda ſint, aut fœcunda ſuo interitu. Exemplum cape à natura in mulo, & vipera, ille infœcundus, hæc infeliciter fœcunda. Curauit mater natura, ne mala procederent; ſin minùs, ne proſpera. Sterilis ille eſt, ne multiplicentur monſtra. Aptè inquit Gregorius Comneus: Ἡ γὰρ κακία οὐκ ἐκ Θεοῦ τὸν πληθυσμὸν ἔχει, ὡς οὐδὲ ἐξ ἀλλήλων ἐστὶν ἡ τοῦ γένους τῶν ἡμιόνων διαδοχή. *Vitioſitas non habuit à Deo propagandi vim: quemadmodum neque muli ad generis ſucceſſionem mutuo ſeſe procreant.* Vipera verò mater eſt, ſed ſui funeris: in hoc ſolùm ſalutaris, quòd ſit periculum ſuum. Non aliter ex culpa genitus mœror, illam tandem interimit; quare ſalutaris hic ſcelerum homicida ſua donetur ſoſpitate: nec in ſe abolere decet; ſed in fonte, & quaſi in vulua, ſua culpa, præcauendo. Non volumus non naſci, ſi ſit vnde; ſed, ne ſit vnde.

Quare, qui huius acerbitatem ſentire nolit, *Cap.* 41. improbitati ipſi repugnet impatienti quadam patientia. Nemo gratis malus eſt. Omnis officij defectus efficitur defectu patientiæ, (primum hanc officium puto:) quia difficile illud & arduum, quod virtutis eſt, ſuggeſtum, ſuſtinere nolumus. Duo peccaturis obijciuntur mala, malum culpæ, & malum moleſtiæ alicuius, ſi malum eſt: & vt ab hoc leuiſſimo expediamur, eligimus illud grauiſſimum, quod ſenſus non tractant, quorum plurimùm valet apud nos ſuffragium, ſi priores ratione loquantur. Sed & his quoque duo ſunt remedia, vnius patientia; impatientia alterius: in moleſtiam valet patientia; in culpam pollet impatientia. Niſi aliquid patiaris, ne culpam feceris; plurimùm patieris, quia feciſti. Præſtat pati cum compendio quo tantum ſubducimus malum, (ſcilicet, malum, quod ſolum eſt,) quàm prolixa tortura omiſſi officij. Omninò aliquid patiendum eſt, aut poſt prauum opus, quia feciſti; aut antè, ne facias. Induſtrius ſis, & callidè patere. Alterutrer ex his excuſari labor nequit. Satius eſt eligere minorem; &, ſi dolendum eſt, citò doleas, maiorem excuſabis dolorem, alterum malum. Quid alterum dico, vbi non niſi ſolum? Tum præula iſta patientia duas nobis ſubducit moleſtias, appendices erratis: vna eſt conſcientiæ, quæ grauior eſt, donec ad pœnitentiam adigat: altera ipſius pœnitentiæ. Horum dolorum circumſcriptio eſt præcox illa, & innocens tolerantia, cuius non leuis vſura erit, ſi cum exigua moleſtia duas magnas anteuerti s. Quàm ſalutaris eſt iſta patientia, quæ viperæ culpæ, & viperino dolori conſequenti obſtat!

Sed

Digitized by Google

Sed pleriſque cùm ſit ſaluberrima virtus, virus putatur; non aliter reiiciunt: de quibus elegans Theodorus canit:

Venenata autem opera illis videntur eſſe cura.

Λοίγια δ' ἀγάθοισι πᾶσιν μεμαλημένα ἔργα.

Cap. 42. Ad hæc, parturit illa patientia lætitiam, & ſerenum, feſtiuúmque animum reddit. Quid illi ſalubrius ac celebrius, quàm theatrum inſontis conſcientiæ, vbi certant, diſcurrúntque virtutes mūdiſſimo in campo? vbi totum diuinum, nihil turpe horret, nihil fœdum habet animus? Tunc, vt ſublimiter inquit religioſus Theophanes, αἰωνίοις θεοπρεπῆ θεοφὶν καλλωπιζόμενος. Quid lætius, quàm quod omni triſtitiæ, tormentóque reſiſtit? Animoſa, aureaque illa Tiburtij ſententia: Omnis vilis eſt pœna, vbi pura eſt comes conſcientia. Namque, ſicut malè ſibi cóſcio nullum extrinſecum eſt fomentum; æquè & benè conſcio nec tormentum. Quin naturale præmium conſcientia eſt, prima virtutis palma, certum, iuratúmque brauium, dulciſque matris naturæ blanditia, magnum mentis lucrum. Quæ vſura felicior, quàm gaudere ſemper, de quo ſemel laboraſti? E contrà, nulla infelicior iactura, quàm lucrum mali. Verè, iuxta Chilonem, damnum turpi præferendum eſt lucro: illud ſemel dolet, hoc ſemper. Res perdita breui tempore contriſtat: conſcientia perdita perpetuò excruciat. Quæ libertas maior, quàm nihil timere? Quam ſolùm habet, qui non timet patientiam. Quid timere meritò poterit, qui ſe non timet? Bellè Periander rogatus, quid libertas eſſet: Bona, inquit, conſcientia. Et alius:

Diuina ſapiës conſcientia, & mente Deum decente venuſtatur.

Virum vera virtute viuere animatum addecet
Fortiter, eúmque innoxium vacare aduersùs aduerſarios.
Ea libertas eſt, qua pectus purum & firmum geſtitat.

Seruiles, lugubréſque animos, ſuæ inquam, pœnæ ſeruos culpa creat. Quid ingenuum, quid lætum habere, quid audere poteſt ille, cuius

mens ſibi conſcia facti,
Præmetuens adhibet ſtimulos, terrétque flagellis:
Nec videt intereà, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec qui ſit pœnarum denique finis.
Atque eadem metuit magis; hæc, ne in morte grauescant.
Hinc Acheruſia fit ſtultorum denique vita.

APPENDIX III.

Actiones honeſtæ alunt lætitiam.

Cap. 43. PRopterea ad lætitiam, & quandam animi feſtiuam pacem, magnum pondus rectæ actiones ſunt, quibus incumbendum eſt importune: iſtud enim hominis eſt penſum, dicam & myſterium. Accepta cælo victima manus eſt. Veteres Luſitani abſciſſas captiuorum dextras Diis offerebant. Non alienam tu, ſed tuam offerto. Vitioſa laus eſt, ſolùm ſine vitiis eſſe: nam nec laus eſt, niſi quatenus indulgemus aliquid, adulamúrq; corruptiſſimis moribus. Eò res venit, eò contractus eſt pudor, vt minor malitia pro virtute ſit. O anguſtam! ô malignam gloriam, ſolùm inter malignos non eſſe! O vituperabilem laudem eius, cui non alia ſit, quàm non eſſe vituperandum! Sine vitiis eſſe, non eſt bonum eſſe. Aliud eſt, eſſe non malum: aliud probum eſſe. Non eſſe malum, vix non erit malum: fortaſſe & adhuc malum eſt: vix & dubio iure vituperio liberabitur: nam poſſe, bonum eſſe, & non eſſe, ob viciniam ſaltem malitiæ, iam non bonum eſt: laus autem non eſt non mali; ſed boni; & de bonis. Igitur non ſufficit nihil pœnitendum agere; ſed agere, de quo ſit gratulandum. Illud oportet cauere, aliud eſſe bona facere, aliud bonum effici: quamuis & bonus non fies, niſi bona facies; ſed non, quia bona feceris, factus es bonus, niſi feceris benè. Virtus, quæ modum imponit rebus, maius interdum momentum habet in modo, quàm in rebus. Quid præſtat tibi bona facere, niſi benè? Idem ac ſcribæ delineanti pulcherrima elementa, quæ deinde litura ſuffuſa obliterat. Definit eſſe bonum, quod non benè eſt. Expungimus id ipſum, quod facimus, ſi non cum ſuo modo & munditia. Quò excellentius quid agas, puriorem & defæcatam ibi bonitatem naua. Exigua macula olei deformior eſt in Attalica veſte, aut purpura, quàm grandis in vili ſago.

Muſ armentius ſuæ pellis candorem ſeruat intemeratum, etiam cum diſcrimine vitæ. Viliſſimè ſe taxat, qui minoris æſtimat virtutem, quàm animalia cutem; apud quem plùs valeat viuere, quàm pulcherrimè viuere; plùs anima, quàm pudor; plùs vita, quàm viuendi cauſa. Egregiè Ennius: Cap. 44.

Prater propter vitam viuitur.

Namque propter aliam cauſam, quàm vt viuatur, viuitur. Indignus eſt vita, qui propter illam viuit. Cauſa viuendi digniſſimè, virtus eſt. Quid amentius, quàm ipſam vitam facere cauſam reiiciendæ virtutis?

Et propter vitam viuendi perdere cauſas?

Quid infelicius, quàm non moriendo fieri dignum morte? Puer noſter Pelagius, ne albos ſuos mores contaminatos videret ab laſciuo Habdarraghmano Rege, atram mortem maluit: tantò maiori gloria, quàm Damoclis, ne libidine Demetrij turparetur, ſe interficientis. Quantò maioris animi eſt pati fatum, quàm facere: ſuſtinere virtutem, quàm fugere vitioſum? Non vnam, ſed plures mortes tulit Pelagius, ne vnus pudor eriperetur; quot, ſcilicet, membra ſua ante ſe vidit mortua, manus, tibias, brachia reſecta; ſcilicet, vidit ſe mortuum, antequàm eſſet. Sine manu, & brachiis præualuit aduersùs potentem Regem. Aliis pretium pudoris ſingularius fuit, Nicetæ lingua, Amiano oculus, Apolloniæ dentes, Margaretæ naſus, Agathæ mammilla, Brigittæ os:

Laqueos natura tetendi;
Ipſa ſuas facies fabricat inſidias.

Forma pudicitiæ, deformitate citiùs ſeruatur; atque elegantia virtutis, contemptibili fronte.

Sutor arrogans eſt de elegantia calcei, qui ſolo & ſordibus laborat: homóne abiecti & negligentis animi erit in lepore virtutis, cælo & Deo natæ? Quilibet opifex ſatagit, vt nullius pateat iuſtæ obiurgationi opus artis: cur humanæ artis opificium egregium perfunctoriè agemus? Totum pretium hominis, opus eſt, vt arboris fructus, atque ſine pretio eſt pretium boni operis. Fac te pretioſum benè ſemper operando: arbitrio tuo ſtat dignitas tua: ſi benè operaberis, Cap. 45.

betis,bonus; ſi optimè,optimus eris. Vnuſquiſque filius eſt operum ſuorum : rarum generationis genus, eſſe ab iis, quæ à ſe ſunt. De hac proſapia gloriari etiam bonis licet. O ſummum fauorem ! ô vnicum priuilegium rationis! arbitrio ſuo poſſe benè fingi : qualis vis, potes eſſe. Ipſe Creator noluit limitare bonitatem tuam:tu tui ſis peritus faber, & exornator pro voto, pro ambitione. Quid, ſi bonus ab amico, à vicino eſſes, ſine manu,ſine vllo ſuffragio tuo? Nequit hoc fieri : peculium cuiuſque & ſudor, bonitas eſt. Vna eſt virtus, quæ mutuò non accipitur, contra fortunæ morem. Sed fingamus id : non tanti deberet fieri. Præſtat, neminem feciſſe te ſine te bonum, vt poſſes fieri ſine vicino meliorem, fieri optimum. Ipſa illa omnipotens manus, genitrix hominis, elaboratione ſua humanam formationem honorans,& ſanctificans, ad imaginem diuinam te finxit, vltimam manum non ſine te poſitura, vt ſimilis fieres. Aliud eſt eſſe ſimulacrum,aliud eſſe illud ſimile:ſunt enim imagines parum reſpondentes archetypis. Ad polituram autem & limam tua manus, tuáque ſtudia expectantur, ne vaſtam & rudem ſtatuam Dei relinquas. Si peritiſſimus artifex, qualis aliquis Phidias,dimidium duntaxat factum Iouis Olympici ſimulacrũ relinqueret, interim occupaturus ſterquiliniis amouendis, & præ tædio eximij operis vacaret ruderibus & ſtercori;quid ſanum putares in illo?Anne & ſaniorem te putas,ſi cœno deditus,ſorde& fæce vitæ diſtentus, infectum relinquis ſpirans ſimulacrum Dei?Putáſne Deum mancum, cùm Diuinitatis ſtatuam ſine manibus relinquis? ſine operibus bonis,dico? Putas cæcum,cùm ſine oculis, ſine prudentiæ & virtutis face?Putas truncum,cùm ſine capite & cerebro, ſine ratione & mente? Putas claudum, cùm ſine pedibus, ſine gradu ad bonum? Monſtrum enorme Deum pingis, dum te non componis, & integrum reddis. Τῶν θείων ἀγαθῶν τύποι οἵ τε κατὰ ἀρετὴν τρόποι, inquit in ſuis theologicis magnus Theologus Maximus, & addit: Οἷς ὁ Θεὸς διαπαντὸς ἄνθρωπος γίνεται, ὡς μὲν σῶμα τοὺς τρόπους ἔχων τῶν ἀρετῶν, ὡς δὲ ψυχὴν τοὺς ἐν πνεύματι λόγους τῆς γνώσεως, εἰς τοὺς ἀξίους θεοποιεῖ χαρακτῆρα διδοὺς ἀρετῆς ἐνυπόστατον, καὶ ἀπλανοῦς γνώσεως ἐνέστιον χαριζόμενος ὕπαρχον.

Diuinorum bonorum typi ſunt mores ſecũdùm virtutem. Quibus continenter Deus ſit homo habens pro corpore ſtudioſos illos mores, pro anima ſciẽtiæ verba in ſpiritu. quibus Deos facit, qui digni ſunt, donátque virtutis characterem verũ, & ſolidam cognitionis minimè fallentis largitur ſubſtantiam.

Cap. 46. Hæc, incumbe tanto operi,nec vacet labor pretioſus. Operare ſemper : perfice expectationem & ſpectaculum, non Græciæ;ſed cælorum, & Dei Memento hic dumtaxat pingi æternitati, æternam laudem habiturus à Deo. Artifex ſimulacrum in plurium oculos & iudicium venturum, exquiſito,inſtantique curat conatu: exhibiturus ex te imaginem vitalem diuinæ mentis, conſpiciendam, examinandámque à ſummo virtutis Magiſtro, ne quid obliquum, ne quem fictum, adulterinúmque colorem admiſceas. Nihil niſi ſolidum, rectum, genuinúmque placebit. Ne ſint opera,victimæ fictæ Milicho Ioui oblatæ. Cur mutilam animam habere vis, ſeu, quod deterius eſt, partem eius meliorem mortuam? Membrum abſciſſum malles,quàm mortuum; tunc ſolùm deſiderares, ſed non te etiam impediret : quomodo immortalem animam morte ægrotantem ſuſtines, ſcilicet, in eximio ſuo membro, & cerebro, paralyſi mentis affectam, cùm deſideas, nec opera mente digna naues? Vacat in te frons illa decoris humani, & gloria animi, ratio. Perinde atque aliqui artus mortui ſolent inutiliter hærere vegeto cætero corpori,vt ſolùm ſint oneri: ſic & pars, & velut caput animæ, mens mortua iacet, dum torpes, dimidiarum animæ, integrum virtutis cadauer geſtans, inertiam boni operis. Vitæ ſacramentum, operari eſt : quare & vitæ rationalis, iuxta rationem operari. Dum ceſſas, parentheſis vitæ eſt otium. Interim non viuis, dum nihil agis.

Deſidia eſt mors ſuperſtes, vigil ſopor. Vacua eſt vita, quam non implet cura benè viuendi. Verè dixit Poſſidonius, vnum eruditorum diem plus placere, quam ineruditorum longiſſimam ætatem. Quidni? Anteferenda eſt vna hora benè exacta, vnum momentum, immortalitati, non ſolùm peccanti, ſed otianti. Sacra res tempus eſt; è cælo ortum habet motu & conuerſione orbium; inde oritur, vbi æternitas viget : ad ſuam originem reducendum eſt, & in tempore quærenda æternitas. Diuinitatis ſpeciem partim repræſentat; patet,quid ſit, latet, quid ſit. Plùs inuiſibile eſt, cùm præſens eſt : dum contemnimus illud, quaſi ſacrilegi erimus; dum amittimus, homicidæ noſtri. Fruſtrà viuit, qui non benè; at, qui malè, peſſimè iam moritur: mortem viuam & ſenſibilem patitur; mors eſt, quatenus ſine fructu vitæ; ſenſibilis, quatenus cum damno & pœna. Illud ſolatium mortis multis fuit, quòd ſenſu careat. At vitium, otiúmque, maligna mors eſt, cum ſenſu eſt : ferax mali, ſterilis boni, vt incultæ terræ tribulos parturiunt. Cap. 47.

A vite tua racemos petis, ab aruo ſegetes, cur fructum tui contemnis? cur nullum tui vſum habebis? Eſto tui vſufructuarius. Tu tuimet pretioſus fundus es, ferax prædium, felix planta; & qui expectas à tuis fructus, cape priùs à te. Opera ſunt fructus hominis, & poma cæleſtis arboris. Vitis racemos, arua frumentum, cùm non ſibi fructificent, dant, quantùm poſſunt. Si pro libito terra germinaſſet, non trigeſimum, centeſimum protuliſſet : ſi nihil, quàm ingrata colono! Tu tibi fructificas, & pro libito; cur anguſtos tui prouentus facis? cur coarctas te, & limitas fructus tui dulciſſimos tibi, gratos aliis? Cap. 48.

Virtus ſimilis mihi videtur muſicæ : in primis virtuoſo placet; deinde etiam vitioſis,qui, quod in ſe non ſeruant, in aliis obſeruant. Muſica & Muſicum delectat, & inertes artis. Cythara extulit Alchatoën ciuitatem, & virtus ædificat cæleſtem. Cythara, & virtus manu agitur, & amœnat animum. Quemadmodum muſices etiam eſt opus, virtutis diligens opera, non opus inde conſiſtens, continua actione ſuam demonſtraturæ vim, artificiúmque. Ex liberalioribus eſt honeſtatis ars, non propter opus aliud ab operatione. Sellullarij ſuum artificium monſtrant in opere: quoquo operentur modo refert parum. Sutor cothurnum, ſartor togam, faber tripodem, aurifex calicem, in argumentum, & opificij gloriam iactare poſſunt. Quid factum, non qualiter, ab eis poſcitur : poſſunt errando bonum opus facere, poſſunt & ſine arte. Abiecto penicillo abſoluit Cap. 49.

ita

ita imaginem alicuius pictoris, quam ars non potuit. Soli virtuti nec error, nec caſus fauet: adeò inimica fortunæ eſt. Si erres faciendo, etiamſi bonum facias, malum feciſti opus virtutis. Poteſt in aliis artibus oſtentari induſtria ſemel facto & ſuſpenſo de taberna artificio, ſitu & otio artificibus torpentibus: non ita virtus. Quemadmodum nec peritum Muſicum cognoſces, niſi exerceat artem, & ipſe offendat chelyn: ſui ſpecimen daturus, acturus eſt. Nec ſatis eſt egiſſe.

Cap. 50. Res vſualis, virtus eſt; cuius tamen vſus, non cum vſu perit: etenim, cùm operatio tranſeuntium rerum ſit, quando à virtute eſt, manet. Mirificum te admonebo, vt ſis conſtans, imò vt ſis immortalis, ne cures hæc, quæ manentia, conſiſtentiáque videntur, aurum, & cæteri cenſus fortunæ. Hæc tranſibunt, cum minùs putes. Cura, quæ tibi tranſire modò putas, actiones, vt rectæ ſint: hæc manebunt. Audiſti aliquando monitum illud: Conſerua tempus. Iſtud eſt: In omni tempore habes, quod in vno benè feciſti: hoc te vbicumque comitabitur, & rara fide, etiam in morte, etiam poſt mortem. Tunc, vbi amici maximè deficiunt, incipiunt bona opera maximè amica eſſe, vt vel inimicos concilient. Inuidia morte tua placatur, ipſo cum cadauere cadit; poſthumas iras neſcit, nec iam virtutis gloriæ repugnat; liberum immortalitati poſt mortem ius relinquit: hæc pacifica ſolùm mortui poſſeſſio, honeſta vita, rectæ actiones. Quid iuuabunt conditi cum cadauere theſauri, niſi reſtituere terræ, quod è ſuo viſcere auulſum? Defuncto nihil. Solùm virtus inſepulta iuuat ſepultos. Non eſt formidabilis mors iis, qui habituri ſint aliquid poſt illam: ſolùm eſt terribilis iis, quibus omnia, quæ habent, auferet. Poſthuma hæreditas, probitas & iuſtitia eſt, quam mors non tollit, ſed attollit. Ex pruritu naturali nominis, ambitúque ingenito immortalitatis, qui etiam improbos fecit aliquando, aut fieri, aut fingi bonos, opera neceſſaria reputa, & iuxta naturæ deſiderium. Reliqua tecum cadunt, tecum moriuntur: ſolùm ex mortalium rebus nequit domitrix omnium mors ſuperare, quod benè egerint. Hac parte illæſa, imò per ipſam ſuſcitata mortem; vbi inuidiæ venia eſt facilis, reciperatur vita.

Cap. 51. Itaque potiſſimum ſtudium cum fructu tuo, cum guſtu naturæ, quid immortale aſpirantis, ratio operum ſit, maior quàm rationis, ſi fas eſt dici. Plerique, vt rationes virtutis inquirerent, perdiderunt virtutem; vt ſcirent benè operari, deſierunt: vbique modus neceſſarius eſt, niſi in iis, quæ fiunt cum modo, bona opera dico. Non iuuat ſapere, pluſquàm iuuat vſum. Verè Iamblichus ex Samio Philoſopho, Omne bonum, ait, re & vſu conſiſtit, non cognitione. Eſſe bonum eſt benè agere. Veriſſimè beatus & ſublimis Methodius: Οὐ τὰ ἔργα τῶν λόγων ἐνεπιστεύθη χάριν, ἀλλὰ τῶν ἔργων οἱ λόγοι ὥσπερ ἰατρικῶς, δι' ὧν τὰς κάμνοντας δεῖ συζεῦξ, τῶν λόγων ἔργοις κεκραμένων. Iners eſt ægroto ars periti Medici, niſi procedat ad manum, & applicet remedia. Non curant languentem cogitationes doctæ, ſed acerba pharmaca, pungentia fomenta. Non ſanatur animus ſubtilia noſcens, ſalutaria eloquens; ſed iuſta operans.

R. P. Ioan. Euſebij Nierembergij.

Eſt tamen quædam ſapientiæ, & cognitionum auaritia, ſicut & pecuniæ; cuius delectat acquiſitio auaris, non vſus. Nummus ad commercia eſt, & iuſtas impenſas: ſic cognitio ad operandum, iuſtaſque actiones. Sed, ſicut auari, quas auidiſſimè pecunias congregant, condunt, iis deinceps non vſuri, nec ad pietatis officia, nec ad egeni beneficia, nec ad ſuæ neceſſitatis ſubſidia: ita nonnulli egregia vitæ dogmata, ſubtiliáque virtutum præcepta excogitantes, negligunt eorum vſum, auidi ſemper nouarum ſubtilitatum, & ſenſorum argutas quærentes rationes, non minùs quàm auari quæſitis non fruuntur; docta quadam inſipientia inertes. Dicam de iis, quod Anacharſis de Athenienſibus, nummis ad numerandum dumtaxat vti; iſtos & ſcientia. Quid eſt diuitis auaritia? locuples inopia. Quid ſapientis deſidia? doctrina ſtulta. Nemo pauperior eſt, quàm diues auarus: ſic nemo ignorantior, quàm doctus inefficax & torpens. Natura paucis contenta eſt: plura ſuperfluunt, quàm requirantur humanis neceſſitatibus. Virtus quoque paucis conſtat præceptis: nam, etſi impleamus documentis chartas, non eſt, quia requirantur, vt bonus ſis: ſed, vt velis eſſe. Lucrari te volumus; iterum atque iterum tentamus aleam: non ſemper benè conuoluuntur tali; non ictum feliciter ſemper facimus; non ſemper exeunt Coënſes: vt aliquando cadat, qui vincat, perdimus libenter paginas. Itaque vt velis eſſe bonus, plura neceſſaria ſunt; vt ſis, pauca. Addam ad ignominiæ notam: deterior, imò ſtultior eſt doctus ignauus, qui non operatur; quàm diues auarus. Defraudantur, conſumuntúrque vſu pecuniæ: at optima animi decreta, ſanctáque propoſita vſu pretioſiora redduntur. *Cap. 52.*

Falli aliquando nos facit ſpes bona futuri: putamus vberi penu ſapientiæ promptiùs operaturos. O caſſam cogitationem procraſtinantis! Eleganter eam Alchuuinus paralyticam dicit. O ineptiam ex nimio ſapiendi ſtudio, ex nimia prouidentia! non diſſimilem illius amentiæ, qui expectatione ferculi regij ieiunabat: iucundiùs, dicebat, tunc epulaturum; interim fame periit. Non curamus vitam, quæ noſtra eſt, præſentem dico: ſed vel futuram, quæ noſtra nondum eſt, & bona nunquam erit, niſi incipiat eſſe; vel vicini, quæ aliena eſt. O quàm benè voto viuimus! ô quàm ignauiter re, & euentu! hoc eſt, malè ſemper: quia decernimus ſemper benè in ea, quæ ante nos albiſſimorum ſunt morum; reuerà & ad præſens ſordidi incedimus fuſcis, tetriſque affectibus, ſed pulchris cogitationibus. Sumus vt cygni, quorum pedes, etſi in perpetuo balneo ſint, nigri ſunt; continua ablutione dealbantur nunquam: reliquum corpus extra aquas candidiſſimum eſt. Illa noſtræ vitæ pars anterior, quam præſens fluxus temporum non attigit, nec attinget, ſancta ſolùm, & pura eſt. Ita perpetuo negotio otioſi ſumus. *Cap. 53.*

Proh inertiſſimum ad otium animal, hominem ſapientem! Superfluit in hac mundana republica Rex, ſi non laboret, ſi non negotietur: ſuperuacuus finis eſt, ſi inefficax ſit is vnus, cui omnia effecta ſunt, ſi nihil efficiat, ſuperuacaneus eſt, & otioſiſſimus, ſic dixerim, ad otium. Non ornatui ſeruit: ſine magna ſpecie effectus *Cap. 54.*

eſt. Sydera, cælum ipſo ſui conſpectu funguntur natura ſua: videri pro officio eſſet. Inhibeamus quadrigam Solis, & pernices incurſus compeſcamus: negotians illud lumen ſitu & inertia ſidat: ceſſet luſtratio cælorum, quotidianum penſum, claræ illæ radiorum manus, quibus Oeconomus iſte vniuerſi diſpenſat cuncta in officinis ſuis, in præcordiis terræ metalla cudit, in viſcere nubili fulmina; adhuc non otioſus erit, ſi aſpiciatur: decor naturæ eſt, & exornationi ſeruiet pulcherrimum ſydus, velut honorarij aulici hoc naturæ atrium, & diuini prætorij decorabit frontem. At homo, cui omnia ſeruiunt, ſeruiet nihil, niſi ſibi, niſi virtuti ſeruiat. Nihil placidius, imò nihil pacatius, nihil conuenientius actuoſo ſapiente, nihil impertinentius ceſſante. Quies animi, motus virtutis eſt; & tumultus mentis, otium inertis. Dicam aliud mirabilius: impertinentior eſt, qui nihil agit, quàm qui nihil eſt. Quid, ſi malè aliquid faciat? Anne reduci velles in priſtinam non entium maſſam, & reſolui in inanitatem tuam, vnde inductus fuiſti in hoc naturarum vulgus? Minus es, ſi ceſſas. Arbor infrugifera ſucciditur: quæres, quare? Vt non ſit; nempe, vt nihil ſit. Vtilior ergo eſt, cùm non eſt, quàm cùm eſt ſine fructu. Eligitur illud: igitur præfertur. In hac naturæ familia, ſuum cuique penſum datur: nullum otij priuilegium eſt: nobiliora, actuoſiora ſunt & feruidiora. Reſpice primum agilitatis exemplum, cælum; deinde illuſtria, & calida elementa: proxima aſtris loco, & feruore ſunt. Ignis ſuburbium cæli eſt: terra torpens, & ſegnis, velut inſula longè diſtat, proſcripta videtur.

ASCESIS I.

Eruderanda perturbationibus voluntas.

Cap. 55. FRuctus hactenus voluntatis, tranquillitatem, & lætitiam in vniuerſum exhibuimus: modum eius, vſúmque eximij inſtrumenti reliquum eſt oſtendere. Non ſatis eſt monſtrare, quid agas: ſed quò, & quomodo, benè, aut meliùs. Poſt peritiam Muſici iuuat conchæ qualitas: poſt pacis fabricandæ modum, reſtat inſtrumenti modus. Sæpe manus eruditi artificis ob rude peccat organum. In primis expeditum, mundúmque oportet ſeruari: nam torpet rubigine & ſorde infectum; exercitio tamen ſeruatur limpidum, ſplendidum. Ita & voluntas ſuæ gubernationi, & vſui impeditur ſua labe, ſua paſſionum carie, ſuo ignauiæ otio, ſua libidinum ærugine, ſuo denique rudere. Diuus Paulinus ait:

Impurus amor, maculoſa libido,
Rudera ſunt animæ.

Vſus voluntatis libertas eſt. Probus vſus melioris electio, eiúſque, quod rationi arridet, non quod adulatur paſſionibus, quibus inepta ſuo fit libertatis vſui, & quaſi conſpurcata hebetatur. Turbato latice arenulæ fundi perſpici nequeunt, quæ in pura & limpida vnda pateſiunt: turbido quoque animo peruidet parum mens. inſtabili, fúſque déque circumacto ocyùs ſpeculo vultus ignoratus manebit; nulla apta cometur ſpecies: ſic & verſatili corde nihil commodè diſcernitur, nihil ſalutare decernitur. Quæ lux reſiſteret quatuor conſpirationi ventorum? flante cupiditate, quod animi lumen immune erit? Irrequietis turbinibus nauclerus, vel Noto dumtaxat laceſſitus, iam ad imum, iam ad ſublime iactatam nequit dirigere ratem. Quemadmodum qui vertigines agit, cerebro turbatur, donec corruat; ſi aliquò rectà ire conetur, in diuerſum vadit; egreſſurus ianuam, impingit in murum, illiſa fronte; omnia euerſa videt: ita circumtractus animus affectibus videt nihil, vt eſt; omnia inuerſa, donec mens concidat adæquata pecori. Hoc affectuum vortice deiectus ſuo & honore & ſtatu animus ſe alleuare neſcit, ſuiſque nequit ſe aſſerere angoribus, amariſſimis cupiditatum fluctibus, minùs ipſis cupiditatibus, angorum floribus. Hæc ſunt libertatis obſtacula, niſi purificetur cor:

Nubila mens eſt,
Vinctáque frenis,
Hæc vbi regnant.

Blanditor affectuum intellectus, paraſitúſque cupiditatis, grata libenter dicit, & ad guſtum blatterat.

Pro exactione finis gubernantur cætera illi Cap. 56.
ſeruientia: quare peruertuntur, ſiue peruerſo, ſiue ſubuerſo illo, inter quæ iudicium eſt & ſcientia; quæ, dum ſeruit diuitiarum libidini, terrena à diuiniſſimo Iacobo dicitur; dum delectationi, animalis; dum faſtui, diabolica. Qua parte acus magneti contingitur, eò inclinat & reſpicit: ſic acumen intellectus eò trahitur, quà voluntatis contaminatione inficitur: nam affectus

contage ſua palloribus omnia pingunt.

Omnes colores arquatis videntur lurida. Sapienter Arabs dixit: Cùm nemo erit, à quo conſilium petas, ſi te ipſum adhibebis, fuge conſilium, quod proximum eſt cupiditati: nam cupiditas hoſtis eſt intelligentiæ. Sed & illud idem egregiè: Socia eſt cupiditatis cæcitas. Magna inſtrumenta leui ſorde impediuntur: vnus dens in aliqua horologij rota æruginatus totum artificium impedit, motum retardat. Vndique terſa, ſplendida, alba voluntas ſit, vt quieſcat, ſuámque gubernet facilem lætitiam, ſcilicet, vt libeat, quidquid libeat, ſi benè libeat.

Dicas, quæſo, quo taxas pretio liberum eſſe, Cap. 57.
dominum tuarum actionum, imò votorum, grandi poteſtate; inter cæleſtes honores centuriari, Regem eſſe, ſi mundi non credis, ſaltem tui ampliori dominatione? Cur viliſſimo pendis honorem, commodúmque iſtud, futili te dedens paſſioni, acerbæ tyrannidi? Fingamus præmium libertatis propoſitum brutis, liberis propterea ſolùm ad opinionem indolis. Propone leoni, aut equo, oblatum libertatis æqualis ac humanæ priuilegium, iſta lege, vt impetus ille mitificet iræ, hic cupidinis. Moderatum pretium non negarent, ſiquidem illud exactum, quod vltrò exhibendum. Gratis homini ratio, libertáſque data: ſed ipſe rationalis vendit, pro quo irrationabilia mercarentur, pro furore, pro libidine; æmulatur opprobrium brutorum exauctoratus ingenuitate ſua; emancipatus diuina cognatione & familia. Quidni? Mancipatus mancipiis fortunæ.

Digitized by Google

ASCESIS II.

Paſſio paſſione non eluenda.

Cap. 58. VErùm iſta affectuum expiatio ſit, & ſingulorum, & omnium. Non ſatis eſt mitigare perturbationem, niſi id fiat, non perturbatione. Multis auaritiam ſatiauit fames honoris: aliis libidinem extinxit ardor iræ. Adoleſcens Terentianus flammas Cupidinis iracũdia domuit. Diuiſa eſt mali potentia: adeò peſſimum ſingula mala ſunt, vt ſe non tolerent, ſibique repugnent. Vitia aliena ferre non poſſunt vitia noſtra; ſic & propria grauia ſunt propriis, fortiora infirmioribus. Superbus odit alterius ſuperbiam, non odio ſuperbiæ, ſed amore: quia ipſe ſuperbus eſt, ſuáque ſibi viſus eſt impediri ab alio gloria: quia diligit ſuperbiam ſuam, odit alienam. Sæpè non tam amor virtutis, quàm zelus vitij, malè de vitiis meretur. Ita eſt: vitia ſua ipſe odit vitioſus amore vitiorum, ſed maiorum. Aliquando, inquit pius Guigo, diſplicet malum ſine mercede boni: ſed mala diſplicentia eſt etiam mali, vbi bonum non placuit. Succumbis, niſi cum virtute vitium domes. Veriſſimè illud Arabicum: Non vincit, ſed vincitur, qui malum malo vincit. Tunc indicium certum non democratia paſſionum cor occupari, ſed monarchia peſſimi alicuius affectus, &, vt ſuo nomine dicam; tyrannide. Tam validum tunc imperat vitium, vt ſeruiant, cedántque ipſa vitia.

Cap. 59. In hanc tyrannicam potentiam inſurgit aliquando aliqua affectio: quia ſine pacto & fide vitia inter ſe ſunt. Singula ſcorſim, ſuæque legis, ſui ritus, nec vt virtutes in fine fœderantur. Ad errandum non proponitur ſcopus. Singula vitia ſuum iter, ſuum terminum habent, ſuum præcipitium, ſine ordine ſunt, ſine fœdere, in diuerſa contendunt. Ita malum malo contradicit propter inordinatum incurſum, & vnius finis defectum, qui tamen eſt fœdus, fibulaque virtutum in eadem conſertarum linea, vt pretioſiſſimi vniones, in qua vnitæ, aut vnæ ſunt, aut vna, iuxta Apollophanem. Malum tamẽ, quia diſperſum, & ſibi non amicum, & virtuti eſt hoſtile. Via cuiuſque vitij ſingularis eſt, & ab alterius deuia, & à virtute auia: ideò licèt inter ſe inimica ſint, ſeséque faſtidiant, virtuti etiam diſſentiunt. Quare nihil de virtute meretur, qui vitio vitium perimit. Sancta virtutis manu trucidantur; feliciter, validè feriuntur. Virtutis virtus maior eſt & fortior, quàm vitij robur. Vna virtus duobus ſufficit contrariis: duos æmulos oppoſuit, obiecítque contra illam natura gnara virium boni, & mali: validiùs propterea deſtruuntur, quæ virtus deuaſtat, quia robuſtior.

Cap. 60. Interdum tamen fallimur, & ex ſpecie arma virtutis iudicamus, quæ ſunt vitij; quia pari perſonati vultu. Simiam ſuam quælibet virtus habet, ſimile vitium ſimilia fingens, quod amico geſtu hoſtilia parat. Fortitudini temeritas, prudentiæ duplicitas, magnanimitati ambitio, blanda auguſtaque inſidiantur facie. Interdum ſpecioſiora vitia ſunt, ſi ad formam virtutis componantur. Larua ſpecioſior fit, quàm naturalis vultus choragi. At

Quale caput eſt, ſed cerebrum non habet.

Iſti formati, &, vt ſic dixerim, affectati affectus perſonæ duntaxat ſunt: quia ſine ratione. Pulchra facies; ſed ſuperficies. Elegans caput; at ſine cerebro. Forma virtutis; ſed, quia ſine mente, quæ virtutem implet, & animat, inanis. Tota fraus, ſimilitudo eſt; nec aliter quàm Smerdes deprehenſus, quòd mutilus auribus fuiſſet; in eo virtus dignoſcenda, quòd integra ſit, germana, aurita, obediens omninò rationi, vndequaque quadrat, conſtans ſtans poſt omnem iactum & iacturam. Nullum Regem ſui fecit, nullum beauit, niſi integra virtus, cui ſolùm fida felicitas eſt.

Cap. 61. Dignoſcere ſubtiliter affectus prauos oportet, ne ignoſcamus, nec ſpecie probabili cætera pericula nobis creemus. Imbuti Amyclarum ciues dogmate Pythagorico, cæde abſtinentes animalium, ſerpentes ſuæ paludis non occidebant, à quibus mox deleti fuêre: ita, dum vna cupiditate abſtinentes alteri indulgemus, hanc non ex virtute veniam, ab ipſis cupiditatibus delebimur. Si ad tempus componuntur, & miteſcunt, nulla eſt fides; cùm minus putes, ſe explicant. Quidam Ægyptius inſtituerat ſimias ad chorum, adductiſque ad ſaltationem perſonatis quiſpiam ex ſpectatoribus obiecit nuces, ad quas repentè illæ procurrentes chorum & modulos reliquerunt cum riſu? pro chorea, rixa conſerta nucum cauſa: ita ſerij interdum, concinníque affectus aliquandiu videntur; ſed tandem neſciunt ſe diſſimulare, (hoc etiam ſtultitiæ debent,) harmoniámque animi commutant in tumultum, prout libidinis opportunitas prouocauit.

Cap. 62. Argutè à Simplicio appellatur ambitio, τὸν ἔσχατον, etenim illam vltimò exuimus, poſtrema eſt vitiorum tunica, affectuum ſubucula, intimiùs adhæreſcit animo adhuc cæteris malis ob ipſam depoſitis. Opprimit alia vitia, vt credas eximiam virtutem: ſed egregiè eam dixit Bleſenſis charitatis ſimiam. Totus tamen zelus malitiæ, profectus ſui eſt: ad ſummum opprimit vitia, non perimit. Duo mala fiunt, dum malum ob malum deficit. Domeſticiora & præcordialia, fortaſſe chariora, vitia victa fiunt, quæ non tam reprimuntur, quàm recluduntur, & victor vitium inſolentiùs, aſperiúſque inſurgit refrænatis reliquis, vt quod omne ius vſurpet. Cæterùm & prauos alios affectus, non tam repellit à corde, quàm compellit in cor: non liberat illis animum; ſed illos incarcerat in animo, eorúmque apertas actiones dũtaxat cohibet: namque, qui ob reuerentiam, non virtutis veræ, ſed narratæ, re non ſcortatur; obſcœna non ceſſat, turpiáque cogitatione tractare. Quin nec magis impugnat aliis malis, quàm ſibi, hæc gloriæ cupido: plerumque ſe deiicit; ſed, vt exurgat, adunca affectatione in ſe reflectitur: ſummittitur, vt attollatur: dum in caput ſuum videtur ſæuire, recentibus vt hydria pullulat. Itaque extinguere affectum affectu, excitare eſt. Canem fugitiuam ligat lactibus agninis, qui compeſcit cupiditatem cupiditate. Si forte infirmior cohibetur, efferocit pollentior: non eſt effundere venenum; ſed transfundere, & ab vno in alterum tranſmittere calicem. Æquè ex vitro, atque ex auro, virus viſcera ſubit, & contaminat. Parum refert in auro cupiditas ſit, an in alieno poplite, obſequio,

opinione; nomine, inquam & fama, fragiliori te vltro: vtrobique præcordia mordet, & pungit. Aliud eſt abiicere affectus, aliud mutare: aliud commutare paſſiones, aliud mercari virtutem. Ne ſimus trapezitæ cupiditatum; ſed emptores iuſtitiæ & honeſtatis. Siue auarus, ſiue ambitioſus ſis; cupidus es, & ſufficit fortunæ; ſatis eſt miſeriæ.

Cap. 63. Quid agis? Ex vno affectu adimis, alteri adiicis. Quò tuam tibi plùs adimis pacem, deiicis quietem, & ſaginas hoſtem robuſtum, vt licentiùs rationi ſit rebellis. Pacatius regnum eſt, tutúmque tyrannide, cùm Primates æquè, & mediocriter pollent. Cùm aliquis nimis eminet, imminet, nec ſine ſuſpicione affectationis cauetur: ita cùm omnes affectus mediocres ſunt, minùs periclitatur regia auctoritas rationis: at, ſi ita vnus emineret, omnium in ſe viribus collectis, facilè ſuo illam expelleret ſolio. Robur vnitum in vno violentiùs cædit, quàm per cæteros diſſipatum, qui difficulter fœderantur: licèt enim contrarij ſint rationi, ſunt & inuicem. Itaq; oportet non ſolùm partem ſecare cupiditatis; ſed omninò extinguere. Fera vulnerata ferocior eſt: interdum mutila cupiditas violentiùs trahit, valentiùs ſæuit: qui caudam dumtaxat viperæ calcet, in maiori erit diſcrimine: niſi totam poſſit ſtringere, præſtat nihil: læſa acerbior fit. Hoc contingit, ſi cum virtute non reſiſtimus, quæ omnibus reſiſtit malis; quæ, cùm vnam cædit cupiditatem, cædit omnes: at, quando non à virtute cæditur affectus, ſed ab alio, & cupiditas vapulat cupiditate; nihil aliud fiet, quàm cùm leo cauda ſe verberat, vt irritet. Omnes cupidines cadant valida virtutis dextra. Æneanes ſibi ex oraculo perſuadebant, fore, vt amitterent patriam terram, ſi particulam largirentur: ita, ſi deficimus in particula cupiditatis, ſi vnum remittimus affectum, laxatur tota cupido: ſi ad tempus ſopiatur, mox recreabitur: ſi fuges, redibit. Qui cupiditatem alia pellit cupiditate, canem pane pellit: ſi deleantur omnes præter vnam, & ab vna ex homicida reuiuiſcent.

Cap. 64. Ad exemplum huius ſcenæ narrabo antiquam apud Iapones hiſtoriam. Duæ in illo impetio præclaræ familiæ erant, quæ in ſe factiones regni traxerant capitali odio æmulæ, iugi ferro & igni diffidentes: hæc ſunt, clades, cruor, bella, peſſimæ radicis æmulationis poma. Semel accidit, periiſſe omnes alterius familiæ, nullo niſi infante quodam ſuperſtite, cui hoſtilis furor indulſit: ſed adultus reſtaurauit ille ſolus odia, tótque comparauit vires, tot copias coëgit, vt ſuorum ſine miſericordia cædem vindicaret, truciditatis omnibus cõtrariæ familiæ, & factionis æmulis, ſuperſtite nemine, ſiue adultorum, ſiue infantium, ſiue virorum, ſiue fœminarum. Doctus miſericordia ſui, immiſericors fuit. Nouerat multorum mortuorum vindictæ ſufficere vnum viuum. Idem in animi republica puta, vbi vitiorum, virtutúmque familiæ æmulis ardent factionibus: aliquando pluribus vitiis deletis, ſi erga, vnum benigni ſimus, hoc vlciſcetur alia: delebit virtutes, non plures, ſed omnes. Quare, oportet ſecuritati noſtræ cunctos ſiniſtros trucidare affectus. Athalia omne ſemen regium mactarat: ereptus ſolùm infans Ioas eam ſpoliauit regno cum vita. Quid intereſt vnus ſolus affectus reſtet, ſi hic vindicet cæteros? Quid intereſt, deficiant, ſi fortè deficiunt paſſiones, cùm vna ſufficiat miſeriæ? Quid refert, ſint pauci hoſtes, ſi ſunt plus valentes? Numerum potentia compenſat, aut excedit.

Sola virtus pacificat & explanat animum: nihil illum æquabilem, niſi ratio facit, eundem in diuerſis; vnum in omnibus vitæ caſibus. Quidam, vt Cimbri, labores belli ferent hilariter, ægritudinis ægiè: contrà alij, vt Græci, tolerabunt humanè morbum, peſſimè hoſtem. Niſi virtus firmet, adhuc inconſtans eſt ipſa conſtantia. Idem animi tenor, ſi ex bono eſt, vbique eſt. Totam per omnes modos virtutum choream vna ducet; perinde vt in harmonicè aptata cythara, ſi vnam ſolùm tangas fidem, cæteræ reſonant: ſic in animo temperato, motus vnius virtutis cæteras opportunè commouet; vni omnes, ſiue reſpondent, ſiue concinunt. In ſonitu vnius fili harmonia non conſtat, omnes debent chordæ conuenire, ita omne opus, omnis patientia reſonat virtutum, cuius ex multis, ex omnibus, & vbique ſymphonia amœnat. Cap. 65.

ASCESIS III.

Conatus, & impetus ad bonum.

IAm ad inſtrumenti vſum pulſus ſpectat, quare gubernandum vi. Ob huiur imperitiam pereunt non pauca artificia. Ducturus pictor ſubtiliſſimum filum, ſi apprimat pennicillum, lituram, non lineam producet. Lapidarius politurus petram, ſi toto lacerto inſligeret, infringeret potiùs. At, ſi faber lento & molli malleo dumtaxat lamberet incudem, & non cæderet pleno robore & halitu, nunquam ferrum cederet. Huius generis voluntas eſt; robora exigit, ſpiritúſque, Cap. 66.

Οὐκ ἔστι τόλμης ἐφόδιον μεῖζον βίου.

Nullum eſt præſtantius vitæ viaticum, quàm audacia.

Animus, vis, audacia, commeatus virtutis, atque felicitatis eſt; non diuitiæ, voluptas, faſtus. Hæc potiùs viatica miſeriæ. Conſentit Menandro Ioannes Geometra:

Ἀνδρὶ γὰρ εὐτόλμῳ, καὶ τέλος ἐστὶ βατόν.

Homini enim benè audenti, etiam cælum peruium eſt.

Nihil inuium eſt animo forti & audenti. Deambulat, iuxta Euripidem, virtus ſuper labores, ferreóſque interdum affectus tractat: nequit, aut delicato pede ſupergredi, aut molli dextra aggredi. Omnium pretioſiſſima res, libertas eſt: qualis libertas ſui erit, felicitas inquam? Quid mirum, difficultas pretium commendet, ſi vigor felicitatem? Vis materiam virtutis præparat, ſubigitque, & pinſit ſuam aſperitatem.

Non imperitè Muſonius, omnium difficillimam artem felicitatis dixit, difficiliorem medicina, muſica, & mechanicis. Cæterarum diſciplina eſt innoxia, & inculpabilis, ſine pugna, ſine contrariis, ſine oppoſitis moribus, ſine auerſantibus habitibus: ars virtutis cum conflictu eſt. In aliis artificiis materia reſiſtit: hîc & artifex ſibi obeſt, & conſuetudo impedit. Quid? Ipſa præcordia malè ſana & aſſueta repugnant; affectúſque non tondendi, ſed eradicandi. Annoſam quercum ſine vi non euelles: cum ſtirpe eſt, quod intus repugnat, &, vt S. Ennodius ait, Cap. 67.

Viuit

Viuit medullis, quod necat.
Turbantur alta viſcerum.

Extirpatio ſui ſine valentia non fit, quia non ſine violentia. Vis deſideratur, & iuxta Pſeudo-Xiſtum,infinita: quod credo in mollioribus libidinibus cum religione dictum, & non ſine Philoſophiæ venia: namque & momento perimendæ ſunt, & fortiſſimæ ſunt æmulæ. Nec calor momento ſuperari poteſt, iuxta Phyſicorum placita; niſi aduerſariæ qualitatis vis infinita ſit. Paucioribus confligens copiis, non vincet,niſi valentioribus. Non totus tu pugnas pro te, ſed dimidium tui. Conatu ſupplendum eſt. Qui duellum acceptaret hac ſuperba lege, vt vna manu dumtaxat dimicaret, æmulus cum vtraque inſolentis oporteret eſſe roboris. Quid,ſi aduersùs plures vnus ſolus alterius lacerti mutilus? Cupiditates infinitæ ſunt: tot hoſtes habes ſine laſſitudine pugnaturus: etſi ſingulæ infirmæ forent, numero ſunt robuſtiſſimæ,importunitate moleſtiſſimæ, & caterua ſua te vincent, & proteruia; niſi validè, diúque (neſciunt inducias) obſtes.

Cap. 68. Vt vrbs expugnetur, quot machinæ, quot copiæ,quot ingenia,quot arma quæruntur? Plus eſt ſui potiri,quàm rerum: plus eſt ſe inuadere, quàm vrbes, quàm orbes,quod non ſine vi fiet. Potentior tibi hoſtis es, quàm hoſtilis Xerxis exercitus; expugnatu difficilior caſtris turritis, præſidiis,& cinctis triplici muro vrbibus. Quot expugnatores vrbium fuerunt, qui ſe non potuerunt, non dicam,expugnare, ſed propugnare; ne dicam dominari, ſed tueri, quia nec intueri? Quare, fortior eſt, qui dominatur animo ſuo nulla voluptate captus. Is ὄντι ἀνδρεῖος eſt, inquit Ælius Ariſtides, quem expugnatori præponit vrbium homo ethnicus: hæreditaria ſuperſtitione.Eudemonis filius fuit, Sacerdotis Olympici Iouis; ſed religiosè interpretatur Salomonem: Ὁ γὰρ τοσοῦτον ὑπεριδὼν τῶν ἡδονῶν, ὥς τε μηδεμιᾶς ἡττηθῆναι αὐτῶν, πῶς οὐκ ὄντως ἐστὶν ὁ τῷ ὄντι ἀνδρεῖος, καὶ σώφρων, καὶ καρτερός; Τείχη μὲν ἀνάλωτα πολλάκις εἶναι δοκοῦντα, καὶ φαῦλοι ὄντες εἷλον ἤδη τινές, ὑπὸ δὲ τῶν ἡδονῶν πολλοὺς καὶ τῶν πάνυ ἀγαθῶν ἀνδρῶν κρατουμένους ὁρῶ. Quantò præſtantior mens ſaxo; eò præſtat expugnare ſe, quàm vrbes: quantò melior animus corpore, melius eſt vincere ſe, quàm alios. Aliena victoria hoſtium dumtaxat domat corpora, non animos, qui eò plus efferati, indomitique ſunt quò videant domita corpora ligno, ferróque adſtricta: at victoria ſui ipſum ſuperat ſuperiorem mundo, cæloque animum. Vulgares, viléſque viri cœpêre ciuitates clariſſimas: ſed viles voluptates viros clariſſimos. Plurimi ſub ditionem ſuam oppida, metropoles,regna fecêre: pauci, raróque ſemetipſos. Ad hæc, vt Vrbanus ſui nominis quartus, Maximus Pontifex, eleganter, dixit: Cùm quis contra populos, vel vrbes decertat, totus ſimul interior, & exterior homo pugnat: at, dum contra ſe, non totus, ſed minor quàm dimidius dimicat. Quidni? Dimicat vt inermis: ſed, quid mirum, ſine armis,ſi ſine ſe? Igitur non molli & ignaua manu,qui pro ſe militat, tam minima ſui parte repugnet, pugnétque.

Is, qui tantoperè voluptates omnes cõtempſit, vt earum nulla ſit captus, is verè fortis eſt, temperãs, & patiens. nam, cùm vrbes ſæpenumerò, quãuis inuictæ viderentur, à vulgaribus hominibus capta ſint, voluptatibus contrà multos etiam clariſſimos viros ſuperatos video.

Cap. 69. Illud conſiderandum eſt ad exemplar virtutis, quanti robur probetur Ethnicis in Alcide, eccleſiaſticis Sapientibus in Samſone. Illi, cùm egregiam nullam probitatis formam habuiſſent, propoſitum finxêre robuſtiſſimum virum, incredibilibus inſtructum viribus, per omnem violentiam verſatum, per omnem eruditum tolerantiam, vſque ad cæli patientiam,quod vicario ſuſtinuit humero: namque hæc maxima virorum probatio,ſuſtinere etiam ipſum Deum. Atqui hanc vim monemus neceſſariam,non in actu corporis, ſed in arte mentis; non in lacertis, ſed in virtutibus; non vt habeas, ſed vt adhibeas. Iam habes:voluntas eſt. Quid neceſſe eſt? Velle; quod tarò benè habes, tarò generosè Omnis palma tui, eſt animoſa bona voluntas. Nullum ſine huius bonitate bonum habebis, hoc eſt,facies. Habes, quod laboras,quod ægrè, quod vi facis. Non veniunt gratis magna bona, potiùs veneunt. Nummus, aut angor, aut labor eſt. Hoc Dei commercium, ſua labore, iuxta Epicharmum, vendentis bona. Aude, aggredere,conare, &, prout voluit Fabianus, incurſu auerte aciem,non minutis vulneribus; impetu, non ſubtilitate ſolùm aduersùs affectus pugna. Meticuloſi terga vertentes magis exponunt ſe diſcrimini auerſi, apertique, cùm non aliud telis obiiciant, quàm tergus, ignauorum clypeum. Plures ſolent cadere in fuga,quam in pugna. Duplicat aduerſarius vires, qui ſecuris de ſe reſtaurat impetum maiorem: vires anteà diuiſas, attentas etiam ad defenſionem ſui, colligit ad offenſionem hoſtis iam pluſquam exermis quia fugientis. Quare, non ſolùm honoratior; ſed etiam ipſis victis ſecurior eſt pugna, quam fuga. In curſu licèt reluctèris; hæc libertatis tuæ vis eſt, poſſe te cogere: hoc tui arbitrij ius, te neceſſitate, ad victoriam, ſcilicet, ſi ad pugnam. Maxima coactione & violentia opus eſt in iis cupiditatibus, quæ magis alienæ ſunt à ratione. Qua parte conſentimus bellis, eodem nobiſcum gerendum modo. Ratione non flectuntur? compellantur. Admittit & vim virtus, & gloria libertatis. Subibit, ſi non per vim, ſaltem cum vi amata. Hanc vim præcipuè aduersùs mala, & in malis commendo, quæ rationi minùs patent. Ad bona Dux eſto, eſt ad mala miles: nam proſpera mente ſunt regenda, aduerſa manu vincenda, aut toleranda. Felix ille, qui bonorum rector, malorum impugnator eſt.

ASCESIS IV.

Diligentia de bono.

CÆterùm & artes ſunt plura exigentes; nec contentæ induſtria & robore, diligentiam appetunt. Iners induſtria cum incuria eſt: debile robur cum torpore. At, cui magis debita ſolicitudo eſt, quàm virtuti totam ſolicitaturæ vitam? Cui magis cura obnoxia, quàm omnia curanti? In ea præcipuè te cura amanda eſt, quà nihil curesibi adhibenda diligẽtia, vbi omnia negligas; te primum,ſi tibi prouidere vis. Cura virtutis eſt ſecura incuria,tuta felicitas,procurata ſors, promiſſus caſus bonorum,quæ piger fugit morando. Proximum eſt,vt nunquam facias, quod in proximum vis facere. Modeſta repulſa, procraſtinatio eſt. Nobis ipſis vrbani ſumus, & rationi aliquid boni flagitanti vrbanè denegamus. Non Cap. 70.

inquimus : Nolo facere. ſed, Poſteà, cras faciam. Damus verba, & nobis imponimus, vt miſeri ſimus, vt mali. Ipſa vota vecordi cunctatione damnamus. Sæpiſſimè luit fortuna culpas noſtræ inertiæ. Aptè Bernardus Syluester inquit: Rarò diligentiam cum infortunio ſociabis. Diligentia, mater fortunæ in pluribus fuit, ſiue, vt ſic dicam, quædam altera, & factitia fortuna: alteram dico, non ſecundam; quia, quòd fida ſit, melior eſt; & quia præuenit, prior. Eſt quædam manualis proſperitas, eſt præcox & anticipata ſors. Cùm omnium rerum velociſſima fortuna ſit, præcurrit illam diligentia: priùs interdum donat, quàm fortuna mutuet: & neſcio, an dicam fortunam, ſpuriam diligentiam; an diligentiam, legitimam fortunam.

Cap. 71. Id ſaltem nemo negauit, addere fortunæ non quid leue, addit dignitatem, addit, vt ſic dixerim, mentem illi, quæ bruta etiam à ſapientibus diffamatur, cum pro voto & ex conſilio ſit. Non aliud deeſt fortunæ ad ſui reuerentiam, quàm quòd non ſit in humana manu: iſtam calumniam diligentia expiat. Addit & lumina excæcatæ ſorti: namque iuxta illud Plautinum,

In occipitio quoque habet oculos.

Faſtuoſum illum, falſum tamen, fortunæ titulum, quòd omnia ſibi ſeruiant Reginæ omnium iure vſurpat: nam diligentiæ ipſa ſeruit fortuna. Veriùs itaque Antiphanes ait; Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται. Quid aluit Datamis Martiam felicitatem, an militaris peritia, an robur? (iſtud hoſtibus maius.) Peruigil, indefeſſáque ſolicitudo. Fortunam ſibi, priúſquam hoſtes, ſubegit. Non aliam felicitatem, quàm diligentiam nouit: felicior, qui fecit felicitatem, quàm qui repetit.

Omnia ſunt mancipia diligentiæ.

Cap. 72. Si ad fortunam caſu occurrentem vigilia valet, quantùm ad virtutem valebit ſoli obuiam conſilio? Inſomnis opilio pro pecude pernoctat: cur pro felicitate non expergiſcimus, niſi quòd damnis noſtris, aut inutilibus, diligentes ſumus, voluptati, otio? Quemadmodum canis illa fabri in Apologis Locmani, vetuſtiſſimi Perſæ, quam malleorum ſtrepitus ſomno non excitabant, & ad dentium ſonitum & maſticationem, cum comedebat, euigilabat ſtatim. Reſpice aulam: tot Argos; tot Briareos inuenies, quot ambitioſos, oculis, & manibus vberes, vt nutus Principum diſtinguant, vt ex vultu, velut ex tripode, augurentur oracula cupiditatis, tranſpiciant guſtus, aras adulantium, & officio præcurrant iuſſa. Præcipua aulæ, id eſt, adulationis, ars, diligentia eſt. Nequis aliter Deo placere, nequis tibi. Inertia enim primùm ſibi grauis eſt? & præter ignauiæ non prouiſum damnum, ſua ſe mulctat prouidentia. Qui voluptatis cauſa deſes eſt, is, ait Thucydides, confeſtim deſidiæ ſuæ iucunditate, præterquam quòd ſegnis ſit, priuabitur.

Cap. 73. Deſident importunis cicadæ modulis in æſtate; nauant formicæ operas. Succedit hyems: illarum otium fructificat inediam; harum ſolertia copiam; quibus inopia cum diligentia fuit annona, fuit fortuna, fuit fortunæ. Beſtiolæ, quas miſellas, deſpectáſque natura fecit, quas innoxias damnauit hiemali hyemali ergaſtulo, quas viuas ſepultura denegato (qua ſolùm auaritie cum mortuis vtitur) victu, ipſæ ſibi carcerem in horreum mutarunt, hypogæum in triclinium. Vna omnium animalium formica diues eſt, habet, poſſidet, conditque. Alia in diem victitantia paupertina ſunt; ſcilicet, portionem prouidentiæ naturæ ſuæ in illarum diligentia delegauit: ſat fuit de illis ſolicita, quòd ſolicitas fecerit. Plus pro illis curauit, quòd curas cum illis diuiſerit. Ita etiam ſæpè fortuna partem ſui iuris cum diligentia partitur.

Cap. 74. Confer apem, & pauonem. Quanto iſtum ſtudio natura compſit, quàm negligentet apiculam? Vix formauit: auara materiam dedit, exiguam diſtribuens; diſtracta, & quaſi ſui oblita ſpeciem contemptibilem poſuit, non diſpoſuit. Sed aufer è mundo pauonem, quid amittemus? Aufer apiculam, quanta auferetur vtilitas, guſtus, lucis, valetudinis, & menſæ, & aræ? Diligentia ſua negligentiam emendauit naturæ, pretioſiorem ſe faciens ſpecioſo alite. Quid miratis? Studio proprij laboris, ſtudium alieni fœnoris vicit; hoc fatis prælata, quòd ſtudioſa facta. Ad has te iure remittit parœmia beſtiolas, imbuendum diſciplina vitæ. Abeſt communibus voluminibus exemplum apis; ſed illuſtre eſt, dignúmque, non modò huic chartæ, ſed pectori ſacro inſerendum. Eleganter Sapiens ait: Πορεύθητι πρὸς τὴν μέλισσαν, καὶ μάθε, ὡς ἐργάτις ἐστί, τήν τε ἐργασίαν ὡς σεμνὴν ποιεῖται, ἧς τοὺς πόνους βασιλεῖς τε, καὶ ἰδιῶται πρὸς ὑγίειαν προσφέρονται, ποθεινὴ δ᾽ ἐστι πᾶσι, καὶ ἐπίδοξος, καίπερ οὖσα τῇ ῥώμῃ ἀσθενής, τὴν σοφίαν τιμήσασα.

ASCESIS V.

Bonum debet eſſe continuum.

Cap. 75. Verùm poſt curam, vt efficiamus ſecuritatem animi, oportet ſecuram facere, & conſtantiæ neruo vincire: nec enim periti artificis eſt, opera caduca facere; ſed fundata, æterna. Magnum pretium dat rebus diuturnitas. Vitrum ſi ſecuritate æquaret aurum, pretio ſuperaret. Sæpè pretioſius, quod in rebus eſt, tempus eſt. Antiqua artificia antiquiùs habentur. Dignitas eſt duraſſe: erit & poſſe durare, nec facilè infringi. Integros animos reddit virtus. Ipſa res integra, res vitæ, non horæ, non diei, quæ cum Sole occidat, aut cum Sole non oriatur; interdiu, & noctu, vbique & locorum & temporum amanda, quæ adhuc in exitu inchoat; res perpetui initij eſt, ne offendat finem; perpetuò naſcitur, ne vnquam occidat. Nulla dies ſine linea, quantò magis ſine puncto? Ego mallem, nulla hora, nullum punctum ſine virtute. Res continua eſt: fruſtrà fiet, ſi per fruſta. Ex fracta patera non aleremus vitam; cur ipſam vitam infringimus? Idem velle, idem nolle, eſt ſacramentum ſapientiæ: nec enim niſi ad rectum vnitas voti reperitur. Vitium diſpergitur. Continuam complacentiam ſuſtinere, non niſi honeſtas valet. Hoc peſſimum, malum habemus, mutare mala, variare vitia, non ponere cupiditates, ſed tranſponere: alioqui vel vitij tædio citiùs boni eſſemus.

Cap. 76. Nemo in bono ſtate poteſt, qui non progreditur. Baſis diuinæ imaginis, virtutis dico, proceſſus

Digitized by Google

ceſſus eſt. Vt ſtet immota, promoueatur. In conſtantia collocatur iſtud Dei pulcherrimum ſimulcrum; nec ibi ſtabilietur, niſi per continuam progreſſionem. Faciliùs fatigatur, qui diu ſtat, quàm qui interim ambularet. Rectitudo humani ſtatus, & figura conſiſtens greſſu potiùs, quàm ſtatu conſiſtet abſque ſede. Specta ſtructuram humanam: tota in anteceſſionem componitur. Commodiùs artus compacti ſunt ad progrediendum, quàm recedendum: ire vlteriùs, non receſſim, voluit diuina mens. In hoc rerum caducarum, fluentiúmque aluco retrahemur impetu decliui, ſi antrorſum non tendamus, imò contendamus. Sufficit, vt te inuenias retrò abſque alia diligentia, aut negligentia tua, dum in amnem non procedas, & fluctus impugnes. Adnatare ſemper eſt opus, ne redacti, reuolutique vnda abſorbeamur. Dignata eſt Sapientia cæli aliquando conſentire ſæculari in hoc veridicæ, & non ſtultæ, fatigatos ex virtute, damnandóſque ad exteriores tenebras, ad fletus, ad ſtridentes mugitus, obiiciens manibus & pedibus obligatos: ſcilicet, inertes, ineffìcacéſque innuit, aut deficientes, qui non prouecti, nec advltimum virtutis ſunt egreſſi. Hoc ritu narrat Plato Ardiæum ſæuire: vbi nec oblitus tenebrarum exteriorum, & fletus, & ſtridoris; addidit aliam cæremoniam, quam non expreſſit noſter Magiſter I E S V S, non iam neceſſariam ſplendente ſua diuina doctrina, quòd etiam obligato capite proiiciebantur ignorantes ſignans. Nunc nos malitia plus damnat. Non viderant Ethnici finem virtutis, & tamen procedere iubebant: quid nos libero lumine, propoſita certa meta, aut torpemus laſſi, aut moramur claudi inæquali greſſu; nunc recti, nunc declinantes; iam boni, iam peſſimi; heri ſtudioſi, hodie maligni? Sanitas animi non laborat tertiana febri, vt frigeamus, & caleamus; vt alterna ægrotemus luce. Non computat virtus attos dies, non eſt bicolor.

Cap.77. Sapiens eſt, qui neſcit numerum: vnum ſe ſtabiliens vbique; licèt minùs ſit vnus, quàm plura. Plus eſt eſſe vnum, quàm multos. Magnitudo viri vnitate conſtat. Magnus eſt, qui non eſt multus, non varius. Megaricæ factionis celebre fuit placitum, id bonum dumtaxat eſſe, quod eſſet vnum. Conſentit & aliud Pythagoricum, vnitatem ſpectare ad bonum, ad malum diuerſitatem. Satis plura facit, qui ſemper eadem. Aſſequitur nulla, qui ſequitur cuncta. Id ſis hodie, quod benè heri: id cras, quod hodie. Vnum impediunt plura: ad plura vnum confert, imò ad magna. Non eſt Geometræ magnitudinem taxare virtutis, ſed Arithmetici; cùm continua res ſit: non cubitu, nec pertica metienda eſt; ſed número, ſiue vnitate potiùs. Magnus eſt, qui vnus, qui idem eſt ad æmulationem diuinam:

Sic Deus eſt magnus, de ſe valet, & manet in ſe,
Cui ſummum & proprium eſt, ſemper id eſſe, quod eſt.

Iſtam teſſeram Diuinitatis, quam Proſper commendat, vſurpat etiam virtus, cui nihil præ conſtantia conſentaneum. Quid obiicies difficultates & ardua paſſim occurrentia? Fateor, paſſim offendi, quibus offendamus; ſed ſtultè ſiſtimus: id ipſum, quo pigritamus, nos citat. Nihil nos ab actione magis arduum arceat, quàm aurificem aurum, ſculptorem abies, quàm vſurarium à mutuatione indigens. Anne propterea deſerenda ars, quòd materia ſuppetat artificij? Materia virtutis, difficultas eſt: quid quòd difficilius quidquam occurrat, vt obinde deſiſtas? Præſtantior materia inuenta eſt. Nunquam vidi artificem opus faſtidiiſſe, quòd pretioſius metallum viderit: nobilior materia virtutis difficilior eſt. Dura, difficiliáque ligna ad cathedram, vel ſtatuam ſeligit faber, quamuis magis laboret: cur ad ſedem felicitatis; ad ſtatuam Diuinitatis recuſas difficilem materiam, cùm tui copia operis, ipſa difficultas, labórque ſit?

Nihil igitur iuſtè impedit continuam virtutis gloriam; iuuant multa. In primis ipſa continuatio, quæ maximè materiam præparat, ipſas difficultates læuigans. Verè à Samio dictum, eligendam eſſe vitam bonam, gratam conſuetudine fieri. Quid? Ipſius dolendi mos gratus eſt. Mœror diuturnus, voluptas familiaris ſæpè euadit. Maligni animi eſt, queri de natura, quòd cùm actionibus corporis præſentem voluptati mercedem donauerit, ſalubres mentis functiones in difficultatibus locauerit. Non reliquit ſine ſua, & maxima voluptate virtutem, ſed cum ingenio id fecit. Corpori morituro voluptatem ſimilem diſtribuit, ſenilem, moribundam, in ipſo ſuo natali expirantem, deficientem, quò plus procedit. Quò plus comederis, minorem capis guſtum, donec faſtidias, & ipſa fit acerba voluptas: animo tamen æterno vitalem dedit & orientem ſemper, quò plus diuturnauit, iucundiorem. Vſu naſcitur, conſuetudine augetur, & annis fit perennior. *Cap.78.*

Præſtantiſſima prætereà naturæ commiſſura, ſupplementumque, conſuetudo eſt. Si in aliquo peccauit communis genitricis pietas, reſarcit hoc remedio. Muratoria, voluntariáque indoles fit aſſuefactio, per quam in illa te compones, quæ velis. Hanc maximam liberalitatem ſuſcepimus poſſe pro guſtu mutari, aut componi. Mater amantiſſima non vnicā veſtem vnigenito dat, plures largitur, vt mutare poſſit. ita nos benigna parens natura, non vno adſtrinxit ingenio; dedit, vnde mutaremus, & mutaremur. Non tantùm illi debemus, quòd nos dederit: ſed quòd dederit mutatorios. Multùm dedit in hoc, quòd poſſemus recuſare, quod dedit; quòd poſſemus ponere nos, mutare nos, alios effici, meliores, inquam, &, velut veſtem, exuere genium. Quantùm ad bonum præſtat conſuetudo, collige, ex quo pollet in malum. Faciet homines meliores, quæ poteſt facere alios: nempe, homines faciet viros, quæ poteſt facere belluas. Sardenſis quidam, quemadmodum narrat AbenEzra, elapſus à parentibus, in ſyluas ſe recepit, vbi ceruorum gregalis, eorum ritu diu vixit, manibus, pedibúſque gradiens, eodém veſcens pabulo; cúmque Inſulæ Rex cum aliis illum venaretur ceruis, reſtitutus parentibus, ipſum alloquentibus reſpondit nihil, nec vinum, nec panem appoſitum guſtauit, niſi herbam, donec parentum manus iterum euadens rediit ad ſyluam. Adeò conſuetudinis fauore, quod horribile, inſulſúmque, non modò in ſpontaneum, ſed neceſſarium pergit. Quid rarum cedat conſuetudini rudis natura, ſi cedit ratio & politia? Tranſit in violentiam voluntas antiqua. Perinde vt voluntarius *Cap.79.*

vſus abit in neceſſitatem legis, auctoritate temporis: ligat enim conſuetudo æquè ac promulgata, ſolenníſque ſanctio: ſic & in neceſſitatem naturæ tranſit. Repetitus mos populorum fit ciuilis & communis lex: ita etiam ſingulorum naturalis & priuata. Quæ aliena ſunt, prædia, domus, vtenſilia, vſu facimus propria poſt legitimam præſcriptionem; indolem quoque alienam aſſuefactione appropriamus, & quoddam ius bonitatis acquirimus. Saltem conſuetudine iura in te acquirat Deus, præſcribat, & tui poſſeſſionem, vel vſu trade.

Cap. 80. Nemo prætereà peritiam artis alicuius adeptus ſine vſu importuno; nec adipiſcetur virtutis gloriam, quandocumque opportunæ, ipſa ſua præcipuè importunitate. Archimedes perpetua figurarum deſcriptione vbique intentus ſui obliuiſcebatur, non modò voluptatis immemor, ſed vitæ, victúſque. Compellebatur à ſeruis ad miniſteria vitæ, plùs illa patiens, quàm fungens. Violenter latus ad fouendum corpus vnguentis, interim digitis lineas per membra ducebat. Hoc contumaci ſtudio nec aduertit fatum, quod in arte ſua expectauit. Ita oportet momentum vſque mortis præoccupare virtute, & vt huic vni intendas, nihil attendas. Quæ ſemel optima conſcientiæ vota nuncupaſti, ſempiterno conſenſu & niſu reſecta; nec tibi verba des, ſed, vt pius Honorius ait pro honore piorum,

Antea mons migret, quàm tua verba cadant.

Anteà è vita migres, anteà tu cadas, quàm decretum vitæ. Eſt conſuetudo boni, fortis, nempe, iſte virtutum nodus, quoddam vitæ lytrum. Pereunt anteà acta benefacta, niſi nunc benefaciendo viuas, imò niſi pereas. Omnis ſalua eſt vita in morte, ſi ibi repræſentetur. Sequentium operum proceſſus præterita redimit, extremum reuocat priora, & raro ordine ſequuntur antecedentia vltimum: at remiſſio operis contra id ipſum, quod geſſiſti, peccat, & infeliciſſima potentia in præteritum valet; facta infecta reddit. Hoc agitur, cùm non agitur: non ſolùm in præſenti non agere, ſed pridem non egiſſe: adeò tota vita à momento vno pendet, à quo & æternitas. Sapienter illud Indicum à Megaſthene proditum præſentem vitam monet ἀκμὴν κυεμένων. Conſentit ſapientiſſima Syncletica, & magnus Athanaſius. Eſt breue hoc tempus, fœtatio æternitatis, adoleſcentia æui, iuuentus immortalitatis. Peſſimè ad æterna inſtituimur, niſi per continua: inaugurati immortalitati iniquæ mutationibus gaudemus. Confert autem ad hanc proceritatem, vt ſic dixerim, terſam virtutis, ne ita operemur, vt qui mutuò dat, ſpe recipiendi, quod amittitur. Sui conſcia malitia eſt; nec titulo proprio audet nos petere integrè & palam: furtim, & ad præſens ſolicitat, pollicita breui recedere, datura maiorem locum virtuti & reſtitutioni; deinceps iam minùs importunam ſe promittens, vt immodeſti petitores id ſemper promittunt, quod nunquam implent, non ampliùs poſtulare. His ſeducimur inſidiis: ingreſſa ſemel ingruit, & contumacior fit.

Cap. 81. Paratum iuuat etiam eſſe, velut exercitus quadrato agmine ad pugnam componitur, cùm hoſtis ignoratus vndique creditur, in promptu vndequaque & recentia habere omnia præſidia vitæ, egregia aliqua dogmata & decreta animi, quæ quotidie promulganda cordi ſunt: nam quotidie licet benè viuere; & oportet, ſi licet: quotidie poteſt malè agi; & caueatur, ſi poteſt. Galenus ſingulis diebus præcepta Samij ſenis recitabat ſibi. Hierocles ſcribit, legem Pythagoream fuiſſe, bis in die illa repetere. Diogenes manè iubebat præſtrui. Epictetus etiam ad ſingulas actiones. Ne moleſtum ſit repetere eadem, ſi iidem debemus eſſe. Semper placet eſſe bonos; placeant, quæ ſemper bonos faciant. Non ſit graue ſemel memorare, vnde ſæpè memorabilia reperteris, id eſt, bona. Vt benè ſemel loquatur Orator, & Sophiſta; millies legit, relegit Tullij, aut Demoſthenis fragmenta. Ipſe Demoſthenes octies manu propria tranſcripſit volumen Thucydidis. Non parum intereſt inter alimentum animi, & corporis: alitur enim ille, quemadmodum corpus: huius autem cibus conſumitur, & in diem ſeruit dumtaxat; alium ætas quærere opus eſt. Animi verò nutrimentum, ſine conſumptione eſt: quare idem ſemper licet ſumi. Præcipuam tamen ad conſtantiam fidem faciet ratio; hac ſola duci, non opinione. Veritas, rectum iudicium, pacificata ratio, eadem ſemper eſt: qui eam ſequitur, idem erit. Saluus erit; velut filum Theſei per vitæ intricata impedimenta, & obſcuros calles ſecutus euadet. Opinio quid inſtabile eſt, nec vno, nec ſuo ſtatu manebit, qui eam reſpectet.

Oportet quoque plurimùm infelicia morum tentamenta vitare, præſertim faſtuoſa: hæc infauſta magis ſunt. Peſſimi fiunt arbitri morum honores, virtutis ſyrtes. Veriſſimè diffamati in hoc iam, ſine ſuo titulo inhonorati, quòd mutent mores. Qui inuariabilis ſui, virtutíſque ſequeſter velit eſſe, & ambitionem, & ambitioſa oderit: ſuam mediocritatem amet, id eſt, non tantùm ferat, ſed defendat: negligat non modò cupiditates ſuas; ſed quæ potuiſſet cupiiſſe. Altiſſima rerum omnium virtus odit alta: libentiùs amplectitur medium ſtatum, quæ in medio conſiſtit: amat modum, quæ omnia moderatur. Facetè mirantibus quibuſdam ſubitam cuiuſdam mutationem pridem humilis, modeſti, benigni, donec in Abbatem eligeretur, inde iam elatioris, turgidíque animi, reſpondit: Quòd priùs demiſſo vultu incederem, erat, quòd Cœnobij claues quærerem; quibus nunc inuentis, me erigo, & ceruicem attollo. Verùm hæc non fuit mutatio morum, ſed declaratio. Maius damnum eſt, quòd variet honos mores, quàm quòd explicet. Sæpe plures modeſti, qui etiam inditi prouecti fuerunt, in ipſa mox dignitate corrupti ſunt, indigna indole: ſed & in ipſa declaratione ſatis variat, dum degeneribus indulget, & ſpeciem probitatis delet. Tam venerabilis eſt virtus, vt ipſi, qui eam corrumpent & inanient, colant; & vt ſe imagine rei ſanctiſſimæ non peſſimos faciant, pluribus vitiis abſtinent. Cap. 82.

Denique ad opificium virtutis, nec tantùm violentia valet, ne induſtria erudit, nec diligentia ſatagit, nec vſus præſcribit; ſed fortuna eſt opus ſummo operi, vt ab ipſa etiam nonnullæ proſperantur artes. Aliquid vltra, & ſupra mentem, vt mens recta ſit, neceſſum eſt. Quid? Facimúſne virtutem famulam, cuius Cap. 83.

eſt

eſt domina? Nequaquam. Nec fortunam intelligo hanc apud vulgus diffamatam, vt cæcam, brutam, quæ fugit bonos, & quod dignis adimit, transfert ad impios; inconſtans, fragilis, perfida, lubrica: ſed præſentem illum Numinis fauorem humanis affulgentem actibus ſine conſilio, ſine voto noſtro. Diuinam itaque gratiam puto innocentiſſimam fortunam animæ: occurrit minùs præſumenti. Hoc eſt ingenium, iuxta Stagiritem & Nyſſenum, fortunæ, inopinis adeſſe. Monuerim hæc, ne putes, aut vi, aut ſolertia, aut cura, aut habilitate tua ad virtutem pollere. Sine gratia, aut hæc non erunt, aut erunt tanquam, aut peius quàm ſi non eſſent. Omnis honeſta actio, omne bonum opus, opificium eſt gratiæ ſolicitioris ape. Eleganter Hildelbertus dixit: Officioſiſſima eſt hominibus gratia Dei, & velut in eorum iurata obſequium. Nihil ſine Deo, ánne & aliquid bonum? Omni bono adhuc minimo ſummum bonum præeſt.

Cap. 84. Summam illam efficacem mentem adeò rebus negotioſam, etiam Ethnici putarunt, nihilque ſine ea fieri. Non ſatis vnam rati Deitatem tantæ rerum ſingularium ſuffecturam aſſiſtentiæ, per multas diſtribui hanc curam finxêre. Heſiodus triginta Deorum millia in his occupat curis. Varro trecentos Iupitres enumerat, ſine alia Deaſtrorum turba. Cuique rei ſuum dedicarunt Numen, quia nihil, niſi à Numine. Quid ſuum Numen? Non niſi geminum: ſæpiſſimè multiplex. Infaniæ noſtræ Leuanam, Cuninam, Eduliam, Potinam, Vagitanum, Statilinum, Fabulanum, & alia ſexcenta. Suos quoque affectibus patronos Deos dederunt. Dederunt & virtutibus. Pudicitiam, Fidem, Concordiam, Clementiam, Deas adorarunt: quia nulla ſine Deo virtus. Hæc veritas mendacia plura conſecrauit. Igitur modeſtiam animi ſeruare oportet, &, vt Diuus Paulinus ait,

Mentem Chriſto humilem, celſam ad faſtidia mundi:

atque omnes noſtros conatus irritos putare, niſi putemus. Sub nullam artem vrgetur virtus; nullo vincitur ingenio, nullis ſurgit machinis, niſi diuina porrigatur manus. Nihil facies, niſi nihil te putes. E cælo venit cæleſtis res. Omnia cælo debemus. Lux, dextera Solis manus, qua officinam naturæ gubernat, è cælo eſt. Lac germinum tumentibus è nubium mammillis inde mulgetur, inde mulcebris calor, inde multiplex ille aſtrorum riſus ſalutaris. Non minùs pendet animus è cælo, quàm corpus; ſed cum diſcrimine: influxus corporis dimittitur per plenum: influxus animi per vacuum, cùm adhuc ſe exinanit. Hæc ſui vacuitas magnes fit diuini reſpectus, illex Diuinitatis, impatientioris vacui, quàm natura. Ineſt Deus ei, qui ſibi deeſt: adeſt, ſi tibi abſis, vt Eunomo cicada pro filo, iuxta Pſeudo-Aſclepij preces. Sapienter propterea Barbarus dixit: Caput diſciplinæ, ſilentium; caput omnis intelligentiæ, deiectio. Vnus eſt honos, cuius meritum ipſo pretioſius eſt. Videns Scapheus diſcipulum vehementer inflatum, veriſſima obiurgauit ſententia: Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖται, ἀλλὰ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Quidquid rectè fit, id magnum eſt, addo & glorioſum: at, quidquid magnum fit, non eſt ſtatim bonum; ſæpè vituperabile, rarò ſecurum. Ius ſecuritatis vindicat humilitas.

Bonum non eſt in magno, ſed in bono eſt magnum.

DE ARTE VOLVNTATIS.

LIBER TERTIVS.

LEMMA I.

Iuuanda eſt voluntas ingenio.

Cap. 1. HACTENVS affluenti ſuæ ſobrietati, hactenus lautiſſimæ abſtinentiæ vires attemperauimus cordis potentis ſumma cupiditatis licentia, &, quod mirum eſt, innocentia, quod velit; volentis ſumma felicitate, quod poteſt, ſuum abſque ſquallore fortunæ tutari ſinu proprio natiuum florem pacis, ſine timoris vepri, & voti omnium acutiſſima ſpina. Pollet amare voluntas, quod libeat, pollet & odiſſe, quæ nec metuat, nec cupiat diſſolutis fortunæ machinis, vel ſi in hoc ſe interdum violaret vltronea compulſione, ipſiúſque ſpontis conatu. Ad aliud iam (noſtro ſæpè ineptimus iudicio) officioſum illi organum animi compoſituri veniamus, ſocium ſuæ virtutis intellectum, qui, dum fœdo errat abuſu, eius illa aberrat vſu. Iuuat propterea adminiſtrum præparare, ne ſola laboret; ſed mulcere impetus bonos illecebra aliqua, ne ſemper vires omnes euocare cogantur appetituri ſecura. Poteſt voluntas odiſſe fortunam, & ſine infortunio erit. Maxima felicitatis diligentia eſt negligentia fortunæ: at, ſi opinio laudet illam, commendet ſarcinas illas vagas & vanas, quibus, onuſta licèt, venit leuiſſima, grauiter nos oneratura, renuntiétque ſalutarem, & bonam; non niſi ſe vrgeat, amplexabitur voluntas, & minori allubentia contra fidem interpretis ibit. Tunc ſolùm fortuitò fortunata erit abominatione fortunæ æſtimatæ fidelis. Sed, quia illud intereſt inter felicitatem vulgarem, & tantam illam virtutis, quòd illa caſu, iſta conſilio libenter veniat obuiam; illa propterea cadit, & cæca eſt; iſta ſubinde ſtans, & oculata: oportet iuuare luce aliqua, & ſuis expiare mentem erratis,

Digitized by Google

tis,ne totum fabricandæ pacis onus ferat voluntas; ſed interdum allecta & exonerata exultet. Licèt ſatis ſibi ſit,vt poſſet velle, aut odiſſe,quæ vellet, (garriat licèt arduum opinio,) ſed cum gemitu, cum niſu volet, plerumque nullo modo volet. Blandimentum à ratione capiet, quo mitiùs gubernetur ad bonum, vt cardo oleo, axis vnguento, voluitur facilè versùs apprehenſa. Semper tamen in his, & in voluntatis ardore ad bonum, & in mentis flamma ad verum deſidero gratiam. Hæc incipit, hæc perficit, quidquid nos perficit, ne officiat noſtra inertia.

Cap.2. Eſt intellectus conſiliarius, atque, vt ſemel dicam, oculus voluntatis: prout enarrat, prout hortatur, prout ruit ille, ruit iſta penè: impellitur annulorum catenæ inſtar, ſi vnum trahas, alterum contrahes. Velut virgo pudica in clauſtris nihil per ſe tuens,nihil audiens, niſi quod vnus famulus renuntiet, dicta credit omnia: ita ſolam ſequitur voluntas fidem mentis, ex cuius dicto præcipuum momentum tranquillitatis ſuſpenditur, ſi veridicus ſit nuntius, nec falſis rumoribus infeſtet pacem cordis, ſaltem tentet. Eſt intellectus interpres, & lingua rerum; ſed iam ſerpentis,iam canis: ſi falſa,contaminat; ſi vera,mulcet,& lambit mala: & quemadmodum canina lingua id ſanat, quò poteſt pertingere; omnibus ita medetur ratio malis. Cuius vſum neceſſum eſt monere, quatenus cognitio ſalutaris cupiditatibus fiat; & quemadmodum voluntatem ſuis inſtitutionibus generatim præſtruximus, inſtruamus intellectum. Duæ ſunt ianuæ miſeriæ,aut quia peſſimè amamus,aut iudicamus. Vtramque ſeruare oportet. Opus itaque eſt, ſancta atque magnifica ſenſa animi parare; veridiciſque cogitatibus ornare, & tantum non onerare mentem, vt in promptu ſint. Pro opportunitate, etiam obuiam currant, & animoſa illa, excellentiáque decreta in opus tranſeant, etiam præcurrant. Quorumdam barbarorum Medici vectile ferunt pharmacopolium, ne remedij mora morbo indulgeant: ita pharmaca vitæ præſentia comportanda ſunt. Mens ſit veritatibus referta, officina ſalutarium herbarum: ad exigentiam euentus veniant omnia ſuo pondere æſtimantibus. Gemmæ geſtantur aduersùs pericula & caſus: geſtentur aduersùs caſus fortunæ, & diſcrimina animi, ſi non Chriſtiani, ſaltem philoſophici ſenſus.

Cap.3. Venitne lacero ſuggeſtu, lugubríque ſupercilio paupertas? Obueniat illud, aut quid ſimile:

Is minimo eget mortalis,qui minimum cupit.

Faſtidium inopiæ te vexat? Oppone: Paupere pauperior eſt,qui nolit eſſe pauper.

Deſunt inopiæ multa,auaritiæ omnia.

Sufficiens, ſed arcta & iniurioſa paupertati ſententia, cui pauca deſunt, auaritiæ pluſquàm omnia. Quid? grauis adhuc videbitur frugalitas?Occurrat ratio: Non eſt graue, quod nihil graue habet. An leuior erit, ſi adiicias omnium grauius metallum?Nullum pondus maius quàm auri. Stultitia eſt,velle alleuiari additamento rei omnibus grauioris. Pondus nequit, niſi detractione,minui; quomodo adiectione expectabis minorem ſarcinam? Non tam grauis poteſt eſſe paupertas, vt eſt putari grauem: illud error eſt; illud natura. Inſtigat te proſperitatis cupido? Obueniat ſtatim: Peruerſe me amo, cùm amem peruerſam fortunam. Appendix bonæ fortunæ mala eſt. Hanc ducit illa licèt cæca. Hic videbis mirum aliquid,quòd cæcus cæcum ducat. Aſtutia fortis eſt, cùm non habeat, vnde inuadat pauperem,locupletare,vt inſidioſa felicitas pandat ianuam miſeriæ. Quacumque ingreditur pinguis fortuna,capi poteſt ſqualida & macra. Cur amabo bona, quæ ipſo amore me faciant non bonum?Memento illius:

In nullum auarus bonus eſt,in ſe peſſimus,

Repulſam patitur ambitio tua? Confeſtim cogita,quòd licèt non habeas, quod cupiſti; habes, quod debuiſti cupere. Fecit alius,quod tibi faciendum erat, repulſam cupiditatis. Iam gratiam debes.Debueras tu ei rare à te, ne peteres, aut à fortuna, ne daret; non potuiſti à te, non tentaſti ab illa, vltrò fecit. Quid? quietem, ſi obtineres,putabas votorum?Certè nec pauſam. Non pacat animum, quod poſſidet;ſed, quod nolit. Plures, vt quieſcerent, vltrò reiecerunt, quod tu optas.Melius eſt nolle,quæ non habes; quàm habere, quæ vis. Compendio laboris maturam quietem curatne accipias, quod, vt quieſcas, relinquendum eſt. Triplicis laboris compendium erit, & obtentionis, & retentionis,atque renuntiationis.Æquè ſolet eſſe moleſta rerum poſſeſſio, ac poſtulatio: moleſtiſſima tamen reſignatio fortunæ. Felicem te putes ſi non habeas, quod ſi non habuiſſes, felicior eſſes; feliciſſimus,ſi nec optaſſes. Quis ditior, quàm qui nec voto eget?

Quod vult,habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.

Prima fortuna eſt non optantis; alia non habentis malè optata,media eſt eius, qui nec habuit.

Cap.4. Etenim vocibus familiaribus ſtatim mitigantur iraſcentes canes: ita cupiditates oportet manſuefacere familiaribus rationibus, atque veritatibus aſſuetis in procinctu ad omnem fortunæ libidinem. Eleganter Socrates: ὥσπερ οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες, καὶ τὰ πρὸς τὸν χειμῶνα ἔχουσιν ἕτοιμα· οὕτως οἱ ἐν εὐτυχίᾳ φρονοῦντες, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀτυχίαν ἡτοιμάσασι βοηθήματα. Hoc pacto, velut flores aliqui ſequuntur Solem, affectus pulchri conuertentur ad lumen rationis, ſequentes verum, cuius periodo vix malum inuenies. Hanc turbam malorum opinio peſſimo introduxit inuento, tam maligna fide, vt illud, quod minus putet malum, culpam, & ſæpè commendet, non peius duntaxat ſit malum, ſed vnicum. Reliqua ad vtrumque ſunt nullo tincta natiuo colore; poſſunt fieri mala, ſi facias: at, quia ex ſe innocentia & vtilitati noſtræ obſequutura, boniſque moribus morigera, ſi velimus hac parte bona appellare, poterimus. Atqui,cùm verum comitatur bonum, etiam intellectu amabis,voluntate intelliges, ſi illo reſpicias bonum, iſtâ verum: cognoſces, quod bonum eſt;diliges, quod verum eſt: cùm bonum, quod præſentas cordi, verum ſit; & verum, cui applaudit & celebrat mens, bonum ſit.

Sicut ij, qui ſecundo cælo & vento nauigant, etiam quæ contra tempeſtatem vſui ſunt,parata habent: ſic, qui proſpera fortuna fruuntur etiam aduerſæ illius ſubſidia expediunt.

LEMMA

LEMMA II.

Opinio multiplicat mala per ipſa bona.

Cap.5. DVobus igitur peccat cognitio modis; & quia tenebris affulget; & quia luce non illuſtrat, apprehenſionibus, ſcilicet, falſis, quæ excitant voluntatem, aut veris, quæ non ſtimulant. Quantum in illis mendacium, in his ſocors quædam, & remiſſa veritas delinquit. De illis mendacibus priùs diſſerendum; notiores ſunt: nunc conuitiis iniquis condemnant res: nunc iniuſtis elogiis commendãt; aut quæ bona ſunt, mala; aut quæ mala, æſtimantes bona. Primus error perperam nos affligit, & fluctus animi auget formidine inani. Horret animus alioqui optabilia, deceptus peruerſo teſtimonio: tum falſorum multiplicatione malorum multiplicantur timores veri, hóſque conſequentium cæterum ærumnarum vulgus. At illud mirandum, quòd multiplicentur multiplicatione bonorum, dum plura, aut alia putet bona, quàm ſint. Teſtificatione iſta bonitatis auidè optamus, vehementiùs perſequimur, libenter amplectimur. Quid inde? Dilemma quoddam, & neceſſitas miſeriæ: ſiue obueniant hæc bona, ſiue aufugiant, vtrolibet modo verſat nos ſuâ ſcuticâ fortuna, vexat cupido. Namque, ſi non obtineatur, quod putatur bonum, auidéque cupitur, certa eſt ærumna & mæror animi, deceptione omnium moleſtiſſima, ſpei. Illud etiam mirandum, quòd certus quoque angor veniat, ſi conſequamur, quæ optauimus. Impleta voluntas non ſemper eſt beata. Apparens illa rerum bonitas, quam noſtrum ſibi effecit cerebrum, delicatiſſima & tenuis eſt, contactu diſpergitur, comprehenſione diffluit, intérque digitos collabitur, quaſi aquam pugno ſtringeres. Aliud poſſeſſio inuenit, quàm cupiditas quærit. Adiice, quòd à votis ad curas gradus vnicus eſt. Quæ optauimus, de his timemus. Quid refert, te affligant cupiditate abſentes diuitiæ, an nactum illas præſentes te lacerent timore? Fraus iſta voti fallit gaudium; & vt fortuna ſæpè pro bonis ſuppoſuit mala, pro lætitia ſubrogat mærores.

Cap.6. Iámne cenſebis æquè afflictum, & voti compotem, & irritum, qui nihil obtinuit cupitorum, & qui omnia conſequitur? Credo ſæpè infeliciorem, qui obtinuit. Inexpertos ficta felicitas minùs infeſtat. Inopinum illud moleſtum acerbius eſt, & commutatione mali pro bono vehementiùs, & velut ex irritatione percellit, ſcilicet, ſeſquiduplo ictu. Iungitur fruſtratio voti cum ſubſtitutione damni, & ſubitatione inſperati periculi. In primis æquè grauis eſt iniuria ſpei, & gaudij, ſiue non conſequaris optata, ſiue non fruaris: nam nequis frui, cùm id, quod conſequeris, non ſit, quod conſequi volebas. Itaque vtroque modo fruſtratio eſt voti: non habes, quod optabas: æquè enim illuditur voluntas, cùm obtinet, quod cupit, & cùm amittit: nam vtrouis modo amittit. Hannibal, (qui vix in alio maiori fuit diſcrimine, quàm auaritię, per tot diſcrimina fortiſſimus Dux, qui non robore, ſed aſtutia potuit defendi aduerſùs fortunam & alienam cupidinem, ne quis putet aduerſùs propriam ſine conſilio,) quaſdam amphoras Cretam veniens, falſurus Gortynios, compleuit plumbo, ſummaſque auro & argento opertas in Dianæ fano depoſuit. Si tu percuperes illas, quòd putares ſolidas aureis, an, poſtquàm obtinuiſſes, minùs ita ſceteris, quàm ſi iam obtenturus præriperet alius? Vtroque euentu voto irritus eſſes; auro careres. Hæc aſtutia opinionis eſt, ſubſtituere pro auro plumbum. Cæterùm, præter iſtam communem ſpei iniuriam illa additur, quòd vltrà quàm mulret bono expectato, ſæpè malum inexpectatum ſufficiatur, quo ſimul infortunatus & calamitoſus fias, ſine voto, & contra votum miſerandus. Ad hæc, quia ſine ſuſpicione infelicior. Nulla magis metuenda mala ſunt, quàm quæ non permiſerunt metui. Subita tela fortunæ acutiora ſunt. Quæ præter ſpem iacit, grauiùs ſauciant; qualia erunt, quæ contra ſpem? Adeò falſa rerum opinio eſt, maleuola, & ſine auſpiciis, vt ipſam præcipuè fortunam infortunet! adeò fallax, vt fallacem felicitatem plus fallat. Illa fere matrix eſt totius miſeriæ; peruerſa malorum trapezita, illa rea totius triſtitiæ, ſiue malum in bonum, ſiue bonum in malum commutet, ſiue alterutrum, ſiue vtrumque mutuet fortuna: illa tarum fecit occurſum gaudij; obuium, importunúmque mœroris: illa miſerorum vulgus alit, omnium calamitatum monetaria. Non itaque excuſatur inuentione bonorum: nam & plura mala ſequuntur bonorum opinionem, cupiditates, timores, inuidiæ, rixæ: longa ſecum reſte trahit vera mala. Falſum bonum grauidum eſt multis damnis: quin, etſi ipſa bona innocentia forent, parcendum eſſet ob malorum, quo non compenſantur modò, ſed vincuntur, numerum, eodem conflata artifice. Dices, falſa iſta mala non fore moleſta, ſi & bona falſa non adiuuent. Atqui non minorem ducit cateruam verorum malorum, malum, licet falſum. Timores excitat abſens; triſtitias præſens; curas vtrouis modo.

LEMMA III.

Iniqua æſtimatio rerum ab exiſtimatione eſt.

NOs architectamur mala. Ipſo noſtro furiamur iudicio, atque ingenio ad noſtram dementationem vtimur. In exemplum illudentis opinionis traducendus eſt Aman: opulentos theſauros, magnificos honores, larga Aſſyrij tyranni munera, quibus ſupra omnes proceres euectus, eximia & pinguis adornabatur victima fortunæ; ad hæc liberalitatem etiam naturæ, filios charos, nihil omnia homo auatiſſimus, & vltra fortunam ambitioſus duxit. Seduxit igitur illum opinio, cùm magna illa conſideraui; imò & cùm nulla: nihil omnia dixit præ ſeruili obſeruantia, quam pluris ſe taxauit amantiſſima ſui, & amentiſſima auaritia. Culpa iſtud opinionis fuit: nam, cùm ad læuum fortunæ obliquæ latus iacebat ille in domo parentis Amadathi, ſi offerretur dimidium, quod faſtidioſus felicitatis tunc deſpexit, vulgaris aliqua præfectura Prætorij, & vel ſerius vultus tyranni, minùs ſeriùs imagine quadam beneuolentiæ, aut pro iſtis ſortis infidę fauoribus cæremonia illa, & cultus vnius Mardochæi, Cap.7.

Digitized by Google

dochæi, illorum potiùs delectum haberet; neque poplitem captiui maioris faceret, quàm dexteram & gremium Reginæ omnium fortunæ. Quid igitur permutauit rerum faciem? Quid mutauit fortunæ pretium pretioſiſſimæ viliſſimis? Quid diruit tot ſuperbos præcipitantem, niſi arbitra deceptionis opinio? Illam hæc priùs apparentem opum glóriam, & frontem compſit, replumbauit, cùm voluit, inanem magnitudinem: iam magnum finxit; iam nihil refinxit. Non ſolida moles fuit, quæ ſine ſuo caſu collapſa eſt; quia putabatur, ſolùm phantaſia ſuſtentata. Immutatas in ſe res nunc ſupra cælum mittimus, nunc infra ſimum, non niſi quia putamus, & mutamur.

Cap. 8. Iſtam enim mundanarum rerum colorem, iſtum ſplendidum geſtum obduxit, non veritas, ſed opinio peruerſa, tranſuerſum iudicium agens, magna bona pro libidine, non pro veritate commentans. Capio iam huius vanitatis fidem, non à Lycæo & porticu Stoïcorum, non à Cruce IESV; non, inquam, ab Philoſophia non à virtute, non à fide, non ab ipſa Dei ſapientia; ſed à mendaciſſimis, ab ipſo mundo, ab ipſis vanitatis mancipiis. Falſiſſimæ opinionis cruciatus hanc extorſit contra ſe veritatem, omnia nihil eſſe. Spectemus Amanum, non vulgarem fortunæ amaſium, conuocantem auditores, & coacto cœtu, turpi pronuntiantem ore luculentam ſententiam, Academia, & Stoa non dignam modò, ſed maiorem. Mundano quodam flatu, furoréque correptus intonuit peſſimus homo dignam optimo vocem: Nihil me habere puto. Nihil dixit innumeras opes; nihil, numeroſam familiam; nihil, gnatos chariſſimos; nihil, ſplendidos honores, quibus Aſſuerus eximiam ſaginauit fortunæ hoſtiam. Quid amplius à Zenone aliquo, aut Socrate deſiderares? Adiecit, quod peccatum exiſtimationis retexit: Quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem. Omnia dixerat nihil eſſe præ Mardochæi obſeruantia. Interdiu euanent ſtellarum radiationes, ſcilicet, coram Sole inebriante omnia ſuo lumine: at illa, quæ Aman contempſit, quantoperè puſilla, quæ nihil viſa coram re leuiſſima, captiui inflexione? Quotuſquiſque ex porticu Chryſippus aliquis, ita ad exaggerationem, ita ad contemptionem rerum humanarum animoſam extulit vocem? Sæpiùs legi, & audiui, omnia iſta friuola ſub Luna bona, nihil eſſe, & vanitatum vaniſſimam vanitatem: ſed illorum collatione bonorum, quæ virtus parturit, æternitas nutrit. Non miror, ſcintillam non diſcerni, inter flammantia culmina, atque interdiu ſydera abſcondi: neque miror hæc temporis auidiſſimi pabula parùm videri ad æternitatis ſarietatem. Vehementiùs depreſſa ſunt, coram nihil viſa nihil. Nullus ita ſua bona deſpexit, niſi ipſe mundus per Vatem ſuum nocentiſſimum.

Cap. 9. Neque ex abrupto lapſam iſtam putes vocem: dicturus illam ſententiam, conuocauit teſtes laudatos; & ne bonorum obliuione ſenſus felicitatis anullius argueretur, (ius enim cordis amittunt abſentia & oblita,) præſentauit cuncta, ſingillatim recenſuit. Lancem nihilominùs flexit inflexile Mardochæi genu, & nihil omnia dixit, &, quod plus eſt, duxit; non vnum, aut alterum bonum, vniuerſa complexus, triplex, inquam, fortunæ peſtilens penu ſplendidè ſibi impenſum. Si expectes opum diffluentium dolium; expoſuit magnitudinem diuitiarum ſuarum: ſi inflantium vtrem honorum; quantam gloriam ſuper omnes Principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet? ſi colliquefacientium armarium voluptatum, conuiuia cum Rege & Regina: ad hæc, ſi ſupellectilem à natura complice fortunæ deſiderares; non modò familiam, ſed turmam filiorum agnouit: adiice non minutam appendicem, ſpes ſuas nouis Reginæ fauoribus erectas, & in maiora gliſcentes. Nihil duxit auariſſimus hominum, auaritiæ vota omnem fortunæ, naturæque aceruum. Quo tempore? Cùm habuit: cùm præſentia rerum irrita cupiditas ſæuit, & aſpectu, Reguli inſtar, infeſtat. Quo tempore? Cùm oblitus mortis, vegetus, valens, non in confinio æternitatis; cùm tabes & macies ægrotantis corporis, & vicini fati aſpectus etiam peſſimos Philoſophiam docet. Quo tempore? Cùm innocentem fortunam putauit, aut immortalem, rudis & inexpertus inſtabilis ſui ingenij. Quo tempore? Cùm indemnia adhuc bona putauit nullo contuſa vulnere; cùm vitrea non didicerat, cùm adhuc felicitatis vbera ſugebat; cùm noua capiebat pignora, & ferè vadimonia; cùm adhuc ipſius mundi cliens, & ambactus in eius ſacramenta iurabat, non aufuga, aut eierans. Si nihilominùs vnius fidem non acceptes, ſubſcripſit cœtus integer: communis plauſus fuit: nemo ex amicis refellit. Audiuit coniux, charam ſobolem nihili à marito fieri; ſed annuit dicto. Audierunt amici fortunæ potiùs, quàm fortunati, contemni ſpes ſuas; & licèt inimica ſuis votis ſuffragia dederunt. Veriſſimè omnia nihil erunt, quod non negauit auarorum cupiditas, blandientium adulatio. Verum erit, cui tot etiam peſſimi, etiam mendaces non dixerunt contrà. Sed inſtemus adhuc calculis: ſi pretioſus fortunæ vertex dominantiſſimæ, præ ſeruuli poplite habitus adeò parui fuit; qualia iſta diaria bona erunt præ æternis, præ Deo? ſi ad malignam diſparent lucem, an conſiſtent ad meridionalem æſtum?

Cap. 10. Vnde igitur ſonant magnificè? vnde mulcent blandirer? vnde perfido præſtringunt fulgore? Videri eſt, & purpurata vmbra, intus ſceletus, & ſolùm compago nullitatis, & ſolidum nihil, & rarum deceptionis artificium, quorum anima & vita putari eſt. Tingit, effigiátque omnia opinio noſtra inſtabili charactere. Præterit figura mundi: vtique: nam æſtimari eſt. Et ipſe præterit mundus, iuxta Plotinum, ſicut ſub ſigillo effigiatur fluens aqua: amoue ſigillum, deletur figura. Deſine putari bona, aut mala: non ſunt. Ex compoſito obliquis quibuſdam apprehenſionibus conſpiramus magna haberi, quæ parua, quæ nulla ſunt. Supponuntur, non fiunt: nec aliter quàm luſorum pacto, calculis pretium imponitur, abſente nummo. Perinde liberè mentis conceptus componimus; quemadmodum imponimus rebus nomina: nobis tamen imponimus. Placitum humanum fuit, hanc vocem, *leo*, fortiſſimum animal; iſtam, *homo*, ſapientiſſimum notare. Poterat, & ex conſenſione populorum, nomen, *leo*, ſignare timidiſſimum, & fugaciſſimum leporem; quemadmodum nunc animoſum & regium brutum. Poterat & vocabulum, *homo*, inſulſum peponem, aut inertem aſellum indicare: communi conuentione ita pactum eſt, non

natura

Digitized by Google

natura ſua. Pari abutimur libertate conceptibus ipſis, & libero, peruerſo tamen, hominum conſenſu, opinionem magnitudinis rebus tribuimus; non quæ ſunt magnæ, ſed quas ſupponimus non quæ habent magnitudinem, ſed habere volumus. Conceptum iſtum boni, aut magni, natio peſſimorum diuitiis, honoribus, deliciiſq; addixit: decolor tamen, ex ſe indifferens, vt opulentiam, aut mediocritatem ſignet; famam, aut ſilentium. Conuenit tamen auarorum regio maioris putari opes, quàm mores: honorem, quàm meritum: pretioſius aurum, iners humanis vſibus, quàm ferrum officioſum. Poſſent & eadem conuentione gentium commutari opiniones, & pretia rebus indita. Pactum iſtud apud Spartas fuit, interdicto ignaui metalli vſu, Lycurgi ſanctione. Inter Macrobios Æthiopes valuit æs, viluit aurum, niſi ad retinacula ſontium: maluerunt vincire corpora, quàm animos. Errauerunt apud nos primi rerum taxatores, inuidi generis noſtri. In abdito, in arduo, in raro pretium felicitatis locarunt: certè vt nemo felix eſſet; ſed ipſum beatitatis votum plurimos miſeros faceret, ineptè, aut impiè, cùm in noſtro ſit æſtimationem rerum facere: ea elegêre ad beatitatis titulum, quæ ſit neceſſe inquirere, quæque natura, quia vetuit, abſcondit: ea neglexêre, quæ in promptu, & ſub manu cuique ſint; quibus ſemper felices eſſemus, alioqui miſeri. Cur in æſtimatione auri relegamus felicitatem ad terræ viſcera, ſubter ſaxa & fimum, ad Inferorum porticum? Quomodo ex regione miſeriæ efferret ſe felicitas?

Cap. 11. Hactenus iſta rerum taxatio peſſimè nos habuit, forſaſſe & peſſimos. Placitum noſtrum fuit: placeat mutare, & iniquum reſcindere opinionis pactum, & felices inter miſerias erimus:

Ἂν εὖ φρονῇς, τὰ πάντα γ' εὐδαίμων ἔσῃ.

Si benè prudens ſis, omnibus fortunatus eris.

Quid? inutilem & audacem putabis ſpem, reuocare humani generis iudicia, tranſuertere peſſimorum opiniones? Impoſſibilis profectò opera potiùs, quàm inutilis. At non communem in hoc conſenſum quæras, ſed tuum. Hoc intereſt inter voces, & conceptus: illarum ſignificata corrigere non poteris, niſi in hoc conſpirent multi: hos licet tibi, & tecum emendare. Nomina ſunt rebus indita, vt alloquaris alios, qui niſi in parem veniant ſenſum, nullum tenebunt. Conceptibus tecum loqueris, nec vltra te ſpectes ſuffragium: ſi tecum conuenias, pactum eſt. Verùm hoc arduum & contumax putabis contradicentibus populis, ſibi nouum ſenſum facere, & firmare reuerentia multitudinis authoritati fidem ſuam negare. Sed non tanta eſt multitudinis dignitas, vt inuiolabile mendacium faciat: ſatis eſt feciſſe venerabile. Non vincitur veritas numero. Quid ſuſtines ſeduci, quòd à multis? Nec ſecurum præcipitium reddit copia impellentium. Vulnus à pluribus lacertis profundiùs ſubit. Si veneno ferculum conditum noſſes, abſtineres; etſi iucundum, etſi multi ſalubre iurarent: nec exemplum comedentium imitaberis. Non exemplum, ſed opprobrium ſit tibi ſcelus alienum. Error multorum, non ſit authoritas inſipiendi, cùm nec poſſit eſſe excuſatio culpæ: nec ſocietas errantium aliquem abſoluet. Eximiè philoſophatur Eucherius: Ad negligentiam vitæ non nos negligentium turba perſuadeat: nec ad damnum propriæ ſalutis alienis ducamur erroribus. Quid nobis in illo Dei iudicio proderit multitudo, vbi ſinguli iudicabuntur? Vbi ſola examinatio meritorum, actus quemque, non populus abſoluet? Ceſſent, ceſſent ſolatia maleſuada diſcriminis. Nimirum, præſtat vitam propagaſſe cum paucioribus, quàm perdidiſſe cum pluribus, atque adeò non nos ad incuriam peccatorum ſola peccantium numeroſitas pertrahat; neque hoc, quod ſibi alij parum conſulunt, quædam nobis efficiatur auctoritas.

Cap. 12. Cæterùm, ſi hæreas, nec refellendam multitudinem putes, nec audeas mendacium dicere, quod plures probant; certè ſecurus error eſt, ſi vnus hîc fallaris, neque mala credas, quæ vulgus infamat; ſint licèt: ſatiùs conſultum erit, ſi non putes. Quid inde? Compendium malorum: non timebis, non angeris, non ſolicitaberis: vix, cùm venerint, ſentientur: ſolùm in tranſitu mordebunt. Non antecedet, non properabit metibus dolor. Sincera tela & comminùs gubernabunt, dum ſint dumtaxat. Quòd ſi timeas, duplicant vires, & cùm nondum ſunt, lædunt. Nullibi tutus manebit timens: vbique ſecum eſt; nec fuga ſecura; nam eminùs dimicabunt. Opinio malorum etiam ſecuros ſauciat. At immemor illorum, & ardens animus priùs videt elabentem dolorem, quàm venientem; imò quàm ſentiat, cuius niſi tergus non videt. Occipite ſuo frons deformior eſt. Nonnulli aridis oculis ſua membra ſecari viderunt: alij integri licèt corpore, fracti animo fuêre, qui viderunt non alienos dilaniari artus, ſed tangi; ad alieni ſanguinis conſpectum exangues, pauent, deficiunt. Quare, etſi mala eſſent, paupertas, ignominia, labor, quæ plures bonos fecerunt; ſententiam tuam, more Sceptico, ſuſpendere, non inutile foret.

Cap. 13. Nolo tamen artificioſam ſecuritatem, nec mendaciunculis niſam, ſed veritate. Errat multitudo; vulgus eſt. Ponderanda ſuffragia ſunt. Turba ſceleratorum miſerorum, quæ fallitur; nemo optimorum. Igitur aliam mentis linguam doctus ſis, & veteres dediſce vulgi opiniones, ne alieno pereas iudicio: ne commendatum per multorum manus errorem defendas: ne malum tuum contra rationem excuſes. Damnorum noſtrorum patroni diligentiſſimi ſumus: ne in verba antecedentium iures, & ſacramento errantium te adſtringas. O ignauum! ô indignum ratione, qui mauis credere, quàm iudicare! Non ita humani arbitrij eſt mutare res, vt vocabula: nolito in iſtam vaniſſimam improborum malis ſuis gratulantium conſpirationem venire. Hoc ſalutare præceptum cape, ſcire rebus ſua dare, & quadrantia pretia imponere, vt Adam nomina. Id ſint, quod putes; id putes, quod ſint. Natiua iudicij loquela te affare! nec diſpar in gaudij, paciſque ædificio, quò ſydera pertingas, & confinis cæleſtibus te tuteris alluuie decurrentis fortunæ. Confuſio intercipit vota, & conſilia tua, ac linguarum apud Babylonem conturbatio: aqua poſtulabatur, ſed adminiſtrabatur later, attollitur rupes. Ita eſt: bonum appetit, clamátque voluntas; datur, quod nolit: putatur bonum, non eſt, confuſa felicitatis ſpe. Nec tantùm caſu mala eueniunt, inueniuntur quæſita, appetimus appetitione boni, ipsáque ſolicitudine felicitatis infeliciſſimi ſimus. Æquiuocatione cupiditas la-

botat petitura bonum integrum, bonum conſummatum, partialia, egena, ſimulata appetit, quibus non ſatiata, licèt adepta, reſtaurat appetitionem: ſed, dum ſuum, cui nata eſt, bonum non contingit, ſimili votorum confuſione premitur. Error iſte vexat nos, quòd velimus mutare res, non iudicia; cùm iſtud poſſimus, non illud. Eximuntur res iure noſtro. Opinionis ſolùm, rectáque rerum iudicia, noſtra dominatio eſt: cætera fortunæ. Adeò præſtò, & in medio eſt remedium miſeriæ, non, tollere, quæ putes mala; ſed, non putare, & ſuum rebus reſtituere honorem.

LEMMA IV.

Mala ab opinione potiùs veniunt, quàm è rebus.

Cap. 14. SEd & opinionis damnum iſtud eſt, ſe ipſam armat: nec damni cauſam noſcimus, vt popularibus ſeditionibus vſu venit. Sciitè Prudentius ait:

Turbatis ſenſibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat.

Lædit nos opinio; non, quia læſura creat, mala, inquam; ſed, quia ipſa nos lædit, ipſa eſt mala, ipſa malum. Non lædunt, quæ putamus lædere. Putare lædi eſt læſio noſtra: at putari, non eſt officium rerum, ſed opinionis. Nulla eſt miſeria, quæ non iudicetur. Quid eſt, quod hic eandem plagam credat patriam, alius exilium? ille lætus, hic infortunatus? Putari ſibi extraneam. Audis quaſſatam alienam nauem; audis alienam combuſtam domum; non commoueris: audis tuam; rumperis præ dolore: naufragium, incendium non incuſſit illum; ſed putare ad te pertinere. Si ignorares, maneres lætus. Diſce ab alienis caſibus, quomodo tuos feras. Nec putes ad te pertinere, niſi quod in te eſt. & tuo paret arbitrio, non fortunæ: nec aliter tuis rebus, quàm extraneis tangaris. Iſta omnia extranea ſunt. Sin minùs, non caſus te fauciabit, ſed tu, dum iudicas fauciari. Igitur iniuria opinionis, eſt omnis iniuria. Quid nos iniuria afficit, niſi putari affici? Noſmet ipſi proxima lædimus, ſed celata manu. Veriſſimè quidem Simplicius ait: Opinio, qua nos iniuria affici putamus, ipſa nos quaſi iniuria afficit. Cæterùm, iſtud prauum iudicium, opus noſtrum eſt. Tollamus, ſine hoſte erimus. Si innocentes nobis ſimus, nullus nocebit. Quiſque ſe ipſum lædit; & quia damnum verum ſibi ſponte parat, dum honeſtatem non colit; & virtutis normas non ſequitur. Culpa ſolùm, malum verum eſt: & quia in his, quæ falſam, iniuſtámque mali famam ſuſtinent, aduerſùs nos armamus, dum putamus inimica. Itaque & mala facimus, & fingimus: ſed & dum fingimus, facimus. Quæ calumniantium linguæ ineſt arcana vis, vt noſtrum cor premat, quaſſet animum audita? Ad immanes cæli minas, horriſona conſiſtimus tonitrua; cur ad inuidi concutimur clandeſtinam voculam, quæ vix clauſtra dentium rupit, & tundit pectus noſtrum, niſi quia opinio in ſubſidium venit? Aut vera calumniator pandit, aut falſa contorquet: ſi vera, cur pudet audire, quod feciſſe amauimus: ſi falſa, cur non delectat conſcientiæ innocentia. Ille ſolùm, qui mentitur, læditur, licèt non putet: alter ſolùm, quia putat.

Iniquiùs noſtro inſanimus iudicio, quàm vecordia. Thraſyllus Æxoneus, profectus in Pyræum, naues in album referebat proprium, quæ ſubducebantur, ſuas æſtimans: hac opinione, ſi quæ in portu ſaluæ venerant, immodica geſtiebat lætitia. Mox reſtitutus menti nunquam cumulatius gaudium hauſiſſe dicebat, quàm cùm vidiſſet naues non ſuas ſeruari. Nos, an ſani, neſcio; ſed, ſi ſani, inſaniores ſumus: triſtitia noſtra luimus alienum duntaxat damnum; & nos integros, tutóſque lugemus. Adeò ingenioſi malorum inuentores nobis ſumus, & periti fabri, & materia calamitatum. Quemadmodum nonnullis auditu, aut aſpectu aliquo intactis ſtupent dentes, ſic immunes trepidamus. Ipſa opinio pericula creat, aut eſt. Qui ex præaltis deſpiciunt ſpeculis, deficiunt viribus, vt collabantur nemine in præceps trudente, niſi cogitatione ſua. Nos quoque ipſa opinione periclitamur: illa ſæuiùs fauciat nos, quàm damna. Quidam effuſum humanum ſanguinem ſpectantes, nimio miſereſcendi affectu corruunt animo; cùm ipſi, qui vulnerati ſunt, ſui compotes maneant. Fuerunt, qui ſine fletu ſecari membra tulerunt: alij, qui ſolùm viderunt, nec cum ſpiritu. Fons itaque ægritudinum animi repertus parabile remedium faciet: nam & Medici actum de morbo putant, ſi cauſam norint. Correcta opinio ſoluit dolorem; innocens non admittit. Si poteſt deponi mæror, poterit non ſuſcipi. Valebit ſerena mens, quod turbata. Nonnunquam conſternatione aliò raptus animus, dum intercipit opinionis munia, euaſit ſenſum acerbum. Qui Pompeij cædi adfuêre, ſiccis aſpexêre oculis, donec Tyrum appulſi ibi afflictati ſunt, cùm ſecuri: interim metus hoſtilis claſſis, & ſolicitudo fugæ interceluſerat ad alia ſenſus. Dies quoque medetur dolori, cùm docti experimento ſumus, nullum tantum eſſe malum, vt ſuo ictu funditùs gaudium quaſſet, minuitur enim ſenſus aſper minori fide opinionis. Cap. 15.

PÆDEVSIS I.

Remedium opinionis eſt, cognoſci.

NOn leue aduerſùs hanc momentum putes, cognoſci: ſi tibi vbique renunties: Cap. 16.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Inuidus mordet, fama tacet, nummus deeſt, ſupellex perit, filius obit, vota fugiunt, diſcrimina pendent? Omnia iſta ſi te afflictura conueniant, fixo te ſiſte pede, & puta: Non iſta ſunt, quæ me lacerant mala; ſed opinio, qua iudico eſſe mala. Non poteſt ira eſſe. Non res; ſed cogitationes meæ peſſimè de me merentur. Horreo paupertatem, quia horridam puto; & dum puto, horrorem mihi incutio: at læta Aglao fuit, felix Tello, affectata Diogeni, quæſita Crateti, pertinax Demonaci, glorioſa Epaminondæ, ſtudioſa Horatio, iuſta Ariſtidi, ſecura cunctis. Conuitiis ſuccidor? Vnde percellor, niſi quòd putem? Verbum fuit, non fulmen; vox, non ſaxum. Stabilior animus, quàm corpus eſt: pudeat, ſtante corpore, ruere animum. Vnde penetrat vulnus? Illæſo thorace cor fauciatur; ergo telum, non

vicinum

Digitized by Google

vicinum modò, ſed domeſticum eſt; non de foris, ſed internè dirigitur; opinio propria perculit, non ſermo alienus. Quid inde ſi taceam, niſi quòd tacebit maledicus? Citiùs moleſtus ero illi ſilentio, quàm defenſus reſponſione. Quid inde mali, ſi patienter feram? Nec digitus, nec pilus deerit; in nullo artu dolor hærebit: ergo damnum ſolùm opinionis eſt. Phantaſia mea me pungit, non dens æmuli: ſi nolim ægrè ferre, ſanus ſum: adiiciam, vindicatus ſum: taciturnitate mea ſigillabo maledicum os: ſi vtrumque pandatur, turbo ingruit: vehementem ventum inter duas pervium feneſtras non continebis, niſi claudas alteram: è neutra iam perflabit. Noluit reſpondere Dion, & ſaluus fuit: noluit concertare Cato, nec ignobilis fuit. Inæqualibus vir probus armis à maledicentibus prouocatur: non tenetur. Facillimum eſt peſſimis malè audire, & maledicere, vtriuſque exercitio aſſuetis: at optimis maledicere, præter votum; malè audire, præter morem; illud non volent, iſtud non ſolent: & voluntas, & exercitium abeſt.

Cap. 17. Mortem formido? Non illa mala eſt; ſed eius opinio: ſi non putetur mala, tractabilis eſt: quæ miſeris eſt optabilis, ſalutaris erit felicibus. Deſinent illi mala pati, iſti agere. Quid calumnior? Malorum terminus bonus certè erit: aut nulla alia mala ſunt, aut nullum malum eſt mors. Cur ægrè ferimus finire, quæ ægrè ferimus durare? Res in ſe non ſunt implicatæ, noſtra ſibi repugnat æſtimatio. Quid? Mortem non metuo; ſed modum: ne violenta ſit. Certè qui nolens moritur, hic violenter moritur. Quid? Ne ignominioſa ſit. At, nulla turpis mors honeſtè viuenti. Quid? Ne ſubita ſit. Iam & morbus bonus videtur, cùm optetur: nam, ſi malus ſit ipſe, & mors mala. Cur, vtrumque volo, & altero non libenter fraudabor? Nulla morituro inopinata mors debet eſſe. Si omni hora expectetur, in quacumque non nimis citò veniet. Quid? Ne immatura ſit. Omni mortali natura mors eſt, fortaſſe & ſera: antè venire potuit. Vnam ſolùm intempeſtiuam ſemper fateor, ſed malorum: nam omnis opportuna bonis. Quòd citò nauigauerim, non dolerem: cur, quòd naufragium breue ſit? Nullam immaturam mortem dicat, qui poteſt ſemper mori. Subtilia iſta, dices: an & vera? Egregium Epicteti monitum: Quemadmodum ad quæſtiones & ſophiſmata nos exercemus: ita quotidie contra phantaſiam exerceri nos conuenit; ab illa proponuntur nobis quæſtiones. Tametſi tria tingendarum rerum pigmenta, opinionem, conſuetudinem, affectum Pyrrho cenſuerit, ebrioſius primum eſt, & cui poſtrema ſeruiunt, cum quo miſcentur.

Cap. 18. Propterea opinionis onera præcipuè alleuianda ſunt, & nullo meliùs, quàm ſui conſideratione. Quemadmodum, qui incubone, & graui inſomnio premuntur, angorem leuare interdum ſolent inter vana illa phantaſiæ pondera, commemoratione ſtatus ſui: Somnium, inquiũt iſtud eſt, non ita re contigit. Atque in ſe reflexa cogitatione, quòd ſomnient, licèt ſomniantes etiam, ſolatium aliquod anxietatis capiunt: ita, dum graue quid videmur pati, attento animo dicamus: Iſtud opinio eſt, non eſt malum; ſed imaginatio mali. Sic eliduntur triſtitiæ noſtræ inutiles, grauiſſimi vigilantium incubones, &

portenta cordis ſævientis:

alioqui leuia & vana conſtringent nos, & exprimemt per ora languorem. Si vaſculum caſu concidicur, præ iracundia mente concidimus; quid fragilius teſta, aut vitro? Cur ob id fracto es animo? Quomodo non es conſiſtentior luto, in quo omnia tela fortunæ debent infringi? Quid frendes, minaris, iraſceris? Cape Epicteti præceptum: Memento ex his eſſe, quæ ita fiunt: memento teſtam ex his eſſe, quæ franguntur. Minuta & leuiſſima ſauciant opinione grauiter; præſertim ſi iræ ſuffumigetur flammis: at ratione ſola luitur. In exemplum narrabo, quod accidit diſertiſſimo Galeno, etiam animorum eximio Medico. Is comitem itineris Roma rediens habuit Gortynenſem ciuem, pluribus quidem rebus nõ contemnendum, ſimplicem virum moribus, officioſum amicis, frugi ſecum, liberalem ad ſumptus; ſed cuius omnes iſtas dotes corrumpebat præcipiti phantaſia furor. Cùm iam eſſent Corinthi omnia, quæ vir iſte ſupellectilia ſecum vehebat, vnà cum ipſis ſeruis nam tradidit vehenda à Cenchris Athenas vſque: ipſe mercede conducto vehiculo terreſtre iter Megaris inſtituit. Cùm iam Thriaſium attingerent, ſeruos, quos habebat ſecum, rogauit de quadam ſupellectili: illis caſu abfuit. Quid reſponderent, immemores, vbi eam ſeruaſſent; inter plura non facile erat meminiſſe. Talem huius ignorantiæ opinionem admiſit ille, vt furore percitus, vbi nihil aliud habuit, quo adoleſcentulos cæderet, gladium vnà cum ipſa vagina arreptum in caput binis ictibus mortalibus infligeret. Quid offendit illum? Serui? Minimè: innocentes erant: fuerant & diligentes. Ergo opinio læſit: hæc iniuriam illi fecit: ſerui officium præſtiterant. Agnouit mox ipſe: nam, vbi ad fluorem ſanguinis è vulneribus aduertiſſet animum, Galeno, & ſociis relictis, illicò pedibus iter ingreſſus eſt, ne ipſo præſente expiraſſent: minùs cenſuit ſe dignum vita, qui minùs in poteſtate ſua fuerat, pro iracundiæ ritu & errore expetituræ ab alio pœnas à ſe priùs exigentis. Sed, cùm occurriſſent ſocij, facti pœnitens, Galenum manu arreptum Megara introduxit in domum quamdam: deinde lorum porrigens, cùm ſe ipſum exuiſſet, iubet verberare pro iis, quæ furore nefario patrauerat: ſeruiliter corripi voluit, cùm iuris ſui non fuiſſet. Galenus in riſum fluxit: ille ad genua vrgebat precatus, ne aliter faceret. Tantò maiori riſu Medicus commouetur, quantò illum diutiùs pertinacem ad ſui ſupplicium videbat. Poſtquàm ſatis diu certatum vtrinque eſt, recepit ſe Galenus, facturum quod poſtulabat, illaturúmque verbera, ſi ipſe quoque valdè exiguum quiddam, quod Galenus peteret, viciſſim præſtaret: admiſit. Tum doctus Medicus etiam curandos animos, quos non verbera, ſed ſana verba ſanant, rogauit hominem, vt ſibi ſermonem quemdam recenſenti accommodaret aures; hoc eſſe, quod poſtulabat. Paruit: mox prolixo Galenus & ſalutari ſermone expoſuit, non verberibus, ſed ratione medicandum eſſe. Ille ſibi prouidens adhortatione Medici nunquam ſolutariùs, longè poſthac ſe ipſo melior effectus fuit, correcta opinionis iniuria. Vnicum morum remedium, ratio eſt. Noui & ipſe biduo abſti-

abſtinentem cibo omni, & luce fœminam, ſolùm tenebris & lacrymis incumbentem, ob interitum catuli: pari caligine corpus damnauit mens cæca: caruit ratione recta, efficaci opinionis pharmaco.

Cap. 19. At, cui non ſuppetat rationis fides, ſufficit opinionis mala fides: meminerit eſſe peſſimum peruigilij inſomnium. Malè audiebat Pyrrhoni opinio: nihil putabat malum, niſi quod putaret. Noluit putare, & ad conſtantiæ miraculum, aduſtionem, ſectionémque vlcerum adhuc ſine oris contractione tulit: adeò ſecurum eſt, non putari mala, vt vel ſi fallamur, & ſint mala, non erit malum. Quomodo, qui nihil malum putat, formidare poteſt? Certè ſi triſtari poterit, non timere: maiorem portionem miſeriæ ſaltem præcidit. Plùs vexamur timoribus, quàm malis. Solent quidam, ventris mancipia, ita auidè percupere ganeata cibaria, vt ſaliuam ſuam ſimili ſapore inficiant adhuc ieiuni. Pueri quandoque potionem hauſturi amaram præſentiunt acerbitatem, formidine humorem inquinante linguæ. Itaque non cibus, non potio mulcebat, non acerbabat; ſed opinio. Iuuat exiſtimationem malorum deponere: licèt ſint, minùs triſtabimur; nihilo iſta fraude fraudabimur, niſi curis.

PÆDEVSIS II.

Salutaris vſus opinionis, & intellectus.

Cap. 20. LVbet adiicere vſum opinatiuæ facultatis, abuſu ſuo iam refutato. Eadem & virus noſtræ hilaritatis, eadem antidotum mœroris poteſt fieri: nocet, ſed valet mederi: ex ipſo ſcorpio medicamentum ſui morſus premitur: peritia in hoc eſt, non tantùm innocuas res facere, ſed feliciter peruertere, vt ſalutares faciamus. Eadem vis, ſi dirigitur, iuuat; ſi flectitur, nocet. Domiturus equum non macerat impetus, ſed erudit, & ipſam laſciuientis pulli indolem ad elegantiam inſtituit: ita rerum apprehenſio, quamuis, cùm fallax eſt, peſtis gaudij ſit, habet ſuos rectos vſus: ad animi pacem educari poteſt. Ex calūnia iſta malè apud Philoſophos audiuit opinio, ſuis inuentis miſeriam noſtræ conditionis augeri. At & ipſa crementa lætitiæ, ſubſidia fortunæ poteſt reparare. Bifariam rerum claſſes digeſſimus: aliæ mutabiles, quæ noſtro arbitrio non pareant: aliæ immutabiles, & quæ in manu noſtra ſint. Ad illas æqualibus ſuſpendimus momentis animum, & ſub neutro cohibuimus voluntatem impetu: ſiue odio, ſiue amore periclitatur; mutabilia ſunt, & extra cordis ius; nec prehendere illas, nec ablegare ſatis poſſumus. Quare aut ereptis, quæ in voto erant; aut adiunctis, quæ in faſtidio; angor indubitatus venit. Deeſt, quod cupimus; adeſt, quod odimus. Hæc ſunt omnia elementa mœroris. At, quia confligere cum rebus nudis & aridis, vt ſic dixerim, harum ſemper eximendo formidinem, illarum extinguendo cupidinem, poſſibile, ſed difficile eſt, fauebit propitia aliqua opinio, quæ commoda ſpecie purpuret, aut cruentet illas, &, prout opus fuerit, pingat, vel ad metus, vel illecebras. Etenim dolorem ſiccum nuda frontis ſuæ auſteritate, & intento reſpectu, qua dolor eſt, & ſauciat, appetere ægrum eſt: at, ſi ratio mitiget, & non ad vultum illius horridum dumtaxat reſpectet, ſed circumſpiciat vndique, iam cicur, & tractabilis erit, ſi ratio dictet iſta. Quid ſenſum committis? Excipe dolorem animo, nullum in hunc ius labor vindicat: nullus dolor maior patientia eſt: omnis minor eſt gloria: ſi breuis, virtus longæua eſt: ſi longus, gloria æterna eſt. Leuis eſt patientia volentis, & gloria patientis non leuis: vtrâque ferendus eſt, & exiguus dolor propter patientiam, & grauis propter gloriam. Quid, ſi inſtrumentum iſtud ſit bonorum? Quid, ſi aſylum ſæuioris fortunæ: Quid? homo es, non Deus, Damnum doloris penſet iſtud bonum, meminiſſe tui: gaudeas te noſſe. Quid malum adhuc putas? A Deo nullum malum eſt. Deus voluit. Anne minoris eſt voluntas Dei, quàm ſenſus tuus? Quid? Hactenus contumax perſiſtis? Iraſcere, indulge affectui, funde bilem, ſi tollere dolorem poteſt: ſi proficis, impatiens eſto. At nullum extenuat impatientia malum, impinguat omne. Gemis: ſed non frendeas. Fers ægrè tantum dolorem: ergo velles minorem. Sed neceſſe eſt, feras non ægrè: quia, ſi nolis, magnum facis. Patientiâ ſolùm minor redditur. His, aut ſimilibus miteſcet opinio rei acerbæ.

Itaque non licet calumniari imbecillitatem humanam, quòd ſua adæquare vota nequeat, neque pateant res cupidini: tantumdem enim arbitrio cadit: nequeunt percellere nos, niſi apprehendātur, & renunciet imaginatio, aut pacificas, aut hoſtiles. Hoc de noſtris eſt. Ita eſt propitiè nobiſcum actum, quandoquidem ſub noſtra manu non veniant res, quòd earum facies veniat, qua vel terrent, vel pelliciunt. Nihil noſtrum in rebus eſt, niſi iudicium; & ſatis hoc eſt, non minùs ac ſi ipſæ: vt dimittere, aut admittere acerbas, vel ſuaues pro libidine ſit. Æquè cōpendioſum eſt gaudij artificium, ſub noſtram recidit artem: vt libet informare res, licet. Non tutior eſſes inter ſcorpios, dipſadas, ſepedones, natricos dryinos, viperas, ſi ad te accedere non poſſent, quàm, ſi accedētes ſuum peſtilenti morſu tranſmittere nequirent virus. Æquè incolumis maneres, ſi tuo arbitrio fuiſſet motus venenātium, aut venenum: ſine iſto innocentia ſunt. Quid refert extra ius noſtrum res eſſe, ſi earum acies iuris noſtri eſt? Opinione noſtra, aut inſtruimus, aut ſpoliamus. Virus, aut ſalubritas, & ſapor rerum iudicio noſtro funditur. Arma iam concedimus, iam tollimus: at exermem militem vel timidus non pauebit. Edentulus aper eſt innocens, mancus vrſus, ludicrus; cæcus baſiliſcus, ſanus: in nullum eſt malum ſine opinione noſtra, quæ, vt ſcit mala deformare, nouit & bona comere. Hac parte iuuandi ſumus: huc illa flectenda eſt. Si iſtum teneamus ſenſum, admittere partim iam liceat duas Epicteti anſulas: vna alleuiat correptas res: altera grauat. Nequit fortunæ ingenium ita reres, aut bonum, aut malum achitectari, quin opinio noſtra neſciat offendere demiſſum aliquid, aut eminens: hinc læuigatum, inde exaſperatum. Quod iſto reſpectu vmbra mali ſubnigreſcit, illo radiat boni ſpecie: ſi rectà contemplemur, frons pulchra patebit. Artificioſum quoddam genus picturarum pro reſpectibus figuras variat: ſi oblique obtueatis, arietem iſtinc videbis, aut aſellum: ſi aliunde, leonem, Cap. 21.

Digitized by Google

leonem, aut bouem; ſi rectà, elegantem faciem. Non aliter colores mutant res: aut luridæ dantur, aut feſtiuæ. Eadem contemplabatur Heraclitus, quæ Democritus; ſed è diuerſo ſitu: illius excitarunt fletus, huius cachinnos. Idem metallum neglexit Curius, dilexit Craſſus. Sub binis omnia formis ſpectare licet, torua & eleganti.

Cap.22. Quin, ipſius formæ elegantiam turpi latere, & contemptibili poteſt videri ſpecie, (vt iſtud quoque ad exemplum ſit,) ſi ea intuearis parte, qua temporis ſoror eſt, qua animi extranea. Quid lætaris re omnium fragillima? Ipſo delicatior vitro forma eſt: iſtud ſine ictu non perit; illa ſine vulnere cadit: non eſt opus, vt pereat, niſi quòd exiſtat: durando interit: dum ſeruatur, perditur: res omnium fugaciſſima: non eſt ſtabilior tempore; cum ipſo fugit. Non eſt opus, quòd atterreat hoſtis; ſi contines tempus, aude ſiſtere ſpeciem. Diffluit ſubſtantia noſtra, accidénſne ſtabit? Vis ſcire, quid ſit? Expecta, ſcies, quòd non ſit. Quid amas, quod, vt vota tua feliciter cadant, periturum eſt? Amas formam, ſed non odiſti vitam: ſenio forma perit, antè ſenium morbo. Non eſt pretioſa ſpecies, nec valetudo, niſi cum animo ſpecioſo & vegeto. Sunt venena, quæ admiſtione alieni ſucci ſalutaria fiunt: nunquam periculoſior mens ægra, quàm in corpore ſano.

Cap.23. Ambiguæ itaque res ſunt ad contemplationem noſtram: ſed anſula ſalutari comprehendi oportet. Viſus eſt Androcidas ineptus miles, quòd claudus deſcenderet in aciem, & proptereà increpatus: alio tamen latere ille ſumpſit, & ſuum tutatus eſt conſilium, & ad gloriam torſit dicterium: Pugnare, inquit, non fugere, mihi propoſitum eſt. Theramenes, opinor, ſiue alius alitus Lacedæmone animus, innocenti capulo prehendit fatum; lætus, ridénſque damnationem mortis excepit; riſúmque torquenti maleuolo ad legum; Lycurgíque contemptionem, Ego (reſpondit) gratiam habeo illi, qui ea me plectit mulcta, quæ ſine mutuatione & verſura poteſt ſolui. Scilicet, ſana iſta anſula leuis fuit: grauiſſima leuibus animis mors, & mala malis. Lacones, ſiue trecenti, ſiue ſexcenti fuiſſent, qui aliis ex omni Græcia effugientibus Xerxem relicti ſunt, ſuam quoque ſatis honorare fugam poſſent. Non erat ſpes victoriæ, ſed ſepulcri: non tam expectabatur vinci, ſed obrui: ſatis gloriæ fuit, quòd tardarent. Nimiùm fecerunt, quòd dubitarint; nec pudor erat non ſperare vincere, à quo rerum natura victa, maria, montes. Aliud eſt præliari; aliud deſperare. Maxima potiùs ignominia, ſi illos primos Græcorum vinceret Barbarus ſine teſte virtutis; hoſtium dumtaxat arbitrio commiſſa fama: ſed glorioſiùs altero arripiebatur mors latere. Vnde tremor? Saxa commilitones erant: anguſtæ Thermopylæ laxent animos: natus erat locus paucis: non numeretur Lacon, ſed æſtimetur. Sparta muros non habet, nunc habet: ierunt, non fugerunt ſocij: ſuperflui viſi ſunt: non reliquêre Spartanos, ſed elegerunt. Licet dicere: Hic meus eſt dies. Non iam defendatur Græcia, ſed pudor. Aliis non fuiſſet dedecus fugere: Laconicæ infamiæ deliberaſſe eſt ſatis. Si victoria in-

certa eſt, gloria eſt certa: ad certam victoriam Athenienſes veniſſent. Lacones ad certam mortem ſtare ſolent. Quid? Fugerint ſocij? Nec ſequendi ſunt, nec reuocandi. Cur iſtud primum in Athenienſibus Spartæ probabunt? Aliud imitari licet, non fugam. Montes mutauit Xerxes: diſcat eſſe, quod vincere poſſit potiùs, quàm mutare. Offendat Barbarus aliquod difficile, ferire Laconem. Proh pudor! inter hoſtes fugere, inter fugientes tardare! Qui vicerunt ſtando Græcos, vincent vel cadendo barbaros. Paucis maior gloria vincere erit; minor iactura vinci; nullus pudor. Hiſne ſatis præponderans opinio verget? Archius, Triarius, Porcius, Cæſtius habuerunt, vbi ſe funderent.

Cap.24. At, ſi quocumque flectere opinionem licet in naturæ fauore, in virtutis experimento; cur non in fortunæ iracundia, & ea parte arripere, qua non vrit? Pauper ſis: non reſpectes diuitias, vt inſtrumenta voluptatis; ſed, vt tormenta virtutis, diſcrimina ſaltem. Euge, liberalior virtus eſt, quàm fortuna: non dat repetitura; non negat neceſſaria. Solùm non dat; quod datum nocebit, quod ademptum proderit: ſolùm eripit, quod relictum lædit. Quid intereſt, exuat caſus? conſilium, & virtus induet. O inepte, remedium paupertatis præſentiſſimum habes, non deſiderare. Tantumdem eſt, habere, & non cupere. Quid ægrè fers paupertatem? A te pete, quod deeſt: locupletiſſimus eris. Dabis tibi, quæcumque nolis. Ille diues ſolùm eſt, qui à ſe mutuum accepit: iſte ſolùm nunquam eget. Victu ſplendido cares? Ne putes guſtum, ſed naturam: illi nihil, huic parum ſatis eſt. Satur non eris: ſed eris ſanus fortaſſe, & bonus. Exiguo in victu exigua eſt voluptas, id eſt, malitia. Gaude neceſſitate virtutis: ſponte non feciſti, quod debes: poſt iſtud quid melius, quàm facere coactè? Si anguſtus non eſt cibus, laxa erit gula, capiet omnia vitia. Quid? Delicias quæris? Ipſe Epicurus in oleribus & abſtinentia voluptates ſuas poſuit. Repulſam pateris? Ne iacturam voti intuearis, ſed periculi. Tuta mediocritas eſt. Nulla tibi iniuria, ſed ambitioni tuæ: huic ipſe prior iniuriam facturus eras. Imitanda eſt ars naturæ; ea parte adhærere, qua conuenit. Hoc aſtu æmula inter ſe compagine pacificus conſtat orbis: ignis aërem fere in dimidio ſui aduerſatur, aër aquam, aqua terram: ſed eo cohærent latere, quo amicant. Ignis ſiccitate lætatur, aër humiditate ſumma: anne proptereà horrent, & diſcedunt? Minimè. Callent manus pacificas nectere: aliunde quærunt ſe amplecti, & communi ligantur nexu, caliditate. Aqua quoque, & aër frigore & calore ſe hoſtiliter fugarent; amica tamen vtrique humiditate ſe oſculantur. Terra pariter contempta ariditate, init cum humore fœdera, quà frigeſcunt: ita inter hoſtiles impetus amor eſt. Nos tamen pigro iudicio res arripimus: contraria anſa prehendimus, qua nos vrunt, qua aduerſiſſimæ ſunt.

Digitized by Google

PRÆCEPTA TOPICA in vſu opinionis.

LOCVS I.

Ex comparatione fortunæ.

Cap. 25. ATqui, vt poſſis te ſolerter fallere ſalutari opinionis vſu, aliqua memoranda ſunt præcepta. Primum ſit comparatio fortunæ. Sapienter Barbarus ſapiens ait: Non eſt malum, quod cum alio comparatum bonum eſt. Amiſiſti bona? cur propterea triſtaris? Alij caruerunt: læti viuunt. Quin ipſe nondum adeptus illa, nouiſti, quid ſit ridere. Reuocatus es in ſtatum capacem gaudij, expertus fuiſti, riſiſti. Quid modò mœres? Habes minùs, quàm ſperabas: ſed non quàm eges: quid mirum, maneas citra ſpem, ſi ſupra ſpem ambis? Sperasti plùs, quàm debebas: iuſtè habes minùs, quàm ſperabas. Fateor, amiſiſſe aliqua: ſed retines alia. Cur obliuiſceris omnium? Scito manſiſſe plura. Non omnia perdidit fortuna, ſed tu, cùm non memineris. Puerorum more excandes, quibus cùm vna nux eripitur, præ iracundia excutiunt è manu omnes; dum aliquid negatur, omnia nolunt. Inuidè tua reſpicis, cùm inuiſa cuncta habeas ob rem vnicam, quæ abeſt. Abſtulit aliquid fortuna? ignoſce; quia plura dedit; & ipſum, quod abſtulit, meruit à te alicuius rei patientiam. Fortaſſe, & poſteà emendauit hanc iniuriam, & anteà redemit. Plus eſt, quo te delectes præſentibus, quàm ereptis. Pauca abſtulit ſors, pepercit pluribus: plus dimiſit, quàm rapuit. Diffunde mentem per reſtantia, ne putes infortunium, potuiſſe plus habere. Compenſat gaudium poſſeſſorum, ſenſum amiſſorum. Ne reſpectes ablata, ſed relicta. Cur miſerum te putas, qui ſi conferas te cum miſeris, felix eris? Gratificare potiùs, quòd habuiſti plura, quòd pauciora habere poſſes, quòd adhuc habes: plura, ſcilicet, quàm alij habent; imò quàm opus habes, & quàm habere es dignus. Ariſtippus opulentum prædium amiſit, anne propterea doluit? imò lætus ſolatus eſt dolentes. Amico, ſiue adulatori, qui ægriùs tulerat, niſi finxiſſet, iacturam alienam, Nónne, dixit, tu prædiolum vnum habes; mihi tres reſtant fundi? Cur non doleam potiùs tuam ſortem? Sapienter duplici collatione pharmacum temperauit fortunæ: reſpexit, quæ habuit ipſe: quæ non habuit alter.

Cap. 26. Quid? adhuc putas perdidiſſe multa? Compenſa lancem timoris: ſi multa amiſiſti, pauciora, & pro paucioribus metues. Cur te putas miſerum, quòd perdidiſti, cùm te beatum poſſis facere, ſi non deſideres? Iniuſtus es, ſi ius ſuum repetendi mutuanti integrum non ſeruas, ſi non permittis ſuum arbitrium. Ne damni loco habeas reſtituiſſe, ſed lucri accepiſſe. Memento diu habuiſſe, non diutiùs poſſe habere. In iſta autem conferendæ fortunæ induſtria cauendum eſt, ne attollas oculos, ne ſurſum lumina iactes: per inferiores cliuos dimitte, & dilata obtutum. Nulla quantumuis magna fortuna, ſe contenta eſt, ſi maiorem, aut æqualem videat. Nulla tam tenuis, quam non magnificet minor, quam non ſoletur triſtior. Hoc intereſt inter iſta corporis, & nudia bona temporis mancipia, atque inter bona animi & virtutis: in illis reſpiciendi ſunt, qui minùs habent; in his, qui plùs. Cuius ſi deſideres cauſam, iſta eſt. Temporalia contemnenda ſunt, æterna exoptanda: reſpectus enim minoris felicitatis ſolatur, & mitigat auidam cupidinem. Aſpectus maioris virtutis prouocat & incendit animum, diſpiciens inde, quantùm tibi ſuperfluat fortunæ, quantùm deſit virtutis. Iuuat prætereà diſparium comparatio, fortunæ, inquam, cum virtute: vt iſtius gloria leniat illius vulnus. Agidem tantoperè animauit contemplatio virtutis, & innocentiæ bonum, vt vltrò prouocaret fortunam, imò fata: ipſe lictorem plorantem, trepidum, anxiúmque ſolatus eſt: erexit ad opus; quia ſuam fortunam cum virtute contulit. Sic, inquit, iniuſtè, & contra leges moriens, longè melior ſum, quàm qui nuper morte damnarunt. Hæc inquiens, vltrò exhibuit collum innectendum laqueo pro gloriæ ſuæ torque.

LOCVS II.

Ex contingentia.

ALiud corrigendæ opinionis pharmacum dabit contingentia, rerúmque anceps caſus. Pretioſam ſupellectilem magni habuiſti, aut vnicum vnionem, aliúdve inuidiæ pignus, auaritiæ prædam? amiſiſti? hac tecum ratione, ne dicam, ſolare, lætare: Perdidi ſupellectilem: ſed incolumis ſum. Mea ſalute gaudeo. Multos perdidit auaritia, non dumtaxat propria, aliena etiam: vtriuſque diſcrimen euaſi. Multi à furibus occiſi, à ſeruis interempti: culpa fuit, diuites fuiſſe: ablata illis vita, vt auferrentur nummi. Anne ipſe priuilegium impetraui ab inuidia, ab auaritia, inexorabilibus tyrannis? Quod alicui, omnibus contingens eſt: quod omnibus, mihi. Ergo, ſi ob iſta fortunæ crepundia occidendus forem, libenter ſic tranſigerem diſcrimen: perderem omnia, ne perirem. Dedêre viatores crumenas latroni, nauigantes merces Oceano, vt ſe redimerent. Minùs ipſe dedi, & ſaluus ſum. Me, & mea amiſſurus, vt me ſeruarem, lætus concederem mea: gratularer mihi, gratiam aliis haberem. Quid mihi ad iſtam lætitiam nunc deeſt? Supereſt potiùs. Haurio iſtum ſpiritum: iacto hos artus: viuere me ſentio: melior nunc mea conditio: cur triſtiorem faciam? Cum vita ſum, & nulli gratias debeo: neminem rogaui, anceps non fui, non formidaui. Cap. 27.

Honore publico depoſitus es, & procuratione exauctoratus? Neque iſtud graue putes. Anne, ſi procederes, iurabis, nulla fore contrahenda odia? nunquam ob iniuſtam functionem, aut inuidorum calumniam, eò venturum, ne cum munere opes, honorem, amicos, appendices fortunæ, vitamque poneres? Si præſcius quis huius tuæ fortunæ ſæuituræ, ne tanta calamitas te obrueret, pecuniis & ſolicitudine res ſolerter prouidiſſet, vt honeſto titulo deponereris, quo præoccupares infelicem ſortem, gratus illi fuiſſes, etiam ſine munere tuo. Quid modò iraſceris? Habes, quod tunc optares, opes, honorem, amicos, vitam; inſuper, quæ amico fido pro gra- Cap. 28.

tia

Digitized by Google

tia largiturus eras. Gaude potiùs. Inſida fortuna tibi fidelis fuit, & liberalis: gratis abſtulit damnum: debebas aliquid ſoluere, vt auferret. Ægrotas? dolor pungit? ánne & iſtud ſine ſolatio? Fortaſſe & cum lætitia. Minus malum iam aliquod bonum eſt. Nemo non gaudebit bono ſuo. Forſitan dum langues, magnum aliquod facinus fortunæ eludes. Robore, valetudinéque ſi firmus eſſes, interim aut iracundia tua, aut petulantia aliena in foro prouocatus offendiſſes illum, qui tuo iugulo repararet iniuriam ſuam. Nónne malles fuiſſe in lecto, quàm in feretro? Quo pretio illum emeres languorem, redemptorem tuum? Nummos, an artus ipſos dares? Si opus fuiſſet, oculos: dexteram extenderes ſecandam. Non adæquantur membra vitæ:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum ſuperes, benè eſt.
Hanc mihi, vel acuta
Si ſedeam cruce, ſuſtine.

Quid mœres? Vitam modò habes, mox valetudinem, inſuper ſanam dexteram. Numera artus tuos, nullus abeſt.

LOCVS III.

Ex reſpectu finis.

Cap. 29. SIt etiam caput dirigendæ opinionis, rerum capita, vultúſque reſpicere: fines ſuos dico. Vix vnquam ita ſe pandunt res, quàm in exitu. Viſa eſt Moyſi virga manui ſuæ ſocialis, qua ſe iuuabat, horridus ſerpens: atterruit illum, fugauit, donec cauda extrema apprehenſa, reddita ſtatim eſt, quod fuerat, virga, inquam. Plura, quæ ad ſubſidium noſtrum ſunt, timemus, fugimúſque alienis formis terribilia, & virulenta viſa: alia ſalubria apparent, quæ venenata. Ne iſtam priorem obtueamur faciem; ſed finibus prehendamus ſuis: tunc quod ſunt, videbuntur. Finis rerum, caput eſt. Vtique: nam notificat. Capite, & ore quemque dignoſcimus, non tergore, non occipite. Audimus ſæpè, omnia iſta bona tempori cedentia, diuitias, voluptates, honores, nihil eſſe. Vnde iſta notitia? Ab exitu, in nihilum faceſſunt: inde nihil eſſe dicimus, & diſcimus: nihil, inquam, boni & neceſſarij: nam ſæpè aliquid, aut plurimùm mali ſunt. Scorpium venenantem non timebimus ex adulanti ore; ſed à præpoſtero morſu. Qui virus voluptatis velit noſcere, extrema reſpectet: initio palpat; exitus, exitium eſt: fine ſuo pungit ſcorpione perfidior. Prudenter itaque Phalaris ſcribit: Sapientis viri officium eſt, ante verba, rem ipſam, ante rem, diligentiùs quoque exitum conſiderare. Exitum voluptatum conſidera, pœnitentiam, aut præcipitium. Quid? Exitum conſidera omnium, ſecundam mundi ianuam, mortem. Audi, & hauri Samium monitum?

Ne imprudenter teipſum habere circa aliquid aſſueſcas: ſed cognoſce, quòd mori, fato conſtitutum eſt omnibus.

Μὴ δ' ἀλογίστως σαυτὸν ἔχειν περὶ μηδὲν ἔθιζε.
Ἀ'λλὰ γνῶθι μὲν, ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι.

Iam ex iſta rerum clauſula panditur veritas. Omnia nihil putabis; etſi æterna forent, præter te: te vno perituro, omnia tecum tibi peribunt, etiam non pereuntia, nec peritura. Iuuat vltra fines rerum, etiam reliquias ſuas, & veluti cineres proſpicere. Quid poſt diariam voluptatem reſtat? Longa pœnitudo. Quid poſt laborem honeſtatis? Lætitia æterna, gratulatio, laus: iſtæ ſunt reliquiæ virtutis. Anne ſanæ mentis erit, commutare longam, vitalémque voluptatem virtutis pro breui cupiditatis, & dolore æterno?

LOCVS IV.

Ex comparatione temporum.

IVuat, vt tranſilias damna rerum, quòd ipſas iudicio tranſcendas. Quid erit, poſtquàm fuerint? Trans voluptatem te iace, & ſaltu ſupera. Qui cœnoſum riuum offendit, ſi tranſiliat, non ſe inquinabit. Cogita frigida iſta delectamenta prætergreſſa, quid tunc erit? Non optabis futura, contemnes præſentia. Quid tranſacta voluptate retinebis? Nihil. Mentior: imò multùm; ſed pœnitudinis, ſed faſtidij, certè ſi non ipſius voluptatis, tui ipſius. Quantùm ad oblectamentum, cùm vltrà ſumus, omnes æquales erimus, & qui fruiti, & qui priuati voluptate: quantùm ad peſſimas, quas habet, reliquias, deterior conditio affligit gauiſos. Age, nolis: ſed acceptam habeas iucunditatem felleo ſubſidentem ſitu. Æſtima te iam fruitum. Idem habebis fruiturus, atque cariturus: niſi quòd id minùs, ſi careas, morſum cordis, pœnitentiam; ſi fruaris, ſecuritatem, virtutem. Compenſa guſtum illum peregrinantem pro conſtantia vitæ huius, pro æternitate futuræ, pro guſtu conſcientiæ manſuro. Cap. 30.

In his quoque, quæ cortice exaſperata ſunt triſti, luguorique, quotquot ſiniſtra manu ſors gubernat, transfer te poſt menſem, aut annum: cogita iam te oblitum tui vulneris, & reconciliatum fortunæ; perinde iam læraturum, ac ſi nihil accidiſſet aduerſi. Præripe modò, quod poſteà habiturus es. Tempus medetur dolori. Nónne iſtud opinionis argumentum eſt, illâ potiùs, quàm dolore dolere? Quod poteſt labilis dies, poterit ſtabilis mens, corrigere opinionem, extinguere ſenſum. Puluillus perinde contempſit recens nuntium defuncti filij, ac ſi iam multos annos reſciſſet, ſine gemitu non interrumpente precationem. Solennia pontificalis carminis verba concepit, diſſimulans audire, quaſi iam ſciſſet; aut ſæpiſſimè, & cum faſtidio audiiſſet. Solùm id, quod ad præſentem curam videbatur ſpectare, neglectim & perfunctoriè prouidit. Hoc tantùm dixit: Cadauer igitur, quò vultis, proiicite. Æſtimauit filium non immortalem; nec conſiſtentius quid, quàm teſtam, qua conſciſſa, fragmenta nihil curantur; eruto nucleo, putamina proiiciuntur. Ita ſine nucleo, hominis mente, corticem cadaueris neglexit. Cap. 31.

LOCVS V.

Ab exemplo.

NEc leue adminiculum præſtabit commemoratio exemplorum. Non ad ineptum peſſimorum ſolatium, qui ſocietate condolen- Cap. 32.

tium recreantur; & dum plures miſeros vident, beatiores ſibi crudeliſſimè videntur: ſed, vt pudeat ægrè ferre, quod multi moderatè & tranquillè; nonnulli lætè tulerunt; alij cupidè, & cum diligentia ſupra patientiam. Compoſuit Python Rheginus mortem cum gloria virtutis, & animosè prouocauit conciues, ne, vt parcerent ſibi, parcerent hoſti. Alligatus à Dionyſio machinæ, quam pro expugnando Rhegio parauerat, muriſque admotus, vt machinæ, in qua ciuis de patria benemeritus erat, parceretur, exclamat Python, vt tela illuc contorquerent: ſe enim ſignum libertatis eſſe. Vnus fuit, cui damna precaria fuerunt; qui periculum flagitauit. Moneamur prætereà conditionem noſtram. Cogitatio humanitatis onera ſua magnoperè leuat. Non Dij ſumus; ſed mortales. Quæque dolemus, appendices mortalitatis ſunt.

LOCVS VI.

Ex prouidentiæ ratione.

Cap. 33. CÆterùm in plurimis, fatorum conſideratio Demetrium impulit, pluréſque antiquorum ad malorum opinionem ponendam, aut portandam; ſcilicet, neceſſitatis lex coëgit ad patientiam. Nobis validius adiumentum eſt opinionis leniendæ, non neceſſitas, ſed voluntas; diuina, inquam. Quid acidum putare poſſumus, quod illa propinat? quid malum, quod illa conſecrat? Non trahimur fatis, ducit nos Deus. Quò? Ad ſe. Quà? Ne iſtud roges: nam nec aurigam ad vnam vrgemus orbitam; nec nauclerum ad vnam periodum. Qualibet vehant, dum, quò volumus, veniamus. Ipſorum munus eſt noſſe itinera. Cur Deo præſcribimus leges viæ, quas auriga non patitur? Quid quereris? Salebroſa ducit ſemita? Compendioſa eſt, ſecuráque: imò iam ſalebris carebit; ſi putes vectorem Deum, ſi tutum iter. Cum Deo pugnare vis, ſi reſiſtis. Iſtud prouidentiæ ſolatium, magnorum animorum eſt, & maiori otio diſſertandum.

PÆDEVSIS III.

Diſtractio ipſius opinionis.

Cap. 34. HIs opinionis ſalutaris induſtriis obmuteſcet voluntas noſtra, quantumuis procax fuerit: etenim placabilis indolis eſt; ignauia ſolùm diſciplinæ ferocit. Iam non vociferabitur vel ſpecie boni, quamlibet ratio obiiciat, aut ſubſtituat. Puerili itaque modo fallenda eſt. Cùm puer mixta ſingultibus balbutie cultellum poſcit, mater negat, & ſemouet, ne ſe vulneret filius: augentíque puero fletus, ſubſtituit pomum, aut nuces, quibus ille iam conticet lætus. Ita cupiditati noſtræ aciem fortunæ poſtulanti, aliam boni innocentiorem faciem ſufficere oportet, qua quieſcet. Quia tamen non porrigitur per ſuperficiem hic vultus; nam profunda res eſt veritas, (nec enim omninò falſus eſt Democritus;) fodiat mens, donec luceat ſuum aurum. Effodiunt auari theſauros, donec aliquid reperiant: in iſto laboremus, donec nihil. Ditiſſimus animus eſt, qui hoc inuenit, omnia quæ vulgus quærit, exaggerat, nihil eſſe. Sciamus vti libertate noſtra: ſciamus gubernare intellectum, pretioſiſſimum tranquillitatis organum, hinc inde congeramus rationes, donec peſſimam commutemus opinionem; ſin minùs ponamus, & diſtrahamus; nec, quæ cogitamus mala, cogitemus. Memoria rei grauis etiam grauis eſt. Nocentiores regulo ſunt res, & inhumaniores, quæ non ſuo, ſed noſtro nos ſæpè perdunt reſpectu: nec corpus iſtud futile ſauciant; ſed mentem. Peſſimè de nobis meremur, cùm iis, quæ nos triſtant, hæremus; nec audemus transferre ad alia mentem: & ſi fortè aliquando rapta aliò fuit, noſtris malis ſtatim reſtituimus; non aliter atque infantes, qui cupientes tractare ignem, licet doleant, rurſus tangunt. Igitur ad aduerſas res, cùm præſentes ſunt, non aduertamus; cùm præteritæ, non recordemur; cùm futuræ, ſolùm prouideamus, non formidemus. Vlcera, quò plùs tractantur, ipſa noſtra manus magis corrumpit. Ignorantia infortunij obſtat mœrori: eadem vis inerit obliuioni, inerit incogitantiæ: idcircò dolores ſopit dies. Quid dolemus calamitates iſtas futiles, quæ ſolùm ignoratione ſarcirentur? O fallacia bona, quorum gaudium, aut dolorem, fallit ignorantia, aut obliuio! O mendacia bona, quorum ſenſum ipſa noſtra deceptio decipit! Quid affligimur ob vacua iſta fortunæ munuſcula, quæ perinde eſt habere, atque carere? vt oculo panis verus, & pictus ſtomachus ſolùm ſentiet damnum. Non quod habemus, gaudemus; non quod amiſimus, dolemus: poſſumus ob illa gaudere etiam carentes; poſſumus mœrere etiam poſſidentes. Si dimidium theſauri fur abſtuliſſet auaro, dum neſciſſet, lætaretur, ficta ſecuritate, ſuis funeſtis nummis, perinde ac ſi poſſideret: cùm nihil auferatur, ſed renuntietur vel vnus ablatus aureus, dolebit: namque opinio noſtra ſolùm nos verberat. Infortunium ignoratum non lædit fortunam: ita & non cogitatum parum offendet.

PÆDEVSIS IV.

Veritatis obſeruantia.

HÆc dixerim pro his, qui tundere ipſam frontem malorum non audent, vt ſaltem Cap. 35.
foribus ſe clauſis tueantur. Omni medendum modo eſt dolori: alioqui ſtrenuum, & neruoſum animum opto, validum veritatis alumnum, ipſius firmamento ſtabilitum, quam vbique gaudeat reſpicere, gaudeat ſequi. Nemo conſtans, niſi veritatis aſſecla. Nullus ſtat animus, niſi quem impellit ratio. Bellè itaque Diogenes, fortunæ dixit apponendam forte animi fiduciam, legi naturam, affectibus rationem. Quid enim fortunæ procellas pacat, niſi impauidus animus? Quid ita ius dicit, & colit, niſi natura? Quid ita ſiſtit, congelátque cupiditates fluctuantes, niſi ratio? Veritatis natalitia ſunt è ratione, cælo, Deo, qui prima eius ſtirps eſt. Opinionis verò, quæ ſimia quædam eſt veritatis, & vacuus vultus, è ſenſu & fæce iſta rerum origo ducitur: ideò illa honorabilis, & patriam

Digitized by Google

patriam ſuam ſapiens, æterna, conſtans, conſtantes ſuos ſequaces reddit; iſta vilis, labans, mutabilis, ſuos quoque clientes verſat ſimili infirmitate: illa animi Conſul; iſta peſſimus corporis Tribunus: illa ſolùm pro anima pugnat; iſta pro corpore repugnat, magna ſtipata caterua, & diſcordi tumultu. Vna eſt veritas, & eadem, & ad omnia accommoda. Verè à diuinis Auguſtino, & Proſpero, dicitur lex omnium artium, & ars omnipotentis Artificis. Vna veritas lex erit omnium virtutum, norma omnium morum, vnum ſemper ſentiens, idem iudicans. Vna eſt ratio ſui ſimilis ſemper: opinio multiplex, & ſui diuerſa, contraria probans, falſa laudans. Quare, qui conſtantiam, baſim felicitatis quærit, vna ratione fundari oportet. Vnus erit, qui ſequitur illam; varius, qui opinionem. Ianuam ſimplicem veritatis habemus, mentem; multas opinionis valuas, omnes ſenſus, phantaſiam, cupiditates, paſſiones. Egregiè adiecit Stoïcis Proclus, non ſolùm ex opinionibus paſſiones moueri; ſed etiam propter paſſiones & impetus permutari opiniones; quandoque ex optimis peſſimas ſæpè reportari: ita per diuerſa improbi & ignorantes appetiti, & ſibi, & aliis repugnant; multiformes, & diſcordes ſecum: non mirum, quòd ab aliis diffideant. At, qui ratione ſunt præditi, ab eodem ſuperiore canali lucis vniuerſam hauriunt cognitionem. Itaque eleganter ait ille: Omnes ſententiæ veræ, ſunt filiæ intellectus: ſorores ſunt, concordant omnes. Proptereà, qui probus eſt, ſibi & aliis probis conſentit; vnus ſemper ſecum, & inter plurimos idem. Occurſus prætereà rationis, & perturbatæ imaginationis diſtrahit à ſe improbum. Habet, vnde videat verum; habet, vnde ignoret: ſecum idcircò diffidet: cuius diſcordiæ argumentum eſt pœnitentia, mitigatis paſſionibus ſequuta. Præualet plerumque ignorantia, languentem obruens igniculum mentis, omni modo mortalium vitam tenebris corrumpens, & in vniuerſam & priuatas actiones, nec aliter ac cæcos huc & illuc facit impingere.

Cap. 36. Ergo, qui pacis gaudia, qui tranquillitatem amat, qui conſtantiam, qui felicitatem, cuius eximia dos immutabilitas eſt, & æternitas; veritatem amet, qua æternabit virtus, ſtabit pax, manebit lætitia; in ſolido ſunt. Recta ratio, omni expiata opinionis fæce, focus iuſtitiæ eſt, lar virtutis. Sacra res, mens eſt: igniculum ſacrum in conſcientia perpetuò euigilantem ſeruat; pignus, ſcilicet, felicitatis ſecurius quàm pruna Veſtæ, imperij arrhabo, & cuſtos. Inquirenda igitur ſemper eſt veritas, & acri iudicio vindicanda, & velut extorquenda è rebus, extorta amplectenda, ſemper amanda, &, vt Philo eleganter ait, oportet τετιτόθατον ἡγεῖσθαι ἀλήθειαν ἐξηλακτικήν. vt, quidquidquid dixerimus, pro iurato ſit, quidquid cogitauerimus, pro inſpirato. Sermonem, vt ſacramentum vereamur; iudicium, vt oraculum; & bonam voluntatem, vt præceptum diuinum. Magno alioqui luemus negligentiam, aut ſi non quæramus, aut non lucremur. Plùs quàm ignorantia nocet ſcientia inefficax. Priſcos illos ſapientes, ob vnius veritatis ocium, diuinus Apoſtolus traditos ait in paſſiones ignominiæ, in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, indignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Adeò in tot mala, & ignorantias diducta eſt vnius rei ſcientia contempta: ſcilicet, tantæ ignorationis rea fuit notitia ignorantiæ ſimilis: meruit fieri, quod eſt viſa; ſcilicet, meruit eſſe, cuius tantumdem fuit.

Curiam habere antiquiſſimam inueſtiganda veritatis.

Quid eſt, quòd nihil ægriùs feramus, quàm mendaces dici; nihil libentiùs, quàm eſſe? Pudet audire, quòd decipiamus; placet decipere; &, quod miraberis, placet decipi. In neminem maiori ſurgimus ſtomacho, quàm in ſeductorem noſtrum: ſed ſeduci, molliter, imò beatè ferimus, atque, ad incrementum iniuriæ, non ab alio, ſed à nobis. Sæpè manum obtendimus veritati fulgurienti: tenebris gaudemus, vt vlulæ, & noctuæ; niſi quòd nos ſine venia, ſponte ſequimur, illæ natura impelluntur. Ignominioſum, & puſilli animi eſt, tacere veritatem ob mortis minas: anne & propter mortem, aut vacui honoris expectationem, velle decipi, & ſibi imponere honorificum erit? Ægyptij rationem vitæ quotannis exigentes ab exteris, damnabant morte mentitos; tam indignos vita, qui de vita ſua falſum dicerent. Nóſne innocentiores erimus, qui vitam ipſam mentimur, &, ne benè viuamus, decipimur? Diligenda veritas eſt, cui debemus viuere, & eſſe: omnia ei debent, quòd ſunt; capient ab ipſa, vt benè ſint. Sublimiter Zorobabel ait: Πᾶσα ἡ γῆ τὴν ἀλήθειαν καλεῖ, καὶ ὁ οὐρανὸς αὐτὴν εὐλογεῖ, καὶ πάντα τὰ ἔργα σείεται, καὶ τρέμει. Addit Athanaſius: Πᾶσα ἡ γῆ τὸν δημιουργὸν, καὶ τὴν ἀλήθειαν ὑμνεῖ, καὶ εὐλογεῖ, καὶ τρέμει. Grati veritati ſimus. Si non amamus, ne oderimus: ſi oderimus, tremamus: non ſumus ſecuriores cælo. *Cap. 37.*

Omnis terra veritatem clamat, & cælum benedicit, & omnia opera quaſſantur, & tremunt. Omnis terra opificem, & veritatem deprædicat, & benedicit, & tremit.

PÆDEVSIS V.

Senſus veritatis attingendus eſt.

AD alterum iam mentis peccatum opem laturi veniamus: peccat enim, aut iudiciis falſis, aut languidis, tametſi veris; ſed adeò hebetibus, & ſquallentibus, vt cùm fortiſſima, lucidiſſimaque rerum ſit veritas, non dimicet, nec micet. Diximus iam de perfida impoſitione iudicij falſi: nunc de languore, & ſegnitie veri reliquum eſt diſſerere. Itaque remiſſus iſte torpor, ſi non nocentior, non vilior erit. Brachium exangue & mortuum, hærens vegeto humero, licèt non doleat, non iuuat: ita ſunt quædam iudicia vera; adeò tamen friuola, vt cor nequaquam foueant; adeò laſſa & flaccida, vt illud non concutiant. Iſtæ ſunt cogitationes, quas egregiè Alchuinus paralyticas dixit, ſine motu ſunt; nequeunt porrigere voluntati manum; nequeunt gubernare lacertum. Eadem ſententia à duobus æquè audita, æquè probata, vnius fodicat & mordet cor; alterius nec lambit. Quin in te ipſo eadem nunc veritas mordet, mox nec adlatrat: quia cum languore, & incommodo greſſu, aut minimè opportuno ſubit mentem. Pondus illius plerumque eſt, quo pacto *Cap. 38.*

cadat,

tadat, vt quadret: nam aliquibus non inſidet, nec ipſo ſentitur aſſenſu. Eleganter dictum eſt, hos audiendo non audire. Sæpè contingit, audire hominem loquentem;& non audies, quid loquatur: ſi à longè vocem mittat, aut ſummiſſam, audies clamorem, audies ſuſurrum; non audies ſermonem. Perinde eſt audire, ac non audire. Ita eſt. Sunt quidam aſſenſus mentis efficaces, clari, penetrantes cor: alij ſummiſſi, quos articulario veritatis non ferit, nec penetrat ſuus aculeus. Audiunt veritatem, non quid loquatur veritas. Quot ſunt, qui veriſſimum habuerunt, qui ſæpiùs audierunt, quod magnus Antonius, quod Simeon Stylita, quod Franciſcus, ſubita ſapientia: ſed retinuerunt ſuas opes, &, quod peius eſt, opera, vitia? Eadem fuerunt verba, & ab eodem Authore: alios tamen ſubeunt, vt integra, aliis excipiuntur ignauiter. Quoties fortunæ cum inſtrumento ſuo reſpectus, & memoria ceruicem Seſoſtris ſurrectam non flexit? Curru ferebatur aureo, pellucentibus lapillis, & pretioſis cælato vnionibus: quadrigam fecerat ex Regibus deuictis, quos iugo impoſito ſubiunxit trahendo carpento: adeò bruta ſuperbia eſt, vt bruta putet homines. Anne nunquam labentis ſortis exemplum ille vidit? Nunquamne rotantis felicitatis nomen eius excepit auris? Sæpè, credo. Anne falſum putauit? Non opinor repugnaſſe. Cur non motus, donec vnum è iugalibus Regibus aduertit, qui in currus rotam frequentem iactabat aciem, curioſè retroſpiciens volubilitates eius; & rogatus à Seſoſtre cauſam aſſidui reſpectus, admirari dixit rotam inſtabili latam modo; aliàs aliter volutam, nunc ſublimia demittentem, nunc demiſſa ſublimantem. Intimè tunc veritas hæſit: inſtabilitatem ſortis, quam Barbarus ſæpiùs audiuit, tunc timuit; atque ſuæ conditionis, perfidæque felicitatis fidem capiens, diſſoluit deinceps maieſtatem ſuperbam ſoluta è iugo maieſtate captiua. Quid eſt, quòd omnes calumnientur fortunam; omnes rerum humanarum ſplendorem dicant inanem vmbram, omnia vana, omnia nihil eſſe; & hoc ipſum, quod affirmant, non teneant, nec in viſcere ſuo inſpiciant veritatem? Non intelligunt quid ſit, nihil res eſſe: magni enim eas faciunt, & ſui ſenſus contradictione pro illis excruciantur. Si tenerent, quod dicunt, nec greſſum ob illas impenderent. Illud, quod nihil eſt, nequit arreptum ad ſe trahere cor. Summæ eſſentiæ, & eius, qui omnia eſt, robur eſt iſtud. Fatentur nihil virtuti præferendum: non ita putant: nihil minoris re ipſa habent. Ideò plerique pulcherrimis mentem exornati ſenſis, egregiis veritatibus, turpi languore ſidunt inertes, ignaui; vt cùm alios impellant ad honeſta, ipſi ſegnes conſiſtant, & hoc ipſo recedant, indocti eorum, quæ docent. Per ſomnia loquentem alij potiùs intelligent, quàm ipſe. Cithara ſonat aliis, mulcétque; ipſa nec audit, nec gaudet. In cortice dumtaxat ſuo tractant veritatem; credunt ibi eſſe: ſed ſuo non taxant pretio, nec dignam opere cēſent. Qui thecam, qua aſſeruari gemmæ ſolent, conſpiceret exteriùs, gemmas crederet ibi latere; pretio tamen iuſto non poſſet æſtimare: ita quibuſdam placitis exterior veritatis vultus renidet; non tamen ſatis æſtimatur, non perſpicitur medulla ſua.

Cap. 39. Bifariam itaque, attentione, ſcilicet, & fide, fouendi ſunt hi languidi, & velut muſſitantes ſenſus, ne tantùm dicantur, ſed audiantur; nec tantùm audiantur, ſed intelligantur; intellectúſque committat manui, & iuuemus gratiam, cuius neceſſitatem commendabo ſemper: at, licèt nihil ſine illa poſſimus, iuuanda eſt, quamuis & hoc ſubſidium etiam ſit ab illa, & poſt illam. Igitur, quemadmodum vt percipias, aut procul, aut tacitè loquentem, attentionem auges: ſic, vt has ipſas veritates, quas tibi loqueris, teneas; attende voci, & ſenſo tuo. Dicis, compendium cupiditatum eſſe laxamentum cordis, ſpatium felicitatis: ſed ad iſtam vocem non aduertis animum, non attendis, quid dixeris. Cur quæſiturus fortunam, votas auges, opes cupis, honores ambis? O inepte, his ipſis, quibus quæris felicitatem, perdis. Te non tenuiſti. Iſtúdne non eſt cupere, quærere diuitias; vigilare vulgo, & famæ; Attende, iſtæ cupiditates ſunt, quas compeſcendas dicis. Collige te in te: diſpice, quòd cupiditates dixiſti, & quid ſit cupiditas.

Cæterùm, & aliorum interpretationi ſtato, *Cap. 40.* ſi obtutu in præcordia veri non ſubeunti parum cernis vim omnem veritatis: crede: fidem opera ſequantur. Quemadmodum multa facimus alieno ducti teſtimonio: ita quædam ſenſa veteamur ob alienam fidem & exemplum. Fundum illum veri, quem non perſpicimus, ſuſpiciamus, & bona fide bonorum operemur. Ita Philoſophi, ita Sancti fecerunt: ego vel inuitus ſequar, etiam gemens imitabor. Hæc, inquam, veritas adegit ad magna, compulit ad ardua, ad honeſta. Anne fruſtra? Minimè Igitur, ſi me non vrget, exemplum ipſorum me vrgebit. Credam, ſi non meis dictis, alienis factis. Sequar. Exemplum alienum ſit pro ſententia propria. Surdum manu & ſcripto alloquimur. Si rationem meam nō ſatis audio, reſpiciam aliena facta. Credam non leuem, quę non leues concuſſit viros. Iſtúdne veriſſimum? Diuitiæ, & omnia bona tempori famulantia nocent amanti: nec ipſis ſatis penſatur boni ſui contemptus. Non te cædit iſta veritas? Crede: fortior es, quàm putes: fac, quod vides facere videntes illam: aut, ſi non imiteris, æmulare. Ecce Cratetem impulit ad rerum ſuarum naufragium: dein corolla redimitus acclamauit libertatem ſui animi, cùm iam ſe negaret mancipium auri, mali ſanè heri, icterici & pallentis. En Serapionem nudauit. En Filius Dei non habuit, vbi caput reclinaret. Quid fidem meretur, niſi iſta probata ſententia? Superfluunt probationi teſtes: dedi tres; darem trecentos. Non tantùm exempla æmulationi, erigendiſque animis ſeruiunt: imagine enim virtutis irritamur; & quadam tacita ſuperbia, & fortaſſe, ſi aliqua eſt, ſalutari, virtutem, quam videmus, aut inuidemus, aut præſumimus. Sed rationi Philoſophiæ opem ferunt. Credimus, non ſine magna ratione, magna & ardua cœpta & victa. Fidem quoque tuam ſequere in his, quæ aliquando feciſti rationis feruore: poſteà, cùm languet apprehenſio, memento præteriti impetus, qui te vicit: nunc conatu voluntatis compenſa lentorem iudicij. Dicas: Iſtud aliquando feci, aliquando ſenſi. Ita eſt. Cur non modò faciam idem? In fide antiqui decreti operabor, vt bonus ſim, nec rationem expectabo.

ALIA

Digitized by Google

ALIA PRÆCEPTA contra opinionem.

PRÆCEPTVM I.

Præmeditari mala.

Cap.41. AD cognitionis quoque ſpectat vſum aliud malorum pharmacum in ipſa valetudine ſumendum. Gratiora ſunt medicamenta, quæ præuertunt morbum, quàm quæ leniunt. Nemo in conflictu ipſo expectat armari: veniat iam miles in aciem cum lorica. Ante ictus fortunæ præmuniendi ſumus. Nec inducias otio Dux corrumpit: ita fortunæ induciis aduerſus ipſam vtamur. In ipſa ſecuritate periclitemur, quantùm in pericula poſſimus.

Quamobrem omneis, cùm ſecundæ res ſunt maximè,
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia: peregrè rediens ſemper cogitet,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc: fieri poſſe: vt ne quid animo ſit nouum:
Quidquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Prudentia nos aduerſùs fortunam præſtruit. Ægrè, dum percellit, ſapimus. Quod priùs fugit ſubitam fortunam, conſilium eſt. Turbat repentinum vulnus; occupat improuiſus dolor; reſiſtit ſenſus non priùs mollitus præuiſione. Itaque ad vtramque fortunæ manum adornemur, & cuique operi præmittamus exploratores cogitatus, quales exitus eueniant; quales euentus obueniant; quales interueniant caſus. Eoſdem tibi potiùs expecta, quàm timeas. Regularis eſt fortunæ inſtabilitas: neminem excipit ingenio ſuo. Si inquieta omnia, labantia, moleſtáque videris; compendio pœnitentiæ ne ordiaris, niſi neceſſarium opus ſit: inæqualis pactio erit certi angoris, ancipitis exitus. Fatuum eſt, confidentia perfidæ fortunæ numerata moleſtia emere ſpem: vicinum huic puta, cùm periculum eſt certius exitu. Amentis eſt, ſine cauſa, ſponte, aut gratis periclitari. Hoc erat ex his, quorum Cato dicebat pœnituiſſe, ſi iter, quod pedibus poſſet, mari confeciſſet. Secura via vadendum eſt, & ſecura inuadenda. Nec inutile diſcrimen fortuita alicuius ſoſpitate expiatur. Quòd, ſi opus neceſſarium ſit; & ſatis ad hoc, ſi honeſtum: nulla enim maior magnæ indolis neceſſitas, quàm virtutis; tunc non eſt deſpondendus animus, alacriter inuadendum eſt; neque cæco impetu. Νόει, καὶ πρᾶττε. Iſtud Biantis & cogitandum, & faciendum eſt. Leæna fertur, cùm catulos defendit, oculorum aciem defigere, ne expaueſcat venabula. Generoſior eſt virtutis mos: erigit, tergitque frontem, & patentia diſcrimina ſereno, ſecuróque intuitu luſtrat, occurrit. Extra ius fortunæ eſt: nihil fortuitum videt: omnia expectat. Hæc ſapientis teſſera, præmeditari cuncta. Nihil, iuxta Antiſthenem, nouum, aut ſubitum putat: iuxta Democritum, nullum euentum miratur.

Duo ſunt præuiſi laboris commoda; prouidentiæ, vnum; tolerantiæ, alterum: deuitantur plures, placantur cæteri. Thaletem præuiſio ditauit vbertatis. Non minùs quæſtuoſa præuiſio ſterilitatis fortunæ, præmeditatióque malorum fortunat ſapientem. Neque minùs eſt ad oſtentationem Philoſophiæ, quàm Mileſij prouidentia. Iaculis perſpectis corpus furamur: ſubducit præuiſio animum malis: ſcit illudere, dum eludit. Quid? Fugare labores aut fugere non poſſumus? Cognitio illos mitigat. Quid eſt, quòd ſenio pereant? quòd antiqua mala manſueſcant, tollantur vetuſtate, medicante tempore? Anne vis eſt in die? Eſt in cogitatione, & diuturna familiaritate. Quemadmodum nimia conuerſatio minuit reuerentiam: ita malorum familiaritas eorumdem timores extenuat. Vſus pro ratione eſt. Dies medetur malis; ita & meditatio: atque vtrâque callus obducitur mœrori. Quædam enim conſuetudo laborum, cogitatio eſt: iam tractantur, dum putantur. Dolorem, quem alij diu ſuſtinendo; ſapiens diu meditando lenit: alienorum malorum experientiam habet. Quidquid factum eſt, non ſolùm ait, Sciebam: ſed, Tuli: Cap.42.

Non vlla laborum,
O virgo, noua mî facies, inopináve ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.

Maiora videntur ſubita: negant enim ſpatium conſiderandi, quantula ſint. Indulget dolori pœnitentia inertiæ; quaſi præcaueri potuiſſent, ſi præuiſa forent: auget enim ægritudinem culpa. Subitæ mutationes lædunt noſtra corpora: ita animos lanciant. Viciſſitudines anni ſubeunt paulatim: non ſaltu ab hyeme in æſtatem itur; intercedit ver: ne repentinus ardor quaſſet valetudinem. Meditatio præparat mentes ad malorum æſtus; quemadmodum vernus tepor artus. Quin is, qui omnia humana prouidit, non putat iniuriam propriam, conditionem communem: tolerabilia credit, quæ videt multos ferre, omnes poſſe.

Nunc leue erit, quæſtiunculam Simplicij ſoluere, cur præuidenda ſint mala. Hoc potiùs videtur, ad longæuitatem doloris, vitam producere ægritudinis: diutiùs dolebimus, quàm opus ſit; ſcilicet, antequàm dolenda ſint, & cùm ſunt. Quod neceſſarium eſt pati, non eſt patiendum, niſi quamdiu neceſſe ſit; nempe, minùs quòd poſſimus, ne prouidentiâ noſtrâ miſeri fiamus. Adiice & Epicurum reuocantem mentem à malis: putabat futuros omnes in ægritudine, qui ſe putent in malis, ſiue ſint expectata, ſiue inueterata; inutilémque meditationem futuri mali, forſitan non futuri. Si futurum, odioſum ſatis ſuo tempore eſſe; nec opus eſt ſempiternum fieri cogitatione noſtra: ſi non futurum, fruſtrà ſponte dolor ſuſcipitur. Cur ſine induciis angendum, nunc mala tolerando, nunc cogitando? Verùm, aliud, opinor, eſt, cogitare mala; aliud, præcogitare, quæ peſſimi mala cogitare: imò hoc ipſo præcogitanda cenſeo, ne cogitentur; id eſt, ne opinio nos fallat mala putando. Iniquam rerum æſtimationem non excuſo: ſiue in ipſis malis, ſiue ante ipſa, noxia eſt. Maximè autem iuuat præmeditatio infortunij, ne tale putemus; id eſt, ne ſit. Prætereà, eſt ſuus aliquando vſus præuiſi damni, adhuc quando opinione mali fallimur, Cap.43.

vt

vt extenuetur, vt leuiter ſauciet, vt fortaſſe effugiatur. At, ſi nulla melior ſpes ſit, nec tollendi damni, nec extenuandi doloris; tunc neque Cyrenaïcos probo, neque Epicureos damno: nihil enim inutilibus, & infrugiferis animis proficient viſa mala, niſi maturare formidine dolorem. In vniuerſum autem vlcera fortunæ præſentia, aut præterita, quæ nondum obducta cute ſunt, iuuat eos non attendere, qui nondum experti ſunt gloriam reſiſtendi aperta fronte: at futura aliquando, ſed non ſemper, maximè conſtantibus, qui præuiſione ſua exertnia damna faciunt: namque, vt fert anilis fabella, præuiſus baſiliſcus perit; ita mala præuiſa deſinunt eſſe.

Cap. 44.

Opus aliquod aggreſſurus ipſe tibi ſubiicito, cuiuſmodi ſit illud opus. Si lauatum abieris, ea tibi proponito, quæ fiunt in balneo; alios perfundi, alios loco pelli, alios conuitia facere, alios furari: ſic tutiùs rem aggredieris, ſi ipſe tibi dixeris: Et ſtatim lauabo, & meum inſtitutum naturæ congruens conſeruabo. Eodémque modo in vnoquoque negotio: ſic enim ſi quid impedimento lauationi tuæ fuerit, in promptu erit: Equidem non hoc ſolùm volui, ſed & inſtitutum meum naturæ conſentaneum tueri volui: neque verò tuebor, ſi ea, quæ fiunt, ægrè tulero. Singulis in rebus, quæ vel delectant, vel vſui ſeruiunt, vel diliguntur, memento conſiderare, cuiuſmodi ſint, exorſus à minutiſſimis. Si ollam diligis, te ollam diligere: nam ea confracta non conturbaberis. Si filiolum, aut vxorem, hominem à te diligi: nam eo mortuo, non perturbaueris.

Igitur præmeditanda ſunt humana homini, vt noſcamus, & cum his pacem tranſigamus cordis, decretáque officij honeſti firmemus, ne deturbent animum aſſultantes caſus. Commeatus ad omnem actionem ſit contingentium contemplatio. Cape huius rei exemplum à penu Stoïco: Ὅταν ἅψασθαί τινος ἔργου μέλλῃς, ὑπομίμνησκε σεαυτὸν ὁποῖόν ἐστι τὸ ἔργον. Ἐὰν λουσόμενος ἀπίῃς, πρόβαλλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ, τοὺς ἀπορραίνοντας, τοὺς ἐγκρουομένους, τοὺς λοιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας· καὶ οὕτως ἀσφαλέστερον ἅψῃ τοῦ ἔργου, ἐὰν ἐπιλέγῃς. Ὅτι εὐθὺς λούσασθαι θέλω, καὶ τὴν ἐμαυτοῦ προαίρεσιν κατὰ φύσιν τηρῆσαι. Καὶ ὡσαύτως ἐφ᾽ ἑκάστου ἔργου· οὕτω γάρ, ἄν τι πρὸς τὸ λούσασθαι ἐμποδὼν, πρόχειρον ἔσται. Διότι οὐ τοῦτο ἤθελον μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐμαυτοῦ προαίρεσιν κατὰ φύσιν ἔχουσαν τηρῆσαι. οὐ τηρήσω δὲ, ἐὰν ἀγανακτῶ πρὸς τὰ γινόμενα. Oportet itaque in ſingulis actionibus adornari ad duo, ad actionem, & ad paſſionem; ad firmitatem, ſcilicet, animi, ad patientiam. Sed & rerum conditionem prænoſcere iuuat. Salutare quoque aliud cape præceptum: Ἐφ᾽ ἑκάστου τῶν ψυχαγωγούντων, ἢ χρείας παρεχόντων, ἢ στεργομένων, μέμνησο ἐπιλέγειν, ὁποῖόν ἐστιν, ἀπὸ τῶν σμικροτάτων ἀρχόμενος. Ἂν χύτραν στέργῃς, ὅτι χύτραν στέργεις· κατεαγείσης γὰρ αὐτῆς, οὐ ταραχθήσῃ. Ἂν παιδίον σαυτοῦ καταφιλῇς, ἢ γυναῖκα, ὅτι ἄνθρωπον καταφιλεῖς· ἀποθανόντος γὰρ αὐτοῦ, οὐ ταραχθήσῃ. Anaxagoræ factum probauit dicta Epicteti, & Euripidis auditoris, nuntiata filij morte: Sciebam, inquit, me genuiſſe mortalem. Nec contraxit frontem, nec madefecit genas. Eadem mortalitatis contemplatio aduerſùs liberorum fata armauit Periclem, Bibulum, Quintum Maximum, L. Paulum. Dedit natura vitam filiis, arbitrio ſuo vtitur: exigit, cùm libet, debitum. Meminêre illi ſortis ſuæ ſine admonitione: non enim in doloris noſtri culpa eſt natura; ſed ſtulta ſpes mortalium, immemor mortalitatis. Noſtra credulitas nos decipit: inopinantes cædimur. Inſcios eſſe mortalitatis noſtræ, magna amentia eſt, oblitos ignauia, infenſos maxima impudentia. Xenophon vlteriùs mentem iecit: non vitæ, non morti genuiſſe filium putauit; ſed virtuti, & gloriæ. Nuntiata gnati morte, depoſuit coronam, (inter ſacrificandum erat:) renuntiata cauſa, quòd ſtrenuè in pugna cecidiſſet, reſumpſit: propoſitum tunc habuit.

Cap. 45. Sed & ſapiens propoſitum ſuum ſemper habet: namque omne aduerſum præmeditatum & præſumptum videns, nihil videt contingens, non præter votum, appetitum, opinionem, nec conſilium ſuum. Cuncta cum exceptione facit, cupítque; imò cum quadam reuerentia fortunæ, (cuius tamen maximè contemptor eſt,) niſi aliud velit: nihil cum fiducia eius vouet, ſed cum conditione & conſenſu. Ita inter humanos caſus extra humanos errores eſt, imò & miſerias. Eueniunt illi omnia, vt cogitauit; & cogitauit, vt eueniunt. Vult fieri cuncta, ita vt fiunt; & fiunt, vt vult. Cum incerto euentu & fraude ſui voti, ſemper compos eius eſt: iſtud enim maximè ſibi proponit, propoſita ſua poſſe falli; eſſe aliquid, quod illis repugnet: hac arte præuenit omnem pugnam ſortis. Hinc fit, vt leuiſſimè ſaucietur deſtitutione ſui voti: nam leuiſſimè vouit. Non ſpondet ſibi fortunam, non ſibi ſucceſſum promiſit, timidè deſiderat, aut verecundè, & imbelli cupiditate. Quare irrita parum dolet. Ideò nunquam fallitur conſilio ſuo, nunquam deſtituitur cupiditate: ſcit fortunæ licentiam: cum fortunæ venia cupit.

PRÆCEPTVM. II.

Expectare mala.

Atqui præter ea mala, quæ actionem, rerumque appendices ſunt, aut in vicinia latent, (quædam enim, quia neceſſaria ſunt, nunquam ſunt timenda; alia, quia incerta ſunt ſemper expectanda, alioqui perpetuò miſeri, aut aliquando nimiùm miſeri erimus; neceſſaria ſemper ſauciabunt nos, inexpectata grauiſſimè;) oportet luſtrare vigilanti obtutu omnia decumana fortunæ tela. Non confiſi, non magni, ſed inſani animi eſt, plura ſibi bona polliceri, quàm mala: horum numerus vincit. Obuia vbiq; ſunt. Cur non occurſum plurium & vagantium potiùs præſumes? Quin inſperata expecta, quæque adhuc extra vſum ſunt fortunæ. Quid, ſi fallaris? Non, credo, iraſceris, nec graue poſteà duces expungere grauiſſima ex tuo tolerandorum albo. Quid perdis, ſi non veniat iactura, quam putabas? Lucraberis potiùs lætitiam fruſtrati timoris. Iſtud conſtantiæ penſum eſt, ad omnia ſtare: omnia ſibi putat reſtare. Pernicem fortunam, ſi non ignauiæ, moræ arguet. Ita præuenit omnia terribilia expectatione ſua, vt cuique dicat: Serò accedis? diu manſi in ſpe; nunquam in timore. *Cap. 46.*

Subita vulnera Iob ſera fuerunt: diu ipſe expectauerat. Credo ſolùm prouidentia ſua minorem patientiam. Vtrum plus miraberis? Obſtinarámne illius conſtantiam, & inflexibilem frontem, quum ſpoliatus opibus, armentis, ſeruis, prole, non molliter exuta, ſed lacerata felicitate nudus manſit, vt ſanie innataret? an, cùm rebus omnibus affluens, adulante ſibi per omnia fortuna, perſuaſum fuiſſe euentura mala, quæ euenire nemo ſanus putaret, præuidiſſéque non viſa illatenus vulnera acerbiſſima, & præter morem ſortis? Nullus caſus illi repentinus venit ſecuro regiis gaudiis, diuitiis, opulento poſſeſſionibus, armentis, venerabili filiis; occupato procuratione regni, ſubſtantiæ, familiæ, proliſque. Vacabat ad cogitatus, fortaſſe quiſpiam diceret, otioſos, quippe extra potentiam, aut morem fortunæ, & inuidiæ vota. Ait ipſe: Timor, quem timebam, euenit mihi; & quod verebar, accidit. Equidem & timuiſſe æquè miror, atque tuliſſe. *Cap. 47.*

Quænam

Quæ nam maior gloria fuit, tot mala tolerata fuiſſe?An non improuiſa?Non minùs ad exemplum egregium tolerandæ felicitatis,quàm aduerſitatis poſitus eſt Iob vtriuſque fortunæ doctor. Æquè prudenter & timidè bonam tulit, quàm patienter & animosè malam.Nouit cadere in illa,audere in iſta.Imò obinde non metuit iſtam,qui timuit illam. In ipſis vlnis felicitatis ferebatur blanditiæ ſibi, vt nutrix cum infante ſolet. At ipſe,cùm nulla mutãdæ fortis ſuſpicio erat,expectabat omnia aduerſa,ad illam ſe adornans. Quid erit, ſibi dicebat, ſi rerum tuarum dimidium auferet caſus? quid, ſi armentorum partem? quid,ſi omnia? quid, ſi & bubulcos & opiliones pariter? quid,ſi ignis cælitùs demiſſus omnes greges cum paſtoribus abſorbuerit?quid ſi his accedat iactura camelorum, & cuſtodientium ſeruorum?quid,ſi malorum cumulus, liberorum charorum morte ſurgat, & fato iniquiſſimo?quid, ſi hoc acerbum poculum inuidentis fortunæ,non per hauſtus aliquos,ſed vno ſpiritu es compellendus exorbere? quid, ſi omnem iſtam ſeriem calamitatum,non in anno, non in menſe, non in hebdomade, non in die; ſed in hora vna,impetu concordi,irruat?ſi minori ſpatio, quàm cogites? Quid, ſi poſt iſtas ſæuitias vnum tui perfugium ſit,non noſocomium,cùm Rex ſis; ſed ſepulcrum,adhuc te ſuperſtite? nec iſtud humanum,ſed caninum,fœtidum ſterquilinium?Vbi omnis familia tua,tuis ipſis viſceribus hoſpitata,ſint vermes,vt qui mortua corpora abſumunt,te cum ſpiritu exedant:vt non fortuna modò, ſed natura iniqua tibi ſit, & extra morem ſuum te ſpirantem corrumpat;tam acerba, vt ſolùm tibi mortem neget, vt omnia adeò tibi defecerint,& ipſum deficere? Quid, ſi vltra naturæ matris iniurias, etiam experiaris humanitatis,fidei,amicorum,vxoriſque amantiſſimæ? Num proptereà turbabitur mens tua,deturbabitur animus? At ille

Vna rupe manentior,
Ferri decocti robore durior,
Spes cui altè fixa petra fuit.

vt Gerſon canit, Non, inquiebat: pluris enim animum meum habeo, quàm pecora; pluris tranquillitatem meam, quàm turbam famulorum;pluris rationem,quàm armenta; pluris viuum eſſe, quàm diuitem, quàm Regem; pluris ſanitatem animi, quàm corporis;pluris puritatem affectuum,quàm intolerantiam fœtidorum artuum. Colligat ſuas copias fortuna:noua torquendi inuenta adornet: experiatur ſummum, quod poſſit: pluant infortunia:omnia expecto. Hoc ſecum computabat, hoc decernebat pugil ille Dei. Nec ſitu ſordebat in pace: victor vbique,& intra pectus ſuum fortunam tunc blandientem iugulabat: & velut ſtrenui duces ſemper ſe exercent & belli quadam imagine gaudent,erudiuntúrque, aut venationibus,aut velitationibus; ſic Iob ſe inſtituebat malis; ſic ſe exercebat,& in ipſa fortuna venabatur infortunia.Peritus itaque & fortis nouit vno, eodémque animo ferre duas fortunas, & inæqualibus rebus æquali ſpiritu adæquari.Sciet & quiſquis dicere poſſit:

Futuras mecum commentabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exilij mœſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali;
Vt ſi qua inuecta diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

An in ſtadio pugil aliud potuit expectare, quàm ictus, plagas, vulnera? Sed ante feriam pugnam velitatio. Nemo rudis inuadebat æmulum: in vacuum priùs aliquot ictus perdebat, iactabat irritum lacertum, cædebat aërem. Ita ante decretoria arma tractemus luſoria mala. In ſtadio ſumus: æmula fortuna eſt: non niſi vulnera expectanda; ſed præuiſione erudiendi ſumus. Vacua aliqua infortunia toleremus,præparato ad omnia animo. Aſſuetudo & feras mitigat; deformis aſpectus conſuetos non terret:ita mala cognita nec ferocient, nec formidabimus. Conſtantia ſunt, terrentiáque opinione. Hanc meritò Lamiam vocauit Socrates. Quemadmodum milites Perſei Regis, cùm eclipſim ignorarent, perterriti inopina caligine cæli, animos & victoriam amiſerunt; Romani conſcij ſeruarunt Martios ſpiritus, cæleſtem viciſſitudinem admoniti à perito Duce:ita ſunt pleraque aduerſa, quæ ſola conſcientia ſui nec terrent, nec timentur,& innoxia ſunt. Eadem improuiſio defecturæ lucis clariſſimi Niciæ obſcurauit gloriam,turpi ſuorum terrore, & fuga. Non minùs iuuabit præſagos eſſe defecturæ fortunæ, quàm Solis. Cap.48.

PRÆCEPTVM III.

Timenda non confingere.

VErùm hæc, quam commendauimus malorum præuiſio,perſpicaciæ ſit,non hallucinationis. Aliud eſt videre, aliud videri. Verbera, minæque fortunæ præmeditanda ſunt; qua innocente, inutiliter formidandum non eſt. Pharmacum,quod ægrotantem recreat, ſanum fortaſſe corrumpet. Quare hæc moleſtiarum contemplatio, vbi imminere poteſt diſcrimen, ſalutaris eſt: vbi pacata & facilia omnia, præter phantaſiam; noxius hic reſpectus erit. Formidabimus, quod ipſi fingimus:cùm ardua, quæ timemus, non ſunt, nec erunt; ſed facimus: cùm nihil ægrum eſt,niſi quod ægra imaginatio fabrefecit. Tunc minimè meditanda ſunt iſthæc phantaſmata: reuocetur ab his mens: nullo medicamento eſt opus: inania ſunt: cùm accedant per ſe, euanent. Artemonem infelicem fecit ſtultâ inanium periculorum formido. Plùs lacerauit illum ſuperuacua cura, quàm ipſa diſcrimina vexarent. Caſſandrum exanimauit timor ſtatuæ. Imaginatio eſt, quæ torquet; nec aliud, niſi ipſius damnum. Iſta ſolùm eget pharmaco;& ſatis remedij erit, ſi non ſit: ſi ipſam compeſcamus, potiſſimùm cùm timenda apprehenſio altas egit radices, quæ ratione non facilè euelluntur. Sæpè obſtinata quædam opinio reluctatur rationi, contra cuius fidem credit, formidátque aliquid arduum, ſiue acerbum, ſiue ignominioſum. Tunc ſatius eſt relinqui: ſua pertinacia reficitur, quò plus refellitur. Vt contentioſos mitigemus, contradicendi non ſunt, ſed relinquendi, donec pacati ipſi ſe agnoſcant, reſipiantque. Tunc oportet non tam refutare illam, quàm ſtrangulare auocatione mentis ad alia, ne ipſa imaginatio loquatur, non ratione, ſed impetu opprimenda. Amentem, & furioſum, qui monita non audit ligamus, ne cui noceat:ita coërcenda eſt phantaſia ſtulta,donec Cap.49.

paulatim ſine vſu ſui flectat ſe, & vires ponat; vt quæ ratione non paret, pareat tempore. Hac arte panici metus medicandi ſunt, qui obſtant, ne cum dote & elegantia ſua peragamus honeſta. Premunt formidines illæ ſpontaneæ puſillos animos; cor mente turbata deturbant: vt erigatur, ſuóque rectum ſtatu ſiſtat, flecti ad temeritatem iuuat. Intrepidos inconſiderantia facit: ita timidi, vt iſtuc vergant, ne attendant inania. Nec tamen rationem auxiliarem penitùs excludo: aſciſcenda quandoque eſt, ſedato, ſcilicet, tumultu, &, vt ſic dixerim, ira illa inanis timoris pacata. Non monetur opportunè iracundus, dum furit: ita iſtæ formidines, cùm deferuent, corrigi iudicio poſſunt.

PÆDEVSIS VI.

Vſus memoriæ.

Cap. 50. RESTAT nunc adiicere vſum meditandorum malorum, quæ præterita ſunt. Iſtorum partim recordari, partim obliuiſci oportet. Illa, quę licèt antiqua ſint, recentem, crudúmque ſenſum habent, nec ſenio dititas ipſorum ſe flexit, nec maceratus eſt tempore primus vigor, obliuione fallere neceſſe eſt, ne ſempiternus ſit dolor. Interdum prurigine quadam dolendi infortunia mente repetimus; & velut ſcabie incitati refricamus damna noſtra, vt nos diu exedant. Potiùs tunc iuuat, ſi ratio non iuuat, ſubſtituere memoriæ iucunda pro acerbis, & eorum reminiſci, quæ bene acta, & nobiſcum, & à nobis, quorum euentus delectat, quorum commemoratio recreat. Seruus ille Aſdrubalis homicida in cruciatibus lætitiam, riſúmque retinuit recordatione vindicati heri. Sed iſta pro infirmioribus dixerim. Licet quoque ſpatiari mentem per latiſſimos campos ſpei, & libamenta felicitatis futuræ prægustare. Non eſt iſta voluptatis ars, quam docuit Epicurus, damnanda: ſano licet vſurpari animo. Præcipiebat hic ingenioſus voluptatis faber, vt continuam illam faceret inter tot interpellantes irruptiones fortunæ, malorum obliuiſci; placidorum verò, iucundorúmque cogitatione iugi fouere lætitiam, iam præteritorum, iam futurorum. Ita eſt. Voluptas licita commemorata fidelior, & diuturnior eſt, quàm illicita præſens. Extra anguſtias eximenda ſunt gaudia, nec ſolùm breuitate ſuæ durationis fruendum. Non quandiu ſunt duntaxat; quandiu cogitantur, frui quoque potes.

Cap. 51. Malorum verò, quæ vim ſuam mitigarunt, vtilis memoria eſt. Diſcimus ex præteritis damnis iam vtilibus, ſi nolimus perdere. Hinc prudentis character, meminiſſe præteritorum, agere præſentia, cauere futura. Quemadmodum de præſentibus Æſchylus ait:

Quæ opus ſunt, præſens diſpice, ne præſens abſis.

Ἃ δεῖ, παρὸν φρόντιζε· μὴ παρὼν δοκῇς.

Ita, inquam, diſpice præterita, ne ſenex ſis, tanquam non natus. Hinc prouidę futuris, ne ſuperſtes moriaris. Mortalem te putes, non mortuum. Diſcendo pari, dedidiſcimus miſeriam. Putemus, præſentia aliquando fuiſſe, quæ modò non dolemus: putemus, quæ modò dolemus, præterita aliquando fore. Par vtriſque vis eſt. Tempus nouit exemia reddere: ſciat nunc ratio. Ne timeamus nunc pauca, qui plurium iam obliti ſumus. Cur non amittimus reuerentiam malorum quorum iam amiſimus memoriam? Non ſunt terribiliora præſentia, quàm præterita fuerunt; & tamen imbellia experimur, vt nullo impellente exciderint. Dies illa placuit.

PÆDEVSIS VII.

Inutilitas, & curioſitas mentis prohibenda.

Cap. 52. AD clauſulam gubernandæ cognitionis aliud admonebo erratum. Non tantùm intellectus peccat fallacia opinionum, & languore veritatum; ſed & inutilitate. Cur per inania diſtrahimus mentem Philoſophiæ, Virtuti, Cælo, Deóque natam? Cur curioſi ſcire volumus, quæ ignauos nos detinebunt, aut facient? Res frugi ſapientia eſt. Scire, quod non prodeſt, proximum eſt ignorantiæ: velle illud ſcire, iam eſt cum ſtultitiæ infamia. Iam nocet ſcire, quod non prodeſt: impedit, quod prodeſt. Incommodum eſt commodi obſtaculum; & noxia, contemptus ſalutis. Satis falſa eius ſcientia eſt, qui ſolùm vult fallere diem. Ne quæras in ſcientia oblectamentum animi, ſed remedium: nam, nec, cùm languet corpus, quæres priùs voluptates, quàm valetudinem. Ad vitam, vt ad viam, parare oportet, non pretioſius viaticum; ſed, quod magis neceſſarium, vt Criton monuit. Diſcamus non opinioni, ſed vitæ. Ille ſapit, qui nouit redimere tempus, & ſolidare fluentem rem opere. Scientia ad honeſta eſt; & ipſa in honeſtorum cenſu: ſcilicet, eſt, vt virtuoſè operemur, & ipſa virtuoſum opus. At, ſi ſuperuacanea ſit, iam illam è ſua familia pellit virtus, res maximi compendij, frugi, neceſſitatis. Summum inter animi ornamenta eſt ſapientia: ſed facilis inuentu, ſi ſapere volumus re, non ſpecie. Niſi quæreremus ſuperuacua, parabile eſt inuenire neceſſaria. Compendioſum eſt, quidquid vtile; parum, quidquid neceſſarium. Non melior, nec beatior eſt voluntas, quæ plura cupierit; nec mens ſanior, quæ plurima nouerit: non eſt in ſuperuacuum laxanda, ſed accommodanda operi. Etiam mentis intemperantia nocet. Veriſſimè Æſchylus:

Qui vtilia nouit, non qui multa, ſapiens eſt.

Ὁ χρήσιμ' εἰδώς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς σοφός.

Diſcamus viuere, non loqui. Opera in promptu ſint, non verba. Otij alimenta contemnamus. Quæramus fomenta virtutis, eóque quotidiana meditatione peruenire, ſicut Democritus monebat, vt ſua ſponte occurrant ſalutaria; & vbique, & ſtatim deſiderata præſtò ſint, & ſine vlla mora veniat illa turpis, honeſtique diſtinctio. Sciamus, nec malum eſſe vllum, niſi turpe; nec bonum, niſi honeſtum.

Cap. 53. Noſſe ſtellarum vires gaudes? ineptis, poſtquàm ſcieris, ſi ignores infirmitatem tuam. Hac incipe. Lætamur ſcire noua: quid magis nouum, quàm quòd bonus ſis? Hoc diſce. Placita pugnātia delectat concordare: cur non & tua vota diſcordia, conſilia repugnantia? Errores alienos lubet refutare, cur noſtros probamus? Volumus alios docere, non nos emendare? Iuuat ſcire facta ab aliis, & à nobis facienda ignorare. Noſſe omnia volumus, niſi nos. Stultus putaberis, ſi conflagrante domo tua, accitus ad extinguendum incendium, cæteris occurrentibus ad remedium flammæ, tu priùs ex otio morareris, vt papilionis

nis alas notares, quibus diſtinguerentur coloribus, aut pedes vermiculi iuli numerares. O inepte, exurunt cor tuum cupiditates, cur alia attendis? Vicini tui tecta non pateteris ardere, & pateris præcordia tua? Illi, in cuius domum ignis ſæuiebat, nihil aliud priùs, quàm incendium nuntiares; non priùs narrares fabellas vulpeculæ, non quot catulos peperiſſet canis; cur tibi tantumdem nugarum nuntias, & taces illos ignes poſthumos, qui manent te, & quò properas? Taces mortis edictum in tuum caput; taces inſidias fortunæ; taces conditionem tuam; taces hominem eſſe: iſta tibi nuntia; horum te certiorem facias. Alia non vacat ſcire; & ſi vacet, diſce priùs neceſſaria. Diſce non quærere tibi mœrores: diſce, ne te illi inueniant. In multis formido inuentum noſtrum, in nonnullis inertia, in omnibus auxilium eſt. Diſce fortunam ferre ſine odio alieno, & infortunium perferre ſine ira tua. Diſce bonum eſſe, & amari à bonis. Itaque hic vſus mentis ſapientia eſt; ſapientiæ vſus, virtus; virtutis vſus, opus.

PÆDEVSIS VIII.

Cognitio diuinorum maximè perficit intellectum.

Cap. 54.

Principium, & cauſa, & amuſſis humanæ felicitatis eſt diuinorum, honoratiſſimorúmque cognitio.

DEnique, in compendium cæteras inſtruendæ mentis præceptiunculas redacturus, vno præcepto; aduoco illud Theagetis: Ἄρχα γὰρ, καὶ αἰτία, καὶ κανὼν ἐστι τᾶς ἀνθρωπίνας εὐδαιμοσύνας ἁ τῶν θείων, καὶ τιμιωτάτων ἐπίγνωσις. Dei cognitio, & honorabiliſſimarum veritatum perſpicacia cæteras mentis conceptiones erudiet, diſperget nebulas. Regula cognitionum, amuſſis veritatum eſt contemplatio primæ. Hæc cæteras gubernabit, vt prior machinæ rota cæteras voluit. Cardinalis illa cognitio verſat alias. Diocles, ſapiens Philoſophus, ſapientior Chriſti auſpiciis, egregiè inquit: Mens, quæ receſſit à Dei contemplatione, fit, vel Dæmon, vel beſtia. Nimirum animi partes diſtribuit, rationalem conſortio diuinæ cognitionis honorauit, qua non fulciente ſtatum hominis, rationem, eripit cupiditas, inſurgit ira, peſſimarum opinionum aſſeclæ: in bruta libido, in furias furor nos transfundit. Maximè autem notitia Dei ſalutem animi gubernat. Quemadmodum autem, vt videas, oculi curandi ſunt, quibus vides: ita, vt rebus iuſta pretia imponas, vt ex ratione iudices, vt ſapias, vt benè viuas, animus curandus eſt, per quem viuis & iudicas. Oculus, qui lumen nequit intueri, infirmus eſt, cætera non videbit: ita Deus cognitus recta iudicia rerum auſpicatur. Citiùs tamen ſanitatem corporis, quàm animi quærimus. Multùm inter vtramque intereſt. Valetudinem corporis ij æſtimant, qui carent; ſanitatem animi, qui habent.

Cap. 55. Diiiciet falſas rerum opiniones quiſquis ſe cogitet exemplari Deo factum, & Deum ſine diuitiis felicem, ſine voluptatibus beatum, ſine faſtu honorabilem, ſe ſolo contentum, ſufficientem, lætum. Anne putabit bona, quibus Deus caret, & lætus eſt? quibus mali abundant, & miſeri ſunt? quibus feræ, & non felices? Anne, qui videt ſummum bonum, propoſitam animi ſui normam, illud audebit quærere per mala, fraudes, ſcelera, &, ſi vis adiicere, opes? Malè quæritur per miſerias beatitudo, cuius error tot membra habet, quot vota. Tantum bonum eſt, vt à malis etiam appetatur: imò, quod miraberis, ideò ſunt mali, vt ſint beati; tantò tamen diſcedunt à beatitudine, quantò accedere, aut volunt, aut putant. Cauſa eſt ignorare viam, aut pro ipſa habere. At neque in ipſa, neque in via poteſt errare, qui Deum, beatitudinem ſuam noſcit, viam, virtutem; & hanc quoque quamdam eſſe felicitatem viaticam. Homo alius alio (vt Barlaamus Gyracenſis philoſophatur) meliùs viuit: ergo terminus eſt naturæ humanæ finitæ, in quo benè viuat: hic beatitudo aliqua eſt. Benè viuere, eſt beatum eſſe: benè autem viuere, bonis ſuis definiet: bona autem ſua ſummo bono. Sequi Deum, parere, colere, amare, omnia ex officio agere, virtute regi hæc bona ſua putabit, quæ ducunt ad ſummum, quibus ſe Deum ſimilem & vicinum facit, quæ gubernat ratio. Cætera contemnet, nec bona per ſe æſtimabit, nec adiuncta. Diuerſa non augent beatitudinem: nam nec linea augetur punctis, nec ſuperficies lineis. Videt Deum conſiſtens quid, æternum, idem ſemper: ad eius exemplum colligit bona ſua, eligit ſtantia, perpetua; non illa, quæ perire poſſunt, quæ labi, quæ rapi: in iſtis felicitas non eſt: præſtarent manantia; nihil felicitati præſtat. Non eſt beatitudo, quæ inſipientia eſt, aut anxietudo. Qui ignorat, bona eſſe caduca, beatus cum ignorantia non erit; qui ſcit, cum timore miſer erit. Dices, non timendum, non dolendum, ſi amiſerit: ſed negligendum & vile eſt, non beatitudo, quod contemni debet.

Quid moror? Qui noſcit Deum, ſapiet: qui ſapit, ridebit mortalium nugas, ridebit ineptias, quas opinio intruſit. Non vides opinionem corrupiſſe omnia iudicia? Pro ornatu iam onera ſunt, & oſtentationem felicitatis faciunt imitationem miſeriæ. Catenis ſe onerant ingenui; Cap. 56. & quòd aureæ ſint, infamiam ſeruitutis non erubeſcunt: cùm magis captiuus ſit, qui auro, quàm qui ferro vinciatur. Sua vota ipſi accuſant auari, dum ipſis, velut ſontes, vinciuntur, aut amentes. Lepide Nicolaus, videns quemdam varij generis catenulas collo ſibi circumdantem, Cæteri (inquit) ſtulti vnica catena ſe vinciri patiuntur; huius autem inſania vna catena non eſt contenta. Aliquos non tantùm ligat aurum, ſed figit: per vulnera inſeritur auribus, aut naribus perforatis. Quis tyrannus, vel Phalaris aliquis per malefactorum artus immerſit vincula? Auaritia non ligat ſolùm, conſerit intra humanum corpus: tormentum ſuum penetrare cupit. Quid addam? Gloriam humanam faciunt, quæ contempſit pecus. Nobiliores putantur ob filum lanæ ſubtilius: nemo, qui ſe nobilem putaret, reiectum ab alio amictum indueret, ne dicam, oſtentaret; & tamen abiectam ouium veſtem, aut vermiculi vomitum iactamus ad gloriam. Potes ſereno, puro, legitimo nitore ſyderum, Soliſque perfrui gratis; & magno emis ſplendorem dubium gemmulæ. Honos opinione quoque addictus diuitiis eſt: plures hoc dumtaxat titulo, quòd locupletes ſint, coluntur, & tantum non diuinas cæremonias admittunt: a b his etiam, qui viles & abiectos auaros putant, nec vllum nummulum ad ſe venturum ex tanta aggeſtione: niſi velis illud eſſe meritum auari, prohibuiſſe aliis aurum, ne alij mali ſint, ob quod ipſe

ipſe peſſimus: in hoc ſolùm beneficus, quòd vetuerit, vnde lædi poſſes. Mortem pariter æſtimatio fœdauit: mala putatur, quæ non eſt, niſi malam facias: terribilis, repentina, violentáque habetur. Gladios, fulmina timemus: certè ex ſe plùs timendus eſſet pepo, quàm tonitru: prolixam ille & moleſtam mortem facit; iſtud leuem, & ſine ſenſu; quantò magis ſine moleſtia? Maximi quoque erroris eſt, æſtimare vitam annis, non operibus: maximóque opinionis damno inopinantes accedimus ad mortem: & cùm auidi viuendi ſimus, nunquam volumus; ad id tempus reſeruantes viuere, ante quod morituri ſumus; tunc proponentes incipere vitam, vbi finitur; remittentes ad illam ætatem virtutem, in qua etiam vitiis inutiles erimus. Minima pars vitæ eſt, qua viuimus; & eligimus deteriorem; & cùm queramur, exiguum eſſe tempus, nihil libentiùs perdimus. Non tempus exiguum eſt; ſed nos exiguè æſtimamus. Longa ſatis vita eſt occupanti. Poſtquàm amiſimus tempus benè viuendi, tunc volumus, cùm ſatis eſſet viuere: ſed ætatem benè moriendo dicatam reſeruamus, vt benè viuamus. Ante ſenectutem curandum eſt benè viuere, in ipſa benè mori.

Cap. 57. Præditus tamen cognitione diuina non ſe his commouebit rebus, ſiue poſſideat, ſiue ſpolietur; conſcius nihil bonum in illis, niſi vſum eſſe & electionem animi. Non aliter ac pueri, dum teſtulis ludunt, de victoria ſoliciti ſunt, non de lapillis, quos ſtatim proiiciunt: ſic non de rebus, ſed vſu rerum; ne pueris inſipientior ſit, prouidus erit. Noſcit omnia à Deo eſſe, & ad ipſum à ſe reducenda. Sciet, qui conſpicatur cæleſtia, & diuina, alias voluptates præter ſenſuum excellentiores, nec delectationes corporis præferet, vbi Deum beatum ſine corpore noſcit: nec in argumentum iucunditatis ſumet, quidquid cum ſpecie lætitiæ, cum riſu fecerint homines: nam & inſani & phrenetici rident, cùm valido ictu caput parieti illidunt. Non libidinem, non gulam æſtimabit, nec ventrem colet. Ridebit vorantium amentiam æqualem Barbaris illis, qui ſeruum, quem poſteà occiſuri erant, conſecrabant Deum: ſic helluones adorant, quæ deſtruunt: ſeruili animæ, viliſſimo ventri ſummittunt Reginam mentem. Quid? nec mortem timebit, nec amabit vitam, quam ſolùm noſcit timendam: nam à mala vita ſolùm mors eſt mala. Hoc animo erit, vt pro eo, vt res poſtulauerit, patienter, ſi non libenter, pereat; & ſine metu, licèt cum dolore: neque pertinaciter volet, aut viuere, aut mori; ſed pro re nata non gladios, non enſes formidabit. Epictetus Arriani ad exemplum huius Philoſophiæ obiecit ſuis auditoribus Chriſtianos, atque ad æmulationem ſapientiæ ipſorum inſaniam: ſic vocauit ſapientiam Dei homo ethnicus, quam veriſſimè prædixit diuinus Paulus videri gentibus ſtultitiam. Admirabilis tamen iſta ſtultitia Epicteto fuit viſa quam propterea propoſuit ſapienti imitandam. Certè nunc quoque, qui pariter contrauenerit vulgi ſententiis, & errantis multitudinis iudiciis, inſanus videbitur; ſed non niſi inſanis.

Cæterùm, vt iuuat cognitio Dei veram æſtimationem; ita iuſta æſtimatio rerum, id eſt, contemptus, iuuat cognitionem Dei. Contemplari diuina animus nequit, niſi contempto corpore: at, qui contemnit corpus, nec mortem timebit, nec voluptates amabit, minùs ipſarum inſtrumenta, diuitias. Scit impedimentum veritatis corpus eſſe; illo ſe pro viribus deſuet, quod ſcit malorum cauſam. Bella, rapinæ, propter diuitias ſunt; diuitiæ propter corpus: quare, contempto corpore, diuitias contemnet; contemptis diuitiis, innocens erit; cum innocentia pacatus, liber ſui; cum libertate contemplator diuinorum; cum contemplatione diuinorum contentus Deo. Diuinus Paulinus ait: Cap. 58.

Nihil de mundi ſumere cenſu
Mens opulenta Deo voluit.

DE ARTE VOLVNTATIS.

LIBER QVARTVS.

PROÆRESIS I.

Circa affectuum vſum.

Cap. 1. NVNC ad ſingularia venimus, ſingulos inſtituti voluntatis impetus, in rempublicam digerendos, ne turbam confundamus, vt correcto affectuum vulgo, ſua reſtituatur monarchia, ſuus principatus gaudij, dominatio pacis, imò & ſuus honos voluntati, ſuus decor naturæ. Iniquus Zeno viſus fuit, atque, ſi Hieronymo credimus, Pythagoras, quòd, vt infamaret affectus, malos dixerit. Commendauêre, ſiue Pyrrho, ſiue Stilpo, vacuitatem ſuam, Condemnauêre, qui de Lyceo ſunt, exceſſum. Cum errore omnes, niſi idem velint, ferè vt Auguſtinus tentauit. Etenim ſupellex naturæ mala non eſt, nec ſuperuacua. Arma, & membra animi cur ſuccidemus? Mutilus animus ſine affectu, quibus pedibus feſtinaret ad virtutem, niſi votis? qua manu apprehenderet, niſi ſpe? quibus brachiis amplexaretur, niſi lætitia? Cæterùm & Peripatetici peccauerunt, dum exundantiam damnarunt. Non mala affectus magnitudo eſt, ſed cauſa: non tam concitatio, quàm error. Viator non eſt dirigendus, quòd properet, ſi viam tenet; ſed, ſi aberrauerit, licèt placidus eat. Cupiditas, & amor, licèt concitatiſſimi, ſi virtutis, & Dei ſint; rectà eunt, optimi ſunt: ſi terram verſus flectantur, licèt lenti ſint, deprauantur.

Digitized by Google

uantur. Summum vitium Porticus infamauit metum. Vtique, ſi ad terram demiſeris: at, ſi ad cælum reducas, magna virtus erit, ſumma ſecuritas, ſumma fortitudo; nihil timet, qui Deum timet. Tam parui, quàm magni affectus boni ſunt, ſi eos gubernet virtus, & in via recta ſtatuat quamuis cùm degeneres ſunt, pro rerum omnium ritu vehementiores, fient nocentiores. Purus, & defæcatus ſanguis, vectabulum animæ, & cauſa ſanitatis eſt; corruptus & fæculentus, ægrotationis; ſi exundet, feſtinantioris mortis. Sunt & affectus fulcimenta virtutum: languet fortitudo ſine ira; prudentia ſine metu: imò fient virtutes, ſi cum modo. Da modum cupiditati, iuſtitia eſt: da voluptati, temperantia eſt. Circa ipſos, & in ipſis conſiſtit virtus, cuius materiam, & ſubiectum ſunt. Mete vitia, fruges exorientur bonæ cum vbertate naturæ. Mali non fiunt niſi incuria noſtra. Coloni ignauia plãtę in horto ſylueſcunt: neque fundus peſſimus eſt, quòd incultus tribulos tulerit; culpam agricolæ imputa. Inculti cordis vepres, vitia ſunt: culti tolæ, virtutes affectuum caulibus emiſſæ. Meritò Theages dixit: Δεῖ ὦν τὸ πάθος οὕτω παραμφαίνεσθαι ἐν τᾷ ἀρετᾷ, ὥσπερ καὶ τὰν σκιὰν, καὶ τὰν γραμμὰν ἐπὶ τᾶς γραφᾶς. τὸ γὰρ ἔμψυχον, καὶ τὸ ἁπαλὸν, καὶ τὸ μεμιμαμένον τὰν ἀλάθειαν σὺν τᾷ χρηστότατι τῶν χρωμάτων, μάλιστα γίνεται διὰ τούτων. ἔμψυχα δὲ ἐκ παρορμάσιος, καὶ ἐνθουσιασμῶ ἀρετᾶς τὰ κατὰ φύσιν τὰ πάθεα τᾶς ψυχᾶς. Γίνεται γὰρ ἐκ παθέων ἁ ἀρετὰ, καὶ γενηθεῖσα, πάλιν σὺν αὐτοῖς συνίσταται. ὥσπερ τὸ καλῶς ἡρμοσμένον ἐκ τῶ ὀξέος, καὶ βαρέος, καὶ τὸ εὔκρατον, ἐκ τῶ θερμῶ, καὶ ψυχρῶ. Οὐκ ἀφελεῖν ὦν δεῖ τὰ πάθεα τᾶς ψυχᾶς, οὔτε γὰρ ὠφέλιμον. ἀλλὰ συναρμόζεσθαι ποτὶ τὸ λόγον ἔχον τῷ δέοντι καὶ τῷ μετρίῳ. Quare non ſunt omnes affectus cædendi, ſed dirigendi. Non omnes viti palmites amputantur, diriguntur nonnulli, producunturque in longum, vt illac frondeſcat. Eleganter Philippus ſolitarius ait: Cupiditatis pulcherrima ſoboles, temperantia eſt: è calycibus iræ fortitudo prorumpit. Iſti affectus, vt ipſe inquit, matres ſunt virtutum, & vitiorum. Ita eſt: virtutes pariunt, cùm ratio obſtetrix eſt: abortiuntur vitia, cùm opinio. Cupiditas, etſi peſſimè audiat, peſſimè de temperantia mereatur; ſi tamen Dei ſit, reſtaurabit ſuum honorem, continentiæ parens fiet. Contemnit omnia terrena, qui diuina cupit.

Quamobrem opus eſt, affectus ita ineſſe virtuti, vt vmbram & linea ſunt in pictura, quam viuam quodammodo, blandam, & ad rem ipſam maximè expreſſam cum bonitate colorum efficiunt. Sic etiam affectus animæ ſecundum naturam ſe habentes, cum ad virtutem diuino quodam impetu rapiuntur, vitam omnino videntur. Siquidem virtus ex affectibus & naſcitur, & nata rurſum cum ipſis conſiſtit, quod ſuauiter concinnum eſt ex acuto & graui, & rectè temperatum, ex calido & frigido compoſitum eſt. Quapropter affectus ex anima tollendi non ſunt, quòd inutile foret: ſed cum decoro, & modi ratione conciliandi.

Cap. 2.

Priuſquàm videamus, qua arte ſinguli gubernentur, præmonſtrandum eſt ingenium vniuerſum cordis, præcipuorúmque affectuum diſpicienda compago, & veluti replumbandum artificium: mox ſuæ vnumquemque ſtationi reſtituemus. Enumerabimus illos dilucidiùs, quàm Stoïci; pleniùs, quàm Peripatetici. Recenſuit Ariſtoteles, quotquot ſufficiunt politico; nos Chriſtiano. Nequit horologium reparare ignarus artificij, ita compoſitoris voluntatem ſuam, prænoſſe machinam, & compagem oportet. Itaque omnis animi motus, aut in bonum eſt, aut in malum. Cenſeo bonum, mali priuationem: cenſeo & malum, boni carentiam. Boni impetus rectà in bonum ſemper procedit. Mali motus duplex eſt, interdum recedit, interdum accedit; hoc eſt, fugit malum, aut fugat, aut ſe recipit, aut profundit, & aggreditur. Cæterùm, bonum, & malum, ſiue coràm arripit nos, ſiue abſens prouocat, aut reuocat, aut vocat: ſcilicet, aut præſens, aut futurum, aut præteritum, aut poſſibile eſt. Vbique voluntas quietem quærens inquietat bonum: vndique illam malum inquietat. Iſthinc diſtribuuntur affectus pro boni, malíque obtentione, aut cautione. Amor rectò, & ſimplici obtutu in bonum ruit: cùm iſtud præſens videt, transformatur in lætitiam; cùm futurum putat, faceſſit in ſpem; cùm præteritum, aut poſſibile eſt, in deſiderium diffunditur. Atqui & motio circa malum ita diſtribuitur: quæ ſimpliciter vultu iniquo reſpectat malum, offenſio dicitur; radicata adoleſcit in odium; cùm à præſenti damno ſubducitur, in triſtitiam abit: circa præteritum pœnitentia dicitur; circa futurum contrahitur in metum. Hæc caterua ad cautionem eſt, & ad fugam. Sunt alij militares, & ad pugnam, qui aduerſùs malum inſurgunt, aggrediunturque: ira armatur, cùm malum præſens eſt; fiducia, & audacia adornantur in futurum.

Satis iſta numeraſſe: quotquot ſint alij, ho- *Cap. 3.*
rum ſequentur moderationem: iſtis correctis, cæteri emendabuntur. Sed & æqualitatem animi, tranquillitatem cordis, manſuetudinem, ſecuritatem perperam Stoïcorum aliqui inter affectus ponunt. Non affectus ſunt; ſed affectuum modeſtiſſimorum, ordinatorúmque effectus. Porrò in vniuerſum affectus pro impetu nomen merentur. Vario Oceanus fluctu concitatur: nunc tenuis aura tentat: nunc vehementior agitat flatus: nunc læua iactat vndas procella, furenti verberat Noto, quæ naucleros arte, nauim malo, nautas ſalute multat; huc, illúcque ratem quatiens, tandem euertit. Triplici hoc modo mutatur animus, leniter, duriùs, funditùs. Motus illos, qui miteſcunt, & velut infantes ſunt, affectiones dicimus: dum adoleſcunt, roborantúrque, paſſiones: dum ingruunt, euertúntque rationem, perturbationes vocantur. Sunt aliqui domeſticiores, & veluti municipales voluntati, ſua frequentia noti, familiares, vicini, & ad manum; hi iam conſuetudinis vſurpant agnomen: omnes nexi ſibi & conſerti ſunt, alij ex alijs erumpunt, mutuò ſubnaſcuntur; viciſſim ſibi patres, viciſſim filij ſunt; interdum & homicidæ mutui; nonnulli perimunt alios. Fluctus ſuperuenienti fluctu interdum frangitur, interdum reficitur: ita affectus ſuperuenienti affectu, aut languet, vt lætitia mœrore; aut gliſcit, vt amor votis, deſiderium amore. Iſta eſt ſupellex pacis, hæc familia voluntatis, hic dominatus cordis.

Ducit omnes choragus amor, & velut Apol- *Cap. 4.*
lo Muſis præſidet, a quo ſuſpenduntur alij, qui ad obſequium animi ſunt, cui proſpiciant, pro quo caueant. Iniqua tamen tractatione euertitur compoſitus ordo, diſſoluitur compago, faceſſitque in tumultum monarchia, in vulgus reſpublica. Amor, Rex affectuum, è ſolio cordis iubet: parent cæteri, famulantur, pro ipſius nutu aguntur; ipſe gubernat reliquos: ſi amatum deeſt, vota; ſi periclitatur, mœrores; ſi adeſt, gaudia. Ipſe leges ſancit, & promulgat bonum ſequendum: accinguntur cæteri ad operas ſuis functuri muniis. Adornat ſe cupiditas ad veſtigationem, porrigendo, & diffundendo voluntatem in abſens, in futurum. Spes ſumptum facit ſuo beneficio moram ſuſtentatura expeditionis. Lætitia muneraria eſt, & pro iure ſuo celebrat aduentum

Digitized by Google

boni, iucundis excipit ludis, hoſpitatur auguſtè, cùm conſequimur.

Cap. 5. His directis affectibus proximo ius dicit amor oraculo, & velut ſua voce imperat, quoniam rectà in bonum tendunt, nulli ſuas vices delegat: tanti bonum facit, vt eius curam fidat de nullo. Atqui ſunt alij motus obliqui, quotquot malum reſpectant, vt æmulum eius boni, quod publicauit amor: qui licèt & amori pareant, ſuiſque legibus teneantur, (nullius mali fuga, aut pugna eſt, cuius non ſit cauſa bonum,) proximè illis nón aſſiſtit, ſed præfectum ſubſtituit odium, quod immediatè moderetur illos. Ipſe à malo quàm procul recedit, nec ſui aſpectus copiam præbere dignatur. Intercedente Proconſule odio aduerſùs illud præliatur, & cauet. Odium legatus amoris, contra mala feralem prouinciam ſuſcipiens, lugubres affectus ducit, incitat militares, vt Regi amori tutum bonum ſuum ſeruent, aut fuga, aut pugna. Ad hanc ſtrenuus miles ita deſtinatur, cùm cominùs decertandum eſt:

Quàm ſtrage multa bellicoſus ſpiritus
Portenta cordis ſæuientis vicerit.

Audacia ad futura prælia parat commeatum. Ex iis, qui prouident ſine conflictu, triſtitia in malum vicinum, in remotum timor eſt.

Cap. 6. Atqui horum etiam affectuum Monarcha, amor eſt, ſupremúſque tandem Antiſtes: omnes poſt ſe raptat, & concitat. Prima horologij rota, qua pondus ſuſpenditur, motat cæteras. Extrema mundi ſphæra inferiores corripit, vt vulgaris Philoſophia eſt. Magnes, qua parte tetigit acum, eò vertit: ita affectus vertuntur, quatenus infecti amore. Nec intereſt, contrarios motus eſſe odij, iræ, mœroris, formidinis: malum iſti reſpiciunt, bonum amor: iſtam enim contrarietatem etiam amor efficit. Nemo aliquid oderit, niſi quòd aliud amet. Duæ horologij rotæ contrariis voluuntur motibus; & tamen dum gyrat vna, alteram rotat in oppoſitum. Contraria quoque mundo ſemita ſydera ferunt vadere, eodem licèt raptata orbe. Iſtud igitur molimen voluntatis eſt: tot inſtrumentis apparatur, tot præſidiis inſtruitur gaudij, pacíſque officina, ne inopia miniſterij eximium tranquillitatis opificium peccet, aut vacet. Verùm oportet connexa omnia & ordinata haberi, ne quod ad ſolatium eſt, ad torturam ſit. Inutilia horologia ſunt diſſoluta.

Cap. 7. Atqui ordinabuntur omnes affectus, ſi illum, qui cæteros pro impetu ſuo verſat, & dirigit, direxeris, amorem dico, quem in primis curandum eſt ſtabilire baſi ſuis digna auſpiciis, immunitatem fortunæ adepta, inmota. Hæc Deus, virtúſque eſt. Semel autem electo amoris cæmento, figendus inibi eſt, vt firmiter inde verſet alias affectiones. Magni intereſt, ſit amoris optio, an caſus: namque tuto illo & ſecuro fluctibus fortunæ, cæteri incolumes ſunt; appendices, ſcilicet, immunitatis eius. Si flectantur nonnulli, ſua iam charitatis amuſſi ſunt reformandi. Vſum eorum ex amore conijce; pro amore ſingulos guberna. Elegítne amor tuus Deum, atque virtutem? pro electione iſta affectibus vtere. Malè audis? contumeliis te cædit quis? qui non plùs valuit, qui plùs voluit, qui minùs debuit. Examina, cui iuxta propoſitum indulgendum affectui, quis tuo conſentiat amori, mœſtus, ſiue alacris? anne iracundia? anne triſtitia? Erras, ſi non errasti amando: ſi Deum diligis, tutum eſt bonum, quod amas, nemo ſuſtulit illud, nemo amouit. Ecquod malum mœrore iſto fugis? Ecquod impugnare vis in iraſcendo? Aut non diligis virtutem, aut triſtitia prohibenda eſt: iam ſiquidem iſti affectus amori non quadrant. Diſpice, & quære conſentientem, quem tuus amor exigat. Credo, contrarius erit. Sunt iniuriæ diligenti Deum, non verba contumeliæ, ſed doctrinæ; ſunt eruditiones vitæ, ſunt præcepta virtutis. Doctorem probitatis æmulum habes, peſſimum habes: non intereſt, à quo; ſed quid monearis. Si patienter illas feras ab homine, illæ te ferent ad Deum: ſi ſuſferas, te efficient. Ipſa iam virtute frúeris, quam dilexiſti. Patientia virtus eſt: nec patientia eſt ſine eo, quod patiaris. Igitur, bonum, quod amaſti, præſens eſt: præſentia ſua lætitiam tuam poſtulat. Itaque pro amore tuo lætandum erit. Hunc feſtiuum affectum à diligenti virtutem iniuria exigit, non alios luridos & infelices: quemadmodum nec auarum affligit theſauri inuentio. Moleſtum & graue aliquid ſuſtines pro officio? arrige animum: perſpice, cuius tunc affectionis vſus opportunus tuo erit amori, inde conijce expromendum affectum. Anne timorem? Falleris, nullis fortunæ minis tibi periclitabitur Deus; nulla violentia eripieris virtute, niſi velis. Anne ſpem? Fortaſſe iam te in ſuam virtus admittit familiam: accepiſti bonorum teſſeram: iam conſcriptus alumnus es in matricula meliorum. Orphana, & imbecillis, imò nulla virtus eſt ſine patientia: iſta eſt proborum catalogus exaratus laboribus. Nemo eſt amantium lætus, niſi cum amaſio, niſi dilectus pignore ſui faueat, aut muliebri arrideat vultu, aut aliquam ſui præbeat ſpem. Pati cum virtute, & pro virtute, quædam arrha eſt diuinæ dilectionis, quidam fauor & inclinatio, cæli quidam diuinus riſus. Euge, macte fiducia, benè omnia ſunt. Æmulus diripuit tua? fur ſuſtulit? Neque iſtud poſtulat terrum odij affectum: nemo tibi furatus eſt Deum: hic eſt, & vbique. Non ſpoliatus: exoneratus es. Multum tibi relictum eſt, ſi non ablata virtus. Ita eſt. Vnum bonum repeteriſti, quod non concupiſcunt latrones, non inuident, non inſidiantur. Gaude amaſſe bonum ſecurum malis, cui vel peſſimi innocentes ſunt, inuidi benigni, omnes parcunt. Hoc pacto conſectarios amori deducamus affectus; ſeruiant Dynaſtæ ſuo: conſequentia enim votorum explanabit cor noſtrum, ne quid aſperum, & inæquale ſit.

Iuuat præterea hæc principis affectus inſtitutio, & confirmatio, non tantùm ad diſciplinam cordis, ſed lætitiam: potentior eſt enim vis animi in amore conglobata, aut in inuidia, odióve extorta, ad exprimendos affectus conſequentes gaudij, & triſtitiæ, quàm extrinſeca tormentorum violentia: ſubeunt acriùs, penetrant: in corpore ſunt & domeſtici, & intimi magis affectus affectibus; ideò extorquent efficaciùs animum, & ad ſe aduertunt attentiorem; inſinuantiùs, ſcilicet, inhærentes, quàm forinſeca organa lætitiæ, aut mœroris. Integer eſt magnus dolor inter omnia voluptatum inſtrumenta, triclinia, amphitheatra. Tutus eſt animus, & gaudens inter rotas, Cap. 8.

rotas,

rotas,& equuleos,ſi illud inteſtina vis ſuſtentet. Ita inſtituendus eſt omnis affectus ad bona, & hilaria, vt externum ſuccum ſuo non deſideret alimento:totam annonam lætitiæ non longinquiùs,quàm è ſe trahat.

Cap. 9. At iſta diligentia teneris,& velut pampinantibus affectibus fortunatur aſſidua putatione, ſolicita ſartitione:

Blandior ad falcem meſſor perducit ariſtas,
Si raſtris ſegetem pectere continuet.

Natura, & in infantia, & in pubertate, erudit germina ſua, flectit, quò velit. Amœnè Ennodius ait:

Exprimit in ſpicam tellus iam facta papillas,
Lacte maritatis turgida ceſpitibus.
Stringitur in prolem ſparſus per gramina ſuccus,
De guttis faciens progeniem ſolidam.
Veſtitus gemmis,prætendit brachia palmes:
De gremio ligni pampinus ecce viret.
Iuſſa per augmentum nunc ſyluam prodere vitis,
Frugibus vt creſcat,vulnera conciliat.
Euocat,inquirit gaudens infantia mundi
Nutricem,tepidi quam dedit aura poli.
Ludit per faciem camporum ruſtica pubes.
Reſpiciens duri dulce laboris onus.

Time adultis iam,& tumida perflantibus bucca affectibus naufragium rationis; nec illos compeſces nec te:nam nec nauclerus iracundos Boreæ flatus continere, nec ratem ſeruare poteſt. Intereſt tamen iſtud diſcrimen: adulanti & tenui nauarchus aura nequit religare ventos validiores, vt deinceps non exaſperentur: nequit pacato æquore compedibus vincere flatus, ne nauim expugnent: nequit typhones vorticoſos in ſua clauſtra conſtringere: nequit mitigare fluctus ſæuituros adhuc in ſaxa. Nobis licet ſereno & facili cælo ingruentes nimbos propellere; in ipſa tranquillitate diſſipare procellam,illudere ecnephias, præſterem, exhydrias; cupiditates dico,monſtra naturæ. Feliciſſimam naucleri artem putares, qui ſua manu ventos contineret, & pro arbitrio fluctus. Æolo, & Neptuno nauarchis tuto & placidè nauigares arbitrio tuo. Sunt peſſimi cordis flatus. Si recentem, blandúmque, & in natali ſuo opprimas ſpiritum; ſi primum cupiditatis fumum diſſipes: Æolus tibi es affectionum; explanare potes fortunæ tuæ vndas,& immunitatem obtinere naufragij.Non ſubmergetur ratio,ſubmerſa paſſione.

Cap. 10. Magnopere iſta iuuabit eruditio tenereſcentium affectuum: nam roboratos nec audebimus opprimere,aut vix poterimus,& fortè aliquando extinguent priùs, quàm extinguentur. Barcinon,nobiliſſima Hiſpaniæ ciuitas, huius exemplum vidit. In hac vrbe quidam leo manſuefactus magiſtrum ſequebatur:contempſit adoleſcens obuius feram,manúque clunem ſemel verberauit:illa tunc ſui memor,iniuria,ſuperbóque ingenio reuocata ad naturam, in percuſſorem ſubitò regreſſa,vindictam geſtu parabat: feſtina magiſter voce cohibuit, iubens ſiſtere: adeò tamen feruerat bilis, adeóque impetum compeſcere voluit,vt prohibita explere, exanimata ſubito interitu fuerit. Tantoperè oppreſſi adhuc, in ipſas feras affectus ferociunt: nec minùs deſtituti. Valliſoleti quoque iſtud accidit. Quidam calumniatorem cæſurus corruptum gladium eximere cœpit è vagina: occurrerunt cohibituri facinus,& prohibuêre,ne penitùs exereret: at ille impetu fruſtratus expirauit. Iudicio omnium Medicorum, ſi non contineretur,viueret. Locuſtam quoque pauor perimit, polypo viſo. Tantùm in animalibus valent affectus, vbi minùs valent:ſi non occiderint,torquebunt. Rogauit Apollonium Babylonicus tyrannus, quo ſupplicio eunuchus traducendus foret, quem cum pellice ſua deprehenderat. Quid, ille reſpondit,niſi, vt viuat? Addidit admiranti Regi: Omne ſupplicium,ſi viuet,ob amorem patietur. Caïn,cuius inuidia prima mortis obſtetrix fuit, grauiori ſupplicio dignus,quàm intulerat damnum, vita donatus eſt, tremore pauido damnatus. Acerbiorem pœnam morte, vehementem paſſionem puta: fortaſſe inde patiendi nomen merita fuit.

Porrò iſta edomandorum, erudiendorúmque affectuum ſolertia maximum in luridis, mœſtis, fugitiuis erit operæpretium, non tantùm tranquillitati vitæ,ſed vitæ,& valetudini. Nobiliores ſunt, magiſque conſentanei naturæ, qui boni frontem lætam intuentur,ſequuntur, quàm qui retrahuntur,& aufugiunt.Salutares illi & animo & corpori. Amor, ſpes, gaudium exhilarant mentem,recreant corpus, ſanguinem purificant, dilatant præcordia,ſunt baſes ſanitatis.Periti ſſimi Medicorum inter pharmaca lætitiam iubent. Plures leuauit morbo accidens iucunditas: odia verò,timores,iræ, triſtitiæ, ſtringunt cor, noxij ipſi corpori,venena inteſtina. Nuperrimè in hac aula Philippica hominem ſubita triſtitia vidimus repentè extinctum, nunciata filiæ morte. Experimur plurimorum valetudinem afflictam, vitam interceptam angoribus, pœnitudinibus, mœroribus Ita infelices affectus cùm magis,occupent humanos ſenſus, inſalubriori fungimur valetudine, quàm bruta. Vbertatem nobis mœrendi memoria damnorum facit: præſagium futurorum,præter animi dominium maius: lacrymarum,riſúſque vim affectuum vehementia, & animæ in corpus poteſtas ab ipſo extrundit. Itaque optimus virtutis habitus mœroribus exemptus,corporis ſanitatem fulcit.Doctus experientia Porphyrius ita monet: Conſeruat maximè ſanitatem imperturbatus animi ſtatus; cogitationiſque diſpoſitio ad ipſum,quod verè eſt, expoſita: multùm enim vigoris ad corpus inde redundat. Quemadmodum experientia noſtri familiares comprobauerunt, adeò vt dolores iuncturarum,pedum ſimul,manúumque acerrimos, annóſque integros octo vectari ab alio compellentes ſimul expulerint cum pecuniarum, rerúmque iniuria externarum, ſtudióque ad Diuinitatem prorſus iacto: ſimul igitur pecunias,atque curas, morbúmque corporis expulerunt. Ex quo apparet, plurimùm,imò totum ad ſanitatem conferre, certum quemdam animi habitum, atque ſtatum.Conſentit Cornelius Celſus:Valetudo, inquit, bona contingit ob bonos mores. Medici, Zamolxidis, & Zoroaſtræ ſequaces,omnia dicebant corpori bona, & mala ab anima fluere in corpus,velut oculorum qualitas à cerebro; cerebri qualitas à toto corpore: atque, vt impoſſibile eſt oculos curari, niſi curetur cerebrum,& cerebrum curari,niſi totum corpus: ita totum corpus,niſi anima benè valeat, non poſſe Cap. 11.

benè valere: animam autem curari ratione recta. Philoſophicis ſermonibus Thraces Medici dicuntur curaſſe aliquos. Plato quoque dixit, non ex corpore bono bonum animum; ſed ex animo bono bonum corpus reddi. Plurimùm in corpus animus pollet. Scribit Auicenna, fuiſſe quemdam paralyſi oblædentem corpus pro arbitrio, tutúmque ſe ſeruaſſe noxiis animalibus, ſibi, cùm volebat, innocentibus. Reſtitutus quidam nomine, pro libito ſe furabatur artubus, vt nec vulnera, nec aduſtiones ſentiret: ſtupendo naturæ priuilegio potuit ſine virtute fugere voluntate damna Imbecillia morbo corpora impetus animi fortificat: ægrotantes phrenesis roborat, qui, cùm ſuis nequeant ſubſiſtere pedibus, multis valentium manibus reſiſtunt. Quare oportet roborare animum, & affectibus exornare mitibus, vt inde corriuentur ſua in corpus commoda, inde vires, inde blandimenta ſalutaria. Plures ſæpè corporis cruciatus iucunditas animi feſellit. Multis acer Dei amor extinxit Martyribus doloris faces. Satis itaque corpori prouides, ſi animo.

Cap. 12. Nec tantùm priuatum bonum eſt, inſtitutio affectionum; ſed publicum. Fons plurium malorum vnus eſt ineruditus affectus: deriuat latrocinia, homicidia, proditiones, bella, vrbium ſubuerſiones. Vnicus cordis impetus in plurima mala effunditur. Paridis cupido fluxit vſque ad incendium Ilij. Inuidia Cæſaris, & Pompei deuoluit trecenta millia humanorum capitum. Vnam cupiditatem gloriæ Macedonicæ expauit orbis, & ingemuit. Non peſtilentiæ, non procellæ, non fulmina, non terræmotus ita malè de humanis merentur, vt vota humana. Iſthinc iam & quantùm adferant adiumenti, cogita, cùm curati ſunt affectus, ſi quidem tantæ ſunt peſtes, inculti.

Cap. 13. Adiiciam ad infamiam perturbationem prodentium ſe, quòd non ſolùm diſcordantes; ſed etiam concordes ſibi obſtent. Mirum eſt: amoris conſenſus creat odia: eadem cupidine gloriæ, qua contemneris contemnis contemptorem: eodem vitio offendis, & offenſus doles. Pecuniarum amore rerum erepta tibi ſunt, quæ in pretio habebas: ſed gemis, non alio languens morbo, quàm peſſimo amore rerum. Diuortium animorum facit conſenſus vitiorum: vnius auaritia alterius auaritiam odit: ſuperbia ſuperbiam offendit: in alieno exemplo ſe ipſa damnant vitia. At, ſi diſplicet factum alienum, diſpliceat apparatus: Ineruditio affectuum, omnium eſt malorum proſcenium. Omnis hîc inſtruitur vitæ tragœdia. Cor futurum aulam Dei, caulam ferarum facimus. Quid ferocius cupiditate, ſi ſemel licentiam ſui, aut ſumat, aut des?

Cap. 14. Cæterùm, correctionem affectuum vis molliet conſuetudinis, quam iterum commendare libet: huic decedit ingenium. Magnum iſtud beneficium naturæ, velle deponi. Efferauis indoles te impellit? obſtinata tibi non paret? licet commutare; mitiorem, & ad guſtum quærere. Proxeneta naturarum, conſuetudo eſt. Famuli, cùm non parent dominis, è familia mittuntur; ſubſtituuntur alij: ita & ingenium contumax reiici poteſt; mite, & parens ſuffici. In quo peccauit natura, emendabit mos: quod illa negauit, hic largitur. Finge tibi fortaſſe cum Cebete aliquo, ad huius vitæ ianuam confluentes animas; tuam tamen iſto ſingulari priuilegio honoratam vt indolis optionem faceret: credo iam minùs calumniareris vitæ moleſtias: nam & cum in conſilio tuo intrares, & te ad guſtum adornares. Beneficentiùs tecum actum eſt. Quidquid votis commentari licet, anteuertit munere, excellitque ſuprema illa Mens, bonorum matrix. Legere pro guſtu naturam potes conſuetudinis beneficio, adeò ſimilis naturæ, vt tempore ſolùm dignoſcatur. Secunda natura, conſuetudo eſt; aut natura, conſuetudo prima: & illa artificialis natura; aut iſta conſuetudo naturalis. Ita nos creat, aut fingit indolem, vt aſpectus feſellerit plures, vſque ad infamiam naturæ, improbitatem putantes conſuetudine contractam. Subſtantiationem inquit Philippus ſolitarius, & naturam. Verùm, ne fallamur, ſaltem miremur,

Naturam ceſſiſſe viro.

vt Paulinus ait. Iuxta Philippum Piſides in meliorem partem canit, & diuiniùs:

Καὶ πάντας ἡμᾶς ἐνσιῶται σοι θέλεις,
Καὶ τεκνοποιεῖν τῷ Θεῷ καθ' ἡμέραν.

Omnéſque nos ſubſtantiare tu velis & filios generare Deo quotidie.

Certè in hoc munere, vt ſequar vim & licentiam Græcam, ſic dixerim, ſubſtantiandi, & eſſentiandi, nos filificandos in meliores, intérque familiam Dei, non excludit Piſides conſuetudinem; ſed honorat cum conſortio gratiæ. Quotidie, dixit. Itaque non ſolùm electionem naturæ adeptus es; ſed veluti effector tui effectus, & architectus, & faber tui fabricatus. Partem ſui muneris partitus eſt ſummus ille rerum Artifex: dedit, quod potuit. Non poterat fieri, quòd te efficeres; dedit, quòd reficeres: non ſolùm ingenium, quando velis, habere; ſed facere. Si natura non pro voto data; datur ſupra votum ars naturæ. Iſtud præſtantius eſt: nam, quòd optio tui in primo vitæ aditu detur, aut poſt ingreſſum, nihil niſi tempus refert: vtrouis modo tuo arbitrio veniret fingi. Nec crementum gratiæ adieciſſet dies: moram potiùs iſtam gratiorem putes. Nam, ſi, cùm rudis, & nondum vitam expertus, optione iſta vtereris, fortuitò, ſine conſilio delectum faceres; mox cum pœnitentia, nunquam cum remedio; in omni ſemper lueres vitæ errorem, quem ſemel feciſſes ante, ipſam: irreparabile peccatum eſſet electionis inconſultæ: nunc benigniùs actum, poſt experientiam poſſe ad libitum fingi, refingi. Prudentior nunc delectus erit, vbi te probaſti. Sagacius conſilium eſt periculum: & honorificentius, & beneuolentius eſt, quoties volueris, te mutare, quàm ſemel te accipere, vt voluiſti. Maior poteſtas eſt eligendi indolem ſæpè, quàm ſemel. Diſplicuit Socrati indoles laſciuiens; commutauit pro modeſta, temperata. Rogemus Zopyrum, rogemus Alcibiadem. Ardens quoque ingenium, & præruptum Sanctus Ignatius in mite transfudit, humile, placidum, & conuenienter lentum; iudicio ipſo Medicorum variata natura: conſultiſſimam electionem fecit: maluit indolem Chriſti mitem, & humilem.

Quid, quæſo, humanæ vitæ magis repugnans, quàm virus? Vſque ad hoc auſa conſuetudo reparare vitam æmulo ſuo, veneno, quo diruitur. Inſtrumentum mortis fecit adiumentum vitale: peſtis humana Mithridati ganea fuit. Non venenis, Cap. 15.

nis,ſed antidotis aſſueſcamus. Virulentos cordis impetus commutemus pro ſalubribus, mitibus, ſequentibus bonum. Familiares mores bonos faciamus, vt ad iuſſa præſtò ſint. Ne vitium naturæ ſolùm culpemus; ſed noſtrorum peſſimorum morum in peius collabentium, ipſo ſe lapſu firmantium in præceps. Si vnius naturæ corruptionem ita nos corrupiſſe accuſamus, quid facient tot corruptiſſimæ naturæ ſenio iam peccandi contractæ? tot, ſcilicet, quot mores, quot improbas voluntates habemus? Tot corruptas naturas patimur, quot libidines; non alieno perditas ſcelere, ſed proprio; tot fomites peccandi. Non omnem calumniam ferat originis peccatum; ſed conſilij, & voti noſtri. Opponamus potiùs vni naturæ, natali culpa infectæ, aliam ſanctitate, iuſtitiáque confectam, conſuetudinem virtutis, fomitem ad bonum. Extundendum eſt corde affectus peſſimos, &

Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnémque noſtri portionem corporis,
Quæ capta fœda ſeruiat libidini,
Domi coactis liberandum viribus.

Conſuetudo ipſam ſeruitutem placidam facit, faciet libertatem. Amat ſua falco vulnera, & repetit: recurrit ad aſſuetas tenebras, & cui patens & liberum cælum erat, & Sol, in ſua pertica deſes torpet, cæcus ſidet. Aſſueſcamus repugnare, aſſueſcamus vincere, aſſueſcamus felices eſſe: ipſam adhuc obſonabit mos felicitatem animi, tranquillitatem cordis, concordiam affectuum.

PROÆRESIS II.

De ingenio amoris.

Cap. 16. NVnc ſeorſim diſpiciamus ſingulos Regius amor ancedat: antecedit quidem, vt aurum inter metalla, ignis inter elementa, Sol inter lumina. Prænoſcendum nonnihil eſt artificioſiſſimæ naturæ ante vſum præmonſtrandum. Subtiliſſima res amor eſt, ingenioſiſſima: ex his, quæ inexperti non diſcunt, experti non dicunt, neutri ſatis ſciunt. Sequar plures, qui, aut inexperti, aut ignari, (pleroſque opinor,) ſcripſerunt nihilominùs. Vſurpabo ex Platonicis nonnulla. Pro præmio adiiciam in collectam meum aſſem. Concurramus omnes, quò nemo peruenit. Nemo ſuo taxauit pretio iſtud ingenium vitæ, inſtrumentum commutandi naturas, proplaſticen compaginandi corda, machinam committendi animos, artificium vnitatis, glutinum orbis, illecebram Dei; cui interim monſtrabo vni quadrare, vnum decere. Ad diuinam dumtaxat formam amor fabricatus eſt pro menſura, vt numeris, immenſi. Velut teſſera teſſeræ cohæret; ita amor tantummodò diuinis conſentit: quieſcit ibi, alijs inæqualis rebus, id eſt, maior; ſolùm Deo, & ſe minor.

Cap. 17. Non inuido corde, non illiberali dextra ſummus naturæ Pater rebus prouidit; nec contentus præſenti largitione eſſentiæ, appendit ſpem. Fortaſſe aliquibus plus dedit in eo, quod poſſunt eſſe, quàm quod ſunt. Adiecit multùm ſupra naturæ donum: non nudam expoſuit, ſed cum dote ſua, cum ſpe nutritio commendauit amori. Omnia bona fecit, meliora vult. Cuique ſuæ conſummationis proxenetam aliquem, ſui ſolicitatorem boni, & velut pædagogum, atque cuſtodem ingenij, amorem, tanquam ſub præcordia, & medullas, intimiſſimis, & arcanis colligauit neruis. Elementis impetum dedit, quem inclinationem naturæ dicimus. Iſte amor verè cæcus & inſenſibilis, licèt ignobilior omnium, ferruminat orbem, & opere ſignino conſolidat. Omnis Vniuerſi ordo iſto cohæret bitumine; hac omnis ſtat compago iunctura; hoc obſtringitur nodo. Omnis mundi architectura amore conſtat: omnis naturæ œconomia ab illo eſt: per illum quodque ſuo ſtat ordine, aut quærit: ſuperiora prouident inferioribus, inferiora conuertuntur ad ſuperiora. Deinde ſentientibus impetum largitur appetitum, iam oculatum & vigilem tutorem. Scilicet pro dignitate cuique talentum amatorium tribuit. Atqui intellectiles naturas ſibi caras, & pretioſas, excellentiùs, ingenioſiúſque procurauit, vt quæ ſint è clariſſimo, &, vt ſic dixerim, ſenatorio ordine. Iſtas donauit amore præſtantiſſimi ingenij: liberaliſſimè prodidit: non tantùm dedit perficere naturam; ſed velut eligere. Illis, quas non exornauit ratio, dumtaxat indulſit ſuam abſoluere, & velut comere ſubſtantiam, intra ſuæ claſſis anguſtias, & plebeium ordinem. Ampliauit tamen præditis mente priuilegium. Inuenit artificio amoris optionem naturæ, non tantùm exornationem. Nulla iſtis forma ſub clauſtris: nullum cum exceptione decus. Peruadere omnes naturas valent, tranſcendere vniuerſas: dedit eſſe, quod velint, cùm dederit velle. Amoris ingenio in diuerſa abeunt, & ſtupendo tranſitu commeant ſine via aliò. Non ſolùm iſtas amor perficit; ſed iam tranſmutat: non ſolùm facit eſſe meliores; ſed iam alias. Tranſit amans mira naturæ ſubtilitate in amatum. Potes per omnem ambitum orbis iacere inuidos oculos, & ad guſtum in eam rerum claſſem adſcribi, quæ placeat magis. Nec exceptus diuinus ordo eſt: in ea verteris, quæ voles, inopina metamorphoſi tranſcendens. Orpheus clauicularium amorem fecit: habet claues, quibus pectus vnius pandit amantis, vt è ſe exeat; & alterius recludit, vt illuc domicilium transferat.

Eia age, veni, aſſurge, veni, non in eminens aliquod, non in verticem editiſſimi montis alicuius Olympi; ſed extra omnes anni, & Solis ſemitas, extra ſydera, in magnam illam ſpeculam non entium, & immanem vaſtitatem, vbi nihilum ſolitarium ſpatiatur. Finge tibi inter eas iacere vmbras cum ſpe ſolùm & potentia videndi lucem, municipióque fungendi mundano: iā iam ſub valuas Vniuerſi optionem tibi datam maxima benignitate ianuarij, eam ſubire naturam, quam velles, & ſub eo habitu, quem malles intrare mundum, & agere perſonam. Audi magiſtrum huius magnæ ſcenæ amicè alloquentem ita: Age, dilata oculos, pone inuidiam, bono animo ſis, in rempublicam coaptaris mundanam. Hæc indulgentia mea cumulata in te eſt, & largiſſimè profunditur. Alias res adſtringo, & ſuum cuique deſigno gradum, in vnam compello naturam: liberum tamen permitto tibi in Cap. 18.

eum

eum conſcribi ordinem, quem voles. Vide omnes, nulli inuideas: fies, quod legeris. Ecce ſeruilem gregem, elementa, ſaxa, metalla: ecce vulgus viuentium, herbas, frutices, arbores: ecce ſentientium plebem, reptilia, quadrupedes, natantia, volucres: ecce equeſtrem ordinem, homines: ecce ſenatorium, mentes: ecce meum auguſtum ſolium. In nullam te vrgebo claſſem ſine conſilio & ſententia tua: in eam te admittam, quam præoptes. Numquid tam abiecti animi, tam peſſimum caput fores, vt eligeres glebam eſſe, aut ſtatum, aut rupem, aut vlmum, aut pecudem, contemptis ſuperioribus, & diuinis ordinibus? Puto potiùs, relictis ſplendentibus metallis in vulua terræ, pellucentibus vnionibus in Erythræo littore, frondoſis arboribus in paradiſis, armentis in campis, imò & hominibus in foro, Angelis in Cælo, ſolùm inuideres Diuinitatem, & electione diuini conſortij Deus fieri ante omnia clamares. Nunc tibi ſimilis accidit indulgentia: quod tunc eligeres, tantumdem potes modò: natura ſub votum venit: fies id, quod amaueris: amor faber tui erit: id te faciet, in quod tendat. Amas aurum, gemmas, equos, & quæcumque alunt cupiditatem, quibus gliſcit voluptas, quibus tumet ſuperbia: non ſurgit dignitas tua extra vulgus entium, non honorificentiùs ſaxis, non ſapientiùs brutis. Inepties, ſi tempus tibi interdixerit eligendi iura, quod opportunum ſit: ſi quod faceres, cùm non poſſes, nolis modò, cùm poſſis. Explica lumina tua, effunde obtutum per immenſa Diuinitatis ſpatia: vide, ſi eſt, quod concupiſcas. Cur per valles, & fæces rerum demittis oculos, & inuides? Quin, ſi aliqua tibi ex iis placent, tibi eadem reperies limpida, inturbida, innoxia, ſine ſua fæce, ſine fœtore. Deus omnia eſt. Sublimi & innocenti modo claudit, quidquid lenocinari corda pollet; omnis formarum pulchritudo ibi præſentatur; velut qui in ſpeculo rotundo aciem occuparet, omnia expiatè videret, & baſiliſcum cum innocentia, & mortuum canem ſine graueolentia, & auidum ſine aduſtione ignem.

Cap. 19. At, abutimur arte iſta eleuandi eſſentiam: ipſo rerum detrudimur amore infra res ipſas: quo poſſumus plùs eſſe, minùs ingenio exaltandi ſimus; imò nihil reſoluimur: poſt infimum non reſtat. Argutè Guigo ait: Qui aliquo fruitur, ei neceſſe eſt per amorem ſubdatur. Tu autem frueris infimis: ergo infra infima truſus es, vbi locus non eſt. Attollamus nos, & pretioſiores homine fiamus; excellentiorem mortali vultum erigamus; honorabiliorem humana referamus ſpecie, non turpiorem. Appoſitè idem diſſerit: Si imago ſtercoris ex auro fiat, melior eſt vtique ſubſtantialiter, quàm imaginaliter: ſi autem Angeli imago auro imprimatur, imaginaliter erit melior, quàm ſubſtantialiter. Ergo animus à ſe effuſus, & per corporis expectoratus ſenſus, incorporalia intendens, à meliori, à perfecto in peius labitur, & quantò concitatiùs, quantò vehementiùs, eò deterior, & malignior ruit: ſi tamen ſuper ſe emergat, & aſſultet in edita, Dei complexu diuinus euadit, & efficitur, ſi Guigonem audimus, formaliter, ſi dici fas eſt, Deus; licèt ſubſtantialiter ſit anima. Æſtimemus eſſe humanum, & rationis optimam materiam excellentiſſimo artificio deputemus, ne terra deformemus imagine: materiam potiùs ſuperet opus. Diuina Dij fiamus ſimilitudine. Aurum à figura nomen capit; metallum humano vultu conſiſtens, homo dicitur: ita; Deus, cui diuina amando ſimilitudo imprimitur. Qui ſpeculum intuetur in vitro, faciem pingit, quam mittit: aſpectus eſt penicillum; color, ars: ita amans illius, quod intuetur, bonum, ſtatim effigiatur facie: id fit, quod reſpicit, vt ſpeculum, quod reſpicitur. Hoc diſtat inter mentem, & voluntatem: mens trahit ad ſe res, & ad ſuum gradum eleuat, materialia ad delicatiſſimam tenuat ſpiritus ſubſtantiam: voluntas ſequitur res, ad earumdem tingitur vultum, vt cera ſub ſigillo iacet, pro impreſſione captat figuram. Si ſignaculi effigies ſit ſerpens, leo, arbor, eamdem cera ſubit; ſi homo, aut Diuus aliquis, ipſa honoratur. Pulcher eris, ſi ames pulchrum; bonum dico & honeſtum: ſi turpe, & vile; turpis, vilis. Speculum talem faciem reddit, qualem accipit.

Cæterùm, amoris cauſa non eſt repetitio illius, à quo auulſi ſumus, vt putauit Ariſtophanes Platonicus, qui fractum fabulatur hominem, alterius ſui medietatis cupidum, & petiturum à Vulcano noua reſui conflatione: non enim amoris officium eſt redintegratio; ſed vnio: nec iſta quomodolibet, non vnitio, ſed vnitas. Fit ex amantibus, non quid integrum; ſed quid vnum. Diminutè de amore cogitauit, cùm amantem putauit dimidium amati: eſt totum, eſt idem, non vnitum, vnum. Proclus in theologica elementatione ait: Omne vnitum alterum eſt à per ſe, & vno. Itaque ſingula potiùs, quàm geminum & bicorporem hominem liceat commentari: putarem exornata corpora binis animabus, quæ memores nunc ſocietatis veteris vnà diuerſari vellent. Cap. 20.

Verùm, Ariſtophani permittamus ſuam charitatis originem, & totum eſſe ſacramentum amoris, in id reduci, vnde fuimus: adhuc & diuinum iſta exigit fabella amorem. Te potes præſumere quamdam indiuiſibilis partem, liceat ſic loqui: increatæ participatio naturæ creata eſt. A Deo exiſtis, & exiiſti: reducitor in originem tuam, in totum. Sectæ aliquorum vermiculorum portiunculæ quæritant ſe, vt vniantur: totus Dei es, totum Deus eſt; vnire illi. Tua eſſentia, antequàm eſſes, vbi erat? Quidquid eius erat, quatenus futurum erat, in Deo erat. Ibi nobiliſſimum tui exemplar. Omnia in Deo ſunt, & tu inter omnia. Age, repete id, vnde prodiiſti, vbi fuiſti. Deus, & totum eſt, & pars, ait diuinus Dionyſius. Primum pulchrum genitor noſter eſt, prima pulchritudo mater, prima ſapientia obſtetrix, prima potentia patria. Illuc repedemus: & iſtis ſaltem plauſibilibus vocibus appetamus originem. Patriæ etiam fumus placet. Huc, huc anhelat rerum totalis & inconſultus amor, ne conſilium noſtrum impetu ineptius ſit. Cap. 21.

Omnes rerum amores, & primogeniti naturæ appetitus aſpirant quid Dei, aſpirant bonum: in imagine Numen adorant, Numen amant, Numen quærunt. Quemadmodum contenti iconibus abſentes fallunt præſentiam: ita natura incapax cum omni familia ſua frui viuido, Cap. 22.

&

& præſenti bonitatis archetypo, ſe aliquo boni ſimulacro ſolatur, quod ſit totius eſſentiæ condimentum. Sapor vitæ, ſuauitas naturæ, quædam imago eſt Dei, rudis ſpecies boni, quod pluſquàm ſe diligit. Dum quærit benè eſſe, quamdam beatitudinis, & Dei ſtatuam colit, & amat: eligit non eſſe, ſi non benè ſit. Omnis eſſentia rerum, quatenus eſſentia eſt, in ſe inquieta actione aliqua citatur, & per actionem procedit. Quò? Ad bonum, & ſtatuam Dei colendam. Non quærit iſta inquiſitione, non negotiatur eſſe. Iam eſt, & eſt, antequàm affectet. Grâtis, & ſine pretio voti fuimus. Non appetit magis eſſe, non appetit aliud eſſe, ſi deterius. Impetus naturæ, etſi inconſultus ſit, non eſt ſtultus. Eſſentia nec magis, nec minùs capit, neque permutate ſpeciem ita vult, vt à Diomede aliquo fallatur. Non itaque appetit, quod iam eſt; ſed, quòd id, quod eſt, benè ſit, aut melius. Quid eſt hoc, quàm affectare bonum, ſplendorem Dei, quo naturâ condiatur? Iſtam boni affectationem etiam in peſſimis videmus. Pluris faciunt quamdam boni ſpeciem, quàm ſubſtantiam ſuam. Iſte impetus naturæ adhuc ſine conſilio monet nos amandum Deum pluſquàm nos. Vita iucunda eſt cum vſu bonorum, cum ſpe tolerabilis, ſine vſu moleſta, ſine ſpe impatientiſſima ſui. Sibi ipſis, aut vouent fata, aut concedunt, qui oppreſſi malis, omni melioris ſortis expectatione ſunt deiecti: oderunt vitam & eſſentiam, quàm benè eſſe non ſperarunt. Cruore proprio multi ſe attaminarunt, ne abſque bono viuerent. Igitur ſe propter bonum amant, & bonum plùs quàm ſe. Aquæ, qua parte labuntur, contrahunt ſaporem aliquem, aut qualitatem venarum: ita omnes naturæ nonnihil ſapiunt, vnde fluxerunt. Amando fecit omnia Deus. Pherecides addit, transformatus in amorem. Ità omnia ſiccum amoris combibunt, inclinationes proprias, appetitus, impetus ſuos: mille modis præſentantia aquæductum, quò à nihilo in eſſe ſunt transfuſa. Porrò amor etiam ſapit ſuam originem: bonitas Dei eſt: illuc ſe reducit, & quantùm poteſt, propinquat. A bono procedit, & peregrinatus in rebus ad bonum accedit, patriæ ſuæ memor, & amantiſſimus.

Cap. 23. Subtiliùs naturam amoris contemplemur. Totam compoſitam & quadrantem Deo inuenimus: nulli alij rei aptiùs, nulli decentiùs, nulli fructuoſiùs cohærere; imò cæteris perditè, turpiter, inæqualiter. Quid infelicius, quàm amator, & non Dei? Amor eſt quidam ſui exitus, quædam à ſe peregrinatio, cum quodam ſpontaneo interitu. Voluntaria mors eſt, & quoddam ſine neceſſitate fatum. A ſe abeſt, qui amat: etenim de ſe cogitat nihil; prouidet nihil: &, cùm non cogitet de ſe, nec in ſe; neque ſecum cogitabit. Subinde nec in ſe mens operatur, nec omninò intra ſe. Præcipuum animi opus, cogitare eſt: quare nec in ſe eſt, ſi opere in ſe caret. Appendix eſſentiæ, opus eſt, quid vicinum & cohærens. Nihil, niſi coràm, agit: nihil, vbi nihil habet, aliquid efficit: nec, dum viuit, eſt ibi, vbi omninò otioſus eſt. Vita operatione alitur; negotioſa eſt; ſine opera non eſt: igitur, ſi amans nec eſt, nec operatur in ſe, non viuet in ſe. Vita operationem, operatio eſſentiam ſequitur: igitur, ſi in ſe non viuit amans, mortuus eſt. Morti propterea exæquauit Salomon amorem, cui funalia, & tædæ, & lampades ritu ferali ſunt; ſed inextinguibiles. Sua pyra funeſta eſt. Flammas amoris puta ſpectare ad cæremonias funeris. Religiosè procuratur ignibus animus extinctus.

Cap. 24. Dices: Quid ergo commendauimus amorem, cuius laus, funus eſt; cuius opus, mors; Iſtud eſt arcanum ingenioſi affectus, mori cum fœnore, perire cum lucro vitæ: ſi amare ſcias, ſi ames, inquam, Deum, iſta eſt amandi ars. Eleganter Dionyſius Lerinenſis ait:

Mors pretioſa Deo propria eſt, cùm cæſa voluntas,
Et Chriſti in puro pectore viuit amor.

Prudentiſſimè, & pretiosè phœnix ibi moritur, vbi ſcit poſſe reſurgere viuacior. Callidè moriendum eſt amore tuo, vbi reſurgendum aliquo. Phœnix è ſuo cinere redíuiuus exit: ita amans ex amato reſurgit. Cinis amantis, amatus eſt: in hunc definit, in hunc Verax illum amoris flamma reſoluit. Quod reſtat ex amante, amatus eſt. Amans itèm holocauſto perit, cuius etiam cineres iuſſit Moyſes rurſus cremari: nam & amatus, puriſſimus amantis cinis, ſuos quoque patitur redamans rogos. Alimenta vtriuſque pyræ pretioſiſſima ſunt & aromatica; ſunt bona & virtutes amantium, quæ procul ſui ſpecimen vibrant.

Cap. 25. Pretioſa itaque & felix mors amantis; bono omine perit: nam & vltrò, & victurus, & dupliciter victurus ſi feliciter, ſi ſcitè amet: nam, licèt moriatur ſemel, bis reſurgit gemina fruiturus vita. Superat ſortem vſura amoris. Phœnix iſte affectuum ſalubriter mortiferus, viuacior ex ipſo interitu, felicior eſt, quàm ales. Iſte perit parem repetiturus vitam: amans etiam ſuo incendio; ſed auariùs erit: non parem ſolùm, ſed duplicem reſumpturus vitam, reſtaurat propriam, lucratur alienam. Iſtud amoris priuilegium eſt, ſi ſcitè ametur, (repetam hoc ſæpiùs:) alioqui æquale periculum amoris imprudentis eſt. Animus enim amantis, ſi non ſuſcipiatur ab amato, nuſquam eſt: etenim non in ſe; non alibi: nam, ſi alibi, in amato eſſet: non eſt in hoc: ergo nullibi. Vita itaque amantis in reſponſione amati eſt. Redamans ſuſcitat amantem. Viuit, qui amat; quatenus inuenit, qui redamet: igitur viuet, hoc eſt, reuiuiſcet dumtaxat amans, quatenus redamaturum amat; alioqui iacet mortuus, cadauer in ſe, & alibi non viuens. Vbi igitur non periclitabitur amor, niſi in Deo? Cùm tibi mortuus, reuerteris in cinerem; reſolueris in illum vermem de ſola pura terra, intemerata Virgine, procreatum, vt Theophridus ait, qui tua interna depaſcatur, rediuiuus ex illo. Si amentur inſenſibilia, terrena, iſta pretioſa ſtercora, aurum, opes, ambitio; iam non tantùm periculum amoris eſt, eſt calamitas: cùm incapacia amandi ſint, ſuos amatores exanimes relinquent. Nemo magis prodigus, quàm auarus: rem omnium pretioſiſſimam, animum, ſine pretio dat, gratis, imò temerè; cùm amet, quæ non poſſunt amare: imò, licèt poſſint, ſi tamen & poſſint non amare; iam hîc, ſi non certa mors, certum periculum eſt mortis. Igitur, quodcumque ametur, niſi Deus; aut damnum, aut diſcrimen eſt

Quoniam

Cap. 26. Quoniam ſibi moritur amans, alij, aut alibi, ſi viuit, victurus eſt. Alienam, ſi aliena dici poteſt, nimirum, amati vitam agit. Fatetur hoc quidam amator:

Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.

Etenim, cùm reſpondent ſibi amantes, ille in iſto, iſte in illo, commutatis ſpiritibus, viuunt; alter alteri, vterque vtrique traditur, vterque ab vtroque accipitur. Quæres, quomodo accipere amans amantem poſſit: nàm tradere, & ſui obliuiſci, facilius putabis, quàm ſemel traditum, & mancipatum poſſidere quidquam: qui enim ſe non tenet, alium tenere non poterit. Seruus, qui ſuus non eſt, nihil ſuum habet. Iſta ſubtilitas eſt amoris: ſeruitutem ingenuam facit; facit locupletem, dominantem. Omnia, quæ horribilia audis, ſeruire, mori; expilata, & ſancta nomina in amore ſunt, ſine damno; imò ſunt cum lucro. In primis, ſi amans ſeruus dicitur, & eſt nullus magis; id quidem ita eſt: ſed ſeruus eſt liber. Si captiuus dicitur, eſt quidem: ſed ingenuus captiuus, ſcilicet, ex libera naſcitur: conditionem maternam ſequitur proles. Nihil liberius voluntate genitrice amoris: ideò & ingenuus ipſe. Quid, ſi captiuus ſit, quia ſponte ſe tradidit? Libertate ſua talis eſt. Iſta maior gloria, quòd liber ſeruire velit. Eſt dominus, etiamſi alienus: & quamuis ſui iuris non ſit, ſe poſſidet, & poſſidet alium. Neuter amantium ſui eſt: ſed, quia ſuus non eſt, ſe habet, & alterum vterque habet. Quiſque ſe poſſidet, non in ſe, ſed in altero. Hic in ſe poſſidetur; ſed in illo ſe poſſidet: ille in ſe poſſidetur; ſed in hoc ſe poſſidet. Dum amas te amantem, perderis in te, reperiris in alio, qui de te, non de ſe cogitat: ſic per te, & à te amiſſus reſtitueris in altero, qui te ſeruat, dum ſe perdit. Hoc idem alteri continget tecum. Adhuc reſtat miraculum. Poſtquàm à te perditus redimeris ab amico amato à te, & amante tui, per hunc ipſum te poſſides. Tum, ſi per hunc medium te poſſides, priùs hunc poſſidebis, quàm te: quare proximior illi, quàm tibi eris: nec enim ad te accedis, niſi per illum. Hoc iacet maximum diſcrimen inter amorem, & alios tyrannos; inter charitatem, & vim; inter dilectionem, & imperium; inter beneuolentiam, & Martem: Dux, Rex, Imperator, tyrannus per ſe alios poſſident; ſed amans per alium ſe poſſidet. O nouum captiuitatis ritum, eſſe dominum triumphatoris ſui! ô inauditum mancipij genus, eſſe Regem ſui heri! Vnuſquiſque amantium longinquior à ſe eſt quàm ab altero; vicinior alteri, quàm ſibi. Quid mirum, ſi in ſe non ſit, ſed in alio; mortuus ſibi, rediuiuus alij. Vna mors in amore eſt: ſed duæ reſurrectiones. Ita diuinus amans, (Dei, inquam,) Paulus, vnicam ſibi mortem fatetur, duas vitas: vnam Chriſti amati; alteram ſuam: vitam Chriſti in ſe, cùm ſibi, Chriſti amore ſauciatus, mortuus fuiſſet; ſed ſuam in Chriſto. Vixiſſe ſe dicit: ſed iam non ſe, vtique in ſe; ſed vixiſſe in ſe Chriſtum. At, cùm dixiſſet, non tantùm in ſe vixiſſe Chriſtum, ſed etiam ſe vixiſſe; putandum eſt, in Chriſto, non in ſe. Ritu enim amantium viuebat; ſed extra ſe: & iam non ipſe viuebat, nimirum, in ſe; ſed viuebat in ſe Chriſtus, ſuæ vitæ feliciſſimus Vicarius. Quare & ipſe Paulus, qui viuebat in Chriſto, rurſus in ſe reuiuiſcebat per Chriſtum in ſe viuentem. Semel in ſe mortuus, bis reſuſcitatus, dum in Chriſto viuebat ſine ſe, & dum per Chriſtum in ſe viuebat. Semel ſui egenus, bis locuples, dum Chriſtum poſſidebat, & ſe per Chriſtum.

Cap. 27. Amans itaque, dum ſe negligit, in ſe perit, & perditur: reſurgit tamen, & inuenitur, primùm in amato, dum nihil, niſi de illo, cogitat: ſecundò ſuſcitatur, dum noſcit ab amato amari, & in eo viuere. Aduoca, quæſo, teſtes laudatiſſimos: adige integerrimos arbitros, & iuſtos aſſigna rerum taxatores, qui æſtiment iacturam tui, cùm te, & Deum perdis; ſi ames, & non Deum. Quanti Deus ſit habendus, etiam qui offendunt, docebunt. Quanti te debeas habere, roga ſuperbos, peſſimos licèt ſui arbitros, ſe non virtute, non animo æſtimantes, ſed viliſſima ſui parte. Ex his iacturam tui, & Dei æſtima. At, ſi amas Deum, quantùm lucri erit, quòd te dederis, accipias Deum, & te? quòd tibi moriaris, reuiuiſcas Deo, & tibi? quòd te amiſeris, redimaris in Deo, reſtauteris in ſe? Proh felicitatem, feliciſſimam! tuam vitam commutare pro diuina, & recuperare tuam! O pretioſam amoris, & iuſtorum mortem, qua emitur diuina vita, & reparatur humana! ô ratam reſciſſi contractus legem! ô gratuitam commutationem, quòd te dederis, accipere Deum, & te! Qui verò creaturas & fæces iſtas purpuratas rerum amat, Glauci, & Diomedis repræſentat contractum, pro aureis ferrea ſuſcipit. Minus te eſt, quidquid amas è terra, aut ſub terram natum. Licèt omne auri pondus, quod Lydium fatigauit ſolum, poſſideres, aurum pro ferro accipis. Dixi, accipis: mentior; non te commutas, ſed tradis: das non recuperaturus, das non redditurus, non compenſaturis. Egenus manes hoc amore: nam, poſtquàm te dederis, nunquam reſtitueris; & cùm omnia tibi videberis poſſidere, pauperrimus ſine omnibus, & ſine te manebis. Quis egentior quàm ſui? Adhuc alienus manebis ſine alieno, & ſine proprio. Sine corde ſunt iſta, quæ amas; & ſuæ naturæ neceſſitate immiſericordia. Te deſinent perire, nec animum tibi tuum redamatione conferent. Iniuſtiſſima te accipient, non te tibi reſtituent: nihil pro te reddent: peribis ſine remedio, ſeruabis ſine redemptione. Infauſtus & feralis iſte amor rerum, aut hominum. O error mortalium, qui diuitias poſſeſſuri ament, à quibus clanculùm capiuntur, dum capere palàm laborant! Se perdunt, dum illas poſſidere cupiunt: perdunt & illas, licèt obtineant: inde dolent, inde egeni ſemper. Qui ſe non habet, per quem alia habiturus eſt, neque alia habebit. Qui cupit poſſidere alia, caueat, ne alia ipſum poſſideant: & poſſidebunt, ſi amet poſſidere. Solus, & alterius ſimul, & ſui ipſius (vt egregiè eſt dictum) eſſe poteſt, qui ſoli ſe illi dedit, qui ideò ſolus eſt omnium, quia ſolus eſt omnia. Errant, errant mortales: conſequi opum dominium non valent. Irritis votis franguntur: ſed & iſtud tolerabile malum, niſi contrariis. Ab ipſis poſſidentur rebus, quæ dominantur dominaturis, & voce vulgi dominis. Qui heri futuri erant, mancipia fiunt: nequeunt redimi, hoc eſt, redamari. Amor amati eſt amantis redemptio, & vita: amor tuus, quoddam auctoramentum eſt

ſeruitutis

ſeruitutis tuæ: amor dilecti, chirographum libertatis tuæ. Ita, qui amat ſe amaturum, ſeruus fit à ſe, & ſtatim libertus ab altero: tradit ſe mox dominaturus. Qui amat non amaturum; ſine ſpe bona interit, & ſeruit: qui amat infideliter, aut contingenter amaturum, vitæ, & libertatis diſcrimen ſubit.

Cap. 28. Itaque amandus eſt ſolùm, qui certiſſimè amet. Tunc fit amantium illa pretioſiſſima mors; duplici, nimirum, æquiualens vitæ: mors, quam exornat geminus ſpiritus: mors fœcunda: fatum fertiliſſimum, in bina germina erumpens. Tunc etiam celebratur ille cordis contractus, ſine partium iniuria, quo alter alterum reddit, & accipit; firmiſſimus, & ſuper omnes ratus commercij ritus; animatum, ſcilicet, & voluntatum: amor enim proxeneta eſt cordium, trapezita animorum, tabellarius cupiditatum. Huic æternum ex ſe fœdus amoris eſt, & nodus Gordij nexibus arctior, contractus nunquam reſcindendus, nec pœnitendus. Pacta diſſolui alia poſſunt, quoniam eadem voluntate, qua fiunt, reſoluuntur: iſtud idcircò fit, quòd alia commutent paciſcentes, non voluntatem, qua commutant: in amoris autem contractu eadem voluntas materia eſt contractus. Voluntas alienatur, voluntas traditur, iam non ſui domina. ipſum pœnitendi ius amittit, alienum ſequitur arbitrium. Non reſtat, quo contractus diſſoluatur; non manet contrahendi voluntas, & nullum ſine voluntate propria, aut diſſolui, aut fieri pactum poteſt. Fortaſſe idcircò Plato nodum iſtum amoris fortiſſimum cenſuit. Qui aliquem cupiditate capit, fortiùs arripit, quàm maxima violentia; implicatiùs conſtringit, quàm retibus; ſecuriùs ligat, quàm catenis ferreis: non enim externè vim immittit; ſed intùs vrget: atque ipſe vinctus non vult ſolui; potiùs ſe liganti inſinuat, atque colligat. Sed, licèt iſte nexus indiſſolubilis ſit, ſecabilis eſt. Gladius Alexandri illuſit etiam nodum Gordij: licèt enim huic amoris contractui ius reſcindendi abſit, poteſt ipſi ſuo abeſſe ſecuritas; poteſt alicuius iniuria fruſtrari, ſi redamans laſſetur: tum, ſi amor vtroſque ſuſtentet, & ſuo conſtringat iure, violenta fati falx ſecabit: poteſt amatus ceſſare inuitus ab amore tui: poteſt ipſe perire, licèt in ipſo amor non periret. Solùm, ſi pactum iſtud cum Deo contrahas, iuſtiſſimum & ſecurum eſt, cuius nec amor perire poteſt, nec ipſe. Nequit leuiter voluntatem mutare, nec mutari: nulla pœnitentia illum ſubit amandi bonos amantes ipſum dico: nec mors, nec fortuna, quæ peſſimè de amicitia meretur, inuadent. Quis igitur nos ſeparabit à charitate Dei, voluntate fideliſſimi, ſubſtantia firmiſſimi, vtraque æterni?

Cap. 29. Sed demus homines fideles, demus æternos. Ipſum duntaxat æſtimemus contractum lucris ſuis, & genere. Pro ſocio puto etiam; nec ſimplex, nec nominatus eſt contractus amoris: permutationem credo, & ſocietatem. Communio diſpendiorum, & lucrorum inter amantes intercedit. Vndique quæſtuoſus eſt, ſi cum Deo celebremus. Si ſpectes commutationem, quid lucroſius, quàm Deum pro te accipere? Si ſocietatem, quid fortunatius, quàm participem diuinorum eſſe, & quibus Deus natura fungitur, tu charitate fruaris? Quàm felix iſta ſeges gaudij.

R.P. Ioan. Euſebij Nieremberg.ij.

At, qui cum homine fœdus iſtud amatorium icit, ad multa ſe paret detrimenta. Viderit, an poſſit ferre, ſi gemino latere inuadatur à fortuna, ſuo, & alieno, duplicia laturus vulnera. Iras, quas in vnumquemque exercet, & partem inuidiæ noſtræ tolerare nequimus: quomodo ſuſtentabimus alienum etiam odium? Reſpice locupletiſſimam ſupellectilem malorum duplo excedentium bonis: horum enim ærarium minus eſt, ne inſuper inſumas alienam quoque portionem, tuæ iam tædio vexatus. Quotquot tulerit amicus, tibi ferendum eſt, alienis malis dolendum, qui decoquis patientiam tuis. In Deo duntaxat iſta ſocietas ſine periculo eſt, cum quæſtu eſt, vltra exceſſum ſortis. Lucrum ſecurum erit, vſuræ maximæ, detrimentum nullum

Sed, vt alia amoris lucra prætercam, illas referam vſuras, cùm ex vno interitu duas amor repetit vitas. Maximus amantium quæſtus eſt, quòd ſinguli duplicentur. Ex vno fit geminus quiſque; ſemel in alio; iterum in ſe per alium. Nolo hinc rurſus commemorare lucrum tuum, ſed amati. Non ſolùm amandus eſt, à quo reſurgere poſſis; ſed, qui dignus eſt, vt reſurgat. Dum amas amantem, te ipſum viuificas amantem & bino animas ſpiritu, tuo donato, ſuo reddito. Ama dignum, qui ſæpiùs viuat: tacita enim extenſio eſſentiæ, amor eſt. Duplicat, quos ſuis extinguit flammis. Hæc vis charitatis, ſingulos binos reddere. Amor tuus amantem tui geminat. Non igitur temerè ponendus vbique amor eſt, ſed cum delectu, vt tantam cum conſilio fortunes tui pectoris gratiam. Non amare, aut amare non præſtantiſſimum, ſcelus eſt. Supernacua manebit virtus amoris fructuoſiſſima. Itaque eligendum eſt amori omnium præſtantiſſimam rem, ait Venantius: — Cap. 30.

Veluti flores docta ſequeſtrat apis.

Auarus mallet duplicare aureum nummum, quàm æreum. Quid putas omnibus pretioſius, niſi auctorem? Si quid magni potes, in Deo expetire. Pulcherrima eſſentia dilatetur; & vnus, quoad fieri poteſt, multiplicetur rara amoris arte. Plures creatæ pulchritudines ſunt, vna ſolùm increata. Hanc potiùs extendere cupias: quam in te, ſi fas eſt dicere, geminabis, dum viues in Deo, & Deus in te. Quid magis exiſtentiæ dignum, quàm is, per quem cuncta exiſtunt? Quid magis meretur eſſe, quàm is, per quem omnia ſunt? Fac, vt is omni exiſtat modo, & in te exiſtat. Fac, vt æternus denuò in te ſit, dum ames; nec tam ingratus, nec tam perditus eris, vt ſi Deum donare vita poſſes, recuſares. In Deo eras, etiam cùm non eras; ſit Deus in te, etiamſi in ſe ſit ſine te: iſtud ad gratitudinem ſit, vt illud ad ſecuritatem tui. Res ſecura eſt amor Dei: nequis ibi perdi, nequis non eſſe tui: nequis non te inuenire. Qui amat, cùm ſe det alteri, ſe amittit. Hoc eſt priuilegium ſe donantis Deo, id eſt, cupientis, poſſe eſſe ſui, & alterius: ſe dat illi, qui eſt omnia; vbi, cùm omnia ibi inuenerit, ſe ipſum quoque inuenit, & in eo eſt, cuius eſt etiam, ſi non amauerit. In Deo non te perderes, ſi amares Deum. Nunc tam ſecurus es perdendo te, amando illum, vt duplici te inuenias via, & quia ab illo amaris, & quia ab illo es, & in eo proptereà es: & tantò te ipſo excellentior, quantò Deus præſtantior te.

A 2 Adiice

Digitized by Google

Cap. 31. Adiice alium amandi titulum, amari à Deo, & à nemine magis. Vnius charitas manceps alterius eſt. Nihil magis gregale quàm amor, omnium rerum patientiſſimus, niſi ſolitudinis. Societate gaudet, & extorquet conſortem. Homicida eſt, qui amantem ſuum non amat, cùm pro ſe mortuum non ſuſcitat, cùm poſſit. Quodam naturæ iure edicitur amare amantem. Omnes propendimus libenter in propria, noſtriſque proſpicimus. Amans iam ad res expectat amati, & in cenſu ſuo ſcribitur. Curam, & voluntatem exigit proprietatis titulus. Placent ſua cuique: quare nihil magis amandum, quàm amantem: nam nihil magis noſtrum. Amans aufert ſe à ſe, furatur ſe, vt tradeatur amato, qui amantis herus fit arctiſſimo charitatis iure, & auctoramento. Si vrgemus iſta, nihil magis noſtrum, quàm is, cuius omnes ſumus ſui, Deus. Quare? Quoniam amat nos. Hócne titulo noſter? Imò, quia nemo magis nos amet, valdè noſter, & nihil magis noſtrum: quantò enim plùs aliquis diligit, plùs amantis eſt. Itaque, qui nos ſuper omnes amat, ſuper omnes noſter eſt; hoc ſaltem titulo ſuper omnes diligendus. In plurimis ſimillimus eſt amor igni; diſſidet in curſu, & via: tametſi cæleſtis res, impetum deorſum vehementiùs agit, libenter deſcendit. Charitas parentum maior in filios venit, quàm à liberis refertur: beneuolentior liberalis animus confert munus, quàm ab accipienti memoratur & redditur. Maiori amor Dei alueo in creatas res defluit, quàm ab ipſis refluit. Saxum ex editiori ruet concitatiùs. Quò à diſtantiori cadit, violentiùs vulnerat. Quid altius quàm Creator? Amórne cælo dilapſus non te fortiter percellit?

Cap. 32. Verùm, ſi voluptatem, cuius nomen plauſibile eſt, in amore quæramus, vnus Deus vindicet. Vni Numini conteſſerat iucunditas & volupe quoddam animi. Diuinis amor efformatus typis, cæteris, niſi Deo, inæqualis eſt, & amareſcit ipſe ex ſe dulciſſimus. Sed abuſus malè audire fecit. Orpheus vocauit γλυκύπικρον. Alius ait: *Dulciamaris.*

Amor, & melle, & felle eſt fœcundiſſimus.

Sic diuido iſtud anceps ingenium: in Deo mellificat, in cæteris acerbat. Amor, vt apis, officioſiſſimus, & ſui operis pacifici zelator, ſi impediatur, aculeatus eſt: ſtimulo ſuo ſuo dirè fauciat. Ideò amatores rerum delibuti abſinthio acerbiſſimè ſuam ipſam cupiditatem, imò voluptatem ferunt. Pungit illos amor extra alueare ſuum, dulcis tranquillitatis artificio impeditus. Diligentes dumtaxat Deum nectare alit: iis fauum conficit iucundum: in Deo ſolùm locum opificij ſui reperit.

Cap. 33. Patebit iſtud, ſi indolem eius ſpectemus. Præcipuum in amore votum eſt, amato integrè perfrui, cuius auidiſſimus eſt. Iam iſtud oſtendit diſſentire amorem humanis rebus, & rixam mouet adhuc conſentientium cupiditatum. Ægrè fert amator riualem, impatientiſſimus conſortis, ſuis ſe votis damnat, nec vult ab imitatione probari. Noſcit anguſtias eius boni, quod diligit & minus eſſe, quàm quod pluribus ſatisfaciat: ideò marceſcit, vritur periclitantibus conſortio cupiditatibus. Inſufficientia bona iſta ſunt, nec paria duorum deſideriis, quæ vni non ſatis ſe laxant. Iſtud fel abeſt amori Dei, quo frui ſine detrimento alicuius plures poſſunt. Maius quid eſt omnium votis; capax plurium poſſeſſionis; multis ſuperfluit vna eius bonitas. Cape præceptum gaudij: Ne ames, quo fruiturus, ſolus velis amare.

Cap. 34. Huic mori vicinus eſt, velle amantem, vt amatus ſe integro fruatur: velle, toto occupato ſinu, ab illo diligi. Iſtud etiam amantes fodicat: iſtud premit. Vident quoque anguſtum amorem amati, nec maiorem bonitate: coarctari amoris eſt, cuius eſt limitata bonitas. Timent, ſi in plures diuidatur charitas, minùs ſe percepturos. Puſilla rerum pulchritudo duos conuiuas non ſuſtinet. Quemadmodum plures vna re integrè frui nequeunt: ſic nec ipſa plures integrè poteſt recreare; nam nec amare. Per plures diſſipatus affectus minor erit. Hinc angor ſtringit cor amantis, quòd nequeat ipſe amato integrè frui, aut quòd amatus partim poſſit alio frui. Verùm Deus, vt affluentis eſt, & locupletiſſimæ bonitatis, ita & amoris: quemadmodum à pluribus ſine diſpendio amari poteſt; plures ſine alicuius detrimento amat. Patet cunctis bonitas illa infinita, pater & bonitatis defluxus, amor integer. Securè amatur Deus: nihil perdis, ſi alij ament. Innocenter amat: nihil læderis, ſi alios amet. Accipe & aliud monitum: Ne ames, quo fruiturus, te ſolum voles amare.

Cap. 35. Infelix, & iniqua lex amoris rerum, nolle, vt ament alij, nolle, vt ament alios. Non ita miſerum & preſſum eligas amorem. Supereſt Deo amor dilatatus; ſupereſt bonitas, vt amet, & ametur. Tam abeſt à felle, vt riuales optet, zelotypia gaudeat. Hoc intereſt inter zelum humani amoris, & diuini: zelus amantis Deum optat, vt alij ament: zelus amantis hominem, ne alius amet. Ille ſocios quærit: iſte fugit: pro qualitate, nimirum, amatorum. Socios ille quærit; quia ſupereſt bonitas amato, cui amorem ſuum æqualem non putat: coadiutores exoptat, vt ſuppleat votis alienis proprium defectum. Iſte non admittit collegas: exiguum bonum timet, ne deſit ſibi, diſtributum etiam aliis. Perinde ac qui ſplendidum epulum parauit, cui ipſe non eſt ſatis, conuiuas quærit, inuitat plures, gauiſus conſortio epulantium. At miſellus & famelicus ruſticus fruſtulum hordeacei panis, quia ſibi non ſufficit, non diſtribuit aliis, non palàm comeſt, ne alius, qui appetat, petat. O lætiſſimum affectum! ô ſecuriſſimum amorem Dei! quem zelus non excruciat, quem riualis delectat, ſine abſinthio, ſine aloë, ſine felle, totus dulcis, & conſentaneus cordi.

Cap. 36. Quicumque alius amor diſconueniens, inæqualis, amariſſimus, crudeliſſimus eſt: & ſua his rebus non natum docet inæqualitas, & atrocitas: monſtrat violentia extra locum ire proprium, niſi in Deo. Anne in ſua ſede amor fuit Alceſimarchi ita eiulantis?

Credo ego amorem primùm apud homines carnificinam commentum:
Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero, atque antideo, cruciabilitatibus animi
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor, in amoris rota miſer.

Exanimor,

Digitized by Google

Exanimor feror,differor,diſtrahor, diripior,ita nubilam mentem
Animi habeo.

Huius reor violentiæ cauſam, honorificam, & eximiam iſtius affectus indolem. Ad Deum natus efficaciſſimus eſt conuenientibus materiæ viribus, quæ digreſſæ, & deflexæ aliò, in violentiam iſtam erumpunt. Arctantur puſillæ rei, & quo valet impetu incommodus in anguſtiis amor fluctuat, cruciat, perdit, velut ignis in denſa nube ſtrictus, ſcindit illam: &,ſi ſua cæli via aberrat, deflexus ad terram obuia quæque terret, torret, vrit, diruit. Optimæ res ſine ſuo vſu peſſimæ fiunt. Non ſunt affectus ad torturam dati; ſed ad gaudium, vt expleti conuenientibus naturæ bonis feſtiui ſint animo. Iſta comitas abeſt tetrico rerum amori: quare non ad illas natus,Deo ſacer eſt. Quælibet vis animi habet aliquid à ſe reſpectum, quo perficiatur, quod ad ſuam vtilitatem, quod ad oblectationem vertat. Hoc in amore Deus eſt, ſicut in oculo lumen, in auditu melodia. Nequaquam tam peſſimè prouidit natura nobis, vt rebus ineptè amandis iſtud præparaſſet tormentum;& colligaſſet vitali ſedi cordis ratũ hoc ingenium mortis: imò propterea conuerberat nos illas amantes; quia nolit amari,vt prudens mater & diligens: ad exemplum enim amoris materni, qui peccantem filium flagellat ſeuerè, & punit. Pergit ille dolentibus præ Prometheo præcordiis:

Ita mihi omnia ingenia ſunt; quod lubet, non lubet iam id continuò.
Ita me amor laſſum animi ludificat, fugat, agit,appetit.
Rapiat, retinet,iactat, largitur:quod dat,non dat,deludit.
Modò quod ſuaſit,diſſuadet;quod diſſuadet,id oſtentat.
Maritimis moribus mecum experitur. Ita meum frangit amantem.
Animum.Neque niſi quia miſer non eo peſſum, mihi nulla abeſt
Perdito pernicies.

Cap. 37. Ne iſta ad exaggerationem putes, alios memorabo vulgatis amoris cruciatus, quibus immunis & expiata eſt charitas: namque, ſi deuexat amantem diuidi ab amato amorem, quantùm premet negati? Excruciat, ſi coamet alius; quantùm ſi ſe non redamet?Iam tunc ſæuiſſima mors amoris,qua ex ſe nuſquam pulſus amans cupitis agitatur tormentis. In hoc atrocius fatum,& quòd animum interimat, & quòd relinquat cum ſenſu corpus, vt dolendo ſolùm ſit ſuperſtes. Recenſe curas, angores,vigilias, ſuſpiria,labores amantis, vt dubiam extundat beneuolentiam alterius.Demus obtinuiſſe: adhuc anceps affliget fides. Poteſt pœnitere amatus, poteſt mutari. Satis eſt quicumque timor macerando amoris gaudio delicatiſſimo. Iſtis nos eximit anguſtiis Dei amor ſecuriſſimus, lætiſſimus. Vltrò nos amat, priùs amauit, nunquam nonamabit, ſi amemus. Accedit huic ſecuritati dilectionis magnitudo. Elige, ſi quid ſapis, è duobus bonis;exiguum vnum & anceps;alterum maximum, ipſúmque ſecuriſſimum. Certè bis iſtud bonum, imò bis maximum bonum, magnitudo & ſecuritas facit:illud nec boni titulum meretur. Particulam illam, ſi qua ſit bonitatis, abſorbebit ſui timor. Quin, expiemus illam timore: puſilla eſt,nec capax tam magni affectus; ſatis hoc tormento: pes anguſtiori calceo affligitur. Adiice poſt peſſimam fidem amoris, peſſimam amati curam:

Bis perit amator, ab re, atque animo ſimul.

Etiam poſt ſecuritatem redamationis periclitatur amor,nec ſecurus de amato, ipſo adhuc tuto, peribit,non dico,ſi de medio tolli, ſed ſi putet concuti. Quanta ſolicitudo verſat ſuſpenſum graui ſupplicio amantem, ne dilectus alicuius experiatur inuidiam. Ad hæc morbus offendet,tempus macerabit, fortuna laniabit. Quid ſi omninò perdat? Iſtud amoris infortunium Platonicus Pauſanias oppidò timuit: pereunte enim amato perit amor, cuius conditionem ſequitur: pereunte amato & amore, anne viuet lætus amans? Sine his periculis Deus eſt, quem dimittere dumtaxat poſſumus, non amittere, niſi dimittamus. Maximo munere donati ſumus, quòd nolentibus amitti nequeat: nemo niſi volens perdet.Sed, quis, ſi amet, volet perdere?

Hactenus diſpeximus, quàm decens, quàm commodum, quàm ... habeat amor, ſi Dei ſit,ipſi natus, & pro vnius immenſa ... ſitatus norma: nunc mixtim alia lineamenta amoris comparabo,quàm apta & quadrantia ſoli Diuinitati veniant. Non inerti artificio hunc natura fabrefecit affectum;nec ſine propoſito:imò tanta fecit induſtria, tam ſuo obiecto quadratum, tam appoſitum Deo,vt quicumque nouerit, illi dumtaxat natum, illi dicatum affirmabit; non minùs quàm qui ſecurim contemplatur, feriendo dicet factam. Singuli elaborati affectus ſunt pro fine: amor, quia finem ſine fine habet,vtique infinitum bonum, etiam ipſe ſine fine eſt. Licèt liberè amemus,quod velimus;non poſſumus non amare aliquid. Poſſumus ceſſare ab odio, lacrymis imperare modum, ſpem compeſcere, iram ſedare, timorem excutere: omnis finire amor nequit: ſemper neceſſe eſt velis aliquid. Seneſcentes & limitati affectus materiem conſentaneam cum modo, cum limite habent: ergo amor indefeſſus immortale quid aſpirat, cuius eſſe infatigabile eſt, nunquam defecturum. Alij affectus ad tempus ſunt; amor omni tempore; æternum, ſcilicet, ſuggeſtum habet. Amor enim inter cæteras paſſiones, quippe excellentior, ſolicitiùs curatus à natura eſt:laſſitudine & ignauia omni illum expiauit,& in continuum vſum fecit.Negauit ferias officioſiſſima mater officioſo affectui: noluit vacare vnquam eximio ſuo opere; negotiari inſtigat: non leue inde præſumit lucrum: nouit à Deo aſſidua beneficia, & ſolùm amore redimenda. Aſſiduum propterea amorem fecit, & ſine quiete, & ne grauis nobis foret continuatio gratiæ, infatigabilem, acrem, ſuauem, placidum, ipsáque acerba mitificantem. Adhuc tamen nemo ſatis amabit Deum,etiam qui amare plùs nequit.

Adiice, & immenſo natum ex ſua tranſcendentia colligi. Vbique amor eſt,in omni clauditur affectu,omnem ſuſtentat, ad normam, ſcilicet, Dei, vbique locorum, & rerum exiſtentis, omnia ſuſtentantis. Timor ſine lætitia conſiſtit, lætitia ſine ira,ira ſine ſpe,ſpes ſine timore,nullus ſine amore. Ipſum adhuc odium amor ſuf-

Cap. 38. Cap. 39.

Digitized by Google

fulcit. Ipſe ſtirps, ipſe primus motor omnium affectionum:in hoc etiam diuinum quid æmulatur. Ipſe velut velut neruus in ſigillariis notat omnes ſenſus,omnes vultus animi,omnes geſtus corporis. Pro amore totus gubernatur homo: diuinus apparet,ſi Dei amor impellat & contrahat, non aliter quàm fidiculis humanos ſigillaria imitantur geſtus. Ad hæc, vltimo natum rerum fini dominatori omnium, cui referuntur vniuerſa,imperium oſtendit amoris in reliquos affectus,vertit, trahit,refert ad ſe cunctos; ſeruiunt omnes affectui primogenito occupatum in illa re, cui ſeruiunt omnia, cui ſeruire debes.

Cap.40. Sed, vbi euidentiùs iſta adæquatio patebit, quàm ſi ipſas amoris conditiones cum diuinis componamus; ſi illas pro ingenio affectus,iſtas pro excellentia materiæ & boni, ſuo quaſque conſideremus ordine? Amor eſt primus affectus: dicam, conſenſu Theologiæ, & Philoſophiæ, primam omnium gratiam,primum donum. Cui par æſtimabis,niſi primæ bonitati, primæ beneficentiæ? Amor ſua ipſa natura donum eſt,non ex adiacenti: eſt gratia naturalis,cætera [illegible] factitia ſunt, eiuſdem vicari[illegible] transfert ſponte amantis domi[illegible] amor, & gratis ipſe datur; quod ſponte,& gratis traditur, donum vocabis. Cui itaque quadrabit donum natura ſua,niſi bono natura ſua & excellenti & magno, ſine ornatu,ſine accidenti? Amor eſt per ſeſe donum: cuinam aptior, quàm bono per ſe? Amor eſt donum aliorum cauſa donorum, nec vlli magis conſentaneum putas, quàm illi bonitatis naturæ, quæ cauſa eſt omnium naturarum,& bonitatum. Amor ſine aliis muneribus per ſe eſt,acceptabilis, ex ſe gratus: cui magis conueniet, quàm illi, qui per ſe placet, qui per ſe amabilis eſt? Sine amore nullum donum gratum eſt:hoc etiam competit Deo: nulla res ſine Deo placere debet; credo, nec poteſt, ſi gaudij ſinceritatem, innocentiámque ſpectemus. Metiamur nunc molem amoris, tendamus funem, omnia illi imparia reperiemus,niſi Deum,indigna tanto munere. Pignus iſtud cordis, & vnicum pignus noſtrum, inaugurari Deo, quia magnum, decet; quia ſolum, neceſſe eſt: ne iniuriam faciamus magnitudini diuinæ, & voluntati. Prodigi & iniuſti ſumus, ſi aliis rebus impendamus amorem,etiam nobis:dabimus,nimirum, merentibus nihil;negabimus totum id iure poſtulanti ſuo.

Cap.41. Tantus amor vnus eſt, vt ipſum non exæquent omnia: maior itaque,quàm debeatur alicui,qui inter omnia numeretur, & non complectatur: cuncta enim relinquemus exequuturi noſtram voluntatem: id vnum,quod placet, vt faciamus,cætera contemnimus: id,quod cuique liber,inæſtimabile eſt:pluris igitur,quàm omnia cupidinem noſtram habemus, & amor vniuerſis præualet. Anne putas exaggeratè dictum? Imò remiſsè,& humiliter. Digniùs dicam adhuc,non exaggeratiùs. Vniuerſa nihil ſine amore valent: adeò pretioſum eſt, vt imponat pretium rebus, quas ſuo eleuat contagio: quod exiguum eſt, amor magnificat, & extendit ad omnem amplitudinem. Quod magnum videtur munus, ſi amor non contineat ſuam molem, contrahitur, & premitur. Parum eſt, des omnia mihi ſine amore. Certè ſine debito parabo,inuenta cenſebo, non accepta:pro pondere amoris ponderantur omnia: tantumdem pretium habebunt, ac beneuolentiæ. Donantis voluntas taxat donum. Non debet cor,quod inuita manus dedit. Dona ſine amore, ius gratiæ amittunt: ipſe tamen amor,cùm donum ſit, vltra iſtud periculum eſt: tantum munus & tam pretioſum nunquam à coacto exactum fuit: nemo tantum ſibi arrogabit iuris, vt ab inuito audeat iſtud donum incomparabile vindicare,nec obtinebit, ſi audeat: ſpontaneum eſt ſemper,& cum pretio ſuo. O rerum pretioſiſſimam! ô pulcherrimum amorem, quæ ſemper ipſa placet,quæ omnia placere facit,ſine qua nihil!

Aliunde quoque oſtendam omnibus æquiualere amorem, pignoribus, diuitiis, & immenſæ votis auaritiæ. Ipſe donans magnifico iſto dono amoris donatur:tum & ipſe amor maioris re donata fit. Quare iam amor tuus pretioſior eſt, quòd ſit,quàm quòd re dederis. Cæterùm quiſque pluris ſe facit,quàm omnia ſua,& quæ poſſint eſſe ſua. Amor itaque pretioſior omnibus rebus tuis eſt: nam & pretioſior te, qui tuis te omnibus prælatum cenſes. Næ hominis pretium,amor eſt, æſtimabilius quid eſt, à quo aliquid æſtimatur, quàm ipſum. Non enim velut infelix & ſterilis arbor trunco,& alimento ignis æſtimandus eſt animus, ſed fructu. Iuſtus dicitur,vt palma,florere: vtique & fructificare, ritu aliquarum palmarum Indicarum,cuius fructum in corde & viſcere habent: in corde hominis ſuus latet mitis & dulcis fructus amor. Aptè Venantius Honorius inquit: Cap.42.

Fructus amicitiæ corde colente manet.

Amor proprium quid noſtri, & ſolùm noſtrum: hoc titulo pretioſior, quia ſolùm. Rara cariùs æſtimantur: quid vnica? Iam & hoc nomine præter dignitatem & pretium vindicat iſtum affectum Deus: cui debemus omnia, illi ſolum erit dare vnum: nam & vnum ſolùm noſtrum eſt. Alienis & propriis creditoris rebus, nemo ſe aſſerit alieno ære. Solùm illud proprium opinor cuiuſque, quod in ſua eſt voluntate: nihil noſtræ ſubeſt niſi velle,amor,inquam, & voluntas ipſa: cætera aliena ſunt,quæ aut coacti habemus,aut inuiti dimittemus. Itaque, ſi Deo gratificandum eſt, vnde id poſſumus, niſi cenſu proprio? Atqui ex iſta proprietate amoris,peculij humani,humanum æſtimatur pretium;quemadmodum facultates cenſu. Si amor bonus ipſum probat hominem, ſi malus corrumpit;quidquid eſt, & habet, optimo amore optimum eſt;quidquid prauo,peſſimum: ſi perdimus amorem,pereunt omnia noſtra:quin & nihil noſtrum, niſi ille. Sed noſtra alia dicas, omnia erunt appendices amoris,& cui illum damus, nihil negabimus, imò omnia trademus, & votis pluſquàm omnia. Iam & iſto tertio titulo præ omnibus valet amor, Deo ſolùm & dignus & debitus: accedit,quòd qui amorem dedit, dat omnia ſua, dat voluntatem,per quam omnia poſſidet:qui illam largitur,concedit,quæcumque per illam habentur, non diuerſa cæremonia, quàm cùm traditione clauium poſſeſſio domorum & theſauri aditur.

Cæterùm ad dimidium hactenus magnitudinis ſuæ charitatem perduximus: tantumdem reſtat: non ſolùm amor æquatur amanti, & ſuis omnibus; duplicati pretij eſt, pro amato valet. Cap.43.

Satis

Digitized by Google

Satis liberalis amor, qui omnia amantis dat, & ipſum. Magnificentiùs adhuc, & egregiùs de illo puta: dat & amatum. Cui? Cui omnia amat; ipſi, quem amat; amato, ſi iſte amet: hunc alienatum à ſe ſibi reſtituit. Totus dando compoſitus amor amantem dat, amatum reddit. Quid grandius, quàm quod dignum vt detur, & det nos Deo, & ipſum Deum pro amati ritu. Plùs Deus quàm nos, & omnia eſt, quem cùm ipſi demus, ſatis pro nobis faciemus. Verè & ſincerè amator Dei nihil magis cupit, quàm quod Deus ſit, quod eſt: tum, ſi Deus (iuuat commentari delirium) non eſſet, aut periclitaretur, cum proprio ſtabiliret periculo: ſiſteret in rerum natura auctorem ſuum, licèt ipſe periret: mallet Deum eſſe quàm ſe: ſi arbitrio ſuo Diuinitas veniret, vt alij daret, vel ſibi retineret, oblitus ſui ſtatim Deo daret. Quare ſplendidiſſimum iſtud amoris munus libenter Deus acceptat, vbi ſe putat dari. Iſtud priuilegium donorum apud ſapientes colitur, non æſtimari euentu, ſed voto. Certe à minùs habente plùs amante maioris fit exiguum, quod dederit, quàm ſi minùs amans plus dederit. Nucleus donorum animus eſt. Non iniquiùs æſtimat Deus noſtra, cui patent corda. In argumentum munera apud mortales deſiderantur, quemadmodum verba neceſſaria ſunt ad indicium mentis: latet animus: teſtimonium dona exhibent. At, quia Deo patet, parum intereſt, deſit facultas, ſi voluntas adſit. Satis acceptum eſt, quod in amore datur, licèt in ſe non detur. Tam locuples & liberalis eſt, vt nihil non poſſit dare, & nihil non det, eò locupletior, quòd habeat, non quia accipit, ſed quia dat, ipsâ prodigalitate acquirens. Quantò præſtat & nobilius eſt, dare quàm accipere. Sanè in plurimis felicior & affluentior eſt animus amantis, quia iſto modo dat, ſcilicet, voto, quàm, ſi eadem re & facto accepiſſet. Rogemus ipſum: plùs profectò gaudet vouere amato omnia, quàm ſe poſſidere: tanta ex his eſt amoris æſtimatio. Nemo, quantumuis locupletiſſimus, iſtud refutat gratiſſimum donum: nemo cum omni ſuo onere non admittit libenter. Nec ſupremi Reges, ruſticorum, contemptiſſimorúmque amorem contemptam rem putant. Nemo diligi negligit: nec Deus beatiſſimus aliud magis petit, nec magis reddit. Illud nec indignum ſupputatione, opinor, ad amoris molem: egregius quid & ſubtilius ab illo donari, quàm molem iſtam, & fæcem rerum, corporea, & craſſa, quibus oculus dumtaxat geſtit, & hebes fungitur ſenſus. Traditur per amorem animus, transfunditur ſpiritus, illud, quod in nobis honorificum eſt.

Cap. 44. Prodeat nunc ipſa amoris virtus vnifica, ſapor quidam Diuinitatis; ideò Deus, quia vnus, & omnia. Perfectionem vnitas multiplicat, vnum extendit. Quidquid perfici appetit, ad vnitatem aſpirat. Quid potiùs quæreret amor, quàm cui magis poteſt vniri? Et hoc, quid magis, quàm quod vnum & ſimpliciſſimum? Et quid magis vnum, quàm in quo omnia ſunt vnum? Ad hæc ſpiritualiſſimum, inſinuatiſſimum: nihil Deo intimiùs hærebit; omnes penetrabit receſſus cordis. Iſtud forſan fefellit Barbaros Iapones humanum corporatos ipſum Numen, primúmque principium rerum: corporea iſta & craſſa, ſpecie tenus bona, iniuriam mori faciunt, & ſua mole reſiſtunt eius ſimplicitati. Nequit illa complecti ſuo ſinu animus, nequit ſuo committere cordis clauſtro. Illud bonum, quod penetrat quocumque, quod vbique capitur, amatoriæ vnitati accommodum eſt. Illud bonum, quod ita adſtringitur cordi, vt nullus peſſimus diſſoluere queat, quod inuitis omnibus tenebo, quod mecum quocumque feram ſine onere, ſine mole. Multis violat diuiſio modis amatorios ritus: amor vnit amatum: ad hanc vim non debet eſſe diuiſus: totum vendicat amantem, pronus, totus compoſitus ad vnum, marcet partitus, & in ſuas leges peccat. Non ſuſtinet magnus amor minùs amare: amabit minùs, ſi plures: qua parte fluuius plus patet, minùs profundè voluitur. Mancipat amantem amor, & amato ſui dominaturo tradit: at dominium ſingulare quid eſt, impotens duorum eſſe: ergo & amor, quamuis potentiſſimus, quamuis officioſiſſimus, nequit multis ſeruire; imò quia officioſiſſimus & potentiſſimus, iſtud non poteſt. Quidquid eſt, ad vnum eſt, contumax ingenij ſimpliſſimi: negligentiùs ſingulis ſatisfaciet, qui velit omnibus. Amittet in multis amor honorem ſui tituli: hanc gloriam habet alicuius totum eſſe: nullius erit, qui plurium ſit, qui multos amat.

Cap. 45. Ad hæc, indolem amoris, & legem naturæ confer: amor ad vnum eſt, & pro ingenio ſuo, & pro honore: natura, & pro ſua pietate & prouidentia omnes diligere iubet. Anne amorem, quem induſtrioſiùs elaborauit, contra ſe irritat? Imò artificioſiſſimè, opinor, pro diuinæ, & immenſæ magnitudinis modulo conſtruxit, inde amaturum ab vno vniuerſos. Oceanus matríxque amorum, charitas eſt Dei: namque, vt ab Oceano fluuij in eumdem reuerſuri deducũtur; ita ab amore Dei plures deriuantur amores in ipſum reuoluti. Patet latiſſimè vnius Dei amor, licèt vnus ſubſiſtat: tot appendices amores habet, quot homines, quot amari poſſint, per plures effuſus canales, velut aquarum forma: ſtillicidium charitatis eſt beneuolentia omnium. Præſcripſit leges amori res amata, quæ ad ſui normam amantem figurat, vt ſigillum ceram, nec citrà, nec vltrà patentem. Non licet amare plùs, non minùs, quàm amatus amet. Non diligit, qui non eadem cum dilecto diligat: omnium rerum eſt ſocietas inter amantes, maxima votorum. Deus omnes charitate complectitur: nec iſta indulgentia iniuriam committit contra amatorios ritus: ſatis pluribus amatis, ſatis & amantibus infinitudo faciet. Bonum commune eſt, ærarium publicum beneficentiæ, atque beneuolentiæ nunquam exhauriendum: plurium ſine alicuius detrimento poteſt eſſe. Hac itaque lege tenebitur amator Dei omnes amare: tantam licentiam & proſperitatem nulla alia beneuolentia obtinuit: ſolùm iſte amor latiſſimo ſpatiatur campo: vltra fines ſuos prorumpit, liberrimus in ipſos gliſcens inimicos ſuauiſſimè. Nec iſta felix amandorum annona obſtat ſimplicitati. Vnus amor eſt, & idem: ſed, qui multos & diuerſos capit amatos, ſed per vnum. Deus elegantiſſimus dilectionis choragus, & educit amorem, & reducit; educit amans, reducit amatus. Omnes poſt ſe trahit magiſter iſte amatorij chori, ipſe primus amauit, & ipſe vltimus amandus, & ad vltimum. Quia produxit diligens, debet reducere dilectus. A primo principio, primo,

Digitized by Google

mo, inquàm, bono, velut Erotiarcha, omnis naturalis gubernatur appetitio. Eadem bonitas prima cauſa eſt, ipſa & vltima: primus amator, vltimus finis: ſeries agentium norma eſt finium. Primum agens ſequentia mouet, ſed vltimum finem ſequuntur omnes: quod dirigit agens, redigit finis: quò primum reſpicit agens, eò debent ſequentia reſpicere. Diuinis factus amor typis componitur pro Dei ſimilitudine. Vnus Deus eſt; ſed, qui omnia ſit. Vnus amor eſt; ſed, qui omnes claudat. Signat amantem amatus, & ſui forma figurat: nequit eadem cera duo ſimul admittere ſigilla: noua ſignaculi forma delet aliam. Iam vides, cur duos amatos non ſuſtineat vnus amor, id eſt, verus: excipitur iſta anguſtia amor Dei; non multis obſignatur ſigillis, ſed vno, qui præſentet omnia; ideò latiſſima licentia amat omnes in vno: in hoc exprimit vim vnificam, cùm vniuerſos ad vnum redigat. Eleganter eleuatiſſimus & diuinus Hierotheus amorem Dei vocat patrem amorum. Vnus eſt, qui multos in familia ſua contineat, nec reputantur diuerſi: namque in ciuilibus pater & liberi vnam eamdem fingunt perſonam.

Cap. 46. Adhuc patebit magis vnifica hæc charitatis vis, omnia in vnum glomerantis: omnes amores ſuos deducit ad Deum, & omnes amores Deum amantium ad ſe reducit, & lucratur. Inter miracula & arcana naturæ magnes eſt, (admirandum debebat eſſe exemplum amoris.) Illud præſertim genus lapidis rarum, qui appellatur himmo, vna parte trahit ferrum, ex altera emittit. Huic ſimilem puto charitatem. Omnes amores ſuos mittit ad Deum; & omnes omnium amores Dei trahit ad ſe. Qui amat Deum, debet amare omnes, & amari ab omnibus. Quidquid amatus amat, & ad amatum ſpectat, lex ſacroſancta amoris præſcribit amare. Omnes Deus amat, & ad Deum pertinent, etiam ipſe qui amat: quin iſte gemino titulo communi creaturarum, & ſinguli amantis, ita omnes amores vnit vnius Dei amor, & pulcherrimas choreas nectens in ſe conuoluit vniuerſos, & ſe ad vniuerſos, & vtrumque in vno, & per vnum. Bellè ſublimis Hierotheus in amatoriis laudibus vocauit συνεπτυγμένον ἔρωτα. Næ maximum iſtud
Conglobatum amorem.
lucrum charitatis eſt, amari ab omnibus: maxima iſta nobilitas amare omnes: & ne abſit iucunditas, vndique mellea eſt, & ſuper omnia ſuauiſſima. Quid dulcius, quàm eſſe amantem, aut amatum? Quid ſuauius vtroque? Sanè nihil dulcius, quàm amare, aut amari, niſi amare & amari. Vtrumque facit charitas. Quid iſto Dei amore liberalius, & potentius, cui licet amare omnes? Quid quæſtuoſius, qui exigit amari ab omnibus? Fœcundiſſimum dilectionis ſemen iſte amor vbique multiplicatur, in alieno adhuc ſolo fructificans. Itaque amando Deum, aliorum non amittimus amorem, ſed eleuamus; purum facimus, defæcatum, acrem, fortem, fidum. Succo ſuo & vigore alit Dei amor amorem hominum. Sanctus Maximus ait, præbere ἐρωτικὴν οἰκειὰ ἀναφορὰν. Adiiciam, non ſolùm amorem Dei benè mereri de omnibus, eſſe omnium amorum auſpicem; ſed ſine illo nihil: verè, nihil legitimè, nihil ſuis ritibus amari poſſe. Egregiè ſanctus Paulinus dixit:

Quid enim tenere, vel bonum, vel verum, queant,
Qui non tenent ſummæ caput,
Veri, bonique fomitem, & fontem Deum?

Mundanus amor ſine amuſſi charitatis ſibi etiam obeſt, ſibi deeſt: certè vt vnum amet, odit plures, offendit omnes: errat ſemper, & cùm amat, & cùm odit.

Ad vnitatem ſimplicitas ſpectat. Non eſt ſatis vnum, quod non ſincerum; & iam quod Cap. 47.
mixtum eſt, multiplex fit. Ex hoc etiam fateberis, vni Deo amorem attemperari, cuius ſolus amor purus nullam patitur compoſitionem, ſine vlla fæce, & amarore odij, obrizus, defæcatus, liquidus: iſtud non habent amores alij parturientes iras, erumpentes in rixas, nutricantes odia. Tam ineptus vnitati amor mundanus eſt, qui, vt amet vnum, plurium odio faciſcat, ne ſibi ſimilibus conſentiant votis. Certè ad ſtultitiam quid aliud deſiderabis, quàm odiſſe multos, ſi ament ipſum, quod amas, comprobantes amorem tuum? Diuiſus adhuc à ſe amor iſte eſt, adulterinus, infectus furoribus, confuſus iracundiis, corruptus diſcordiis, vndique conſperſus aloë, fermentatus abſinthio. Ad hæc, præterquàm odium habeat, etiam facit; ſatis eſt, vt oderint omnes illum, qui, vt aliquem amet, cæteros, aut faſtidit, aut negligit. Anguſtiſſimus & ſterilis iſte amor ad paucos dilatatur, nec ſuſtinet amare plures: quin in ſe ipſo marceſcit ſine fructu, imò ſine flore: ſolus Dei amor naturam ſuam fœcundam integram, lætam liquidámque ſeruat, ſine contrarij compoſitione. Neminem odit, qui Deum diligit. Totus hic amor amatorius eſt, totus dulcis, totus perſpicuus, & ſimplex, id eſt, amor eſt, cuius ignea natura: ignis autem puriſſimus eſt, & purificat omnia: nihil alienum, nihil extraneum in ſe tolerat, impatientiſſimus ſordium: inde fortiſſimus, ſolidus, totus amor eſt: vincet cæteros degeneres.

Deinde non ſolùm amor, præter diuinum, Cap. 48.
vnitatem ſuam corrumpit, quatenus tam iners & tam hebes eſt, vt neſciat adſtringere, & ad vnum plures voluere amores, corrumpatúrque odiis, liuoribus, ira: ſed, quia neceſſe eſt ſcindi; quemadmodum contra eſt, diligens Deum, qui nouit vniri. Omnes claudit Deus formas, omnes pulchritudines rerum: quare, qui illum amat, omnes in vno amans, vnitum, compendioſúmque amorem geſtat, atque ſine multa mole accommodatiſſimum. At, quiſquis inde relabitur, flexus ad hanc, vel illam formam, in diuerſa ſtatim finditur amor. Aſpirat cupiditas abſolutum aliquid, & ſuis integrum numeris; nec in ſingulis, nec vniuerſis rebus inuenit: non ſunt totius, non integræ pulchritudinis: inde mendica oberrat, inde famelica vagatur, inde per diuerſa ſolicitat, quæ ſi ſemel in vno quæſiſſet, reperiret. Scindit in fruſta ſuam libidinem voluntas, nunc hæc, nunc illa cupiens, vaga & multiplex, ſemper habet, quà erret, quò procedat: ſolùm cùm ad ſummum venit, tunc conſiſtet: vltra ſummum nihil eſt: hic contrahenda eſt cupiditas omnis, in vno conſummanda Deo, cui magno ære obnoxij ſumus, amore ſolo relaxandi. Non licent ſuperuacaneæ impenſæ amoris: vnum Deum & vnicè amare debenti, non vacat, vt alium, imò nec ſe amet: miſerè amat alios, qui ſe diligit. Non decet minùs amare Deum; totum

flagitat

flagitat amorem; ſatis ex ſe anguſtâ Deo noſtra voluntas: nec licet alterius amore plùs ſtringere. Non ſatis ſumus ſoluere, vt quid prodigimus? decoquimus? Egregiè diuinus Eucherius infert: Amare ergo Deum iam non voluntarium tantùm, ſed etiam neceſſarium eſſe ducamus. Impium quippe eſt, hunc non diligere, quem rependere non queas, etiam cùm dilexeris. Iniuſtiſſimum eſt, vt ei, quæ poſſis, tribuere nolis, cui, etiamſi velis, rependere non poſſis.

Cap. 49. Hoc quoque natum monſtrat amorem Deo, quòd incommodè ſe rebus aliis, etiam obtentis, exoptatiſque, accommodet: alterius ſemper auidus: namque factus appetendo Deo, omnia ſuo ſinu amoris fomenta complectenti, magnum quid ſuis votis aſpirat. Quid magnum dixi? Totum: omnia in Deo clariſſimo ſunt gradu, ſummo, inquam, quidquid cupimus, aut cupituri ſumus: ſuam nequit naturam amor fallere, nec ſuos laxos diſſimulare ſinus. Illud itaque tentat contingere, quotieſcumque cupit, & in altum mittit aciem: ſed ſuo propoſito deiectus, reſtaurat vota: fatigari nequit; æterno enim dicatus laſſitudinem neſcit; & cum nuſquam in rebus, quas amat illud totum & integrum, quò anhelat, inueniat, cogitur repetitis quærere cupiditatibus. Fragmen bonitatis, quæ in Deo tota, integràque manet, eſt quidquid in rebus placet: quare ipſa rerum cupidine (tametſi inſcij,) quid diuinum appetitio geſtit. Hinc incontinentia amoris: inuenit particulam: cùm optaret totum, quærit reliqua. Fruſta bonitatis ſunt omnia; non integra bona; videt deeſſe aliquid; incitatur ad inquiſitionem cupiditas. Hinc ſufficiunt, vt irritent appetitum, non ſatient: ſcilicet, collapſus ſuo propoſito amor, ſegmentum pro toto nactus, quatenus non habet totum, non ſatiatur: quatenus habet partem, irritatur: aut, quia dimidiatum guſtum vult explere; vult, quod libauit, vorare. Quemadmodum ſunt partita bona, ita nec integrum complent guſtum, aut, quia cupiditas adepta pignus amittere noluit, nec ceſſat inquiſitione, cùm minùs putat deeſſe. Hinc, qui plura habet, plura cupit; iudicat minùs reſtare, præcipitat cupiditatem poſt reliqua, ratus ſemper pauciora deeſſe, atque velut lapis, cùm diutiùs fuerit lapſus, concitatiùs ruit.

Cap. 50. Ad incommoditatem quoque amoris ſpectat, non ſe rebus totum committere. Anguſtias ibi timet, quamuis collegas admittat faſtidium, & inuidiam. Vtilis, & iucundi metæ curtæ opprimunt amorem. Vtilia abſentia legitimè non amantur, nec iucunda præſentia. Diuiſum in his amor imperium cordis habet cum inuidia & faſtidio. Diuitias, prædia, & quidquid opum nomine venit, dum abſunt, ſolùm cupis, non diligis, aliena ſunt. Vbi ſegnior amor, quàm inuidia? Surripi, perdi hoſtium opes gaudes: amantis non eſt gaudere rei amatæ interitu: dum conſequeris, amas; tunc perire doles; diuerſum videbis in his, quæ ad oblectamenta concupiſcimus. Obtenta faſtidimus, quorum duntaxat amor ad tormentum eſt. Cùm deſunt, amamus: cùm adſunt, breui ipſam moleſtè delectationem patimur, cùm nimia eſt. Non adæquatur his rebus amor; ſupereſt ſui aliquid; reſeruatur à natura. Cui? Cui totus accommodatiùs conſideat, non quem nunc cupiamus, nunc amemus, nunc faſtidiamus: ſed quem ſemper amemus, ſemper cupiamus, nunquam tædio ſit. Amor, quem deſiderium genuit, ſpurius eſt. Ille ſolùm legitimus, qui pater deſiderij ſit, filius rationis.

Cap. 51. Tandem totus amoris geſtus, & acris indoles, vehementiſſimaque vis in amatum ſe factum Deo publicat. Nimietates illas & exceſſus amantium ſolus Deus meretur. Inſciis quid faciant, dirigitur deceptus affectus in genuinum propoſitum: adorare ſe viciſſim dicunt, vocant ſe Deos. Æquiuocatio iſta amoris eſt, iuxta conſtitutum indolis cum Deo ſolùm verſaturi. Veluti, qui alicui aſſuetus loqui, ſemel aliquando alloquuturus alium, alienos ſui familiaris titulos impendit ignoto: ita amor natus Deo, diſtractus ad alia, ſimili reuerentia colit. Natura & conſuetudo vix paucis interſunt. Ineſt & amori quædam veneratio amati; licèt viri fortes, & ſapientiſſimi ſint, qui ament; totum re amata, quamtùs inferior fuerit, contremiſcunt. Sponſa quoque apud Salomonem, præſente & vicino Sponſo contremuit. Reuerentur, ſcilicet, diuinum aliquid in pulchro & bono: nec enim vis aliqua humana illos terret & occupat, cùm cæteris, niſi amore ſuperent. Contemptum adiice rerum omnium, opum, honorum, vitæ, voluptatum, & ſtupendam patientiam laborum, cruciatuum, vt amata re fruantur: nempe, ritus, quo natus eſt colere Deum, flectit ad alia ſua intentione abuſus: ita omnia amat, quaſi Deum amaret, quem ſolùm amaturus erat, ad quem ſolùm amandum educatus eſt.

Cap. 52. Poſt ingenium & conditiones amoris veniant mores, digni ſolùm diuino. Iam non eius conſtitutio, ſed commendatio nos detinebit. Nec ſolùm amor, cùm Dei eſt, ſuum vindicat locum: ſed authoritatem & frontem gloriæ ſuæ ſeruat: non ſolùm commodè illi inſidet, ſed decenter & auguſtè. Maieſtatem & ſatellitium virtutum amori Dei vniuerſaliùs vindicauit Pſellus, de quo ait:

Ἔχουσα πηγὴν καὶ περίρρυτα κύκλῳ,
Τὰς γὰρ τέσσαρας ἀρετὰς σφίγγει κύκλῳ.

Qui hoc torque adornatur ab amore, dicitur à Simonide in quatuor angulos componente iſtum orbem,

Ἀνὴρ τετράγωνος ἄνευ ψόγου τετυγμένος.

Conſentit Agathoni quatuor Principum virtutum dote adornanti amorem, quem iuſtiſſimum, fortiſſimum, temperatiſſimum, ſapientiſſimum vocat. In primis iuſtus, & innocentiſſimus amor Dei eſt, totus beneuolentiæ appoſitus, neſcit, quid ſit odium: alij corrumpi amores poſſunt iracundiis, furoribus; iſte vbique memor ſui, in ſua puritate colligitur, amatorius ſemper, quem puerilis ſpecies proinde decet: pueri innocentes ſunt, odio faſcinant neminem: iuſtiſſimus eſt, ſuum cuique reddit, ſe Deo: iuſtiſſimus eſt, leges ſeruat præcepta redamandi colit, amat amantem, ſoluit debita. Eleganter Proclus Lycius dicit, ſagittas amoris iuſtiſſimas: percellunt, vellicant, vt reddatur, quod debetur, amor amori. Iuſtiſſimus eſt, & in alios effundit ſuam iuſtitiam. Non ſe communicat, niſi quod perfectum

eſt: non redundant, niſi plena: prius eſt impleri, quàm effundi: perfecta, & cum cumulo, iuſtitia amoris eſt, exundauit in alios: ſe innocentem ſeruat, alios facit: nullam, nec à Deo, nec ab homine, iuxta Agathonem, iniuriam patitur, non eſt violentus, vltrò patitur, ſponte, libenter: niſi inuito iniuria non eſt. Nulla in amorem vis præualet: calũniæ volenti dictæ, non ſunt violentæ, non iniuriæ; fauores ſunt, adulationes. Omne expiat damnum voluntas patientis. Tam abeſt, vt lædatur amor, vt contrariis iuuetur. Velut aqua ſubterranea, lambente ſæuiore Sole, faciem terræ frigeſcit; ab æmula qualitate vires ſuas fouet; calor conſtrictus nube excandet; inter ipſas aquas igneſcit, erumpit acerrimus: actior amor fit laceſſitus.

Cap. 53. Hinc fortiſſimus quoque & inuincibilis eſt: ſuperari nequit, quem contrarij fortificant. Victus Antheus fuit: à terra, non ab æmulo vires reparabat: inuincibilior Hercule fuiſſet, ſi, quemadmodum ex contagio matris, ita ab æmuli cõpreſſione robur geminaret. Ita indoles charitatis eſt, aduerſis roboratur. Ad argumentum fortitudinis mortem adducamus, in cuius contemptu virtus iſta occupatur:

Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
——— Obuius enſes.

Cùm maximum iſtud malum terribiliſſimum amor negligat, ecquod minorum verebitur malorum? Certè omnem mortis verecundiam amiſit. Veteranus eſt miles, non tantùm aſſuetus vulnerari, ſed mori; non tantùm in alieno fato expertus eſt oculis mortem, ſed corde in proprio interitu. Moris improuiſis, & inexpertis tremenda eſt, quam opinio facit horribilem: ſicut miteſcit meditantibus, placabitur paſſis. Amor ipſe, aut mors eſt, aut experientia mortis. Fortaſſe mortis nomen anguſtum erit, & minus ſua. Totum corripit hominem, non dimidium dumtaxat. Itaque, qui duplicatam periclitatur iſtam vim amoris, minùs timebit ſimplicem, vbi ſegnioris tantummodò partis lenius detrimentum videt. Inde amantes prodigos vitæ Phędrus exhibet. Ferè iſtud eſt præcipuum amoris ſacramenſum, pro amico, aut cum amico mori. Pretium amoris eſt mori pro amico, aut cum illo: fructus cum amico viuere.

Cap. 54. Cæterùm, temperantia amoris, πλείστης, à Platone dicitur; à me, ebria & ſatura; non ieiuna, ſed opima voluptatibus. Raro priuilegio amor Dei eſt, & voluptas, & temperantia ſimul: dominationem voluptatum temperantiam dices. Amor, omnium voluptatum fortiſſima, dominatur illis. Ait quidam amans, quem imbellis adhuc amor, id eſt, non Dei, occupabat:

Omnes ecce cibos, & noſtri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini concedere ſomno.

Nec ab iis, quæ Olympius canit, diſſidet Calphurnius, vt bino teſte admittamur.

Lilia nigra videntur,
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti.

Si ita debilis amor vehementiores cupiditates, quæ ad neceſſitatem, & voluptatem ſunt, premit; quî robuſta charitas ſtringet? Imbecilliores amore deliciæ ſunt? vincentur. Itaque, quatenus ſuperat delicias minores, temperantia eſt; quatenus habet maiores, voluptas. At, ſi amor dulcis, quis dulcior amore Dei, omnia ſuis fauis parata habente? pulchrũm, quod reſpicit maximum; eiuſdem ſecuritas certior neceſſitate; redamatio anterior, & antelucana cum ingẽti munerum apparatu; præſentia amati intimior amanti, quàm ipſe; amplexu vterque ligatur indiuiduo: iſti ſunt flores, vnde amor mellificat.

Quid? Nequit non eſſe dulciſſima voluptas, Cap. 55.
propter quam omnes contemnentur voluptates. Nemo ſapiens, niſi Glaucus aliquis, præſtantius commutat pro minori: amor autem ſapiens eſt, ſolers, callidus, prudentiſſimus. Socrates amatoria arte nomen Sapientis meruit. Diotima Philoſophum amorem dixit. Vindicat iſtum honorificũ titulum charitas, re ipſa philoſophans: & eſt amor, & eſt Dei, qui ſolus ſapientia vera: ergo amans ſapientiam, charitas eſt. Quæ altior Philoſophia cognitione diuina, cui totã Dei amor meditationem inaugurat? Sophiſtam quoque Plato vocat amorem: eſt argutus, ſagax, aſtutus, ingenioſus expugnando amato, & demerendo. Nullus magnus amor cum paruo eſt ingenio. Ad hæc, amor Dei ſpiritus veritatis nominatur. Iſtud quoque charitas magnificum prudentiæ agnomen impetrat, neſcia erroris. Dextrum brachium finxit Plato amorem diuinum; læuum, terrenum. Actiones ſiniſtræ manus ſæpiùs errant, ſuo facilè peccant propoſito: ſecuriores ſunt, quàs dextra gubernat. Calor, & lux, gemina ornamenta Solis, ſociantur: calidior radius, lucidior eſt. Amor, & mens, pulcherrimæ animi inaures, pares ſunt: affectu maiori creſcit cognitio maior. Extimulat affectum amor, quadam pietatis ſpecie, ciconię inſtar: cognitionem, ex qua natus eſt, poſteà nutrit. Ad Philoſophiam quoque amoris eſt, quòd nemini prudentia pateat, niſi ſano affectu, & cum amore virtutis. Quid tantam valetudinem faciet, niſi charitas? Adiice, Philoſophia eſt meditatio mortis; num minor erit experientia mortis? Meminiſſe mortis, ſcire eſt, aut ſcire facit. Num mori, aut ſcire mori, ignarum dices? Non minùs nos cogeret ſapere experiri mortem, quàm recordari; potiùs iſtud illius vicarium. Subſtituitur contemplatio pro experientia. Sapientior itaque erit, & Philoſophus amor, quia moritur ſemper, non quia cogitat dumtaxat mori: nec tamen putes iſtam mortem amoris inſipientem, ſine ſenſu: mors eius, ipſa eſt cogitatio; ideò amans moritur ſibi; quia ſemper cogitat alterum. Diutiùs adhuc feres iſtam ſapientiam amoris ex morte ſua, ſi ritus amatorios cum ſeueritate ſua obſeruemus. Nemo ſine mente ſapit: hæc tamen cæremonia ſolennior amoris traducere animum, traducere mentem. At, qui nec animum nec mentem habet, plùs quàm amens eſt. Concedamus iſta; nec tamen ſine ſapientia, cum tanta amentia manebit. Amens quidem eſt amans, ſed prudenter amens: ſpecies furoris eſt, ſed ſapientiſſimi. Pari priuilegio in amantia ſua retinet ſapientiam, atque in morte vitam: non tantùm recuperat, ſed geminat: ex amentia prudentiſſimus amans fit, vt in occipitio quoque, ſic dixerim, oculos habet. Pro prudentia mens amati eſt; quemadmodum pro anima, ipſe: hîc curat, cauet, agitat, prouidet omnes res amantis. Quid igitur prudentius eſt, quàm charitas? Etiamſi de ſe nihil cogitet, ſuæ prouidentiæ vicariam ſapientiam Dei habet. Alios improuidos, & ſtultos amores orbitas oculorum infamauit.

Cæterùm,

Digitized by Google

Cap. 56. Cæterùm, ne ex peſſima alterius charitatis comparatione diuinam duntaxat commendemus,(exigua iſta laus eſt malis communis? ſpeciem boni habent ad maiora collata,) demus nullum amorem prauum, demus omnes bonos. Diuinus duntaxat præſumendus eſt is guſtandus; licèt cæteri non acerbi, licèt iucundi & commodi. In comparatione bonorum etiam vincet optimum. Inſulſi erunt dulciſſimi, ſi cum illo componamus. In hoc veriſſimè ab Agathone dictum, Ἔρωτος δὲ μηδεμίαν ἡδονὴν κρείττω εἶναι. Vehementiſſimus eſt animo beando, felicitati, vt ſic dixerim, intrudendę. Huic quadrat icon pueri fortunam amplexantis. Omnis amoris ſapor, & nectar, bino eliquatur fonte, ex magnitudine amatæ bonitatis, ex certitudine redamantis: nihil enim dulcius amanti præter amorem, quàm ſcire amari. Sed & iſtud fluxus eſt primi illius, ſcilicet, amor, humor quidam, & ſuccus bonitatis. Hæc prouocat alienam voluntatem, cuius ſuauiſſime obſonat amorem: hæc etiam diffundit proprium, & ſuam expectorat charitatem, vt amet alios, ſiue ſolutura amorem aliorum, ſiue laceſſitura. Quamuis nihil amemus, niſi bonum, certior, prior ſaltem boni character aſt amare, quàm amari. Bonitas eſt amoris domus, & portus; patria, & peregrinatio? lar, & hoſpitium; carcer, & linea: à bonitate erumpit amor in bonitatem: ab illa exit, in illam tendit, per illam pergit, vt circulus ſempiternus, ait Dionyſius, propter ipſum bonum ex bono, in bono, ad bonum, reuolutione non errante ſe glomerans: bonitas, ſemen, & fructus amoris, ex illa germinat, illam appetit: quantò bonitas maior eſt, tantò plùs amat, amatur: quantò plùs & amat & amatur, tantò dulcior eſt amanti. Condimentum voluptatis, vnitio, & amplexus eſt maximè amoris. Quid igitur vnitius? quid conditius? quid ſuauius, quàm quod vtrinque ſubit, vndique ſtringitur; trahit, & accedit; ligat, & ligatur; lactat, & ſugit; Naturam magnetis lapidis habet res omnium blandiſſima, bonitas: trahit ad ſe, clamat; vociferatur cordibus, ad ſe reuocat. Hinc amoris collectiuum & vnificum ingenium: ſed & ipſa bonitas, cùm magna eſt, ſimul accedit, occurrit, & adhuc non amata amat: licèt non ſit, quid ad-[illegible]at, ſe inſinuat: licèt non ſit, cum quo commutet, [illegible] & quo poteſt modo penetrari vult: hinc amor max[illegible] boni maximè iucundus, & obſonatus eſt perfect[illegible] vnitione, aut, ſi mauis, vnitate. Tunc meliùs conditur pulmentum, cùm omnes edulij partes penet[illegible] mel, cùm ſubiit omninò obſonium. Tunc & ſuaui[illegible] & optimè condita amoris voluptas, cùm intimius [illegible] amatus, & nunquam magis intimè, quàm cùm magis bonus: effuſiua vi & ſuctiua miſcetur commodiſſimè.

Nullam voluptatē amore potentiorem eſſe.

Cap. 57. Igitur, ſi diuinam ſpectes bonitatem, maximæ reperies voluptatis condimentum. Illa noſtrum iucundiſſimè conficit amorem; & ne minuat nomen opinio, bonum dico, quod alij plauſibiliùs pulchrum: fortaſſe ſubibit iſta vox feliciùs aſſuetos amare nihil, niſi quod obtutus cōmendat, qui ad pulchri nomen aduertunt, & animum, & aciem. Deus, virtus, ſapientia, omnium amabiliſsima, ſunt quædam bonitates modeſtæ & arcanæ: at, ſi panderentur, ac ſe oculis committerent, omnium ad ſe ſponte quadam violentiſſima contraherent corda: languidiores tamē ad nos veniunt, procul quippe à ſenſu ſunt; quum nos prope. Symmetria & proportio hanc ſortem tantùm nacta, adeſſe oculis, pulchritudinis vſurpauit titulum, vehementior ſenſum percuſſura. Quod ſibi bonitatis deeſt, (minor omnium eſt,) compenſat præſentia: re autem & mole pulchrum eſt, quidquid bonum eſt, non quod apparet: & quod bonum eſt, ipſum, & pulchrum eſt. Contrahamus aliquantùm velum, pulchrum iſtud conſpicaturi, quod in Deo delitet nobis, cùm clariſſimum ſit. Quid conſpicaturi, dixi? Vix ſuſpicaturi. Vna eius magnitudo pulchri licentiam & vim omnem ſuperat mentis: non tantùm comminiſci poſſumus, quantum illa re eſt. Quemadmodum, ſi omnium rerum florem, naturarumque pulchritudinem in vnum conſtringeremus manipulum; nihil præ Deo ſolo totus iſte ſpecioſus faſciculus foret: ita omne mentis commentum ex omnium rerum ſpecie collectum inferius eſt vero. Quid igitur, inquies, amabimus? Anne cæco impetu poſt Deum ibit cor tan ignotum amplexabimur? Næ tantus Deus eſt, vt vel ſuſpectus, non cognitus, vel veſtigatus, non repertus omne ius vendicet cordis, velut geſtit canis odore, ac veſtigio abſentis feræ. Ex vngue leo, ex omni Deus vniuerſi pulchritudine, & ſingularum partium, rerúmque coniicitur ſpecie. Vniuerſa ſunt ſtillicidium ab inſuperabili, & immenſo pelago; & tamentum minutum, licèt indiuidui boni, immenſi: leuiſſima, rudiſque imaguncula pulchri. Duo, amantes abſentiam ſuam fallunt, & in abſentia ardorem ſubſtentant, munuſculis, & iconibus: ita Deus ſimulacris ſui ſignantibus dona ſua noſtrum amorem inuiſus alit. In tanta naturarum, rerúmque varietate aliquod lineamentum pulchri, ipſum pulchrum impreſſit. Quid mundus eſt? Deus pictus, vmbra Diuinitatis: verùm propriùs dicam, ænigma Dei. Signat obſcurè pulchrum, non explicat: quidquid ſpecie, aut ſuauitate in rebus noſtrum auocat amorem, in pulcro eleuatum, integrum reuocare debet. Pulchrum dico Deum ſolum: non eſt pulchrum, quod integrum non eſt. At cætera particulæ obſcuræ ſunt diuinæ imaginis: ergo, ſi fruſtra ſunt; integra non ſunt, cum defectu ſunt. Ad hæc, ſi pulchrum, integrum eſt, immortale debet eſſe namque quod mortis fœditas deformat, quomodo pulchrum manebit? Quod detru[illegible] ſui mutilabit penitùs, integrum non dices. Quæ maior detruncatio & defectus, quàm totius ſui? quę maior deformitas, quàm interitus? Deus itaque immortale & integrum quid eſt, & ideò pulchrum. Reliqua cum horrore finis, cum defectus enormitate, præ illo fœda; deficientia, detruncata. O amentiam mortalium! fractum Dei ſimulacrum, & conſciſſa particula nos delectat; ipſum abſolutum reiicimus: ruptam picturam adoramus; integrum, & viuum, & cum ſuo decore vultum contemnimus!

Intercipiat, & præueniat omnem noſtram cupiditatem boni, dicam diruti, ipſum bonum conſiſtens: nihil, niſi propter bonitatem, cupimus, & omnis in Deo bonitas, & ſtat, & præſtat: ab iſto pulchro defluit, quidquid delectat. Deus eſt focus, & penates bonorum: in illo ſtagnantur omnia: quidquid præterea eſt, ſtilla ab hoc eſt, & huius eſt: quidquid enim præter Deum amamus, ſuum eſt. Tantus ille eſt, vt etiam, qui non Cap. 58.

Digitized by Google

non amat eum, non niſi aliquid eius amare poſſit. Saltem hoc ſupremo in omnes bonitates dominatu diligendus. Toties ipſe matrix bonitatis: paruulæ ab illa deducũtur per creaturas coloniæ. Ipſe hortus omnium rerum pulcherrimarum, omnium bonitatum: inde quamlibet decerpe cum dote ſua, & honore. Igitur prævertendus eſt omnis amor diuino. Quidquid pulchrum, aut placidum occurrat, admoneat nos, non fallat; mittat aliò, non occupet: nec enim picturam diligit amans; ſed per picturam, quod præſentat. Id ipſum, quod illicit in rebus, ad contemptum ſuum eſt, & quoddam lenocinium Dei: vbi præſtat, attollendus vultus eſt, & omne pulchrum pulchrius in illo ſpeculandum, & cupiendum. Nolo, tollas cupiditatem; ſed mutes: nolo perdas; ſed lucreris. Auarum cupiditas argentei nummi incitat ad cupiendum aureum, pro quo ipſum relinquet argentum: namque ipſe valor argentei in aureo eſt, & cum exceſſu, & accommodatiùs portatur, ideò plures æreos, atque argenteos pro vno cõmutat aureo. O beatiſſimum; qui ita ſuas voluptates commutat! ô locupletiſſimum, qui ita ſuas cupiditates contrahit! ô feliciſſimum, qui ſuorum votorum probatus trapezita, & argentarius ſit! Commutanda omnia pro Deo ſunt, & totum gaudium noſtrum latiſſimum in vno colligendum. Nolo aliquid nimis ſeuerum: nolo, vt conſumas cupiditates omnes; ſed, vt reſumas omnes; & in vna ſumas. Hoc & facilius eſt, & commodius; & quid vehementius guſtui copulata voluptate. Quid vexamur racematione minutarum rerum? Omnia ſemel vno volumine licet tollere. Auariſſimus omnium es, ſi tibi Deus non ſufficit. Quouſque curret cupiditas tua, ſi in ſummo non reſiſtit, vltra quem, campum non inueniet? Locus ſupra ſummum non eſt: ſufficit felicitati tuæ, ſi tibi ſufficias: quid ſi abundes Deo? Nõ molem & inanem vultum voluptatum quæras, ſed valorem, & ſubſtantiam: impediunt multæ, non implent: nimis occupãt: parum ſatiant: vna omnes complexa, ſine impenſa, ſine pondere, ſine apparatu, ſine impedimento, præſtò vbique aderit, ad vſum, ad ſatietatem, non faſtidium: nihil deſiderabis, ſi vnam vniuerſis excedentem habeas. Semper deſiderabis, ſi plures, quibus vna excedat, quibus aliqua deſit.

Cap. 59. Velut Sol illuſtrat ſydera abſens, obſcurat præſens, cunctorum aſtrorum ſpendorem, & ſupplet, & excedit: ita diuinæ illius pulchritudo mentis, comit omnia, cuius purpurantur ſplendore; ſed collata diſparebunt; deformia ſunt. Nemo, vt videat, deſiderabit Pleïadas minutas, explente ſub meridiem Sole terras. Deo occupante animum, nemo aliam voluptatem quæret; ſupernacuum erit cæterum. Miraris cælum, aſtra, Solem: mirare Deum. Vrge in vnum omnium ſtellarum lucem, & finge ſingulas exceſſiſſe ſolari claritudini: iſthæc luminis vis, præ Deo cæcitas erit. Anaxagoras gratulatus ſibi humana natalitia, etiam cum rigida conditione fortunæ ſuſtinendæ, & quotquot humanæ vitæ pœnitentiam, aut inuidiam non natorum, aut votum mortis fecerunt multis, omnium malorũ compenſationem reputabat aſpectum Solis: ſatis huic rei ſe natum dixit, quòd Solem vidiſſet. Nec minoris Endymiõ fecit conſpectum ſyderis minoris, amatoria ecſtaſi Lunam conſpicatus. Cur nos nati Deo, & videndo, & fruendo, non liqueſcimus amando tantum lumen? Induramur potiùs luce Solis: ſed hoc luti eſt, & cœni. O ineptos nos! ſplendorem putamus aſtrum: nec aliter, ac piſciculi exultant, adulantúrque imagini Solis labentibus impreſſæ vndis, ipſum rati Solem: ita ſimulachra pulchri adoramus, defluentibus adumbrata rebus; ipſum contemnimus.

Verùm, quia beneficentia ſplendor bonitatis eſt, & facta ſunt auctoramenta amoris: Cap. 60.

Eſt amor cultu optimus.

iuuat & iſthac ire noturos pulchrum, nempe bonum, nempe Deum. Simpliciſſima bonitatis natura multiplices, & in ſpeciem oppoſitas complectitur vires: attrahit, & pellit amorem. Magnetis & dictamni ferrum trahentis, ferum expellentis, ludit virtutibus: namque alienum conuocat amorem, ad ſe pellicit, ac iungit; & proprium excutit, à ſe iactat, & mandat procul. Percellitur ſagitta amoris: qui amatur, nec quieſcet, nec ſatis gaudebit, nec ſano eſt corde, donec reddat amorem, & à ſe refigat. Non ſe ſolet amare, qui maximè debet amari: hinc amantium eſt tranſfuſio, & prior effuſio, atque euacuatio. Præcedit formæ propriæ priuatio inductionem alienæ. Vacuum corpus amans eſt, non cadauer: iſtud enim forma ſua impletur, nec inane eſt, licèt ſit inanime: abeſt tamen amanti anima, aliò miſſa, nec ſuo agitatur ſpiritu. Itaque exinanitum quid amans eſt. Nec iſtud quodammodo amoris facinus omninò tacitum in Deo: ſemetipſum exinaniiſſe diuinus Paulus ſcripſit: ecſtatico nos amore diligit: velut extra ſe funditur. Audeo ſic loqui, & fortaſſe ſequor diuinum Dionyſium, à quo ita doceor: Τολμητέον δὲ καὶ τοῦτο ὑπὲρ ἀληθείας εἰπεῖν, ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πάντων αἴτιος, τῷ καλῷ, καὶ ἀγαθῷ τῶν πάντων ἔρωτι δι' ὑπερβολὴν τῆς ἐρωτικῆς ἀγαθότητος, ἔξω ἑαυτοῦ γίνεται, ταῖς εἰς τὰ ὄντα πάντα προνοίαις, καὶ οἷον ἀγαθότητι, καὶ ἀγαπήσει, καὶ ἔρωτι θέλγεται, καὶ ἐκ τοῦ ὑπὲρ πάντα, καὶ πάντων ἐξῃρημένου πρὸς τὸ ἐν πᾶσι κατάγεται κατ' ἐκστατικὴν ὑπερούσιον δύναμιν ἀνεκφοίτητον ἑαυτοῦ. Διὸ καὶ ζηλωτὴν αὐτὸν οἱ τὰ θεῖα δεινοὶ προσαγορεύουσιν, ὡς πολὺν τὸν εἰς τὰ ὄντα ἀγαθὸν ἔρωτα, καὶ ὡς πρὸς ζῆλον ἐγερτικὸν τῆς ἐφέσεως αὐτοῦ τῆς ἐρωτικῆς, καὶ ὡς ζηλωτὴν αὐτὸν ἐπιδεικνῦντα, ᾧ καὶ τὰ ἐφιέμενα, ζηλωτά, καὶ ὡς τῶν προνοουμένων, ὄντων αὐτῷ ζηλωτῶν. Adijcito etiam Gerſonem magnæ doctrinæ & pietatis Virum. Is ait: Recipit Deus nomen amoris, & perfectè, vt (iuxta Dionyſium) ecſtaſim faciat, & actiuè, & paſſiuè. Deus ſiquidem infinitus, dum ex amore producit creaturam finitam, exit quodammodo ſuam infinitatem, diligendo rem finitam, quamuis actu infinito. Sic & vice verſa rationalis creatura finito actu diligendo Deum obiectaliter infinitum, ponitur extra terminos omnis creaturæ, cùm nulla ſit infinita. Ecce igitur ſuperadmirabilem ecſtaſim in vtroque amore, Dei, ſcilicet, & creaturæ. Perinde nos amauit, ac ſi ſe non amaret, cùm maximè ſit etiam à ſe amabilis & amatus. Illinc & transformatio amantium, quiſque à ſe exhauſtus & inanis ab altero impletur: ſcilicet, perinde procuratur, prouidetur, ac ſi alter, alter eſſet; ac ſi amantis animus eſſet in redamantis corde, & redamantis mens in amantis corpore. Quiſque propriorum oblitus, aliena cogitat, curat, agitat, ſollicitat,

Audendum, & hoc pro veritate dicere, quòd & ipſe omnium cauſa, pulchro, & bono omnium amore, per abundantiã amatiuæ bonitatis habitudine extra ſeipſum fit, ad omnia exiſtentia prouidentiis, & ſicut bonitate, dilectione, & amore, trahitur, & ex eo quod eſt ſuper omnia, & ab omnibus ſegregatum, ad id quod eſt in omnibus, deponitur ... ecſtaſim facientem ſuperſubſtantialem virtutem, à ſeipſo ingreſſibilem. Propter hoc, qui fortes ſunt in diuinis, ipſum Zelotem appellant, ſicut multum in bono amore ad exiſtentia, & ſicut excitatiuum vt nullum, deſiderium ipſius amatiui, & ſicut zelotem ipſum demõſtrantes, per quem, & deſiderata ſunt zelabilia, & ſicut prouiſis ipſis exiſtentibus zelabilibus.

tat, vt propria, & pro propriis altero exiſtente in altero mente, ſenſu, prouidentia, ſolicitudine: iſta transformatio eſt amoris, quòd amans ſe putet & gerat, vt alium; & alium, vt ſe. Nec iſtud diſſimulauit Deus: ita noſtram agit cauſam, ita noſtrum bonum curauit, ac ſi ſalus ſua ex noſtra penderet. Quid amplius pro redēptione ſua faceret, quàm pro noſtra ſuam maieſtatem exinaniens

Cap.61. Cæterùm, bonitas fœcunda ſui, amiciſſima effundendi ſe, & auariſſima dandi, auet, placétque ſibi, & factura ſui quæſtum profunditur ac datur non ad diminutionem, ſed amplitudinē: creſcit communicata. Maiora, quæ extenduntur, fiunt. Melior arbor cum fructu quàm ſterilis, luentes latices limpidiores ſunt, quàm ſtagnati. Cùm ſe bonum effundit, & ſacrum à ſe amorem expectorat, in alios tranſmittendum; non illum nudum ex lare, & ſinu ſuo reiicit, non pauperem, non ſolitarium; ſed cum authoritate, & comitatu, & ornatu, & pompa. Omnia ſua pignora cum illo mittit, ipſúmque comptum, locupletatúmque. Feret amor ſecum quæcumque ſunt amantis: beneficiis, officiiſque omnibus amatum donat. Quemadmodum aliò migrans mutaturus domicilium, illuc omnem ſupellectilem præmittit, vbi habitaturus eſt: ita amantis animus alibi victurus omnia in amatum transfert. Moribundi diſpenſant bona, legata relinquunt, & vniuerſorum inſtituunt hæredem: amans quoque moritur ſibi, & ſucceſſori, amato, inquam, omnia ſua concedit. Amor teſtamentum eſt amantis: res ſuas iure amoris tradit. Itaque bonitas per amorem funditur, amor per munera & officia. Hinc & bonitas auida ſe communicandi; nam & amandi. Quò quis maioris bonitatis eſt, pronioris amoris eſt: & quò promptioris amoris, libentioris eſt beneficentiæ: atque vt à beneficentia amor, ab amore bonitas coniicitur. Quanta hæc renidet in Deo, tot affluens beneficiis, quot res ſunt?

Cap.62. Omnia homini creata: ipſi cælum condidit, & auguſtum illud Vniuerſi prætorium, decens, exornatum, abundans ſupra regiam amplitudinem. Deſiderabis famulatum: certè & iſtud ad exaggerationem charitatis. Omnia ſuperſunt miniſteria, etſi deſint miniſtri. Ritu amantium Deus omnia gaudet ipſe miniſtrare: nec de œconomo aliquo prouidentiam tui confidit: manu ſua tibi ſeruire, & mulcere geſtit: ipſe tibi obſequia præſtat famuli: ipſe omnes officinas implet, vbique operatur. Regia aula variis inſtruitur muniis: hic œconomus, hic pocillator, hic archimagirus, hic præfectus equorum, hic cuſtos veſtium. Omnia ſubeunda munia pro nobis Deus ſuſcipit: ipſe œconomus noſter noſtra prouidens; ipſe promus condus è penu locupleti nos nutrit, fructus in arboribus coquit, in aruis ſegetes torret: ipſe pincerna, eliquans è vitibus ſuccum, è ſaxis dulcem humorem, colans maritimam ſalſedinem: ipſe veſtiarius, in vermibus ſerica fila, in pecudibus vellera parat: primas ab illo veſtes accepimus: ingratos progenitores noſtros è domo ſua expulſurus, non ſine veſtitu dimiſit. Ipſe Medicus ſalutaria conficit pharmaca è tot herbarum viribus, ſeminum, radicum, lapillorum. Quid, cùm auariſſimi ſimus, produxit ſua munera vltra vota noſtra. Victæ ſunt ſpes humanæ diuinis beneficiis. Solemus ſperare plùs, quàm poſſidemus: ſolemus optare plùs quàm ſperamus: tot vltrò beneficia fecit, & pollicitus eſt Deus, vt nemo minùs ſperare poſſit, quàm optare: nemo plus optare, quàm vltrò habet data & promiſſa.

Cap.63. Igitur, cùm tot ſyngraphas diuini amoris, tot inſtrumenta diuinæ bonitatis, quot res, quot ſpes, quot vota, fidem habeamus. Verba amoris, opera ſunt: lingua beneuolentiæ, manus: omnia vociferantur, & clamore ſuo iurant, quòd amet nos Deus. Quem non concutiet omnis hęc Vniuerſi eloquentia? Quæ ars eſt Rhetorices tot inſtructa figuris, quot videmus naturas? Quale pulchrum, quale bonum putabis tot modis exundans? Infinitum eſt, nec paucis exprimi poteſt. Munera pro amante ſufficiuntur, cuius quidam ſunt vicarii, quædam ſui ad argumentum traditionis pignora, quædam mentis arrhæ. O quoties, Deus noſter! ô quoties ſe dedit! Numera pratorum, flores, gramina, herbas, ſyluarum arbores, frutices, camporum greges, armenta, nemorum feras, ætheris volucres, Oceani arenulas, piſciculos, monſtra, cæli orbes, luces; toties ſe dedit tibi, quoties dedit; & toties dedit, quoties aliquid fecit: innumeris iis te procurauit pharmacis, innumeris philtris. Diotima dixit magum amorem: ſunt beneficia, amatoria veneficia. Eadem Vates vocauit venatorem. Tot munerum laqueis neſcio, quî non capiamur?

Cap.64. Ad hæc, vt vtrinque ſe præberet amantem poſt actiones, paſſionibus, ſcilicet; exhibuit probatius charitatis experimentum; nec tantùm beneficentia, ſed mali patientia amorem expreſſit ſuum, premit noſtrum. Credo, quòd iſta violentiùs. Patientia Lydius lapis eſt probando amori: nullibi aureus iſte affectus, ita ſe exprimit, ita claret, vt turbatis rebus; nullibi ita pulcher, & feſtiuus, vt laboribus; nullibi ita viuax, vt morte, authentico charitatis inſtrumento. Non ære alieno obnoxij ſumus, ſed vita Dei. Neque minuit amplitudinem beneficij, non pro te ſolùm paſſum & mortuum: ſatis ſi pro te cum aliis, vt debeas; quantùm ſi pro te, ſine aliis, imò pluſquàm alij: adiiciam, pluſquàm vniuerſi; quare & pluſquàm; ſi pro te ſolo. In primis debes, quantùm omnes: tu & omnes debemus totum, quod Chriſtus ſuſtinuit, & ſinguli totum; inde ſinguli pluſquàm omnes: nam ſinguli acceperunt, quod vniuerſi. Ad calculos trahe proportionem, tantò tu debebis plùs vniuerſis, quantùm vniuerſi plùs te ſunt. Quotieſcumque aliquis ſuſcipit quantùm omnes, etiam æqualis doni, inæqualis gratia, maior fauor erit.

Cap.65. Specta igitur ludibria, opprobria, ignominias: ad honorem amoris ſunt. Horruerat hæc Marcion, indigna Deo ſibi viſa, humilia, infamia, ſcilicet. At, nihil indignum Deo, ſi non indignum amore: dignus Deo amor eſt, & amore digna humilitas. obſequium, ſeruitus. Neſcierat Ponticus ille amoris prærogatiuam, cuius tanta nobilitas, vt nulla humilitate infametur. Nactus eſt amor honoris priuilegium: nihil illi vertitur probro. Conſentio Pauſaniæ Platonico in ſua de amore oratione. Quantumuis amās ſedula obſeruantia ſeruiat, obſequatur in omnibus, quæ nec ſeruus viliſſimus faceret, nec cogeretur agere: gratiam pro his omnibus merebitur, quæ ſi ſine amore ageret, ab amicis pariter

Etenim quem admodum apud nos de amantibus lex eſt illa relata, qua dicitur, nullum voluntarium amatoriis in

ter vituperaretur, atq; inimicis. Amor omnem infamiæ notam delet, meretur laudem pro humilibus, lege quadam amatoria omni eximitur ignominia. Refert ille: Ἔστι γὰρ ἡμῖν νόμος, ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἐρασταῖς ἦν, δουλεύειν ἐθέλοντα ἡντινοῦν δουλείαν παιδικῶν, μὴ κολακείαν εἶναι, μηδὲ ἐπονείδιστον. οὕτω δὴ καὶ ἄλλη μία μόνη δουλεία ἑκούσιος λείπεται οὐκ ἐπονείδιστος. αὕτη δέ ἐστιν ἡ περὶ τὴν ἀρετήν. Νενόμισται γὰρ δὴ ἡμῖν, ἐάν τις ἐθέλῃ τινὰ θεραπεύειν, ἡγούμενος δι' ἐκεῖνον ἀμείνων ἔσεσθαι, ἢ κατὰ σοφίαν τινὰ, ἢ κατ' ἄλλο ὁτιοῦν μέρος ἀρετῆς, αὕτη αὖ ἡ ἐθελοδουλεία οὐκ αἰσχρὰ εἶναι, οὐδὲ κολακεία. Δεῖ δὴ τὼ νόμω τούτω συμβάλλειν εἰς ταυτὸ τόν τε περὶ τὴν παιδεραστίαν, καὶ τὸν περὶ τὴν φιλοσοφίαν τε, καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν, εἰ μέλλει ξυμβῆναι καλὸν γενέσθαι τῷ ἐραστῇ τὰ δικὰ χαρίσασθαι. Glorioſæ itaque & ingenuæ conditionis ſunt ſeruitutes amoris, & virtutis, ſine dedecore, ſine ignominia, imò glorioſiores rebus ignominioſis. Igitur, cùm nihil Deus indignum ſe facere poſſit, hoc tantùm potentiſſimè infirmus, omnem humilitatem, quàm fecit & tulit, amando fecit, ipſa humilitate glorioſior. Omnia fuerunt charitatis ſtratagemata, nec vllum maius eſt amoris machinamentum, quàm humilitas. Alfonſus, Neapolitanus Rex, odium ſuorum hac arte extinxit: inter venandum offendit carbonarium, cuius lapſum in foſſam iumentum eleuare laborabat; vt vidit Rex, accurrit, & propriis iuuit manibus, tunc verè regiis, nam auxiliaribus. Suffecit hoc mite & humile factum, vt beneuolentiam omnium impetraret. Cœperunt Neapolitani diligere, quem illatenus oderant. Quis mitior, quis humilior Deo? Lapſos nos erexit, ipſe deſcendens: tantoperè complacet in humilitate, vt tantum non ſuperbiat, geſtit tamen.

In amatũ obſequium, adulatorium & infame putandũ ſic & alia quædam ſecundùm legem ſeruitus voluntaria reſtat, quæ infamiam nullam ſubitt: hæc autem eſt, quæ circa virtutẽ verſatur. Nam noſtris legibus inſtitutum, ſi quis velit aliquem colere, putans per illum, vel ſapiẽtia quadam, vel in alia qualibet parte virtutis proficere, hanc rurſus voluntariam ſeruitutem, neque dedecori ſeruienti fore, neque adulationem vocari debere. Oportet autem has leges in idem conducere, illam, ſcilicet, de amatoribus, & hanc de Philoſophia, aliáque virtute conſcriptam, ſi vlla ratione contingere debet, vt deceat amatos amatoribus obſequi.

Cap. 66.

Alia nos admonet beneficia, quibus noteat Dei bonitas, mutatio iſta Neapolitanę in Alfonſum inuidiæ, alieno beneficio placatæ. Adiice igitur beneficiis propriis aliena; adiice communia, & quæ aliis, & quæ omnibus collata: premunt omnia noſtrum amorem: æquè ſunt argumenta bonitatis: ſi diſtinguis gratitudinem ab amore, & in aurea ſua illum puritate conſideras, non minus amabis Deum, quia aliis benefecit, quàm quia tibi. Vtrobique tranſpicitur bonitas per beneficentiam; niſi fortaſſe te peſſimum putas: maioris bonitatis eſt benefeciſſe peiori: ſcilicet, ſupereſt plus boni, vt è ſe ſuppleat donans, quod deſit accipienti: ſplendor tamen creſcit ex alienis: pluribus tædis lumen excreſcit: iubar Solis non tantùm miraris, quòd nonnullis te duntaxat radiis foueat; ſed, quòd in orbem diſſipet, vniuerſa calefaciat, & illuminet.

Cap. 67.

Tot itaque pro nobis Deus ad argumentum ſui amoris, & bonitatis fecit, vt penè alicui viſum fuit, ad iniuriam, aut otium bonitatis eiuſdem. Non erat opus Deum optimum eſſe, vt amaretur; ſufficiunt, quæ fecit, abſque eo, quod ipſe eſt. Maxima omnium & valentior charitatis illecebra eſt, quod eſt. Si veriſſimum fuiſſet mendacium omnium maximum, delirium Marcioniſticum, blaſphemans Deum malum: adhuc diligendus eſſet: ſua de nobis benefacta mererentur beneuolentiam, & gratiam. Verum nec iſta neceſſaria erant exactioni noſtri amoris, ſupereſt illi bonitas nuda raptando noſtra corda; adhuc ſine vllo bono opere fortis, valentiſſima eſt. Vt amemus Deum, non indiget beneficiis, ſatis eſt bonitas, nec indiget bonitate, ſatis ſunt beneficia. Proh pudorem noſtrum! ſingula ſatis, & nimium ſunt, & vtraque ſimul non ſufficiunt.

Cap. 68.

Aſt, cùm omnes iſtas ſagittas ardentes cum carbonibus deſolatoriis, obduro, frigidóque corde noſtro, ſaxeo, inquam, retundantur; alio ſtupendo machinamento, & efficaciſſimo philtro nos aggreditur, ſubiens per ſe pectus noſtrum. Amor ipſi Deo,

... amanti ebibit ſanguinem.

Cùm nec ipſe per ſe, nec per dona ſua extunderet noſtrum amorem, decreuit rara ſubtilitate ipſe per ſe, & per donum ſuum ſimul ſolicitare, id eſt, faciendo ſe donum: copias omnes in vnũ expugnandis nobis cogens, vires bonitatis, & vires beneficentiæ conuocauit: vt, ſi non amemus, quia bonus eſt, nec quia bona fecit, id eſt, dona dedit; amemus, quia bonus eſt, & quia pariter donum eſt: id eſt, amemus iam ob duplicem bonitatem, quia bonus in ſe eſt, & quia bonum eſt, quatenus donum eſt. Videbat tot benefactis non ſe amari, ſed dona ſua; atque ingenioſiſſimo ſtratagemate excogitauit, etiam iſta via nos capere, & fecit ſe donum, vt amaremus, quia donum eſt: ne iſto ſaltem auaro nomine renceretur, ſed diligeremus; ſi non quia bonus, ſaltem quia bonum; aut ſi adhuc, non quia bonum, ſaltem quia bonus, & bonum. Atque vt iſtud commendabilius eſſet, fecit ſe donum neceſſarius & carius, & frequentius, & intimius: nullum plùs alimento, & neceſſitate, & cupiditate, & aſſiduitate, & coniunctione: toties enim ſe dederat cæremoniis amoris legitimis, id eſt, vicariis pro ſe donis, nunc ſine cæremonia, ſine interpretatione datur, donum conferens, & exiſtens: non fuerant ſatis beneficentiæ ſuæ pignora: dedit ſe obſidem: ſcilicet, compleuerat in nobis ſagittas ſuas exhauſta pharetra. Beneficia, tela amoris ſunt: has

per orbem
Spargit effuſus agilis ſagittas.

& ſe poſt omnia dedit. Seruo Dei, & feruentiſſimo pauperum tutori, Antonio Martino, apparuit cupidineo habitu puer IESVS, arcu & pharetra armatus, inque ſuum pectus iaculatus ſagittas, negotians amorem plagis. Non ſatis hoc, reſiſtimus telis. Quid reſtat? Conſumptis miſſilibus ſubit ipſe præcordia noſtra, comminùs expugnaturus cor noſtrum. Simili nos aſtutia re ipſa procurauit, atque Anacreon finxit, (cum reuerentia veritatis vſurpabo ad ipſius obſequiũ fabellam.) Plùs pro nobis exequutus eſt negotioſus amor Dei, quàm vlla otiantis phantaſia valuit comminiſci. Vincunt opera diuina humanas cogitationes. Iam Teij Lyrici ſuffragio, non licet niſi liberè amare Deum! ita ille ſuccumbens amori canit:

Θέλω, θέλω φιλῆσαι.
Ἔπειθ' ἔρως φιλεῖν με.
Ἐγὼ δ' ἔχων νόημα
Ἄβουλον οὐκ ἐπείσθην,
Ὁ δ' εὐθὺ τόξον ἄρας,
Καὶ χρυσέην φαρέτρην,
Μάχῃ με προὐκαλεῖτο.
Κἀγὼ λαβὼν ἐπ' ὤμων
Θώρηχ' ὅπως Ἀχιλλεὺς,
Καὶ δοῦρα καὶ βοείην,

Libet, libet iam amare. Cupido me monebat, Vt amator eſſe vellem. At ego inſciens monenti Parere negligebam. Mox ergo ſumpſit arcũ, Et auream pharetram,

Ἐμαρνά

Ἐμαρνάμην ἔρωτι.
Ἔβαλλ᾽, ἐγὼ δ᾽ ἔφευγον.
Ὡς δ᾽ οὐκ ἔτ᾽ εἶχ᾽ ὀϊστοὺς
Ἤσχαλλεν, εἶτ᾽ ἑαυτὸν
Ἀφῆκεν εἰς βέλεμνον.
Μέσ☉ δὲ καρδίης μευ
Ἔδυνε, καὶ μ᾽ ἔλυσε.
Μάτην δ᾽ ἔχω βοείην.
Τί γὰρ βαλώμεθ᾽ ἔξω,
Μάχης ἔσω μ᾽ ἐχούσης;

Me prælio laceſſens. Ego verò, vt olim Achilles, Lorica amictus, atque Scuto minax, & haſta. Cum amore præliabar. Iaciebat ille tela. Vertebam at ipſe terga. Tandémque miſſili omni Quũ destitutus eſſet, Ira æſtuãs iacit ſe in me, velut ſagittã Penetrans; & in cor vſque Medium reſoluit artus. Scutum ergo nil iuuat me: Nam cur petamur extra, Quum præliũ ſit intus?

Igitur, ſi Anacreon, qui incruentus inani iam pharetra cunctis reſtiterat amatoriis ſagittis, ſubeunti tandem pectus ſuum amore, non iam per miſſilia, non per cuſpides, ſed ſe ipſo miſſili & ſagitta victus fuit; quid nos adhuc reſiſtimus ipſi Deo pectus ſubeunti noſtrum?

Cap. 69. Quantus igitur tam ſolers amor Dei, tam effuſus? Quanta bonitas tanti amoris genitrix? Nobilitas gentilium in prolem excurrit. Diuinemus non ex auium extis, ex pientiſſimis & amatoriis Dei viſceribus ſuam bonitatem, ſcilicet, ex beneficiis amorem, ex amore bonitatem. Quo pacto tantus nos haud domat amor, qui præter robur etiam ſitu præſtat? Quaſi è cliuo eminens ſuper beneficia, velut è loco edito pugnax, valentior eſt. Ardentior enim benefactoris charitas eſt, quàm beneficio vtentis etiam gratiſſimi: illius natalitia amoris à bonitate ducũtur; huius à neceſſitate: in illo gloria & decor, videlicet, maioris; in hoc reuerentia & pudor, velut inferioris, iſte amoris ignis libentiùs, vehementiúſque deſcendit, quàm ſurgit. Excellentius principium dilectionis benefactorem extimulat, ſcilicet, voluntas, bonitaſque. Amor enim, cùm ſit boni, concitatiùs decurrit à bono in bonum, quàm à neceſſitate & indigentia ſcandit; dat, qui vult; accipit, qui eget. Quantus amor tanti benefactoris? qui dat, quantum habet, penè dicerem, plus quàm habet, cùm omnia habeat; vſque ad ſe dedit. Et ſiquidem multoties ſe dedit, dat iam, quod iam non habet, dat ſe ſæpe donatum. Dat ſe, qui non iam eſt ſui, quàm multiplicitet noſter: ſæpiſſimè ſe nobis dedit. Miror, tam fortiſſimo nos reluctari amori. Amor eſt efficaciſſimum pharmacum amoris. Amor eſt pretium amoris. Amor eſt Pharus amoris, nictat ad ſe amatoria flamma, vocat, dirigit. Amor eſt igniarium amoris; extundit è lapide ignes. Cor ſiliceum ſcreat ſcintillas percuſſum amore, ſi amari noſcat. Amor amorem exprimit; legitimus, inquam, genuinúſque; nam leo marmoreus non rugit, ignis pictus non vrit, Amor Dei probatiſſimus, vegetus, viuax, acris, non mendax, nec fictus, quomodo noſtra non percellit pectora, & vnus ſine priuilegio amoris eſt?

Cap. 70. Amor cum echo eſt: vbi eſt, redditur, & pari tono reſpondet. Neſcio, quonam naturæ arcano, & compaſſione cordium, ab amore elicitur, & adiuratur amor: ſiue, quia, quem videmus nos amare, cenſemus bonum; amatorem enim boni iudicamus, cùm quiſque ſe bonum putet, & illum, à quo ametur, reputat amatorem boni, propterea bonum & amore dignum; quemque ſui opinio fallit; nec tantùm adulatores patitur, ſed honorat: ſiue, quia ſimilem amat ſimilis; ſimilitudo, quæ vnum incitauit, eadem mox excitat alterum: ſiue, quia amans admittit formam amati, quem in ſe inſculpſit ſuam reflexurus amati ſpeciem, iſtud ad amorem vocat; pueri oſculantur ſuam formam in ſpeculo; Imperatores curant ſuas ſtatuas, & Legatos ſic amant, vt capitali mulcta in irreuerentes animaduertant: ſiue, quia ſe à ſe aufert amans, & amato tradit, & iam, vt quid proprium habet, & amat. Nullus tam malignus eſt, qui ſe non amet; &, ſi amat, amabit ſua.

Cùm tamen tot vrgeant amare amantem, nullámne reperis cauſam redamandi Deum? Cape primam. Si particula tibi pudoris eſt, non te malum putabis, aut voles: ſaltem, quoniam te amas, ama Deum te amantem: ſi te præſumis bonum, voles quidem præſumere, licet fallaris. Si amas propterea adulatores opinioni tuæ plaudentes, cùm putes amari; Deum ipſum ama, qui ſuo tibi amore fauit, & quia amat te bonum, prout te cenſes, aut falleris: ſiue, quia licèt malus ſis, amare vult, & in hoc deſiderat te bonum, quod ſine beneuolentia non eſt. Cape etiam vltimam: &, ſi non amas Deum, quod ſuus ſis; ama, quòd tuus ſit. Ecquod pignus in omni ſupellectili, & gazis tuis pretioſius Deo habes? Ama, fruere illo, & ſuis, iam amoris nomine tuis. Tolle oculos, & mitte ſupra mundi verticem: aſpice diuinæ naturæ ornamenta, pulchritudinem, affabilitatem, cùm ineffabilis ſit, ſapientiam, potentiam, beneuolentiam infinitam, non ſunt iſta contemptui pignora. Omnium vſufructuarius eſto. Iſto debes proprietatis titulo amorem Dei præferre tuo: namque magis Deus tuus eſt, quàm tui es tu ipſe, & quidquid præterea tuum putas; iſtud fortunæ erit, non tuum. Tu partim fortunæ, partim mortis, partim temporis, maximam quoque & meliorem partem tui obtinet cupiditas: ius iſta in te habent. Corpus totum vindicabit ſibi mors: præripiet ſuam quoque dies partem: animus, qui vnus tibi videtur reſtare, non tam tuus eſt, quàm Deus; nolo modò dicere, quàm Dei. Illud magis proprium putabis, in quo magis potes: minùs tamen quodammodo de animo tuo potes, quàm à Deo. Sæpè multò minùs ab affectibus tuis, & cupiditatibus obtinebis, quàm ab illo. Quoties expertus es, vt impos tui, frænaturúſque tuam cupidinem, priùs à Deo impetrares auxilium, quàm à te temperantiam? Quoties priùs te audiuit Deus quàm tu ipſe, quam libido tua? Ergo, ſi hæc contumax, rebellis; Deus tamen præſtò, faciliúſque tibi adſit; minùs videris in appetitum imperare, quàm à Deo impetrare poſſe, & magis quodammodo Deus tuus eſt, quàm animus tuus, difficillimâ obtemperantiâ tibi contumax. *Cap. 71.*

Adiice ad magnitudinem amoris, maximum deſideriorum ſuperpondium; non dico deſideria amati; iſta in ipſo amore claudo, ſed amoris. Deſiderare amatum, cuiuſlibet amoris eſt: deſiderare amorem, maximi. Satis amat, cui ſatis non videtur, quantùm amat: & parum amat, qui non optet plus amare: fimbriæ prolixi amoris vota ſui ſunt. Hoc intereſt inter cupiditatem, & amorem: illa citiùs ſeipſam faſtidiet, quàm cupitis ſatietur: amor ſemper ſui famelicus ſatiatur re amata, ſed ſine faſtidio: & cùm nihil iam optat, ſe ſolùm optat: iſta enim ſui fames à ſatietate amati venit amori. Tantopere explet amatus, tantopere placet, vt inæqualem ſe noſcens amor, & auguſtum, laxari, velit, *Cap. 72.*

Digitized by Google

velit, & velut rumpatur, vt ſatisfaciat bonitati amati, aut ipſius, qui amat. In quibuſdam aliena bonitas, in nobilioribus propria edit amorem. Nimis amat Deus amare: amat, quia deſiderat amare, & amari: ſe vltrò amori obſtrinxit, & pretioſiores, carioréſque nos habere voluit, oppignerato amore bonis ſuis, & malis, id eſt, cruciatibus, non tantùm benefaciens, ſed mala patiens, ſuo nos cruore, labore, morte æſtimauit, & emit; non quia tanti eramus, ſed vt tanti fieremus. Pluris fit, quod labore conſtat: ſiue timor repetendi laboris, pretium ſupremum taxet: ſiue, quoniam, quæ magno parantur, cariora fiunt. Aliarum mercium pretium vſus definit, & ipſarum valor. Contrà eſt in æſtimatione animatum, quarum valor ab ipſo taxatur pretio: ſtant pro ſanguine, & vita Dei: licèt non valeant infinitum, infiniti taxatione ſunt emptæ; & hac parte infinitè æſtimatæ. Quantò emitur aliquid, tantò æſtimatur. Vt nos pluris Deus æſtimaret, quàm ſumus, infinito nos emit pretio. Aſtutia iſta amoris fuit, ſe ipſum exigentis, ſe prouocantis. Deerant noſtra merita, adiecit inuenta ſua: è ſe poſuit, quod defuit nobis.

Cap. 73. Prolixa nos tenuit oratione iſte Rex affectuum: decebat pro maieſtate ſua, & pro argumento noſtro. Quærimus pacem, tranquillitatem, gaudium, felicitatem animi: en iſthic eſt:

O felix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat!

In amore, velut curia, quies ſedet. Amor, pater eſt lætitiæ, & ſummæ, puriſſimæque voluptatis cuſtos & arbiter: ipſe gaudium gignit & tutatur; nempe, in vertice rerum locat, quò neutra fortunæ manus continget: nec confert aliquid, nec aufert. Elata in Deum voluntas, nec auram, nec Eurum patitur, velut ſuper collem Olympi intemerata eſt flatibus, ignota turbinibus, perſpicuo & aperto ſemper cælo functa; omnium ibi rerum tuta iniuriis, non ſolùm fortunæ; ſed, quod plus eſt, ſui. Nónne à ſe erit ſecurus, qui innocens eſt? Vtique, & ab illo omnes. Nónne à fortuna, cui omnes innocentes ſint, quem hoſtis non lædat, quem dolor non ſummittat, quem voluptas non fugiat, & quod mireris, non fallat? Iſtæ ſunt amoris dotes ab Agathone ſubtiliter diſceptatæ ad commendationem ſuam. Nequit non bonus eſſe, qui iuſtus, fortis, temperatus, prudens eſt, inſuper diuinus.

DE ARTE VOLVNTATIS LIBER QVINTVS.

PROÆRESIS III.

De innocentia lætitia, quam ſola virtus alit.

Cap. 1. NVnc ad conſequentia amorem, & primùm ad lætitiam pergo, legitimum amoris fœtum, cuius conditionem ſequitur pro eiuſdem qualitate, aut tuta, aut periclitatura. In vniuerſum miſcebo quidquid feſtiuum eſt cordi: nunc guſtum, nunc voluptatem, nunc delectationem, nunc lætitiam, nunc gaudium appellabo. Iſta quoque extrema ſolum tempus diſtinguit: Lætitia eſt, quæ bonum recens celebrat; gaudium, quod morans: illa cum aduentoria excipit; iſtud in contubernio retinet. At ſenſuum oblectamenta geminum nomen non merentur, in tranſitu veniunt, vadunt, nullum manet. Hæc lætitiæ, & gaudij nomina quanto in fauore ſunt, tãto in diſcrimine. Vota noſtra multis peccant modis, vt offendant gaudium noſtrum, etiam cùm felicia ſunt, atque in infinitum ſe producunt. Optamus, aut non tuta, aut quorum gaudium non ſit tutum: in illis calamitas nos triſtat, in his ipſa felicitas anxios facit pro ipſa. Adeò votis laboramus, & tamen multiplicamus, nunquam ſuſpendimus: in his, quibus nos offendit aduerſus caſus, duplicamus? in quibus fortuna lædit, replicamus, & optatam felicitatem conſequuti, pro ipſa felicitate vouemus.. Nimirum, felicitas ipſa ſibi etiam deſiderat felicitatem; iam notabis, cùm non habeat, quod optat: imò miſeria eſt, cum deſit felicitas. Non eſt felicitas complexus bonorum, ſi abſit iſtud bonum ſecuritatis contexturę omnia. Hinc aliud erratum mortalium, quòd voueant æqualiter pericula, & ſecuritatem inæqualiter curent. Nemo non periculis ſe exponit, conſequuturus periculoſa. Securitas vota ſolùm nobis debet; pericula etiam diligentiam: igitur tuta, ſtabilia, integra, ſyncera gaudia admittenda ſunt, & his conſentanea vota, non obſtantia ſibi, aut paria execrationibus. Plerumque vouemus peiora maledictis, & in vniuerſum ſecurius votum eſſet, ne eueniant, quod optamus. Eleganter Albertus appellauit laqueum triſtitiæ, lætitiam illam, quæ tempore ruit. Vulgaria enim iſta gaudia voluptatum, & quæ raptim quæruntur, quæ pro viribus appetuntur, in quibus inuidia conſtanter laborat, adeò infirma ſunt, adeò inſtabilia, vt omnibus inſtabiliùs rebus euertat tempus.

Cæterùm, iſtam conſtantiam gaudij curandam moneo ſubtiliùs, quàm conſtantiam felicitatis. Duobus fortuna peccat perfidiis; vna ſtatus ſui; altera ſenſus: & quia negat, aut aufert ſua *Cap. 2.*

bona;

Digitized by Google

bona; & quia, cùm ſeruat, inutilia & caduca ſuus ipſe ſtatus facit. Vtrimque patemus vulneri, vtrimque petimur, aut cupiditate, aut faſtidio. Poſſunt aliquando durare, quæ optaſti; poſſunt perſeuerare, quibus gauiſus es, & ſtante felicitate tua perire ſenſus eius; tam certus eſt delectationis interitus; ipſa peribit delectatio adhuc manentibus oblectamentis. Solet eſſe felicitas ſine anima, & quoddam duntaxat lætitiæ cadauer. Non eſt neceſſe, quòd pereat voluptas, & lætitia popularis rerum; quòd pereant ipſæ res; ſatis eſt, ſi non pereant; ſatis, quòd durent. Magna neceſſitate ſumus infelices: vtrumque latus patet, vtroque inuadit nos miſeria. Ita eſt. Gaudia iſta continua, & aſſueta fiunt tandem deteriora, quàm recentia infortunia. Apicium Falerni deliciæ afflixerunt; pocula nauſeam extorſêre: inter inſtrumenta voluptatum anxius fuit, vomebat, rumpebatur. Socrates tamen auidus & lætus ſemel hauſit calicem cicutæ. Itaque ſuſpectus gaudij titulus diſpici debet, ne ſine delectu admiſſum nos grauiùs ſauciet ſecuros.

Cap. 3. Omnia ſunt præpetia; & niſi, quòd nullis abſit fel, columbarum inſtar velociſſima. Quædam intra præcordia illud inuiſcerant, & pro ſucco habent: plurimarum voluptatum ſanguis, fel eſt: quædam, dum auolant, diffluunt: quemadmodum nonnullæ ſe daturæ in aëra volucres vi anniſus primi fundunt excrementa, vbi tantiſper conſederant: alia, & iſta benigniùs, non conſident, niſi vbi rudera & ſtercus alicuius vident mœroris, ipſóque aluntur, velut vlulæ ſordibus. Diſtinctiùs hæc dicam. Nullum rerum humanarum gaudium ſine periculo doloris eſt. Parum dixi. Nullum ſine contagio. Alia dolor gaudia ducit, alia ſequitur, alia comitatur. At hæc nonnulla ſunt, vt mœroribus pandant oſtium, non aliter greſſuris in cor noſtrum. Ipſa voluptas ianuaria doloris fit: iſtud ex perfidia eſt, aliud ex ignauia, quòd tam imbecillia ſint nonnulla, vt nos mulcere non valeant, niſi dolor nos aliquis primùm macerauerit: nequeunt ſe ſolis recreare nos, niſi viam ipſis quædam ſtrauerit afflictio: iſta non ſolùm comitantur, ſed indigent dolore. Emergit preſſus anteà dolendo ſenſus, & ſpem quamlibet amplectitur. Prodeunti è tenebris quælibet lux placet: naufrago quodlibet littus portu, & patria iucundius erit. Sic eſt: ſunt gaudia, quę non tam iucundis debemus rebus, quàm triſtibus. Fallunt tamen illa nos: nec aliter miramur, quàm vulgus olim miracula Magorum immittentium dolores corporibus, affligentium variis morbis artus, vt reſtituta ſalus, amota ægrotationis cauſa, quam ipſi fecerant, deberetur ſibi: iidem morbi, & ſanitatis artifices parum merentur pro ſalute, quia nimis demerētur pro morbo. Nihil debet languens curationi, ſi

qua cuſpide vulnus
Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.

Aliæ delectationes ipſo ſunt dolore infectæ, aut confectæ: acerbo ſenſu animantur. Voluptas cibi non eſt, vbi fames abeſt: ſal, & condimentum voluptatum, aliqua moleſtia eſt. Quin & inæquali lege cùm dolore diuiduntur, qui ſæpè vehementior, ſemper prouectior eſt, & ante voluptatem natus, & non ante ipſam extinctus. Eſuries, & præparat voluptatem cibi, & ſeruat: moleſtæ ſunt epulæ impletis.

Cap. 4. Verùm poſt iſtam doloris corruptionem, poſt inconſtantiam lætitiæ, peccant iſta gaudia mole ſua, peccant paruitate, peccant & magnitudine. Exigua ſunt, non implent nos; ſi aliquando inſoleſcunt, id, quia ſit præter naturam propriam, (nata ſunt exiguo,) impotētia ſui pereunt cum gaudentibus ipſis: quare, moderanda in primis ſunt deinde tollenda: nam, ſi parua lentè contriſtant, ſi maxima impigrè nocent, quandoque necant. Sophloeem, & Dionyſium magna extinxit lætitia. Subiit Siculum tyrannum ſubita mors per ipſa felicitatis non modò vota, quibus multi perierunt, ſed gaudia.

Atqui, vt inter tot ſpuria legitimum veneremur & naturale gaudium, inquirendæ ſunt progenies voluptatum. *Cap. 5.* Quaſdam nutrit ſēſus, alias adinuenit opinio, alias gignit mens, alias prætereà conſuetudo facit, alias affectio auget, alias indoles iuuat, alias electio & iudicium auſpicatur. Quæ ad ſenſum ſpectant, hebetes ſunt, & minimi temporis, & maximi oneris, & mediocris vſus. Guſtus, qui inter alios ſenſus, quoniā non ſit minimæ voluptatis, nomē retinuit feſtiuum, & delectationis, etiam cùm vorat, tantùm libat voluptatem, in tranſitu ſolùm eſt, cuius tamen manent reliquiæ grauiſſimæ, grauedo capitis, indigeſtio, interregnum mentis, cuius interim dominationis vſus ceſſat, ſæpè ius. Deinde morbi, dolores, tandem immatura mors: de qua neſcio plus vtra mereatur, iugula, an gula? Fortaſſe gladius in hoſtili manu non occidit plures, quàm calix in propria: niſi quòd iſtius facinus lentum ſit, clandeſtinum ipſis, in quos ſæuit, ignaris; eo iniquius, quòd non impetu, ſed inſidiis inuideat. Ad hæc, ipſa, quæ in curſu eſt, voluptas, niſi cùm modo ſit, ſtatim fatigatur: nimirum currit, & niſi interpelletur, vt reſpiret, marcet languida; ſi continua eſt, nulla eſt. Purior conſpectus delectatio frequentia corrumpitur: quod primo aſpectu miraris, in ſecundo tantùm gaudebis, in tertio tantùm non faſtidies, fortaſſe deinceps non ſine moleſtia aſpicies. Gratiam & dotem ſuam nouitas ſeruat.

Ad iniuriam harum voluptatum eſt reparatio ſua, nouatúmque inuentio. Auſa eſt cupiditas naturalem voluptatem, ſed communem etiam brutis, nouis artificiis irritare: languidam, & exiguam cenſuit; fouere voluit ingenio. Habeo iam ſuffragium noſtræ ipſius cupiditatis. Nulla eſt naturæ delectatio, quam iam non corruperit ars: etiam ventri ſua diſciplina dicatur. Iam tam delicati ſumus, vt pudeat ſine ingenio indulgere genio: vt pudeat, ſine arte, ſine labore gaudere. Auidi & arrepti ferimur, & inconſulti præuertimus ipſas voluptates, quas ſaluas, & accuratiores cupimus. Cibus pingitur, qui cum colore faciet palatus? Vt omnibus ſatisfaciamus ſenſibus, ſingularum delectamenta corrumpimus, omnium confundimus: addimus laborem, nec magis propterea recreamur. In venuſtis materiam inuidemus, pluſquàm formam; in aromatibus raritatem, aliquando periculum æſtimamus, quàm ſuauitatem; in ferculis ſumptum, quàm ſaporem; in muſicis artificium & materiam inſtrumentorum, quàm ſonum; in veſtibus aſpectum, & elegantiam, quàm protectionem. Quid, quæſo, magis præſtabit aſpectus frigori, quàm nuditas? Barbari Guaycuri prudentiores ſunt, rident nos: cùm incedant exuti, pingunt in ipſis nudatis membris indumenta, femoralia de-

lineant, thoracem, caligas. Sanè nemo magis protegetur elegantia veſtimenti, quàm nuditate. Adeò vitiauimus voluptates, nullus ſenſus in ſolidum ſuam capiet: ſingulis propriam minuimus, dum omnibus prouidemus. Tactus ſępè affligitur thorace, & calceo anguſto, vt adulетur etiam oculis: ipſas voluptates naturales dãnauimus magnis pœnis, vt iam non liceat gaudere ſine pretio: ſine lancibus argenteis non licet cibus: ſine ſpondis aureis non licet quies. Quod gratis natura dedit ſumptuoſum facimus. Ipſe ſomnus carè emitur; & quies, quam laſſitudo ſola dulcem facit, ſubornatur impenſis. Ita

Vſum naturæ vitium feciſtis auari,

inquit diuinus Orentius. Intemperãtiam, hebetiſſimam voluptatũ, communem brutis nobilitare voluimus ingenio & pretio, vitium arte releuantes, ſumptu æſtimantes, vt à communi beſtiarum ignominia excerperemur, quam maximè contraximus noſtris induſtriis & impenſis ex adulteratione naturæ. Ligna, quæ tradis igni, anne ſanus eris, ſi pingas, ſi inaures? conſumenda ſunt: irritus hic ſumptus eſſet. Cur cætera, quæ etiam conſumis, vis corrumpere ſumptibus, cibos, veſtitum, & alia inſtrumenta libidinum? Contra frigus protegit veſtis, non hic, vel ille color, aut forma: contra famen cibus, nõn hic, vel ille ſapor. Poſſumus frui, & mirari fulgorem ſyderum, & ipſius Solis; & tamen exigui lapilli, & gemmę dubio nitore alimus inuidiam. Niſi inuenta ad torturam noſtram non placent: non delectat ſplendor, niſi carè conſtet.

Cap. 7. Porrò non contenta cupiditas emendatione iſta corrigenda veterum voluptatum, excogitauit præter naturãm nouas, vaniſſima peſſimorum conſpiratione, vt numero compenſaret magnitudinem. Deſpondit animum, quod magnas poſſet facere, multas fecit, noua adiecit inſtrumenta, honores, glorias, diuitias, dignitates, potentiam, nobilitatem: iſta ſunt inuenta opinionis, factitia oblectamenta. Quaſi perinde fuiſſet humanæ poteſtatis, res mutare, ac nomina. Aberrantes felicitate nihil non erramus. Rati voluptatum culpâ non explere nos, (tam inepti ſumus) recta corrigere volumus errore noſtro: excogitauimus multiplicare, vt vel occurrente aliqua maiori ſatiemur, ſin minùs multitudine. Nihil aliud hoc inuentum fecit, quàm extendere miſeriæ iura. Adiecit appetitui auaritiam, ambitionem, maxima cupiditatis onera. Eò proceſſit noſtra amentia, vt illa, quæ natura ſua nihil iucundum, plurimùm moleſtiæ habent, non tantùm inter maximas voluptates poſuerit, ſed inter vitæ cauſas. Quid naturalis voluptatis habet gliſcens nummis ſacculus, te marcido & pereũte fame, ne violes illum? Quid naturalis voluptatis eſt exui alterius verticem? ânne phreneſim tuam mitigabit? Quid naturalis voluptatis præſtat flexum genu plebis? podagrãmne tuam medicabitur.

Cap. 8. Cæterùm, quemadmodum artificialia æmula naturæ imitantur illam, non æquantur: ita iſta, quæ facimus, oblectamenta degenerant naturalibus, etiam dum placent. In hoc error monſtratur: cùm maiora, & ſine modo fuerint excogitata, minùs ſatiant. At paterno mater natura conſilio voluptates ſuas compoſuit, & modo temperauit idoneo, vt ſine magna impenſa appetitum expleant, cùm mediocres ſint; imò neceſſe eſt, mediocres eſſe, ne offendant: lineam præſcripſit illis, & niſi ingenium noſtrum violaſſet, innocenter, & prouidè procuratum eſt. Cibi voluptatem prudenter diſpenſauit, vt præmium aliquod eſſet operis neceſſarij tuendæ vitæ corporis. Illam moderata eſt, ne ſic nos poſſideret, vt detineret; ſed ſupereſſemus vitæ & ſaluti animi, excellentioribus nos reſeruans voluptatibus. Iſta nos tantùm prouocare, non occupare voluit, ne cùm triſtitia ſuccurreremus vitæ; nec tam ingrata fuit, vt ipſam puniret vitam lætitia tam triſti. Illud ingenioſè diſpoſuit, vt mediocritate ſua expleret nos, alioqui infinitæ auiditatis. Totam iſtam naturæ artem non valuit imitari opinio: neſciuit iſtam fingere ſatietatem ſuorum inuentorum magnitudine, &, vt ſic dixerim, infinitate. Nullus tam vorax eſt, quem non tandem vincet copia cibi: nullus tamen auarus, quem vincet copia auri: deſiderata eſt iſta vox ab ore auari, Satis: ſcit fames modum, non auaritia. Tam abſque arte ſunt iſta delectamenta, quæ adiecit opinio in ſupplementum naturæ, vt ad auiditatem maiorem ſint, nullam ſatietatem. Quæ fecit natura, ipſa præſcripſit; quæ opinio falſa, non habent, vbi conſiſtant. Errandi nullus eſt ſcopus: quocumque, in immenſum eunt. Ingenium noſtrum extimulat vitia. Ratione contra rationem ipſam vtimur. Mens æterna æternis, & immenſis nata, huc collimat: quidquid ipſa iuuat, magnum aliquid & immenſum affectat: etiam cùm deflectitur, reſpectat aliquid ſine fine: metam ſuæ cupiditatis infinitum quid ſuſpicata, iſtud, cùm errat, etiam quæritita quidquid ipſa confingit, nõ eſt limitatum. Xerxes, cùm ſibi maximis præmiis blandita fortuna fuiſſet, non contentus omnibus, nouam voluptatem optauit, propoſuitque inuentori præmium: at, neque reperta, limes cupiditatis fuit, quę ipſis noſtris nos damnauit votis, ideò cecidit propoſito. Maximè ſunt timenda gaudia, quæ fecimus: vitio noſtro placent, non natura ſua: etiam morbus grauidis commendat gypſum, ſeuum, picem, carbones, præ melle iucundiùs.

Itaque video poſt omnem cupiditatis diligẽ- Cap. 9.
tiam integras, & cum iure ſuo miſerias, quas nõ mitigauimus, ſed irritauimus. Penſemus, quid profecimus vana iſta prouidentia. Anne excedet aceruus voluptatum triſtitiis; Credo, non æquatur: illuc ſolùm poſſe pertingere fortunam, ſi diuiſum diem cum miſeria habeat: ſi manè exultamus, ſub occaſum mœrebimus. Philoſophica feſta Gibor fuerũt apud Barbaros. Hi ludi ſacri homini erant: manè omni celebrabantur ſplendore veſtium, tapetiorum, omni iucunditate, muſica tibiarum, odarum: deinceps veſpere omni argumento triſtitiæ, vlulatu, planctu, mœrore, anxietate. Scilicet, tota felicitas eſt diuiſa miſeria: nunquam iſta partem ſuam amittit. Felicitas non eſt ita tenax. Adiice, iſtas triſtitias diduci ex ipſis voluptatibus. Adiice veras triſtitias ex falſis voluptatibus. Depletos nos relinquunt, non aliter, quàm qui per ſomnia comedunt: non imago cibi, ſed cibus ſatiat. Veriſſimè Samij, Platoniſque diſcipuli dormire dicunt & delirare ſemper iſtos delicioſos, omnéſque animi impetus effrænes inſomnia eſſe, aut ægrotantium vertigines. Neque inconſulta Medicorum natione iſtud putes ad exaggerationem dictum: Hippocratem inuenio, medicæ Patrem

Miſerabilis ſanè eſt humana vita, quòd ad eam ictam intolerabilis argenti cupiditas, velut hybernus flatus, pernaſerit: ad quẽ morbum inſania grauiorem curandũ vtinam Medici omnes potius concurrerent: qua tamen beata cenſetur, cùm morbus ſit, & malè affligat. Equidem omnes animi morbos vehementes inſanias puto, cùm opiniones quaſdam, & viſa rationi ſuſcitant, ex quibus ſanè ſcit, qui per virtutem repurgatur.

artis, qui in epiſtola ad Populum Abderitarum dixit: Οἶκτρος γε ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, ὅτι δὲ ὅλως αὐτῷ, ὡς πνεῦμα χειμέριον, ἡ ἀόριστος φιλαργυρίη, διαδέδυκεν, ἐφ' ὧν εἴθε μᾶλλον ἅπαντες ἰητροὶ ξυνιέσαν ἐλθόντες ἀποθεραπεῦσαι χαλεπωτέρην μανίης νοῦσον, ὅτι καὶ μακαρίζεται νοσεῦσα, καὶ κακοῦσα. Οἴομαι δὲ ἔγωγε καὶ τὰ ψυχῆς νοσήματα πάντα, μανίας δὲ σφοδράς, ἐμποιῆσαι δόξας τινάς, καὶ φαντασίας τῷ λογισμῷ, ὧν ὁ δι' ἀρετῆς ἀποκαθαρθεὶς, ὑγιάζεται.

Cap. 10. Igitur, vt non optemus, nec corrumpamus illa oblectamenta naturæ, vt iſta opinionis odetimus, (generoſi animi erit gratis ſeruire naturæ, fortiter dominari opinioni,) ſunt aliæ puriores voluptates, defæcata gaudia, innoxiæ lætitiæ, quas licet impunè cupere, quæ nunquam ſua puniunt vota. Habet has virtus voluptates innocentes, & clementis indolis, nec tempore relabuntur, nec vſu coſtringuntur, nec magnitudine peccant, nec carent. Maiores omni voluptate, quæ libidinibus adulatur, quæ mulcet ſenſum, mens nutrit. Vix fidem facient tanti oblectamenti, iſti benemeriti de ſenſibus, quorum craſſas dumtaxat norunt illecebras. Ridebunt, cùm audiant mentis voluptates magnitudine ſua vincere corporeas. Quomodo maior eſt virtutis delectatio, cùm non ſentiatur? Sanè pro qualitate ſentientis ſenſus eſt. Nonnulli minùs videt, cùm maiori luce: magnus aliquos calor non mouet, alios minor laxat: ægrotos mel ipſum, & quidquid ſuaue eſt, exacerbat: nullum ab iis ſuffragium admittimus: ineptum eſt interrogare de ſomnis ſtertentes, de naufragiis ſummerſos vigiliam, & portum expectandum eſt. Sani palati de ſaporibus, oculi de coloribus fidem dumtaxat merentur. Elapſa felicitate ſuæ libidinis, rogemus, cùm veluti poſt potionem medicam hauſtam, fecibus vexatur palatus amariſſimis, cùm laborant faſtidio illarum, aut pœnitentia, cùm non inſani ſunt. Non negabis ſanioris iudicij eſſe, dum pœnitent, quàm dum pœnitenda faciunt.

Cap. 11. Interim rationis ſuffragium admitto. Senſus nequit arbiter eſſe, nequit experientia. Ita iudicio dirimenda eſt lis inexpertis; alioqui non ita agendum. Probaturis mel dulce, fel amarum, non diſputatione eſt opus, guſtati ſufficiunt. Ipſius propterea gaudij, & voluptatis naturam in arbitrium adigo: gaudium eſt quidam cognoſcentis appetitus, vel cupiditatis non lentus, ſed placidus & dulcis motus; libētius dixiſſem, quies & meta: poſtquam eò accedis, quò, aut voluit, aut vellet, & præſentat ſe ibi, quò ſi abeſſet, pergeret. Quatuor hinc voluptatis præcipio cauſas; motum appetitus, vnionem, ſiue præſentiam boni; eiuſdem cognitionem; ipſum denique bonum. Ad iſtam componamus amuſſim gaudia mentis, & corporis: illæ voluptates maiores erunt, quarum & cauſæ. In primis virtutis motus vehementior, & acrior eſt: ergo & voluptas: amoris impetus eſt efficaciſſimus. Si cauſeris naturæ amorem, oppono amorem gratiæ omnium vehementiſſimum. Dices, in Deo dumtaxat? Dico, in quolibet propter Deum, erga corpus adhuc tam iniurium animæ, cuius amor maior eſt à gratia, quàm à natura. Ille maior amor, quem minor præmij ſpes nutrit. Gratis amor amat, maximum ſui pretium eſt. Delicati iſti, quos crapula occupat, quos demulcet palatus, inique & languide diligunt corpus ipſum, quod impinguant: id delectationis cauſa agunt, non propter ipſum: itaque non diligunt illud, ſed voluptatem. Alumnus tamen virtutis, ſine iſto præmio, non propter oblectamentum, corpus curat feliciùs, gratis, adhuc laborans, paterni amoris ritu liberos alentis ſine mercede, & cum ſudore. Adiice, vehementiorem eſſe impetum virtutis in ipſum, quàm voluptatis ſenſuum in ſe, quam vnicè voluptuoſi diligunt, non corpus: namque plùs diligunt vitam, quàm voluptatem: at iuſti & probi plùs diligunt virtutem, & Deum, quàm vitam. Itaque minor eſt impetus ſenſus in ſuam delectationem, quàm mentis in virtutem.

Ex impetu acceſſionem collige, ex amore amplexus. Nullus nexus amore arctior: non tantùm iungit, ſed vnit; non tantùm in conſpectu ponit, ſed intra pectus condit amatum, & raro artificio abſentes præſentat. Cap. 12.

Quod digiti nequeunt, alligat illud amor.

Longius inde abſens, ibi ſed pertingo, quod opto:
Quò pede non venio, pectore totus eo.
Non licèt obſtet Arar, Rhodanúſque, natamus amore:
Non vetat ire animum, qui vetat ire gradum.

Latiſſima lætitia virtutis panditur per omne tempus, & locum: haud conſtringitur præſentibus dumtaxat, reuocat præterita, in futura porrigitur, abſentia conuocat; memoria, ſpe, votis, mille modis oſculatur oblectamenta ſua, & dulci ligat amplexu. Adiice naturam obiectorum: virtus accommodatiſſimum vnioni habet; ſenſus nimis incōmodum: illa ſubtiliſſimum, ſimpliciſſimũ, vbique exiſtens, quocunque ſubiens; hic craſſum & torpens, cuius vnio peccat ſuo nomine, non eſt, niſi proximitas. Contingunt ad ſummum ſenſus, non penetrant. Maiorem ignominiam Auicenna obſeruauit, per accidentia, non per ſe aſſiſtere. Vnguentum per fumum, & odorem ſubit; cibus per ſaporem; venuſta per colorem; delicata per corticem; oſculis ſuperficiem dumtaxat committunt; inde pro merito vindicarunt titulum ſuperficialium. Amori tamen & ſubſtantia, & nucleus rei amatæ commendatur: ille vbique ſe inſinuat, & quodcumque admittit, non tantùm vt adſit, ſed vt inſit.

Ad iniuriam etiam voluptatis eſt, ſenſibilia non ſimul, ſed lentè, fruſtatímque ſubire, per partes ſibi ſuccedentes. Diuiſa voluptas minor eſt: ſubeunti voluptate ſuccedentium partium, effugit oblectamentum priorum, non acceſſit poſtremarum. Ad hæc, ſucceſſione iſta hoc ipſo, quòd venit, abit: vnà ſubit, & exit. At, quod virtutem delectat, partibus caret, indiuiduum eſt: totum ſimul coactis voluptatum viribus vnà ſubit vehementiſſimè. Deus indiuiſibilis eſt, integer ſine membris, totus ſine partibus, æternus ſine tempore, liquidus ſine fluxu, cuius ideò voluptas non collabitur. Cap. 13.

Æterna æterni flumina fontis erunt,

dixit Proſper.

Iam ſuperuacuum opinor cognitionem mentis atque ſenſus conferre, quæ plurimùm voluptatem iuuat. Niſi percipias, nullum oblectamentum capies; & percipis, dum noſcis, quod oblectat: quare pro cognitione oblectatio refunditur, pro maiori maior. Illa maius eſt vo- Cap. 14.

luptatis; quò fortiori dextra plus ſtringes, quò maiori plus capies. Ipſas ſenſibilium voluptates minùs guſtant, quibus tardiores, languidioreſque ſunt ſenſus. Stupidi nullo delinimẽto mulcentur. Nunc compone ſenſum, & mentem: ille tam hebes, vt ſolùm attrectet facies rerum, ſolùm accidentia captat: mens acerrima eſt, penetrat interna, ipſam guſtat ſubſtantiam. Ad hæc, metire magnitudinem oblectantis boni: norma voluptatis eſt, quod delectat. Num quod immenſum eſt, exiguam oblectationem formabit? Vnum id eſt, quod reſtinguit noſtram cupiditatem. Finis ipſe dumtaxat finiet vota noſtra: ſemper ſatietati, nunquam tædio eſt. Faſtiditus cum iniuria dignitatis finis vltimi eſſet: locum enim alienæ cupiditati præberet, iam non vltimus. Nemo ſine voto aliquo, & non eius, quod faſtidit, patitur faſtidium.

Cap. 15. Adiice maximum aliud diſcrimen: corporis voluptas merces eſt operationis. Non ita in animo, cuius ipſa operatio oblectat. Nobile eſt virtutis opus, dignum humana dignitate, in ſe delectabile, ſine alio à ſe præmio exequendum. Non tanti ſunt actiones corporeæ, nec dignę viſæ liberali labore. Inde illæ ſine faſtidio, & fatigatione durant: oblectamenta ſunt ipſæ, nec quamdiu ſunt, deficit quod ſunt, ſemper placent: iſtæ verò, quia per ſe delectabiles non ſint, non ſunt placidæ, niſi quatenus ſeruiunt ad officia vitæ, captantes pro mercede operæ voluptatem: cùm prudẽs, parcáque natura illud dumtaxat remuneret, quod neceſſum habet: ſi excedant, inæqualem mercedem recipiunt: tandem nullam. Ita ſine præmio laſſæ deficiunt.

Cap. 16. Ad omnium tandem corporalium improperium voluptatum, honorem aliquarum conferamus, vt ſupputata proportio commendet inexpertis ex ipſo periculo ſenſibilium voluptatem rationis. Nobilioris, præcipuíque generis ſunt oblectamenta oculorum, auditúſque, inter alios ſenſus: maiora ſunt, ſimpliciora, conſtantiora, non tam citò nos fatigant. Quemadmodum hebetiorum delectatio ſenſuum maximè guſtus, cuius voluptatem, tam miſera eſt, diu ferre non poſſumus: tum illæ voluptates puriores ſunt, liberaliores ſine pretio doloris: non præcedit eſuries, quò delecteris ſuauiſſima harmonia: iſtam nobilitatem rationi debent, ex cuius ſolo rudi veſtigio in tantum ſe attollunt. Sunt in pulchris & muſicis lineamenta rationis, cuius dos & gloria eſt ordinare omnia: conſtant illa ordine & proportione: ob iſtam mentis vmbram plus delectant, gratis, diu; ſapiunt originem ſuam. Voluptates, quas animus immortalis nutrit, immortales ſunt; quas mortale corpus admittit, mortales. Adhuc ex iis, quæ nonnihil contrahunt, ab animo minùs ſunt mortales; quæ omnia à corpore mutuant, mortaliſſimæ. Adeò meretur ratio de voluptate. Addam & ipſam hebetiſſimi guſtus delectationem à ratione eſſe. Modus continet voluptatem, exceſſu deficit, pergit in faſtidium: modus autem à ratione venit: ipſa ſolùm præſcribit: igitur rationis beneficium eſt, quidquid delectat. Quantùm itaque ipſa delectabit? à qua cùm recedimus omnem guſtum, etiam irrationalium, amittimus, ipſis intemperantiores. Apud Hippocratem in epiſtola Damageto Democritus ad pudorem noſtrum ait: Ἐν δὲ τοῖς θυμοῖς, τὰ σμικρὰ ζῶα ἀλόγοις παραλελοίπασιν, πλὴν ὅτι ἐν ἀνταρκείῃ μένουσιν ἐν θυμοῖς. Τίς γὰρ λέων ἐς γῆν κατέκρυψε χρυσόν; Τίς ταῦρος πλεονεξίην ἐκορύξατο; Τίς πάρδαλις ἀπληστίην κεχώρηκε: Διψῇ μὲν ἄγριος σῦς, ὅσον ὕδατος δεῖ χρῆ. Λύκος δὲ διασπάσας τὸ προστυχὸν τῆς ἀναγκαίας τροφῆς, ἀναπαύεται. Ἡμέρῃσι δὲ καὶ νυξὶ ξυμπληρούμενον, οὐκ ἔχει θοίνης κόρον ἄνθρωπος, καὶ χρόνων μὲν ἐνιαυσίων τάξις ὀχείης, ἀλόγων τέρμα ἐστίν, ὁ δὲ τὸ διηνεκὲς οἰστρεόμενον ἔχει τὰς ἀσελγείας.

Quod ad cupiditates attinet, nõ multùm à brutis animantibus differunt, niſi quòd ferè in eo, quod ſatis eſt, ſe continent. Quinam leo aurum defoſſum in terram abdidit? Quinam taurus alienum vſurpandi cupiditate ad prædium impetu quodam delatus eſt? Quæ pardalis inexplebilem auiditatem admiſit? Sitit quidem aper, ſed quantum aquæ quidem appetit. Lupus verò dilaniato, quod ſeſe obtulit neceſſario alimento, quieſcit. At ſi dies iũgantur noctibus, hominem non capit comeſſandi ſatietas: & anniuerſariorum temporum ordo brutis quidem animantibus coitus finem adfert; hic verò inſano libidinis ſtimulo continenter agitatur.

Natura animalia docta ſuo ſe continant modò, & iucunditate: noſter exceſſus minuit voluptates, quas minimè obtinent, qui maximè quærũt. Ructantes, ſudantes, nauſeantes, refritos velut ſues, affligit ipſa voluptas.

Cap. 17. Nunc poſt voluptates ipſas, conferamus ſuas appendices: ſi quem non perſuaſit ratio, ſpes vtilitatis ſuborner. Promitto vobis, ô mancipia ventris, ô mancipes pudoris, quòd pluris ventre & libidine cariſſima facitis vitam ipſam, ſi non creditis, voluptatem mentis præſtare veſtris: volo periclitemini ſine periculo; ſi maior fuerit voluptas, non perdetis voluptates; ſi minor, aliud habebitis carius apud vos voluptate veſtra. Sequuntur veſtras delicias triſtitiæ, ſequuntur curæ, ſequuntur clandeſtina fata, quæ, cùm palàm omnes inundant, vobis inſidioſa ſunt. Omitto, quoties opinio oblectamentis ſuis factitiis prouocauit parcas, euocauit furias, odiis, inuidiis, furoribus, & quæ conſectaria ſunt, inſidiis, rixis, bellis; & denique, vt Proſper ait:

Ex opibus breuis ac peritura voluptas
Edita perpetuæ ſemina mortis habet.

Relinquo iſtas cum ſua infamia: naturales vobis exprobro, quas corrumpitis. Per ipſam vitæ reparationem ædificatis mortem: quæ putatis alimenta vitæ, cùm ſine modo abutimini, fundamenta ruinæ veſtræ iacitis: mediocres iſtas voluptates natura dedicauit vitæ; vos temeratis fas ſanctiſſimum, & dum immenſas facitis, exitio veſtro prophanatis. Miſeremini, ſi non animi, veſtri corporis, cuius mortalitatem, dum cibo medicari vultis, mortaliorem redditis. Innocentiſſimæ ſunt virtutis deliciæ, etiam ipſi corpori; &, quod non putatis modò, ipſam vitam per abſtinentiam redimunt. Longæuitatem Pythagoræ, Cleanthis, Democriti, Hilarionis, Romualdi, Pauli ſenis, beneficium mentis fuit: ſociauit cum vita, iucunditatem longam dedit, reddidit ſuauem; imò, quia ſuauem, longam contexta lucro voluptate. Sine voto illis dedit, quod vos, dum plus vouetis, plus vobis ipſis negatis. Compreſſit noxia oblectamenta, profudit ſalutaria.

Cap. 18. Benè compoſita eſt lætitia cum natura, cui pro pharmaco eſt. Dilatatur gaudentis cor, ſpatiatur feſtiuus ſanguis, & lætabundi ſpiritus diſcurrunt, & exultant, vt excipiant, & celebrent aduentans bonum: ipſe animus in honorem feſti purpura induitur, rubore fuſo per ora. Pluribus lethalium morborum remedium lætitia fuit. Scio etiam nunc quoſdam Barbaros ſæuienti peſtilentia tripudiis, choreis, riſu aduersùs contagia vſos. Mœror tamen feralis eſt, valetudini noxius: coacti ſpiritus in repugnantiã mali, ſibi ipſis compulſione nocent. Iſte affectus purus, feſtiuus, ſyncerus, immortalis, vehementiſſimus à mente perfuſus duo præſtitit macris illis corporibus officia, recreauit per ſe, & obſtitit malignis aliis voluptatibus. Ita velvt

Digitized by Google

vt balſamum cadauera, corpora viuentia ſeruauit viuida, & florentia, & ſubſidio proprio, & impedito damno alieno: aliunde inquam. Si quæras, vnde: à voluptatibus puta.

Cap. 19. Adiiciam, non tantùm inſidioſa mala (voluptates cæteras dico,) mentis voluptas domat, ſed aperta: ipſos dolores & tormenta occupat feſtiuitate ſua. Nouit læſo corpore furtiua carpere gaudia: nouit inter inſtrumenta cruciandi; lætitiam ſibi immunem exquirere: nouit gloriam: Mutij ſuſtentauit dextram ignibus reſoluentis: Anaxarchi pilam molliuit. Atque, vt in altum mittamus aciem mentis extra Philoſophiæ ſepta, etiam futuræ vitæ cruciatus, mentis voluptas declinat; vtroſque cæteræ conciliant, hoc ſolo elogio maximè traducendæ. Diuinus vir Odon ſcribit: Demus, ſi placet, ad fruendum deliciis centum annos; &, ſi mauis, decies tantùm: ſed, quæ erit ex iis compenſatio ad æternitatem? Sed, qui, in eis paſſibiliter inhærent, delirare nos credunt: attamen ignorare non poſſunt, quia deliciæ quidem, velut vmbra, pertranſeunt, & velociter fugiunt; pœnæ verò perpetuò manent. Quid, ſi æquale tempus, & idem ſpatium eſſet pœnæ; eſſet aliquis ita ſtultus, & ita demens, vt eligeret pro vno die deliciarum, vnum diem pœnarum, cùm ſoleat dolor vnius horæ, & quilibet corporis cruciatus in obliuionem mittere omne præteritum tempus voluptate tranſactum?

PROÆRESIS IV.

De ſpe humanis rebus incommoda.

Cap. 20. NOn minùs abutimur expectatione, quàm lætitia. Duplicem vitæ aſſeſſorem, & tanquam paredrum, ad educationem, & prouidentiam ſui, animus obtinuit, timorem, & ſpem: ille prudentior eſt, ac circumſpectus; iſta inconſulta, vt plurimùm, aut ſtulta, & quod deterius eſt, id aduersùs nos conuertit, quod beneuolum habet. Fideliſſima eſt, (licèt non veridica,) & contumax comes; vltima, quæ nos relinquit: monet, alloquitur ſemper, (in argumentum ſtultitiæ loquacitatem obſerua;) pollicetur, & ad omnia extimulat: ſed quia parum callida, & fallitur, & fallit. Ita ipſa beneuolentia ſpei nocentiſſima eſt, importuno errore. Timor minùs affiſtit, negligentiùs prouidet, licèt ſalutariùs aliquando res noſtras curet, ſolertior plerumque, magiſque veridicus. Taciturnus tamen eſt, quippe prudentior; quamuis iſto ſilentio peccet: non ex prudentia, ex inertia, aut infidelitate eſt. Certiora ſunt, quæ ſolet monere, & neceſſaria: iſta ſilere non eſt beneuolentis. Plura mala ſunt, quàm bona: diminutè adhuc Pindarus putauit vni bono duo mala adiuncta. Vnam cibi voluptatem præcedit fames, ſequitur grauedo. Sepiunt mala bonum: ſed, ſi alia errantia mala penſemus, nulli cohærentia bono, numero ſuperant innumero. Quid, quæſo, magis in frequentia omnium, magis in vſu, quàm pati, quàm labores, infortunia, caſus aduerſi, morbi, iniuſtitiæ, inuidiæ, mala denique, ſiue quæ putes, ſiue quæ ſunt? Quid, quæſo, magis extra vſum, & rarum, quàm felicitas, bona, inquam? Nos contrà, quid aliud frequentiùs agimus, quàm ſperare iſta? Fortaſſe æquè ac reſpiramus. Quid rarius, quàm cauere, timereque illa? Excedunt mala bonis: & tamen excedunt ſpes timoribus. Magna inæqualitate rebus componimur: iniuſtè cùm affectibus committimus; rara bona cum frequentiſſima ſpe; frequentia mala cum rariſſimo timore. Iſthinc error ſpei, iſthinc timoris verius vaticinium. Philippus Abbas inquit:

Gaudia, vel luctus, ſpes, vel timor, augur vterque Suggerit:

Non ſufficiunt bona ſpei noſtræ: ſuperfluunt mala timori, non omnia potenti conſumere: illa diuinatione ſua decipitur, atque cùm futuri ſit, ſuo ſemper manens in errore, perſeuerat ad ſupplicium noſtrum: nunquam diſcit experientia; videt lenta & ignaua bona: & hoc ipſum ad ſe ſpectare putat.

Accedit malorum numero, numerus nolentium illa: accedit raritati bonorum, frequentia quærentium. Quotuſquiſque bona recuſat? quis non ſolicitat? Quotuſquiſque mala quærit? quis non reſiſtit? Quemadmodum merces duplici cauſa augent pretium, raritate ſua, & frequentia ementium: ita bona augent difficultatem ſuam, & quia rara ipſa ſunt, & quia ipſorum appetitores multi: etiamſi aliquando veniant, incurſus auaritiæ obſtat, eripiet alius. In ſpem imperij erexerat Diocletianus animum prædictione à Druïde accepta, poſtquàm aprum occidiſſet: occidit plures manu ſua venaturus fortunam, vt brutum, in ſyluis: præoccupatum tamen ſemper videns expectationis ſuæ votum; iam Aurelianus præcepit; iam Probus præcurrit; iam Tacitus prehendit; iam præripuit Carus: Ego, inquit, ſemper apros occido: ſed alter ſemper vtitur pulpamento. Tot incurſus paſſa eſt certa ſpes excruciata felicitatibus alienis. Mala vbique vagantur, pelluntur vndique, etiam nolentibus ſe inſinuant: nemo quærit illa, quærunt illa omnes, gratis dantur. Adiice mala eſſe *μακρόβια*, vix deſinunt: cùm longæuior acerba fortuna ſit; optima, diaria & breuiſſima, neceſſe eſt ſuperari malis bona. Breue felicitatis ſpatium capiet pauciora. Cap. 11.

Cautius itaque eſſet laxare timores, conſtringere ſpes, etiam citra bona ob cupientium certamen. Iſta tamen amentia noſtra eſt, vt quò plura circumtulerit fortuna mala, non deſiſtimus ſperare bona æqualia. Ad quamlibet affulgentiam boni ridet feſtiua cupiditas; in obuium quodque impetit: velut quos vnda naufragantes deuoluit, vt primùm aliquid contigerint, firmiſſimè prehendunt. Statim ſibi placet, blanditur nobis: miſeris enim, vt facillimum eſt optare meliora, ita & credere: parum diſtat à voto ad præſumptionem. Partim iſta leuitas ſpei ad ſubſidium noſtrum eſt: alleuat tot pondera fortunæ, quibus grauamur: nec certior imbecillibus voluptas eſt, quàm ſperando; imò nulla prolixior. In ſe breue, & conciſum omne gaudium humanum eſt: in ſpe durat, lentè, aut nunquam aduentans. Falſis promiſſis exſiccantur lacrymæ. Hac quidem parte tolerabilis eſſet ſpes, licèt decepta, niſi vitio noſtro præcipitaremus cupiditatem. Sine ſuſpicione credimus, quidquid illa promittit: impellimur perſequi, donec deſtituti votis, reſtituimur mœrori noſtro. Agnoſcamus Cap. 13.

Digitized by Google

iſtud fallax ingenium expectationis, quod niſi aliquo conficiamus timore, indigeſtum, pernicioſiſſimúmque timeamus.

Cap. 23. Itaque Vates incerta ſpes eſt, temerè, aut ſtultè credens: inde fallens, nunquam ſimplici proſpectat obtutu. Ophthalmia laborat: ſiue per illa ocularia cernit, quæ longinqua manifeſtant, & proximis maiora reddunt: diſſita proſpicit, & magnificat.

Quidquid quæritur, optimum videtur.

Non eſt iſta natiua dos ſani oculi à longinquo deficientis. Deme magnam partem promiſſis: non ſine exaggeratione loquitur cupiditas expectantis. Velut guloſa puella acerba præcipit poma, præcipitat ſpes gaudia, & immaturis fructa voluptatibus acerbitudine mox laborat: ipſa eſt colludium fortunæ, & ipſius eſt fortuna. Spes fortunam ſequitur, & quærit: fortuna ſpem fugit, & illi ſe occultat: ipſa adulatrix vitæ: omnem adulationem mendacium aliquod ſuſtentat: ipſa præs ſine obligatione, promiſſum pupilli, adſtipulatio ſine vadimonio, pollicitatio ſuſpecta. Nullum fideiuſſorem habere vanæ noſtræ ſpes poſſunt, niſi periuriis infamatam ſortem. Aliena ſpes diſpenſat bona. Prudenter Barbarum adagium ait: Qui vehitur curru ſpei, ſociam habet paupertatem. Ipſa ſpes inimica experimenti. Nemo tam hebes, quem non fecerit prouectum experientia, diligentiſſima magiſtra: ſolùm in ſpem rudis eſt: credimus veram, quam experimur mendacem. Minùs itaque falſus erit cauens ſperante: fortaſſe felicior. Expectata mala languent: improuiſa bona magis mulcent. Contemptu expectantium ſe, ſuos mala demittunt ſpiritus: bona æſtimatione cupientium, veluti ſeueriùs ſe componunt, minùs feſtiua, minùs affabilia ſunt. Ad hæc, expectata, dum fruſtrà exierint, ſi mala ſint, delectant; ſi bona, contriſtant. Demus iſta votis tandem adæquari: interim pendula ſuſpenſio in ancipiti euentu torquet.

Spes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

Cap. 24. Diffamauimus hactenus ſpem, reſtituamus aliquam huic nomini gloriam. Non omnem calumniamur expectationem; ſed vaniſſimorum & vulgarium. Satis tot iniuriæ monſtrant, ſpem non humanis rebus natam, non ad ſeruitutem fortunæ. Æternis dedicatur hic affectus, Deo ſacer eſt. Omne ingenium ſpei examina, reperies cælo conſentaneum, Deo præparatum. In primis facilis eſt. Anne natura genitrix puniret nos aſſidua ſuſpenſione, tam facili ſupplicio, niſi iſtum conſecraſſet affectum illi, cui omnia ſunt facilia, innitentem omnipotenti? Deinde, in difficilia ſuam facilitatem ſeruat; omnia reſpicit: idoneus, ſcilicet, illi, qui omnia eſt, & poteſt. Tum ſecurus & lætus eſt: nimirum, natus rei omnium ſecuriſſimæ, firmiſſimæ, æternæ, optimæ, quæ nos fallere nequit, nec in ſe deficere. Datus igitur, vt calcar directuris in ſcopum conſiſtentem, non vt in vertiginem incertam circumferat nos cupiditas. Illam denique contumaciam ſpei nunquam nos deſerentis in vita, ad gaudium aliquod poſthumum generoſa indole aſpirat. Itaque in diuinis innocens eſt ſpes, & mitis, & tuta, & vera, & ſuauis, & lætiſſima eſt quædam aurora gaudij; quidam clariſſimus felicitatis Lucifer; quædam libatio lætitiæ; quidam prægustus voluptatis; quoddam experimentum Dei. Iſta ſpes ſecuriſſima eſt; ſatis cutata eſt; non habet fortunam fideiuſſorem, ſed Deum cuius tam tuta ſunt promiſſa, quàm data. Iſthinc ingenioſa arte prolongantur per ſpem gaudia anticipata lætitia. Non à poſſeſſione, ſed à promiſſione ſecuta recenſeas bona. Æternis voluptatibus adhuc addit ſpes dies; ſcilicet, ratum inſtrumentum eſt committendi tempora: futurum in præſens contrahit, bis facit eodem fungamur.

Ex iſta maturatione gaudij tota vita noſtra conditur, quadam inter tot miſerias præualente aliquando feſtiuitate: panis enim miſerorum ſuauis eſt expectatio; exemplat amicorum ſpes, triſtioribus nunquam deeſt rebus; nunquam illa ſequitur fortunam, cùm omnes nos derelinquunt, adeſt ſola, fidelis Achates: adeò meretur de lætitia; ſubinde de vita. Concoctionem & dulces ſomnos parit, corpus benè coloratum reddit & pingue, vt ſubtiliſſimi Medicorum aiunt. Plùs de virtutibus meretur, quatum cor eſt, & ſpiritus, & vigor: anticipata ſoluit ſtipendia laboribus, & quibuſque probatis actionibus. Magnas impenſas charitatis ſuis prouidet ſumptibus, arduas expeditiones amoris. Ipſe quoque amor fortiſſimus agnoſcens obſequia ſpei, ſuas delegat vires, in ſui primitias roboris ſufficit, propterea fortiſſima: Cap. 25.

Spes bona dat vires.

Omnem lancinat mœrorem; omnem trudit mœſtitiam laborum; omnia audet: & ne temeritatis arguas, felicitatem ſuperat. Omnis fortitudo, omnis felicitas virtutis, in ſpe eſt, velut in Pterelaï, & Samſonis crine.

PROÆRESIS V.

Deſiderij vſus.

Spem agitat ardor deſiderij, præcipitat cupiditas. Facili gradu à deſiderio ad expectationem imus: ſi impotentia non obſtet, decliui progreſſu cupientes labimur in ſpem. Iſti affectus, ſpes, & deſiderium, iniuſtè diuidunt vitam: maximam partem vſurpant, cum iniuria etiam præſentium, quæ negligimus, dum futura prouidemus: etiam negligenda ſua opportunitate; quantò potiùs immatura? Nunquam viuimus, vt viuamus. Quia cupiditatis vſu erramus, omnia inquinamus erroribus. Peccat vulgaris libido, ſuiſque votis punitur: quò plus compos voti eſt, plus eſt impotens ſui, & voti. Vt pleraque, cultu etiam augetur cupiditas. Sine ſatietate eſt, deuia peregrinatur: tantò à ſuo diſcedit fine, quantò procedit: ideò, quò plus habemus, plus cupimus: peruagata enim extra viam, nunquam peruenit, quò vellet, nunquam finem tangit; ita, dum per plura progreſſa eſt, maius interuallum fecit, longiùs à fine eſt. Quid? cùm retrò eamus, quò plùs videmur accedere, recedimus. Iter ſine termino cupiditas eſt. Qui iſtud vaticinium accepiſſet, dum peregrè iret extra domum, fore in ipſa via præoccupandum morte, moleſtè ferret infauſtum hoc maledictum: nauigamus pelagus ſine portu, incedimus via ſine termino: peregrinantes, aberrantes, errantes, inquam, nos corripiet Cap. 26.

Digitized by Google

ripiet mors : morituri ſumus in via, ſi cum cupiditate.

Cap. 27. Ad hæc, qui plùs habet, potentiam auget, vt plùs adhuc habeat : irritatur facultate auaritia: famelicus plus eſurit, dum libat, ſi non votet ad ſatietatem. Nequeunt iſta ſatiare nos : guſtamus dumtaxat ; acuunt cupiditatem : eſurienti prægustatio cibi, irritamentum eſt. Sunt iſta fluctuantia bona, velut marina aqua, ſitim prouocantia. Qui plùs habet, plùs eget : premitur duplici egeſtate; eget pro ſe; eget pro rebus, egentibus vtique. Ipſæ res alias deſiderant. Credo, ſi ſenſum exprimere poſſent, cùm gemitu clamarent, & intentis expoſtularent multa vocibus. Magnæ egeſtatis cauſa non ab inopia eſt magna, ſed copia. Qui plura habet, pluribus eget: non tantùm tot eget, quot habet ; ſed per tot eget pluribus, quàm habet : ad plura illa, quæ habet, opus eſt deſiderare, quæ ipſa deſiderant, aut exornationi ſuæ, aut conſeruationi, aut defenſioni, aut fructui. Vtram certiorem opulentiæ cognoſcendæ regulam putabis ex his, quæ adſunt, an quæ deſunt ? Ditiorne erit, qui habet plùs, an cui minùs deeſt? Iſtum credo: nam illud propter iſtud: non cupimus habere res, niſi vt non deſint; & quidquid ſit, ad diminutionem cupiditatum iſtud eſt. Si pauca deeſſe putes, pauca optabis. Atqui, vt minùs deſit, minùs habendum eſt. Fugare copia egeſtatem quærimus, non tantùm infortunatis, ſed calamitoſis votis in contrarium cadentibus. Pluribus opus eſt ad fruendum, tuendúmque plura. Diues, magnus patronus egentium rerum, pro ipſis, quæ ipſæ opus habent, deſiderat, id eſt, eget: ſollicitat, velut tutor pro pupillo. Nunc quæro, quo pacto locupletabunt te paupertates? Sic voco indigentiſſima iſta fortunæ inſtrumenta. Quomodo ſatiabunt, quæ fame plena ſunt ? Citiùs abſtinentia harum rerum te ſatiabit. Si ieiunes, ſatur eris : ſolet enim famis impetum frangere tempus : longa fames ſine vllo cibo languet, cum minimo acuitur. Minuta iſta ſunt: non ſufficiunt ſatiare; irritant. Meritò lamentatur Guigo: Væ, non his, qui perdiderunt temporalia ; ſed qui perdiderunt ſuſtinentiam: nulla enim paſſio ſuperatur, niſi per ipſam: non enim edendo contraitur fami, ſed ſeruitur; ſicut bibendo, ſiti.

Cap. 28. Cæterùm, non miror, omnia non explere omnes humani cordis ſinus: inæqualia illi ſunt ad normam Dei fabrefacto. Illud miror, partiales cupiditates, totum id, quod cupiunt, aſſecutas non quieſcere. Cupiditas diuitiarum cur diuitiis non expletur ? Hanc ſolam cupiditatem dico, non omnem famem cordis. Ambitio, cur ipſis non mitigatur honoribus ? Libido, cur ipſis voluptatibus non placatur ? Si diuitiæ hoc ſint, quod iactant; ipſarum cupiditas ipſis ſatiatetur. Idem de gloria, idem de voluptate dico : ſi iſta fuiſſent, quod fronte promittunt ſua, ſuis ſuffeciſſent, ſuis ſatisfeciſſent votis ; frangerent feruorem cupiditatis, non erigerent. Non ſunt itaque, quod oſtentant inani facie. Non eſt culpa voluntatis iſta tranſſultatio, ſed ipſarum rerum fallentium nos, ſiue opinionis noſtræ falſificantis res. Non inuenit, quod optabat, cupiditas: integra manet. Corruptiſſimum vitio noſtro iudicium edoceri poſſet ab amentiſſima cupiditate. Noſcit hæc non eſſe opulentiam non honorem, non voluptatem, quæ iniuſtè nomine magnifico iactant. Ideò ſuis contumax conſiſtit votis: reperit pertinacitet opes, honores, voluptates; nihil horum ſentit accepiſſe. Opinio minùs ſapit: ſuo in errore perſeuerat: denuò approbat falſa, quæ meritò appetitus ſæpè reprobauit ; dum alia petit, data reiicit. Hinc æternus ludus auaritiæ : hinc æterna circuitio cupiditatis patentis, opinionis imponentis : reſtaurat illa ſua vota; hæc ſua figmenta: illa ad verum aſpirat bonum; hæc falſum obiicit: & cùm illa ſenſum ſatietatis ſuæ ſibi fallere nequeat, reſtituit deſideria periculis pari opinionis ludibrio. Ita perpetuo ducimur errore.

Sunt quædam apud Indos volucres, (vbi natura fœcundiſſima eſt monſtris,) quarum clamor aduocationem ſimulat ; Hiſpano ſermone hunc ſonitum reddit : *Ola aca eſta*. Noſtris idem ſonat, ac Latinis: *Heus hîc eſt*. Iſtum multi clamorem audientes rati vocari, appropinquant, quà vox deſcendit : aues accedentem intuitæ fugiunt, & remotiùs conſident ; inde, reſtaurant cantionem eamdem : pergit illuc, qui cœperat quærere vocantem : rurſus, viciniore illo, aduolant volucres recinentes ſimile: iterum ſequitur ille, donec per diuerſa tractus loca, & ignotæ amittit viam. Fame multi perierunt in hac inquiſitione. Non aliud eſt ludicrum rerum periculum, aduocantium ad ſe ſimplicem voluntatem. Boni quemdam clamorem edunt, ficta aduocatione : quidquid placidum, quidquid pulchrum eſt, non ſolùm vocale eſt, ſed ſuaſorium. Singulæ vociferantes dicunt : Heus hîc eſt bonum. In ſe illud promittunt : occurrit cupiditas, id verum rata ; fallitur : ſtatim tranſuolat aliò hæc boni ſpecies ; ſequitur auaritia : rurſus aufugit, quod placebat ; iterum ſectatur illa ; recedit iſtud. Ita ſemper proficiſcitur cupiditas, nunquam venit. Sic aberramus, ſic erramus, ſic deuij imus, ſic gerimus, ſic fallimur iſtis volucribus bonis. Cùm conſequimur, non inuenimus : tranſmigrauit aliò ſpecies boni. Ita auiditate Tantalea punimur : fruſtrat comprehenſio cupita : perpetuo deſiderio angimur ; aſſidua fame circumferuntur optata. Fugit illud, quod placebat, contactum noſtrum, quoquo verſum nos iactante cupiditatis volutabro. Cap. 29.

Verùm, quod dico, laxius eſt; non ſolùm non eſſe bona, opes, honores, voluptates, ſed nec opes eſſe, nec honores, nec voluptates : etiam ipſum ſui improbum apud probos nomen amittunt. Adiicio, non ſolùm non eſſe opes, ſed inopiam; non gloriam, ſed humilitatem ; non delectationem, ſed cruciatum. Diuitiæ plenæ inopia ſunt, honos ignominiis, voluptas acerbitate : cum diuitiis non diues eris, ſed pauperior: cum honore & potentia abiectior, magis ſeruus : cum voluptatibus triſtior. Diues ille, cuius extulerat fortunam annus feliciter cadens, pauperem ſe vidit hotreorum; adiecit curas; ſomnum abſtulit fortuna. Eamdem illi iniuriam fecit opulentia, quam aliis inopia. Vides iam indigas diuitias? Diues es : iam indiges famulis, qui adminiſtrent, qui ſeruent opes, qui te comitentur : iam indiges magnifica domo ; & domus magnifica magnifico apparatu, atque ſupellectili : parietes pudet, ſi nudi ſint ; alia, alia deſiderant, alia aliis egent. At, qui pauper eſt, nec indiget ſuperflua domo, nec inutilibus vtenſilibus, nec Cap. 30.

famulis

famulis multis : ditior itaque diuite. Illam laudo aſtutiam, indigentias iſtas ſpecie honoris diſſimulari. Aman ſuper verticem imperij Aſſyrij erectus, cui omnes parebant, ſubditus ſeruo vilnit. Ita eſt : ſumma minimis ſubiecta ſunt. Magnus honor paruis etiam iniuriis patet : leuiſſima magnam grauitatem violant. Tam peſſimè ſuperbis prouiſum eſt, vt è minutiſſimis pendeat magnitudo, quæ negligere facillimum ſit. Quot mœroribus, quot curis, etiam dum non pœnitebat, magno emit Dauid voluptatem, cùm domum ſtrenuus, fideliſſimúſque Vrias ire noluit? Quæ voluptas erit, cuius multæ curæ, magnæ triſtitiæ appendices ſunt, ne in publicum eat, ſui adhuc pudens; ne in vindictam, ream ſe agnoſcens timet ſe ipſam; denique faſtidium, dein peſſima valetudo. Num diuitiæ inopes, honores ſubditi, voluptates felleæ explebunt, an deplebunt cor? Ad iniuriam noſtram iſta cupimus, nec aliter, quàm qui à melanuro morſi ſuum interitum concupiſcunt : ſitiunt bibendo perituri. Plures nos occidunt hauſtæ voluptates; occidunt & cupitæ.

Cap. 31. Deſideria animam extrundunt è corde. Egregiè Theocritus dixit, animam concupiſcentis, cupitum eſſe. Non eſt integer, qui multa deſiderat : tot ſui deſunt fruſta, quot diſtrahunt deſideria. Conſummari commiſſuris vult, qui ad ſuam felicitatem plura concupiſcit. Peſſimè & ſordidè committentur pretioſo animo viles & abiectæ res. Si tibi aliquid deeſſe putas, ſi aliquid cauum in ſinu cordis reperiſti, imple auro, imple Numine, pretioſè te refice : totus eſt, & integer, & ſuus, & diues, qui nullis diuiditur votis, qui non mutilatur deſideriis, qui nulla mundi poſſidetur cupiditate, qui nec voto eget, contentus ſecum, & naturæ parcæ liberaliſſimis donis.

O nimium felix, parcus cui ſufficit vſus
Corporis, vt curam moderamine temperet æquo!
Non miſera capitur, cæcáque cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quàm quæ natura repoſcit.

Iſtum diuini Columbani ſenſum ampliat illud Arabicum : Qui non contentus rebus neceſſariis, alia quærit ſibi; adimit vſum eorum, quæ habet. Triſtia iſta & egentia bona omnes ſuo contaminant fœtido halitu. Si non obtines, quod cupiiſti, contriſtaberis : ſi obtines, contriſtabis alios, tu perfidè lætaberis. Potentiſſimum triſtitiæ organum, cupiditas eſt, & valentior fortunæ complex. Dum cupiiſti, egebas : dum obtinuiſti, non es ditior : vtcumque es pauperior nolente, Magis te inopem facit cupiditas, quàm grauiſſimi fortunæ furores, quàm naufragium tuarum nauium, incendium domorum, interitus armentorum, ſiccitas cæli, quàm iniuria furis, quàm furor hoſtis. Pauperem non rerum, ſed tui te facit. Ille ſolùm locuples, qui non cupit : iſte non eget, iſte nullius eſt ſeruus, imò liber & ditiſſimus ſeipſo, ſui dominus eſt, ſe poſſidet; &, quod mirere, dominus eſt ingenui & liberi hominis.

Cap. 32. Adiunge aliis cupiditatis iniuriis impetum : trahit, raptat nos, niſi ratio moderetur. Prouidentiſſimè actum eſt, quòd vehementiſſima naturalium cupiditatum libido, ante rationem non ſit. Pudor, & ratio, coætanea ſunt : pubertas mentem affert, & pruriginem; ne iſta fera ſine magiſtra inſoleſcat. Eamdem ætatem iura exigunt ad fidem, & ad nuptias. Eamdem in ſenectute beſtiam compeſcit, vt ſine alia occupatione morti occupetur mens. Atqui iſte impetus cum perturbatione eſt ad calumniam voluptatum : conturbato appetitu diuiſione cupiditatum nulla ſana ſidet voluptas. Corruptus ipſe, quidquid cepit, corrumpit : ſordidus calix infuſum liquorem inquinat. Nec feliciùs erit, ſi vni rei conglobes concupiſcentiam : incapax alterius voluptatis fies.

Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,
Qui thure ſuperos, ipſum te fraudas cibo,
Qui triſtis audis muſicum cithara ſonum,
Quem tibiarum niger erat iucunditas,
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt.

Adeò vna auaritia omnes abſorbet voluptates. Exundat aliquando incendium, omnem populatur guſtum nefaria cupiditate, (ait Synodus Ingilenhemenſis,) quæ ſæuior Ætnæ ignibus ardet. Nec minoribus prouoluitur infortuniis. Elegantiſſimè à Procopio dicitur πρόξενος calamitatum. Omnium quidem malorum proxeneta cupiditas eſt.

Non iſtis inanibus, immanibúſque (ſæuiunt in nos) nata rebus capaciſſima deſideria ſunt : *Cap. 33.* non ludit mendacio noſtro natura, non ludit calumnia. Grandi & conſiſtenti rei laxauit ſinus cordis immenſos. Cæterarum rerum, niſi Deo, iniuſta, inadæquata vota ſunt, maiora ipſis, ipſarúmque amore. Confer luridam cupiditatem, amorémque temporalium cum lætiſſima auiditate æternorum, cum ardentiſſimo amore : iſta enim conuolantia tempore bona, deſiderata, aut non amantur, aut minùs quàm deſiderentur. Ideò illorum deſideria aut melancholica ſunt, aut corruptæ lætitiæ. Deſideria vtilium mœſta ſunt; delectabilium non fideliter læta. Cupiditas delectabilis rei nonnihil etiam delectat : vim ex phantaſia trahit, & præſentat optata. At, quod vtile eſt, poſſeſſio ſuſtentat, acquiſitio exhilarat. Iſtud propterea, dum cupitur, non amatur : cùm amatur, non cupitur; quia dum amatur, habetur. Deſiderium ſine mixtura innocentis amoris crudum eſt, & acerbum : at, quod delectabile eſt, quia vota ſua componat cum amore, minùs deſideratur funeſtè; & quia poſſeſſione amorem extenuat, magis infidè amatur, & miſeri eſt gaudij. Illa vota lætiſſima ſunt & fideliſſima, Dei, & virtutis. Vtilitas, & delectatio, mantiſſæ honeſtati ſunt : omne vtilis, & delectabilis commodum Deus in te excolat : omne incommodum excernit : quare & deſideratus delectat & poſſeſſus, cuius amor conſiſtens componitur cum voto, & cum amplexu. Adiice & cum iſto augeri. Amor, aut cupiditas temporalis, ante poſſeſſionem maior eſt; æternorum poſt poſſeſſionem. Ardentiùs, cùm conſequimur, amabimus, quàm cùm deſiderauimus : imò & tunc plus deſiderabimus, excellentiora experiemur.

Ad iniuriam noſtram in temporalibus conueniunt ſimul cupiditas, & faſtidium : neſciunt *Cap. 34.* ſatietatem. Innoxia nobis æterna ſunt, & beneuola; admittunt vnà ſatietatem, & deſiderium; ignorant faſtidium. In temporalibus cupiditas grauat faſtidium : in æternis obſonat ſatietatem. Quid, quæſo, in cauſa eſt, quòd cupidi temporalium, & auidi æternorum vltra ſatietatem, vtri-

que

que cupiant, vtroſque conſecutio irritet, ſed illos cum dolore, iſtos cum gaudio?In vtriſque cupiditas ſuperſtes, quomodo diſparia operatur, lugubris in illis, lætabunda in iſtis? Ideò eſt, quòd in illis apprehenſio ſuperat appetita, in iſtis ſuperatur.Illi triſtantur,quòd inuenerint citra ſpem ſuam, minus eſſe, quàm quod expectabant magnum: iſti ſupra ſpem experiuntur maius. Mœſta illorum oritur cupiditas ex defectu: iſtorum læta ex exceſſu.Illi ſua ſpe fruſtrati in obtentione eius, quod cupiebant, diſſipant per diuerſa cupiditatem,vt in aliquod occurrant quo exæquent deſideria:iſti ſupra vota compotes contrahunt in vno cupiditatem, quam maiorem votis ſunt experti: velut enim, qui auri quærunt fodinam,laborant,& qui inueniunt,& qui non inueniunt; iſti, vt inueniant; illi,quia inuenerunt: ita cupiditas procedit in temporalibus, vt inueniat bonum, quod delectat; in æternis, quia delectat inuentum: eſurie quadam ſatiat, & ſatietate eſurit; vtrumque innocentiſſimè. Eſuriem nullus comitatur dolor, nullum ſatietatem faſtidium;ideò non dilaceratur voluptas contenta; non ſinditur in diuerſa; non digreditur, ſed progreditur; non permutat vota, ſed perſtat. Itaque quadrantia ſolùm Deo ſunt.

Cap. 35. Præterea deſiderium eſt collimatio vitæ. Oportet figere ſcopum, quò dirigamus: non quocumque iaculatur ſagittarius: nemo in incertum tela dedicat; vnum reſpectat, ad vnum iactus ſuos vrget. Vni igitur ſacer eſt iſte affectus:errat,cùm ad multa diſpergitur.Sagitta fortiùs emittitur pro contentione nerui: ita pro huius affectus viribus in propoſitum ruimus. Verùm,quia per omnia diſſeminamus vota, in nullis conſiſtimus, ad nihil intenti, ad omnia ignaui,Adiice, quòd deſiderium eſt quoddam amoris ſupplementum, charitatis auctarium, artificialis immenſitas. Vbi amari bonitas excedit facultatem amantis,panditur per deſideria amor; & quibus valet viribus, protenditur,vt adæquetur amato:votis,ſuſpiriis ſarcire tentat impoſſibilitatis iniuriam. Supereſt bonitas Dei amori noſtro,quem geſtiunt deſideria ſupplere:nequimus plus amare; optamus. Perpetuus deſiderij ſocius eſt Dei amor. Non eſt duræ,& denſæ naturæ animus:ductilis & complicabilis eſt: contrahi,& laxari per deſideria poteſt; duci, reduci; complicari,explicari:immenſitate quadam factitia omnem locum, & ſinum percurrit, atque æternitatis imitatione omne tempus claudit,& amaſſe deſiderat,& amare; illud ſine principio, iſtud abſque fine.

Cap. 36. Itaque deſideria diuinis conuenientia ſunt: addo & quæſtuoſa.Quæ impendimus vota temporalibus,vana ſunt, & inutilia: nequeunt illa obtineri optando:Deum deſiderio conſequimur nulla res viliori conſtat, quàm omnium pretioſiſſima.Votis Deus emitur, nihil minùs carum. Veriſſimè quidam ait: Licèt præſtantiſſimum ſit bonum; multò tamen citiùs,faciliúſque,vel ſolo pio deſiderio à te obtineri poteſt, quàm quælibet alia res viliſſima. Negotiemur igitur, decoquamus deſideria:lucrum gratis eſt. Cætera deſideria, & maximè ipſius quæſtus, perditiſſima ſunt: ſi extirpemus, ſani ſumus. Hippocrates ſcribit ad Crateuam, herbarum peritiſſimum: Quòd ſi, Crateua, amatam pecuniæ cupiditatis radicem exſcindere poſſis, vt ne vllæ eius reliquiæ reſtent, hoc probè teneto, quòd vnà cum corporibus etiam malè affectos purgaremus.

PROÆRESIS VI.

Vtilitas odij.

NVnc minùs nobiles percurramus affectus, non inutiles. Nec enim bilis, nec lactes ſine vſu corpori ſunt, nec ſpurciſſimæ narium, auriúmque cloacæ, & quodcumque, qua egeritur, quidquid nocet, aut ſupereſt. Variis oportebat conſtrui animum affectionibus, quemadmodum diuerſis inſtructum corpus membris, diuersè ſibi prouidet. Odium, ira, timor, triſtitia peſſimè audiunt: vitia potiùs putantur noſtra, non beneficia naturæ. Iſta calumniam vſus fecit; prauus vitia dat; rectus tamen virtutes reſtituet:in famulatum animi ſunt, ad inſtrumentum tranquillitatis ſuæ:ſed abuſus optima condemnauit, ſicut vſus humillima commendat, Stercus in cubili regio ſpurcat,in fundo fœcundat. Odium,& triſtitia ob terreni boni iacturam nocent:turpe eſt,& ignauum iſta ægrè ferre. At, ſi vera doleamus mala, virtutiſque iacturas,ingenuum, & ſalutare, & pacificum eſt. Tametſi, quemadmodum iniquè nunc capitur odium,virus pacis eſt,matrix diſcordiarum, ciuile naturæ bellum,igniarium facinorum,officina ærumnarum, conſiſtorium mortis, lippitudo mentis, ebriatio humani cruoris, neruus malignitatis, contages ſcelerum,fornax calamitatum,gymnaſium maleficentiæ,aluearium fellis, imber amaritudinum, parricida naturæ, proditio vniuerſi; &, quemadmodum Pſellus ait, ſyllabus malorum. Cap. 37.

Per odium ſacrilegio offendimus naturam contra fas & ordinem mundi, cuius membra ſacramento amoris conſiſtunt: ſuſtinent ſe, iuuant,amant.Elementa,licèt æmulis ferantur incurſibus, ſe diligunt; ne noceant ſibi, recedunt in remota,vt,quoad poſſint,rixæ occaſionem vitent:malunt loco cedere, malunt fugere, quàm vincere,ne repugnent.Ignis omnium acerrimus vltrò,ne pugnet, exulat; fugit ferè noſtrum orbem,ne vicina vi lædat,ſed remota foueat. Terra humillimo libenter gaudet loco, vt imperturbatum æthera relinquat. Aqua gratiſſimè decedit ſede ſua, & ſidet; vt terram conſpicuam cælo libetet, ignem ſecurum. Ipſa natura dulci omnia copulauit amplexu, amatoria colligauit catena. Nectit in primis elementa amica qualitate, inſtar annuli annulo cohærentia Deinde ſuauiſſimam iſtam catenam per animalium corda duxit:amore & ſimilitudine omnia conſtringit. Stellarum choreas in cælo, volucrum examina in æthere,armenta boum in pratis,greges pecudum in montibus, cateruas ceruorum in nemoribus,turmas ferarum in ſyluis, amatorius quidam ſpiritus cogit. Solùm iſtam venerandam naturæ catenam rumpit odium. Iſtud violat ſanctum pacis fœdus, ipſis cælis maximè venerandum.Sol,cuius aula ſecunda ſphæra eſt,contubernales ſeruos habet, & Stilbontem, & Phoſphorum eodem hoſpitatos palatio, eodem exultantes circo. Argumentum amoris ſocietatem Cap. 38.

tem

Digitized by Google

tem cape ; cape & lætitiam. Ipſi Planetæ feſtiui choreas agitant, celebrant Principem ſuum, in pignus dilectionis coronant, circulantibus lætabundi in curſibus, in ſpeciem agitati ſpirarum ; nunc tranſcurrunt, nunc ſequuntur, nunc inſurgunt, nunc ſubeunt, omnibus blandiuntur officiis. Ipſe Sol, medius inter quinque errones, placidus ludos omnium proſpectat, & admittit, ſuo gratificatur iubare. Reliquæ ſtellæ conſtantes pacifica, & inſeparabili geminitate, geſtienti luce gaudent. Luna Regina terræ prior aſſiſtit, & ſuo elementa infima gremio prior fouet, & mulcet.

Cap. 39. Omnis in charitate natura fundata eſt, omnis in amore adiurata verbo : odit ſolum odium; cuius ſi vſum innocentem quæris, extra naturam ito. Vſus odij non vitioſus, ſed naturalis, nequit contra ipſam eſſe naturam : amiciſſima amoris eſt, amantiſſima ſuæ prolis. Non daret iſtum affectum contra chariſſima ſua pignora, non vt ſanctiſſimas ſanctiones pacis, ſacroſanctum charitatis ius temeraremus. Dices : A natura iſta eſt affectio : dedit igitur : cur dedit ? non ſuperfluit, quod à natura eſt. Annuo : à natura quidem odium eſt ; inde neceſſe eſt, non ſuperuacaneum eſſe, nec debere contra ipſam eſſe. Hinc & aliud, quod volo, conſequens neceſſarium deduco, eſſe aduersùs id, quod extra, aut contra naturam eſt. Anteſignanus iſte affectus amoris, quo natura ſtat, pro ipſa pugnat contra id, quod non eſt in ipſa. Abeundum eſt extra entium municipium, vt inueniamus quid odiſſe liceat. In ſumma, vis ſcire, ad quid odium eſt ? Aduersùs malum. Nihil in natura malum eſt : nemo natura ſua mala facit. Ipſe Deus perſpicaciſſimo luſtrans obtutu vniuerſum naturæ cenſum, omnia vidit valdè bona. Diſertè Epictetus ait : Quemadmodum non ideò ſagittarij ſignum figitur, vt non attingatur : ſic nec mali natura in mundo fit. Igitur extra naturam malum eſt, & eſt contra ipſam, contra ordinem ſuum, contra harmoniam, quam ratio diſpenſat. Sola culpa iſtam frontem habet : ſolius peccati iſta ſigna ſunt. Extra naturam peccatum eſt : nihil naturæ eſt, & contra ipſam eſt, maximè contra ipſius dotem, & gloriam, rationem : iſtud ſolum verè malum eſt: nihil itaque aliud patet odio : iſtud dumtaxat nos lædit, iſtud eſt fulmen præpoſterum, ab Inferis ſurgens, exurens animam integra vagina corporis : iſtud eſt exilium mentis, quo à ſe exulat : iſtud ipſam exanimat animam: iſtud fornax eſt, quo homo transfunditur in Dæmonem : iſtud ſtupor mundi ; iſtud ſtupendum naturæ ſpectrum: iſtud monſtrum rationis: iſtud odij ſcopus.

Cap. 40. Odium Timonis in omne genus humanum infeſtiſſimi culpa colorauit : nihil voluit odio ſuo punire, niſi prætextu peccati : malos meritò dicebat odiſſe, quia mali ; cæteros, quia malos non oderant : peccatum imputauit non odiſſe peccantes : ita acerbam affectionem malitia cauſabatur. Sed conſultè affectum gubernauit : ſubtiliùs ſcindere debuiſſet inter malitiam, & malum, nec conuolutè affici : diſtinguendum id maximè eſt.

Naturæ quiſquis propriæ non ſpernis honores,
In quocumque hominum, quæ tua noſcis, ama.
Namque, quod artificis ſummi fecit manus, vnum eſt;
Quæq; auctore bono condita ſunt, bona ſunt.
Diuinum in nullo figmentum deſpiciatur :
Sola malis ſtudiis addita non placeant.

Iſtam diuini Proſperi regulam odium ſeruet. Nonnunquam ſæuituri in culpam, ſæuimus in hominem. Magna eſt opus diligentia, vt ex duobus inuicem complexis transfodias noctu vnum, illæſo altero. Gophyrius, vnus ex ſeptem coniuratis, qui ingenio Oretanis Regnum Perſicum aſſeruerunt, complexus alterum tyrannorum ſocios hortabatur, (erant obſcuro in loco,) vt vel per ſuum tranſuerberarent corpus, ne ille ſibi parcendo euaderet. Difficilis iſta ſubtilitas eſt, diſcernere in tenebris confuſa. Quare in alienis peccatis minùs, aut cautiùs eſt indulgendum odio, ne indignaturi factis humanis, indignemur hominibus. Hiſpali nocentiſſimus quidam ſimius obiecit ſagittariis arreptum è cuna infantulum, vt iactus prohiberet, ne ſe perculſuri, cæderent innocentem. Cæſar apud Alexandriam, ſubito circumſeſſus Marte, Ptolomeum Regem in omnem ſecum belli aleam tulit : ſalutaris illi fuit iſte comitatus, & cauſa ſaluris: difficile fuit obtruncare vnum, ſeruare alterum; præualuitque amor inuidiæ. Nunquam alienum eſt amandum ſcelus : ſed nunquam ita eſt habenda odio iniuria, vt illum, qui fecit, oderis : iſtum non odio, miſeratione accipias: quò magis ſceleſtus, non eſt magis odio dignus: ſed miſeratione. Qui magis ægrotat, eſt magis miſer.

In propriis erratis ſecuriſſimus eſt iſte affectus, vbi amor noſtri tenaciſſimus, & importunus eſt. Diuersè noſtra & aliena inſident. Aliorum odium, & noſtri amor facillima ſunt, & ſumma : aliorum amor, & noſtri odium difficillima, & exigua. Paritur amor feſtiua boni ſenſione ; odium amaro ſenſu mali Leuiſſimum ſui veſtigium naturæ noſtræ imbecilli bona imprimunt, quæ nec diuturna, nec pura vides. Mala longiora ſunt, & grauiora : inueniunt in nobis, vbi ſecurum figant pedem, vbi inſideant tutò, vbi diutiùs colantur. Subitò odium ſubit ; importunè manet ; lentè, aut vix exit: magna vi euelli eſt opus : fortiſſimas radices agit : conueniens ſolum in nobis inuenit : amor leuiùs hæret ; vix ſtirpem figit : ita dolentis eſt recordari, debentis obliuiſci. Proprius tamen amor ſine ſemine, ſine cultura eſt, ſponte naſcitur : licèt eradices, radices manent : nos ſumus. Cap. 41.

Cæterùm, quoniam ad interitum culpæ, maximi mali, affectus odij eſt, & pro proportione mali vehementiſſimus. Immodicum malum eſt : non modica vis fuit opus tanto extirpando hoſti. Iam patet natum odium ad deuaſtationem peccati. Solùm iſtud tam tetrum & acerbum odij exigebat vultum. Inde, cùm ad alia vertimus, pernicioſiſſimus eſt ; illa vis terribiliſſima dicata expugnandæ culpæ, deuexa ad hominem, parum inuenit alimenti : exiguam videt tanti furoris materiam, & auida maioris deſolationis contra ſe ardet, propriúmque exedit cor. Hinc etiam tot deflexum odium nutrit mala, tot calamitates, tot occiſiones, tot mortes, tot abortus belli. Cap. 42.

Mebodes

Mortis enim pictor eſt bellum: ego verò dico etiam archetypum, & humanorum malorum auctor, & doctor natura ſua doctus.

Mebodes apud Simmocatum ait: Ζώγραφος γὰρ τοῦ θανάτου ὁ πόλεμος. ἐγὼ δὲ φημὶ καὶ ἀρχέτυπον, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν ἀρχηγέτης, καὶ διδάσκαλος αὐτοδίδακτος. Elogium iſtud genitori belli odio inſcribo Doctori, natura ſua docto humanorum malorum, archetypo mortis. Valentiæ ſuæ quidquid occurrerit peccato minus, exiguum eſt: & tamen nihil tanta vis valet in tam exiguis malis; nullum aufert: nimirum, non aliis, ſed peccato natum eſt. Iſtud ſolum malum per ſe tollit. Quid refert, oderis alia mala ſi quod oderis, non aufers, ſed auges? Igitur, cùm peccati malignitatem deſtruat odium eius, ad huius mali perniciem eſt. O feliciſſimum amuletum humani detrimenti! ô ſalutarem baſiliſcum, qui reſpectu tantam perniciem perdit! ô ineptos, quibus cura tantùm eſt, abſcondere peccata, cùm id non poſſint; qui nolunt deſtruere, cùm poſſint facilè! Iam non erit, quid abſcondas, ſi deleas. Sitiunt ſcelera lucem, & quas tenebras ortui ſuo amarunt, orta oderunt.

Cap. 33. Præmuniri animum hoc affectu oportebat: ſui arbitrij eſt; cuius corrigendis erroribus ſeruit iſta vis. Regiæ tamen mentis, imò diuinæ eſt, cui eius vacat neceſſitas, velut Regi apum, aculeus. Iſtud ex his, quæ fecit parca natura: optauit ſolùm ſuperfluum; non tamen ſuperfluè fecit. Præſidiarios milites non fruſtrà, imò neceſſariò Dux deſignat; gaudet tamen neceſſarios non fore: ad euentus præparantur. Non vult natura, quòd peccantem oderis; nec vult, quòd pecces: prouidentiſſima ſolùm hoc te procurauit pharmaco, vt ſi pecces, te mediceris; hoc te muniuit præſidio, vt ſi cadas, te reſtaures. Habes itaque vſum odij, perniciem peccati: ira in illud ſæui, vt etiam ſpe regreſſus punias, fidus rationi, fidus Deo. Lacon quidam ſecum contracturo amicitiam, illam ſibi, reſpondit, fidem fore gratam, quam vel volens nequeat violare. Iſtam fidem cura virtuti, cura tibi. Neſcio quid de mortalium impudentia dicam, niſi quod Charidemus Dionis, eſſe omnes ex ſanguine & proſapia Titanum: inimici cælo ſumus. Deo bellum indicimus, non ferro, non igni; ſed crudeliùs, ignauia, & deliciis noſtris.

PROÆRESIS VII.

Modus iræ.

Cap. 44. PORtiuncula odij, furor eſt; niſi quòd concitatior & breuior; quemadmodum ſcintilla è rogo ſubſilit, breui perit. Quare idem vſus iræ, & ad peccati malum. Dauid monet: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Iram opponit præſidium innocentiæ. Elegantiſſimè diuinus Diadochus ait: Cùm grauiter peccato irati ſumus, illud femineum, quod in ira ineſt, virile facimus. Adijciam quid glorioſius: illud ferinum, quod in ira ineſt, diuinum facimus. Quid dignius Diuinitati, deſtructione peccati? Verùm tam ſalutaris affectus, ſi rebellet, ſuúmque deſtituat locum, in maximam inuidiam labitur: præ omnibus tyrannus ſeueriſſimus; nec contentus dominatu, noſtrum pudorem iactat: ad ignominiam ſeruitutis ſtigmate inurit; notat enim ora noſtra, vt noſcantur ſua mancipia. Periculoſiſſimum morbum dixit Hippocrates, qui vultum immutet. Qualem iſtam animi ægritudinem putabis, non frontem dumtaxat, ſed totum perturbantem corpus? Velut quidam Dæmon innatus agitat iracundia; arreptitios reddit, quos corripit: occupat mentem

Ira tumens, ſpumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens ſuffuſo lumina felle.

incendit oculos, mutat vultum, ligat linguam, tremulos omnes artus quatit, pedibus ſupplodit, manus premit, pectus tundit, labia mordet ſpumantia, vndique rumpitur. Anguſtum huic peſti corpus humanum videbis: occupat omnia membra, nec ſatis capitur in omnibus; foras impetu transfunditur. Anne hominem agnoſces, quem vides iracundum? ex mente non coniicies; nullam furor permittit: ex corpore non iurabis; nullum faciet lineamentum fidem: omnia corruptæ ſunt formæ. O miſeram inſaniam, quæ ſpeciem hominis, in qua ignoſcitur amentibus, vitiat!

Fortaſſe ad curam ſpectauit naturæ, cùm vitia lateant, alicuius ſimulacrum ad exemplum horroris monſtrare: velut ſceleſtiſſimorum imagines in confinio Regnorum, aut in portubus locantur, vt notos omnibus, quicumque occurrerit, aut occidat, aut traducat, aut caueat. Ita oportebat ad cautionem pingi iſtud monſtrum, quod certè non vt minimum malum, in exemplum malorum eligitur. Sufficeret in inuidiam tui, ſi te iratum in ſpeculo videres. Credo cum horrore tui ipſius pudentem poſiturum iras: ſin minùs, roga alios, cùm iam te placauit, aut tempus, aut pœnitudo vindictæ, aut ipſius vitij tædium, qualis, cùm efferuebas, fuiſti: roga, vt te deſcribant. Galenum adeò terruit irati hominis aſpectus, vt firmo decreuiſſet animo nunquam iram admittere: ſatis fuit ſemel vidiſſe iraſci, vt nunquam iraſceretur. Nunc, quæſo, quale monſtrum intus delitebit, cuius tam fœdam vmbram vibrat vultus? quale incendium flagrauit in corde, cuius fumus ſic ora deformat, & per omnia diſſipatur membra? qualis tyrannis mentem occupabit, cùm ipſum corpus oppreſſerit? Cap. 45.

Breuis furor ira dicitur: neſcio, an ſignificantiùs, ſimultaneus, an vnitus diceretur. Breuem audis, non intelligas minorem: impetus moram ſupplet. Magna etiam paruo contineri poſſunt. Sic iſtam breuitatem accipio, non ſolùm, quia ſubitò ſurgat & langueat: ſed, quia ad breue tempus longam contrahit inſaniam; ideò maiorem, quia in minimo æqualem: multùm addit viribus vnio contrahendo. In breui iratus furiatis, quantùm per longum tempus inſanites. Diſſipandam per moras amentiam denſas in ira. Diminutè Ennius putauit initium inſaniæ eſſe; nō ſine cumulo ſuo furit iratus. Conſummatus eſt amens, breui adoleſcit iſte furor. Craterus, Antigoni Regis frater, & Phlegon, prodiderunt quemdam ſeptennio dumtaxat natum, infantem, puerum, adoleſcentem, ſenem, maritum, patrem, defunctum, omnibus, ſcilicet, functum officiis humanitatis. Gigantes vulgus iactat à nocte in mane natos, adultos, viros, Deorum inimicos: ita ira ſubitò creſcit, nec ideò minima inſania, dixerim giganteam, & inter vitia Titanem æmulam cæli. Per partes, & ſenſim, & quaſi quadam verecundia ſubeunt alia vitia: ira impudentior, ſine ſalutatione, ſine venia, cum vi. Fulmen Cap. 46.

momento cadit ; ſed magnum percurrit ſpatium : momento perdit multorum annorum labores , quos lenti rogi vix violarent. Fulmen in mentem contortum ira eſt : cor primum cædit læuo hominis latere : inde per omnes partes in ſcintillas fractum. Totus homo de Inferno eſt tactus ; omnia icit membra,oculos,genas,labia, linguam,pectus,manus,crura;vndique animum præcipitat;vbique terret;nullum videtur membrum ſpiritu ſuo regi,ſed furia:multa dicta,multa facta præter voluntatem irati extorquet ira; agitatur itaque extranea vi,& tortura ſimili.Fulmen dirum,ſcilicet, in occaſum vergens,ira eſt; nihil auſpicatò facit:infauſtè deſinet, quidquid furore cœperit ; ſine conſilio omnia tractat, ita contra votum veniunt. Omnium agendorum omen ratio eſt, quam orba oculis iracundia non agnoſcit. Inſtar canis eſt cæcos parientis catulos , & rabie actæ ipſi domino non parcentis. Omnia cæca ſunt, inconſulta , quidquid furor agit, ipſam dominaturam rationem primùm lædit.

Cap. 47. Iſtud quoque naturæ curis debemus, contraxiſſe hunc furorem. Si parca ſuperfluorum eſt, non erit malorum liberalis : quid enim magis vacant,quàm nocentia ? quàm mala , ſi ſine vſu boni?monſtra ſterilia facit;nocentiſſima animalia non fecit longæua:iracundiam etiam breuem facit: quam quia erat neceſſarium videri ad deteſtationem vitij in imagine aliqua,nocentiſſimum durare ; breuitatem excogitauit eius , vt impetus magis terreret,celeritas minùs noceret. Si pertinax ira fuiſſet , perditum eſſet de rebus humanis, actum peſſimè de hominibus. Adhuc cùm breui duret,quid peius?Propè Inferno comparabilis,ſi maneret ; nunc incomparabilis aliis damnis , & quædam prælibatio , quædam præcox Inferorum pœna diuiſa ; nec ardor deeſt, dum calet ; nec inutilis pœnitentia,cùm deferuet , damnorum immedicabilium , quos ad longos dolores breuis fecit impetus.

Cap. 48. Satis iam damna iſtum furorem commendant ; nunc rideamus amentias.Nihil credo dignius cachinno.Quid,iracunde,vis?Damna vitare?Addis. Iam ineptis:facis,quod non putaſti; imò quod non putas,dum facis. Vtra maior inſania erit, contradictio votorum,an ignorantia? Vtramque puto:quam egregiè facit vltio primogenita iræ. Qualis dementia erit , medicaturus ægrotantem, ſi non parti læſæ , ſed alieno corpori pharmacum adhibeas ? Vulnus tuum non claudis , ſi aperias ſæuiori ictu alterius latus. Damnum,quod putas tuum , non ſarcit alieno vindicta. Non erit vlceri proprio fomentum, apoſtema extranei : non fluit cum alieno ſanguine balſamum tuæ plagæ. Quid igitur vis, iracunde , id eſt , inſane ? vltione damnum reſtaurare ? Duo ſunt mala in hoc , quod gemis; damnum tuum , & ſcelus alienum. Vtrum horum reparare vis ? Neutrum reſarcis : damnum tuum alieno non tollitur ; ſcelus alienum tuo non debetur , prouocatur potiùs. Ineptiſſimum , perfidúmque remedium malorum,vindicta eſt : nullum tollit , tollenda duplicat: in quorum præſidium eligitur , perdit. Satis tibi erat damnum illatum ; cur geminas quæſito ? Culpa pœnam vis tollere. O amentiſſime, inuertis rerum ordinem ; addis pœnæ culpam : illum ſanctiſſimum iuſtitiæ ritum , quo culpam ſequitur pœna , peruertis : vis, vt pœnæ tuæ ſuccedat culpa. Inſanis, facis inimicum iuſtum. Ridiculus paralogiſmus ira tua eſt : iniuſtitiam æmuli tuo iuſtificas malo : habes culpam,& pœnam. Tantane foret inæqualitas,aliquam ſine culpa pœnam eſſe, cùm tot ſint ſine pœna culpæ?

Maxima iſta dementia furoris , quòd tibi eligas , quod peius in inimico vides. Quid culpa deterius?Faciendum optas,quod factum deteſtaris.Exemplum eius,qui inuiſus tibi eſt,inuides; imitaris , quod odis : ipſum , quem aſpicere nequis,in ſpeculum aſſumis,in exemplum. Adeóne placet inimicus,vt æmuleris, & in ipſa inuidia tui ſuperes?Pœnam tuam inimicus fecit , tu culpam:veriùs dicam,vtramque. Nemo niſi nolentem lædit:nihil volens patitur.Tam ineptus iratus eſt : id ipſum , de quo timet, facit.Simile omnibus iracundis puto contingere ac militi cuidam curioſè fata ſua requirenti:noluit Aſtrologus reſpondere , donec victus importunitate interrogantis , intra triduum dixit moriturum: funeſto oraculo iratus miles , arrepto pugione, Vatem transfodit : mox captus , reus homicidij, intra triduum ſuſpenſus veraciſſimam prædictionem fecit.Ita eſt:iratus malū ſibi facit, quod arcet ,certè & maius , & ſtultiſſimo, fallacique inſtinctu , quas ab alio expeti pœnas, à ſe petit. Cauſaríſne honorem tuum ſolùm alieno damno reparandum,ſolùm vindicta fulciendum ? Quid egregium tam turpi baſi ſtabiliri poteſt ? Erras, ſi putas nomen furore ſeruari, famam ira,impatientia. Si hoc credis , putabis iam Deum infamem, qui patientiſſimus eſt , qui ignoſcit , qui vltrà benefacit, & noſtra innumera ſcelera beneficiis ſuis vincit. Quis ſtudioſior honoris ſui, quàm Deus ? Et tamen cum patientia illum componit,imò ſuſtentat. *Cap.* 49.

Sed age:vindictam ab inimicis ſume;cum iſta tamen iuſtiſſima lege,vt à maiori incipias:iniuſtum eſt, ſi nocentiori ignoſcas : ordo iniuriæ præſcribat vltionem. Maiorem omnium hoſtem iram tuam habes : hæc plùs te offendit : ab iſta auſpicare vindictam.Primo inimico deleto,procede ad alios. Iuſtiſſimè Plato ſæuiturus in ſeruum ſuſpendit vindictam,Cæderem,dicens,niſi iraſcerer:ſcilicet,propter quod alius ſæuiret,non ſæuiit:iudicauit primam vindictam meritum iræ ſuæ fuiſſe,de qua priùs vlciſci voluit. In primis è domo pellendus eſt hoſtis , quàm alij per plateas quærendi.Priùs voluit Plato,poſtquam ſenſit iraſci , flagellare iracundiam dominantem, quàm ſeruum;ſuſpenſam diu tenuit dexteram, quam ſuſtulerat cæſurus. Rogatus quid ageret? Ab iracundo, ait, exigo pœnas. Tranſtulit ad ſe ſupplicium : digniorem cenſuit flagris iraſcentem dominum,quàm negligentem ſeruum.Nec dominum ſe putauit, dum in ſua poteſtate non erat. Maior itaque cauſa ſæuiendi aduersùs te eſt,quàm aduersùs æmulum : atque ſi ſolùm reſpiciamus ipſam iram,quam in æmulo, licèt diſpliceat,imitaris,ſaltem æqualis:quia iratus fuit inimicus , tu iratus ſis. Age , pari ratione iratus tibi eſto,cùm iraſceris. *Cap.* 50.

Illud eximium genus vindictæ eſt, cùm ſine damno tuo,cum bono inimici iraſceris:nullum penetrantius bonitate & beneficentia vulnus: ipſum ſauciat cor. Non eſt ignobilior victoria beneficiis , quàm ſceleribus parta. Velle aliter *Cap.* 51.

quàm

Digitized by Google

quàm benemerendo vlciſci, timidi eſt certè, & ſtulti:quia bonum te præſumis,non vis à malis offendi,ànne à bonis malles? Iſtud fieri nequit, niſi ſint,vt tu bonum te putas,id eſt,peſſimi. Vt quid iraſceris, quòd mali te offenderint?an quòd mali ſint? Quod ſuum eſt,fecerunt:tu,ſi bonus, quod tuum fac, cura bonos facere. Iſtud vltione non facies,quæ,cùm te reddat malum,malos non reddet bonos : patientia potiùs, ſi non bonos,beneuolos ſaltem reddet;ſin minùs te vltum quia meliorem. Satis ſe de peſſimis vindicauit, qui melior factus eſt:illuſtrior virtutis dignitas damnat iniquos:atqui melior oſtendêris,ſi ames etiam malos. Multa in ſpe diligis, frumentũ in ſemine,fructus in ſtirpe : dilige eum, qui poteſt amicus eſſe,qui bonus, (licèt nondum ſit,) & fortaſſe te melior.Quiſquis diligit aliquid,id,ex quo fit,etiam amat:materia non eſt negligenda: amat ligna & lapides,qui amat domum:ſi bonos diligis,etiam malos dilige,ex quibus boni fiunt. Amas id, ex quo calix fit; ama id,ex quo iuſtus, vnde amicus, vnde Angelus. An fortaſſe, non, quia mali offenderunt,iraſceris;ſed,quia te bonum?Excuſatum periculum quæris:nemo bonus ad vltionem tenetur : nulla duelli lex te compellet inæqualibus pugnare armis:ſuperant nocendo mali viribus, artibus,dolis,perfidia : hæc bonus arma non habet,excuſatur. Satius eſſet obliuione reparare malum : iſta vindicta innocens tibi,immunis etiam hoſti eſt : nôn meminiſſe iniuriæ tantundem eſt, ac non accepiſſe: tam parua diligentia ſupra humana conſilia, & omnem potentiam, quod factum eſt,non refectum modò,infectum feciſti.

Cap. 52. Impetus ipſe vltionis ad veniam te flectere debebat: quædam tutela & amor tui ſollicitat vlciſci; at, ſi te amas, cur tibi placet, quod in alio diſplicet? Ab iniuria tempus ſolum vindictam diſtinguit;non excuſat.Præcipitas appetitum ſibi obſtantem:malum parat tuum ſolicitus boni:velut apis in nullum ſæuit irata, niſi cum ſua pernicie:pungit alium apis,ipſa perit. Riſu excipias contumeliam tuam, & irriſiſti contumelioſo : alioqui honorabis ſcelus inimici, quem veritus reuerebetis. Suſpicis, à quo doles deſpici. Aut iudicium, contumelia eſt;aut mendacium : ſi iudicium, ad eruditionem patientis eſt : ſi mendacium,ad pudorem dicentis.Adiice aut in ancipite eſt,& dubium, & tunc ad interpretationem bonam.Multa conuitia nobis facimus,quia interpretamur.Itaque ferenti,aut bona contumelia eſt, aut non mala. Nonnullis ad ignominiam laus fuit, fortaſſe erit contumelia ad gloriam. Quid male feci, dixit Antiſthenes, cum nouit laudari.Gratulari quoque poſſet, qui malè audit,ſi non de conſcientia,de ſuſpicione benefacti. Maxima beneficia, quæ bona mens non poteſt gratia ſoluere; praua ſolet iniuriis. Certè,ſi inuidus ſuæ linguæ dominus eſt, ego mearum aurium : imò præualebo duplicatis armis. Potentiores idem Antiſthenes voluit eſſe duas aures,quàm vnam linguam.Cur inuitus ſemel audiam,quod ipſe de me, aut peius ſæpiùs ridens dixi:Cur offendor, quòd alius me imitetur,& probet ſententiam meam? Cur ſuccenſeo, ſi vnus dicat, quod omnes vident. Sæpiùs mihi contumelioſus fui,dum putaui contumeliam,fortunæ libertatem, aut naturæ neceſſitatem. Satis mihi obieci, ſatis exprobraui, dum puduit, dum celaui : improperium meum cum diligentia feci; improperium ab alio cum patientia deſtruam. Grauiter lædentem lædit, qui non dolet:tranſmittit dolorem in æmulum. Is, qui lædit,dolebit,ſi non lædit læſus. Ad hoc lædit inimicus, vt doleas, & ſuo deſtitutus voto ipſe dolebit : ſi non ferias illum,feries illius inuidiam; beneuolum, qui infenſus erat, facies. Dic, à quo accepiſti iniuriam, ab homine,an à malitia hominis?Ab iſta,dices:ergo in illam iraſcere,illam perde,non hominem.Argutè Guigo ait : Qui in iniquitate ſua occidit iniquum, eò quòd odio habet iniquitatem & vult eam delere, fallitur:mortuo enim iniquo in ſua iniquitate æterna eſt iniquitas. Qui ergo odit iniquitatem,det operam,vt corrigatur iniquus:& ſic peribit iniquitas eius.Sed,quidquid de illo ſit,ipſe illæſus eris patientia.Fulmen inquiunt non ferire dormientes, quoniam cedunt, nec vllo pacto reſiſtunt.

Iſtud ingenium iræ ſatis extra propoſitum naturæ conſtat torqueri, nec tam crudelis nouerca eſt, quòd inſidias nobis pararet; nec tam imprudens mater, quòd admitteret minimè aduerſùs alios homines cùm omnes exermes,pacificóque finxerit habitu, armauit bellicum affectum : nec ſuperflua, nec auara eſt. Vacaſſet ira ſine armis, deſiderarentur arma cum ira,ſi rixis, & cladibus illam dedicaſſet, alterutro iſtorum vitio non excuſaretur natura,vbi nunquam peccauit,ſemper innocens fuit.Adiice,quòd iracundiora,inualidiora ſunt,mulierculæ,infantes, ſenes,ægri:inepta natura eſſet,ſi pugnæ debiliſſimos legiſſet.Igitur iram dedit aduerſùs id,quod armis & robore non indiget : aduerſùs paſſiones noſtras,aduerſùs voluptates, aduerſùs vitia, vt illas conuerberet, illas atterat, compeſcat, hæc lancinet. Specta mores iracundiæ aduerſùs vitia compoſitos : aptiſſimi ſunt;tota illa tyrannis & dominatio ſuperba in ſcelera laudatiſſima eſt & neceſſaria. Non ſegniter, non infirmiter repugnandum eſt culpis, in quarum deſolationem odit natura negligentiam, aut imbecillitatem. Inde ſimultaneum furorem fecit, ne vis diuiſa minor eſſet, nec particulam vitij vult admitti. Celerrima omnes animi copias ira conuocat, vt tanto malo præſtò ſemper ſit.Ad hæc, independentem ratione velocitatem dedit: magnóque conſilio inconſultam fecit iracundia: nihil pro more ſuo ſuperfluum natura facit : vacat deliberatio, an non ſit peccandum:non eſt opus expectare conſilium : iam eſſet error conſulere, num erres, num ſceleſtus fias. Præiudicium habet ira ſanctiſſimum : ſempre reſiſtendum ſceleribus, nunquam cedendum : nec ad id, quod neceſſe eſt, conſultationem neceſſariam eſſe.Quare rationabilis eſt in ira ipſa impatientia rationis expectandæ : meruitque impetus ſui diligentia honorem mentis, non amittit. Plato partem iraſcentem animæ propinquiorem rationi dixit. Iuuamur irâ aduerſùs libidines:magis rationalis eſt,quàm virtus concupiſcens. Cap. 53.

Tali itaque expugnatore egebant vitia, fortiſſimo,impigro,terribili.Talibus,tantiſque cædendæ armis voluptates ſunt. Venuſtè Diadochus iram dixit naturæ telum : malo, quamuis noſtro,vſi ſumus. Velut gladius in amentis, aut pueri manu vulnerat habentem, cùm ad defen- Cap. 54.

ſionem

ſionem ſit:ita noſtræ naturæ arma nos ſauciant; lædimur ira, qua defendendi eramus; fortiter vibranda in omnia ſcelera,& malignos impetus cordis. Conſultè telum dixit,non gladium:procul à vitiis ſimus eminùs confodiendis,quorum omnis vicinia vitanda eſt, & per arma pernicia pugnandum omni prohibitione acceſſus.

PROÆRESIS VIII.

Timoris vſus, & vtilitas.

Cap. 55. PAri atque iram abuſu torſimus timorem ad noſtrum tormentum, quem fecimus miſeriarum feliciſſimum penu, & plenam inanium angorum cornucopiam: plus enim laboramus metibus,quàm malis. Proceſſit inſania, vt ipſa vota fecerimus pericula, ipſa bona timenda, dum pro ipſis timemus. Non dumtaxat in malis periclitamur; ſed in timoribus periculi, in ſpe bonorum. Dum metus eſt, ipſe, aut periculum eſt, aut damnum. Maturamus timendo diſcrimina, præcipimus triſtitiam, anticipamus mala, imò multiplicamus. Inani prouidentia, plura mala timemus, quàm ſunt: multa, quæ non eſſent, ſunt, quia timemus; & quæ ſunt, diu ſunt:à metu incipiunt eſſe.Itaque timor noſter plura mala facit, vel maiora: aut addit, aut ampliat: præter diuturnitatem, acerbitatem auget. Quæ immatura ſunt, auſteriora ſunt: pleraque acerbiùs ferimus timendo,quàm patiendo: minora in ſe ſunt quàm in formidine; ſuſpicio exaggerat ignota, & in peius vergit. Omnia intempeſtiua etiam bona tædio ſunt, qualia erunt mala? Ad hæc,nec tantùm mala parat, quia fingit; ſed, quia facit, & incertum periculum luit certo damno. Ad exaggerationem amentiæ, ſupra certitudinem nonnunquam magnitudinem adiecit:maiora damna quærimus, quàm timemus;& ne minus periculum veniat, nos venimus, imò currimus ad maius malum. Molpadia,atque Parthenia, fracta à ſue vini amphora, habuerunt,quid haurirent:veritæ patrem,præcipites ſe mari dederunt,vbi abſorptæ ſorbuerunt fata.

Cap. 56. Metus itaque eſt innatum tormentum,ingenium prolongandæ miſeriæ, inuentio mœrorum. Nec tot crudelitas reperit humana cruciatus, quot timiditas. In quibus nobis pepercit fortuna,non ignoſcit prouidentia noſtra.Intuete crudeliſſimam, periculoſiſſimámque prouidentiam Artemonis:ne quid in eum caderet, fecit,quamdiu vixit, vt duo ſerui ſcutum æneum ſuper caput obtenderent. Quæ maior miſeria, quàm cui cælum ſuſpectum fuit?Domo egreſſus ſolebat lectica tecto adoperta circumlatus ferri. Certè quem prouidentia vitæ prohibuit rectâ ire,prohibuit rectè viuere. Ecquod maius periculum erit iſto timore periculi? Neſcimus,quid timeamus:neſcimus,quando periclitemur,pauidi etiam meridie,

Veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt:ita nos in luce timemus.

Falleris,Lucreti, non cum Sole timemus:in caligine ſumus, nihil in die videmus, ideò omnia timemus,ſemper triſtamur.

Cap. 57. Minima fuiſſet miſeria præſentibus malis, niſi ſpatiaretur pauoribus ad omne tempus. Addita ad cumulum abſentia ſunt, quæ non minimè nos vexant: plus nos torquent mala, quæ non ſunt, quàm ea,quæ ſunt: plura illa ſunt;nam plura poſſunt eſſe, quàm contingunt. Metus omnia ſtultè admittit.Magnum iſtud infelicitatis pondus adiecit timor, vt, pluſquàm poſſumus, pateremur, cùm timeamus,pluſquàm patimur:bis patimur mala,cùm ſunt,& cùm formidantur. Neceſſitatem magnam mœrendi induxit metus: euadere ægritudinem non licet: cùm ſunt,cùm non ſunt, ſemper mala nos fodicant;effugere nequimus eſſe miſeros: intercepti ſumus;poſſibilitate mali malè iam reipſa afficimur. Anne timorem inſidioſa nobis natura ad iſtorum malorum præſidium meditata eſt, cùm pauca demat,plura paret,plurima geminet;tum, ſi ipſum computemus timorem, triplicet? Cur nos impendimus ſecuris?Integros nos reſeruemus periculis,integri mala expectemus. Timoribus iam fatigatus animus facillimè malis cedit: victus ante ipſa, pauendo iacet: eminùs iam illum confoderunt, mox comminùs repetitione vulnerum miſere concidit. Age nunc, ad calculos veniamus, Inutilis malis ipſorum timor eſt: nam, aut certum periculum eſt,aut nullum: ſi certum, nihil agis timendo, niſi præſumere, & antelucano marcere tormento: ſi non eſt futurum, irritis te vexas curis, & præſentibus te punis mœroribus;ipſe timor iam eſt periculi incerti certum ſupplementum, certum damnum.

Cap. 58. Anguſtum ius fortunæ eſſet, ſi dumtaxat præſentibus nos inuaderet, quorum leuiſſimus dolor vix ſenſum ſui faceret: ſecutus tempus, antequàm cognoſcatur, dilapſum: minimum eſt præſens & ignotum: mala diuiſa & ſuccedentia temporis ſucceſſioni accommodata veniunt, vt vel ſi magna ſint, non magnam pro diſtributione præſens ſortiretur partem. Maxima leuia fuiſſent, ſi non ſucceſſionem ſentiremus, ſed præſentiam: minima portio, quandiu ſunt,eſt;nam,dum ſunt, minimum eſt:non ſpatium,ſed momentum, ad quod inter innumeras diffluentis temporis particulas exiguum ſpectabit.Demus maximum:quod momento eſt, non magni momenti erit: tolerabilis, fortaſſe leuis, miſeria foret, ſi non iniquè committeremus ſenſus damnis,quorum leue,dum durant, pondus habent, niſi nos coaceruaremus multas partes: reuocamus præterita, præſumimus futura. Quod ſenſus capere poteſt, præſens eſt: opinio malum illud inuenit, vt diuiſum per tempus malum timendo copularet: ſcit multa mala vno tempore, imò vno & minimo momento, maximo amplecti odio.Tamdiu duret pati, quamdiu dolere: nec vnius patientiæ parti, multas imponamus doloris. Hac arte, hac ſtultitia protrahimus contrahendo mala, & longam mœrorum vitam facimus. Quia ante tempus patimur, ſupra inuidiam fortunæ patimur: ignauâ prouidentiâ, quæ diſcutere volumus, aduocamus: optimum eſſet differre, quæ excuſare non poſſumus. Certè magna diligentia foret diſcutiendis triſtitiis, negligere futura. Fortunatius Dionyſio Siculo fuiſſet, ſemel perire, quàm ſemper: felicius improuiſa infelicitate corripi, quàm diripi cauta,id eſt,timida felicitate.Qualem putabis felicitatem, qualem maieſtatem, cui non licuit,quod ſeruo? Totam timor corrupit

Digitized by Google

pit fortunam, &, quod mireris, naturam. Chariſſima & naturæ & iudicij ſui pignora, filias & vxores, Ariſtomachen, & Doridem, ſi non in odio, in ſuſpicione habuit: quibus dedit vitam, non confidit genas: à filiabus nondum adultis ſolùm permiſit tonderi; ab adultis, nec à filiabus: & ne horridus vultus etiam ſibi horrorem maiorem incuteret, dum aliis timebat, ſi plùs timeretur, plùs timere; nam,

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. iuglandium dumtaxat putaminibus aduri pilos eſt paſſus: tanti illi ſtetit hæc neceſſitas cultus: timor illum priuauit, quo pecora non carent. Neque voluptas potentiſſima tyrannorum domina illi fuit libera. Niſi euolutis omnibus, & exploratis ad vxores non veniebat: nec adhuc, licèt tutam reperiret voluptatem, tutum ſe cenſebat; latis circumdedit foſſis lectum, quas ponte commiſit ligneo, & hunc clauſis cubili foribus detorquebat. Quid? nec vocem illi timor liberam, aut tutam reliquit: ab edita concionari turri ſolebat, non ſe credens ſuggeſtis. Quid? nec ſuo pectori.

Cap. 59. Ad quid ergo timor datus, ſi per tot peſſimus mala, reus omnium mœrorum, virus tranquillitatis? Certè ad maximum eſt bonum, &, vt eleganter dixit Theophanes Cerameus, pharmacum, vt euomas virus malorum: niſi malè abutatis, eſt quædam naturalis prudentia arcendis malis ſagaciſſima, ſed vitio noſtro infamia puſillanimitatis damnamus; eſt quoddam præſagium innatum ad excubias, ad explorationem malorum, quoddam ſatellitium ſecurum ad bonorum cuſtodiam. Non igitur peccauit intentio naturæ ſincera, atque beneuolæ, cùm dedit; ſed noſtra ignauia, cùm vtimur: ad omnia, quæ putamus mala, accommodare volumus, minimè ad omnia conſentaneum. In primis timor non eſt ad mala neceſſaria: nihil horum formidine medemur: ſolùm præcipitamus triſtitiam: certis periculis fruſtrà impenditur metus. Deinde, neque ad mala contingentia: ſi vitare nequis, in caſſum te macerabis matutina triſtitia, ob id, in quo fortaſſe benignus caſus erit. Ne te ante tempus damnes: ignoſce tibi, cui nondum irata eſt fortuna; nec crudelior tibi ſis timendo, quod illa non committet. Quid? committat: id minùs triſtitiæ habebis, quantùm minùs timuiſti: breuiſſima plaga, & in ſinceritate ſua te percellet. Neque timor eſt ad ea mala, quæ declinare potes, ſi incerta & ardua ſit euaſio: pluris nonnunquam conſtat euadere mala, quàm pati: in his & curæ computandæ ſunt, & pericula; & pro exceſſu, aut expectandum, aut cauendum: non magnis ſumptibus minima emenda ſunt: parum fortaſſe periclitaberis patiendo, & nimiùm patieris timendo. Denique, neque timor eſt ad mala, quæ putamus, licèt declinare poſſimus ſed quæ ſunt: in his inanibus & fictis malis, non muniet nos metus, ſed puniet mœroribus, & quidem non fictis.

Cap. 60. Innoxius itaque erit in noſtris noxiis, in veris malis, & quæ in noſtra ſit libidine vitare. Igitur ad præſidium contra peccatum, iſtud ſolùm verum malum; iſtud ſolùm in noſtra eſt manu diſcutere: in his fideliſſimus ſpeculator metus renunciat, quæ præuidet, cordi, vt prouideat, vt aduocet in conſilium mentem, vt reuocet conſulta & meditata, vt muniatur ad hæc pericula.

Iſte eſt caſtiſſimus timor; ſcilicet, in ſinceritate ſua timor eſt, non malum: alij enim malorum timores, ipſi mala ſunt; caſtitatem naturalis affectus corrumpunt: tranſeunt in id, quod fugiunt. Cæterùm, euidens ſignum eſt, timorem datum ad hæc arcenda mala, quod certiſſimè & facillimè & per ſe arceat: ipſe timor peccati ſuperat peccatum, timendo vincit: alij timores non tollunt timendo mala, potiùs addunt, quærunt malorum remedium, non ſunt; at metus ille remedium ipſe eſt: inde alij timores vagi, iſte conſtans & permanens: illi tamdiu ſunt, quamdiu malum non veniat, aut inueniant remedium, vt non veniant; iſte durat, quia ipſe remedium eſt, & dum eſt, non eſt malum: indecum iſta perſeuerantia, nec moleſtus eſt, tutus malis omnibus, in tantum ſibi placet, vt quod magis timeat, ſit non timere. Qui eluctatus ferarum vngue & dente in ſcopulum, aut arborem aſcendit, ibi iam non timet feras, ſed caſum: timet non eſſe, vbi ſecutus eſt: alios timores excludit ſecuritas, iſte ſecuritas eſt. Adiice, ad innocentiam caſti huius timoris, non ſolùm vera mala tollere, ſed fictorum malorum timores: tametſi ipſi, vera ſint mala. Clauus trudit clauum: omnes timor Dei pellit timores: hic timor ſecurus eſt, ipſe nos tutos reddit; & dum nos defendit, cauſam Dei agit. Commodè illum dixit Leontius Atabiſſius, δικαιοκρίσεως συνήγορον. Generoſus item eſt, non vtilitatem præſtat animis, ſed magnitudinem, & nobilitatem ſpiritus: deme iſtum timorem, audaciſſimus quiſque timidus erit: mens enim mali ſui conſcia, velut ſpongia imbuta aloës, & abſynthij ſuccis, quolibet preſſa terrore, mille fontificat riuulis; amariſſimas formidines qualibet compreſſione diffluit felle. *Iuſtitiæ patronum.*

Atqui & temporalium metus aliquando innocens & ſalutaris eſt, cùm miſcetur fortitudini, fiduciæ, prudentiæ, ſpei. Sunt quædam per ſe nociua, quæ mixta ſalutaria ſunt: iuuat & venenum confectum: iuuat iſte timor, cùm cautio eſt, non conſternatio: ſpem præcipitem temperat. Nulla eſt prudens expectatio, quam timoris mica non condiat. Spes, vt vinum fortiſſimum, nimiùm exhilarat, & ſenſum intercidit cerebro: temperati opus eſt mediocri metu, vt aqua vinum, vt cum modo & rationis immunitate delectet. Fauore huius timoris, ſæpè fortuna non indignatur ſpei: refert aliquando iſtam gratiam ſpes, cuius etiam fauore deſinimus timere, ſi ceſſamus ſperare. Cupiditatis finis, iuxta Hecatonem, timoris remedium eſt. Verùm nos, quia laxamus vota, multiplicamus timores: quia cupimus, vt immortales; timemus, vt mortales. Non omnia noſtra cum morte moriuntur; quid formidamus, vel mortem? Cap. 61.

PROÆRESIS IX.

Triſtitiæ commoda indulgentia.

Reſtat triſtitia, aduersùs quam tota Philoſophia armatur, ad cuius iniuriam plura hactenus diximus, & dicturi ſumus. Nũc pro multis calumniis volumus mereri de illa nonnihil, & excuſare naturam, atque accuſare nos. Deprauauimus Cap. 62.

uauimus quoque iſtum affectum, & miſeriæ infamauimus elogio: ſuos tamen vſus ad felicitatem habet, & cum naturæ conſenſu. Rogemus Platonem: non omnes damnat triſtitias: eas potiùs commendat, quæ gaudiorum origo, aut minorum ægritudinum ſint cauſa. Sunt aliqui corporis morbi, quibus indulgemus propter valetudinem: alimus in brachiis, & crucibus vlcera, ad cloacam euacuandi peſſimi humoris: vulnere rupta vena aliquando fuſo ſanguine continuit vitam: ita aliquis ſenſus animi nonnunquam eſt permittendus & innoxius. Præter iſta in vniuerſum ſuccutiendus eſt mœror è ſinu, & purgandum pectus, ſeruandúmque fores cordis, velut cùm ſæuit peſtis, ne ſine examine intret. Grauiſſimum iſtud malum eſt, vt cæterorum acies non feriant niſi per illud: ſine triſtitia noſtra omnis noxia innocens eſt: omne damnum ſine mucrone, hebes, & rude. Quare ſine vſu, aut boni, aut minoris mali, iam ex maioris collatione boni, toleranda non eſt triſtitia.

Cap. 63. Fateor ratum, & ad Phœnicis miraculum, albámque auem eſſe, qui nunquam ſit atro pectore. Vbi carbonarium vidiſti immaculato vultu? Fumus, & puluis terrenarum rerum quocumque diſſipatur, contagio quodam triſtitiæ familiaris. Menander dixit, conſanguineam eſſe vitæ: neceſſitatem mœrendi neceſſitudinem putauit. Verùm, non tam indomita, & æqua eſt iſta dolendi neceſſitas, quid, ſi inuictam cupiditatem non habeas, violari nequeat. Ægroti autem ſumus, & debiles; nolumus non cupere, non poſſumus non mœrere, & velut exulcerati artus, atque ægri, ad leuiſſimum tactum gemimus: nec plura oblectamenta recreant, quantùm vnus macerat dolor: delicatior ſenſus malorum eſt. Auidi ſemper eorum, quæ deſunt, ingrati præſentibus, non compenſamus copia plurimarum rerum neceſſariarũ, vnius ſuperuacuæ inopiam, quam nec neceſſitas, nec vtilitas fecit; ſed cupiditas ſubtilis neceſſitatis artifex. Inæqualiter, & ad iniuriam noſtram diuidimus affectus: aliena, aut non noſtra plus amamus. Quid angeris, deſit modò, quod nuper habebas? Nam, cùm pridem non habebas, tam anxius non fuiſti: in eundem nunc ſtatum reſtitutus es, cur plus mœres; habuiſſe auget dolorem? potiùs compenſet. Habuiſſe, beneficium fuit; gratiam debes fortunæ: habe: contenta eſt patientia tua, & pace tua, & ſua: iſta pax cum fortuna, non vt aliæ concordiæ conuenit votis: contrariis ſtat cupiditatibus, ſi quod fortuna vult, tu nolis: ideò cùm carebas, & non habuiſti, triſtis non eras; & modò triſtis es, quia habebas: poſſeſſio irritauit cupiditatem. Facile & vile remedium ſtat, quod nec voto eget, non cupere. At, ſi poſſediſſe tantoperè apud te valuit, cur nihil poteſt poſſidere? Plura reſtant, quàm amiſiſti. Cur omnia, quæ habes, perdis; dum non habes, quod perdidiſti? Anne excuſabo ingentem mœrorem tuum, quem maiorem cenſui iacturâ? Putabam ſolùm amiſiſſe vnum, ſolùm deeſſe vnum: ſed video amiſiſſe omnia, dum amittis vnum. At, dolor huius vniuerſalis iacturæ penſari debet voluntate; ſponte amittis omnia, dum reſtantia non placent; nec illis vis gaudere. Quidquid ſponte fit, ſine ægritudine eſt. Iam nulla noſtri doloris excuſatio eſt, niſi ignominia dementiæ, quòd tam iniqui felicitati noſtræ ſimus, vt eam locemus, aut in his, quæ deſunt nobis, aut nocent; in his, quibus neceſſariò ſumus miſeri.

Fecimus, vt non ſolùm mala nos proſcindant, Cap. 64.
ſed ipſa dilacerent bona, dum deſunt, id eſt, cupimus. Vber hìc panditur mœroris ſeges, ſi bona abſentia mala putamus: abſunt plurima. Expedi obturum ſiccum per auarorum domos, per Regum prætoria, per latiſſima quæque inuidiç ſpatia, breui madidum facies, ſi bona, quibus cares, computes damna: toties triſtis eris, quoties lætus eſſe poteris, aut putas: maximè miſer eſt, cui felicitas, poſſibilis miſeria eſt; qui tot numerat mala, quot bona numerare poteſt. Certè, ſi abſentiam malorum in bonis debes ponere, vellem, vt lyncea tranſmitteres lumina, penetraréſque etiam feliciſſimorum penetralia: poſt multos parietes plurima infortunia inuenires; per angulos etiam aulæ iacentia mala videres, quorum immunem te vides. Bona tua ſupputa. Prætereteres aſtutias fortunæ iſta leuiſſima diligentia, ſi mala, quæ deſunt, in bonorũm calculis admittas. Hoc pacto excedent, aut æquabunt bona malis nunc ſuperuacuis, & excedentibus. Quotuſquiſque non videt, & tractat manibus innumera vbique aberrantia, vbique obuia mala; bona autem à longè ſolùm numerat: inde cùm factio iniquæ fortunæ ſuperet fauentis cohortem, latiùs illa dominatur, nec vi vinci, ſed ingenio poteſt. Subtiliſſimum ſtratagema eſt, abſentiam contrarij in contrarium transfundere, & ſuis ipſis ſatellitibus expugnare infelicitatem. Hac arte numeroſiores copiæ bonorum erunt: nam, ſi carentia malorum, bonum eſt, mala plurima ſunt: nam, etſi multa lugeamus, pluribus caremus; non tot habemus, quot poſſumus: quare iam bona plurima erunt: ita ab aduerſariis ad nos trãſit exercitus, & alienis viribus vincemus miſeriã. Sed demus vinci: quid mœremus? ánne lacrymæ expiabũt infelicitatem; Audi Philemonẽ:

Ει τὰ δάκρυ' ἡμῶν, τῶν κακῶν ἦν φάρμακον, Si lacrymæ noſtra malis mederentur, & lugens ſemper dolere deſineret, vel aurum lacrymis commutaremus.
Ἀεὶ δ' ὁ κλαύσας τῦ πονεῖν ἐπαύσατο,
Ἀλλαττόμεθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον.

Inutiliter mœror impenditur malis, quæ non impedit: non adimit miſerias, ſed addit. Peruerſa & miſera iſta triſtitia eſt quòd ſit, & non malorum, & non mendicandorum: flet, quæ non poteſt tollere, & quæ non deberet. Ad hæc, iniqua ſibi ſupra malum, ſiue, vt veriùs dicam, ſupra opinionem mali laceratur. Odo Cluniacenſis ait: Calamitas, quæ momentaneam lætitiam, licèt mox tranſitura, concutit, quaſi infinita defletur. Non huic itaque inutili triſtitia vſui à natura eſt?

Nihilominùs, vt ad triſtitiæ modum accedamus, non omnis triſtitia miſeria eſt; ſed, quę ſine Cap. 65.
fructu eſt. Ne ſæpè inutiliter triſtemur, aliquando triſtari eſt neceſſe: triſtitiam vtilem dico, quæ remedium malorum eſt. Non ſine vſu iſtum affectum natura confectaſſet, nec niſi alicui bono. Neque leue bonum eſt, perdere mala: feliciſſimus mœror eſt illorum malorum, quæ auferre poteſt, & debet. Huic non eſt opus remedium adhibere; nam ipſe remedium eſt: quia iſte non malus; nam tollit mala: cum plauſu naturæ, & quadam illecebra eſt. Iſtam triſtitiæ laudem in duobus reperio malis, in culpis propriis, & pœnis alienis: non eſt data triſtitia parentandæ extinctæ fortunæ, ſed noſtris culpis: nam non eſt remedium eorum, quæ pateris mala; ſed, quæ facis:

Digitized by Google

facis? riuos lacrymarum ſub ſinum defluentes; quos iſte affectus mittit, ad argumentum puta officij: aliquid ſub pectus luere quærit: maculam cordis opinor: dat, vnde expietur: iſtam triſtitiam non putes miſeriam: ſiquidem tollit illud, quo miſer es. O fortunatum! ô lætum luctum, quo deſines eſſe lamentabilis! ô ſalubrem ægritudinem, qua ſanus fies! Iſta triſtitia, cùm ad guſtum ſit naturæ, minùs moleſta eſt. Et inter ipſas lacrymas, quibus euaporatur dolor, quid placidum guſtat.

Cap. 67. Ad leuandos quoque alienos mœrores noſter prodeſt: non leue remedium damni proprij triſtitia aliena eſt? Inter plures onus diuiſum, nulli eſt onus: diuiduntur mœrores, vt ſarcinæ: malorum ſolatium eſt conſortium: quemadmodum meticuloſi, ſi ſoli ſint in aliquo loco, trepidant; ſi cum ſociis, remittunt timorem: putant enim plures eſſe, qui reſiſtere malis poſſint, & proprium periculum, ſi commune ſit, aut minus futurum multis obſiſtentibus, aut languidius: ita qui mœret, communitate languentium ſperat maiorem reſiſtentiam, minuſque pertinax malum; neque diu durare poſſe, qui tot repugnant. Ad hæc, ex compaſſione aliena argutat iniquam ſuam paſſionem: præſumit iniuſtè pati, & quadam libentiſſima fraude expiatæ conſcientiæ ſe ſolatur: tum propter doloris communionem amari putat: lachrymæ ſunt gratiſſima amoris cæremonia: amari autem iucundiſſimum eſt: feſtiuitas beneuolentiæ extenuat mœrorem. Iſtæ igitur duæ triſtitiæ remedia ſunt, aliæ remediis egent. Denique varia varij pharmaca temperandi doloris præbuerunt; Epicurus, reuocationem mentis; Cleanthes putare nulla mala eſſe; Peripatetici, non magna; Plato, non certa; Chryſippus, detrahere mœſto opinionem mali, ſi ſe putat officio functum; Quirinus Sophiſta, quòd ſibi ſumpſit conditionem communem, extincto filio conſolantes ſolatus reſpondet: Quò reſeruo hominem eſſe? Nullum ego puto efficax remedium non mœrendi, ſi non ſit remedium cupiditatis: fortaſſe luctum adimes; non ſtultitiam, periculum lugendi.

DE ARTE VOLVNTATIS.

LIBER SEXTVS.

DIORISMVS I.

Circa differentias bonorum, & malorum.

Cap. 1. ERVDITIS voluntatis impulſibus, reſtant mentis aſſenſus ſpecialiùs quoque elucidandi, quos affectus contaminat, qui corrumpit affectum. Sæpè cupiditas perdit iudicium, ſæpè iudicium perditum reperit cupiditatem, aut reparat: vtrumque perniciosiſſimum, & illius pernicies, & huius ſalus. Mutuò ſe perdunt voluntas & mens; mutuò ſe reſtaurabunt: quare fauor voluntatis eſt, informare mentem. Oportet rerum aulæa contrahere, quibus oppanſæ latent, vt nudas, ſuáque ſinceritate perſpicuas exploremus ſine fuco & larua, ſequentes naturam, non famam. Ad ſingula veniam, poſtquàm per ſummam diſcuſſerim bonorum, malorúmque differentias, & naturam, deturbauerímque turbatas opinione imagines. Adoramus enim damna noſtra ſpecioſa boni fronte: abominamur bona primo & indiſcuſſo aſpectu territi. O diligentiſſimam ad inutilia ſocordiam hominum! Eradicant herbas, examinant fibras, ſcindunt, coquunt, eliquant, exenterant feras, inſpiciunt, extirpant neruos, diſtinguunt arterias. Herophilus, diligentiſſimus lanius naturæ, vt curaret, ſexcentos exſecuit: luſit per homicidia curioſitas: odit hominem, vt noſſet. Summa diligentia explorantur viſcera irrationalium. Rationem quotuſquiſque explorat? cur morborum cauſas, rerúmque naturas ſolicitè inquirimus; & non ſumus curioſi opinionis, laudis, fauoris, paupertatis, virtutis naturas ſcrutari, interna inſpicere?

Cap. 2. Plura glorioſum boni titulum apud vulgus vſurparunt quadam mali noſtri conſpiratione: poſuimus enim felicitatem in periculoſis: id autem minus ſunt, quod magis videntur. Percurre omne, quod adorat cupiditas, cui dedicantur vota, vnde ambitio ſuſpenditur, quod inuidiam occupat, quod vel parſimonia miratur, & quidquid cum tempore pergit, iniuſtiſſimè bonum dicitur, amentiſſimè putatur. Lux eſt, quod lucidum reddit; calor, calidum. Fortunæ titulus effectus eſt. Cur, quod te bonum non facit, faciet fortaſſe peſſimum, bonum putas? Non eſt bonum, quod bonos non facit. Is putet voluptatem bonam, quem bonum fecit. Opes, ſi probos plures, quàm iniquos fecerunt, probentur: ipſum vulgus, quod probat diuitias, exprobrat diuites, & iniurias potentium vindicat inuidia, aut odio. Sæpiſſimè diuites ſe malos faciunt, cæteris mala. Quin, nec diſſimulare noſcunt iſta bona imbecillitatem ſocietate bonorum: rariùs in bonis morantur, improbos affectant, atque ex amore malorum boni amittunt famam. Ad hæc, Deus tutò bonus eſt, & amat bonos; quibus tamen minùs iſta tribuit: certè quia non ſint bona. Aut Deus malus eſt, aut illa non bona: quia magna neceſſitate Deus bonus eſt, illa non ſunt: diſtribuit etiam malis & his plura. Vult hoc conſilio reuerentiam horum bonorum perdere, vt pudeat id cupiiſſe, quo frui licet peſſimis; licet & brutis; quo Deus caret.

Digitized by Google

Cap. 3. Adiice, quòd nihil ita efficax & vtile eſt, quàm bonum. Bonum eſt, quod prodeſt. Anne proficiunt, quæ nec faciunt te bonum, nec tollunt mala? Grauedinem capitis aureum diadema non leuabit, grauabit potiùs: anguſtias cordis munus in arca ſidens nō laxabit: dentium dolorem delicatus non mitigabit cibus. Quid, ſi humanæ dignitatis ſuſpicias finem? Inutilitatem miraberis, nec bona audebis dicere, cenſebis nihil, inutilia, & ſuperuacua. In quo diſtingues, inter ſuperuacua & nulla? Quænam eliges? Eſurienti, ad remedium famis, perinde erit, ſi nihil offeras, ac ſi lapidem: ita quæ remedium malitiæ tuæ non præſtant, quæ ad virtutem non ducunt, quæ ad Deum non trahunt, ſuperuacua tibi ſunt; ſi ſuperuacua, non plùs quidem quàm nulla; ſi nulla, iam non bona. Modeſtè hactenus inutilia, aut ſuperuacanea dixi; ſunt noxia, & quæ non tollunt mala, ſciunt addere. Non eſt neceſſe narrare diſcrimina, alimenta ſcelerum, ſolicitudines.

Cap. 4. Præterea, magnum momentum addit tempus titulo bonitatis, quem defectura non merentur. Bonum, & integrum idem æſtimo, ergo bonum erit ſine defectu. Quomodo ſine defectu erunt, quæ defectura ipſa ſunt; quibus deformitas ſui exitus fœdat? Deficientia ſunt iſta, iam non bona, iam deformia cum tanto ſuæ adhuc eſſentiæ defectu, cum ipſius ſubſtantiæ enormitate. Non ſunt bona, quæ peiora erunt, quò fuerunt maiora: menſura calamitatis eſt, antecedens felicitas. Tum lances, & calices à conſiſtentia æſtimamus; vitreis præferimus argenteos, & aureos; non credo, ſi aurum fragile eſſet, vitrum tenax ſui. Fragilia tempore ipſo ſine vulnere per ſe hiacentia ſtultè putat diues bona,

Cui, licèt aduerſis ceſſantibus omnia parcant,
Lege tamen mortis ſit faciendus inops.

Vides ex his bonis neceſſitatem miſeriæ iuxta diuinum Proſperum, qui tamen attentus fuit excipere virtutem, & expiare tanta calumnia;

Omnis virtutum ſemper ſubſtantia ſalua eſt.

Cætera neceſſariò mala erunt, aut tu miſer. Quid delibero? quid dubiè pronuncio? Neceſſariò tu miſer, ſiue mala, ſiue bona ſint: ſi mala, iam cum malis beatus non eris, ſi bona, iam ſine bonis infelix eris, & iam hoc ipſo bona non erunt, cùm mala inferant, cùm miſeriæ ſternant viam: duplex autem via eſt, aut cùm illa te relinquunt, aut cùm tu illa; alterutrum neceſſarium eſt.

Cap. 5. Accedit varietas ſententiarum in bonorum complacentia: veritas vna & eadem eſt; error multa membra habet, varium vultum. Omnes homines, Aneſidemus dicebat, bonum rati id, quod ipſos cuiuſmodicumque capit, de ipſo ferunt pugnantia inter ſe iudicia. In ipſo conſenſu bonorum magnus diſſenſus eſt. Veniat in medium patentius bonum, quod minùs opinio corrupit, quod non tam ipſa, quàm natura fecit, decus. Quantum diſſidium circa formam eſt? Æthiopes nigrorem & ſimitatem commendant? Perſæ aduncitatem, & candidam cutem; alij mediocritatem. Quot item diſſenſus voluptatum ſunt? Quid dixero de aliis, quibus non ſe immiſit natura: ſed magnum opinionis peccatum magna fecit? Quot diſſidia in cultu, in cæremoniis exhibendi honoris, in habitu? Certè nihil erit, quod certò ſciri nequit, quid, & quale ſit. Nullum certum bonum eſt, in quo tot errores ſunt.

Exhibeo quoque conſcientiam tuam hæc ipſa condemnantem bona, quæ commendat; commendas, dum optas tibi; condemnas, dum ſolùm tibi. Mala quædam horum bonorum fides quæſiuit patrocinium vnitatis: ſummi enim boni eſt vnum eſſe: vides omnia cæteris bonitatis priuilegiis deſtituta, & titulum ſolùm vis defendere ſingularitatis, ſi ſolùm in te ſint ad inſolentiā auaritiæ. Quid, ſi aſſecutus ſis, quæ vota diſtraxerunt? Non eris contentus, ſi omnia poſſideas, niſi ſolus omnia. Erras, ſummi boni eſt vnum eſſe, non vnius; commune quid & publicum eſt; vnum eſt, ſed omnium. Quid maius Deo bonum? At Deus omnium eſt, & communis cenſus: iſta, quæ tu putaſti bona, cùm vnius dumtaxat ſint, bona non ſunt. Quare? quia quòd vnius ſint, nulli proſunt: in primis aliis non proſunt, dum tua ſunt. Debent deſinere eſſe tua, vt incipiant proficere aliis: nummus, niſi alienes, alij non proficiet, adiiciam, nec tibi. Quid; non proficere, dixi? nocent, dum tua ſunt, quia vnius: & ne alia damna, curas, pericula memorem, inuidiam interpono. Satis magnum malum eſt, cui magnum malum appendix eſt. Cap. 6.

Iam illam, quam iactant, bonitatem diſpiciamus: ad argumentum potiùs malignitatis erit, quantumuis ſe diſtendant, tumeant, rumpantur, patuulam boni ſpeciem effingunt, mutuantia illam, non ab aliis bonis, quorum potiùs dilabuntur præſentia, & velut ſui pudentia effugiunt; à malis mendicant: qualis bonitas erit, quam mala præſtant? Incommoda paupertatis, quæ ſola eſt recuſantibus grauis, commendant diuitias: fames exaggerat voluptates cibi: valetudini pretium morbi dederunt: debent malis eſſe bona, id eſt, videri; id, quod ſunt, in aſpectu eſt: id mirum, cùm totum, quod ſunt, habeant, quòd videantur; illi, qui plus vident, minora vident, aut non vident. Certè non res, vmbræ ſūt, pro maiori cōtrahuntur luce, Adiunge, quòd ſequentes fugiant, apprehenſæ manum non implent. Non aliter hunc expectes mundum, quàm domum infeſtam laruis, & ſpectris; aut magicis procuratam veneficiis; vbi omnia voluuntur, franguntur, periclitantur indemnia; videntur pericula & terriculamenta; non ſunt: omnes tuti erunt, niſi à timore ſuo; non timentes, ſecuri. Expende tamen, quàm procul ſunt, vt bona ſint, quantùm ſunt procul, vt te bonum faciant: iſtud colliges, quòd tu potiùs facias bona. Longè ſunt, quòd tibi præſtent, quod à te deſiderant. Facis illa bona, non dico vſu ſuo, ſed tuo mendacio: tantò ſunt bona, quantò tu falſus putando, imò quantò malus te fallendo. Anne vera bona erunt, quæ fraus fecerit, quæ malitia commendauerit? Opinioni deceptæ debent ſpeciē à longè ſolùm renidentem. Velut in agris quidam lapilli ſpeculares ſcintillant diſſiti? ſi quærimus proximè, non videntur: ita iſta putamus bona, cùm caremus ad tormentum cupiditatis. Cùm iuxtà poſſeſſio locauit, contrahunt illam ſpecioſam frontem, qua nobis illuxerunt cæcis. Qui imbecillis ſunt, aut mero occupati cerebri, noctu vident luces, quas faciunt, aut augent. Corpora alienæ lucis non ſemper, ſed à ſitu & interuallo, & obliquè micant. Non habent propriam Cap. 7.

priam bonitatem, quæ, cùm diſtant, non cùm adſunt, oſtendunt: ita cupiditatis votum, faſtidium eſt; tædet adeptos, quod adepturos torſit; contrahunt temporum qualitatem temporalia, quæ ad imitationem annorum amamus; futuros optamus, quos habemus, dolemus: nemo eſt, qui ſenſum non optet: quotuſquiſque cum illo gaudet? Plurimarum rerum totum ſpes conſumit gaudium. Velut venatores oſſibus alunt canes, vt venentur feras, quas, cùm ceperint, ab ipſis auferunt: ita ſpes ſicco quodam gaudio nos alit; mox, cùm conſequimur, lætitia priuamur prædæ.

Cap. 8. Fecit præiudicium ſenſuum iſtam damnandam opinionem, quorum iniuria coætanea nobis eſt: ratio natu eſt minor; anticipant enim ſēſus ſententiam bonitatis, quàm ſera ratio refellere vix poteſt. Firmatam reperit antiquitate, probatam votis parentum, maledicto æqualibus, qui, ſi benè amaſſent liberos, contraria precarētur, credo, & curarent. Aërij genitrix maluit perire, quàm filium regnare: recuſauit fortunam, cui maximè optatur: nec inuidia fuit, ſed amor. Præſtat fortunæ, non dico, mediocritas, ſed infelicitas. Miſeris non deerit ſolatium, deeſt fortunatiſſimis conſilium. Poſt tot iniurias opinionis vnum vſum agnoſco ad laudem virtutis nouitiæ. Parum eſſet reiici, ſi quod ſint res, æſtimarentur. Creſcit meritum, ſi virtus comprimat cupiditatem; quorum æſtimationem præhabuimus: ſi ſenſum cum anteceſſione currentem ſuperet ratio, ſi cupiditatum licentia per antiſtrophen faciat temperantiam. Eleganter & ſalutariter Maximus in Theologicorum Centuriis ait: Χρὴ ἐμφρόντως σκοπεῖν τε, καὶ μελετᾶν, πῶς τὴν καλὴν ποιήσεται δεόντως ἀντιστροφὴν, τοῖς δ᾽ ἂν πρὶν ἐπλημμέλει χρωμένη πρὸς γένεσιν ἀρετῶν, καὶ ὑπόστασιν. Atqui demus omnia bona eſſe: ad pudorem noſtrum eſt, eſſe peſſimos inſtrumentis bonis. Cur, ſi placent ficta bona, nos, qui verè mali ſumus, nō diſplicemus nobis? Pertinax malitia eſt, inter bona, bonum non eſſe; impudica malum eſſe complacentiâ bonum.

Cap. 9. Cæterùm, reſtauremus quoque ignominiam eorum, quæ vulgus infamauit nomine malorum: non ſunt. Mala putat, & publicat paupertatem; poterat & ſecuritatem, pari elogio damnat labores; credo, ſi benè attendis, & patientiam: errat: iniquè mala pronunciat, quæ malum non faciunt habentem, ſed aliquando bonum, ſæpè meliorem: faciliùs bonitas creſcit, quàm naſcitur: aduerſa non te miſerum faciunt, ſed fuiſſe oſtendunt; non te malum reddunt, ſed tegunt. Proſperitas humana lacerum inuolucrum eſt miſeriæ, quam diſſimulat, per rates tamen tranſpiciendæ. Tegit miſeriam, imò auget, non aufert: innocentior, & veridica aduerſitas eſt. Deus hæc ſæpiſſimè in bonos, quos amat, diſpenſat; qui delectu non errat, qui amare non deſinit: non ergo mala credas, quæ optimus dat, aut bonis, aut vt faciat bonos. An mala erunt, quæ ſecundum præſcriptum Chriſti beatitudinis ſunt ſedes? quæ melior omnibus, præſumpſit ad documentum delectus; cui alimentum fuerunt labores, veſtitus paupertas, gloria humilitas? Iam, poſtquam iſta dedicata ſunt in perſona diuina, reuerentiam maiorem merentur. Blaſphemiæ quoddam genus eſt, dicere, aut putare mala, aut reiicere, quæ Deus & probauit, & commendauit. Quid? quæ non bona tantùm, beatitudines dixit. Quadam diuiniſſima contage quid bonum, quid diuinum ex diuinitate contraxērūt: velut quæ vnguentis ſuauiſſimis & aromatibus coniuncta ſunt, ſimilem contrahunt odorem; coniungendis communicabūt: ita paupertas, labor, humilitas ſpirant quid diuinum. Buſta clariſſimorum virorum reuerentur etiam non clari: Sanctorum colimus reliquias etiam mali: labores, patientia, paupertas, ſubiectio, reliquię Chriſti ſunt; has cole, & ſerua: præſidium maximum erunt. Aduersùs quem putas? aduersùs te. Si reliquias corporum adoramus, cur animorum negligemus? Corporum reliquiæ oſſa ſunt; animorum, virtutes & doctrina. Reliquias ſanctiſſimæ Chriſti animæ veneremur, portemus; amuleta erunt cupiditatis noſtræ: flectamus genu ſanctiſſimis laboribus, ſacram oſculemur paupertatem, ſinum noſtrum conſecremus patientia. Si Crucem adoramus, quòd in illa paſſus ſit Chriſtus; cur ipſum pati non ſuſpicimus? cur patientiam non ſuſpicimus? Igitur non iſta ſunt mala, quæ Dei coniunctio veneranda facit, quæ bonis coniunguntur, faciunt, quærunt. Ariſtoteles dixit, fugitiuam à malis paupertatē ad bonos confugere. Prudenter quidem prouidit: illam boni non irato repellunt ſupercilio; non eiiciunt contubernio ſuo: à malis ſtatim impellitur, & quibuſvis peſſimis artibus è domo conantur trudere.

Adeò commutatis nominibus vulgus errat malè infamando, quæ honorare, imò adorare debuit: bona acclamando, & peſſima votorum cōſecratione celebrando, quæ odiſſe ſatius fuiſſet: quamuis, ſi ſincerè & nudè omnia diſpiciamus, neutra, aut bona, aut mala ſunt, niſi faciamus. Cap. 10.
Vſus nomen imponit iuſtum: nulla ſunt bona, ſi malus es; nulla mala, ſi bonus: nemo eſt id, quod ſpecies ſolùm dictat. Quid refert, patiaris mala, ſi te bonum relinquunt? iam non malè te habes, cùm bonus maneas. Cæterùm, quid intereſt, non patiatur mala, qui malus eſt? nec ponit malitiam vacatione malorum. Certè non benè ſe habet, qui ſe malum habet; iam in hoc malum grauiſſimum patitur, nam ſe patitur. Iſtud grauius, quòd non in ſolo corpore, in animo ſe patitur & conſcientia, cuius ſenſum fallere nequis, nec magnitudo ictus ſtupidum faciet. Quot impetus cupiditatum efferociunt? quot metus inanes cædunt? quot curæ lancinant? quot opiniones atterrent? quot phantaſmata ſecuriſſimos conturbant? omne vulgus affectuum tumultuatur: mala, quæ ſunt, cupiditates dico, & harum progeniem, vitia, inquieta & ſibi obſtantia ſunt. Vbi, putas, pax erit, niſi vbi nullus, aut rarus hoſtis? Non itaque fœdus, nec tranquillitas vera erit, vbi mala iſta ſunt vera; & ſunt plerumque inter falſa bona. Malum in primis eſt contrarium bono, deinde etiam malo: ſe ipſa mala deſtruunt, ciuile gerunt bellum: at bonum omne bono eſt amicum. Iſtam concordiam adhuc in malis non habent mali. In his veriſſimum vides Clidemi dictum, ex carnificibus duobus compactum hominem, corpore, & animo: corpus laſſitudine, inopia, fame excruciat; peius tamen peſſimos impatientiæ beneficio: anima autem curis, metibus, votis, ſceleribus. Hoc caret tortore bonus: alterum mitem habet, habet exermem; ſine ſecuri, ſine ferro cæditur, ſine impatientia, quæ malorum

malorum eſt acies,& cuſpis. Cum iſta bonorum tædet:ſine illa nec mala faſtidimus. Tutus inter mala bonus eſt; tortus inter bona malus.

Cap. 11. Nunc vera conferamus bona, non ab alieno titulo, quæque ipſa appellatione honos commendauit. Hæc honeſta ſunt. Duplici iſta nomine merentur boni gloriam,& quia ſunt bona,& quia alia non ſunt:ſuperfluit illis magnitudo ad titulū vendicandæ cupiditatis. Certè,ſi minima eſſent bona animi, ſola appetenda eſſent: qui caret alia cibo, & minimo & acerbo vtitur: non ſunt alio per ſe, & ſine his bona: quid niſi hæc appetituri ſumus? magnum faceret bonum virtutis, licèt exiguum eſſet, vnitas alterius boni. Pretia auget raritas mercis. Bis iam magnum bonum honeſtas eſt, & quia maximum eſt, & quia ſolum: certè & quia rara eſt. Si adiiciamus cætera potiùs mala, aut eſſe,aut fieri,& plurima & vulgaria, iam tertiò magnum bonum dicas. Adiice ad ſupputationem magnitudinis communicationem: adeò bonum virtus eſt, vt afflatu ſuo omnia recreet, omnia reddat bona. Magnum & perfectum eſt, à quo aliud eſt tale: nihil exundat, quod plenum non ſit. Animalia, niſi iam perfecta, non generant: nihil dat alij, niſi quod habet. Virtus omnia bona facit,dum gubernat:iſtud patentiſſimum indicium eſt:ſolā virtutem bonum noſtrum eſſe:nihil enim, niſi illa,te faciet bonum. Optima igitur erit,quæ bonos,& bona facit. Iniuſtè illi, quos diuitiæ, potentia,ſanitas, robur,honores, & quidquid vulgus extollit titulo bonorum,malos reddunt,beati dicentur. Deeſt plurimùm felicibus ad felicitatem: deeſt vſus. Parúmne videtur? deeſt rectus vſus. Omnia ſine vſu inutilia ſunt;omnia inutilia ſuperflua: nō igitur poſſeſſio iſtorum bonorum ſola felicitas eſt. Nec enim ſuperuacuum, aut inutile eſt, beatum eſſe. Atqui vſúſne ſufficiet? ſi bonus, vtique; ſi malus, nocet: rectus autem vſus ſolius virtutis beneficium eſt. Sine virtute nullus felix erit:ſolùm ille minùs miſer, qui minùs felix. Qui minùs iſtorum poſſederit bonorum, tantò minùs malè aget, quantò pluribus caruerit:qui malus eſt,quantò minùs aget, tantò minùs aget malè, tantò minùs errabit, tantò minùs miſer erit: aget autem minùs,ſi infirmus, ſi ægrotus, ſi pauper, ſi alieni iuris, ſi non ſui.

Cap. 12. Repetamus ignominiam bonorum,quę celebrat cupiditas, quæ occupant inuidiam: collationem non ſuſtinent. Certè nulla ſunt,quæ collatis cum maximis minora non ſunt:quæ collatis cum minimis non ſunt maiora. Non vides, quidquid inuides in Amano,vbi oſtendit fortuna,quid poſſet? Opes, potentiam, gloriam,voluptatem ſceleſtiſſimo dedit minori fortaſſe nemine præter ipſam, niſi infidelitate ſua expiaſſet temerarios fauores, dum quem immeritò extulit, deturbat meritò. Omnem iſtam fortunæ iactantiam,dum confertur,videbis neglectam:nihil omnia dixit præ Mardochæi poplite. O magnitudinem fortunæ, quæ compoſita cum te tā ridicula, non minor, non exigua, ſed nulla eſt: Quid erit,ſi conferas cum feria bonitate virtutis Si vmbra diſſipauit totum ſplendorem, quid Sol faciet? Si imperare, ſi infercire theſauros, ſi innatare deliciis præ obſeruantia ſerui nihil putauit auariſſimus homo,& mollis, quid erit præ honeſtate,quid præ veneratione virtutis? quam, vt relinquam, quantùm ipſe Deus colat, omnes etiam mali cum pudore verentur. Gratiſſima res virtus eſt;etiam peſſimi laudant.

Cap. 13. Nolim perdere operam in commendatione eius rei, quam omnibus adhuc improbis commendatam video, etiam ſupra id, quodcumque vota fatigat. Certè & iſtud ad iniuriā bonæ ſpei videtur, quòd peſſimi emendari non poſſent virtutis æſtimatione,cuius illis opinio non deeſt; nec tamen ſuis deſunt vitiis: niſi cum diuiſione viderem pretia dari,ęſtimant virtutem alienam,nō ſuam. Nihil pretioſius eſt virtute, nihil ipſa contemptibilius:nihil pretioſius,dico,aliena virtute,quam ſupra faſtigia fortunæ ſuſpiciunt, etiam illi, quos fortuna ſubornauit: nihil contemptibilius virtute propria,quam viliſſimo vendimus. Quid vilius flagitio,ſcelere,voluptate,periculo,cupiditate fruſtrāda? Extraneæ merces pluris in aliena regione illas non ferente æſtimantur.

Cap. 14. Iſtam negligentiam propriæ virtutis quædam vilitas noſtra facit. Diſpungimus nos ex albo rationis:nobilioris palati iſtum putamus cibum,atque excellentioris naturæ dotem,nóſque excerpimus probis,iuſtiſque, iniuſta humani generis partitione: in duas enim findimus partes humanam naturam. Suſpicimus iuſtiſſimos,ſanctiſſimos,fideliſſimos virtutis alumnos, vt alienæ à noſtra ſpeciei viros,quorum actus ad nos non ſpectarent. ideò laudamus ſine inuidia imitamur ſine imitatione, quam aut irritam, aut nobis non conſentaneam cenſemus: non aliter quàm equum à prolixo crine commendamus; ſed nos capillum non promittimus: gloria illa animalis eſt extraneæ naturæ, non noſtræ: ideò, quod in equo tribuimus laudi,in nobis contemnimus. Canes à perſecutione,& morſu feræ æſtimamus; nos rictum illibatum & innocentem ſeruamus. Negamus ad nos ſpectare alterius generis laudes. Ita nobis extraneam virtutem putamus: laudamus, non imitamur; & quos illa exornat,alieni credimus generis, aut diuini:aut reputari ſunt proximi Deo, aut Dij. Idem mihi tacitè videtur accidere omnibus, quos probitas eximia extulit,quod Pythagoræ,cuius frugalitatis admiratio ad contemptum hominum ipſos homines induxit, vt ſe ab imitatione excuſarent, excellentius illum humana crediderunt natura; ſic illi admiratores ignaui genera diuidebant, aliud Deus, aliud homo, aliud Pythagoras. In tertio genere locabant nouum bipedem humanis maiorem. Vulgus ita canebat:

> Ἄνθρωπος δίπους ἐστὶ, καὶ ὄρνις, καὶ τρίτον ἄλλον.

Bipes eſt homo,& auis, & tertium aliud.

Per tertium bipedem, præter hominem, & auem, Pythagoram innuebant. Cauſatur inertia, & vilitas noſtra maieſtatem virtutis, quam, vt minùs imitemur, plùs admiramur: diuinum bonum putatur, ne teneantur æmulari humani. Nónne prouidentiam naturæ irritam facimus, quæ ſpem virtutis admiratione voluit incitare? Nos ad deſperationem torſimus, & & eius, cui diuinos multi conſecrarunt honores, nihil aliud voluerunt, niſi carere, imitari.

Vide, quantam ſuggerat Deus Barbaris,peſſimíſque, opinionem virtutis;penè vſque ad ſui detrectationem. Irreprehenſibilis vita,tota vna,

tota

tota ſui, tota omnium, tota vera, cæleſtes viros, Franciſcum Xauerium, & Andream Ouiedum, Deos mentita fuit impiis: Numina ſimulabant Xauerius adhuc ſuperſtes, Ouiedus etiam defunctus. Adeò penè cum iniuria Diuinitatis diuina fuit habita virtus. Inuenio mandatum ſcriptis extranei Auctoris, qui ab oculatis teſtibus fatetur accepiſſe, Iaponios Boncios coëgiſſe comitia, vt Xauerium conſecraſſent Deum, ara, ſacrificiíſque colendum? miſiſséque ad illũ nuntios (vt olim Baptiſtæ) per quos diuinos referret honores. Gloria eſt Chriſtianæ religionis tales educaſſe viros, per quos ipſa religio poſſet ita periclitari. Reſpõdit humillimus Pater: Indignus ſum, quòd creatura ſim; & vultis, Creatorem eſſe. Nec Barbaris viſa fuit humilitas indigna Deo. Non potuit obſtare Xauerius, quin procumbentes in genua pedes ſuos adorarent oſculis. Sic quoſdam conſecrat virtus vſque ad ſimulationem ſinceram Deitatis. Quemadmodum ſunt imagines & ſigillaria, vitales naturæ humanę motus, actionéſque referentia, tacito quodam neruo intus agitata, quæ fidicula, cùm vna ſit, multipliciter gubernat, & componit ſimul ad varios geſtus hominis: ſimili artificio gratia per vnam cordis fidem & charitatem agitat eximios aliquos viros ad diuinos actus, vt nihil niſi diuinum, nihil niſi cæleſte monſtrent, tanquam factitia quædam Numina, & ſigna Dei. Vigor animi, maieſtas vultus, ſuada ſermonis, beneficentia manus quaſi Diuinitatem aliquam obiecit Barbaris Xauerium. Non eſt hebetior gratia diuina, quàm ars humana. Multos fefellit pictorum peritia: imago ſubſtantiam ſimulauit. Fulgor quoque virtutis Andreæ Ouiedi adhuc poſthuma luce pro funalibus ad ſepulchrum micuit, quò ſæpiſſimè conueniebant infideles venerabundi; oſſa colebant, incenſo thure, vario aromate, oblationibus, iuriſiurandíque ſacramento tranſacturi maiora negotia, quæ iuris ſubtilitas non poterat expedire, aut auaritia non ſinebat; contendebant ad Patriarchæ Ouiedi oſſa religione dirempturi lites. Quin velut ad clementiæ aram illuc prece nõn fruſtrà fuſa, importunè mittebant vota, reparabant ſpes.

Cap. 16. At, non miror veram adoratam virtutem, ſi ficta pro Diuinitatate fuit: tam vicina Deo eſt, vt non ipſa, ſed vmbra ſua, Deus putaretur. Proxima confundit longinquus intuitus. Zamolxidi ſacra dedit, Hermotimo templum, Pherecidi aras: propè fuit Samius diſcipulus; honores magiſtri, mediam inter Deos & homines claſſem, Ariſtotele & Iamblicho conteſtibus, deputarunt admiratores eius. Quantùm tamen noſtræ religionis virtus, id eſt, vera, antelucea virtutem ſuperſtitionis, id eſt, fictam, Xauerius oſtendit, quemadmodum proditum litteris inueni. Neque inter homines, neque inter Deos illum accenſuerunt Ethnici, non mediam illi claſſem dedicarunt, ſed ſupremam: neque hominem putabant, neque Deum. Quid? ſupra Diuinitatem. Anne caligarunt luce virtutis? ſuperiorem melioremque ſuis Diis, quod veriſſimum erat, cæci ipſi viderunt, dixerunt.

Cap. 17. Cæterùm, quàm liberaliter virtus æſtimatur, tam miſerè quæritur. Iniqua animi partitione collimus intellectu virtutem, voluntate vitia. Huius cauſam reor peſſimam vulgi vocem vtilia ſubducentis ab honeſtis. Iſta falſa diuiſio nos diſtrahit: honeſtatem nequimus non vereri, vtilitatem magno abſtractam errore ab honeſtate perſequimur. Fallimur: nihil vtile, niſi honeſtũ, quia ſine honeſto nihil prodeſt; cum illo omnia. Præterea ſint alia vtilia, mutuò accipi poſſunt; commodabit vicinus, etiam malus, extraneus, ſi bonus. Quid? Subſtitui alia poſſunt? aliis compenſari poſſunt; ſola virtus ſine vicario eſt, & ipſa rerum omnium vicaria. Sola virtus mutuum non admittit, nec precariò quæritur; ideò ante omnia præparanda eſſet; præcipuum eſt vitæ inſtrumentum, neceſſarium viaticum. Quem tibi putabis vtiliorem, qui commodat, aut mutuat, an qui dat? Plùs dices liberalem prodeſſe, quàm mutuantem. Fortuna ad ſummum commodat, eadem repetit: natura mutuat, ſimilia exigit: virtus dat, nulla reuocat. Quid moror? Eligenda eſſet honeſtas periculoſa, quàm vtilitas tuta: ſed præter honeſtatem, puto, nec ſecuritas eſt, nec vtilitas, non dico tuta, ſed vlla. Seriò Phocyon ait: Hæc lex diuina, vt vna virtus ſolùm ſit potens, reliqua nugæ: potens eſt illa ſola prodeſſe: quidquid iuuat, per illã iuuat. Diſtinxit Sextus ex placitis Stoïcis genera bonorum: in primis illud, ex quo, & à quo licet iuuari: iſtud præcipuè dicit virtutem: ab ea, vt fonte, manat naturaliter vtilitas. Aliud eſt, per quod accidit, vt iuuemur: hoc genus actiones virtutũ intelligit. Tertium, quod poteſt iuuare, iuſtos ſignificat animos, Angelos, Deum. Itaque omnis fauor, omne emolumentum virtus eſt, aut virtutem reſpicit; ſiue à virtute ſit, ſiue per ipſam: ex optima ſobole bonorum eſt, ſincera, pura, ſine damno iuuantium, imò cum lucro. Nummos, ſi iuues alium, perdes, quibus iuuas: virtus, cùm iuuat, iuuatur, creſcit ſubſidio. Feliciſſimum diuitiarum genus credo, & vnum, nempe, verum. Hippocrates ita monet Abderitarum Senatum: Οὐκ ἔστι πλοῦτος, τὸ πανταχόθεν χρηματίζεσθαι, μεγάλα γὰρ ἱερὰ τῆς ἀρετῆς ἐστὶν ὑπὸ δικαιοσύνης οὐ κρυπτόμενα ἀλλ' ἐμφανία ὄντα. *Non ſunt diuitiæ pecunia undequaque comparatæ: magna enim ſunt virtutis ſacra, quæ à iuſtitia non teguntur, ſed in apertum ſe proferunt.*

Putemus igitur, cùm virtutem audimus, cum reueremur, ad nos pertinere tam liberalem, tam propitiam, tam commodam, tam diuitem, tam pulchram in nobis futuram, quantùm in aliis miramur. Non eſt omninò bonum, quod vbique non eſt: modeſta & innocens inuidia eſt admiratio. Quomodo admiramur virtutem, quam reiicimus? Homo es: dotem, & frontem humanæ gloriæ admitte; ad te ſpectare poteſt: non alieni generis decus, tui eſt. Si in diuinis viris eſt, eſt, quia facit. Vnde? Ex hominibus; &, vt mireris, ex malis. Vis ſcire ad te ſpectare virtutem: ſpectat ad ſimiles tui. Cur eam præſumis, quorum meliorem te præſumis: omnes meliores vis, quàm ſint. Cur, qui reliquis virtutem cupis, tibi nec poſſibilem putas? Ne iniuſtè vota diſtribuas. Sic te deſidera, vt alios: ſic alios ama, vt te. Cap. 18.

Cap. 19. At, ſit virtus extraneæ naturæ decus, cur illâ, id eſt, modeſtiâ tenus modeſti ſumus, & nõ perfringimus clauſtra aliena? In brutorum nos naturas intromiſimus; cur nolumus in diuinam? Audacia æternæ laudis eſſet terminos violare alienos, vt tantam ſuffuraremur gloriam. Animalium proprietates alienas contraximus: leonibus ſurripimus iram: ſacris vſurpamus libidinem:

nem:lupis, & accipitribus ſuffuramur furacitatem,rapimus rapacitatem; purpuris gulam, coruis ingratitudinem, murænis perfidiam, formicis auaritiam, polypis ſimulationem, ſtellionibus inuidiam, vulpibus fraudes, paſtinacis voluptatem; ánne pericula, quod conſequens eſt? Centones brutorum ſimus. Si vitia auſi fuimus imitari;quid non audebimus?quod ſacratius habent, temerauimus; nec ſecuriſſima territoria, Oceanus,& ęther,immunia ſunt noſtra audacia. Leonardus Vincius auium, Nicolaüs Vrinator piſcium vſurpauerunt priuilegia:ſi in his futilibus;ſi in peſſimis violamus naturæ ritus & fas; quæ impudens modeſtia eſt, quæ iniuſta obſeruantia,contineri, ne continens ſis, ne iuſtus,ne bonus? Soliciti & temerarij ſumus, vt fiamus feræ & bruta:ignaui,vt diuini.Quæ maior ignauia,quàm magna diligentia,qua magna amittimus bona, id eſt, bona. Satis eſt ad magnitudinem titulus bonitatis. Amittimus virtutem, amittimus id bonum, quos nos bonos facit, quod mali nō habent;cuius magnitudo opinionem ſuperat;cuius vtilitas opem; cuius pretium vitam.Nullo virtutem taxare pretio potes, quod viliſſimum,& iniuſtum non ſit.Quid,ſi ſpectes, quàm carè æſtimas vitia, quàm ſublimem taxationem viliſſimarum rerum feciſti? Aſpice pretium,quod impoſuiſti auaritiæ, voluptati, imò pœnitentiæ;magnos labores vitæ,ipſam,ſi opus eſſet, vitam. Pudeat non minoris parare lucra, quàm damna:

*Cap.*20. Reuoca, quantùm pro virtute Antiſthenes, aut Zeno, aut Crates aliqui, quibus mortalis fuit,ſunt paſſi, rigorem illum, & odium voluptatis, propè & naturæ: fame, frigore, æſtu, paupertate,nuditate,laboribus quæſiterūt, quam nos æquali perdimus diligentia:magnis amittimus laboribus maiora bona.Ad hæc,non virtutem omnes illi quærebant, quibus ſolida non fuit: ſimulacrum eius mactatis cupiditatibus adorarunt:velut enim coram Imperatorum ſtatuis ludi olim celebrabantur;ita Philoſophis feſtiua fuit ſtatua virtutis:ludos præ illa fecerunt, quidquid vulgus magni fecerat. Adiice, quod Stoïci mortales animas rebantur,nec præmium virtutis expectabant, niſi ipſam;gratis illi laborarunt. Nos poſt ſupplicij poſthumi formidinem,poſt gloriæ ſpem, maxima emimus ignauia ignominiam noſtram. Dices, errore priſcos inductos ad diligentias illas: putarunt beatitudinem,aut ſolam virtutē eſſe,aut præcipuè.Antiochus,qui humiliùs Zenone docuit,ſolùm negauit beatiſſimam vitam virtutem; dixit tamen beatam. O ignaue, iſta te exceptione damnas. Cur piges? Sine virtute beatitudo non eſt:nihil fit ſine inſtrumento ſuo:tale illis viſum medium fuit,quod putarent finem: te non excuſabit veritas:plùs debes ſequi virtutem,quòd beatitudo non ſit, quàm ſi eſſet.Inſtrumentum beatitudinis maioris eſt nos per virtutem conuiuantis. & ad cuius exemplar eſt. Nihil deeſt virtuti:per ſe ſufficiens eſt vitæ, ſi non beatæ, beandæ nunc bonæ & lætæ,& inter miſerias huius vitæ felicis.

*Cap.*21. Anne bona miſera & conciſa mauis defendere felicitatem? Conſentis cum miſeris perdentibus, dum quærunt beatitudinem: res integra & indiuidua eſt.Cur partes quęruntur?Dum diſſecatur, quod integrum placet, perditur. Cauſa erroris humani & certiſſimæ infelicitatis,felicitas diuiſa eſt:non indigere beatitudinem putarunt, diuitias adorarunt honorificio felicitatis titulo: alij imperium,& honorem, quos ſumma potentia timidos fecit:alij voluptatem,qui lætè viuere iudicarunt benè viuere.Errarunt diuiſione rei indiuiduæ, ſufficientia, potentia, lætitia idem ſunt, & tantùm ſunt, cùm idem ſunt, vt beatitudo ſint;cùm ſcinduntur,nihil.Qui vnum ſine aliis quærit, ipſum, quod cupit,non inueniet: iuſta repulſa votorum eſt, minùs petiiſſe. Quod nihil indiget, non indiget potentia.Itaque & ſufficientia & potētia,ſocia, aut eiuſdem naturæ ſunt:tum, quod ſufficiens, quod potens eſt,non poteſt cōtemptibile eſſe. Iam ſufficientiæ,& potētiæ authoritas accedit:accedet & lætitia.Vnde triſtis erit,cui nihil deeſt? Igitur ſine membris beatitudo eſt. Vnum eſt,quidquid illa eſt,& pro omnibus eſt:nos,cùm in artus diſtinguimus,deſtruimus,& laniamus.Diuitiæ honorem deſiderant: non igitur opulentia eſt felicitas, cùm egeat parte felicitatis. Voluptas cupit honorem,meliùs dicerem,odit:honos ſæpè eget, ſæpiſſimè mœret. Miſera bona ſunt, quæ mixta malis,quæ à bonis diuiſa.Simplex eſt,& vnum, quod verè bonum eſt. Quemadmodum diuiſus homo perit, ita beatitudo diremta deſinit. Ita, qui impartibilis rei conatur portionē indipiſci, nec partem conſequitur, quia nulla eſt; nec ipſam,quia non affectat. Hinc palantes per magna pericula in maiora, per omnia voluptatis præcipitia, per omnes cliuos potentiæ,per omnes auaritiæ latebras multiplicamus vota: quærimus,quod deſtruimus quærendo,tranſultatione rerum repetimus ſummum bonum,vnde receſſimus, ſed ignoramus viam: velut ebrij domum reuerti neſcimus.Virtus ſolùm via eſt,ipſa eſt indicium:imaginem beatitudinis præfert:& ſufficiens,& honorifica,& læta eſt:ipſa quoque pro omnibus eſt. Nec aliter quàm Sol calorem, & alias ſublunarium corporum continet vires, ſine ſua forma: ita virtus eminenter complectitur omnes vires, omnes commoditates opum, voluptatum, ambitionis defæcatas,& puras,ſine ſuis damnis,ſine ſuo pondere.

Quid iam cauſari potes, niſi difficultatem virtutis, quæ, licèt beatitudinis ſit via,ad ipſam hanc viam,aliam nimis miſeram viam eſſe? Erras,ſi miſeram vocas, qua itur ad beatitudinem; quemadmodum errares, ſi beatitudinem diceres viam miſeriæ.Quod putas non tanti faciendum virtutem, vt per mala petatur? cur tanti feciſti malum, vt per bona peteres? O ineptiam! per falſiſſima bona ad verum malum cucurriſti, & per mendacia mala ad verum bonum non ibis? In difficultate virtutis noſce gloriam ſuam, & viciniam felicitatis per ſe amandæ.Cur putas naturam conſignaſſe præmium præſens, velut numerata pecunia voluptatem aliquam actionibus humanis,niſi ſolùm virtuoſis? Has docuit per ſe faciendas. Nec tamen ſine ſua voluptate ſunt, tantò maiore aliis,quantò ipſa virtus:lentior tamen,& ſera iſta iucunditas eſt,ſed maior:voluit oſtendere,non mercedem eſſe,ſed gratiam:liberaliter virtus appetenda eſt:ſi pretium non velis, gratia referetur, licèt nolis. Adiice, aliarum actionum præmium limitatum eſſe, decreſcens augmento ipſarum:qui plùs comedit,minùs delectabitur;gratia tamen virtuti relata, ſubtilis *Cap.*22.

illa

illa ſua, & ſecura, & innocens voluptas creſcit pro cremento actionum. Feliciſſimum iſtud bonum, quod vſu non deteritur, non conſumitur, nunquam faſtidio eſt: cuius fructum maiorem vſus facit. Ne quæras bona pereuntia,vt ſint bona,aut videantur, pecunias, delicias,gulam. Vſu nummus deteritur; cibus, vt placeat, conſumitur: illa potiùs elige,quæ vſu pretioſiora fiunt, conſilia;bonas actiones,virtutem denique.

Cetera propter virtutem decreuit natura,& limitauit, in cuius obſequia direxit. Tametſi virtus eadem ſit, & honeſta, & vtilis,& iucunda;nos tamē iſta diſtinximus, & præuertimus, interdum ad vtilitatem honeſtatem vrgemus, ad delectationem vtilitatem torquemus:violauimus ſanctiſſimum naturæ ordinem: ſic bonorum gradus digeſſit; infimum delectationē poſuit,medium vtilitatem, ſummum honeſtatem:ne relinqueremus vtilia, aut neceſſaria vitæ, conceſſit voluptatem. Quare, quòd minùs appetibilis natura ſua eſt, delectatio eſt. Deinde delectationem & vtilitatē mediocritate circumſcripſit,non propter ſe fecit,ſed honeſtatis cauſa, cui accommodari,cui commenſurari debent.Honeſtum liberum fecit,ſine conditione, ſine modo appetendum: per ſe bonum eſt.Nos fas iſtud euertimus, in faſtigio infimum locauimus: delectationem adorat cupiditas, quam nummo colit, & nummo mactat pudorem. Religioſius iſtum ordinem bruta colunt, gradiunturanimalia per prærupta,& præcipitia, vt bibant. Quid dolore emunt? Voluptatem? Minimè: cara eſſet. Vtilitatem naturæ petunt, neceſſitatem: cùm ſumpſerint, quod ſatis eſt, quieſcunt: nullius illis rei voluptas ſola titulus eſt: tum honeſtatem vtilibus præferunt, nihil vtilius vita. Miraris, honeſtatē dixiſſe,vbi ratio non eſt: mirare rationem & reuerentiam honeſtatis, adhuc vbi non eſt ratio. Non dico,honeſtatem in feris eſſe; ſed cultum honeſtatis, quam in ſtatua reuerentur. Generoſa non nulla animalia, tauri, leones, nulla vtilitate,nulla voluptate propoſita, vſque ad mortem decertant. Quid præſumunt, ſi nō honeſtum,honorificum, propter quod omnis voluptas, omnis vtilitas contemnenda eſt? Tanti faciunt honeſtatis vmbrā, honorem: adeò natura cōmendauit brutis veſtigiū virtutis, vbi plùs non potuit.

Cap. 24. Redeo ad virtutis difficultatem, illud vellem expiare nomen. Iniuſte difficilis virtus dicitur, quòd nos ignaui & ſocordes ſimus.Lucem iniquè appellabis inuiſibilem,quòd cæci illam non videant.Dixi in ſuperioribus,ſi vitia auſi ſumus imitari, quid non audebimus? Non inconſultò iſta mihi excidit ſententia.Scio difficultatem vitiorum, credo faciliorem virtutem. Si naturam ſpectemus ſuam, tractabilis, & comis eſt: vitia afficiant noſtra, quam ſentimus, difficultatem. Componamus exactè vtrumque, vitium,& virtutem: expendamus cum diuino Iſidoro Peluſio, qui Viſtenuphium ab hac opinione ſubduxit,vtrùm difficilius ſit,ſexcentos theſauros perſcrutari, an præſentibus facultatibus contentum eſſe?diu, noctúque turpes quæſtus, ac ſeruiles numerare, an frugalitatem complecti, atque amare? omnes lædere, an læſis opitulari? cum legitima vxore congredi, (nondum enim ſummam Philoſophiam pono, ſed quam pleri-

que conſequi poſſunt,) quàm alienas nuptias perfodere,ac violare? incurabili auaritiæ morbo laborare, an ab huiuſmodi furore liberum eſſe? dolos nectere,an citra fraudem commercia cum aliis habere? Tribunalibus moleſtiam exhibere, an quietem agere?bona ad ſe nihil attinentia rapere, an etiam ſua largiri? in negotiorum & criminum cœno volutari,an à negotiis& timoribus immunem eſſe? de multis rebus, quęque perfici nequeant,in cura & ſolicitudine verſari, an vnam hanc curam habere, quonam pacto à virtute minimè excidas? in negotiis, ac rebus gerendis libenter verſari,an in otio viuere:nunquam ſatiari,an ne ea quidem amare,quæ etiam poſt ſatietatem contumeliam accerſunt? nauigare, aut naufragia perpeti,an in portu ſedere, atque aliorum naufragia proſpectare? Iam & iſthinc voluptas,&hilaritas virtutis commendata eſt:cùm facilitate lætitiam præulimus. Gula enim ſexcentos morbos appendices habet, dolo res capitis, vomitus,apoplexias, paralyſes: ferè omnium malorum ſtirps, voluptas ſenſus eſt:tam miſera eſt;ſuis opprimitur ramis. Diuitias ſequuntur timores tui,inuidiæ alienæ: honos periculis ſuſtentatur,vilitatibus procuratur. Cur igitur, aut difficile, aut moleſtum putas conſequi virtutem,ſequi Deum, quem faciliùs auro inuenies. Non eſt opus confractis terræ oſſibus, exſectis montium viſceribus ſub ſaxa, ſub latebras eruere; occurrit. Si quæris, ille te quærit, ille te inuenit, & dum inuentus es,inuenis.

DIORISMVS II.

De collatione diuitiarum, & inopiæ.

SEd, quia virtus ſatis accepta ſit,etiam peſſimis, neque eius tam peccent contemptu, quàm æſtimatione malorum,aut non bonorum, inſiſtam horum reuerentiam perdere,nunc ſingillatim. Satis ad hoc eſſet, ſi, fama neglecta, diſpiciamus naturam. Veniant in medium in primis opulentia, & frugalitas: exploremus, an bona, aut mala ſint, & vtra præferenda. Numerus cupiditatum iſtam litem dirimet. Iniuſtiſſimè diuitias felicitatem putabis, irritantes cum iniuria felicitatis vota. Quem dices beatiorem, qui plura habet, an qui minùs cupit? Certè & iſtud nomen paupertatem maximè commendat.Quid beatitudo eſt? Summa inopia cupiditatum. Huc aſpirat auaritia, vnde maximè recedit; & per diuitias rerum, paupertatem deſideriorum amat:id minùs obtinet, quod optat; id minùs facit,quod probat;id facit,quod non vult facere; cupiendo probat non cupere: cupit, & quod cupit,eſt,non cupere.mendicans à fortuna,quod ſibi poteſt dare,tam facilè, vt ſibi det,ſi non mendicet. Quiſque ſibi concedit,quod nō vult petere ab alio. Exploratio inopiæ deſiderium eſt,opulentiæ faſtidium Itaque ille ditiſſimus erit,qui deſideret nihil;quem pauca ſatient: irrita copia eſt,vbi cupiditas inopiam fecit Non certa regula metiendæ ſunt diuitiæ,poſſeſſione, ſed defectu, ob cuius cauſam ſunt: non enim fuerūt inuentæ opes, vt ſolùm plura habeamus, ſed ne quid deeſſet Ideò menſura opulētiæ erit, non quantùm plùs habeas,ſed quantùm tibi minùs

Digitized by Google

nùs deſit:deeſſe autẽ cupiditas facit. Quare modus diuitiarum, aut inopiæ, cupiditate demonſtratur. Quem putabis pauperiorem inter Philum, Lælium, Scipionem, Craſſum? Philus minùs habuit Lælio, Lælius Scipione, Scipio Craſſo. Si errare non vis, hunc puta,qui plùs habuit; ſed,cui plura defuerunt,quia plura deſiderauit, nec ampliùs diuitiis ſuis potuit, quàm videri diuitem non eſſe, & videri aliis, non ſibi.

Cap. 26. Ergo, ſi cupiditates hominis vnius, imò vna cupiditas ſufficit ad titulum miſeriæ,ô miſerrimum diuitem,quem plurimorum hominum cupiditates infeſtant!non ſe credit vnũ,ſed multos;pro multis deſiderat cibos, amictus. Egregiè diuinus Columbanus ait:

Molles cumulat tinearum ad pabula veſtes.

Non, quod vni homini ſatis ſit, ſibi præparati vult; ſed quod populo fortaſſe. Tolerabilis norma votorum,neceſſitas eſt. Ille ad cumulum miſeriæ ſibi optat, quibus non eget; imò; quibus nec multi egent. Spatioſum iſtum ſcopum ſæpiſſimè feriet fortuna, & toties miſer erit,quoties poteſt eſſe; &, quod miteris, quoties vult non eſſe. Adiice,ad apparatum cupiditatum non ſolùm ſuperfluitatem ſuam, ſed neceſſitatem alienam;rerum,dico,& hominum:nam, præterquàm cupiat ſibi non neceſſaria,deſiderat, quæ rebus aliis neceſſaria ſunt,iis,ſcilicet,quæ habet. Poſſeſſæ rei neceſſitas in poſſeſſorem exundat. Non minùs quiſque eget, quàm res ſuæ egent, & egent omnia: magna domus eget magna familia,eget pluribus habitatoribus;& plures habitatores pluribus vtenſilibus:igitur,cùm plura diues habeat,non tantùm plura cupit,ſed pluribus eget. Egregium facinus diuitiarum, quæ ſe felicitatem mentiuntur,augere cupiditatem,augere neceſſitatem.Duplici via iſta ampliatio votorum diuiti contingit;cupit pluſquam eget,& eget pluſquàm alij. Qui,ſi liberaliſſimus cupiendi in ſuperuacuis eſt, in neceſſariis non ſe continebit:irritatur maiore neceſſitate, præcipitatur nimietate.Vide,quàm inſufficientes diuitiæ ſunt,quibus adhuc neceſſitas non ſufficit communis.Quidni?adhuc,ſi nihil egerent,votis egebunt.Nihil ſufficiet illi,qui ſuperflua facit neceſſaria, cui natura non ſufficit, qui pondera malorum auxit cupiditate bonorum. Sequuntur cupiditates curæ, poſſeſſiones diſcrimina:plura cupit, plura poſſidet diues, plus timebit,plus periclitabitur:nec ſecurus,nec tutus erit.Si parcat fortuna,non parcet cupiditas.Vbi tuta ſint omnia,non erit ipſe tutus votis ſuis, nec ſecurus curis. O bellam auarorum beatitudinem,ceſſare, ſecuros eſſe, cùm incipiunt eſſe beatos;perdere tranquillitatem,cùm conſequũtur felicitatem;indigere in copia!Quibus dices? Quibus egent opes, certè multis, ſecuritatem nunc ſolùm memoro. Nihil minùs diuitiæ faciunt, quàm pollicentur: promittunt ſufficientiam,præſtant indigentiam, nequeunt ponere naturam ſuam,nequeunt auferre à ſe,ne poſſunt auferri:alienum petunt præſidium, ne auferantur. Vides iam indigentes,quibus putabas non egere:in contrarium recidit ſpes,egentiæ ſunt, dicis diuitias.

Cap. 27. Adiice maximum opprobrium diuitiarum, alimenta vitiorum eſſe, organum voluptatum, libertatem peccandi, clauem auream ſcelerum. Anne parum malum erit, per quod mali ſimus: Maleficij etiam inſtrumentum damnatur. Veriſſimè diuinus vir Eucherius ait: Quædam ſocietas eſt penè etiam nominis duabus his rebus,vitiis, & diuitiis. Ægrè ſine opibus gubernantur vitia, quorum illæ velut manubria & capuli ſunt.Ferè aurum omnium malorum,aut quæ facimus, aut patimur, cauſa eſt. Vſurpa ab illo hanc vocem:

En ego tempeſtas,ego tota inſania mundi,
In me,inquit vobis,æther ruit,& mare ſurgit,
In me terra procul,mors proxima,nulla Dei ſpes.

Ionas procellæ cauſa iactatus in pelagus redemit iras vndarum:tradendum eſt aurum pro redemptione malorum:naufragantes

onus omnes
Præcipitant, certántque pericula vincere damnis.

Minoris conſtabit tibi ſalus,quam Tertullianus de naufragis dixit,non damno aliquo vincet pericula,ſed magna vtilitate,qui exoneratur inutilibus. In iſto diſcrimine præoccupatio fortunæ. Ioannes Geometra canit:

Hæc niſi perdideris citò, ait quidam optime fili, Præuenient mox te perniciémque ferent.

Εἰ σὺ τὰ δ᾽ ὄντι, μάλ᾽ ὦκα, μὴ ἐξολέσῃς, φίλε τέκνον,
Αὐτά σε προφθάντα ῥάδιον ἐξολέσει.

Expecta perdi rebus, niſi prior perdas. Liberum eſt,&expeditum iter ſalutis. Guigo ait: Exonerando itur. Quid promptius,quid facilius,quàm quod ſine onere adhuc tui facies. Tam pronum, tam expeditum eſt conſequi felicitatem, ſequi Deum, vt nec te opus habeas:imò nimis te impedias,ſi onuſtus te ſis;quid,ſi tuis?quid, ſi alienis?Quid ad ipſam vitæ commoditatẽ ſuperuacua?impediunt id,quod ſufficiens eſt;imò quod neceſſarium. Quid putas magis tibi neceſſarium? Fortaſſe dices,nihil præ vita? Sæpè iſtam impediuit ſuperuacaneum aurum,plùs ipſa æſtimantium,cui ipſa ceſſit.

Ad hæc expendamus opulentiæ vtilitatem;ſit magna:hoc vnum damnum non compenſabit, quòd poſſis plùs nocere,plùs peccare, Cap. 28.

Propter opes vitreas, aurúmque rebelle.

Adiice non tantùm propter, vt Licentius dixit, ſed cum opibus.Quam tamen vtilitatem dices? Remedium neceſſitatis? Benè, niſi ipſa feciſſet neceſſitatem: fecit morbum certum,remedium eſt incertum. Egentias diuitũ non noſcit natura: nec mederi poteſt:plagæ auaritiæ ſunt,quas diuitiæ non ſatiant,ſed exulcerant. Anne bonæ erunt, quæ tam mancæ & enerues ſunt,vt nullum malum auferant? Quod malum auferre poſſunt, cùm nec ipſam ſui famem tollant,imò irritent? & per infinitas amplient neceſſitatum appendices,cupiditates dico?Nihil illis vtile reſtat, niſi paupertatis ſimilitudo:ſed facilius, & lætius eſt pauperem eſſe, quàm imitari. Multi, qui ſunt, nolunt videri,quibus maxima miſeria eſt,ſimulare fortunam.In ſilentio infelicitatis ſuæ luunt pœnas pudoris pertinacis. Quemadmodum autem imitatio diuitiarum pauperi miſerrima eſt; ita diuiti affectatio paupertatis innocens erit & ſecura. Quam rogabis affectationem dixiſſe paupertatis?paria vota habere cum paupere, cum natura,id eſt,pauca,id eſt, neceſſaria. Tam digna res paupertas eſt,vt ipſius imagine & colore opulentia, nec incommoda ſit, nec inhoneſta:illi locupletes non ſolùm beatiùs viuunt, ſed laudantur, qui mediocritatis

ſpecie

Digitized by Google

ſpecie imitantur pauperes, qui ſine ſuperbia, ſine oſtentatione, ſine ſtrepitu, modico cultu magnas adminiſtrant facultates. Adminiſtrare dico, non ſeruare: aliud eſt modeſtum eſſe, aliud miſerum. Nec auarum dico ſimilem pauperi; nō meretur nomen honoris. Quidni? Dicam ſimilem egeno: aliud enim eſt pauperem eſſe, aliud egere. Nec iſtam ſimilitudinem concedam: vacat ſimilitudo, vbi ſubſtantia eſt. Non ſimilis egeno eſt, ſed egenus: nihil habet, dum plùs habet: perdit omnia, dum ſeruat: nihil intereſt inter diuitias naufragas, & ſeruatas: perditum eſt, quod inutile eſt. Cæterùm, quemadmodum paupertas, norma eſt innocentis opulentiæ: ſic eiuſdem paupertatis norma beatitudo eſt, &, vt audacius dicam, Diuinitas. Deus nulla re ad vſum ſui eget, cui ſimillimus erit, qui minimo indigeat.

Cap. 29. Adiiciam, vtilitatem rerum potiùs pauperi eſſe, quàm diuiti; nolenti dico, quàm poſſidenti. Vtilitatis forma, vſus eſt: maior rerum vſus contemptus eſt, maior & fructus. Vſus dominium ſequitur: nullus rerum dominus, niſi qui contemnit: nam, qui nimis amat, non dominus, ſed ſeruus eſt; non tam poſſidet, quàm poſſidetur: ergo nec vtitur, niſi contemptor, niſi pauper, aut huic ſimilis: tum nullius rei vtilitas eſt, niſi bonæ; vtile bonum eſt, cùm contemnuntur, ſunt maximè bona: ergo maximè vtilia. Miraris bona contemptu fieri? Memento bonorum legitimam naturam, communionem eſſe. Non eſt bonum res priuata, ſed publica: debet pluribus adeſſe, imminutum cuique, integrum ſingulis. Deus omnium bonorum archetypum, communis res eſt, & ad omnes æqualis, ad vniuerſos tota, ad imitationem ſuam affectat omnia. Iſtam optimam conditionem boni ſolùm contemptio facit: contemni res ab omnibus poſſunt, poſſideri ab vno ſolùm; contemptæ ſatis ſunt, & cuique, & cunctis. Næ contemptor rerum inuidendæ felicitatis eſt. Vtrùm præſtabit, nulla te neceſſaria egere, an multis ſuperfluis abundare? Qui contemnit, non eget, nec cupiditate. Ad rem difficilem peruenit, ſecurum eſſe, non egere adhuc voto. Qui poſſidet multa, ſuperuacuis exundat; & ſunt ſuperuacua, quotquot habet: alia optat, quàm habet. Præſentibus offenſa eſt cupiditas. Nunc auſim dicere pauperem illum ditiſſimum: nam & ipſi ſuperuacua ſunt omnia, dum vltra neceſſitatem recuſat, & cui neceſſaria (ad innocentiam huius generis diuitiarum iſtud eſt) nulla ſunt, dum citra voluntatem eget. Tum præſentia diuitiarum diuitem non conſtituunt: vicarium hic titulus admittit, ſi tantumdem habes, ac diuitias, diues es: non minùs diues cenſetur, qui in nominibus pecunias habet: ditior ille pauper eſt, qui, cùm nihil habeat, nō habet cupiditatem, cuius inopia maior eſt omni copia. Tantumdem & velut in nominibus habet, qui nolit, ac ille, qui poſſidet omnia. Quid, ſi conferas immunitatem mētis? Non qualitas, non numerus rerum, non valor diuitem facit. Quis, rogo, ditior, qui duo talenta, an qui vnum prædium habet? Dices, is, cui res ſit maioris æſtimationis. Dicam iam, qui ſanus eſt, Sanitatem corporis talentis & prædio emeres: plùs itaque habet ſanus, quàm qui talenta, quàm qui prædium poſſidet: ergo locupletior, cui ſanior, & valentior mens, quàm cui ditiſſima ſit cupiditas. Deinde abſurdū erit dicere diuitem, qui pretioſa habet, & non qui ſit pretioſus: & nemo pretioſior, quàm qui pretioſa non vult, ſed pretioſiſſimus, qui nec putat.

Paupertas verò res cæleſtis eſt, læta, innocens, ſecura, ſufficiens, &, quod mireris, diues; &, quod inuideas, iuſta. Cap. 30.

Iuſtitia eſt: nam ſemper egens, & pauper honeſtas.

Diuitias compendium deſideriorum facit, non laxi ſacculi, non lati fundi, non ingentes reditus. Ad remedium indigentiæ quæris opes, ſed fruſtrà, is ſolùm non eget, qui non cupit, non qui habet. Hæc ars cupiditatis eſt, inter ſuperuacua egere. Cæterùm diues paupertas eſt, ſine alterius nominis ignominia, ſine odio inuidiæ, ſine fauore fortunæ. Iactat cum Metrodoro, in deſperationem adigens fortunam, illam vocem: Occupaui, te cepi, interclusi omnes tuos greſſus, ad me aſpirare nequis. Certè, qui fortunam non ſperat, nihil timebit. Res eſt ſacra paupertas, cui nemo inſidiatur, nemo inuidet, ſine curis, ſine periculis, ſine damnis: tota in bonum compoſita animi & corporis. Iuuant valetudinem tenuis victus, nec delicatus, labor conueniens, ſomnus moderatus, parùm molle lectum, aura & cælum liberum. Eximij generis diuitias pauper habet, innocentes ſibi, & omnibus, quas nec diſponere labor eſt, nec diſcrimen poſſidere: propter quas nemo occiſus; nemo mala aut fecit, aut tulit. Quidquid malam fecerit paupertatem, malas quoque facit diuitias: vtrumque mala mens facit. Quocumque tranſmittas venenum, ſiue in aureum, ſiue fictilem calicem, lethiferum reddet: vitium in animo eſt, tranſmittimus nobiſcum:

In ſe retinet ſtatus omnis
Quicquam miſerum, graue, durum,
Quod ſcire ſtatus nequit alter,
Experta feres leuiori;
Notáque magis ope ſiſus.
Febrem patiens modò dextrum
Mutat latus huc, modò læuum:
Nunc ventre cubat, modo dorſo:
Hinc pace caret, quia ſecum
Fert intrò malum, ſuus omnis
Idcircò locus grauis angit.
Se corrigat, & paret intrà.
Pacem ſibi, dētque quietem.

Huic tamen paci, quam vult Gerſon, accommodatior paupertas eſt circumciſis curis. Quin ferè omnis mutatio miſeriæ cum damno eſt: ſi ad diuitias confugiſti, nō fugaſti mala, ſolùm commutaſti; adde pro maioribus. Solius animi mutatio ſecura eſt. Felicior fies, ſi alius ſis, non ſi tibi alia ſint, non ſi plura, non ſi omnia.

Hactenus fortunam, & ingenium paupertatis contudimus: nunc dignitatem non philoſophicis dumtaxat decretis, theologica etiam diſſertatione ſcrutemur. Quis dignior, qui ſeruit, an cui ſeruitur? Anne minor Rex erit, quòd manu non tractet nummos ſuos; an Præfectus ærarij, quòd alienos? Non diuitem facit adminiſtratio pecuniæ, ſed ſeruum. Simile cenſe diſcrimen inter pauperem, & diuitem: iſte illius theſaurarius eſt: ergo ſeruus; illum dominum puta. Ioannes, cui à virtute cognomen, Miſericors fuit: dominis ſuis reddi pecunias iuſſit: rogatus quos Cap. 31.

Digitized by Google

dominos vocaret, pauperes reſpondit. Anne iuſte quereretur inops, iniuſtè ſibi à Deo prouiſum, quòd aliis ſuperuacua adderet, ſibi adhuc negaret neceſſaria? Falletur: ex æquo cognoſcit Deus inopem ſuum; credo & magis ſuum; nec minùs amat, niſi plùs peccantem: non anguſtiùs, ſed auguſtiùs prouidit: non cenſum eius alteri dedit, ſed commendauit. Haud puta diuitibus plura indulſiſſe, ſed commiſiſſe: nec pauperem ſine ſorte reliquit, nec diuitem gemina donauit: illum noluit onerare curis; tranſlatæ in iſtum ſunt pro vtroque curaturum, & partem ſuam, & alienam, id eſt, pauperis adminiſtratione exonerati. Commẽdauit itaque locupleti diuina illa bonitas, prouida noſtri boni, ſortem ſuam & pauperis, cum iſto onere, vt huic opportunè reſtitueret, & exigenti neceſſitate redderet.

Cap. 32. Maxima iſta pro vtroque prouidentia eſt ad meritorum cumulum. Aſtutum diuinæ illius mentis conſilium fuit, depauperare aliquos his bonis egenis, vt omnes & diuites & egeni locupletiſſimi fuiſſent bonis non egenis, meritis, virtutibus, actionibus ſtudioſis; vt diues diſtributione & miniſterio erga pauperem mereretur; pauper, aut otio diuinorũ, aut patientia egeſtatis; aut relatione gratiæ. Ideò commiſſa eſt diuiti ſors inopis, non ad fructum, ſed diſpenſationem: in illo ſolicitudo maior eſt, maius onus; in iſto maior quies, maior dignitas. Si locuples deſit officio, non Dei culpa eſt prouidentis cum maieſtate pauperi; cuius nec obinde deterior conditio erit. Præſtat eſſe creditor iuſtus, quàm debitor iniquus; imò quàm æquus: nec iam pauper eſt, cui plura debentur, cui famuli ſunt, & ſunt famuli diuites. Æmulari quicumque inops Ducem Romanum poteſt, ſummam ratum felicitatem imperare diuiti, quàm eſſe: ſunt enim omnes locupletes ſerui pauperum, ad ipſorum miniſterium auctorati diuinitùs. Quam benè compoſitæ humanæ res eſſent, ſi fas iſtud diuinę prouidentiæ non temeraret auaritia. Certè ad riſum eſſet fortunæ, ad cumulum charitatis. Perit fortuna, vbi miſericordia eſt. Bellè Menander ait:

Si alter ferremus ſemper auxilium alteri, fortunæ auxilio nihil foret nobis opus.

> Εἰ πάντες ἐβοηθοῦμεν ἀλλήλοις ἀεί,
> Οὐδεὶς ἂν ὢν ἄνθρωπος ἐδεήθη τύχης.

Iſtam inuentionem fortunę inhumanitas fecit, quam Deus ſatis magna prouidentia excluſit, infixo, innatóque edicto, exemplar charitatis, amorem proprium indicente, ne quod nobis nolumus, velimus aliis.

> *Noſco ſaluiferum, manſuro munere legem,*
> *Vno qua cunctis proſpicis officio.*
> *Nam, cùm aliena mihi mandatur cura, neceſſe eſt,*
> *Vt mea mandetur, ſic quoque cura alij.*

Appono & aliud eiuſdem diuini viri Orientij:

> *Indice non opus eſt, doctor nec quæritur vllus:*
> *De nobis ſcimus, quæ bona, quæ mala ſunt.*

Quàm arctus hinc nexus dilatatæ charitatis, omne genus complecteretur?

> *Mutua conſtringet cura hominis hominem.*

Iuſtiſſima conuentio eſt, vt alij curatores tui ſint, quòd de aliis cures. Qui ſibi detrahit, vt addat alij, nunquam tantùm detrahit, quantùm contrahit commodi: viciſſitudine compenſatur beneficiorum, aut memoria beneuolentiæ, & animi eorum, quibus benefecerit, ſin minùs cõſcientia benefacti: plus iſta voluptatis afferet, quàm fuiſſet illa ſenſus, qua abſtinuit. Cæterùm, quàm inhumanũ eſt necare alios, vt te nutrias, ſcilicet, vt ſubornes interitum tuum perniciorem, cuius calcar gula eſt? Apicius, maximus ventris Sacerdos, vt delicatiùs coleret, & ſplendidiùs, mactabat homines ad murænarum pabulum, vt humana pingues ſagina iucundiores ſuus experiretur palatus. Anne humanius, vt impenſis mulceas ſtomachum ſuperfluis, necare pauperes, quibus non ſubuenis? Vtrolibet modo mactas hominem ventri. Collega Apicij eſt, quiſquis non miſericors.

Ingentis honoris eſt, rigidè exigenda adminiſtrationis ratio à diuitibus. Ardet mũdus ſceleribus, iracundiis, furoribus, homicidiis, exundat luxu, laſciuia, & omni libidine; inundat omne genus malitiæ: & tamen vna duntaxat pronuntiatur damnationis cauſa, non tantùm iniuria, ſed incuria pauperum tremendâ illâ ſententiâ immunium ad diuites dirigitur. Anne pauper ſine iudicio manebit? Anne nullus illi præparatus eſt Inferorum locus? Thronos potiùs video, ſolia, tribunalia. Certè ſi priſcos ſpectemus, omnem Inferorum aditum pauperrimo occluſerunt: niſi cum nummo illuc venire nemo poterat, quo Charontis vecturam ſolueret. Valeant fabellæ: iam nunc pauperum eſt cælorum regnum. Qui nunc Reges cæli, poſteà Iudices erunt diuitum: iudicaturi venient: tunc cùm rationes ſumentur de rebus pauperum iniquè procuratis, iniuſtè ſubreptis, id eſt, non diſpenſatis; ipſi quia domini, meritò aſſiſtent: cauſa propria agitur: nec aliter quàm de rationibus Præfectorum ærarij Imperator ipſe decernit; ſic pauperes iudicabunt diſpenſationes diuitum. Cap. 33.

Adeò intereſt inter diuitem, & pauperem: magnum illius onus, iſtius honos. Chriſtus qui omnes nos voluit Reges, voluit non tantùm paupertatem tolerare, ſed facere; vt, poſtquàm reliquerimus omnia, quadam neceſſitate boni eſſemus: nec depreſſa ad terram mente cælorum remitteremus reſpectum. Solerti ſtratagemate prouidit, vt vel ab ipſa auaritia cogeremur omnia contemnere, vt miſſis noſtris rebus in cælum, illuc mitteremus & animum. Eundem locum occupant theſaurus & cor: in cælo erit cor noſtrum, poſtquàm illuc miſerimus noſtra. Vides cupiditatem, omnium malorum ſemen, nunc abſtinentiæ, virtutiſque cauſam? Si omnia tua arrhas cælo tradidiſti, amittes, niſi ſtes promiſſis: ſic ipſa te auaritia debet cogere ad temperantiam, & amore terræ cælum amare. Cap. 34.

Adiice ad dignitatem pauperis, ſuffragium naturæ, licèt minus ſit. Quæcumque cælo vicina poſuit, pauperiora elegit, ideò faciliora, leuiora, latiora, dilucidiora: dotes, ſcilicèt, paupertatis ſequentia, quæ dilatata eſt, facilis, leuis, feſtiua, clariſſima. Specta ignem, fortaſſe ſuburbia Lunæ, aut patria ſyderum; pauperrimus eſt; nihil in ſe, niſi ſe habet, purus, limpidus, leuis, perſpicuus, ſe contentus. Quia ab iſta paupertate degenerat aër, quod admittat à terra flatus & vapores, alienaque poſſideat elementa, iam minùs leuis eſt, & impurior. Aqua deinde ditior, plura monſtra, & opes ſeruat: ideò grauior, & minùs Cap. 35.

peruia

Digitized by Google

peruia lumini. Terra habet plurima, ditiſſima eſt, metalla, lapides, arbores, animalia: propterea & grauiſſima, & aſtris longinquior, luci reſiſtens; omnium auariſſimum elementum; condit corde ſuo aurum, velut in arcis claudit ſaxis, damnatum tenebris. Poſt elementa, compone animalia. Vides auiculas lætas cantantes, quibus cælum liberum eſt, nec ſerunt, nec metunt, nec in horrea deponunt: viliſſima animalia ſunt, quę opes habent, mures, formicæ: vide iſtarum anxietates, labores, moleſtias: confer feſtiuitatem paupercularum auium. Itaque cæli viciniam paupertas conſecrauit; & ipſa quaſi ſuapte natura cælum petit. Eleganter Gregorius Piſides ait:

Pauperes mores ſunt cæli-peta ſuapte natura.

Τὸ πτωχὸν ἦθος οὐρανόδρομον φύσει.

Hominem, quem cælo deſtinauit Deus, paupertati inaugurauit: in ipſa natiuitate nudus naſcitur: dicam, & ante ipſam ex alienis factus eſt. Æther volucribus conceſſus erat, aqua piſcibus, terra plantis & brutis: mutuò accepta eſt materia humana: limus fuit è piſcium & animalium ditionibus mendicatus.

DIORISMVS III.

Voluptates excellit dolor.

Cap. 36. PRocedo ad voluptatem, rabidam & laniantem canem, vt Theologus Nazianzenus ait, cuius cauſa diuitias amas, ad quarum infamiam iſtud accedit, non eſſe dignas ſe, & eſſe tam indigna re dignas. Quale bonum erit, quod ſe non mereatur? quod propter malum ſit? Nemo quærit diuitias, niſi vt gaudeat: at omne gaudium, quod pretio paratur, viliſſimum eſt, aut malum. Minima eſt voluptas, quæ magno ſolet conſtare. Iſtam iniuriam etiam debemus opinioni, nimis approbaſſe voluptates, odiſſe omnes dolores, quamuis iſtud ex illo ſequatur: hoc ipſo, quòd admittas voluptatem, promittis fidem dolori, quem non excludes. At contrà fecit Zeno Eleates, ne priuaretur voluptate, voluit dolere. Cùm quidam vitio ei vertiſſet, quod conuitio verberatus, nimis iniquè tuliſſet: Si contumelia, inquit, vexatus, id diſſimulauero; ne tum quidem, cùm laudabor, voluptatem capiam. Inepta excuſatio, id eſt, à ſuperbo tunc animo, iniquè ſe, & res æſtimanti: maxima ſui fiducia erat, plures laudes mereri, aut ſperare, quàm conuitia: maxima ſtultitia neſcire, non ſatis compenſari exemptionem dolorum feriatione voluptatum. Plura ſunt, quibus doleas, quàm læteris: illud rectè nouit, eadem ianua vtrumque introduci. Quemadmodum nox ſequitur diem, angor aliquis ſuccedit nimiæ lætitiæ, niſi quòd impares ſint: noctes inuenies breuiores luce; dolor tamen prolixior eſt voluptate: diuiſam vitam habent, velut Caſtor & Pollux, lumen. Occaſus voluptatis ortus doloris eſt, & illa in occaſu ſemper eſt. Nemo ſuccumbit dolori, qui victus voluptate non fuerit. Iam in hoc malignitas voluptatum patebit iis etiam, qui errant in qualitate bonorum: nam, ſi labores improbos putes, ſi dolores malos, peſſimam debes credere voluptatem, quòd malis nos prodat. Illi, qui te tradidit inimico, infenſior, quàm ipſi inimico eris. At is, quem deliciæ non flexerunt, reſiſtet dolori. Miraberis, quid dicam. Vis animi, quæ vincit mollia & delicata, ſufficit, vt duriſſima ſuperet: violentiores ſunt muliebres illecebræ, quam rigor & frons torua doloris, cui nonnunquam, qui ferreus obſtat, cereus voluptati eſt, & totus liqueſcit. Inuictus ferro Annibal, victor per ferrum, victus deliciis fuit, marcuit vitiis, ſolutus vino eſt,

O noua pugnandi ſpecies, non ales arundo
Neruo pulſa fugit; nec ſtridula lanceo torto
Emicat amento framea, nec dextra minatur,
Sed violas laſciua iacit, foliiſque roſarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fudit.
Inde eblanditis virtutibus halitus illex
Inſpirat tenerum labefacta per oſſa venenum,
Et malè dulcis odor domat ora, & pectora, & arma,
Ferratóque toros oblito corpore mulcet.

Perge, ô Prudenti: narra omnia facinora molliſſimæ laſciuiæ: recenſe fortiſſima flagitia delicatiſſimæ voluptatis plùs vrbes euertentis, quàm ignis, quàm ferrum: nullius imperij occaſum inuenies, quem mollitia nõ præcipitaret. Vltimum ſpiritum Aſſyria gloria inter pocula emiſit: Babylonem Balthaſar per gulam prodidit; Niniuen Sardanapalus per luxuriam. Certè mors alienis copiis, contracto, nempe, à voluptate ſubſidio, genus noſtrum intempeſtiuè depopulatur.

Verùm, cùm voluptatem dico, cùm improbo, iſtam popularem & futilem cum vulgo intelligo, qua ſenſus fungitur. Deliciæ enim nomen voluptatis ad ſe contrahentes infamarunt, cùm tamen ſua animo excellentior voluptas ſit, id eſt, voluptas. Æquiuoca vox iſta eſt ſignificat, & quod eſt, & quod videtur; non aliter ac homo etiam ſtatua dicitur: ſubſtantialem & veram voluptatem animus poſſidet; exanimem & ſimulatam ſenſus. Hæc diſcretio confundit appetitum, vt paralogiſmo laboret: æquiuocatione fatigatur votorum: inde cùm ſemper clamet, & vociferans poſtulet gaudia, ſæpiùs mœret, æquiuocatio fuit, mala pro bonis flagitat: appetit veram voluptatem, petit pictam. Hanc igitur calumnior: hanc e bonorum albo libenter expungam. Non eſt bonum iſta voluptas ſolidata malis, cui, vt ſemel dicam, nucleus & corpus dolor eſt. Iam non mirieris, ſi hunc audieris vmbram ſequentem oblectamenta: nec infalſe vtriuſque indoles iſthac exponetur. Occidua eſt omnis voluptas: vmbras promiſſas facit, id eſt, dolores. Quemadmodum occumbente Sole euigilant tenebræ, & quò ille proximior occaſui ruit, recedunt vmbræ, & promittuntur; infantis vmbra gigantem tunc mentitur: ita vel minima voluptas in occaſum ſemper ſuum præceps magnum protendit dolorem. Metiamur delicias cum ipſarum pœnitudine: illæ in tranſitu ſunt; hæc adhæret: illæ momento faceſſunt; hæc per annos laceſſit. Illæ, cùm diu aliquando fuerint, ſatis eſt, vt diu non ſint: vtroque modo imminet voluptatibus periculum ſui; ſi diu ſunt, pereunt; ſi diu non ſunt, non delectant. Pœnitentia longæua eſt, & quantò proceſſerit, maior: non ita recentia odimus errata; tempore languet probatio culpæ: nulla pretioſa voluptas eſt, niſi accidens: intenta & quæſita, dolore emitur, vilis eſt; atque velut anticipatæ merces carè paratur; ſu- Cap. 37.

pra iuſtum pretium ſoluitur. Quid dico, emere voluptates exiguas magnis doloribus? vendimur. Anne Lyſimachus non ſe voluptati vendidit? Cùm ſe Scythis propter voluptatem vendidiſſet, & tam friuolam, vt eſt aquæ frigidæ guſtus; vix pactum celebrauit, cùm reſcindere voluit: ſerò iam exclamauit: Dij boni, quàm breuis voluptatis cauſa, quantam depoſui felicitatem! Maiores gemitus expectorare poſſes, quiſquis voluptates captus es in ſumma libertate: ingemiſce; non libertatem corporis amittis, ſed animi

Cap. 38. Atqui non tantùm poſt voluptatem dolor eſt, ſed cum ipſa: adhuc cùm eſt, felle eſt grauida, & vndique abſinthij humore delibuta. Quod gaudium timore ſui nó polluitur? Etiamſi deſit, qui interpellat, ipſum deerit. Nec quòd timorem duntaxat dixi, ſimplicem moleſtiam putes: atque, vt taceam, quot timor curas appendices habet, ipſe non eſt ſincerus; timet gaudium, & pro gaudio: trepida malè ſui conſcia mens illicitam pauet voluptatem. Auida cupiditas conſternatur, ne deficiat. Nihil ita flectit omnem ſenſum gaudij, quàm terror finis. Poſtrema gaudiorum, atque, vt propiùs dicam, pedes, ſunt dolores: dolendo introducuntur, dolendo ſtant: his ſemper pedibus egent: nunquam enim ſedent, impatienter paulam ſuſtinentia. Sine defectu aliquo deficeret voluptas: ægrotus potu plùs lætatur: atra bili vexati plùs oblectamenti capiunt. Iam credo è bonorum finibus deportabis, quod pollutum eſt: quod tam permixtum malis, tam confuſum doloribus. Bonitas, res conſpicua & pura eſt, ex omni parte integra, res rotunda, vna, perfecta, cuius titulus deeſt, ſi aliquid boni deſit. Anne conſiſtet, cùm plurimùm mali adſit? Quid, ſi nulli rei magis hęc bona deſunt, quàm cui minùs deſunt mala?

Cap. 39. Adiice, quòd corruptionem ſequitur interitus. Continet, imò ſuſtinetur voluptas æmulo dolore: hoſtem domi habet, fugiet. Quid dixi, domi? in viſcere habet, peribit. Stabilitum bonum ſinceritas ſua facit: æterna ſimpliciſſima ſunt, & pura. Nequit bonum eſſe voluptas, turbida fluit, imò præterfluit, velut aqua perforato dolio. Elegantem iſtam voluptatis imaginem, non Architas, aut Plato aliquis vindicet, e diuinis eloquiis eſt, vnde extranei vſurpauêre. Permanebo in illa, vt genus voluptatum diſtinguam: nulla plena eſt niſi è cælo, niſi in Deo. Pertuſum dolium non vidiſti plenum, niſi in flumine, aut pelago: ideò Dauid, voluptatem cæleſtem ab impetu fluminis demonſtrat. Aliæ voluptates in ſicco ſunt, dilabuntur, non occupant, depleto ſemper corde tranſeunt, nec adhuc breuiſſimo ſtant, ſed celeriter currunt; certè hac ſolùm inuidia contemnendæ, etſi alioquin inſontes. Admittamus Epicuri ſuffragium, maximi voluptatis patroni, ſed non iniqui arbitri, quamuis illum infamarit vulgus, vt patrocinio Philoſophiæ connubia excuſaret vitia: dicebat ille negligendas eſſe corporis voluptates ob breuitatem ſuam, malorúmque longæuitatem, quæ interitu ſuo pariunt: at labores adoptandos; nam & breuiſſimi ſunt, & magnorum proxenetæ gaudiorum, vitalium, longæuorum. Quid diceret, ſi æterna putaſſet?

Cap. 40. Tum neque bona voluptas eſt: nam bona prohibet, &, quod vix credes, ipſas voluptates, ipſa mala, quæ ſe non ſuſtinent. Pacifica res & ſocialis eſt bonitas: bonum bono amicum eſt. Sanctiſſimo ſe fœdere bona omnia colunt. Non vides pronitatem malorum, difficultatem bonorum: per decliue in vitia ruimus, per ardua adimus virtutem: illud deſcendere, iſtud eſt ſurgere. At, quidquid ſit, magnoperè iuuamus mala, fortaſſe non ſine aliquo titulo. Quidam timuit, ne bona, & boni conſumerentur, multitudine ac promptitudine malorum. Vnde igitur contradicitur malitiæ? Non leuiter credo ex concordia bonorum. Confuſum & diffuſum examen mala, & mali ſunt: ſingulares vias quærunt: non eandem, non eódem incedunt: ſeorſim ſunt, diſparata: ſolùm eſt ordo bonorum. Hæc natura vnit, nectit. Nulla virtus alteri reſiſtit: omnes vnam ſequuntur, & dulcibus viciſſim ſe amant, ſe admittunt, ſe ligant amplexibus. Ratio eſt communis Mercurius, ad vnum vbique tendit. Appetitus tamen & affectus, ait Simplicius, licèt iidem ſint in me, & in te; aliud tamen appetit iracundia mea, aliud tua, & cupiditates diuerſæ ſunt. Mala neſciunt ſocietatem: tumultus & turba ſolùm ſunt: nec aliter vna ſūt quàm duo æmuli: cóſerunt manus, aut ſibi repugnant, aut palantur, vt vel mala malis perdantur, auaritia, prodigalitate, audacia, timore; vel ſeorſim facilius intercipiantur à bonis. Auaritiæ non fauebit prodigalitas: faciliùs liberalitate vincetur habente in ſubſidium iuſtitiam, prudentiam, & cæteras virtutes: at voluptas ex vitiorum proſapia, aut ex eius ſtirpe, habet ſimile ingenium vitiis, impatiens fœderis. Mitto corporis voluptates obſtare delicijs animi: ipſæ corporales ſibi reſiſtunt. Quid moror? Vnaquæque voluptas ſibi repugnat, impatiens ſui: dum creſcit, ſe deſtrüit: adeò nocet & ingrata eſt fruentibus, vt erga ſe ipſam reddat impotentes. Liberalius & gratiſſimum eſt, laborum ingenium: vt alia commoda taceam, non tantùm ipſis laborantibus ſe labor detrahit, ſed validiores patientes contra ſe facit. At voluptas ipſos, per quos amatur, labefactat ſenſus: quale vulnus rationi inimicæ infliget; Quemadmodum vincitur nutritione, & abdomine ſenſus: ita ſenſu mens, duobus iam æmulis patens, ſenſui & victori eius. Gulæ crimen eſt, hebetare ſenſus, inducere ſomnum: nam vegetatiua vita potiente contrahitur & torpet ſenſitiua; ita, dum ſenſitiua pollet, ſubigitur rationalis.

Poſt impedimenta bonorum adiice, quàm liberalis malorum ſit voluptas, hoc ſolo titulo millies conſpuenda, abominanda. Ipſa fornax ſcelerum, fodina nequitiæ, metropolis damnorum, alueus vitiorum, philtrum improbitatis, contagium totius malignitatis, artificium dementandi. Sapienter Architas ita precabatur: Inſania potiùs, quàm voluptate corripiar. Subornat mẽtem ad iniqua iudicia rerum. Maximum proptereà Simplicius hoc naturæ beneficiū agnouit, breuitatem voluptatum, ne diu inſani eſſemus. Quod damnum inuenięs, cuius rea voluptas non ſit? Ipſa ſapientiſſimos dementauit? vide Salomonem: ipſa peruertit iuſtos; vide Dauidem: ipſa fortiſſimos eneruauit; vide Samſonem, vide Milonem. Totum infortunium naturæ voluptas eſt: maximus mentis caſus, &, vt ſic dixerim, animi exanimatio: motum omnem ad bonum interdixit. Peſſimum hunc morbum *Cap. 41.*

Guillelmus

Guillielmus paralyſin, vocat. Neque minùs eleganter Heraclius opinionem, qua voluptas munitur; Hippocrates, ipſam voluptatem appellarunt ſacrum morbum: impedit omnem functionem mentis, lædit principem partem, euertit Capitolium, & aras rationis. Aurelianus, priſcus Medicus, libro primo Chroniôn ait: Sacram contaminat animam: illo correpti, ignari, publicis in locis cadendo fœdantur. Quòd ſacer dicatur, ad inuidiam eſt: ſiue, quia caput inuadit, quod iuxta clariſſimos Philoſophos ſacrum & delubrum mentis eſt: ſiue ob magnitudinem paſſionis, vt inquit Cælius Siccenſis: maiora enim vulgus ſacra vocauit; nam ſacrum dictum mare, ſacra domus; velut tragicus Poëta ſacram noctem, hoc eſt, magnam. Quintus Serenus labem horrendam dixit, alterius nominis originem ducens à diſſolutione comitiorum:

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſant:
Sæpè etenim membris ægro languore caducis
Conſilium populi labes horrenda diremit.

Imaginem vides voluptatis. Subitus eſt & raptus, & maximus animi morbus, & maximè caduca, infeſtat, deiicitque mentem, contaminat animam, fœdat ignaram ſui mali: omne conſilium diſſipat, peſſimum omen: cui ſimilia remedia ſunt adhibenda ac comitiali languori. Praxagoras libro ſecundo Curationum, caput iubet radi ſine venere. Anne ob inde priſcis Romanis culta fuit Venus depilis, raſo capite, quam caluam dixere? Euellendi ſunt omnes molles cogitatus, omnis trica occaſionis eradenda; nulla capilloſa in fronte occaſio ad laſciua, ad blanda ſit; ſed vndique glabra, ne vel pilò arripiatur. Optima Veneris curatio, fuga occaſionis eſt. Aſclepiades fel adhibuit cameli ad eius morbi curationem: & Serenus canit:

Prodeſt cum veteri Baccho fel vulturis atri.

Sæpiſſimè delicioſis profuit fel fortunæ: eſt atra, & volucris. Dementatio proſperantis laſciuiæ amaris reparabitur pharmacis. Cur putas, ſenectus moleſta eſt? Sapientior eſt. Venerata natura ſenium, vbi plus iudicij poſuit, detraxit voluptatibus, quibus viciniam illam ætatem ſatis ad redemptionem mentis exemit.

Cap.42. Si adhuc perſiſtis, voluptatem bonum eſſe, te damnas malis: nam inter mala putas minora bona. Maior ſæpè voluptas eſt in brutis, in amentibus, in infantibus. Quale bonum erit, quod liberius, quod maius poteſt eſſe in iis, quæ nequeunt eſſe boni? quod in peſſimis eſt, quod in ſceleſtiſſimis? Ingrata bonitas eſt, quæ communis eſt non bonis, & libera malis. Aliis, quæ opinio bona fecit, minor eſt communitas: licèt ſufficiant, vt hominem reddant malum, non vt non hominem, id eſt, pecudem, aut ſuem, aut aliquod brutorum. Diuitiæ, & ambitio, monſtra ſunt humani cordis; dumtaxat immutant naturam, non commutant: nec ambitio, nec auaritia Inferis eſt, ideò felicioribus. Vitia iſta humana ſunt: voluptas ſolùm, publica dos ſentientium, in ſuam irrationalium claſſem demittit rationem: ideò irrationabilior in his, quòd ratione iuuetur. Simplicius ait compaginare animam corpori. Monſtra dicimus, ſi non omnia membra conſonent humani proportioni corporis; maius monſtrum eſt, ſi affectus non conſentiant animo & rationi. Miramur corpus non humanum, cum humana anima; miremur ſine humana anima corpus humanum: caret hominis anima, qui pecorum, & brutorum voluptate vincitur. Mandragoræ, ſiue alius oleris radix, quæ humanam refert ſimilitudinem, ſine mente, notabilis eſt. Ad ſtuporem erit videri homines, & eſſe pecudes, eſſe truncos, nutritione occupatos. Petulantior eſt voluptas, quam induſtria prouexit: puto voluptatem robuſtiſſimum omnium vitiorum, ſiue quæ bruta ſimulant, ſiue quæ homines diſſimulant. In primis impudentior eſt paſſionibus brutorum: ratio illam iuuat. Quidni? Ratio illi ſeruit: ancilla cupiditatis fit: miniſterio itaque rationis inſoleſcit. Flectitur vis mentis ad obſequium ſenſus. Deinde effrænatior humanis vitiis, auaritia, & ambitione: iſta ſolùm mala fecit inuentio humana ſine ſubſidio ſenſuum. At voluptates, & ſenſus, & opinio irritat. Æquè debet ingenio humano voluptas, ac diuitiæ, & faſtus. Accedente induſtria impulſui naturæ vehementior & terribilior eſt, quàm in brutis, quarum impetum ars non impulit. Itaque voluptas humana fortiſſimas omnium cupiditates alit, indomitas nutrit paſſiones. In feris voluptas ſine arte eſt, in hominibus auaritia ſine impetu ſenſus. Hominum voluptas bis inſtruitur, arte, & impetu; violentiſſima eſt.

Quid addam? Voluptas corporalis ſolùm digna eſt brutis: labor non indignus Deo. Nec opus eſt meminiſſe ſapientiorum ex gentibus, conſecrantium Diuinitate Herculis labores, vt contra famam vulgi authoritatem illis ſeruarent. Filius Dei amplexus eſt illos, quibus & & ſaginauit ſe; nec aliud plùs è noſtris elegit. Sequamur arbitrium diuinum: per omnia diſcrimina tuti erimus. Callidè Alexander Dardanus præmium pulchritudinis maluit: viderat à Deabus ambiri; ſequutus eſt guſtum Diuinitatis. Iſtud ſit ad pudorem ſocordiæ noſtræ. Suffragium Dei habemus ad contemptum voluptatis, ad honores laboris: neque minùs honorificè habendæ ſunt paſſiones Domini, quàm patibulum. Crux olim maledicta; & ignominia Orbis, nunc adoratur, ſummos adornat honores Regum, coronas, vt ſic dixerim, coronat. Opprobrium etiam noſtri generis labores erant, pignora peccati primorum parentum: nunc pro gloria captare potes, conſecrauit illos IESVS. Cap.43.

Si non honorificos, vtiles noſce. Labor eſt magna commendatio virtutis, fides ſapientiæ, character virorum, præſidium vitæ, æmulator muneris angelici, cuſtodit nos, & docet ſupellex diuinæ habitationis, vaticinium iuſtitiæ, &, vt plauſibile aliquid habeat ſenſus, & opinio, auſpicium eſt fortunæ, penus gaudij, fœnus voluptatis, natalis dies immortalitatis, aquæductus famæ. Vitis, cui ferrum non excuſſit lacrymas ſanguinis ſui, amputatis membris, ſterilis & triſtis iacet: vulnus cum ploratu fœcundat, ſuauiſſimos edit fructus, plenos, quò magis ipſa fletibus exhauſta. Qui ſauciat cinnamomum, ſtacten carpit. Cor- Cap.44.

rumpitur vita deliciis, quemadmodum cadauer vermibus; nec niſi alicuius doloris myrrha ſiſtitur. Eleganter Æneas Gazeus mandragoram vocauit; ſoporat cupiditates: tantùm inualuit veteribus eius opinio, vt publico ritu legitimus inſtitueretur dolor, ſine quo rempublicam conſtare poſſe non credebant: ánne priuatus poterit? Vt taceam pancratium & pugilatum, commune iſtud plurimis fuit. Spartani ad argumentum pietatis ſæuitiam oſtentabant: nec alia liberaliùs hæreditate donabant liberos, quàm plagarum. Adiice, quòd nihil præter ſe pretioſius habet virtus, niſi dolores, cruciatus, labores. Quare, dices? Quia ipſa in his pretioſa. Difficultas, materia virtutis eſt, vt ligna & metalla fabrorum. Aurifex meliorem artis ſuæ materiam non reiicit: ſculptor ligna ſeligit: nullus ſtatuarius iraſcitur optimo ſimulacris marmori. In maiori labore, maiori cruciatu præſtantior virtutis materia venit: plùs gaudendum eſt.

Cap. 45. Nec tantùm dolor fauet virtuti, vt præſtantior ſit; ſed vt ſit. Quâdam diſciplinâ naturæ, qui afflictus eſt, aut melior fiet, aut minùs malus. Nemo, quòd habeat plurimum auri, ſtatim aurifex eſt: nec quòd plura ligna, ſtatim faber: materia non eſt ars; ſed patet arti. Nec ſtatuarius deſinit eſſe, quòd inter ligna, lapides & metalla non ſit: artificium à materia pendet, non ars. Iſtud tamen priuilegium laboris eſt, quòd talis materia ſit virtutis, vt & ipſam ſæpè faciat, & affricet vicinia ſua, & ſalutari contagio artem. Diſcimus in labore virtutem, & ab ipſo ſæpè labore: dediſcimus in deliciis, & ab ipſis. Traduco in exemplum Dauidem inter inuidias Saülis ſanum, mitiſſimum. Afflictionibus, laboribúſque eruditus coluit virtutem, benignus æmulo, parcens hoſti, ſeruauit auido cruoris ſui ſanguinem. Vide hunc ipſum poſt voluptatem crudeliſſimum, reum ſanguinis optimi viri Vriæ, qui pro ipſo fuderat. Hic eſt ille, cuius memoria manſuetudinis commendatur: hic eſt ille liberaliſſimus veniæ: hic ipſe poſt venerem dedidicit humanitatem, neſciuit ignoſcere. Non facilè crudeliorem vltionem leges. Populum capta Rabba eduxit, fecitque ſuper omnes tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire, ita vt diſſecarentur, & contererentur. Nec ſtetit hîc ſæuitia: per omnes vrbes Ammonitarum eadem atrocitas graſſata eſt: multis in locis ſerrauit homines, diuiſit cultris, & traduxit in typo laterum. Iſta inhumanitas poſt libidinem fuit, (frequens Litteris ſacris prolepſis eſt:) adeò mores alienauit voluptas. Vnius Bethſabeæ amor exhauſit totius naturæ charitatem. Sine exemplo crudelitatis fuit, qui ad exemplum manſuetudinis propoſitus erat. Ille, qui toties pepercit Saüli, qui maledicentibus ignoſcebat, qui ſiluit exprobratus; qui tam delicatæ manſuetudinis fuit, vt quæ, niſi impius foret, punire debuit, (debent multa Reges,) noluit, niſi aliena manu: quæ parcere non potuit, diſtulit, & filio tradidit punienda. Cæterùm, illum afflatum virtutis in laboribus, non nimium credo deberi impedimento voluptatum, quæ tam peſſimè de probitate merentur. Vnus labor multis & diſparatis voluptatibus, etiam in volentibus obſtat. Lepidè quidam peritus coquus Mediolanenſi Duci poſt bellum infeliciter cum Florentinis geſtum reprobanti epulas, reſpondit: Si Florentini tibi guſtum auferunt, ipſe in culpa non ero: cibi iucundi ſunt, ſummâque arte compoſiti: te nimiùm concalefaciunt, & appetitu hoſtes priuant.

Iam quid contra dolorem cauſaris? Senſum, acerbitatem? Adhibe patientiam, conſtantiam, rationem; iſtâ enim lumen animi inextinctum ſeruatur, velut facula in pharo: perflat Boreas, fremunt procellæ, tuta erit mens; &, quod mireris, læta inter triſtia. Non aliter ac oues Ponticæ, quæ, quia abſinthio paſcebantur, felle carebant. Ipſe patronus voluptatis Epicurus commendauit beatitudinem ſapientis in ſummis doloribus. Quid mirum, ſi non triſtis ſit ſapiens, in quibus alij inuicti, Lacedæmones pueri, Indicæ feminæ, Ægyptij Myſtæ, puerpera feræ, ſtulti denique amaſij? Ergo, quod vicit imbecillitas in pueris, lex in feminis, error in ſuperſtitioſis, conſuetudo in delicatis, natura in feris, vitium in laſciuis, virtúſne ſolùm non domabit? cui dolor non tantùm ferendus eſt, ſed prouocandus, ſed amandus ad infortunandam ſenſuum felicitatem miſeram, vt cùm ratione non poſſimus, minis, & ſupplicio compenſemus. Optimè Plotinus ait: Corporis, ſenſúſque proſperitas grauans hominem ad ſe detorquet. Decet autem viciſſim compenſatione & diuerſione quadam ad optimum potiùs conferente, quodammodo corpus attenuare, vt appareat, hominem ipſum ab externis eſſe diuerſum. Auerſanda, auerſanda voluptas eſt, vt Philiſtæ eos, quos amplexabantur, iugulantes. Cap. 46.

DIORISMVS IV.

Gloriæ humanæ futilitas.

NVnc diſpiciamus humanos honores etiam inter bona, & quidem maxima intruſos, per magnas tamen quæſitos vilitates & mala. Satis hoc ad contemptum erat, quòd pateant contemptibilibus etiam ſibi: qui vt digni aliis videantur, non ſe indignos putant indignitatibus. Quæ iam æſtimatio, & dignitas dignitatum eſt: cùm promiſcuè malos cùm bonis admittant? Dignos, indignóſque confundit dignitas, non diſcernit. Scilicet, æquat meliores deterioribus, cùm præponere deberet. Nec inde maior infamia optimis poteſt accidere, quàm ab honore, cùm eos peſſimis comparet. Maiorem puto honorem, huiuſmodi honore carere, & ſuis moribus æſtimari, non promiſcuis titulis, quos error commendat. Inter bona, quæ inuenit opinio, futilius opinio ipſa eſt. Opinione erramus in bonis; nec bonum probatum erit, quod ſola opinio ſuſtentat; iſtud gloria eſt. Cur ergo nihil plùs nos raptat? Ideò inquietat ſui appetitum, cùm, vt mox videbimus, minùs laceſſere deberet; quod ſagaciſſima ſit, contendit; ne ad manus veniat, pernicior eſt; elabitur plùs quærentibus, euadit inuadentes, difficillima obtentu, ne experientiam Cap. 47.

tiam

Digitized by Google

tiam ſuæ vanitatis facilè permittat. E longinquo nos citat. Omnia iſta, quæ commentatio noſtra exaggerauit bona, diſſita commendantur: maiora carentibus ſunt, maxima cupientibus; diſparent tamen tractanti: minima experitur poſſeſſio, quæ ſpes magna vidit. Sæpè vota, quæ ratio non compeſcit, experientia præter ipſa vota damnat; diſcimus ſeducti. Gloria tamen non ſinit tractari, non vult periclitari opinionem ſui, inſequentes ſe vitat: votis, vbi maximè opinio, id eſt, error, valet, dumtaxat ſe concedit: conſcientia quadam ſuæ exiguitatis conſcientiam noſtram fugit. Diuitiæ expectant, donec apprehendas, aut alius rapiet: voluptates vndique obuerſantur importunæ vſque ad faſtidium ſui: at gloria intractabilis, & montana eſt: dum quæris, fugas: non aliter ac venatores feras: remota eſt, ideò magna viſa: quid remotius quàm id, quod nunquam nobiſcum poteſt eſſe? In aliis eſt noſter honos, alieno ſemper pendet arbitrio. Hinc plùs vouemus, quia non obtinemus: plùs affectamus, quod aſſequi minùs poſſumus, quod ſequi non debemus.

Cap. 48. Gloria cauſas ſui iuris habet; non ita vt voluptates, quas ipſe facies; aut diuitiæ, quas, ſi velis, rapies. In inanibus enim & inanimis rebus ſunt, quas diligentia conſequitur. Honos tamen in alterius exiſtimatione & libidine eſt: non pendet ſolâ induſtriâ tuâ & cerebro. Quare nimis arduum eſt conſequi, quod tibi nunquam dare potes: quod nunquam occurret, quod neceſſe eſt, vt dent alij, vt dent multi; & difficillima eſt communis conſpiratio, vbi non eſt priuata vtilitas. Quid igitur appetis? quid putas bonum, quod negare malus poteſt, quod inuidus volet? Quid putas bonum tuum, quod à cunctis pendet! In aliis bonis fallere te potes; in hoc falli, etiam ab aliis: non omnes vſurpare opes tuas poſſunt; auferre honorem poſſunt. Diuitiæ arbitrio tuo parent: honos alieno: illas ſeruare potes; iſtam, ſicut concedit, ita ſeruat alius. Si omnibus impunè eſſet, vt pro libito res tuas auferrent, breui nemo tibi inuideret, tu videres te miſerum: iſta licentia in honore eſt; cuius licet detrahere. Quæ maior miſeria, quàm precaria felicitas, quæ in cuiuſuis manu ſit, niſi tua? Quid tutum erit, vbi vulgi ſuffragia petuntur? Felicitas ſine diſcrimine eſt: ſecuráne erit, quæ pendet etiam ab hoſte? quæ tot pericula habet, quot iudicia fieri poſſunt? Quam, quæſo, tranquillitatem haberet, qui quotidie ad tribunalia ſententiam expectaſſet ab iniquo Iudice? Iſta conditio noſtra eſt: obſeruamus omnium iudicia de nobis: expectamus iudicari, non à probis, non à doctis viris: aucupamur inſenſati vulgi ſenſum, non quouis die, ſed hora: probari volumus ab his, quos improbamus. Ridiculi ſumus, qui eorum timemus iudicia, quos ridere debemus, & quorum nos iuriſdictione eximimus, ſi rideamus ſententias. Ille felix eſt, qui arbitrio ſuo felicitatem habet; qui vult, quæ poteſt. Quàm miſer ille erit, qui non à ſe, ſed ab omnium libidine expectat felicem eſſe, quòd dicatur; qui vult, quod ſolus alius poteſt? Certè bonum non erit, quod ſeruum facit; & facit, quidquid alienum arbitrium facit obſeruare. Quantus ſeruus ambitioſus erit, qui tot obſeruat heros? Eſſétne mancipium aliquod, quod poſſet viginti tolerare dominos ætate, moribus, ingenio, guſtu diuerſos? Quantùm diſcruciabitur gloriæ auidus, non viginti dumtaxat heros, ſed populos dominos habens moribus, & guſtu non diuerſos, ſed auerſos; obſeruans ſenes, adoleſcentes, feminas, viros, nobiles, plebeios, laſciuos, auaros, eorum geſtus & nutus, vt oracula captans? O miſerrimam ſeruitutem ambientium! Si duci affectibus propriis miſerrimum eſt, quale erit pendere alienis? Quolibet verbo, ne dicam contumelioſo, ſed non honorifico, adurimur: ô delicatiſſimum bonum honoris! ô timidam felicitatem è lingua inuidi pendulam! Si ea naturæ iniquitate compoſitus fuiſſes, vt ad ſingula verba febri corripereris, infeliciſſimum te putares; ánne beatiorem te præſumis, cùm ad ſingula verba, niſi adulationes excipias, inflammeris, exedaris, frendeas? Quæ febris artus depaſcens ita languentem inſiſtat, vt ſanum vel veritas obiecta? Quantùm mendacia iniecta ſauciabunt? Magnum adiecimus pondus miſeriis humanis, cùm tolerabiles non putemus, quæ è conditione noſtra veniunt: addidimus maiores noſtris conditionibus. Ferre mala neceſſaria nequimus, adiungimus voluntaria: nec aliter quàm Arſenio oſtenſa eſt mundana amentia; ſuccidimus laturi plura ligna, cùm prima ſtrues nequeat portari. Veriſſimè Guigo admonet: Ecce huic corpori immixtus ſatis miſer eras: omnibus enim eius corruptionibus, vſque ad morſum pulicis, vel ſorunculi, ſubiacebas. Non ſuffecit hoc tibi: immiſcuiſti te aliis, quaſi corporibus, opinioni hominum, admirationi, amori, honori, timori, & aliis ſimilibus; & ſicut ex corporeis, ita ex horum læſione dolore afficeris: ipſemet ligna, quibus combureris, tibi adhibuiſti.

Igitur contemnenda & deſpuenda eſt cenſura vulgi: *Cap. 49.*

Nec te quæſiueris extrà.

Ne ſimus, id eſt, ne putemur contempti: non fama æſtimemus nos: ſed conſcientia: non bonitatem cenſeamus teſtimonio alieno: neque gloriam putemus laudatos eſſe; ſed laudabiles: & ille maximè laudabilis eſt, qui perſeuerat non laudatus, laudabilis eſſe. Nemo placere multis poteſt ea re, quæ diſplicet multis; contrarietatem morum dico. Plauſus malorum, id eſt, plurium, optimo modo parari nequit. Puerorum dictis non iraſcimur; ignorant, quid dicant: cur ineptiis maiorum excandemus, magnitudine, non ſapientia pueris præſtantium? Aut quod audiſti, falſum fuit, aut verum: ſi falſum, dicentis ignominia eſt: ſi verum, admonitio tua. Nulla contumelia eſt, niſi feceris tibi, niſi putaueris. Notius vitium tuum factum eſt? Ne exultet æmulus, te corrige; &, vt Telephus, cuſpide, qua læſus, te ſana. Eleganter Antiſthenes dixit, aut amicis ingenuis, aut acribus aduerſariis opus eſſe. Non aliter monemur: nobiſcum contenti ſimus ampliſſimo conſcientiæ theatro. Vt gaudeas theſauro inuento, non expectas, donec alij ſciant; virtute, etiam ignaris omnibus, lætare.

Porrò,

Digitized by Google

Cap. 50. Porrò, cùm iſta gloriæ cupiditas tam infauſta ſit, cum priuilegio & plauſu accipitur, (fortaſſe quòd plurimorum bonorum occaſio fuerit, licèt mala ſit,) & velut quaſdam commendatitias litteras habet: nam, cùm cupiditatem diuitiarum, cùm auiditatem voluptatum omnes damnent, gloriæ æſtimatores commendantur, legitimis prouocantur præmiis, magnificis elogiis; generoſi, magnanimi dicuntur: qui tamen tam viles, tam puſillanimes ſunt, vt contemptis animi bonis, glorientur etiam malis corporis; qui tam futiles, tam vani ſunt, vt vanitatis ſuæ monumenta faciant, qui præmium vitæ ſatis putant titulum ſepulcri. Nihil plùs amant, poſtquàm vana, & ſtulta fecêre, quàm iterum vanè laborare, vt ipſa vana faciant immortalia: de ſaxo, aut lapide confidunt æternitatem, quam à virtute reiiciunt: ſecuram in vno lapide putant diuturnitatem & gloriam, quam retinere non potuerunt ciuitates potentiſſimæ, quarum ruinas ſine nomine videmus, aut audimus nomina ignorantes ſitum. Collocant, ſcilicet, aras vanitatis ſuæ, nec aliter, quàm Thurij Boream, adorant ventum. Hinc aliud ambitionis priuilegium, quòd immortale vitium ſit. Illuc temporum ambimus, vbi non erimus. Nemo quærit voluptates; nemo congerit opes, quas poſt mortem habeat: honores tamen poſthumos maximè venamur; ſtultè, cùm diuitiarum diſtributio, defuncti voluntatem ſequatur; honorem diſponere non poſſit, non legare alteri: nempe, noſtræ diuitiæ potiùs ſunt, non honos.

Cap. 51. At, tanta æſtimationis æſtimatio non potuit negare periculum: ipſa legitima authoritas, quæ ad gloriam prouocat, à gloria auocat. In ipſo apparatu honoris præparauit contra ipſum contumeliam. Iudicauit vincendam gloriam, & poſſe difficillimè vinci, propter quam regna fuerunt victa: namque, de quibus ciues confidebant Rempublicam, non confidebant Reipublicæ gratiam. Duo maxima pericula in ſummis honoribus notarunt, duóſque ſuperſtites hoſtes ſtratis hoſtibus manere, inuidiam alienam, gloriam propriam, & hanc terribiliorem. Pharmaca vtrique præpararunt: omnium autem inuidiæ vnum dumtaxat appoſuêre amuletum; vnius ſuæ gloriæ plura. Tantò iudicarunt infenſiorem gloriam liuore. Medicamentum inuidiæ bulla præſtitit triumphantium, è collo ſuſpenſa, iis intus præparata remediis, quæ valentiſſima ſunt viſa. At gloria non vno præuenta modo eſt: pluribus viis admonebatur non tantùm conditio humana, ſed quòd magis contemptui eſſet, fortuna. In primis Imperator, qui Reges captiuos duxerat, ſeruili adornabatur inſigni, ferreo annulo, exæquatus victor victis. Minas fortunæ aduertebat appenſum è curru flagellum, &, vt timeret, vltra dolorem & ignominiam, tintinnabulum periculum admonebat capitis. Tum ſeruus publicus, is carnifex erat, importunè refutabat acclamationes & applauſus, commemoratione humanitatis. Poſt memoriam naturæ, erat alia non minùs importuna fortunæ. Aſſidebat triumphanti in triumphali epulo miniſter, iſtud repetens conuitium: Magis ſeruo tuo parco, quàm tibi. Niſi hoc ſufficeret, aduocabant conſcientiam, & quam erubeſcentiam ſui, quem timorem fortunæ non exprimebat, qui fortunam multis ſequeſtrarat, ſimulabatur minio genis tinctis, ad imitationem pudoris. Tot remedia vix vni obſtabant ſuperbiæ: & vnum ſatis tot inuidiis, quot viderant, quot grátulabantur, quot fecerant gloriam. Septimum ad hæc & maximum amuletum creditum fuit aduersùs faſtum, ſapere: iſtud, quia concedi non poterat, admonebatur laureo ſerto.

Maximus enim error eſt, & cùm appetitur gloria, & quemadmodum petitur: & ipſa, & via ipſius ignoratur. Gloriamur in his, quorum pudendum erat: ex meliori veſte, ex generoſiori equo, ex præſtantioris ſerui officiis: alienis ſuperbimus virtutibus. Hócne pudor eſt, & argumentum vilitatis, qui, quòd propriis careamus laudibus, alienas vſurpamus? Quid? ſolennibúſne licebit honoribus gloriari, dignitatibus, poteſtatibus, & muniis publicis? Fortaſſe erubeſcere potiùs: nam, quem honore indignum iudicas, minimè ob honorem dignum reuerentia putabis. Iſte honor ad pudorem eſt, qui maios, aut ſcit, aut monſtrat. Quot indigniores dignitas oſtendit, quot contemptiores fecit, dum publico contemptui obiecit? Sed non ſine talione. Parem vicem dignitatibus indigni reddunt, quas ſuis moribus contaminant. Elegantiſſimè Georgius Piſides cecinit: Cap. 52.

φεύγει δὲ πολλὴν τὴν καλὴν ἀτιμίαν,
Πολλὴν τε δόξαν, τὴν ἀδοξίαν ἔχει.

Fugitque famam, ceu decentem infamiam, ingloriámque gloriam multam tenet.

Supremarum poteſtatum honores, plus inglorij ſunt, niſi habeat glorioſus, id eſt, probus: ipſi neminem clarum, neminem felicem fecerunt; ſatis eſt, ſi non miſerum felicitate, ſi non ſumma potentia timidum, &, quod plus mireris, imbecillum. Parum & miſerè poteſt, qui id minùs poteſt, quod magis cupit. Qualis potentia erit, quæ ſe nequit ſecuram facere, quæ ſe conſeruare non poteſt, quæ in ſeruientium poteſtate eſt, quæ non minùs timet, quàm terret; quæ, quod poteſt in aliquem, nequit facere, quin aliquis in ſe poſſit; quæ non poteſt contra cupiditatem propriam, contra odium alienum? Adiice ſtultitiam, non tantùm gloriari periculis noſtris, non tantùm alienis virtutibus, ſed vitiis propriis. Audi Carthaginenſium Ducem:

Mihi magna ſatis, ſat vera, ſupérque
Bellandi merces ſit gloria: cætera vobis
Vincantur.

Nónne potiùs pax? nónne Reipublicæ fides, bonum publicum? Quomodo gloriam potuit mereri ab hominibus, qui, vt gloriam mereretur, tam peſſimè de hominibus eſt meritus per tot clades, & cædes, quibus ſui & alieni cecidêre? Sed tam inepti ſunt homines, vt inhumanos putent glorioſos, Cæſarem aliquem, aut Alexandrum, quibus ſat erat ad gloriæ mulctam, ipſius gloriæ cupiditas intolerabilis etiam ſibi. Infames potiùs ſunt, qui malunt famam magnam, quàm bonam, qualia fuerunt Manlij Capitolini inepta vota. Præmium his gloriæ fuit fortunata temeritas, felix inhumanitas.

Adhuc fallimur, honorem ex virtute æſtimantes bonum noſtrum; non eſt, ſed alienum. Cùm honorari cupimus, benè optamus aliis, peſſimè Cap.

Digitized by Google

peſſimè nobis : aliis optamus virtutem, nobis periculum. Aliena virtus eſt honorari, propria honorare. Honor ſolùm eſt accidens virtutis, & potiùs argumentum dixerim, quàm ſtipendium. Maior honore ille eſt, minimè è plebe captatura mercedem ſui, quam ingratum vulgus non conſueſcit ſoluere, nec ſi gratiſſimum ſit, poterit. Licèt honos propter virtutem ſit, non eſt propter virtuoſum. Propter improbos potiùs eſt, ad teſtimonium ſuæ præſtantiæ, vt quam honorant, aut vident honorari, velint æmulari, inuidere, ſequi. Quemadmodum pharus & accenſæ faces dirigunt curſum nauigantium, non eas nautæ appetunt : ita gloria & claritas indicat, quod ſequendum ſit: non ipſam appetere debemus ; ſed quod ipſa monſtrat,& probat, probitatem, virtutem. Itaque virtutis ſolùm gloria eſt : ſed neque in virtute gloriandum eſt,neque per virtutem honos ambiendus,ne contemnamus id, propter quam honoramur.

Cap. 54. Nunc viam honoris excutiamus,in qua etiam conſcij eius errant. Sat eſt ad errorem, ſi ire velint : ignominioſa citò fit gloria quærentis. Rectum enim iter intentabile eſt ; ſed peruium non tentantibus, quò itur, licèt neſcias ire; quò itur, quin velis; imo tunc maximè, cùm nolis. Appendix virtutis, honos eſt : accurrit quærenti aliud, id eſt, virtutem, ipſe minimè per ſe appetendus : quare iam digreditur à via, qui ex propoſito graditur rectà intentus honori ; decidit à virtute, cuius acceſſio eſt gloria. Virtus non eſt, vbi præter ipſam aliquid etiam ipſius petitur. Quare, qui quærit honorem,hoc ipſo amittit illum, dum amittit virtutem, ſine qua honor non eſt ; qui, licèt propter virtutem ſit, & ab ipſa, non eſt per ipſam. Tam abeſt quærentibus gloria, vt his turpior ſit. Iam cùm quæris, infamis es ; & licèt per virtutem quæras, per infamiam quæris, ſi quæris, & non accidat. Hoc ipſo quòd velis laudari, indignus fis laude. Aduoco conſcientiam omnium vota honoris occultantium, non occulta erubeſcentium. Nónne infame eſt vſurpare aliena? Hoc facit, qui honorem cupit, ſiue per infamiam, ſiue per virtutem. Nam, qui honorem ſibi per virtutem quærit,ſi rectà illum intendat, virtuti abſtulit, quod ſibi vſurpat. Ἀρετῆς πρώτης μάλιστα ἄνθος, τὸ μετὰ κινδύνων, καὶ θλίψεων, καὶ παρευδοκιμουμένην ὑπὸ τῆς κακίας ἀσπάζεσθαι τὴν ἀρετήν. Hæc ait Photius in epiſtola ad Arſenium. Intimandum tamen eſt optimum dictum peſſimi hominis, & non honorem quærere, ſed virtutem, etiam cum contemptu diligere ; imò contemptum cum virtute, & ſine virtute, dum non contrà, non timere. Errant itaque, qui quærunt gloriam, quam nemo veram inuenit, qui quæſiuit ; dum hoc ipſo, quòd quæſita ſit, amittatur. Ille ſolùm glorioſus,qui contempſit & ſe,& gloriam. Nemo honorabilior, nemo magnanimior humili, qui non ſua, ſed etiam ſe deſpexit; non honorem, ſed honorandum quoque. O quàm magnus animus, qui ipſam animam contemnit! qui ſe rerum dominum! Quò res minùs æſtimamus, plùs æſtimamur. Inæſtimabilis erit, qui ipſam æſtimationem non æſtimat. Velut in bilance comparamur rebus ; quantò vna lanx deprimitur, tantò attollitur altera ; tantò vileſcimus, quantò res pretiamus ; tantò attollimus, quantò ipſas æſtimatio deprimit. Magnus eſt, qui parua omnia dicit : maximus,ſe, inquam, maior, qui ſe ridet, qui ſe negligit. Ille honoratiſſimus, ille digniſſimus, qui honores, qui dignitates deſpicit. Caſſius Longinus in libro περὶ ὕψους, egregiè inquit : Θαυμάζουσι τῶν ἐχόντων τὰς τιμὰς, δόξας, τυραννίδας. μᾶλλον τοὺς δυναμένους ἔχειν, καὶ διὰ μεγαλοψυχίαν ὑπερορῶντας. Quare ſecurior honoris via, eiuſdem contemptio eſt. Magis dignus fit, qui recuſat, quo dignus eſt : dilatat honorem, quem ſpernit. Hic maximus eſt, cuius gloria eſt inferior, aut virtute, aut cupiditate : nec tantùm illum eſſe delatus honos monſtrat, quemadmodum contemptus maius quid quàm mereri facit, qui quod meretur, non expetit.

Prima virtutis flos eſt, per pericula, & calamitates ad contemptam & obſcuratam à malitia virtutem anhelare.

Mirantur habentes honores, glorias, regna: magis admirandi ſunt, qui poſſunt habere, & propter magnanimitatem deſpiciunt.

Vtrumque humilem, & ſuperbum contemptio facit : illum contemptio ſui;hunc aliorum: illum contemptio rerum ; hunc perſonarum. Prudentiſſimè ille : Cap. 55.

Iudex ipſe ſui totum ſe explorat ad vnguem.

Contemnit ſe,quia dignouit; ſua, quia minora ſe noſcit : ſuperbus cæco iudicio ignarus ſui, & rerum, ſe præfert aliis, ſua ſibi ; tam damnatis, ſiue ſtultis, ſiue iuſtis votis, vt dum æſtimari vult ſuper alios, in contrarium relapſa cupiditas faciat contemni ; &, quod miteris, non ſolùm, quòd contemnant alij, ſed ipſe ſe infra omnes. Nunquam ſibi placere vult, ſed aliis : alieno ſe taxat arbitrio, nullam ſuæ mentis fiduciam habet : cuius, etiam mendaci, (nam adulatoribus fidem prodigit,) de ſe potiùs, quàm ſibi credit. Hoc contemnere eſt,hoc ſubiici aliis. Quid? Humilíſne ſuperbus erit? Non. Vilis eſt, & ab ipſis, quos putat viles, pendens ; mendicátque honores ſui contradictione iudicij.

DIORISMVS V.

Ex comparatione vitæ, & mortis.

Cap. 56. Demum poſituri vltimam manum opinioni, vitam, & mortem conferamus, & inter vtramque dirimamus litem. Vulgus, bonorum maximum, vitam putat ; mortem, malorum potiſſimum. Fallitur non minimè : atque vt in cæteris bonis aberrauit, in maximis maximè errat : namque potiùs vita, maximum malorum eſt, ſi non benè viuis ; & mors, bonorum maximum, ſi non malè moriaris : nec malè morieris, niſi malè vixeris. Vita non bona ſpatium malis, & ſceleribus laxat ; mors non mala finit mala, & miſerias. Ictericus ob amarum humorem amarè afficitur dulciſſimo melle : ſic mali malè iudicant mortem, dum malam putant ; ſed non eſt mala, niſi illis, quia fecerunt malam peſſima vita. Suffragiis nihilominùs hanc litem dirimamus, non quæ numerentur, ſed ponderentur. Omnis Philoſophia contra vulgarem opinionem inauguratur ; & quam multitudo timet, docet ſemper contemni, interdum optari. Quotumquemque ſapientum contemptio fatorum non immortalem fecit ; quorum enim vitam memoria mortis compoſuit, hos memoria ſuæ vitæ à morte

morte reuocat poſteris. Socrates conſummauit ſapientiam in [illegible] moriendi, Pythagoras facilitate, Anaxagoras garrulitate, Calanus adhuc temeritate, omnes contemptu. Nullus ſufficiens titulus odio mortis eſt, plures voto; ſiue reſpicias, quid ipſa ſit; ſiue quid ipſi accedat; ſiue mala, quibus aſſerit; ſiue bona, quæ inſerit; & quia ipſa malum non eſt; & quia bonum eſt: quin, licet malum eſſet, non compenſaret bona, quæ confert; licèt bonum non eſſet, non exæquaret mala quæ aufert.

Cap. 57. Quid habet egregium vita? contentionem, & pertinaciam miſeriarum*, quarum multitudo iam obruit formidinem, quas nimia aſſiduitate minùs timemus. Supplicium animarum Orpheus putauit vitam, ſimile illi, adiecit Ariſtoteles, quo viui cadaueribus conſtricti, os ori, pectus pectori, manus manibus, atrociſſimè cruciabantur. Conſtringitur pura, æternáque anima putri, fluidóque corpori. Rogo, ſi hominem repentè condidiſſet Deus, vſu mentis libero & perfecto, in cuius conſpectum vniuerſum genus noſtrum dediſſet, credo, vt primum diſſiparet obtutum, impingeret, & lacrymis contaminaret oculos occurrens aliquis miſer: aut orbum oculis offenderet, aut mutilum manu, aut claudum, aut mendicum, aut decrepitum, aut languentem, aut exulcerantem, aut rixantes, aut proditione & homicidio occupatum, aut furentem, aut flentes plurimos: & ſi intima penetraſſet, omnes deſiderantes; maxima miſeria cupiditas eſt. Fortaſſe tali facie rerum attonitum pœniteret vitæ: in vnum libenter relaberetur nihil. Propterea natura ſolers rationem lentè, & auarè diſpenſat, ne ex abrupto malis terreamur, ſed aſſuetudine feramus minus ingratè. Abner, Orientis Rex, filium ab infantia magnificis clauſit Prætoriis; &, ne aliquid humanum ſciret, prohibuit omnem miſerum conſpectu: curauit, ne quid triſte, nec flebile videret, nullam calamitatem, nullum morbum, nullum pauperem, nullum dolentem, nullum ſenem: ſemper coram illo placida dici, agi. Stultiſſimus conatus, clauſtris, & muris obſtare triſtitiæ; & fores occludere mœrori, cui patuit ianua vitæ. Per ipſa oblectamenta inuaſit triſtitia; per ipſas voluptates irruit dolor ſui faſtidio. Tam conſtat inſtabilitate cupiditas, vt continua lætitia triſtet. Certè licèt omnes Abner miſerias interdiceret præſentia filij, non potuit ſenſu: licèt poſſet omnia arcere mala, non potuit cupiditatem. Cupiit filius. Iam triſtis inter læta fuit. Et quid putas cupiiſſe? Non tam lætum eſſe: tædio enim tantæ iucunditatis petiit à Rege clauſtra illa miſeræ felicitatis violare: intercepit ſuis votis patrem, qui, ne triſtaret filium, conſilium non triſtandi violauit. Permiſit adoleſcentem exire. Cauit tamen, ne quid triſte, quâ tranſiret, occurreret: omnes cæcos, omnes informes, aut mutilos, omnes pauperes, omnes ſenes amouere via iuſſit. At, vbi ſic diligentia potuit, vt omnes miſerias celaret? Tot ſunt, vt abſcondi nequeant, non dico tolli: non ita valuit potentia, ac infirmitas humana, quæ inuito Rege ſe exhibuit: offendit adoleſcens leproſum & cæcum, obſtupuit, contremuit, velut qui ad ſpectrum ſubſiſtunt exanimes: rogauit, quid illud eſſet: conſciúſque fructum eſſe humanæ vitæ, ſatis hoc fuit ad contemptum eius, ad diſplicentiam omnium voluptatum, ad tædium deliciarum: & quò minimam partem vitæ haberet, vbi maximam habet fortuna, renunciauit, ſi non vitæ, ſpei vitæ, aut, quod pretium vitæ multis fuit, regno, & fortunæ: confugit, qua valuit diligentia, ad ſimilitudinem mortis, vt, ſi non tutus, ſecurus foret. Si tam leui iniuria adeò offenſam vitam habuit, quid putas, ſi libraret per vniuerſa obtutum, & lynceis effoderet oculis mauſolea vermium, caueas ſaginantium ſe ſaginatis? Si luſtraret omnes angulos Orbis, & ſordes aſpiceret, quibus celebrantur fundamenta vitæ, quibus dedicabatur noſtra miſeria, doloribus matris, fletibus infantis? Quid, ſi penetraret & cubilia & pectora? lacrymantes videret, & optantes: videret faſtidientes: hunc deflere ſponſam; illum liberos: hunc famelicum; illum nauſeantem: hunc ſolicitum pro neceſſariis; illum anxiè occupatum ſuperfluis? Quid, ſi nullam inueniret ſine ludo fortunæ domum, nullam ſine lacrymis? Quid, ſi tot, quot dolor exurit, quot morbus infeſtat, quot curæ deuexant, quot cupiditas rotat? Fortaſſe tot calamitatum viſis attonitus detrectaret vitam, qua ſic miſeriis morimur, qua ſic in nobis miſeriæ viuunt. Optaret ad minus induſtriam tot ſe eximendi malis: gauderet, ſi renuntiaretur inuentus libertatis modus, ſi audiſſet & aliquos aſſertos, quibus maximè inuideret, nihil magis cuperet, quàm illum modum ſcire: cùm primùm audiret mortis inuentum, maximè probaret; credo, & optaret. Quin ſi deliberaretur, an miſeris mors concederetur? Suffragium non negaret: quod tunc votum fuiſſet, nunc fauor erit.

Si quis furentibus circumſeptus feris hinc irruentem in ſe ſpectaret impetu tygridem, illinc exerto vngue leonem, inde tortuoſum colubrum, aut illum, qui ſenſu necat, Cap. 58.

Sibiláque effundens cunctas terrentia peſtes
Ante venena nocens, latè ſibi ſubmouet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arena.

atque plebem vndique ferarum, & venenatorum, vrſos, tauros, lupos, ſcytalas, cherſydros, dipſadas, ſepedones; ad hæc, imperi telis, circumquaque pericula hauriens, quo pretio emeret iſte ſpem; quanti faceret exitum? quæ maior putaretur felicitas, quàm tot redimi periculis? Anne minor erit malis eripi maioribus? Circumdant nos, imò inundant cupiditates ferociſſimæ; dilacerant nos votis; fortuna iaculis nos ſauciat fortiter; vndique malorum ambitu concluſi ſumus; vndique miſeriæ inuadunt: quædam minantur; quædam torquent; imò iam omnes torquent, dum minantur aliquæ: minas timor facit tormenta. Inuentum diuinum mortem habes omnium horum malorum euaſionem. Illa facit, ne miſeria æternùm procedat. Neſcio quo pacto timetur, cuius tot ſunt philtra, quot damna vitæ? Satis eſt periculum, vt ames ſecuritatem. Sola mors malis nos ſecuros facit; ſola curat tot mala. Hauſta cicuta Socrates Æſculapio fieri ſacra iuſſit medicinæ Genio: panaciam mortem agnouit:

uit: omnium malorum remedium eſt, quo deſinunt omnia.

Cap. 79. Ridiculas fudit Xerxes lacrymas meritò ab Artabano refutatas, cùm ab eminenti iugo circumquaque demiſſit oculos, tuitúſque tot homines, quot ſufficerẽt inuertendo Orbem, à quibus nec montes, nec mare, nec natura ſecura fuit, nec cælum, ſi placuiſſet, clarum: fleuit fata omnium celerima; timuit, quos ad mortem præcipitabat, ſolennes hoſtias inſaniæ mactaturus ſuæ, intra centeſimum annum mori: cita illi mors ſæcularis eſt viſa. Satius fuiſſet flere, quia tam lenta, & ignaua, vt per ſæculum laxaret vagari mala. Sanè, ſi, quemadmodum è vertice illo vidit homines, vidiſſet etiam humana; ſiccaret madida lumina memoria mortis medicaturæ omnibus; nec timeret illam, quæ timenda tollit. Non eſt mala, quæ redimet malis. Si rogarem vitæ, mortiſque expertos, vtram eligerent, an repetere illam, an ſeruare iſtam; nemo vitam, niſi indigniores illá; niſi ij, quibus, peſſima fuit, repeteret: eos autem, quibus bona præceſſit vita, nunquam pœnituit, nunquam pœnitebit mortis, numquam cupient vitam, quam plùs mortui formidabunt, quàm viui timuerunt mortem. Staniſlaüs Polonus, vir ſummæ ſanctitatis & conſtantiæ, optionem cuidam dedit, vitæ, aut mortis; qui tamen maluit iterum mori, quàm ſecundò viuere: faſtidiuit vnam vitam, non duas mortes.

Cap. 60. Quid iam opus erit inexpertos vtriuſque rogare? Si animæ ſubſiſterent, vt Origines aliquis delirauit, vt Cebes, vt Plato, vt Hermes, vt quique Philoſophi fuerunt, Patriarchæ Hæreticorum, antequàm in vulua clauderentur; recuſaturas putares carcerem illum anguſtum, fœdum; volui ſanie ſeminali horrerent. Quid, ſi renunciaretur, nouem menſibus futuras in caligine lucis; pluſquàm nouem annos in caligine rationis, aut hallucinatione; Quid, ſi labores, neceſſitates, ſitim, famen, quibus ante experientur miſerias vitæ, quàm haberent? Iam ab ipſo vtero eruditur infans miſer eſſe: fuga famis agitat fœtum, vt clauſtra vuluæ violet, & in luce ſperet remedium. Egreditur, iuxta Hippocratem, ad quærenda alimenta exteriùs, cùm intus materna annona non ſufficiat. Sed à miſeria in miſerias labitur. Quid, ſi per foramen aliquod perſpicerent paralyticos, cardiacos, cancro exeſos, ſcabioſos, podagra, lapilloque laborantes, & alia ſexcenta mala, qualia Pherecydem, aut Antiochum, aut Herodem, aut Leutharen ſuos veſana rabie laceratos dentibus artus deuorantem, ſuum ebibentem cruorem, inuasêre? quid, ſi ea, quæ ampliauit noſtra cupiditas, æmulationes, bella, homicidia, clades? referrent pedem fortaſſe & obtutum, ne tot mala viderent, ne dicam periclitarentur, aut ferrent. Plato ſuſpenſionem rationis infantiæ, hallucinationem pueritiæ, ſtupori, terroríque animarum tribuit, quo corripi putauit, in has demiſſas miſerias, tranſlatáſque à luce in tetrum, obſcuriſſimque carcerem & corporis & Orbis, quaſi conturbatæ ſorte ſua extra ſe eſſent. Ad augmentum turbationis adiecit Proculus conditionem mutationis, multitudiniſque, certè malorum, miſeriarúmque, in quam depulſæ ſunt. Adiice; quid ſi audiſſent lætiorem partem vitæ, faciliores lacrymas habere, & florem ſuum marcere fletu aſſiduo? Terret pueros flagellum, quorum feſtiuitatem metus ludimagiſtri funeſtat. Quid, ſi optatiorem partem nouiſſent miſeriorem?

Multa ſenem fragilis vexant incommoda carnis:
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra,
Tunc genuũ iunctura riget, venaſque per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis:
Sic baculo nitens artus ſuſtentat inertes.
Quid triſtes memorem gemitus? quid tædia mentis?
Somnus abeſt oculis.

Adiice Columbano aduentitios morbos: confluunt enim in ſenectutem, & ſtagnantur omnes ſordes vitæ; & ibi cùm maxime moribundi ſumus, renaſcuntur extinctæ ægritudines. Nullo maiori alueo influunt amnes, quàm vbi deſinunt. In hoc tamen agnoſco beneficium naturæ arcentis ſenio voluptates, vt ſanior, viuaciórque animus morti inſtrueretur, aduocantíſque dolores, vt vel inuiti concupiſceremus fata, ſaltem ne oderimus. Verùmne iſta crederent animæ illæ proſpectantes, aut auſcultantes omnia? an ſpectrum, an fabulam? Si vera putarent, libentiſſimè mortem præferrent: nollent naſci, ſed ſaltu præterire vitam, cuius lætior pars flebilior eſt, cuius optatior eſt triſtior. Nec miror Iſidem in libro ſacro animas iuſſas ſubire corpora, dixiſſe conſternari: Αἱ δὲ τότε πρῶτον συγνάσασαι, κατακρίτους ἑαυτὰς μαθοῦσαι. tum alias gemuiſſe, & inſtar ferarum eiulaſſe, alias viperarum ritu ſtridiſſe, alias lamentatas. Camephes iſtas animarum querelas ſcripſit: Τί ταῖς δυστήναις ἡμῖν ἀτρεπὲς οὕτως πέπρακται; τί τῶν κολάσεων τούτων ἄξιον ὃ καὶ τὰς δειλαίας ἡμᾶς ἁμαρτίας ἀπειμένοιτο, ὅσα διὰ τὰ πονηρὰ τῶν ἐλπίδων πράξομεν, ἵνα τῷ ὑδαρεῖ, καὶ ταχὺ διαλύτῳ σώματι περιζωσώμεν τὰ ἐπιτήδεια; Ὀφθαλμοὶ τὰς οὐκ ἔτι τοῦ θεοῦ ψυχὰς χωρήσουσιν, ὀλίγοι καὶ παντελῶς μικροὶ τῶν ἐν τούτοις ὑγρῶν, καὶ κύκλων. Τὸν ἑαυτῶν πρόγονον οὐρανὸν ὁρῶσαι, στενάξομεν ἀεὶ, ἔστι δ' ὅτε καὶ οὐ βλέψομεν, ἔνθ' Ὀρφεύς.

Τῷ λαμπρῷ βλέπομεν, τοῖς δ' ὄμμασιν οὐδὲν ὁρῶμεν.

Ἄθλιαι γὰρ κατεκρίθημεν, καὶ τὸ βλέπειν ἡμῖν ἐκ ἄντικρυς ἐχωρίσθη, ὅτι χωρὶς τοῦ φωτὸς ἡμῖν τὸ ὁρᾶν οὐκ ἐδόθη. Τόποι τοίνυν καὶ οὐκ ἔτι εἰσὶν ὀφθαλμοὶ, ὡς δὲ καὶ τῶν συγγενῶν φυσώντων ἐν ἀέρι πνευμάτων ἀκοῦσαι τλήμονες οἴσομεν, ὅτι μὴ σύμπνεομεν αὐτοῖς. Οἶκος ἡμᾶς ἀντὶ τοῦ μεταρσίου κόσμου τούτου ὁ βραχὺς ἀπείμενει καρδίας ὄγκος. Ἀεὶ δ' ἀπολύσας ἡμᾶς, ἀφ' ὧν εἰς οἷα καταβέβηκεν: Ἀπόλει τὸ λυπεῖσθαι, δέσποτα, καὶ πάτερ, καὶ ποιητὰ, καὶ ταχέως οὕτως τῶν ἔργων ἠμέλησας, διάταξον ἡμῖν τινὰς ὅρους, ἔτι κἂν βραχέῳ ἡμᾶς ἀξίωσον λόγων, ἕως ἔτι δι' ὅλου τοῦ φαινομένου ἔχομεν βλέπειν κόσμου. Petierant animæ ad ſolarium vitæ mortem, & ſiquidem in corpore victuræ eſſent, ad minus tandem mori: poſt non viuere nihil antiquius fuit, nihil beatius, quàm citò mori: adeò præ vita optanda eſt mors.

Illæ verò tum primùm conſternatæ, poſtquàm ſe condemnatas intellexerunt.
Quid miſeræ tã turpe geſſimus, támque dignum ſupplicijs, quæ nos ob merita noſtra manent, vt humido, frigidóq; corpori præbeamus neceſſaria? Oculi noſtri haud ampliùs diuinas conſpicabuntur animas, quandoquidẽ parui ſunt, exiguis humoribus & orbibus præditi. Auctorẽ verò generis noſtri cælum ſuſpicientes, gememus ſæpe, atque interdũ haud videbimus, quẽadmodũ Orpheus, Lumine conſpicimus, oculis nil cernimus vnquam.
Etenim condemnatæ ſumus miſeræ, neque nobis aſpectus planè attributus eſt, quoniam is lucem requirit. Quocirca locorum interualla ocularũ vſum adimunt, miſerè quoque cognatos in aëre ſonantes audiemus, quod ipſis non adſimus ſpiritus. Iam domus nos pro ſublimi hoc mundo parua cordis moles manet. Qui autem nos abſoluit, de qualibus in qualia tranſtulit? Tu verò, Domine, Pater & opifex, qui tã facilè tua negligis opera, terminos nobis quoſdã ſtatue, ac vel paucis nobiſcum age, dum per totum nobis licet mundum deſpicere.

Cap. 61. Vitæ autem, opinor, nulla conſideranti pars optata erit. Tota tot laboribus constructa eſt, vt ipſa ſibi ſit moleſta. Velut fatigati ſalebroſa & accliui ſemita, quieſcunt paululùm, vt recreentur, anhelent, reſumántque ſpiritus, quo procedant iam placidiùs per decliuia & plana: ita vita

iſta confragoſa, & quiete, & pauſa mortis indigebat, vbi reſpiraret, emitteretque liberum ſpiritum reſumendum poſteà ad progreſſum æternitatis. Immortalitatem noſtram vita fatigata nequit continuare: tam longum iter interruptè peragi non poterat; manſio neceſſaria fuit: diuerſorium mors eſt, vt inde repetamus expeditionem immortalitatis. Quid? nec ſpectare ſeram mortis pauſam poteſt: per interualla, & ferè paſſim quieſcere eſt neceſſe; quemadmodum viatores nimis fatigati poſt aliquos greſſus ſedent, nec dilatant recreari ad hoſpitium; ita ob nimiam laborum, moleſtiarúmque importunitatem, non expectatur diuerſorium, non expectatur mors, in ipſa via cogimur morari. Quid ſomnus quotidianus eſt, niſi laſſæ & deficientis vitæ neceſſaria pauſa, & reparatio? Adeò præſtat mors vitæ, vt mortibus vita ſuſtentetur, id eſt, immortalitas ſomno eiuſdem mortis vicario, & effigie. Arundo, quia fragilis eſt, interpoſitis per ſpatia nodis ſuſtinetur: ita niſi fortificaretur vita per interualla, ſimilitudine aliqua mortis, citiùs collaberetur.

Cap. 62. Nunc confer mortem cum vita: ſi illa huius recreatio eſt, iucunda erit: licèt bona mors non eſſet, faciet ſuauem vitæ moleſtia. Quietis voluptatem laſſitudo præparat: nequit placidum non eſſe, quod ſuccedit acerbis. Egregiè Charidemus diſſerebat, per omnia portendi catenam voluptatum & ægritudinum, inſtar annuli annulo connexarum, viciſſim ſuccedentium, mutuò illigantium ſe: ita ægritudini maiori ſucceſſuram maiorem voluptatem. Quæ maior ægritudo quàm mortalis? Nulla ergo maior voluptas, quàm mortis grauiori morbo connexæ. Phalaris ait: Iucundam hanc vitam ducimus, eò quòd nihil morte grauius opinamur. Ex opinione vulgi loquitur, & adhuc cum iniuria vitæ, non æſtimantis illam niſi per mala. Ego potiùs dixerim, iucundam deberi mortem putari, eò quòd nihil vita ſit grauius. Fallimur tamen emergente nonnullorum felicitate. Verùm & felicitas iſta adulterina eſt & rara, minùs vouentibus contingens. Ne illos pauciſſimos ſpectes, qui è vitæ naufragiis enatant nonnihil, merſos potiùs conſidera: innumeri iſti ſunt; pauci tamen putantur, quia non apparent.

Cap. 63. Ne, quæſo, in teſtimonium admittas lacrymas, quibus fœdantur funera. Opinio vulgus agitat, & quiſque ſe potius deflet, quàm quem prætendit defunctum: lacrymas, dico, alienas ne aduoces ad huius rei fidem; potes proprias: nemo niſi proprio ſenſu beatus, aut miſer eſt. Quid intereſt, quo proponas vitam morti, quòd, cùm morieris, fleant alij, ſi, cum naſceris, tu defles. Ineptè alieno ſenſu taxamus miſeriam. Contraria accidunt morti, quàm in natiuitate veniunt. In hominis ortu lætantur alij; ipſe tamen flet: in morte flent alij; ipſe tamen lætabitur, niſi vita corruperit mortem. Nec quòd iſti lætitiæ ſenſus non interueniat, minorem, aut falſam putes. Infans, qui naſcendo fleuit, dormiendo diſcit ridere, vt Odo, & Auguſtinus aiunt. Ecce mortis ſuæ ſimulacrum riſu dedicat, qui vitam deplorauit: præſagit miſerias in vita, beatitudinem poſt mortem. Fletus naturalis eſt: ſine magiſtro ſunt lacrimæ: lætitia rudis, ſerò venit, nec niſi cum eruditione: naſcitur fletus; diſcitur riſus: dormienti libatur lætitia; hauritur defuncto: dolor, miſeriaque naturalis eſt, nobiſcum oritur; lætitia lenta venit, & nimis negligens; ſi Auicennæ credimus, non niſi poſt quadrageſimum diem aduenerat gaudendi ſenſus infanti. Itaque ideò alij flebunt in morte tua, quia non erunt experti; ideò natiuitate lætati, quia vitam tuam acturi non erant. Tu ſolus augur conditionis humanæ lacrymis, quæ voces ſunt naturæ nolentis, recuſas.

At, quemadmodum contrariæ ſunt cæremoniæ naſcendi, & moriendi; ita contrariam conditionem ſortitur natus, & mortuus. Omnia mors inuertit, aut reſtituit. Credo, dum inuertit, reſtituit: nam inuerſa, qui inuertit, ſtatuit, & dirigit. Ritus funeralis eſt apud Tebitenſes pro funebri amictu vertere duntaxat veſtimenta, extrinſecam occultando partem, educendo occultam. Euerſio iſta mortis, cum reparatio potiùs ſit, in melius eſt. Egregiè ſapiens Concionator dixit: Ἀγαθὸν ὄνομα ὑπὲρ ἔλαιον ἀγαθὸν, ϗ ἡμέρα τῦ θανάτυ ὑπὲρ ἡμέραν γενέσεως. Cuinam, rogabis, meliorem diem interitus ſui, quàm ortus? in primis ipſi intereunti. Dices, ſi iuſtus eſt; dicam, etſi iniuſtus ſit. Quis dubitat nullum feliciorem iuſtis, probiſque diem, vitam dediſſe, quàm mors, dum aufert, ne miſerias vitæ, vel experiantur, vel videant? Addo iniuſtis adhuc eſſe optimum diem mortis: ſi non ceſſabit miſeria, ceſſabit malitia. Negatus gladius interfecturo ſe, beneuolentia eſt: negata pecunia aleatori ſtatim amiſſuro, beneficium eſt: adempta vita malè vtentibus gratia erit. Cui deinde melior dies mortis, quam natiuitatis? Certè Deo; cùm maximè eius iuſtitiæ, eius miſericordiæ commemoratur, cùm meliùs agnoſcitur. Cuinam alij? Vt taceam, hæredi; vt æmulo, vniuerſis, aut vniuerſo. Vindicatur tunc natura rerum ordine, temperiéque conſtans, conſonans, ſed violata ab homine quàm intemperatiſſimo euerſore totius ordinis. *Cap. 64.*

Bonum nomē ſuper oleum bonū, & dies mortis melior die natiuitatis.

Non tantùm penſemus mortem, ex quibus adducit, ſed quò conducit. Inſtrumentum libertatis eſt; aſſerit malis, confert etiam bona. Non tanti ſolet fieri ſpiritus, vt fortuna. Prodigunt vitam nonnulli pro regno, & quidem plurimi pro alieno: ánne fortuna exæquabitur beatitudini? anne ditio anguli & puncti cæleſti regno? Quæſtuoſiſſima mors tantò plus addit beatitudini, quantùm vitæ detrahit: quò citiùs morieris, diutiùs fœlix eris, diu; nam citiùs, beatior ex minori vita, imò infeliciori. Non rot pollicitus bona erat Hegeſias Cyrenaïcus, tantóque imbuit auditores, non dico contemptu, ſed libidine mortis, vt non ſolùm expectarent patienter, ſed impatienter optauerint; mucronibus ſuis calcaria adhibuêre; non venientem traxerunt: niſi Ptolemei edictum obſtitiſſet, plures odium vitæ, quàm mortis timor vexaret. Cùm mora beatitudinis fuit ante reſeratum Cælum, præmium iuſtitiæ vita longa fuit priſcis Patribus propoſitum: fauor fuit non properare illò, vbi nec meritum, nec præmium futurum erat. Nunc, quia Cælum *Cap. 65.*

Digitized by Google

lum nos expectat, mora mortis non promittitur; potiùs commendatur intempeſtiua & violenta, beatitudinis exaggerata titulo, quia illuc connehat morientes pro Chriſto. Nos non reſpectamus iſta, quò mors ducit: ideò friuolis interdum approbamus votis, & inter vitæ gemebundi miſerias, non ſatis ipſas tenuimus. Quadam ſiniſtra mortis ſuſpicione, quam optare triſtior nos cogit vita, nolumus confidere. Egregiè Locmanus, vetuſtus Perſarum ſapiens, & inter Arabes acceptus, in ſuis iſtud figmentis propoſuit, in illo, qui graui fatigatus lignorum faſce, proiecerat pertæſus cum inuocatione mortis. Adſtitit è veſtigio illa, alioqui vocantibus tarda: Ecce me, inquit: ad quid me vocaſti? Vocaui te, ille reſpondit, vt faſcem hunc humero meo imponeres. Tantus amor miſeriæ ſuæ eſt, meliora non ſpectantibus. Sic diligimus ærumnas, vt tepeſcere velimus, ſiue infidi, ſiue obliti poſthumæ fortunæ.

Cap.66. Quis eſuriens, ſi in ſterili ripa eſſet, vbi nulla ſpes ad remedium ſupereſſet famis, niſi breui recreare feratum gulam laniatu ſui corporis, videns vltra fluuium onuſtas pulcherrimis fructibus arbores, & amœniſſimas, & ſecuras paradiſos, triſtaretur, ſi audiret, pontem eſſe, aut formidaret tranſitum, ſi lembus offerretur, quo tranſcendere poſſet, nec aquis ſe committere vellet inani pacatiſſimi & perſpicui annis metu, malléque perire in crepidine, quàm periclitari in alueo? O ineptos mortales! pro auro ad ſuburbia deliteſcente Inferorum, in viſcere Orbis, perfido vos committitis Oceano, ſolo vadimonio tabularum, vbi, vt Aratus ait, vnum lignum prohibet fatum, & poſt tot pericula, quibus plura videtis, in ipſa felicitatis ſuæ inquiſitione perire, reſiſtente auaritiæ Neptuno, aut puniente: & tamen tranſmigrare in patriam nolumus ad complexus diuinos, ad regnum, vbi non regnat fortuna. Quis poſt longam peregrinationem, laribus & patriæ iam vicinus, vbi parentes, vbi cognati, vbi familiares expectant parati in amplexus, tunc doleret, tunc vellet recedere, priuſquàm aliquem vidiſſet? Deus expectat pater, Iesvs frater, Maria mater, Sancti cognati, Angeli amici: morte ad illos itur: quid dolemus?

Cap.67. Demus, nulli neceſſariam fuiſſe mortem; demus, arbitrio humano commiſſam, & quemque ſui iuris fata habere, vt maxima neceſſitas libido maxima fuiſſet, atque non mori poſſet, qui optaret: volenti tamen reſtaret eadem ſors, & æqualis beatitudinis ſpes. Stultus eſſet, qui nollet per mortem periclitari felicitatem, & æternùm mallet ſecurè miſerum manere, ne ſemel deſineret miſerias, ne ſemel deſineret pericula. Stultè timemus mortem, quam optare, & poſtulare, ſi non eſſet, deberemus. Sapienter Zeleucus mortem edicendam publica authoritate cenſuit, ſi immortales fuiſſent homines. Quin, ſi libera & arbitraria fuiſſet, præoptandam opinor; nunc, quia neceſſaria eſt, non nimium erit ſi tolerandam putes. Imperitè quidam malum neceſſarium dixit, propterea non malè ferendam. Optimam conſequentiam preſſit ex preſſimo, falſóque principio: potiùs bonum neceſſarium mors eſt: at, ſi neceſſitas etiam mala ferenda facit, quantùm efferet bona; Quia bonum mors eſt, gratificari debemus, quia neceſſarium, de ſecuritate lætari. Quantum bonum eſt, quod neceſſe eſt, vt non ſimus miſeri; quæ ſine pretio captiuos liberat, quæ è carcere vinctos emittit ſine fauore Prætoris, quæ exules in patriam ſine poſtliminio reducit, quæ ſeruos ſine conſenſu dominorum manumittit, quæ ægrotantes ſine acerbis potionibus ſanat; quæ, quidquid peccauit fortuna, emendat; quæ iuſtiſſima eſt, & exæquat & reparat, quidquid fortuna malè diſpoſuit, inæqualiter diuiſit; quæ neceſſariò facit, ne ſint mala? Minùs ille erraſſet, ſi neceſſitatem commemoraſſet ad patientiam vitæ, cui maximè illud conuitium competit, quam potiùs malum neceſſarium dicas: nam te in mala intruſit ſine electione tua, cùm electione inducit. Solerter natura prouidit ignaras animas illigari corporibus, & ſine ſenſu coërceri vulla, ne ægiè tuliſſent carcerem. Quis, dum quid ſapiat, in extremum ſpiritum redactus, ſi iteratò concederetur vita, acceptaret ſecundò matricis ergaſtulum ſubire, ſordibus nutriri, aſpectu cæli per tot menſes, ſenſu per tot annos priuari, per tot redire ignominias naturæ, per tot ludibria fortunæ, reſumere amentiam infantiæ, metus puerilitatis, pericula iuuentutis, curas virilitatis, labores ſenectutis? Neminem credo tam feliciter vixiſſe, cui placeret repetita tota vita. In hæc, quæ ſuffragio non repeteremus, ſine ſuffragio immiſſi ſumus; neceſſariò inferuntur, vt ſponte ferantur ad neceſſitatem patientiæ. Sub conditione moriendi naſcimur. Pretium vitæ mors eſt: ad nos pertinet hæc lex, & pro noſtro commodo ferenda eſt, quæ poſcenda eſſet. Planè, ſi abſque lege moriendi vita iſta daretur, recuſanda eſſet.

Nunc ſimpliciter mortem non malam demus ex imitatione bonorum. Nulli meliorem vitam agunt, quàm mortuis ſimiles: quod exemplar bonitatis eſt, malum non erit. Mors eſt optima vitæ idea & norma. Ille laudabilis eſt, quem aſſimilatio mortis commendat; quam qui magis imitatur, magis probus eſt, (nulla verior laus viuentium eſt, quàm ſimulatio mortis,) dum mentem eximit corpore & corporeis, qui è carnis ſe, ſi non contubernio conſortio abſtrahit, qui ſeiungit animum ſenſibus: adiiciam conſequens, qui cõiungit Diuinitati. Cur putas diuina ſæpè oracula dormientibus intimari; Placet Deo ſimilitudo mortis: feriata mens ſenſibus idoneè diuina excipit. Acrior tunc animus eſt, vacante corpore, ſopitis affectibus per interlunium vitæ. *Cap.68.*

Ad hæc, quid Philoſophia eſt? Meditatio mortis. Anne vt ſtupeat? Non, niſi vt exprimat. Quidni? Philoſophiæ fructus, virtus eſt, eiuſdem mortis imitatio, aut inchoatio. Velut flos, & quoddam proludium, eruditióque moriendi, probitas eſt. Itaque illud, quo immortalis, quo æternus erit, initium procemium mortis eſt. Hoc eſt artificium Philoſophiæ, quòd vitam iucundam faciat imitatione mortis, & mortem conformitatate vitæ. Mors intolerabilis eſt illi, qui ſuas nõ deuaſtauit cupiditates, & totum expectat abſorbere ſimul interitum, quem faſtidit. Cibos, ne ſuffocemur, partimur paulatim, & per fruſtula ſumimus: ita mors, ſi per partes ſumatur, guſtui ſeruiet, & ſaluti; ſi hodie iſtam cupiditatem conſciderimus, cras illam. Magnum *Cap.69.*

pondus ſi ferre nequis, per partes tolerabile erit. Occupat Philoſophia in vita partes mortis. quam leuiſſimam ſibi facit minutim moriens. Quid mirum, grauiſſima mors ſit illi, cui multa moriuntur morte ſua? Vnius rei iacturam gemimus, aut honoris, aut voluptatis, aut amici: quantus dolor erit vno omnia perdenti ictu, vno totam vitam amittenti momento? Expedit ſe corpore, extricat ſenſibus anima ſapientis, vt ſecum & cum Deo verſetur: experitur ratiocinari meliùs, cùm nec guſtu, nec dolore, nec auditu, nec viſu turbatur: ipſas cupiditates, amores, metus rerum obſtare veritati; curas corporis remotas eſſe mentis, abeundúmque à corpore eſſe, vt puram aliquam veritatem aſpiciat, & quantùm poteſt, ſe his eximit neruis, ſe deſulit carne, vt lucem veri liberam conſpicetur; eruit ſe voluptatibus, quibus figitur ſenſui, cuius contagio pollui recuſat. Puriſſima veritas eſt, nec patebit, niſi puris, non inquinatis. Totum itaque virtutis ſtudium, ſeparatio eſt animæ à corpore, & quàm proximè accedere ad mortem, quam proptereà, aut amat aut optat; ad minus non timet. Quomodo poterit timere mortem, qui moriendo vixit beatè? qui ſibi eripuit plura, quàm mors rapiet? cuius iam extenuauit ditionem? Quò toto vitæ tempore aſpirauit eripi corpore; iamne potiturus voto ſuo recedet? detrectabit? Ridiculum eſſet, ſi quò feſtinaſti venire, & alius te portet celeriùs & tranquilliùs, indigneris; ſi cùm accedis, iraſcaris: eiuſdem amentiæ eſt, illum, qui toto vitæ tempore ad mortem accedere laborauit, ægrè ferre, cùm aduenit. Nemo, qui alium quærit, aut optat, non gaudet, ſi occurrat. Nemo dolebit, ſi perficiat alius, quod ipſe cœpit, nec conſummare licuit. Perficit natura per mortem, quod virtus in vita inchoat, cuius ſtudium non perit, ſed continuatur. Vſu corporis ſe viuendo interdicit, corpore interdicit moriendo. Suauius eſt carere, quàm non vti, quo non cares.

Cap. 70. Iſtud confinium mortis, & virtutis exhibuimus, etiam ex honoris exhibitione. Quemadmodum virtus exemplo mortis componit maieſtatem ſuam: ita & reuerentiam omnium exigit imitatione etiam mortis. Quid reuerentius proſequimur, quàm cuius reuerentia peſſimi etiam, non putantur mali? Quemadmodum ob honorem virtutis, qui mali ſunt, nolunt de ſe id credere, amantes propriam excellentiam, quam, niſi in virtute, non præſumunt, ne ſe viles putent; gaudent falli putantes ſe non malos: ita reuerentiâ mortis iis, qui mali fuerunt, iam non audemus detrahere, nec malos dicere; imò nec licebit nominare ſine commendatione defunctos, quos vel laudamus, vel precamur, & optamus optima, velut egregiè meritos. Tam venerabilis mors eſt, vt ſua reuerentia etiam contemptibiles venerari faciat. Cui ſuperſtiti inuidebas, mortuum collaudabis. Optimè Mimnermus ait:

Inſigni cuipiam viro proni ſumus omnes inuidere viuo: mortuum autem laudare.

Δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ
Ζῶντι φθονῆσαι. κατθανόντα δ' αἰνέσαι.

Non vltra mortem inuidia eſt, non citra mortem honos liber & ſecurus: nemini non honorificus defunctus eſt. Præſenſit Socrates, ad ſolatium cicutæ, æmulos ſe habiturum poſt mortem laudatores. Quam putas venerationis cauſam? Tacita eſt quædam Philoſophia vulgi, exemptos ex miſeriis huius vitæ putantis beatos: felicitas autem digna honore eſt. Itaque reuerentia mortis meritum beatitudinis eſt. Quòd ſi roges Ariſtotelem, non diſſentiet. Lacedæmones Olympionicarum præmia, & honores, quos ſi quis adipiſceretur viuus, feliciſſimus credebatur, omnibus indulgebant mortuis, laureis redimentes ſertis; quemlibet rati defunctum non minùs felicem feliciſſimo viuentium; non minori honore dignum mortuum, quàm ſummo mortalium. Redundat quoque in mortis honorem, velle à mortuis honorari moribundorum iudicio. Apud veteres Romanos honos viuentium erat morientium ſolùm memoria. Magno honori tribuebatur, cui moriturus iuberet legatum. Calliſtratus libro quæſtionum primo, legato honorari dixit. Suffragium, iudiciúmque morientium captabant, iam mortis vicinia ſapientium, venerandorum. Nemo magis honorari, quàm ab honoratis putat. Nec iſtam gloriam animæ dumtaxat vſurpes. Vide illam vermium annonam, futile, friuolúmque corpus, Philoſophiæ magiſtrum ſuſpectum, & honorabile omnibus: neque conſpectu Regis, ita componimur, ſicut aſpectu cadaueris. Quantâ modeſtiâ iacet, quanto magiſterio? Philoſophus videtur, philoſophari facit; &, quod mireris, non tantùm venerabile eſt, habetur ſacrum: religionis pars eſt, ſepulturæ honos.

Iam, ſi bonitatem ex vtilitate metimur, bonum eſt. quod proficit. Optima mors eſt, aliena prodeſt ſpectantibus, propria commemorantibus Lamæ, Sacerdotes Tibetenſium, iſtam docti Philoſophiam, precaturi concrepant buccinis ex humanis oſſibus, roſaria geſtant ex iiſdem, potant frequenter è cranio. Rogati cauſam ab Antonio Andrada, Societatis noſtræ, & vineæ Chriſti ardentiſſimo operario, nuper poſt ſummos labores, Barbaros iſtos inueniente; præcipuus quidam inter illos retulit, ad fatorum memoriam, ideò clangere tibiis defunctorum, vt mentionem properantis mortis audientibus ſuſurrarent: oraria è globulis cadauerum, ad argumentum; vtilitatis ex noſtræ conditionis commemoratione ratos non minùs, quàm preces, profuturam præſenti vitæ cōmemoratam mortem, manibus ſemper memoralia exitus geſtare, vt continuò eius recordatio adeſſet: rum craniis ad potandum vſos, ad iniuriam voluptatum, vt rerum huius vitæ guſtum imminuerent: denique hanc mortis inſtantem admonitionem antidotum animæ eſſe aduersùs vitia carníſque paſſiones. Eodem pharmaco contra alia ſe muniebant ſcelera. Iuraturi manus imponunt ſuper imagunculas oſſibus ſubactas cadauerum, vt meminiſſent poſthumum iudicium, & Deo, cuius ſunt imagines illæ, poſt mortem reddituros rationem. Certè non barbara, ſed culta Philoſophia eſt, vniuerſam vitam vnius mortis commemoratione condire. Admiranda fuit memoria Mithridatis viginti duarum linguarum tenax: non minùs illa Themiſtoclis, quæ tenacitati adiecit pertinaciam: aut ludicra Senecæ, aut militaris Cyri. Certè nulla felicior memoria, quàm miſeriæ noſtræ, quàm mortis. Quemadmodum Malacenſis arboris radices, qua parte Ortum ſpectant, ſunt antidotum; qua parte Occidentem, virus & peſtis: ita humanæ cogitationes, ſcilicet, radices Cap. 71.

Digitized by Google

radices cæleſtis arboris, quibus cælo hæremus, (inuerſa planta, cæleſtis homo eſt,) qua parte reſpiciunt occaſum ſuum, ſunt ſalutares, & theriaca malorum. Cæterùm, & memoriale mortis ſingulis natura momentis commendauit. Reſpirationem in ſignum regreſſus animæ, Mercurius libro ſacro putauit inculcari. Toties oportet meminiſſe mortis, quoties reſpiramus. Imagine agendæ animæ viuimus, emiſſione ſpiritus continemus ipſum: ad recordationem enim exſpirationis ſpiramus: adeò efficacis mors vtilitatis eſt, vt, cùm nondum ſit, agat; non futile aliquid; facit bonos. Ne malam putes, quæ emittit tam à longinquo radios bonitatis. Nulla bona vita eſt, quæ non ſit debitum mortis; cuius reſpectu componimur.

Cap. 72. Illud, quod in illa ægrè ferimus, certitudinem ſui, incertitudinem modi, gratioſum nobis vtique eſt. Inter cætera enim diuinæ prouidentiæ inuenta, ad humanam gubernationem eſt præſtantiſſimum mors, ingenioſiſſimè diſpoſita, complexa in ſumma incertitudine æqualem certitudinem. Semper nos Deus bonos vult, ſimiles, ſcilicet, ſibi; ideò ſemper incertos vult certiſſimæ aliquando mortis. Ita prouidit, ne ſera ſpatium peccandi concederet ignaris moræ eius; ne velox turbaret: ſed vtriuſque poſſibilitas cautos, non conſternatos detineret. Poſſibilitas celeritatis ſuæ leuat labores vitæ, difficultates virtutis. Leuior laborantibus eſt labor, ſi breuior putetur: moræ autem interuallum plures virtutes capit, quas dubitata excitabit velocitas, cuius incertitudine certiùs boni ſumus. Nam, qui fleret, qui ſollicitus eſſet, ſi vnus dumtaxat menſis reſtaret vitæ, quomodo ridebit, quomodo negliget, qui neſcit, an reſtet vnus dies, vna hora? Occulitur incertitudine tarditas mortis, ne licentiam peccandi laxet. Nunquam Orbis fœdior fuit, quàm cùm vita longæuior, cùm expiari aquis natura neceſſe fuit. Iniuſtus Theophraſti queſtus de natura, dum dies brutis inuidebat, vltra quingenteſimum nonnullis viuacibus, coruis, cornicibúſque. Errauit, voto, & iudicio; & quòd optaret annos, & quòd iudicaret illis menſurari vitam, opere, non die æſtimandam. Studioſis actionibus prorogatur breuitas annorum. Nunquam, niſi cùm vita ſæculis numerabatur, innumera peccata ita compulêre Deum ad pœnitentiam hominum non pœnitentium: peccantibus per fiduciam vitæ, reſtitit morte. Mundum humana vita immundum, pollutúmque luſtrauit interitu humano. Deinceps damna longæuitatis reparauit diligentia celerioris fati; contraxit poſtmodum vitam, vt vicinia mortis meliores fuiſſemus. Sic prodeſt mors, ſic iuuat certam eſſe, ſic incertam: pluribus nos expedit erroribus iſta incertitudo certò moriendi, qua cogimur reſipere, qua compellimur cauere, qua impellimur non malos eſſe. Diuinum itaque inuentum mors eſt, ſapiẽs diuinæ politiæ inſtitutum. Maximè illud approbauit Zaleucus, promulgaturus ipſe legem moriendi, ſi naturæ edicto vniuerſis publicatam non videret. Atque in prooemio Legum Locrenſibus latarum monet: Τίθεσθαι πρὸ ὀμμάτων τὸν καιρὸν τοῦτον, ἐν ᾧ γίνεται τὸ τέλος ἑκάστῳ τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ ζῆν. πᾶσι γὰρ ἐμπίπτει μεταμέλεια τοῖς μέλλουσι τελευτᾶν, μεμνημένοις ὧν ἠδικήκασι, καὶ ὁρμὴ τοῦ βούλεσθαι πάντα πεπρᾶχθαι δικαίως αὐτοῖς. Διὸ δεῖ ἕκαστον παρ' ἑκάστην πρᾶξιν, ἀεὶ συνοικειοῦν τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς δὴ παρόντα. οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα τοῦ καλοῦ, καὶ τοῦ δικαίου φροντιεῖν. Maximè itaque ad inſtitutionem humanam iuuat mors, cuius memoria cunctos continet. Omnes Reſpublicæ ſequutæ Vniuerſi gubernationẽm, leges moriendi ſanciunt.

Ob oculos ponere tempus iſtud, quod vnicuique eſt finis vitæ futurum: morituros enim omnes iniuriarum, quas commiſerunt, memores pœnitentia inuadit, & vehemens cupiditas, qua vellent exactam ſibi vitam omnem fuiſſe iuſtam. Quamobrem ſingulos oportet ſemper, in ſingulis actionibus illud tempus adeò ſuis cogitationibus familiare facere, ac ſi præſens eſſet: ita enim maximè honeſti, iuſtique cura vigebit.

Cap. 73. Certè diuinæ prouidentiæ clauus præcipuus in regendis hominibus mors fuit: nunquam ſine morte humanarum rerum gubernacula geſſit: adhuc cùm immortales eramus per mortem tueri immortalitatem voluit: promulgauit Adamo primogenitam ieiunij legem cum interminatione moriendi: deinde mortis artificio continuit, ne miſeriæ æternæ fuiſſent, ne ſcelera libera: lapſum ipſe patientia mortis erexit; reſtitutíſque cum cumulo antiquis honoribus, reparatis originis damnis, recreata vita, promiſſa immortalitate etiam corporis, mortem nihilominùs ſeruauit æquè certam, æquè incertam. Adeò placuit diuinum illud mortis conſultum, immutare noluit omnibus mutatis: ex miſericordia fuit, quòd tanta miſericordia non abrogauerit. Non itaque eſt, cur queramur de natura mortis omninò ad noſtrum excogitatæ commodum, cùm ipſa incertitudo exitus, quæ plùs nos fodicat, ſalutarior ſit. Præſtituitur certum naſcendi tempus, vnus præſcribitur videndæ lucis modus: non eſt moriendi ſtatuta cæremonia, ſine tempore, ſine modo, omne tempus admittit, multos modos. Beneuolentiæ fuit plura pandere oſtia fugientibus mala: vna tantùm ianua introducimur in vitam, multis educimur. Sat eſt ad periclitandum vna via, multæ patent refugio. Non eſt opus exſpectare ſeptem, aut nouem menſibus, vt moriaris: natiuitas interuallis dilatetur. Quid manent victuros, niſi infortunia vitæ? Mala qui tollere non poteſt, tolerare non audet, protelat. Mors optima eſt, ideò ſine lege moræ. Nec tantùm iuuat, ne patiaris mala, quantùm ne facias. Vt omni tempore bonus ſis, mori omni tempore potes. Iuuat quoque inconſtantia loci, & modi, ne vllus ſitus, aſylum peccandi ſit; ne vlla occupatio, excuſatio moriendi.

Cap. 74. Propterea ad gloriam mortis ſpectat facilitas ſua compenſaturæ difficultates vitæ. Non ſine conſilio, diuinóque priuilegio malè hærentem animum corpori geſtamus, vt facilè excidat; tenaciora vitæ ſunt bruta. Nullum debilius, nullum fragilius homine animal: leuiſſimis cadit impulſibus: ſtatim non benè conueniens corpus ponit. Pilus dumtaxat ſpiritum Fabij extrudit; granum vuæ Anacreontis expectorauit animam: tantùm in his valuit mollitia pili, minutia grani, quantùm in Æſculapio fulmen. Coma tam facilè obiit, quàm voluit; Baptiſta Mirandulus quàm cogitauit. Illius intra pectus clauſa anima ſe foras trudit, ſine vllo apparatu, ſine morbo, ſine ferro, ſine veneno, ſine laqueo, ſine præcipitio: iſte fugato hoſte cecidit illæſus opinione ſola vulneris. Nulla morti clauſa ianua eſt, per ipſa vitæ officia graſſatur, &, quod mireris, per beneficia, per gaudia. Fortaſſe nulla violentior mors, quàm per aliena inuadens, cùm, quia iu-

cundiùs viuitur, moritur. Ipſa ſua plures vota occiderunt: commodis ſuis vita perditur. Honos Clidemum occidit, exultatio Diagoram, quies Platonem, riſus Philemonem; lætitia iam notior & gratior homicida eſt, quæ Siciliam tyranno leuauit. Fortaſſe & per virtutes ſecuriſſima ſubeunt pericula, ſubeunt fata: vt omittam Diodori interfectorem, pudorem; matrem Secundi Philoſophi verecundia extinxit. Caduca poſſeſſio vita eſt: non opus eſt ſuo lapſui violentia, per blandimenta concutitur. Stultè nimio ſtudio retinere volumus, quod vndecunque dilabitur: ſtultè fugis id, quod, qualibet digrediaris via, veniet, aut quò venies. Siue petas, ſiue fugias mortem, æquè occurret: tam viæ, quàm fugæ terminus eſt. Vita eſt peregrinatio ſine errore termini: licèt per maximos errores viæ, quacumque & quocumque vadas, illuc venies, quò tendis: non refert hac, an illac pergas; quacumque incedas, incides in mortem. Tali arte excogitata mors eſt, vt vndique propinqua ſit; tantumdem ſenex & adoleſcens diſtant: & cùm alij plùs, alij minùs viuant, omnes æquè vicini ſunt, omnes æquè expectare poſſunt. Ignarus loci & viæ patibuli, ad quod duæ ſemitæ ducerent, recta vna, altera per circuitum, eodem modo è diuerſis interuallis expectaret accedere: parum refert iuuenis, an ſenex ſis; diuerſis viis incedimus; fortaſſe rectà vadis, citiùs accedes ſene per ambages circumducto. Facile, peruium, vicinum oportebat eſſe omnium malorum aſylum, bonorum veſtibulum. Certè vitam difficulter accipimus, difficulter agimus, difficulter retinemus, & alieno pendet arbitrio. Quiuis vitam auferre tibi poteſt, nemo mortem: in vitam ius habent homines, non in mortem: libera eſt etiam ſeruis, & ingenua. Imperator Leo Iconomachus naſci tributarium fecit: nemo morti impoſuit onus. Non licuit tunc viuere ſine pretio; de ſingulis infantibus primam videntibus lucem exigebat tributum: mori ſemper liberum fuit, ſine onere.

Cap. 75. Anne iſtam libertatem moriendi accuſas, iſtam maturitatem mortis, vt omni ætate opportuna ſit? Accuſas breuem vitam habere, aut potuiſſe habere? Non eſt, quòd indigneris tot annis, non pluribus victurus: nam nec indignatis naturæ, quòd tot te fecerit pondo, non octoginta, non centum. Sicut magnitudinem natura conſtituit, ita & tempus. Nec minùs maior iniuria erit: nam

Longa tument multis tempora fæta malis.

Omnis mors tempeſtiua eſt omni ætati, vtilis, optanda: ſenium à miſeria aſſerit; iuuentutem à malitia; infantiam præſeruat ab vtraque. Senes maturos carpit; iuuenum florem vertit in fructum; infantiam per compendium maturat, ianuam Cæli gratis aperiens, viâ rectâ, & ſine obice dirigens.

Cap. 76. Adiice ad argumentum bonitatis mortis, fuiſſe argumentum Diuinitatis. Donum Dei eſt neſcientis, niſi bona dare. Æmulus Diabolus cultum falſum beneficio mortis fulcit, petentibus magnum donum, exiguam vitam concedens Tryphonio alicui, aut Agamedi, & Argiæ pro liberis. Quod eſſet optimum homini poſtulauerat mater, & conceſſa petitione accepit, quod homini putatur peſſimum, mors. Tantùm intereſt videri, aut eſſe: opinio, aut iudicium: imò quam putamus peiorem mortem, melior ſæpè eſt, feſtinam dico. Quid felicius Pompeio accidiſſet, quàm ante, aut in ſua felicitate perire, cùm ſui deſiderium relinqueret, ſi non expectaret faſtidium fortunæ? Diuinæ quoque beneuolentiæ tributa videò intempeſtiua infantium, puerorúmque fata. Vt omittam Amphiaraüm, ſine fabula hiſtoriam commemorabo, quam annis præteritis hæc Aula Philippica mirata eſt. Didacus Vergara, adoleſcens, qui noſtras frequentabat ſcholas, mirè profecerat virtutibus, quibus charus omnibus erat, & clarus. Quem putas optimæ vitæ ſtipendum nactum? immaturam mortem? inſuper & rapidam; vt nemini dubium fuiſſet diuinum eſſe donum. Seceſſurus in lectum, ad ſororem ſuam dixit: O qualis mihi nox manet! Obſecro, ſoror, relinquas mihi lampadem accenſam. Mox ſub mediam noctem vociferatus excitauit omnes: illa nocte moriturum dicebat: poſtulat acciri Confeſſarium, (erat is ex noſtris Gaſpar Pedroſa:) putabant omnes ſomniaſſe, præſertim adoleſcentis pater Medicus nobilis, cùm integros & pacatos notaſſet pulſus: inſtanti tamen Didaco obſecuti ſunt, & accito Confeſſario, qui iam diuinitùs præſenſione quadam excitatus, præſtóque erat, detexit lætum habuiſſe nuntium è cælo, per ipſam eius Reginam, illa ipſa nocte procuratum, Sacramentis è vita exceſſurum. Accidit ita: nam quædam honeſtiſſima Matrona nunquam hactenus nota, nec deinceps viſa, ſe iis officiis vltrò intrudens, præparauit altare, fecit reſtantia adduci Sacramenta, quibus ille munitus feliciſſimè expirauit. Poterat quidem minori ſtrepitu excedere: ſed caſum putares, intempeſtiuam mortem, non conſilium Dei, non donum. Oportuit inſolentia aliqua argumentum diuini beneficij exhiberi:

Nam, quem tuetur, atque diligit Deus,
Iuuenis ſupremum mortis intrat limitem.

Satis latum viuendi ſpatium claudunt pauci anni, non perdenti illos: non idem putes diurnare, & viuere; non omnis, qui diu fuit, diu vixit.

Salutare quoque eſt illud, cuius nonnulli accuſant mortem, repeti non poſſe, ſperantes ſecunda morte reparari, ſi prima errasſent: Cap. 77. falluntur: ſi ſecundò mors veniret, primam vitam liberaliùs perderemus, in ſecunda non minùs periclitaremur. Ad hæc, quid lucri duplex mors eſſet, cum neceſſitate, ſcilicet, duplicis vitæ? Vt, ſi non bis mali, bis miſerabiles fuiſſemus. Illud mirabile eſt, cùm mors formidabilis ſit, cùm putetur mala, quòd ij ipſi, qui putant, ſecundò optent; & quod ſemel guſtare nollent, velint geminare: cùm alioqui ſi mors mala eſt, iſtud minus malum haberet, quòd ſemel fit. Non ita vrbanæ ſunt aliæ humanitatis noſtræ miſeriæ; inſtant, redeunt, importunæ ſunt, ter, quater, millies: mors non vult moleſta eſſe; quod minùs poteſt, fatigat. Nemini importuna eſt, bis non accedit. Quid adhuc requiris? Bonum repetitionis? Experientia noſſe, quid mori ſit? Nec iſtud bonum abeſt:

Digitized by Google

abeſt: ingenioſè excogitata fata ſunt. Mortem licèt ſemel agimus, non vnâ agimus: experiri poſſumus, imò experimur: per partes ſe inſinuat, periculum ſui exhibet: aut vterina, aut coætanea mors eſt vitæ: ex quo incipis eſſe, incepiſti deſinere; ex quo viuis, moreris, dicam, antequàm naſcereris, mori cœpiſti: infantia mors fœtus eſt, deinde infantiæ mors pueritas, pueritatis pubertas, pubertatis iuuentus, iuuentutis virilitas, virilitatis ſenectus. Deinde in vltimo interuallo debiti naturalis, cùm non ſoluis, poſtulat natura, exigit, & tanquam quæſtura inſtat, pignora petit, ſumit, ab hoc auditum, ab illo viſum, ab alio vtrumque: ſi quis reſiſtat, diſſoluit, mutilat, & minutim ſibi ſatisfacit, donec vltimo fluctu mergat. Pendet ab ipſo exordio finis: nec extremum momentum aliud agit, quàm conſummare, quod primum inchoauit.

Cap. 78. Quidni? Ex ſimulacro noſſe mortem poteſt quotidie experiris, quotidie libas, nec vnum diem agere potes ſine guſtu, & guſtu mortis. Somnus quædam effigies mortis, & prælibatio eſt: ſomnum appetimus, ſomno recreamur, ſomnus requies laborum eſt, reparatio hominis, depoſitio curarum. Nunquam imago adæquatur exemplari: ſi ſomnum cupimus, ne oderimus ideam ſuam præſtantiſſimam; ne timeamus mortem, quam non fecit natura timendam, nec putauit. Potiùs ſpem mortis ſuſtentauit aliqua imagine ad ſubſidium conditionis noſtræ. Ne impatientior mora tanti boni foret, interim conſolari nos voluit ſimulacro ſuo: veluti qui abſentis dilecti præſentiam imaginibus fallunt. Itaque experimentum mortis exhibetur, tum in ſimulacro ſuo, tum in parte eius. Non eſt pars vitæ ſine mortis parte. Quemadmodum ſomnium non accidit, niſi cum ſomno: ita vita niſi cum morte. Velut enim ſomnus imago mortis dicitur; ego puto ſomnium imaginem eſſe vitæ: per imagines ſeducimur: cùm per mortem ſuſcitemur, dolebimus non tam perdidiſſe gaudia vitæ, quàm vidiſſe nulla. Dicebat quidam, malle ſe ſomniare in Inferno, quàm in Elyſiis aruis: nam expergefactus gauderet in mollitia lecti reperiri, non inter ignes cruciari: at, ſi iucundo inſomnio falleretur, elapſa triſtaretur felicitate, quæ non fuit, videbatur. Argutè Heraclitus aiebat, & vitam, & mortem eſſe, & dum viuimus, & dum morimur: cùm viuimus, mortuas eſſe noſtras animas, ſepultáſque in nobis; cùm morimur, viuas. Itaque vita eſt mors animæ, vita corporis: mors verò vita animæ eſt, mors corporis. Nónne ſatis experimur mortem in deteriore ſui parte, & approbamus; cur recuſabimus meliorem?

Cap. 79. Redeo ad vnitatem, ex qua mortem commẽdamus. Vnica eſt, ne aliqua eſſet mala. Vnica eſt vt omnis ſit optima. Diligentiùs vnica ſolicitantur. Ille pauper, vnius ouis dominus, in ſinu mulcebat, ad menſam, ad calicem admittebat, vt Nathan exhibuit. Vnigenitum integris pater curis prouidet; cuius vitæ totius occupationem ſolicitudo chari filij conſumit: ita totam noſtram vitam debet occupare cura vnius mortis. Quidquid rarum eſt, pretioſum eſt: quod vnicum eſt, incomparabile. Nihil optimæ morti comparandum eſt: nihil pretioſius. Cæterùm, optimam non dilatio facit, ſed quod mireris, contemptio, perditio. Nullius mors pretioſior eſt, quàm à quo contemnimur. Ex ſe meritum non eſt, quippe naturæ eſt debitum, vel ab inuitis ſoluendum. Magna ſapientia erit, fata reddere officia; neceſſitatem, virtutē; mortalitatem, immortalitatem; & naturę debitum, ius & titulum gloriæ. Quid pretioſius, quàm ſi debito mortis cælum nobis debeatur? ſi ſoluendo obligemus? Aureos viros Clemens iure vocauit, qui ita occubuerunt, ſcilicet, cùm neceſſe fuit: neceſſitatem fecerunt voluntatem, cùm aut lex, aut ratio, aut Deus vitam poſtularunt: licèt enim mors debitum ſit naturæ, liberaliter ſuum tranſmittit ipſa natura ius, libenter delegat pro ſe creditores patriam, legem, virtutem. Si his ſoluas, contenta manet anticipatione ſolutionis; quin expectes, quòd condicto die exigat. Optimi debitoris eſt ante tempus ſoluere. Dies communis pacto naturæ ſtatutus, ſenectus eſt: optimi cuiuſque erit ante diem reſtituere. At, ſi non agitur nobilitas animi, impellat auaritia quæſtus: dum citiùs ſoluis, obligas. Qui pro pro patria, pro iure, pro Numine, non dico pro nomine, intempeſtiuam tulit mortem, & debito ſe liberat, & obſtringit Deum, obſtringit omnes. Omnes debent benè morienti, Deus cauſam, homines effectum, qui vt minimùm exemplum eſt; cauſa autem, vt plurimùm fides, charitas.

Adiice tantum bonum bonæ mortis, id eſt, ante diem redditæ, gratis eſſe; non actione, non labore noſtro eget: abſque eo, quòd aliquid agas, hoc decus agitur. Mors iſta optima & pretioſa aliena manu fit, non propria; tuliſſe mortem, nō feciſſe glorioſum eſt. Non eſt vinctis glorioſum, non ſecurum, ſed ad maiorem reatum, frangere vincula: ita, qui ruperit pectus ſuum, clauſtrum animi; qui ſciderit, perfregeritq; vincula corporis, damnabilior fit: at, ſi hæc ipſa faciat alius, maximæ eſt gloriæ ferenti. Nullum vinctis decus fuit ſolui dumtaxat catenis; liberi erant, non propterea glorioſi: at, ſi non ſoluerentur, ſed extraherentur anguſta conciſis manu catenis; ſi vincula Iudex, ſi authoritas publica, ſi Imperator dirumperet, glorioſum olim fuit. Iſto honore Veſpaſianus & Titus Ioſephi innocentiam commendarunt: ſimul ferro & probro ſoluerunt, dum ferrum perfregerunt. Titus dixit: Erit tanquam nec initio vinctus, ſi non diſſoluerimus, ſed inciderimus catenas. Hoc idem intereſt inter mortem, quando natura nos diſſoluit, aut cùm vis, & tyrannicus furor frangit, triturat, laniat. Glorioſiſſimum eſt dirupto corpore liberari, non ita diſſoluto. Sanè optimos omnium, innocente natura, quæ tardè illos diſſolueret, plerumque violentia ſuſtulit. In dedicatione mortis in Abele, vbi florem & melius ſpecimen ſui præbuit, vis & inſidiæ dicantur iuſtis: melioribus melior conſectatur mors: quos colit, veneratur, nec tangere audet natura, violat inuidia: quos illa eximos edidit, hæc malè condidit. Et, vt omittam optimos, exhibeo maximos Alexandrum, Hectorem, Achillem, Cæſarem, Pompeium. Fortiſſimum quemque violentia conſumpſit. Alius Alexander, Romanus, inquam, prædicenti ſibi Thraſybulo Mathematico imminere fatum violentum, lætari ſe dixit, quia imperatoria ea mors eſſet, nec alia ſummis, optimíſque accidiſ- Cap. 80.

ſet. Verùm iſtis glorioſiſſimis non fuit glorioſa mors: ſolùm propterea commemoraui, quod propitiam retinuerint gloriam, etiam iniquis Parcis. Illa tamen clariſſima eſt, quæ ſuffragio pereuntis expectatur, quâ creſcit illæſus etiam minutus capite.

Cap. 81. Quare hæc contemptu ſuo pretioſiſſima mors, ſæpè per ignominias glorioſa, debet pulſo omni timore laceſſere cupiditatem. Omnia noſtra ſoliciti ſumus, vt meliora ſint; cur mortem non curamus, non optamus? Quid magis noſtrum quàm mortalitas? In primis titulo ſimplicitatis, quòd mala non ſit, niſi facientibus, qui dum faciunt mala, malam mortem faciunt, formidanda non eſt mors: nihil malum ex ſe habet, niſi turpi contaminetur vita: quidquid mali habet, à vita habet. Si conſcius certò eſſes optimæ vitæ, mortem non formidares, potiùs rideres, potiùs gauderes. Itaque propter vitam times mortem: quare, dum times mortem, potiùs times vitam. Si non timeres vitam, ſi non polluiſſet vita mortem, ánne ita formidares exitum? Non opinor. Igitur per ſe innocens mors eſt, ſincera, ſana, non terribilis. Adiiciam, ſi poſt malam vitam, non corrumperetur, imò ſi ipſius expiaret vitæ malignitatem, & tam valentis bonitatis eſſet, vt malitiæ vitæ, non ſolùm reſiſteret, ſed vinceret, num iſta mors recuſanda foret, an optanda? Percupi quidem debuit. Hanc gloriam habet mors, quam religio, quam virtus exigit: tam affluentis bonitatis, vt exundet, vt optimo, vt ſuo tingat colore vitam: tam optima eſt, vt alienam vitæ malitiam conſumat. Mori vulgaris eſt res, communis: nam & mali moriuntur, & maximè moriuntur: at mori libenter, mori glorioſè, priuilegium bonorum eſt. Præſtat diſcedere à vita, quàm pelli: locum libenter expediamus naſcituris. Vitam non æſtimes cauſa ſui, ſed operum: maximum autem opus vitæ, bona mors eſt. At, ſi pro bono opere perdenda vita eſt, quis hærebit mortem luctari perditione vitæ? Nec eſt, cur timeamus inſtantem tyrannum, imminentem gladium. Vbique natura minatur, quotidie imminet. Cur contemnet hodie benè mori, qui malè poteſt cras? Cur ferrum potiùs times, quàm cartilagines, quàm venas, quàm præcordia, quàm molliſſimas carnes. Inſtrumenta ferrea, poſt decimum, aut vigeſimum annum nullius vſus, aut conſumpta ſunt: tu debilibus artubus & cartilaginibus polliceris ſæculum. Ne promittas tibi vitam caducam, vbi morti tuæ promittitur gloria æterna.

Demus autem, nullam honorificam mortem, nullam bonam eſſe, omnem malam: cur, quam timemus, non curamus? cur, quam non contemnimus, negligimus? cur non præmunimur, ſi mala eſt? Prouidemus pericula contingentia, præuenimus damna fortuita, præſtruimur ad caſus; cur ad neceſſaria non præparamur? Multùm intereſt inter contemnere mortem, & negligere: nulli magis curant, quàm qui contemnunt: nulli magis timent, quàm qui negligunt: &, quod mireris, non ideò timent, quia neglexerunt, ſed cùm timeant, negligunt. O ignauiam noſtram! ad id, quod malum dicimus, non tantùm imparati venimus, ſed inopinantes. Quid agimus, quid vacamus, ſolicita fortuna, ignaua natura noſtra? Reſtauremus mentem, reſtringamus cupiditatem, probemus vera, complectamur bona, figamus nobis gaudium, ſecuritatem vitæ, mortis. Cap. 82.

DE

Digitized by Google

HISTORIA PANEGYRICA,

De tribus Glorioſis Martyribus ex eadem Societate Iesv nuper in Vrugaï pro fide occiſis; quorum Martyrij gloriam multa prodigia ſignificarunt.

Mors excellentium Virorum tantò acerbior ſuperſtitibus eſt, quantò vita iucundiot, & vtilior fuit; nec compenſari alio ſolatio poteſt, quàm licentia laudis: commendatio enim, tutius, & propius cenſus defunctorum eſt; cùm iam per inuidiæ fas, & immunitatem verecundiæ, licet promulgare virtutes innocentes; quæ nec inuidum cædant, nec inuiſum bonorum meritò cruentent arcana pudoris plaga. Etenim, licèt verba omnia in anfractu ſint, & quodam cum periculo; maximè laudatio anceps eſt, & præceps, & vix tuta, & innocens etiam digno, etiam ab almo pectore, niſi cùm omnem liuorem in reuerentiam transformauit abſentia. Virus inuidiæ, licèt valentiſſimum, non ſe vibrat, non magnum interuallum pergit, nec vltra vicinos, & pares: quare non tranſcendit mundum, & fato ſibi libentiſſimè litat, cùm defunctos diſtantes videat, & quadam mortis veneratione, & priuilegio immunes mortalitatis conditione, in hoc iam ſuperiores, & penè vereatur diuinos. Itaque nulla præſtantiſſimorum Virorum geſta egregia pretium ſui exigunt numerata pecunia; ſed ad condictum diem, cùm miteſcit liuor aliorum, & pudor abeſt proprius. Vtrumque impetrat funus. Vnum ſolum præſentiſſimæ commendationis opus eſt, egregiè mori. Non excellentiæ vitæ, ſed mortis, priuilegium habet impigræ, & inſtantis laudis; vbi modeſtia digniſſimi vulnerari nequit, & inuidia decedit mortis reuerentiæ; vel ſi perſtat, innocentiſſima eſt, & inuidenda fortaſſe. Votum moriendi non ita eſt, aut vile, aut facile; nec cùm eſt, fit iniquum; nec perfidum vouenti erit: abſinthium enim inuidentiæ, penuria rerum eſt, & ſuperfluitas cupiditatum, cùm cupiditates, aut cupientes excedunt cupita, quæ, cùm non ſufficiant omnibus, acerbant carentes. Hac arte bonum alienum in damnum effigiatur proprium, & mordet plura pectora, quod mulcet vnum. Mors verò ampliſſimum bonum, ſed inops vouentibus, hanc teſſeram maximorum bonorum ſcilicet, verorum, habet, patere cunctis. Quare bonum puto feliciſſimum, licèt infametur maiorum cenſu, & titulo: ſine inuidia vtique eſt, aut cum Regia, id eſt, ſine aculeo, cum quadam æmulatione manſueta, auguſta, atque laudationum prodiga: purpurat enim æmulus, dum exaggerat, ſuæ ſpei ſimulacrũ, & votorum imaginem inaugurat: nemo autem ſibi parcus eſt. Aliquod huius periculum ſuauiſſima quadam, & expiata inuidentia fortunatiſſimè feci, cùm renunciata fuit feliciſſima mors diuini Viri, Ioannis del Caſtillo, qui nuper in dorſo mundi, cum aliis duobus ſanctiſſimis Chriſti Militibus, fidem obſignauit ſui cruoris purpura, Auguſtorum ritu. Tactus ſtatim fui de cælo, quaſi propitio fulgure, vt incẽſus nouo inuidiæ ingenio, percuperem fortunam eius, quem non ceſſabam laudare: ampliauit affectum contubernium priſtinum: coæui fuimus, commilitones in tyrocinio Societatis, in ſtudiorum: eodem anno, eodem menſe in militiam Iesv adſcripti: conuiximus Mantiri, conuiximus Optæ: inde auulſus ille, & dimidium animæ, vt candens ſanctitatis ſuæ iubar virgineo rubricaret ſanguine. Verùm, quia ſpes, & mors, publica bona ſunt, & extra iuriſdictionem fortunæ, non irritabant æmulationem mihi: (nemo, quæ certò ſperat, inuidet; nemo, quæ habet; ſpes autem vicaria poſſeſſionis eſt, & præcox dominium:) ſed egregiè mori, quod rarum, quod felix, me perculit. Mori commune omnibus eſt; viliſſimum multis: at, eleganter mori pro Deo, pro lege, pro bonis, pro bono, feliciſſimi, id eſt rari. id eſt magni. Hoc mirum, & neſcio, an dicam, iniurioſum vitæ, quòd tanta felicitas opus mortis ſit: quòd alienum ſit, non proprium: cuius nec optimis aliud liceat, quàm aridum votum. Huius ſolius fortunæ nemo ſibi fabrum licet eſſe. Excogitaui propterea artificium, vt emendato arbitrio felicitatis tãtumdem penè gloriæ adornarem mihi, dum alienam prædicarem per quandam æmulationis comitatem. Quodam pacto affectat laudis ſocietatem, qui dictat; & optimis, quæ non fecit, dicendo fungitur. Ticinius Capito, cùm ſtatuam exerit L. Sillani, immortalitati quoque ſuæ proſpexit, nec ſepulturum

tum fuit magis decorum, & inſigne, ſtatuam habere, quàm locare. Certè glorioſum eſt gloriam amare alienam, glorioſiſſimum facere. Quapropter hanc narrationem honori Ioannis del Caſtillo, olim amici, & ſocij mei, nunc Patroni deſtinaui, quæ profeſſione quondam amicitiæ, modò reuerentiæ, & innocentia ſanctæ inuidiæ, laudata, aut excuſata erit. Commendatione mea ille non egebat, qui nec vita egebat ad gloriam, nec gloria ad vitam; &, quod non minùs mirificum, nec ad gloriam morte, licèt glorioſiſſima fuiſſet: tam glorioſa, tam felix, tam ſibi ſubſiſtens virtus illius vita & morte fuit, vt nec gloria egeret: tanta illi gloria vitæ, vt nec indigeret gloria mortis: tanta illi gloria mortis, vt nec indigeret gloria vitæ: glorioſiſſimum quemque, aut mors, aut vita illius faceret. Mihi ſolùm glorioſum, & iucundum, gloriam ſuam dicere. Expiationem fortaſſe inertiæ meæ merebitur alienæ virtutis amor. Exordiar, ne Hiſtoriæ corpus truncem, à paſſione duorum aliorum Chriſti Militum veteranorum, P. Rochi Gonzalez, & Alphonſi Roderici. Trinitati laudem dicant hi tres ſancti Viri, atque eos laudaturo ſimilitudo Trinitatis congruebat, vt pro tribus conſtaret. Hæc maxima diuinæ naturæ maieſtas, vt pro tribus ſit, tribus ſatis ampla perſonis: adeò eſt Trinitas honos, & nobilitas Diuinitatis. Vnus Deus noſter, triplex perſona eſt; nec tantùm pro tribus eſt, ſed pro mille Diis. Hanc excellentiam æmulantur Deifici Viri, vt vnus pro tribus multis: vnus pro multis vnus homo triplex calculatur. Tanti, & tot erant hi Patres: vnuſquiſque tantumdem trium, vicarius plurium: non vno labore, & penſo conſtricti, ſed ad plurima ſpatiari, ad omnia charitatis, & frugis ampliſſimi munera. Quî vnus ipſe adæquabo laudes trium triplicatorum, hoc eſt, diuinorum Virorum; At, mihi non eſt animus excuſato commendare ſermone omnes virtutes, quàm vnam patientiæ memorare: nam ſatis

Laus eſt ardua, dura ſuſtinere:
Ignauis, timidis, & improbatis,
Multùm fingitur otioſa virtus.

Nolim, & lætor non poſſe, obnubere lacinioſa eloquentia frontem ſinceræ virtutis, nec exaggerantis imagine minuere laudes. Laus eſt quædam honoris exactio: honorem propria opera impetrant, non aliena dicta: nemo honeſtior eſt, quòd alius dixerit benè; ſed, quòd ipſe fecerit: quare maximè laudatus eſt, qui maximus eſt, cuius facta neſciunt eſſe minora dictis; quorum honori ſatis eſt ſciri; nec amplius conſtent auditu, quàm obtutu; quorum narratio ſimplex exaggeratio ſit. Quædam iniuria eſt maximorum Virorum affectata hiſtoria, cum argumentum minoris virtutis videatur, procuratis magnificari verbis. Haud credi poteſt maxima facta eſſe, quæ adduntur dictis: nec optima eſſe opera, quæ emendat ſermo. Nullum debet virtus magna laborem faceſſere Oratoribus: ab illo, quem exhibuit operanti, laudantem redimit: cum negligentia ſermonis per ſe extollitur. Hæc cauſata velim; nam parcus videbor verbis, & coloribus. Opus non erat laudi, niſi narratione. Si liberalior aliquando nonnullis iudicabor, vereor iniuriam feciſſe ampliſſimæ virtuti. Hanc potiùs eſt animus, & fas narrare, quàm æſtimare.

Accedo iam ad propoſitum opus.

SOCIETATIS IESV Vniuerſum charitate complexæ tantùm patent labores, quantùm Orbis; affectus vltrà. Nec tot eſt auſa cæca auri cupido ſuperare Oceanos, tot mundi proſcindere noualia pro interitu hominum, quot illa pro ſalute. Inter alios mundi angulos nondum pollutos auaritia, niſi votis, quò antecurrit Europæa arma, latiſſimam Vrugaï Prouinciam prægreſſa eſt. Vltra Braſiliam protenditur hæc regio ad mare auſtrale: nullus adhuc ibi Hiſpanus, nec inde niſi fama excluſa vberem barbariem dictabat. Impatiens ardor noſtrorum maioris moræ in tot nationes exiliuit, non expectato Hiſpanorum præſidio. Solitarij, & exermes barbaros adierunt felici temeritate. Sicubi magnus labor promulgandi Euangelium, hic fuit. Priùs neceſſe erat facere homines, deinde Chriſtianos. Vagantur rupices illi per agros, per nemora, ferarum iſtar, moribus, furore, toruitate, cogēdi erant in aliquem humanitatis decorem, & erudiendi priùs ad vitam, quàm ad fidem. Prior illarum regionum Apoſtolus, P. Rochus Gonzales, auſus pedes, exermis, ſolus, vbi nec Hiſpana legio irrupit armata, experiri feritatem hominum, num beneficiis, num manſuetudine, & humilitate flecti ſineret. Feliciſſimè obtinuit. Non omnia poteſt potentia, potentior patientia eſt. Maiora ſæpè impetrauit diſſimulatio, quàm ſtrepitus. Breui miteſcere Barbaros; attraxit feras diuinus hic Orpheus, & in Reipublicæ digeſſit honorem, quinque oppidis conſtructis: docuit homines priùs viuere, deinde benè viuere. Vitæ ſuæ prima victiora fuit, (maxima exempli vis eſt,) mox beneficentiæ, deinde patientiæ, & laboris. Caſas Barbarorum manu ſua faciebat, eaſdem docuit facere. Primam fabricam domum contemptio cæli excogitauit. Primus parricida Caïm, & ſceleratorum Patriarcha, primus mundi ciuis, (non hoſpitem putauit ſe,) prior omnium ædificauit ciuitatem, peſſimorum more, ſtabile huius ſæculi domicilium putantium. Eiuſdem poſteri, hæredes incogitantiæ mortis, artes inuenerunt ad ampliandas opes, malorum armamēta, ſcelerum pignora. Ferè plurimus apparatus vitæ inuentum fuit indigniſſimorum ipſa. Expiauit P. Rochus hanc infamiam, & ſemel amore cæli tractauit terrena. Plurimos Barbaros iam homines, iam Angelos lætiſſimus videns, ſingulis præfecit oppidis Viros noſtræ Societatis feruidos, & maturos; ipſe reliqua ſe mole onerauit, ſolo laborum arbitrio iniuſtiſſimus, auidus quadam benefaciendi auaritia, nouas quærebat prædas, noua Regna, non vt regnaret ipſe, ſed vt regnaret cum Chriſto victi humilitate, & patiētia ſua. Acuit ſancti Viri cupidinem nouus ſociorum ex Hiſpania aduentus, quibus adornare voluit, pluribus reductis Barbaris, & fide imbutis, oppida, (Reductiones appellantur,) quibus reficerent laborum ſitim, quæ illos ex patria, ex late pepulit ad ignotos Orbes. Facilè contraxit (fortiſſimus hominum magnes beneficentia cum patientia eſt) plures Indos, & ad politiam, & fidem pleroſque domitos ardori, & diligentiæ mandauit eximij adoleſcentis, P. Ioānis del Caſtillo, cuius ſanctimonia, & pudor obtinuerunt præeligi ad laborem, & pericula. Multi adhuc erant in fideles, & incertæ fidei. Progreſſus ipſe P. Rochus cum ſocio Alfonſo Roderico

derico ad aliam conciliandam Reductionem eodem anno, qui fuit 1628. Iam Dæmon inſtantem ſuperſtitionis ruinam nō leuibus ſignificationibus,& damnis doctus,obeſſe omni molitione parta; timuit P.Rochum indefeſſa pertinacia vlteriùs molientis;timuit ſocios,quos in ditionem ſuam introduxerat amor Chriſti; timuit nouos, quos Hiſpania mittebat, cuius non tantùm coloniæ ſunt Orbes, ſed Eccleſiæ. Nec vnde plùs ampliata Dei domus, nec vnde plures fundatæ Eccleſiæ in Oriente,in Occidente, in Orbibus integris:multò plùs dedit Religioni,quàm eſt.Armis,& impenſis Hiſpanorum Euangelij ſonus in omnem terram iterum exiuit. Xaueriumdiuinum, Andream Ouiedum, Thaumaturgum illum Ioſephum Anchietam, feruidum Gonzalum Syluetram, innumeros alios ex noſtra Societate, expugnatores mundorum Hiſpania ablegauit. Hiſpanica arma pacem Chriſti introduxerunt. Referamus oculos in priſcorum tempora; num aliqua ſit natio, vnde plùs fides ſpatiata?

Ego ipſo tempore,quo Vliſſipone ſoluerant Viri Societatis, per cadauer allocutus Dæmon Myſtas ſuos, & idololatriæ Proceres, nouos aduentaturos Patres ex Europa, vt illos licentia laſciuiæ, & grege pellicum interdicerent, à crapula auerterent, à voluptatibus, à legibus auorum,à maioribus priſcis;propterea arcendos omnes Euangelij nuncios:tētauit ſæpè irrito conatu;diuina cauſa fuit illis prouidiſſe, donec ager Chriſti expoſceret pluuiam, vt cruore Sanctorum,riguus vberior exultaret meſſe. Cunctatus Deus coronam Patris Rochi, donec maturis meritis radicatam Religionem figeret. Interim ſatisfecit illi vicariis Martyrij laboribus,& periculis. Incredibile eſt, quanta tolerauit, famem, ſitim, nuditatem, æſtum, terram, cælum feras, homines: non minùs potuit dolere,quàm timere;nō minùs paſſus,quàm periclitatus eſt, à Dæmone,ab hominibus, à feris, quarum non leuis iis regionibus noxa.Vix tutò licet dormire. E tuguriis,& caſis raptant,& diripiunt homines:noſtri hactenus diuinitus tuti. Accidit, vt caſam, vbi vnum è noſtris labore feſſum ſopor mulcebat, ingreſſa tigris luſtraret quacumque: intactum illum dimiſit ſigno periculi relicto: Breuiarij enim tabellas & omnia folia vngue penetrauit; præterea innocentiſſima abiit famelica hæc pernicies. Sæpè Deus ſeruum ſuum Rochum eripuit feris, noluit ſemper hominibus. Hæc conditio rerum, vt ſæuior homo homini pernicies ſit, quàm homini fera, quàm ignis. Quoties elementa,flamma,& pelagus pepercerunt ſanctis Martyribus; quoties leo,tigris, vrſus?Humana tandem manu oppreſſi.Quos Deus excepit omni naturæ violentia, noluit humana. Igitur irritatus Dæmon timore noui auxilij, vires valentiùs reſumpſit,vt,deſparatorum morte, omnes vltima periclitaretur fiducia: ſæpè enim felix fuit ſpei alea. Delegauit ad hanc Prouinciam inſtructiſſimum ambitione, & maleficiis magicis hominem eius plagæ Caziquum, Nñezu illi nomen fuit, authoritate dolis quæſita, potentiáque præcipuum: timebant cæteri.magnam ſui venerationem maleficiis redemerat. Ex conſortio Dæmonis mores eius, auferant ſuperbiæ virus, & Diuinitatis appetentiam.Deum ſe predicabat,Conditorem rerum omnium, imperantem Soli, Lunæ, aſtris, cui tigrides & feræ obtemperarent. Reuerentiam, quam damnis metuit,minis alebat: interminabatur facturum Solis defectionem, immiſſurum procellas, elementorum diſſidia, vaſtationem tigridum,niſi parerent omnes. Negotiata formidine quidquid libuit perſuaſus:metus enim facillimus credulitatis eſt proxeneta. Iuuit illam Dæmon: nam, licet ſuperbiſſimus,ſuperbos amat,& iuuat contra ritum vitij. Nihil ægriùs tolerat ſuperbia noſtra quàm collegam: non aliud magis odit quàm aliam. Societas cupiditatis diſſociat, & concurſus votorum facit æmulos: non ſe ſuſtinent, ne ſe impediant: verùm, ſi ſe oderint ſuperbi, nihil execrabilius alterutri vouere poſſent,quàm ſimilitudinem ſui, Ad hanc ſæpe inſtigant Dæmones, nocentius nobis rati vitium ſuum quàm pœnam, ſi nos videant cum merito ſuæ noxæ. Poſt repulſam primi voti,inuidia, quæ infelix ſuperbia eſt, ſecundum alit. Prima ſuperbi cupido eſt, maiorem eſſe, id eſt,diſplicentia ſui: oportet enim ſe exuere, vt aliud ſit, quàm eſt. Secunda auaritia, eſt alium minorem eſſe, ne ſit id, quod eſt. Sic prius Dæmonis votum fuit,Deum eſſe,alterum, ne Deus eſſet. Perdere maieſtatem,quam non inuenit;nolle alium habere,quod non potuit ipſe. Ideò vt reuerentia Diuinitatem ſibi impoſſibilem multaret, non magni fecit,quòd alius Diuinitatem ſimularet.

Fictum itaque Numen, Nñezu, (in eo erat oppido,ſiue Reductione,quæ fide,& diligentia P.Ioannis del Caſtillo procurabatur,)in animū diu exaſperatum induxit ſibi, ipſum Patrem arcere etiam è vita,quòd prædicatione Iesv Chriſti,veri Dei,& hominis,obſtaret Diuinitati,quā ipſe flagitiis poſtulabat:eaſdem inſidias molitus in omnes Vrugaï Prædicatores, deinde in reliquos Patres Paranæ, quæ alia Prouincia eſt latior: at, ſæpè ampliora vota,& vltra felicitatem infelicia ſunt. Miſit nuncium ad Gatupen, (ſic dicebatur Caziquus nobilior nouæ Reductionis, quam tunc temporis P. Rochus Gonzales cum P.Alfonſo Roderico conſtruebat,) iubens obtruncari duos illos Prædicatores Iesv:quo facto, renunciaret ſibi, vt tantumdem ſæuiret in P. Ioannem del Caſtillo. Adiecit,(quod falſum fides Indorum exhibuit,)in cæteris oppidis idē ſupplicium ſuſtinendum,ſic penitùs abolendum Chriſti nomen. Gatupes inductus aut deceptus, nunciis Nñezu obtemperauit: facillima eſt diſciplina malorum. Condixerat P. Rochus conuenturis Indis decimam quintam Nouembris diem,vt ſolemniùs eleuaret companam,cuius pulſu explicaret horam declarandæ Chriſtianæ doctrinæ: hunc diem obſeruauit Gatupes homicidio commodum,poſtquàm feciſſet Sacra P. Rochus, commodior ipſi Patri opportunitas exhibendæ animæ, cùm Corpus ſibi Chriſtus ſuum exhibuit: Corpore & Sanguine Iesv ſaginatus,optima Chriſti hoſtia fuit. An dubitaret hauſto Dei cruore auarū ſui eſſe?Nutritus Sanguine Chriſti degener eſſe non potuit,vt illiberalis proprij eſſet.An, oblato Iesv Corpore, ſuum negaret? Neceſſarius ſacerdotij honos, amor Iesv eſt: neceſſaria amoris ſupellex, patientia. Æmulantur Sacerdotes Chriſti,felicitatem Mariæ Matris,cuius amores naturæ & gratiæ in diem conſpirarunt, Idem erat genitus à ſe, & factor ſui idem filius, & Deus. Similis

fortuna

Digitized by Google

fortuna Sacerdotum amando Iesv : conficiunt Corpus Factoris ſui : ſi nullibi Chriſtus fuiſſet, (liceat hoc comminiſci,) ſi nullus Chriſtus exiſteret, ad ſacerdotalia adeſſet verba mirifica productione; per repræſentationem ſuæ mortis præſentaretur ad vitam. Iesvm diligere tenemur quaſi iure patrio, quaſi opus & chariſſimum pignus noſtrum: tanti veritas Sacerdotum Deo eſt; tanti Deus facit, ne mendaces eſſemus, nullis parceret omnipotentiæ opibus. Quis non probat, quod fecit? Quis non ſuorum operum cupido ſibi eſt? Hoc nomine diligendus nobis Chriſtus, feliciſſimo confluxu amorum, connaturali affectu quaſi noſtri operis, ſupernaturali quoque, quia & Opificis. Quis author artificia ſua non exaggerat? quis pater hominem à ſe genitum non diligit? quis non pendet in opus ſuum? quis contrà non oppigneat factorum charitatem? quis non obæratur genitori vita? Duplici hoc nexu obſtringimur amando Iesv; vno inclinationis, altero iuſtitiæ; vno crediti, altero debiti: fortaſſe ex illo capite dulcior. Plùs benefactor amat, quàm amatur à debitore. Plùs parens diligit natum, quàm diligitur. Feræ amant catulos cum experimento animæ. Ne ſit ſtupidior Sacerdos Felix ſpiritus ſui periculum pro Iesv, cuius Corpus conficit, vt diuinus Vir Ambroſius inquit, ſubire libentiſſimè, & lætiſſimè debet, adhuc illo amoris titulo, quo non videtur debere; quia noſter Chriſtus eſt, non tantùm, quia nos ſumus Chriſti. Noſcebat hoc digniſſimus Iesv miniſter, P. Rochus; & quoties Chriſti Sacra faciebat, ſe quoque ſacrificabat, millies quidem affectu, qui remedium impoſſibilitatis eſt, & vicarius deſperati meriti: tandem acceptare voluit Deus, & euentu vno innumera coronare vota, obſignando opere multas voluntates. Exiit enim lætiſſimus P. Rochus, peracto ſacrificio, actis deuotiſſimè gratiis, ad Indos, & campanam adornandam; inclinauit ſe, vt funem obligaret lingulæ ad aptitudinem pulſus; dicebat: Filij, breuiſſimè audietis citari vos ad doctrinam cæli. Ad hæc charitatis verba, cùm percommodum ſummiſſo capiti ictum aduertiſſet Barbarus, cui præſertim facinus mandarat Garupes, efferens lapideam clauam, hoc eſt, ſaxo capitatam, impulit omni niſu in cerebrum ſancti Viri, & vno ictu excudit medullas è cranio, & ſpiritum è pectore. Diffractum caput, & velut friatum proximus alius, repetita clauæ vibratione, totum diſſoluit. Strepitu audito gratulantium ſibi ſcelus, & mutuo redimentium plauſu conſcientiam mali, ſocius Alphonſus Rodericus, qui ſe ad Sacra præparabat, prodiit. Iuſſit ſtatim voce intenta Tyrannus Garupes inuadi etiam, occidi, laniari: ille exemplo alieno inſtantem vitæ exitum videns, cupidus illam coram Iesv reſecrare, cuius amore plures, & vltimum hunc pertulit laborem, procedebat ad Eccleſiam. Præuenêre Barbari, duo præſertim, qui pilas ſaxeas fune alligatas exonerantes in ſanctum Virum, paucis ictibus diligentiſſimè exanimarunt. O par Deo dignum! ô purpuratæ nubes, qui veſtri cruoris imbre agrum Chriſti fœcundaſtis! ô verè Chriſti diſcipuli, quia patientes, qui naturæ tributum feciſtis meritum gratiæ, qui ſoluendo obligaſtis, qui gloriam per gloriam obtinuiſtis, qui felicitatem æternæ vitæ per felicitatem mortis impetraſtis! Quid felicius quàm mors, quæ cæteris eſt pœna, quòd vobis fuiſſet merces? Quòd non ſolùm iniuriis hominum glorioſiſſimi ſitis, ſed naturæ? Quid glorioſius quàm ſupplicium, & ignominiam ſceleris naturæ imputari, gloriæ virtutis? quòd non tantùm meruiſtis vita, ſed morte: non tantùm voluntate, ſed neceſſitate? Anne parua merita veſtra tot votis, tot operibus, tot laboribus, tot periculis? Cur opus erat, ita vos cumulare? Non tantùm voluntariè, ſed quaſi neceſſariò placidiores ſibi Chriſtus vos amplexari voluit. Veſter ardor non contentus vita, progreſſus eſt, vt vellet morte etiam placere: non contentus fuit, quibus potuiſtis facere, ſed quibus pati. Parum dixi; plùs optaſtis pati pro Iesv, quàm potuiſtis; non ſolùm quàm potuiſtis pati, ſed eſſe. Magnus amor non ſatisfit facultate: cùm ſit potentiſſimus omnium rerum, nunquam eſt potentia ſua lætus, in eo potentior, quòd ſemper ſe doleat infirmum; quòd velit poſſe plùs, quàm omnia; poſſe auarorum ritu; locupletiores plùs habere cupiunt. Nihil plùs poſſe deſiderat, quàm quia omnia poteſt, amor: ardor eius non poſſibilitate pacatur, quantò minùs euentu? Non eſt eximia charitas, quæ compar vitæ ſit, cui non ſuperfluant deſideria, quam poſthuma vota non protrahant; quæ legata cupiditatum non relinquat, quemadmodum his ſanctiſſimis Viris ſuperſtes ſibi patiendi auaritia ſatiata fuit. Etenim largiter ſæuitum in cadauera; nudata ſunt, vulnerata, dilacerata, tracta; ignominioſo circum Eccleſiam protraxerunt ambitu. Reliquit Alphonſus Rodericus in loco martyrij fruſtum ſui crus, ſciſſus lumbos ictu immani:

Namque in corpore fortium Virorum
Laus eſt amplior, amplior cicatrix.

Corpus votum Martyris explicauit. Non ſatis erat cupiditati ſuæ patientiæ corpus vnum; multus eſſe voluit, vt multorum paſſio corporum explanaret particulam amoris; multiplicari optauit, vt pro multis diligeret, vt pro multis cruciaretur. Mira ſtirps amor eſt; ſterilis, & fœcunda; duo facit vnum, & ſingulos mille: circa patientiam hanc fertilitatem habet; in tot germinat, quot vota habet experiendæ fidei, exhibendæ conſtantiæ. In cælum denique, & Deum ipſum affluxit Barbarorum inſania; ſpoliauerunt Eccleſiam, exturbarunt Crucem, violarunt veſtes ſacras, contriuerunt aram, perfregerunt calicem, diripuerunt ſacros libros, atque in mille conciderunt fruſta eximiam, & venerandam intemeratæ Virginis Matris Dei effigiem, quam Patres Expugnatricem vocarunt. Præferebat ſecum P. Rochus hanc Deiparæ imaginem, quotieſcumque nouam Reductionem cogebat, illa inaugurabat; gloriam omnem illi deferens, cuius ope præſumebat omnia. Nec ſegnior expugnatrix eſt contra Poteſtates tenebrarum alma Dei Parens, quàm contra potentiam humanam, Sanctus noſter Rex Ferdinandus ad omnes expeditiones quocumque copias deſtinaret, conferebat ſecum Genitricis Dei effigiem: omnes illi victorias imputabat, omnem gloriam. *Capta Hiſpali eamdem triumphantis ſpecie ornatiſſimo ferculo impoſitam ad templum, quod eius nomine dicandum*

dum

Digitized by Google

dum erat, *deferri iubet. Hac celebritate triumphi eadem ſacratiſſima Virginis imago cum ſplendida Epiſcoporum proceſſione, ſignis ac legionibus præcedentibus, ſequentè poſtremùm Rege, & Procerum comitatu, in vrbem delata, & in templo collocata eſt.* Hæc ex monumentis Eccleſiæ Hiſpalenſis. Mox Pientiſſimus Rex Auguſta Familia B. Virginis cultum ampliauit, Regiis ſtipendiis ſplendida, cum iiſdem officiis, ac in Imperatricis Aula: perſeuerant hactenus officia Regia. Sed & Michaël Palæologus indiuiduam comitem, effigiem Deiparæ, habuit, quam ſolam triumphantem de Hungaris introduxit Conſtantinopolim mira maieſtate, & pompa auguſta. Narrat triumphum Nicetas: *Imperatorem quadriga argentea aurata cũ equis niue candidioribus præcedebant, quibus impoſita erat imago inuictæ adiutricis, & inſuperabilis commilitionis, Matris Dei. Nec verò axis magnum ſonuit, quia non vehebat acrem Deam Mineruam, quæ falsò virgo dicitur; ſed veram Virginem, quæ Verbũ inexplicabili ratione per verbum peperit. Eum currum Imperatoris propinqui, atque amici Senatus, viri dignitatibus inſignes penè ſequebãtur. Deinde ipſe Imperator prodiit, equo feroci, ornamentis illuſtribus inſignis, & templum ingreſſus*, &c. Scio etiam Alexiũ Commenum, cùm nouam Romani pauco expugnaſſet milite, noluiſſe in vrbem pompã immittere, niſi triumphus B. Virginis præcederet, quã ipſe Imperator pedes & humilis ſecutus eſt. Priſci Cæſares aureæ Fortunæ ſimulacrum ſecum conferebant ad fideiuſſionem felicitatis rerum omnium perfidiſſimæ: veram & tutiſſimam piorum victorum fortunam, Matrem Dei, colant Chriſtiani Principes. Sic Ferdinandus noſter, ſic Manuël, ſic Alexius. Ergo, quemadmodum iſti Auguſti abnuerunt ſibi triumphum præcipua gloria diſtributa cõmilitioni Mariæ; pari iure non ſolus P. Rochus ignominiæ, & martyrij triumphum occupauit: particeps quoque fuit B. Virgo, ſortita ſuam paſſionis gloriam in vicaria effigie: triumphus fidei, patientiæ eſt, contemptio eſt, dilanatio eſt.

Poſt vulnera, poſt cruciatus, poſt necem, poſt opprobria explicuit ſe diuina virtus. Patientiæ ſunt appendices miracula: ipſa namque maximum, & velut miraculorum corpus eſt. Hic ſacroſanctus ritus prouidentiæ, commentarid iuina in humanis. Hæc lex ſalutaris omnibus, maieſtatem virtutis celare patientiæ opportunitate, vt optimi mereantur, promulgare mox gloriam, ad eruditionem peſſimorum, vt vereantur quos damnant, & redimant conſcientiam pudore. Poſtquàm enim omni iracũdiæ laſciuia in ſancta, & ſanctos Viros ſæuitum fuit geſtiunt cremare cadauera, & Eccleſiam: incenditur pyra, coniiciuntur corpora: ſapiens tamen ille ignis, reueritus mortuos immortalitatis meritiſſimos, & naturæ oblitus, miro ieiunio periit, cùm pabulum intra ſe concluderet. Redeunt altero die Barbari, integra cadauera mirantur, cætero in cineres rogo reſoluto. Nec ſtetit hîc admiratio: ecce attonitos alloquitur cadauer diuini Patris Rochi: cor vocem edidit, nullum illi caput erat; ſed è pectore ſenrita verba iaculari. Prodigioſa concione inquit: *Cur occidiſtis me, qui vos dilexi, qui vos quæſiui, qui ſolùm veſtræ ſalutis cauſa huc vſque peregrinatus ſum, qui veſtras animas quæſiui, amaui? Corpus meum dumtaxat occidiſtis, non ſpiritum, qui viuit, & viuet: inter Beatos regnat, & redibit, vt vos adiuuet. Magnæ vobis ſuperuenient calamitates, & ſupplicia digna ob iſtud facinus.* Vnanimes hoc aſſeuerarunt oculati teſtes ex Tyrannis quinquaginta & tres, qui poſtea capti fuerunt. O admirandam charitatem ſacri Viri, non vſque ad mortem, ſed poſt mortem etiam! In quos? In occiſores. Sanguis Abelis extincti locutus eſt ad vindictæ expoſtulationem, & contra fratrem: non cruor Rochi eloquitur, ſed cor; non exquirit vltionem, etiam inimicorum; amat Tyrannos, & affectus blandus ſuperſtes illi fuit ad humanitatem; vindictam nolebat, dum admonuit. Amor fertur ſagittator ſine oculis; id certiùs eloquens eſt ſine ore: affectus verba ſunt; ſed muta; magnus tamen metus erudiuit aliquando mutos ad garrulitatem. Crœſi filius nouit conſternatus eloqui. Quod potuit abiecta, & viliſſima timoris affectio, nònne poterit nobiliſſima amoris? Sinceriſſimus ille Vrugaï Apoſtolus fidem, & ſinceritatem ſuæ charitatis patefecit enarratione cordis: non aliud lingua, aliud corde elocutus: vtrinque amorem publicat, vtrinque probat: ſcriptam amoris legem in corde geſtabat, cur non aliquando diceret? Qui valuit ſcribere, cur non loqui? Quod amor inſculpſit, amor dictauit. Pectus Sacerdotis Euãgelium animatum æſtimatur, concluditur illic Scriptura ſacra. In ſolemnibus iuribus iurandis alij manu ſuper Euangelium, aut ſacrum librum intenta iuuant fidem: ſat eſt Sacerdoti ſupra pectus reclinare. Cur hoc? Quia auguſtius Euangelium latet ſacerdotali corde, quam charta. In pectore ſanctiſſimi Rochi Euangelium pacis, & amoris, & ſcriptum erat, & dictum.

—Eadem dixiſſe, eàdem ſenſiſſe fatetur:
Non alios fundunt linguáve, córve ſonos.
Cor loquitur Chriſtum, teſtantur viſcera legem:
In medio cordis lex erat illa ſui.

Solet Deus ſuis armis cædere æmulum: non aliter quàm inuento ſuo Carthago periit; atiete tentauit diruere Romam, ſed ſua machina à Romanis diruta eſt. Aman ipſa trabe ſuſpenſus eſt, quam Mardochæo dicauerat. Per cadauera loquacia ſolitus Dæmon fallere Indos, eadem ſua aſtutia intercipitur. Per cadauer diuinus Spiritus locutus aliquando veritatem Barbaros irritauit: miraculi excellentia, & more peſſimorum, tantæ charitatis ſignificationem torsêre ad alimenta inuidiæ: Adhuc (vnus audacior inquit) loquitur præſtigiator iſte. Et diſſecto medio pectore eripuit cor. Quid eripuit, dico? Accepit, quod dedit Rochus, quod pridem dederat, quod millies. Veriſſimè imitator Iesv, qui poſt cruciatus immaniſſimi patibuli voluit omnem experiri patientiam. Vulnus lateris admiſit, vt patefacto pectore præſentaret pientiſſimum cor. Rochus etiam extinctus pro Chriſto ſuſtinuit plagam viſcerum; reſeratur pectus; tradit præcordia. Chriſtus patefecit cor, Rochus exhibet. Traiecit mox Barbarus ſagitta ſuauiſſimũ illud Rochi membrum. Vulnus hoc antiquum habuit: trauſuerberatum cor gerebat diuini amoris telo. Coniecit denique Tirannus penetratum cor ſagitta, in feſlagrantem pyram: iterum admiratio, iterum miraculum: nulla diligentia exuri potuit. Cuſpis ardere potuit; illæſa tamen per-

ſtitit caruncula illa mollis. Quæ de cœlo tacta fuerant, quæ fulmen inflammarat, non cremabantur: ignis cæleſtis ignierat cor Rochi, exuri non debuit noſtro. Oportebat mirabiliora in hoc Patre exhiberi, vt certiſſima conſtaret martyrij gloria aliis duobus Patribus communis, fortaſſe glorioſior: agnouêre periculum, viderunt mortem, pertulerunt lætiſſimi pro Chriſto: ſolus Rochus non priùs ſenſit diſcrimen, quam ſalutem, inopino homicidio correptus; vt argumentum laudis eſſet aliis, qui minori mortis pompa enituit. Contumax Barbarorum furor contra lenitatem elementi, naturæ aliàs inimici, recreauit pyram, ampliauit ſtruem, vt locupletiſſima annona exacerbarent flammam, & in cineres cadauera ſancta diſſiparent: at neque validior præualuit ignis. Ferè integra corpora noſtri recuperarunt.

Tanta ſcelerum felicitate lætiſſimus Garupes Tyrannus miſit nuncios ad Nñezu, qui narrarent mandata pro votis exacta, in vtrumque animaduertiſſe Patrem ſæuitate omni. Ille ingenti exultatione affuſus, niſi quòd puderet priùs alium ſceleſtiſſimũ fuiſſe, accinxit ſe ad homicidium vicini Patris, redempturus moram eminentia atrocitatis. Illa ipſa nocte oracula à Dæmone requirit horrẽdis adiurato ritibus. Deinde exornatus pro more pulcherrimis auium pennis, horribili voce, immani pedum conculcatione impler minis Indos, ni mactarent Ioannem del Caſtillo, quem apud ſe habebant, euolarurum in cælum, relicturum illos, nullum alium Deum maiorem ſe: illum propterea, qui diceba contrà, blaſphemum, & de medio dira tollendum cruce. Arbitrio ſuo maieſtatem ſibi mendaciis fabrefecerat: tantò metuebantur, quantò fallebat. Timor perſuaſit Barbaros, & decima ſeptima Nouembris die, cùm canonicas recitabat Horas Ioannes; ecce turba Indorum conceſſit ad illum: cauſati ſunt plures alios contraxiſſe è rupibus, & nemoribus, vt ſecum conuiuerent humaniùs, & politicè: petebant aliqua munuſcula; ferrum enim, & hamos magni faciunt. Totus ille Pater in lætitiam, & charitatem compoſitus, viſcera etiam daret. Dum largiter remunerabat, inuadunt benefactorem feliciſſima liberalitate, non ſolùm excellente gratiam, ſed deſperante. Solẽt maxima beneficia iniuriis dũtaxat referri. Eadẽ fortuna eſt maximæ charitatis odiis frequenter redemptæ. Vnus fortiſſimis lacertis Patrem complectitur. Iam Chriſti paſſionem imitari cœpit: Chriſtus oſculo traditus eſt, Ioannes amplexu; nec fidelior iſte, quàm illud. Dum Barbarus brachiis ſuis ligabat corpus, alter colligauit fune manus ſancti adoleſcentis: cæditur mox colaphis, cæditur etiam verbis, mille alapas in illum exonerarunt, mille contumelias expectorarunt; ſtultum, fatuum compellabant. Dignitatem in illis gehennæ; cæleſtem in Ioanne ſapientiam ſuo titulo agnoſco. Stultitia gentibus eſt: at titulus ſapientiæ honorificentiſſimus eſt, non videri pluribus; mens enim ad pauciſſimos contrahitur, & conſilium raro conſtat ſenſu. Mox alius raptans è pede Ioannem proſtrauit. Tum ille blandiſſimè dixit: Filij, ſi hæc facitis ob ea munuſcula, quæ mecum habeo, accipite cuncta; mea omnia, & ego veſter ſum, imò mancipij iſtar vobis famulabor. Ad hæc mitiſſima Tyranni reddiderũt ſæuiſſima verba. Immedicabilis ira eſt, quam lenitas acerbat. Nolle referunt niſi exitium eius, dilaniandum omninò, quemadmodum alij duo Patres; eo ſublato, petrecturos ad occidẽdum Patrem Alfonſum Aragonium in proximam Reductionem dictam S. Nicolai à noſtris, Piratini ab Indis. Martyr poſtulauit conferri, vt coram & conſortio eius mactaretur Chriſto: abnuerunt impij. Quid inhumanius, quàm in inhumanitate ipſa, cùm electionem mortis negarent? Quid crudelius, quàm vbi miſeris ipſa eripitur grata miſeria, nec arbitrium adhuc damni relinquitur? Phalaris grandius didicit ſæuire, quàm tauro, cùm multabat arbitrio etiam ſecuros vita. Rabie inſtincti Barbari tartarea, ſtatim excruciarunt liberalibus innocentem ſæuitiis. Non ſegniter innocentia pati ſolet: vt frontem ſuam fallat, largiter oportet affligi: præſumptionem facinoris celant iniqui immanitate, vt credatur potiùs patiens deliquiſſe, quàm ipſi. Humanius quoduis creditur, quàm inhumanitas. Primò ſagittis perforatunt: vndique hirſutus telis pulcherrimus Angelis videbatur. Similis ardor fidei ſimilem eximij IESV Militis Sebaſtiani patientiam impetrauit. Mox alio religatum collum, & medium corpus fune atrociſſimè pertrahitur, crebris interim maceratus ictibus. Fluxit præcipuè è vulnere ſagittæ ilia penetrantis riuus cruoris. Oportuit locum illum fæcundari, vt Chriſtianos germinaret. Iam gemmant, iam florent, iam agnoſcitur cæli fauor, & riſus. Et ne inſolens alicuius Apoſtoli paſſio noſtro apoſtolico Martyri deeſſet, cutem eius abraſêre ſaxa, & trunci; per ſalebroſiſſima prolatus, ſolùm penè nudus euertit tres leucæ quadrantes. Raptim expedierunt veſtibus per duo nemora, & arduos montes illatum, per duos torrentes immerſum. In crucis deinde effigiem decorum repetitis ictibus vexant. Honorem mortis Chriſti imitatio vitæ meruit. Poſt tot paſſiones reſtabat Martyri patientia, & ipſarum amor, cupido, guſtus, nec ſatiare ſua vota Barbari potuerunt. Vnus præualuit multis; nec innumeri illi tot iris armati ſuperare potuerunt: vnius Ioannis manſuetudinem: corpori Tyrannis tradito animum ſuffurabatur, vt reſeruaret Deo. Potiùs potuerunt explodere ſpiritum è pectore, quàm Deum; potiùs eripere animum ex artubus, quàm ex Deo. Intimior illi Deus, quàm ſuo ipſe corpori. Suauiſſimis inter cruciatur colloquiis affabatur Chriſtum, gratificatus mortem, cruciatus, opprobria. Non onera damna iſta corporis, ſed beneficia computanda ſunt, nec ſolùm patientia non repudianda, ſed gratulatione ſunt amplectenda. Virtutis decor conſtantiam in damnis flagitat, gloriæ expectatio lætitiam. Neſcio, quæ iniuria fidei ſit, pignore ſalutis non exultari. Latinam, & Hiſpanam orationem Indi non intelligebant, atque vt exhiberet ipſis ipſis patentiæ ſuæ authoramentũ, charitatem Dei, & fidem Chriſti, vernaculo ipſorum ſermone repetebat, *Tu pa re*, quod ſignificat, Fit propter amorem Dei. His verbis, hac conſtantia expectorabat mille plagis vitam, quadam auiditate plùs patiendi pertinacem. Excutidit demum validum ſaxum fronti illiſum. Iam video, feliciſſime Ioannes, coronæ tuæ inaugurationem. O ſacrum caput adamantibus, & vnionibus redimiendum! ô dulce voti mei exẽplum?

plum! Quis mihi hæc narraret, cùm mecum colloquebaris, vt ſacrum tuum pectus millies complexaret, ſacrum veneraret caput, & repudiarem tuæ humilitatis excellentiam? Contremiſco ſuauiſſima hac memoria, cùm pro religioſæ vitæ officio exoſculabaris pedes meos: & tam humillimè declinabas frontem tuam ad plantas meas: indigna labia mea agnoſco ſpecioſos tuos tetigiſſe pedes, qui euangelizaſti pacem; tu ſacro ore Chriſtum teſtaturo meos mulcebas: tunc me acriter prouocabas pudore; nunc dulciter inuidia punis, Miles Chriſti fortiſſime, qui ignauum, & degenerem commilitonem reliquiſti, & ad triumphum maturaſti; meam ſemper inertiam ſuffundens, ob humilitatem pridem tuam, nunc ob gloriam. At pudor non obſtabit, vt venerabundus tuum caſtiſſimum exoſculatus cadauer; fraternitatis iure, & charitatis noſtræ priuilegio glorier cũ D. Ambroſio in Satyri fratris morte: *In iſto corpore, quod nunc exanime iacet, præſtantior vita mea functio, quia in hoc quoque, quod gero, corpore, vberior tui portio. Atque vtinam vt memoria, vt gratiæ, ita etiam vitæ tuæ hoc, quidquid eſt, quod ſpiramus, ſpirare poſſemus, dimidiúmque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret vſum.* Cæterùm, extincto Martyri ſuperſtes furor ictus continuauit: mox recluſis euiſcerarunt Barbari præcordiis illum, qui viſcera charitatis patentia habebat, & exhibita cunctis. Traditur tandem igni. Theatrum vitæ mors edidit. Continuò ardens, continuò effuſus in omnes, non ſolùm vulneratus, ſed velut euiſceratus charitate vixit. Omnem tyrannidem, etiam naturæ, oportuit periclitari, vt ſatisfieret ſuis votis. vt non tantùm per aquam, ſed per ignem ad æternam quietem, cum totius patientiæ commendatione pergeret. Eadem hebdomadæ die, eadem diei hora, qua Chriſtus ſpiritum in manus Patris, commendauit ſuum in amplexus Chriſti. Imagine IESV patientis amor eius digniſſimus fuit; tempus vitæ idem quod Chriſto, trigeſimus tertius annus.

Felicitas huius Martyris multis inuidenda eſt nominibus. Primò, prolixitate cruciatuum. Non diminuti animi lacinioſa illa patientia fuit, & vltra fata affluens, & diues. Minimus ætate erat Ioannes, & Tyro Chriſti: quare, vt exæquaret veteranos illos, & ſenes Patres, oportebat grandiori ſæuitia redimere annos, & merita denſare patiẽtia, quæ panegyris quædam, & nundinatio eſt virtutum. Laurentio quoque reſeruata eſt maxima patientiæ portio, ne minor eſſet adoleſcens ſancto ſene Sixto. Ad hæc, gloriam maioris ignominiæ nactus Ioannes; non fuit pluribus pertuſus ictibus, quàm cõtumeliis. Tum à principe hoſte tortus, falſo illo Numine Ññ:zu, præcipuo Chriſti oſore. Authoramentum quoddam gloriæ eſt ardentior æmulus. Sublato Martyre, ad contemptionem ſuæ fidei induit ſe Tyrannus planeta, & ſacris aliis veſtibus; contriuit cruces, incendit Eccleſiam; contulit omnem ſacram ſupellectilem, vt diabolicis attaminaret ritibus, imitatione perfidi Balthaſaris. Ad ignominiam Baptiſmi, & noſtri Martyris, qui illum miniſtrabat, iuſſit tinctos ſacra aqua acciri: multos illos cæremonia irridens exauthorauit: calido lauabat capita humore, vt ſanctum Chriſma elueret: abradebat linguam luto aſpero, & concha, ſalis benedicti guſtũ, ſic ille dicebat, extincturus. His exauthoratos ritibus fœda lotione reſecrabat ſibi, pro more Dæmonis, non ſine æmulatione noſtrorum myſteriorum, ſed cum contrarietate: baptizabat, ſed pedes, non capita, turpiſſima aqua vſus. Clandeſtino artificio è cruribus manabat, fortè ſtringendo vtriculam, aut cucurbitam latentem; è ſuo corpore dicebat fluxiſſe: hoc obſcœno humore tingebat, ita gloriatus: Nónne vobis videor Diuinitate digniſſimus, cùm miro vos baptizem ritu? Omnia hæc exornarunt coronam noſtri Martyris, cuius vitam non minor apparatus mortis decebat. Præſumptio quædam mortis vita eſt. Vita omnium virtutum pompa exornatiſſima mortem exigebat omnium cruciatuum, & ignominiarum honore auguſtam. Ingenitus ille Ioannis pudor, & decor oris cum tot improperiis committi debuit: nec enim validus æmulus cum infirmo componendus eſt. Irrideri, nudari debuit verecundus, & caſtiſſimus Pater, aliquando ab Ægyptia inuaſus, velut Ioſeph, relicto pallio, fugax ſe victor eripuit. Candorem hunc albiſſimorum morum rubor patientiæ debuit purpurare. Guſtus ille laborum, tantâ patientiâ erudiebatur. Noui illum, cùm in tyrocinio eramus, furnarium pro religioſi imperij ſorte, atque in æſtate, ardore cæli, & ignis vicini anhelum, ſudore, laboréque defectum, nouis reuireſcere ſponte ſua pœnis, perpetua ſibi ſuæ cupiditatis eieratione infenſum. In rigidiſſimis hyemis noctibus ſeminabat per pauimenta veſtes, procul illas amandans; manè conſurgens quæritabat nudus, aſſueturus rigori. Ingenium illud amoris, quem pictum in facie exprimebat, tot odiis dignum erat. Quemadmodum affabilis ſui oris flos, & fidiſſimus interpres cordis, vultus, contrahebat ad ſe omnes optimos; ſic verberabat peſſimos. Amorem non tantùm magnes ſimulat, quòd trahat; ſed quòd auertat: vna parte ſollicitat ferrum, altera faſtidit, cum diſcordibus componuntur angulis: ſic amor ſimiles coniugat; idem & diuerſos arcet. Sed affabilitas Ioannis, conſortio beneficentiæ potentiſſima, aduertebat etiam auerſos. Tanta aliquando maieſtas morum eſt, vt conciliet etiam iniquos, quos cædit: ſed ad periculum patientiæ ſuæ damnis illuſtrandæ neceſſe fuit obcæcari æmulos. At humilitas ſua maximo honori dicata per omnem deſpicientiam ad illum prouehenda erat; nihil de ſe magnum cogitabat, ſed magna. Quod noluit videri, volebat facere; & fecit magna, dum humilia; dum fecit, dum tulit. Omnia viliora inter noſtros munera ambiebat: hoc maius, quòd honoratioribus dignior. Cupidus humilioribus occupari, plures annos pueros docuit: ab hac humilitate ad laborem reuectus, ad prædicandum inter Barbaros, & inter mortes Euangelium vitæ. Sanctus Pater puer ſibi inter pueros viſus, multis antelatus eſt viris: & merito prudentiæ & fidei præficitur Reductioni nouæ multis diriſſimæ periculis: maior ætate ſua Prouincia; ſed compenſabat grande æuum virtus mentis, & integritas morum: viuidæ hinc virtutes frondeſcebant, quarum humilitas radix eſt: l:t t ipſ:, cætera velut ramos alit, & fœcundat. Multis pariter laboribus adornarat ſe ad labores, perinde ad glorias: à magnis ad maiores, Nec humilitas gratis ſemper eſt, nec ſuo caret pretio laboris. Quemadmodum gloriæ iter patientia eſt, eſt & abſti

abſtinétia gloriæ. Collegæ libentiſſimè ſunt diſſimulatio, & modeſtia. Non leue fuit, quòd acerbæ Barbarorum dialecto triennio dediſſet pertinacem operam. Doctus illam in omnium corda Chriſtum inſinuabat publicis concionibus, priuatis ſermonibus. Ab illo labore, ab illa humilitate impetratus poſtea maximæ ſuæ patientiæ honos. Iam commemorata humilitate, quæ virtutum coagulum, & veluti complexus eſt nil ampliùs enarrare erat opus. Cæterùm, poſtulatio exilij ſui, non à patria modò, ſed à mundo noſtro; non ambitu honorum & diuitiarum, ſed auditate laborum, quorum ſemper candidatus fuit atque paupertatis, & contemptionis; magnum aliquid præſumebat, & diuinare videbatur. Aliquando, ſi egregia, ſi conſtantia vota, vaticinia ſunt. Nam, quemadmodum indoles; ſic gratiæ ſpiritus per cupiditates auguratur. Multa & importuna prece ſupplex ſuæ patientiæ fuit, donec obtinuit ablegari in difficillimam, & acerbiorem noui Orbis Prouinciam Paraguay, quam propter opportunitatem martyrij, & neceſſitatem patiendi importunis non flagitabat modò, ſed extorquebat votis. Teſtis ſum lætitiæ, qua reliquit parentes flentes, notos dolentes, ſpe tantùm dolendi pro I E S V. Admirabar ego & inuidebam illi, cùm vltimis brachiorum nexibus colligabamus, & vrgebamus nos, vt diſtingueremur nunquam ampliùs viſuri: perculit cor meum, & neſcio quid venerandum in illo concepi, quaſi ſuæ fortunam præſagiens paſſionis. Hac præſumptione hactenus vixi, iam vidi, iam gratulor illi, gratulor mihi. Omne felicem, qui tantæ virtutis teſtis olim fui; qui tantæ patientiæ nunc narrator; qui tanti Martyris ſocius; qui quondam tanti amici Dei amicus! Nunc ſupplicem me acceptet, quem accepto Patronum; cuius ſpero amplexus, & oſcula pacis; quem precor cum S. Ambroſio: *Præcede ad illam communem omnibus & debitam, ſed iam mihi præ cæteris deſiderabilẽ domũ. Para hoſpiti conſortiũ: & quemadmodum hic omnia nobis fuère communia, ita illic quoque ius diuiduum neſciamus. Ne, quæſo, cupientem tui diu deſeras, properantem expecta, feſtinantem adiuua; & , ſi diutiùs morari tibi videor, accerſi.*

Poſt paſſionem S. Martyris Ioannis, ea ipſa nocte, ne refrigeraretur furor cunctatione, conſulto priùs Dæmone, iuſſit Nñezu ſuos producere ſeditionem, omnes Chriſti miniſtros tollere: haud contentos præſenti facinore, procedere in vicinam Reductionem S. Nicolaï, ſiue Pitarini, vt ſubito adorirentur incurſu P. Alfonſum Aragonium; amandare procul metum; ſe tenebris implicaturum Solem aduersùs contrarios, ſi qui ad vindictã, aut defenſionem auderent, vt in columnes, extinctis Patribus, recederent. Huius ſpe promiſſi Barbari incenſi altera die propero penetrarunt curſu nouem milliaria. Furor illos extimabulat. Non homines, rabidæ videbantur tigrides. Repentè adoriuntur oppidum. Vix admoneri potuit à puerulo Alfonſus, vt ſe ſurriperet diſcrimi. Ne fides ſuorum periclitaretur, rogatur ſua fuga liberare omnes; ne auaritia patiendi pro Chriſto, ipſum Chriſtum multi perderent. Irriti Tyranni præda optata, omnem inſaniam, & bilem in Eccleſiam refundunt. Tentant illam diruere incendio, tectum omne è paleis: iactant tædas ardentes, congerunt inflammata ligna. Ingens miraculum! dilabebantur per paleas, non aliter quàm per niuem, cum aridiſſimæ eſſent, & æſtu Solis ſub meridiem idoneæ inflammationi, & in æſtate media, quam iis plagis ſortitur Nouember. Neque vnica conflagrauit ſtipula. Inſoléria miraculi non placauit malignitate cæcos: alienis potiùs ſe peſſimi interpretamentis irritant: ut ſunt, ſic iudicant; immedicabiles ſæpè, cùm fomentis exaſperẽtur. Exornati erant chartis codicum & librorum benedicti Martyris, quibus ſe pro criſtis compſerant: tollunt illas, incenſas applicant paleis. Mirum dictu! illæ ſi calami perſeuerant, & intaminati igni: illa ipſa omnipotens Dei manus, quæ vim flãmæ interdixit tribus innocẽtibus pueris; nũc quoque continuit auidi naturam ignis, vt abſtineret ſtipulis. Interim conſpirant (nam viri ruſticatum abierant) nonnulli pueri eius oppidi à decimo vſque ad decimum octauum annum, arcubus, & ſagittis inſtructi, pro cauſa Dei, & defendendo P. Aragonio, ac ſocio ſuo prodituri vitas: arctiùs enim ſpirituales amplectebantur Patres, quàm naturæ. Placuit Deo pia temeritas: ſeditioſos inuadunt: trucidant è veſtigo vnum: admonentur ab impiis, non aduersùs illos, ſed aduersùs Patres duntaxat illuc conceſſiſſe. Acerbantur plus, occidunt decem & ſex, plurimos vulnerant, omnes fugant. E pueris nullus concidit.

Poſt triduum alter Tyrannus Garupes, qui in Patres, Rochum, & Alfonſum Rodericum, ſæuierat, trecentorum hominum inſtructus acie, (inquieta, & timida perfidia eſt; nec ſui ſecura,) in aliud proceſſit oppidum, ſeu Reductionem, quam vocant Candelariæ, vt tantumdem animaduerteret in P. Petrum Romerum. Nihil excipitur odio. Conſpecti hoſtes ſtatim publicantur; aberant etiam viri: octo tamen, aut decem pueri cum ſene duce obiecti, vltrò continuerunt nonnihil turbam. Impij vociferantur, non eorum inuidia, ſed odio ſuæ Auæ, (ſic Patrem contemptionis cauſa compellabãt,) veniſſe; illius ſolùm fata negotiaturos. Adoleſcentes tela ſtrenue dẽſabant feruidiores pro Chriſto ſuo. P. Romerus partim voluptate quadam moriendi pro I E S V attreptus partim præfidentia, & ſpe diuina, eques prodit ad excipiendos Tyrannos. Mirabile euentu! vt primùm conſpectus Pater, omnis è veſtigio conſtitit exercitus, ac ſi maximæ aggreſſæ copiæ fugiendi deliberationem compellerent. Puberes hinc audaciores vrgebant plus hoſtes: confluebant iam municipes Reductionis: ſic breui arcuerunt turpi infideles fuga, niſi qui ceciderunt; ex pueris tamen, & iis, qui pro Patre erant, nullus interfectus. O magnum facinus gratiæ! armaſſe recentes, & penè infantes, ſuos alumnos aduersùs cognatos, aduersùs amicos, & pro extraneo homine! Tot miraculis inaugurabat Deus fidem I E S V, quam primùm humilitate, deinde potentia ſuæ manus illuſtrauit, ne infirmitati oppreſſio Patrum verteretur, ſed myſterio virtutis, & prouidentiæ. Deuotio oppidanorum Candelariæ non ſe conſtrinxit defenſioni ſui Patris viui: extra ſuos effuſa fines, mortuos exquiſiuit, etiamcum pretio vitæ. Conſpirarunt ad hoc centum probatæ fidei Indi, quibus tam liberari ope affulſit cælum, vt indemnes ſancta reportarent cadauera, Excepit illa deuotiſſimè plebs. Lacrymæ, fletus, clamores diſſimulabant

ſanctum

Digitized by Google

ſanctum pectoris gaudium; ſpecie tamen miſeranda, ac ſi cuiuſque parentum complodetentur fata.

Reſtat demonſtratio ſpiritus prophetici, qui è præcordiis ſancti Patris Rochi loquax ſupplicium Tyrannis promiſit. Prouecta facinoris fama ad Reductionem Conceptionis, Caziquus quidam Chriſtianus ardentiſſimi zeli, & excellentis indolis, Nicolaüs Neengirus vocabatur, vt vinceret opinionem, quam Nñezu conſtruxerat, omnes Caziquos conſpiraſſe in ſuos Patres, legit ducentos milites, pollicitur numquam domum reuiſurum, nunquam filios, numquam vxorem, niſi vltâ ſanctorum Virorum tyrannide. Acceſsêre plures, ampliata acie, vſque ad ſeptingentos: quærit hoſtes: inuenit: primus inuadit. Acerbo confligitur prælio: cadunt centum ex impiis, totidem comprehenduntur: cæterorum ſpolia capit Nicolaus: tres duntaxat deſiderauit è ſuis ad pignus patientiæ trium Martyrum. Aliundequoque adornata Tyrannis vltio: nam Franciſcani Patres è ſuis Reductionibus (tres habent) ſollicitabãt auxiliares. Magno charitatis ardore, & placida concordia ſancti hi Viri cum noſtris laborãt in illo Euangelij nouali. Vbertas meſſis, & ingens laborum eius Prouinciȩ vis noſtros illos prouocarunt ſubſidio. Miles quoque Hiſpanus, Manuël Cabral nomine, propriis impenſis conduxit Europæos aliquos; accreuit illi magna Indorum fidelium manus; non concurrebant, ſed conuolabant, vt pro cauſa recentis fidei iam periclitantis mille animas funderent: ſic potuit numeroſa Cabral acie iniquos inſequi, cum inuenit: in duas diſtincti hoſtes turmas fortiſſimè muniuntur: inuaſit Cabral vnam, occidit plurimos, comprehendit occiſores Patris Rochi Gonzales, & Alfonſi Roderici, incolumi ſua manu: nullus deſideratus fuit. Alteram ſeditioſorum aciem aſtu cepit Caziquus Nicolaüs, tempeſtiuo nactus aduentu multos ex homicidis Patris Ioannis del Caſtillo. Iuſſit Cabral animaduertere ſuſpendio in reos, mox ſagittis confodi. Merita ſanctorum Martyrum impetrarunt omnibus, vno dempto, ſalutem. Reuocata (placata iam ira, quæ parentheſis quædam mentis eſt) memoria vitæ Sanctorum, patientiæ ſuæ in morte, prodigiorum poſt mortem, exprompſit veritatem noſtræ fidei: ſic noſtra myſteria docti, & abluti Baptiſmo Iesv, ſupplicio addicuntur. Garupes Tyrannus, Princeps facinoris, idem fuit & pœnitentiæ. Elapſus tamen Nñezu cum paucis ignobilioribus reis, opportunior fuit ſaluti multorum: natio enim Nanaiguararum merito fidelitatis, & demonſtratione voti ſui impetrant priùs ad ſe mitti Prædicatores: polliciti ſunt perquirere Tyrannum, & reliquos ſontes, qui fuga eripuerunt ſe ſupplicio, imò ſaluti, & vinctos ad Hiſpanum arbitrium mitti pro facinoris dignitate plectendos: arrhas fidelitatis dederunt, miſſis iam nonnullis, miſſuri breui ipſum Nñezu. Ex captis quoque duo ex præcipuis emiſſi conciliant cæteros, promiſſa venia ad Euangelium audiendum. Vanitatem ſuorum Caziquorum agnoſcũt, atque impoſturas fictitij Numinis Nñezu, cùm contra ſpem omnia acciđiſſent, & contra promiſſa. Multi capti ex deceptis cædebant veteratores. Vbi, dicebant, Sol ferali contabuit caligine? vbi efferocientes tigrides? vbi potentia veſtra? Nec vos, nec nos his malis eripere valuiſtis. Sic fauſtè res fidei agitur, ſic ſubtiliter. Hæc diuina prouidentiæ aſtutia, ex malis fœcundare bona. Quemadmodum agricola ex ſtercore, quod ſine vſu ſibi domi eſt, & impedimento potiùs, nouit agros præparare ad vbertatem meſſis: ſic Deus ſapientiſſima parcimonia non negligit abſque vſu commiſſa mala; ſed ex ipſis negotiatur fertilitatem bonorum: & quandoque ex ſceleribus ſubtiliſſimè fabricat ſalutem. Cæterùm, & hic mundi angulus publicatus eſt, & inſignitus rubrica, vt euocet ad ſe plures zelatores Dei, ne penuria prædicationis tot animas emptas Iesv Chiſti Sanguine defraudet. Tanta meſſis eſt, vt diceret P. Rochus vniuerſis Sacerdotibus Hiſpaniæ, daturum ſe ſatis negotij, ſi diſtribueret per illas gentes.

Quanta porrò gloria Societatis eſt, vtroque mundum complexam latere, compſiſſe extrema Orbis ſuorũ Martyrum purpura! Rubet Oriens, rubet Occidens Martyribus noſtris. Iapon tingitur noſtrorum cruore: & ne peccaret elegantia mundi, altero nunc latere Vrugaï pingitur.

Fideles ciuitatis Aſſumptionis, quam coloniam ibi proximam habent Hiſpani, gloriam Martyrum agnouerunt, venerabundi celebrarunt, ſolennes inſtituerunt gratiarum actiones. Prior Eccleſia Cathedralis lætitiam ſignificauit feſtiuo campanarum pulſu, reliquæ ſecutæ, Miſſam Trinitatis cantauit Canonicus: concionatus eſt Rector noſtri Collegij: adfuerunt Clerus, Patritiorum ordo, & omnes Religioſi cœtus: ſic inaugurata eſt gloria iſtorum Martyrum; ab omni Eccleſia, ab omnibus concelebranda. Quorum patientiæ fama & decor virtutis narratæ infideles contrahunt iam ad fidem, fideles ad gloriam impetratio eleuabit, exemplum excitabit excellentis vitæ, excellentis mortis.

THEOPOLITICVS.
PARS PRIMA:
RATIONALE
DIVINORVM OPERVM
CIRCA PRÆCIPVOS
PROVIDENTIÆ
EFFECTVS.
LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

VIX idem contubernium amant vtilitas & voluptas; quarum pertinax diſſenſio, non ſolum friuolum iſtud noſtrum corpuſculum cum peſſimo ſuo appetitu illudit, ſed in ipſum animum audet, & mentis dotes corrumpit. Non eſt ſecura ſemper mens, extra imas iſtas plagas & curas eiecta: per ſidera, per orbes conſpatiata, ibi adhuc intutum & lubricum delectamentum poteſt habere; & fortaſſe, ſi innocens, futile. Etiam animos cæleſtes à cælorum curioſitate auocauit Socrates: noluit malè mereri de cælis, dum de moribus; neque ſiccá admiratione tempus virtuti ſacrum profanare, & impendere iucundiſſimæ ſpeculationi, ſine vſu ſui, & frugi. titulus huius interdicti minor vtilitas fuit. Quid iuuat ſi aſtrorum excurſus intueatur ignauus animus, & genio ſuo fidens? Quid ſi erronum mutationes conſpiceris, tuis conſtans & fideliſſimus vitiis? quid ſi ætheris virgineam puritatem, obryzam & defæcatam illam molem, ſordidus imis moribus, ſitu tuo & fimo? Clementer quidam canit,

r Pacuuius.

Quod ante pedes eſt, nemo ſpectat; cæli ſcrutantur plagas:

nam neque quod inter manus, nec quod intra pectus, ſpectamus: nemo ſe, nemo ſua reſpectat; & curioſi multi, & importuni cælis ſunt, ingrato ipſis cælis ſcrutinio; magnis erroribus ſecuti luces illas certiſſimis errantes choreis. Iam Thaletis periculum & lapſus minor fuit. excidunt plures mente, dum erigunt ad iucunda; & mancâ quadam ignauâque contemplatione feriantur, non tantùm riſu remunerandi anili, vt Mileſius ille, ſed Democritico cachinno. Quid pæſtat ſcire quid agatur in cælis, ſi neſcis quid in in terris benè agas? Quid iuuat immorari lucibus ſublimibus, ſi caligines, ſi errores tuos non diſpergas? Quid prodeſt mirari celeſtia, ſi nihil cæli cæli aures, ſi terreſtribus ſubſideas? Nónne cades, ſi vſque ad ima, vſque ad profunda labaris? Laboris profectò, dum mentem diuinis non confers, dum cor ad diuina non transfers. Etiam cum cæleſtium inſulſis contemplatoribus loquitur Lactantius: *Quid ergo rebus inferioribus ſubiacetis? quid capitibus veſtris terram*

Lib. 2. Diu. inſt. cap. 2.

ſuper

ſuperponitis? cùm enim vos terræ ſubmittitis, humilioreſque facitis; ipſi vos vltrò ad inferos mergitis, ad mortémque damnatis: quia nihil terrâ inferius & humilius, niſi mors & inferi. quæ ſi effugere velletis, ſubiectam pedibus veſtris terram contemneretis, corporis ſtatu ſaluo: quod idcircò rectum accepiſtis, quò oculos atque mentem cum eo qui fecit, conferre poſſetis; ſcilicet non ſolo aſpectu cæli, ſed reſpectu auctoris. Planè demiſſus & iacens animus ſublimia poteſt veſtigare, dum ad ſe non recurrit, nec pectus tendit demiſſa inde ſpeculatio; ſi vſum ſui veritas non impetret; ſi cæleſtia demiretur non diuina; ſi in effectu ſiſtat, non cauſſam proſequatur; ſi artificium dumtaxat intelligat, non diligat artificem. Studium & conſideratio, iuxta Theodoretum, eſt charitatis cotaria. Illa ſeligi debet, vnde alta ſenſa, velut probatæ cotes, exſcindantur; vbi acuminentur ſpicula diuini amoris vnde igneſcant deſideria; vbi philtrum propinatur, vbi calidior inflammatur fax. poteſt adhuc terrenis inhærere algidùs cælorum contemplator. **Hom. de charitate ſeorſim excusâ.**

Non tamen ſupra nos opus eſt ire, vt ſuperiora cælis miremur. intra nos, & inter noſtra Numen eſt: vicina eſt diuinitas humanis, fortaſſe & officioſior, vtiliórque, &, quod mireris, iucundior. Nam licet placidiſſima res ſcientia ſit, ſed non quæ eſt ſpeculatio ſui officij; non delectat, quæ delectationes iubet odiſſe: aſpera philoſophia proficiendi eſt: quidquid bonos fieri nos docet, malè diſcitur. ibi ceſſat curioſitas, vbi ceſſarent vitia. cædit, & immutat nos illa notitia, quâ mutandi ſumus, quâ verberandi ſunt guſtus: pudet ſcire quod non agimus, & quod deberemus agere; ſcilicet excuſationem morum putamus vltrò ignorare. At iſto priuilegio notitia diuinæ gubernationis humanas agitantis res, atque ſatagentis, gaudet, quòd innocentis ſit voluptatis (ſat iſtud commendationi ſuæ;) quid ſi officioſiſſimæ, ſi vtilis, ſi benè de affectu & moribus meritæ? Hanc dixit Petrus Cellenſis defæcatam contemplationem, Quia, inquit, commendat & commodat cor; nec mentem ſolùm occupat, ſed transfundit ſe in affectus; de quâ cenſuit vtiliter ſcribi. Quid, quæſo, magis demulcet mentem humanam, quàm conſilia noſſe diuinæ? Quid iucundius quàm rationem perſequi vltra ipſam? quàm ſcire arcana Dei, atque in iis quæ ſupra rationem ſunt, venari rationem? nullibi elatiùs ſuper humana aſſurgit animus, quàm cùm ita contrectat diuina. **Lib. de Conſcientiâ.**

Nihil feſtiuius, quàm quæ impoſſibilia primus exaggeret aſpectus, non tantùm probabilitate, ſed euentu refutare; & conſentaneum videri rationi, quod irrationabile viſum. Quidquid præter ſpem eſt, ſuauiùs ſubit: quale erit quod contra ſpem iuuat? Inopina lætitia gratior eſt, deſperata gratiſſima. Lætiſſimus Silenorum iocus fuit, in quibus ſub tetrâ ſpecie, ſubitâ recluſione apparebat diuina imago. Deus pandebatur, vbi videbatur monſtrum. Quanta erit feſtiuitas menti, vbi abſurdum putabat, vbi ſtultum, ibi conſulta diuinitatis mirari, Deum latere ſub fortunæ aſſueti monſtri laruá? Sub duro cortice ſæpè latet mollis nucleus: ſic facilem veritatem inuoluit difficilis repugnantiæ vultus, Oſſeam dixit Odo Morimus contemplationem; ſuauem ſiquidem medullam concludit ardua inquiſitio.

Ad hæc, quid magis ad guſtum noſtrum, ad adulationem, quàm videre amantem noſtri Deum pro nobis ſedulum, vigilem, attentum, potentem, ſapientem, cupidum noſtri boni? Poſt hanc placiditatem tantane lætitia inſulſa, & frigida erit moribus? eripit nobis ſuperuacaneam ſolicitudinem temporalium, vt æterna; ſequamur; ſubducit nobis fortunæ metum importunum virtuti, pacat formidines humanas intolerabiles cordi, fiduciam diuinam alit & ſecuritatem: vrget amare, à quo videmus amari nos, à quo curari. bonam Dei commendat opinionem. Hoc primum adoleſcentis virtutis auſpicium Epictetus putauit, benè de Deo ſentire. Quod pridem Sapiens conſuluit, *Sentite de Domino in bonitate.* oportet ſublimiter de ſummo, benè de optimo putare. Nullibi excelſior imbibitur ſupremæ mentis exiſtimatio, quàm cùm videmus ſummè ſapere in imis; nec benigniùs erga diuinitatem tangitur animus, quàm cùm etiam in malis beneuolam ſibi agnoſcit. cultum, admirationem, & attonitam venerationem Dei quid violentiùs extorquet, quàm cùm videmus ſumma, ſed blanda, extorquere potentia è malis bona, & tam valentiſſimæ eſſe eſſe beneficentiæ, vt ex ipſis damnis liberaliùs ſæpè proſit? Adeò ei cuncta patent, adeò flectit pro ſanctiſſima ſua libertate omnia ad bonum, Quid non poterit facere, cùm ex ipſa impotentia faciat quod velit? cùm exprimat ex contrariis æmula? Expiatæ itaque, & innoxiæ curioſitatis eſt humiliter ſcrutari ſublimia, & in humanis **In Enchir.** **Sapient. 1.**

 diuina

diuina mirari, atque vniuerſi obſeruare regimen. Alieni regni leges & inſtituta, rectorumque mores gaudemus ſcire, laudamus, miramur: amamus iuſtos iudices, iucundius erit mundi politiam noſſe, leges, inſtituta, diuini conſulta regiminis, prudentiam Dei. Diligemus ſanctiſſimum, iuſtiſſimum, liberaliſſimum regem: amabimus maximam, inuictam & omnipotentem mundi Monarcham beatiſſimam Trinitatem. Iſta inſcrutabilis perſcrutatio ſalutaris erit, ſed fauciato obiter corde amatoria plaga. Sceptici Numen potiùs dicebant moribus bonis venerandum & colendum, quàm philoſophicis diſceptandum quæſtionibus. Quæſtio enim diuinitatis ſine affectu pio, larua eſt blaſphemiæ.

Capvt I.

An liceat ſcrutari diuina.

IAm ad inſtitutum opus accincti, in ipſo limine offendimus, fruſtrà ſcrutari inſcrutabilia, ait enim Eccleſiaſtes: *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire*, & diuus Iulianus ait: *Neque enim quæ ſunt diuina, diſcutienda ſunt, ſed credenda; non enim ſe Deus diſcutere iubet, ſed credere.* Videtur quoque curioſos perſtringere ſuauiſſimi Ieſu obiurgatio: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis, Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Luculenter pius Balduinus monet: *Bona cæcitas eſt in ſe ipſo magna non videre, & quæ ſcire non licet, piè ignorare.* Proptereà in cæleſtibus myſteriis, & diuinis ſacramentis, omnis impia dubitatio à corde noſtro procul pellenda eſt, vt fides quæ habet veritatis conſcientiam, habeat etiam piam ignorantiam: incomprehenſibilis enim Dei ſapientia inter anguſtias humanæ rationis coarctari non poteſt. In hoc autem ſacramento humana ratio ſub pietate fidei humilianda eſt. Ita enim oportuit, & ordo noſtræ reparationis hoc exigebat, & imago Dei, quæ per ſuperbiam rationis deformata eſt, in ipſo ſacramento redemptionis noſtræ per humilitatem rationis debebat reformari.

Eccleſ. 8.

In Concil. Toletano.

Ioan. 9.

Apud Godefridum Tilmannum.

Iſta tamen veriſſima ſunt in iis qui cerebro & fronte tenus ſunt perdocti, quorum ſapientiæ iuriſdictio non occupauit cor, ſed, iuxta diuiniſſimum Paulum, *euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Dauid etiam dixit: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*, non tamen interdixit diuinorum ſapientiâ humiles, iuſtos, amantes Deum, hoc eſt ſapientes. Nucleus ſapientiæ charitas eſt: ſine hac omnis ſcientia, euanida & caſſa eſt. Neſcit diuina, qui non optat, qui non amat: iſte tamen labor mortales vexat, vt plus Deum laborent intelligere, quàm diligere: cùm hoc facilius & vtilius ſit; illud arduum, imò, ſi ſine affectu, non innoxium. hoc intereſt inter illum qui ignorat Deum, & qui non amat, quòd iſte ſine excuſatione non amet. Prætereà plus diligere Deum valemus, quàm intelligere; validiorem tamen voluntatem otio perdimus, mentem tantum verſamus per omnem ſubtilitatem ſuperuacuam. Profectò in maiori amore minùs angimur, plus proficimus & placemus; & tamen malumus veſtigando laborare, quàm amando reperire: malumus inquirere, quàm inuenire, quàm perfrui. Quem inquirimus perdendo, ſi amando non inuenimus; imò ſi inueniamus non amando, malo noſtro inueniemus. Ad hæc, omnis huius vitæ cognitio per tranſennam ſpeculatur diuina: noſtræ mentis exiguitati accommodatur. Amor tamen ſine offendiculo eſt, in ipſos pergit & expanditur dilecti amplexus: non voluntati contrahitur Deus, ſed ipſa voluntas in Deum effunditur, in Deum faceſſit. Noſſe Deum, prout ipſe eſt, non valemus, diligere in ſe valemus. hoc intereſt inter mentem, & cor: intelligendo res ad nos trahimus, pro noſtræ modulo mentis contrahendo illas; amando tamen in res fundimur. Nec obſtat puſillitas noſtra, cùm eas intra nos non capiamus, ſed in ipſas eamus, & effundamus nos ipſos. Quare in hac vitâ ſpatioſius eſt & liberalius diligere quàm intelligere. De diuinis loquor, & quæ ſublimia nobis ſunt: nam quæ abiectiora ſunt, præſtat ſcire, quàm cupere: nam cupiditate mancipamur, & contrahimur ad illa, ipſorum conditionem ſecuturi. Demiſſa ſunt, vilia ſunt, & noſtro depreſſiora animo. deprimi nos vnà neceſſum eſt, & pro ipſorum extenuari modulo. Intelligendo contrà, immunes ingenuique ſumus: non in ea nos compingimus, ſed ipſa in nos eleuamus, cùm ſternimus, & ſpirituali ſpecie & gradu donamus. Secùs fit amando; dimittimur, & in materiam traducimur. Diſertiſſimè Hugo Carthuſianus dixit, *Si imago ſtercoris ex auro fiat, melior eſt vtique ſubſtantialiter quàm imaginaliter. Si autem Angeli imago auro imprimatur, imaginaliter erit melior quàm ſubſtantialiter.* Sic anima cùm à ſe ipsâ effuſa per corporis ſenſus in corporalia intendit, à meliore profectò in deteriorem tendit; quantoque id vehementius agit, tantò deterior efficitur: cùm autem ſuper ſe ipſam effuſa veritate, id eſt Deo, afficitur; melior ſanè & pretioſior eſt formaliter quàm ſubſtantialiter: ſubſtantialiter enim anima, formaliter, ſi dici fas eſt, Deus. ego enim dixi, Dij eſtis.

Rom. 1.

Pſal. 91.

Cap. 17. med

Igitur ſicca, ſine affectu deuoto, ſine corde, ſupernarum rerum inquiſitio vecors eſt, & parum vtilis, vt ſemel dicam, tantumdem ſtultitiæ. Egregiè B. Franciſcus Borgia cadauer ſapientiam cenſuit, quam amor non condiret. *Quoniam*, inquit, *cognitio amoris expers, eſt quaſi corpus animâ deſtitutum.* Vacueſit, niſi affectu ſolidetur, mens, ſemper impar diuinis. Ad hæc amor, neſcio quo naturæ iure & contagio

Digitized by Google

glo, ſuo purpurat colore mentem, & ſimili amictu induit; nec poterit benè exiſtimare, qui non æſtimat. Præſumptio prima affectui debetur: eò propendemus, quò defert pondus amoris; non aliter quàm bilancibus accidit. Vt humana rectè iudicemus, expiatio deſideratur affectuum. Aduerſi iudicis cenſura ſemper timetur; ánne vt diuina contempletur, nubilus ſufficiet animus? conſuetudo opacorum corporum eſt priùs cadere quàm lucere. Ad lumen mentis amor nos adornat, neſciet itaque diuinorum rationem, qui nullam rationem diuinorum habet. *Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia* Dei, *& iuſtitia* eius *in terrâ obliuionis*? Siniſtrè interpretabitur omnia mens auerſa. Suprema illa bonitas erga bonos, prouidentia, ratio, conſilium omnium rationem, & cenſuram ſuperat malorum: qui *videbunt finem ſapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus*, quemadmodum in Sapientiâ ſcribitur.

Pſal 87.

Sap. 4.

Non itaque ad omnem diuinorum conſiderationem deſponderi animos diuinus concionator voluit. Præſumptionē tantùm & curioſitatem arguit, non humilem & deuotam reuerentiam admirandæ tantæ maieſtatis, ad charitatis alimentum. Exactam quoque comprehenſionem impoſſibilem veriſſimè cenſuit. Neque abſolutè de diuinis omnibus functionibus ſanctiſſimi Patres duo Gregorij vſurpant illum Eccleſiaſtæ locum. Magnus Gregorius de diuinis maximè iudiciis intellexit, quæ ſunt potiùs cum humilitate tacenda & veneranda. Gregorius Thaumaturgus longiùs it: nam ad cupiditatem flectit, vt functus cupidine ſuâ in iis quibus ſe fœdo violauit præcipitio, nequeat quamlibet prolixo & contumaci labore verum ſolidumque bonum ſemel venari. Tum, ſi Olympiodorum arbitrum adhibeamus, naturalium operum ſcrutinium mutilum reputauit Salomon. Vocemus in medium diſertiſſimos & argutiſſimos interpretes naturæ. Nam Ariſtotelem ignorantia Euripi, Plinium Veſuuij inſcitia abſorbuerunt; illum aquâ, hunc igni. Vtriuſque interitus maieſtatem naturæ commendat, & vltra humanum captum. Quis certò pernouit ventorum naturam? quis refluentis Oceani cauſſas? quis ſiderum maſſam, cælorum argillam? quis animalium indolem? Dantarum natura hactenus quæſita eſt à Philoſophis, cur bino ventriculo donentur, cùm alter ſine vſu ſit, & ſolùm ibi reperiantur putridi paxilli? Putridæ quoque carnes quomodo viui ſint vermes, adhuc ignorauit Philoſophia. Naturæ inquiſitio ſæpè ardua eſt, & ſui auara; minùs intereſt ſciri. Diuinæ tamen prouidentiæ ratio minori conſtabit nobis: rationis illud ſcrutinium eſt, non entitatis: cur res ita ſint, non quomodo; iſtud parum refert ſcire, illud magni. Propterea phyſicas cauſſas ignoramus plus quàm morales, efficaces neſcimus plurimas, & materiales, & formales; non ita finales. Namque vltima iſta ratio reſtat, ſcilicet, cùm ceteras ignoremus, oportuiſſe aliqua ignorari, vnde admiratio alerетur, vnde maieſtatem altiſſimorum conſiliorum veneraremur. Ita excedunt noſtrum captum conſulta Dei, vt mirè interdum ſe accommodent in particulâ aliquâ. nullum puto in vniuerſum conſilium diuinum proponi poteſt, cuius non aliqua ratio reddi poſſet; nullum, cuius omnis reddatur. ita & inſcrutabilia diuina opera ſunt, & digna vt ſcrutemur, & facilia. In vniuerſum dico: nam ſingulorum euentuum cauſſas ſingulares quis aſſequetur? ipſe ſtatim ſacer concionator propoſitam ſuam ſententiam ita ediſſerat: *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrùm amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eò quòd vniuerſa aequè eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti. Sicut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat.* Inſcrutabile eſt, cur huic mala, cur illi eueniant bona; ſed ſufficienter quodammodò ſcrutabile eſt, cur bono mala, cur malo bona. Neſcimus, an hic vel ille bonus ſit. arcana cordis, & conſpectum ſui animi etiam ipſe animus ignorat; quo pacto alij aſſeuerabunt? Quare cùm neſciamus, an hic bonus ſit, neſcimus cur huic mala contingant. Illud in communi expiſcari poſſumus in diuinis operibus, quòd, ſi bonus ille ſit, accidenț ei mala, aut ad emolumentum bonitatis, aut experimentum, aut exercitium, aut exemplar. licet nullam ſigillatim dare, plures cauſſas promittere poſſumus. Has conſiderare iuuat, & rationale diuinorum operum & eſſentiæ, humiliter venari & venerari; non tam ad mentis otium, quàm ad cordis vſum. Tertullianus ait: *Quia Deus omnium conditor nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit, nihil non ratione tractari intelligique voluit.* Denique illa numquam ratio deeſt, non eſſe ſine ratione Dei facta. Egregie ſanctus Auguſtinus: *In cognitis cauſſis operum diuinorum non nihil nouimus, cùm ſcimus non ſine ratione omnipotentem facere, vnde infirmus humanus animus rationem non poteſt reddere.* Sed & ratio probandæ fidei noſtræ ſatis erat. Ecquod meritum eſſet noſtræ menti, ſi paterent cuncta; ſi Solis radio innoteſcerent myſteria diuina? Hanc ſibi rationem inculcet, cui minùs aliæ rationes probabuntur. Aptè propterea Damaſcenus monet: *Omnia prouidentia opera ſuſcipiamus, omnia laudemus, omnia citra vllam cenſuram comprobemus; quamlibet ea pleriſque iniqua videantur.* Nam, vt ait S. Paulinus, *ſi à Deo omnia, & Deus bonus eſt, omnia profectò quæ fecit Deus, bona. Si qua autem ſunt in arcanis ſtatutorum eius altiora ſenſibus & cogitationibus noſtris, etiamſi rationem eorum conſequi & colligere non poſſumus, tutius tamen nobis eſt magis occultas eſſe rationes, quàm nullas credere: quia non ambigendum omnia Dei eſſe, etſi nobis non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta.*

in Eccl. 8.

in Eccl. 8.

Vide noſtrā Hiſt. nat. lib. 10. c 14.

Eccl. 9.

Lib. de Pœnit. cap. 1.

Lib. 2. Orth. fid. c. 29.

Ep 38.

Caput II.

An expediat etiam malis, Deum eſſe.

ANte opera diuinitatis, ipſa eſt. Priùs diſpiciendum, an ſit, qualis ſit in ſe, qualis erga nos, an & ſtudioſa noſtri? Rationem prouidentiæ certiùs ſciſcitabimur, certi de prouidentia. Deum eſſe, tota natura iurat: honorem tantæ originis oſtentat vbique: maximam boni

boni iacturam ingemuiſſet diſpendium Numinis. Etiam ipſi qui diuinitatem trucidarunt, dum negarunt, exoptabant, atque bonum eius præſentiæ iudiciis ſuis antehabuerunt. Euripides aliquis, iniquus Deo, dum negauit eſſe, in eo æquè iudicauit futurum optimè de humanis, ſi diuina eſſent, quæ negabat; ſin minùs, ſi putarentur eſſe. Inuentum putauit alicuius callidi, & benè de hominibus merentis, fuiſſe diuinitatis famam, atque, cùm incondita olim & belluina eſſet mortalium vita, legibus latis iniuſtitiam repreſſam. ſed cùm hæ aperta ſolùm & manifeſta flagitia valeant coërcere, arcana tamen ſcelera multi perpetrarent; aſtutum quemdam dicebat prodiiſſe, qui docuerit veritati tenebras offundendas, & oportuiſſe hominibus perſuadere hoc, vt putabat, mendacium vtiliſſimum:

Quòd ſit perenni vitâ aliquis vigens Deus,
Qui cernat iſta, & audiat, atque intelligat.

Critias eiuſdem perfidiæ complex fuit & ſententiæ, cuius iſta ſunt: *Fuit tempus, quando erat hominum vita inordinata & belluina, & miniſtra virium, cùm neque bonis vllum eſſet præmium, neque vllum malis ſupplicium.* Deinde mihi videntur homines leges tuliſſe, quæ pœnas irrogarent, vt tyrannus eſſet iuſtitia, & ancillam haberet contumeliam. Multabatur autem, ſi quiſpiam peccaret. Deinde quoniam leges quidem ipſos eò adducebant, vt palàm ſcelera non admitterent, clanculùm autem ea admittebant; tunc mihi videtur vir aliquis ingenioſus & prudens cognouiſſe quòd operæ pretium faceret, qui inter mortales inueniret quemadmodum malis metus eſſet incutiendus, etiamſi clàm malum agerent, aut dicerent, aut cogitarent. Hinc Deum introduxit, qui nempe ſit minimè interitui obnoxius vigens vitâ méteque, audiens, aſpiciens, cogitanſque, & hæc attendens, & diuinam geſtans naturam, qui audiat quidem quidquid dictum eſt inter homines; quidquid autem fit, videre poſſit. Si quis autem apud ſe tacitus aliquid cogitet mali, hoc deos non latebit: ineſt enim prudentia. Hæc autem dicens, induxit documentum longè iucundiſſimum, nempe falsâ oratione tegere veritatem. Semper autem hic dicebat deos, vt maximè terreret homines eò ducens. Sextus quoque Lib. 8. Empiricus de atheis locutus, ait: *Nonnulli enim dicunt eos qui primi præfuerunt hominibus, & quid humanæ vitæ conferret, conſiderarunt; cùm eſſent intelligentes ac prudentes, finxiſſe eam quæ de aliis habetur ſuſpicionem, & fabuloſam de aliis opinionem. Cùm enim fuiſſet olim vita agreſtis ac fera & immoderata, & nullo certo procedens ordine (fuit enim tempus, vt dicit Orpheus,*

Victum cùm ex ſe homines exesâ carne pararent,
Atque ex debilibus fortes conuiuia inirent;)

iniuriam facientes volentes reprimere, primùm quidem leges tulerunt, vt ij punirentur qui manifeſtè iniuriam facerent. Poſteà autem deos quoque finxerunt, qui inſpicerent quæcumque ab hominibus ſceleratè, aut ex virtute geruntur, vt ne clanculùm quidem auderent facere iniuriam; cùm perſuaſum haberent, quòd

Dij totam terram peruadunt aëre amicti,
Cernentes quidnam prauè rectéve geratur.

Hæc ille. Adeò itaque bonum eſt Deum eſſe, vt ij ipſi qui non putant, bonum iudicent id putare. Maxima debemus bona opinioni diuinitatis; debemus bona quæ facimus, & quæ alij nobis fecerunt: debemus mala quæ non fecimus, atque alij nobis non fecerunt. Multas æſtima conſcientiam Numinis auertiſſe adornatas in te iniurias, multa in te impediiſſe peccata. Magnum hoc debitum, non eſſe miſerum, aut peſſimum. Aſt, non vitarit iniurias, ſaltem mitigabit; ſpes meliorum omnem ſolatur afflictum. Quæ autem ſpes, ſurdo aut nullo Numine; aut, ſi Deus, ſi non ſit ſolicitus, ſaltem memor & conſcius noſtri? quem non recreauit aut cura tanti Parentis, aut præſentia tantæ maieſtatis? Quantus honos rebus deeſſet, ſi inter res deitas non eſſet? Tunc maximè me pœniteret fuiſſe, ſi Deus non eſſet, ſi hunc mundum ſine decore ſui capitis inuenirem ac ſine rectore, nec aliter quàm familiam ſine patre, pupillos ſine tutore, exercitum ſine duce, nauim ſine nauarcho, oues ſine paſtore, monarchiam ſine rege. Ordinem rerum, tutelam omnium, vel ſolâ ſui opinione diuinitas ſuſtentat: ſi Deus cogitatus tantum bonum nobis eſſet, quantum erit re & euentu? Si ſolùm conſcientia illius non iuuat, & ab innumeris malis aſſerit, præſentia quanta conferet bona? Quid iam cura illius, quid ſolicitudo faciet? Gratulor mihi diuinitatem eſſe; gratulor rebus, præeſſe Deum omnibus: ſuum vniuerſæ gratulor naturæ honorem, ſuum decus, ſuum caput, ſuos oculos, ſuum optimum rectorem, tutorem. Euge, euge, macte lætitiâ, vniuerſitas eſſentiarum; veſtrum viuit caput, & in ipſo vos meliùs viuitis. Quod omnium veſtiûm foret votum, optare diuinitatis præſidentiam; neceſſitas eſt, ipſius natura eſt. Neceſſarius iſte honos, & felicitas mundi, immortalem regem habere, optimum, beneficum. Geſtiunt omnia, & exultabunda principe ſuo, ipſum vbique diuulgant. & ſicut famuli, optimo hero optimè affecti, læti in domo eius ſubſultant, & vbique illum commendant: ita ſeſe omnis natura præ lætitiâ effundit, & Dominum ſuum vbique intonat. Eius ſe familiæ eſſe vniuerſa confitentur hilariter. *Interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia* Iob 12. *cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & reſpondebit tibi; & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Summi artifices aut nomine, aut vultu, aut notâ ſui, commedant opera ſua emptori; ſe famæ & æternitati. Phidias totum Mineruæ ſimulacrum cum effigie propriâ colligauit, vt tamdiu conſiſteret, quamdiu eius ſpecies: ita vniuerſa Dei opera quodam diuino vultu, quadam notâ honorantur, conſiſtunt, dignoſcuntur. Inciſum omnibus eſt, Manus Domini me fecit. Digna omnia Deo ſunt; dignum Deum vt ſit, publicant omnia, & eſſe iurant. Conteſte omni naturâ, Deus rationabiliter debuit eſſe, neceſſariò eſt: & expedit eſſe tantum bonum, etiam malis: ſic minùs mali erunt; ſi non reuerentiâ; timore, ſi reſipiſcant; pœnâ, ſi obdurentur: pœna enim melior eſt malis, quàm felix & tuta malitia.

Digitized by Google

Capvt III.

Cur non potuerit mundus aliter eſſe quàm à Deo.

TAntam rerum pulchritudinem, conſenſum coaptationem ſine mente aliquâ veniſſe, ſolùm dicet qui ſine mente eſt. Compago quâ vaginæ adſtringit, artificem huius compoſitionis dictat. Caſúſne fuit, aut error, velut litura, tota hæc mundi elegantia? ſi colores fuiſſent, & nullus ſenſus animalis eos percepturi, quis rubricæ vſus? Si viſus animalis eſſet, & nullus color, ánne maius commodum? tum, ſi colores & ſenſus eſſent, nullum tamen lumen, num vſui alicui forent? Quis iſta compegit, vt color, & ſenſus, & ſol eſſent? caſus amens tantæ mentis munus non vſurparet. Apparatus mundi aliquam ſolertiam meruit. Dicat, quæſo, Euhemerus aliquis, aut Prodicus, aut Diagoras, & quicumque alij diuinitatis inficiatores, ſi ſummo conſilio res illæ digererentur, quas temerè factas dicunt, num ab vllâ ſummâ mente aliter meliùs fabrefieri poſſent? Temeritati & caſui prodigunt gloriam, quâ diuinitas digna eſt, quâ diceretur non poſſe ampliorem habere. Caſúſne
Pſalm 103. erit, emiſiſſe *fontes in conuallibus, inter medium montium* pertranſire aquas, vt potarent *omnes beſtiæ agri*, expectarent *onagri in ſiti ſuâ*; *ſuper eâ volucres cæli* habitare, *de medio petrarum* dantes *voces*? caſúſne erit rigaſſe *montes de ſuperioribus ſuis*, *de fructu operum ſuorum* ſatiari terram, produxiſſe *fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, vt educat panem de terrâ, & vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet?* caſúſne erit, ſaturare *ligna campi, & cedros Libani, quas plantauit*, vt *illic paſſeres* nidificarent? *Herodij domus dux* eſſet; *montes excelſi ceruis, petra refugium herinacijs?* caſúſne erit, feciſſe *lunam in tempora*, & quòd *ſol* cognoſceret *occaſum ſuum?* poſuiſſe *tenebras* vnde *facta eſt nox*, vt *in ipſâ* pertranſirent *omnes beſtiæ ſiluæ? catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi: ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperum.* Caſus certè non erunt tanta conſilia. Sed *quàm magnificata ſunt opera* Domini! *omnia in ſapientiâ* fecit, *impleta eſt terra poſſeſſione* eius. Anne mica mentis erit illi, qui conſpicatus elegans horologium tot rotulis, tot dentibus compactum, ſignificans horas & publicans, atque quadam æmulatione Solis, temporum arbitrum, id diceret caſu factum, non arte? Cur Solem ipſum, ſidera, orbes, animalia, & ipſa naturæ horologia cynocephalos horas indicantes videnti, potuit venire in mentem, ea ſine mente effecta? Qui videbat ingenium Archimedicum, mimum mundi, cum Solis, Lunæ, aliorúmque planetarum excurſibus, aſtrorum curſibus, ſphærarum rotationibus, auctorem mirabatur; cur cæli ipſius artificem non obſtupeſcemus, non ſtarebimus? Vmbráne miraculum artis erit; ipſum autem exemplar contemptim & obiter accidens? Phidianæ Mineruæ ſtatuam nemo caſui imputabat, omnes demirabantur. Nunc rogo, minúſne mirifica eſſet, ſi artus moueret, lanceam vibraret, clypeum obtenderet & tota agitaretur ſpiritu? minúſne mirandum erit quod exanime & mortuum, quàm quod viuum & vegetum? cur opificium mortuum gloria artis & ingenij erit, & ipſe artifex ingenioſus, ipſe homo ſpirans, negligentiâ caſus, nec ſummum prodet auctorem? Apage: ipſis Paganis Deum promulgauit conſtructio animati corporis. Audi Galenum:
Quis ita demens, vel hoſtis & oppugnator operum naturæ eſſe poſſit, qui non ſtatim ex cute — De Vſu part. lib. 3.
ipſâ omnium primum conſpiciat artem Creatoris? Quis mox non cogitabit, mentem quamdam aut intelligentiam, admirabili vi præditam per terras vehi, & in omnes extendi partes? Nuſquam enim non gigni videntur animantia, quæ omnia admirabilem quamdam ſtructuram acceperunt. Omnium mundi partium, ea certè eſt viliſſima atque ſordidiſſima quæ circum terram eſt; eò tamen pertinere videtur mens à ſuperis illis deducta corporibus. Idem ait: *Hæc*
creator noſter talia fieri voluit. Quæ autem — De Vſu part. lib. 15.
facta iam ſunt, neque tenes, neque audeas quærere quemadmodum facta ſunt. Quæ enim facta eſſe ignorabas, niſi ab anatome edoctus fuiſſes, qualiter meritò audes quærere quâ ratione facta ſint? Satis ergo tibi ſit noniſſe, vnamquamque particulam pro rerum commoditate & vſu conſtructam fuiſſe. Si verò prætereà conaberis, quo pacto ita facta ſit, inquirere, palàm fiet, nec tuâ te imbecillitatem, nec opificis illius ſentire potentiam. Vbique auctorem agnoſcit potentem. Hic Ethnicus fatetur ſapientem. Audiuimus Galenum mirabundum, ſit ſuus quoque locus
Xenophonti diſputanti: *Dic mihi, ô Ariſtodeme, ſúntne quos habuiſti in admiratione propter ſapientiam? Certè, inquit: quinam ſunt iſti?* — Apud Sext. Empir. lib. 8.
Propter Poeticam quidem Homerum habui in admiratione, propter artem autem ſtatuariam Polycletum, propter picturam verò Zeuxim. An non autem eos probas ac commendas, proptereà quòd quæ ſunt ab eis conſtructa, excellenter & affabrè ſint fabricata? Maximè, inquit. Si ergo Polycleti ſtatua fieret animata, an non longè ampliùs probares artificem? Certè. Videns ergo ſtatuam quidem, diceres eam ab aliquo artifice fabricatam: videns autem hominem, & rectè moueri, & corpore pulchrè eſſe exornatum, an non exiſtimas eſſe fabrefactum ab aliquâ excellenti intelligentiâ? Hæc ille. Adiicio ad ſolius humani corporis miraculum, ducentis & viginti quatuor id oſſibus compingi, tanto artificio, vt ſingula quadraginta vſus habeant: totidem eius conſtitutionis Galenus reperit fines. Quare, vt ſola oſſa conſtruerentur in humanâ fabricâ, octo millia finium obſeruari oportuit. ánne tanta conſilij paratura ſine conſilio? Omnis ſtructura mundi, conſtructio hominis, ſolertia brutorum, prouiſio communis, etiam minimarum beſtiolarum, ſanctiſſimis naturæ ſacramentis Deum adſtipulantur eſſe, & ſolemni iureiurando conteſtantur potentiſſimum, & ſapientiſſimum, & optimum. Talis debebat eſſe qui à nullo eſt, à quo omnia ſunt.

Dic, age, iſta quæ vides, vnde ſunt? an ab alio, an à ſe? Hoc non: nemo enim ſui faber eſt; nihil ſe facit. Si ab alio? ergo in vltimum aliquod debes omnino impingere, quod non ſit ab alio. Iſtum Deum voca, radicem eſſentiarum

Digitized by Google

In Hym. tiarum, &, vt Syneſius ait, *ſemen entium*: à quo cetera, qui non ab aliquo. Dices, Si tandem vltimo ſurgendum recurſu in id quod non ſit ab alio, cur non ſtatim ſiſtimus, & totum hunc mundum putamus ab alio non eſſe? Magnum profectò intercedit interuallum. Nequeunt omnia iſta quæ vides, non paruiſſe alieno arbitrio. Limitata ſunt, & præſcriptis ſuæ eſſentiæ cancellis: ergo aliquis conſtrinxit illa, aliquis limitauit: auctorem ſe iurant habuiſſe. cur, ſi à ſe ſunt, tam auarè ſe fecerunt, vt nihil contentum ſuo eſſe, amplius ambiat? Dices caſu ita factum; ſed caſus non negat cauſſam, ſed occultat. nihil caſu fit, quod non ab aliquo ita ſit. cauſſa etiam in concidentibus eſt. ſolùm dicuntur caſu veniſſe, quòd aut inconſultâ aut deluſâ ſpe, aut non vulgari aut inuiſâ origine; ſed verè quidem ab origine. Quid? transfugis ad neceſſitatem? neceſſitate inquis eueniſſe. Rurſus inquiro; eadem num ab alio? num à ſe? Limitata ſunt, cùm modò ſunt, & ſuis anguſta cancellis, ergo ab alio; nihil cum fine, cum modo neceſſarium fuit. Nulli circumſcriptæ rei idem fuit poſſe, & eſſe. ſolum neceſſarium eſt, quod infinitum, quod perfectum eſt. ſcilicet debuit ſummum bonum neceſſarium eſſe. Iam, non ſummum, ſi non neceſſarium. Gratulor, ô immenſa maieſtas, neceſſitatem tuæ eſſentiæ; plaudo mihi, tantum bonum deficere non poſſe; plaudo hoc vnum, non poſſe non fuiſſe. Quid enim magis neceſſarium eſt quàm quod eſt, & à nullo eſt? adhæc, ſi à nullo eſt, ſi ex ſe eſt, nullus illud limitauit, nullius paruit arbitrio, nemo conſtrinxit; ergo infinitum, ergo perfectiſſimum, ergo immenſum, ergo dominantiſſimum, ergo optimum. Tum, ſi à nullo eſt, non eſt factum, caruit initio, ergo æternum: ſi æternum, & à ſe, ergo ſufficiens ſibi, ergo immortale: ſi ſufficiens ſibi, ergo potentiſſimum, ergo beatum: ſi beatum, ergo ſapientiſſimum, ergo optimum. Nemo beatus ſine ſapientiâ erit, nemo ſapiens ſine virtute. Si potens ſine virtute eſſet, intolerabilis tyrannus foret; ſi bonus ſine patientiâ, intolerabilior virtutis iniuria; ſi ſapiens ſine bonitate, inſuperabilis malitiæ fuiſſet. Quare titulus æternitatis, & infinitatis nomen, has exigit conditiones, potentiæ beneuolæ, bonitatis prudentiſſimæ, ſolertiæ feliciſſimæ per vires, per indolem æqualem. Iſta mihi illuſtrant lumen inacceſſum, quod creata obnubunt; non totum: nam aliquos per hæc ipſa ad nos tranſmittit radios. Licet clariſſimum ſit, Deum eſſe, clariori luce liber intueri. Quæ placent, & quæ diligimus, non tantùm contenti ſumus ea habere, & certos nos eorum eſſe; geſtimus etiam videre, & quidem ſolari lumine non pœnitet cernere.

Capvt IV.

An rationi naturæ congruum ſit, Deum trinum eſſe.

Altius aſſurgamus, vbi nulla panditur feneſtra naturæ, nulla hiaſcit illuſtris rimula. Deum eſſe, & quidem vnum, natura promulgauit, ratio premit. Anne & trinum? Hoc naturæ arcanum eſt. Certè ſi natura hoc non dixit, non contradixit; dicam, exoptauit: licet iureiurando illud non affirmet, voto confirmat: ſin minùs, ſuffragio faueret. Ad complementum tantæ maieſtatis, ad fidem beatitudinis, ſocietatem aliquam in Deo peramauit. Sciſcitemur oculos naturæ perſpicaciores, magnos Philoſophiæ patriarchas, Platonem aliquem aut Ariſtotelem. Si ignarus alteruter diuinorum arcanorum rogaretur, num rectè videretur facturus, ſi quis Deum ita confingeret, vt, præter maieſtatem vnitatis, is in ſummâ ſimplicitate eſſet trinus, ne bono conſortij priuaretur, ne diuortio periclitaretur; minimè credo huic cogitationi refragaturum, imò dicturum, impoſſibile id eſſe potiùs quàm irrationabile, atque ad ſummam illam maieſtatem ſi quid deeſſet, hoc ſolum fuiſſe. Hic conſenſus, iam euentus; mentior, neceſſitas eſt. nihil circa magnitudinem Dei optari poteſt, nihil benè confingi, cuius veritas non ſuperet opinionem. Certè Plato iam Deum non ſolitarium fecit; filium Dei agnouit, & amorem; nempe Verbum, & Spiritum. Ariſtoteles Deo aliquem conſortem & comparem optauit, & quia cum nactus non fuit immuni priuilegio vnitatis, quo proximè potuit modo, decentiùs ſocium aſſignauit. In Theologiâ Ægyptiâ (niſi fortè alius eius auctor ſit) mundum fabricaſſe cum differit ad ſolatium ſocietatis, ne ſcilicet ſolus eſſet. Miſerè beatitudinem diuinam excogitauit cum voto, iam cum neceſſitate, iam cum miſeriâ. Intolerabilem iudicauit Deo ſolitudinem. Ad hæc, cùm beatitudinis occupationem indagaret, contemplationem eam eſſe putat. Cuiuſnam rei in Deo? certè dicere non potuit, niſi ſuiipſius? ſed arduum cenſuit, Deum ſe ſolum conſpicari, vnam ſui dumtaxat cogitare ſubſiſtentiam. ſtultum & delirum dixit, cogitare ſe. Deum autem negare beatum, blaſphemum cenſuit. timuit, ſi id concederet ſuæ ſolius perſonæ conſideratione, ne ſtultum faceret cum ipſius beatitudinis iniuriâ, cuius ſubſtantia ſapientia eſt. Hanc tanti Philoſophi ſuſpicionem propriis ipſius verbis edo. *Quoniam*, inquit, *bona cuncta obtinet Deus, ac ſibi ſatis eſt, quid faciet? neque enim dormiet.* Lib. 2 Magn. mor. c. 15. *Contemplabitur aliquid, inquiunt. id namque pulcherrimum, & maximè peculiare. Quid igitur contemplabitur? nam ſi quidquam aliud contemplabitur, id erit melius. hoc verò abſurdum eſt, vt ſe quidquam melius habeat Deus. Ipſe igitur ſeſe contemplabitur. At hoc delirum: nam hominem qui ſeſe contemplatur, vtpote inſenſatum, increpamus.* Quare exoptabat Philoſophus perſonam Deo æqualem, cuius collegio felicitas diuina omni expiata ſtultitiæ probro expleretur ſecuriſſimè, vt non tantùm ſe cogitaret, ſed alium quoque, qui tamen à ſe in naturâ non differret. Votum arcanum Ariſtotelis fuit, pluralitas perſonarum. Tam rationabilis eſt trinitas Dei, vt ij ipſi qui ignorarent, qui repugnarent, approbarent. Nemo eſſet priſcorum, cui non placeret inuentum trinitatis in vnitate, & ſummè cuiuſque ſapientiſſimi menti inſideret. Ad tantam de Deo cogitationem non venerunt; ſed moniti illam comprobarent, vt conſentaneam, vt rationabilem, vt decentem, vt neceſſariam.

Digitized by Google

faciam. ſolùm illis reſtaret ſcrupulus poſſibilitatis, ſed cui fortaſſe non ſuccumberent: diuina enim mens meretur humanam ignorantiam. maior eſt modus illius ſubſtantiæ, quàm noſtri ſubſtantia ingenij: digna eſt noſtrum excedere captum. Non benè de Deo cogitat, qui non cogitat plus quàm benè poteſt, imò quàm poteſt. Auari fuiſſemus liberalitati diuinæ, ſi fœcunditatem ſui illi negaremus. Geſtiunt omnia ſe geminare, aut in prole aut in imagine. Accidentia icones ſuas parturiunt. color in ſpeculo ſe reſumit, ſonitus in ſaxo. Subſtantiæ alias pro ſe ſubſtituunt genitali virtute, non ignobiliores imagines, ſed pares ſibi. Excellere debet Deus, nec ſine prole, nec ſine ſocietate eſſe; non ſolitarius, non ſterilis, & aliquâ ſummâ efficacitate ſe pingere. Imago iſta ſi minor archetypo fuiſſet, in quo diſtaret ab accidentibus? ſi ſolùm par, in quo excederet ſubſtantiam qui ſuperſubſtantialis eſt? vltra æqualitatem aliquid debebat adiicere, quid niſi vnitatem & identitatem? vt eſſet par, & eadem.

Poſt Ariſtotelem veniat Ariſtotelicus, veniat noſtræ fidei iniquus, veniat qui celebrem diſputationem iniit cum diuino viro Gaſpare Barzæo, minimæ noſtræ Societatis non minimâ gloriâ: cuius preſſus rationibus iuxta Peripatetica dogmata, non ſolùm impius ille agnouit, contra naturam non fore, Deum trinum eſſe, ſed faſſus eſt eſſe. Percunctatus Gaſpar, Deóne ſit bonum, necne, ſe intelligere; ille ex Ariſtotelis diſciplinâ retulit, in hoc ſitam Dei felicitatem. Atqui, Gaſpar replicat, intellectionis imago eſt aliqua, quam mentis vocamus verbum. faſſus eſt, atque illud perfectius pro intelligentis perfectione. Omnino, ait, perfectius. Ergo in Deo, Gaſpar premit, qui intelligens immenſus eſt, intellectio immenſa erit. Immenſa, reſpondet. Intellectio igitur imago, & verbum erit infinitum. Conceſſit dialecticè ſequi. ergo illud verbum Deus erit: Deus enim eſt, quidquid infinitum. Namque quòd in homine mentis verbum accidens ſit, propter anguſtam & imbellem intelligendi vim; in Deo propter infinitam intelligendi facultatem idem ſubſtantia erit, æqualis Patri ſe ipſum comprehendenti funditus & exactè. Auarè de Creatore cogitaremus, ſi producendi vim, quæ creatis perfectio eſt, ipſi negaremus. Ita ex generantis & geniti diſcretione, duas demonſtrauit Gaſpar perſonas. Inde hominem neceſſario delapſu fulciit. Vbinam Pater ſine charitate erit? vbi conſpectio pulcherrimæ rei ſine affectu? vbi Filius optimus à Patre optimo non amatus? Igitur amor in Deo eſt, & quia non accidens, ſed ſubſiſtens, Deus vtique. Conuictus tandem Sarracenus ratione, conceſſit, non contra rationem, ſolùm ſupra, eſſe Trinitatis venerationem, quod cùm omnium ſit arcanorum princeps, & ſtupendum, nulli libentiùs natura plauſit, Philoſophia admiſit, & iactauit. Admiratio, periculum eſt fidei. At mirificum iſtud arcanum mirificè creditum eſt; quod maximè vtique eſt mirum. Et cùm difficilius videatur, vt facilius approbatum fuit & acceptum; illud quod ſupra rationem & Philoſophiam eſt, ipſa Philoſophia magis eſt amplexa. In omnibus fidei noſtræ ſacramentis, quod minoris vniuerſim conſtitit ſuaderi, hoc fuit. tam rationabile viſum eſt rationi, quod ſupra ipſam eſt. Aliis myſteriis contumaces ſæculi ſapientes fuerunt, huic maximè fauerunt. Alia vix miraculis coacti accepere, iſtud ſponte, & vltrò; multi ſine prædicatore, ſine exhortatione; ſolùm vel leuiter auditum, aut lectum. Quis Platoni illud prædicauit, quis Hermeti? In hoc iam vniuerſæ Philoſophiæ plauſum allego, tribuentis huic Ægyptio agnomen Trimaximi, quòd Trinitatis in vnitate Chriſtianam ſententiam pronuntiaſſet, vt Suidas ſcribit. Adeò conueniens, & digna diuinitate, adeò rationabilis Gentibus viſa eſt. Vltrò itaque myſtæ ſapientiſſimi naturæ ſacramentum ſupra naturam arripiebant. Alij poſtmodum, qui noſtræ religionis decretis infenſi fuerant, huic fuerunt benigni: hoc conſtruebant, qui deſtruebant alia; Amelius, Proclus, Plotinus. Librum hic conſcripſit de Tribus hypoſtaſibus. Adeò feliciter ſubiit iſtud arcanum, cum ſuffragio Philoſophiæ, aut voto, quæ aut Deum deſiderabat trinum, aut credidit. Penè nullum myſterium vltrò magis crediderunt, quàm quod magis incredibile. Opinor, ipſa incredibilitas impertiuit fidem. decebat diuinam maieſtatem maxima ſuæ naturæ maieſtas: nec altiſſimæ diuinitatis præſumptioni ſatisfaceret Philoſophia, niſi de Deo crederet non credibile. Exhilarata fuit, audito tantò ſacramento, exultabunda approbauit, vt maximè commendaret id ſuis ſequacibus. Vidit hîc pacifica duo repugnantia naturæ vota, vt Deus eſſet ſummus, & beatus. vt eſſet beatus, ſocietatem requirebat: vt ſummus, vnitatem; namque impatiens ſocietatis imperium eſt; ſi cum ſocio, intutum. Vix multorum dominatio ſine ſanguine aut perfidiâ cœpit; cum patientiâ toleratur. intolerabilior, diuinitatum poteſtas foret. Vbi potentia eſt maior, patientia minor eſt. At inuento Trinitatis arcano, id eſt veritate, ſecura omnia ſunt: concordant bonum ſocietatis, & maieſtas atque ſecuritas vnitatis; conciniunt inter ſe diſcordia. Sed & in politicis Philoſophi quæſtionibus variè diſtrahebantur, ad defenſionem monarchiæ & ariſtocratiæ. Vtriuſque bonum hîc compingitur. Deus vnus eſt, & ſocietate gaudet. gaudeo talem Deum habere, qualem Ariſtoteles exoptauit; & eſſe naturam eius, quod votum Philoſophi. gaudeo talem Deum habere, qualem adhuc mali optimum celebrarunt, & vltimam ſapientiſſimorum ſapientiam, inter rudimenta noſtræ doctrinæ hauſiſſe. Iam quid magni facio, ſi credam prouocatus, quod vltrò infidelis? ſi credam quod naturam decet, quod Deum, quod nos? iſtud rationabile eſt, licet ſit ſupra rationem. Imò ſubinde magis ardua Gentes de Deo crediderunt; nam & magis falſa. Peccatum diuinitati imputarunt; credibilibus eſt trinum Deum eſſe, quàm ſceleſtum. Prona credulitas eſt ſuo commodo; quod benè cuique eſt, id verum credit, quia volet eſſe verum. In multis enim rebus cupiditas & vſus opinioni aſtipulantur. Quid vtilius & commodius nobis? quid honoficentius Deo, imò & nobis? Talem Deum habemus qualem inuideret Stagirita, qualem fingere melius non poſſemus.

Quis non attonitus præ lætitiâ liquefiet, contuitus ſtupendam illam bonitatis vim, cùm totum ſe Deus diffundit? qualem ſpem ſubinde concipere

concipere debemus ex hoc auſpicio liberalitatis? ànne ſtillam negabit, qui totum infinitatis pelagus vno fluxu condonat, ſemel & iterùm? Erudita diuinitas intra ſe,& aſſueta ſanctiſſimæ prodigalitati ſui,in nos refunditur; neſcit auara eſſe ſuæ ſubſtantiæ: docta eſt in ſe donare, & eſſe donum. Inde iam peritè nouit beneficium nobis facere, & eſſe. Egregiè Guerricus ait: *O Deum, ſi fas eſt dici, prodigum ſui! expectemus non quoties Deus dedit, ſed quoties ſe dedit. In profuſionem ſui tota conſpirauit Trinitas, ſæpè ſe dedit diuinitas. O affluens liberalitas Dei! ô indeficiens largitas bonitatis diuinæ! Spiritum, cuius primitias dedit Apoſtolis, offert vniuerſis, theſaurum ſuum; fontem aquæ viuæ aperit, tam hominibus, quàm iumentis; tamquam & ipſe omnibus, ſapientibus & inſipientibus, debitor ſit. Parum erat Patri tradidiſſe Filium,vt redimeret ſeruum; niſi daret & Spiritum ſanctum, quò ſeruum adoptaret in filium. Dedit Filium in pretium redemptionis,dedit Spiritum in priuilegium adoptionis; ſe denique totum ſeruat hereditatem adoptionis. O Deum, ſi fas eſt dici, prodigum ſui præ deſiderio hominis! An non prodigum,qui non ſolùm ſua, ſed & ſe ipſum impendit, vt hominem recuperaret, non tam ſibi quàm homini ipſi! An non prodigum, qui ſicut proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ſic nec Spiritui ſancto pepercit, vt ita loquar; ſed nouâ & mirâ largitate ſuper omnem carnem effudit illum? Multùm quidem effuſus ſui prodigus ille filius, qui tam patrimonium quàm ſe ipſum donauit meretricibus; ſed multo effuſior pater, in recuperationem perditi filij, quàm ille in perditionem ſui. Si tamen vlla debet eſſe comparatio gratiæ & pecuniæ, ſpiritus & carnis, hominis & Dei.*

Serm. 1. de Pentec.

Quoad liberalitatem Filij Dei, non eſt tacenda deuotiſſima Guilielmi de Cailloë ſententia: *Quis vnicus prodigus inuenitur, ſicut ille Vnigenitus Patris, qui portionem corporis ſcilicet & animæ, quæ contingebat eum, & patrimonium (ſi dici debeat) quod à matre contraxit, diſſipauit atque conſumpſit cum meretricibus, id eſt cum peccatoribus & publicanis, non luxurioſè ſed laborioſè viuendo? Filius ille iunior Euangelicus, acceptâ famis iniuriâ, defecit impatiens laboris, & in miſeriis non ſubſiſtens;hic in fame concurrit & ſiti, euiſcerans ſemetipſum, & omnem pretioſam margaritam porcis ſpargens, qui pretium eius repellere cogitabant. effudit enim de Spiritu ſuo ſuper omnem carnem, poſtquam remeauit ad Patrem. neſcio an carne, an ſpiritu, magis prodigus, vt quos caro ſaturauerat, ſpiritus inebriaret.*

Itaque vtiliſſimum nobis eſt, profuſum ſui Deum eſſe: quare titulus commodi fidem omnem Trinitatis meretur. Pignus liberalitatis feliciter ibi præſentatum video, & quia totum ſe donat Deus,& quia quod donat retinet,tantumdem habens ac dedit. O fauſtum bonitatis ingenium! ſubſiſtentem affluere, contentam in ſe exundare, dare vt non amittat, integram communicari. Si hanc priuilegiariam donandi legem in homine videremus, nihil eſt quod ab illo non ſperaremus. noſtra enim liberalitas hac rerum iniuriâ laborat,quòd deſint donata nobis. Damnum iſtud diuina beneficentia ignorat. Totum quod dedit, poſſidet: ita alienat, vt ſeruet. hac largiendi indemnitate gaudet,vt nihil amittens prodigat. Theſauros & æraria ſecura videmus. ſi ſimilem ſui cenſus felicitatem in homine videremus, vel ſi vnum aureum dumtaxat poſſideret, imò vnicum obolum, Crœſo ditior eſſet: ſcilicet, quantumuis daret, ſemper ſuperflueret quod daret. O ſecuriſſimam prodigalitatem, dare totum, & tantumdem habere, ac ſi nihil dediſſet!

Aliquis impius Porphyrius, aut Arius, tenuiter de liberalitate Dei ſenſerunt, vt dederit minus quàm ſit, in aliquo ſui, quod retinuit, auarus. Maximæ nobis ſpei pignus ſubducunt, & ſummo liberalitatis exemplo priuant, dum minorem Patre Filium putant, ac Deum minus quàm ſe dediſſe. Admonet diuinus legiſlator, *Non aſcẽdes per gradus ad altare meum,ne reueletur turpitudo tua.* Exod. 20. Egregiè ſanctiſſimus vir Bruno hoc altare fidem cenſuit Trinitatis: per gradus vtique ad illud aſcendit, quiſquis maius & minus in Trinitate credit. Aſcendit ad hoc Arius per gradus,itàque eius turpitudo hæreſeos reuelata eſt. aſcendens cecidit, effuſis turpiter viſceribus. Æqualia & explanata, diuina ſunt.tantumdem donantis, & accipientis, eſt donum. Minora pignora diuinæ largitatis haberemus, ſi minus in diuinis poneremus: id eſt, tantum ſpei detraheretur noſtræ,quantum de Filio Dei, aut amore. Iniuria charitatis eſſet,minus aliquid in Deo fuiſſe. Si Filius eſſet minor Patre; iam non idem cum Patre: ſi non idem,ignauus fuit diuinus amor. Hoc facinus charitatis,vnire omnia. oportebat, virgineam & integram amoris indolem explicari alicubi, & totam ſuo impetu ferri ad vltimum, non ſolùm vt coniungeret,& affectu vniret, ſed effectu; non ſolùm voto, ſed naturà. Vbi hæc victoria? vbi hoc artificium ſummum amoris,niſi in ſummâ naturâ? vbi infinitus Genitor pro tanti parentis dignitate amare debuit, ergo infinitè & infinitum; ergo ſine anguſtiis, & totâ ſui effuſione,& charitatis efficaciâ. Quòd ſi amare, vniri eſt; ergo infinitè vniri, & infinita vnitio, nequit eſſe niſi identitas ſit. affectatio identitatis, omnis vnio eſt, vt via quædam illius: ergo,donec illuc veniat,pergere geſtit. Itaque iniurij nobis ſumus, ſi hoc amoris facinus, & feliciſſimum potentiſſimæ charitatis auſpicium, Deo negemus. Ad hæc, quantum ſolatium nobis erit, tali nos amore diligi, vigoroſiſſimo, ardentiſſimo? qui, niſi indignitas noſtra terminos velit conſtituere, plùs arderet diligere, & effundi.

Tanto amori, & effuſioni ſui, grati ſimus, & fide tantæ maieſtatis, & lætitiâ tantæ charitatis, & amore tantæ bonitatis, atque ad imitationem Trinitatis, tradamus nos totos,& tranſfundamus in Deum: neque enim perdemus nos, ſed inueniemus. Quemadmodum enim cùm ſe Deus dat, nihil ſui perdit; ita cùm nos Deo tradimus, nihil noſtrum amittimus. Integros nos & totos noſtri nos reliquit, cùm admittit: ſicut integer & totus ſui eſt,cùm donatur. Non minùs immenſus eſt, & infinitus, & bonus in recipiendo, quàm in largiendo, ſine diminutione ſui ſe nobis dat, ſine diminutione noſtrâ nos accipit. Ergo ſecurè tradamus nos Deo ſecuro, & à vitâ carnali in ſpiritum eleuemur: nam, vt deuotus Balduinus dixit, *vita carnalis, Dei iniuria eſt, & in totius Trinitatis contumeliam redundat. Iniuria ſiquidem Patris eſt, quòd Filius conculcatur. Iniuria Filij,*

quòd

Digitized by Google

quòd ſanguis eius quaſi polluitur. Iniuria Spiritus ſancti, quòd gratia contemnitur. Igitur toti ſpirituales, ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis reſtituti, anhelemus ſolum Deum, ſpiremus ſolum Deum, ſpiremus ſolum Spiritum; & immemores noſtri, illum ſolum amemus ad imitationem ipſius. Inſideat cordibus noſtris illud Magni Alberti: *Delicata anima quaſi abominatur, per modum commodi vel præmij, diligere Deum, ſicut Deus cum omni virtute ſuâ ſe infundit animæ, nihil vmquam ab eâ vtilitatis ſperans.*

De Paradiſo animæ c. 1.

Capvt V.

Cur Deus condiderit mundum.

VIdeamus modò, cur, ſi Deus domeſticâ ſocietate gaudeat, diuertat ſe ad naturæ negotia, ad mundi conſtructionem. Putauit alicubi Ariſtoteles, quemadmodum in Ægyptiâ Philoſophiâ habetur, mundum à Deo factum ad ſolatium ſolitudinis, vt aliquo conſorte, orbitatis ſenſum diſſimularet, quemadmodum qui prole carent, adoptione redimunt naturæ inopiam: at Deus ſobole legitimâ non caret, ſuâ exultat prole collegâ felicitatis; alieno ſolatio non habebat opus, nec fingere filium, quem non genuit: ergo mundi conſtitutio non neceſſitatis opus fuit, nec remedij, non commodi proprij; ſed facinus exundantis bonitatis, & refluentis charitatis. Compertum igitur eſt, cùm ſumma illa mens nullius egeat, cùm ſufficientiſſima & affluens ſit, cùm nullum accrementum & commodum à rebus à ſe factis capiat, aut honoris, aut lucri, aut gaudij, eam impetu quodam eruditæ iam in Filio generando largitatis, in producendo Spiritu charitatis, excogitaſſe mundi molitionem. Dedit iam ſe Filio, dedit Spiritui ſancto: effluit velut extra familiam. Non conſtitit fluctus & torrens ille bonitatis in ſe: vberi effluxu geſtiebat prodire: nam in alienis non minimum experimentum ſui præbetur. Minùs enim apud nos commendatur indulgentia eius qui donat filio, quàm eius qui ſeruo & extraneo. Vidit ſe Deus æquè integrum, & æquè diuitem, poſt tantam liberalitatem ſui: habuit quod daret, quaſi nihil dediſſet; non habuit cui. Fecit; raptuſque ardentiſſimo beneficentiæ amore, extruxit cui daret, imò alia quæ daret, quaſi ipſe non ſatis eſſet. Gloria diuinæ munificentiæ eſt mundi molitio. Cauſſa fundandæ naturæ liberalitas eſt, & affluentia bonitatis; vt haberet Deus quibus, & quæ daret. Nam licet haberet iam quæ daret, aſſuetus ſcilicet ſe largiri, non minima gloria eſt feciſſe vltrà, quid etiam adiiceret. Summa felicitas diuinitatis eſt, neceſſitate ſuæ naturæ præcurrere vota, id eſt, eſſe quod vellet. Neceſſaria fuit prima Dei liberalitas; expediebat voluntaria aliqua. Quemadmodum aliquibus diuitibus, qui liberalitate & miſericordiâ excellunt, non tantùm laudi tribuitur, ſi dent quæ fortuna dedit; ſed ſi vltrà manibus & labore comparent, quæ egenti impertiant: ita maximus diuinæ indulgentiæ titulus eſt, vltra quod natura eſt, & dedit, feciſſe quæ daret. Allego quoque Philoſophiæ iudicium in Platonis voce, quæ admiranda in

hac parte viſa eſt Theodoreto. Cauſſam mundani opificij hanc reddit: *Bonus Deus erat, bonum verò nulla rei cuiuſquam ſubit inuidia. Cùm itaque extra inuidiam eſſet, voluit omnia eſſe ſibi ipſi quàm maximè aſſimilia. Diximus autem ſimilia, non ſecundùm naturam, ſed eò dumtaxat, quòd & ipſa ſunt. Sicut enim ipſe eſt, ita voluit, vt quæ olim non erant, fierent atque eſſent. Verùm ipſe ſic eſt, vt ab nullo eſſe acceperit; omnibus autem quæ ſunt, eſſe ipſum tribuerit.* Nullius enim propriæ vtilitatis cauſsâ Deus mundum hunc fecit, vt videlicet honores ab hominibus, à diis dæmonibúſque acciperet, ſeu qui prouentum aliquem ob oblatam illis generationem ſibi aſciſceret, vt à nobis putà fumidum ſacrificij vaporem, à geniis verò ac dæmonibus propria ipſorum miniſteria. Hoc itaque etiam loco Deum rei nullius indigum eſſe Plato teſtatur, ſolâque bonitate adductum, hæc omnia effeciſſe.

Lib. 4. Contra Græc.

Capvt VI.

An Deus prouideat.

ERgo non ad contemptum fecit omnia Deus, ſi tanto fecit liberalitatis imbre, & amoris æſtu. Iam bonum optat nobis, cùm id det. iam ſatagit, cùm amet. Quid eſt amor niſi voluntas boni? bonum autem nemo quærit ei quem negligit. Igitur cùm bonum nobis velit, non contemnit; cùm amet, curat. adulterinus amor, eſt incurius & ignauus: at amor Dei acerrimus, potens, perfectiſſimus. quare cum curâ, cum ſolertiâ, cum omni pompâ ſuâ & maieſtate erit, cum votis, cum ſolicitudinibus. Iſta amorem commendant: iſtud ſatellitium auguſtam charitatis auctoritatem colit & ſeruat. Nero, quia dilexit Poppæam, capillos capitis eius numeratos habebat, quos indiris nominibus, & effuſis carminibus concelebrauit. Deus quoque diliget, quia capilli capitis noſtri omnes numerati ab eo ſunt. Certè, ſi mundus non indignus fuit vt à Deo fieret, meruit vt curaretur. Damnaret factum ſuum ſequens negligentia: cur manus omnipotentiæ occuparet, in quod oculos non mitteret? indignus diuino reſpectu, ciúſne meruit operam & laborem? Auſpicatus iam eſt auctor curas; oppignorauit aliquas vigilias voluntas præcedens. Non ſatis beneuolentiam diuinam commendaret liberalitas deſes & otioſa. maximi defectus doni monſtroſam faceret: maximum autem Dei donum, cura eſt & ſolicitudo. Quid nos iuuaret, omnia dediſſe naturæ dona, ſi obliuione ſui puniret beneficia ſua liberalitas diuina? illuc aſpirat, & auet continuo ſe profundere munere, ſe dare; educata ſcilicet & erudita in totius ſuæ ſubſtantiæ, liceat ſic dici, prodigalitate, cùm Filio ſe donauit chariſſimo. Simile & grande aliquid in nobis geſſit. hæc vota ſolatur in minimis largitionibus, in quibus iam ſe dedit, dum curat, Non minima animi pars animaduerſio eſt. Egregiè quidam definit: *Pulchritudo eſt alienum bonum:* quid pulchrius bonitate? quid igitur ſibi alienius quàm bonitas? nullum itaque magis alienum aut publicum bonum, quàm bonitas; omnium eſt, & pro omnibus. Si me rogas,

Digitized by Google

quid bonitas eſt? deco, cenſus publicus, alienum bonum: res omnium, non ſui ſolius patitur eſſe. Bonitas eſt quæ ſufficit ſibi. Anguſta definitio eſt diuinæ bonitatis: eſt inſuper quæ ſufficit omnibus. Parum adhuc dixi; non tantùm eſt quæ nullius eget, ſed cuius omnia egēt. Deo egemus non tantùm vt ſimus: parum hoc, niſi vt bene ſimus. Deo itaque omnino egemus potente, & ſapiente, & procurante, & beneuolo; id eſt Deo, quia nullius rei indigo, omnia nobis elargiente bona. Hinc illud Iamblichi: *Diuinitatis vis elucet, implens omnia bonorum cornu copia.* hinc illud Platonis: *Tantopere diis in donorum mercaturâ præſtamus, vt, cùm nos omnia ab illis bona accipiamus, ipſi niſi nihil à nobis boni reportent.*

Segm. 3. cap. 13.

In Euthyph.

Tam neceſſe eſt Deum curare nos, quàm feciſſe. Certè dum fecit, iam tum curauit, iam aduertit: neque enim pulcherrimum iſtud opus, & ſtatuam magnam diuinitatis ſuæ, clauſis fecit oculis: non parergon, non inuitè fecit; ſed lætus, hilaris, geſtiens, placens ſibi, imò gratulans. Ergo ſi, cùm fecit, curauit; nunc quoque: nam & facit; facit quippe, nam ſeruat. nec minor nunc ſumptus omnipotentiæ, quàm in exordio noſtro. Eadem nunc eſt opera, eadem ergo & cura: nunc quoque in manibus Dei ſumus, quare in oculis. ſi omnipotens illa dextra excuteret nos, in noſtrum præcipites rueremus nihilum. Itaque dum ſumus, in vlnis Dei ſumus, in amplexu: igitur in corde. neque Deus adeò negligens & ſocors eſt, vt eius quod in manu habet, obliuiſci poſſit: dum ſeruat nos, obſeruat vtique. Ergo amor ſiue fecturæ, ſiue facturæ, oppigneraiut procurationem. S. Zeno ait: *Artifex rerum, Filius Dei, amore imaginis ſuæ de cælo deſcendit.* Et velut pictor apud Ariſtænetum, imaginis à ſe depictæ captus amore, fateri poteſt: *Amor mihi ab arte venit, non ab Cupidinis iaculo: mea me manus ſagittauit.* Idea rerum omnium, diuinitas eſt; curauit ſtatuam ſuam. Ad principum maieſtatem ſpectat conſtitutio & integritas ipſorum imaginis, cuius incolumitati & adorationi tum legibus, tum interminatione cauetur. Deus ſe amat, quare nos & amat, & curat. placet ſibi, placebunt & ſua. Faber diligit opera, pater diligit filium; vtroque nos diligit Deus titulo, cum ſolicitudinis penſione: nemo diligens, negligens erit: dilectio diligentiam promittit. Titulus amoris artifici eſt forma in ære aut ligno; illa ſolùm à fabro, non materia. titulus amoris genitori præcipuus, materia eſt: neque enim animam filij pater fecit; dedit tantùm materiam: Deus tamen & materiam nobis fecit, & formam perfecit. Integri à Deo ſumus, integros nos ſuos videt, amat, curat pleno titulo. Pater licet ſuppeditet materiam, aliunde mendicauit, aliquando non ſuam: Deus numquam non ſuam. Quò propriores Dei ſumus, chariores ſumus. Quantò magis in nobis fecit, tantò vult perficere. Pater non contemnit filium, quem amat, quia fecit: Deus, quia fecit nos, amabit & curabit. Nihil boni fit ſine exemplo diuinitatis: communis norma Deus eſt: ipſe paternitatis idea, quare & ſolicitudinis. quemamodum Deus eſt exemplar patribus fœcunditatis & actionis, ſic & diligentiæ. Quanto igitur præſtat fœcunditas diuina, cum totos nos dederit, tanto præſtabit

Serm. de Spir. & corp.

Lib. 2. Epiſt. 10.

ipſius ſolicitudo pro nobis: maximè cum tanti fuerimus Deo, ac naturalis ſuis Filij ſanguis & vita. Ipſe dixit dulciſſimo ore: *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa: nónne vos magis pluris eſtis illis?* Reſpiciamus, quomodo illa procurauit animantia, & demulſerit beneficiis. Et quod maius exemplum curæ, quàm cerigon; ex cuius aluo duæ pendent manticæ: in his catulos circumfert, ſuo quemque vberi affixos perpetuo ſuctu. Ad hæc, non vanè, non temerè Deus nos fecit; aliquid cogitauit, quò perduceret, ergo ſaltem perducet. Nec hoc ſine conſilio. quid conſultius, quàm quæ viſa eſt ſtultitia crucis? *Cùm*, inquit Theodotus, *naturam noſtram ſanare volens, non per alios ſalutem noſtram, ſed per ſemetipſum molitus eſt. Sic curauit, vt aliis curam non conſideret.* Cùm ſcilicet, vt loquar audacter cum Hilario, *per diſpenſationem, & ſacramentum magnæ pietatis qui Deus, & magnus eſt, impotens ſibi eſt.* Amor tot curarum fuit complex. Nolo producere hanc quæſtionem: nam ſi qua digna eſt vt puniatur, ſicut Clemens Alexandrinus putat, iſta eſt, quærere rationes prouidentiæ, cum pateat; nec aliud argumentum deſiderandum, ſi de amore conſtat, aut ſuo aut voto noſtro. Veriſſimè Plinius ad Cornelium ſcripſit: *Amari à te cupit, dignus hoc ipſo quod cupit; deinde quòd ipſe te diligit, neque enim ferè quiſquam exigit illud, niſi qui facit.* Quantum faciet Deus, qui exactiſſimè, vt ſic dicam, exigit, vt nec nobis amandis reſtemus? ſcilicet qui curaturus nos erat, pluſquam nos poſſemus, ius dumtaxat habuit rigidiſſimæ exactionis, vt nos nec amaremus, nec curaremus.

Matth. 6 26.

Tom 6 Cōcil. Epheſ. app 5. cap. 2.

Lib. 11.

5. Strom. ſub initium.

Lib 7. ep. ad Corn.

Capvt VII.

An de noſtrâ prouidentiâ fidendum.

O Maximam vitæ conſolationem, ô dignitatem humanam, diuinos occupare cogitatus, curas, conſilia! Antelucanâ nos complexus charitate Deus, ſe obſtrinxit ſolicitudini importunæ. Quid timere niſi ſe poteſt. qui pro ſe Deum ſatagentem noſcit? cuius memoria ſumma felicitas putaretur. Quanta audent mortales, vt mortalium quoque memoriā emāt! faſtigium felicitatis rati, aliquod ſuæ notitiæ ſenium: magni æſtimant, ſi de iis etiam viliſſimi loquantur, non cum charitate, ſed vel cum inuidiâ. æternam nos memoriam Dei occupauimus, Æternam mentem, charitatem, vota, ſedulitatem. non tantùm Deo noti ſumus (ſatis eſt ſummæ gloriationi diuina notitia) ſed chari. Poſtquam memor noſtri eſt, attentus eſt, ſolicitus, vno verbo dicam, amans. Quid timorem ſolum prohibeo? deſideria vero? Quid timere, quid deſiderare poteſt, niſi Deum, pro quo Deus deſiderat? quid curare, pro quo ille ſolicitus? Quædam videntur blaſphemiæ vota noſtra & ſolicitudines, niſi ne ſimus ſoliciti de nobis, vt ſimus de Deo. Mancam alioqui præſumemus diuinitatem, aut ſtultam, aut maleuolam. Nullo alio capite fides prouidentiæ periclitatur, niſi ſi Deus aut imbecillus, aut ignorans,

aut

Digitized by Google

cur iniquus eſſet. Non minoris ſtat prouiſio, & cura noſtri. Totum quod eſt, Deus occupat, ſapientiam oculatiſſimam, omnipotentiam dominantiſſimam, immenſum intimæ & inuiſceratæ bonitatis oceanum. Scit quid nos iuuet; vtique id & poteſt, & quidem maximè vult: quid ergo reſtat niſi humilis noſtræ felicitatis præſumptio? nam potenti omnia bona, & ſcienti, ſi accedat voluntas, tuta ſunt vota, & æqualia euentibus. Deus ardentiùs noſtra bona nobis deſiderat, quàm nos; non ita de nobis ſecuri ſumus, vt de illo. non ita ſatisfactum. Plus chari Deo ſumus, quàm nobis. Iam ſi plùs amat nos, quàm nos nos ipſos amamus, & plùs peroptat bona, ânne minus poterit? ânne magis errabit in noſtri boni electione aut obtentione? Nos amare aliquem poſſumus, & exoptare illi felicem alicuius boni euentum, & accingi ad procurationem; ſed iudicium & vires poſſunt nos fallere: neſciemus gubernare cauſſas, aut efficere. Diuinæ tamen beneuolentiæ aſſident ſumma ſapientia, & potentia: quidquid vult poteſt, & vult quod nouit bonum; ſcilicet quod eſt. fraudi & noxiæ nulli obnoxia eſt cupiditas diuina. Quid igitur timere poſſumus, quid ſperare amplius audemus? Deus optat nobis, & ſcit, quod nobis optat, optandum eſſe, & poteſt quod optat; nos autem falli in bono optato poſſumus, nos conſequi non poſſumus. Dicam ampliùs, odiſſe noſmet poſſumus; Deus numquam quod fecit, odit. Vrgeo adhuc; nos noſmetipſos odimus; quid enim intereſt inter errorem amoris, & odium? quomodolibet cupiemus nobis mala. At pro diuini amoris innocentiâ fideiubet & ſtipulatur ſapientia Dei: expiat omni errore charitatem diuinam: nequit niſi bonum exoptare nobis, ſcilicet verum bonum.

Vis aliqua pignora potentiæ eius? reſpice te, reſpice vniuerſa vno adlubentiæ eius ſanctiſſimæ impetu è nihilo germinata. Vis beneuolentiæ? reſpice crucifixum pro te ſeruo, Dominum maieſtatis. Vis ſapientiæ? reſpice vtrumque. Hac trinâ baſi vna prouidentia fundatur, tutâ, ſecuriſſimâ. Quid de te ſolicitus es, qui nec te amas? nam neſcis amare. nullius ita beneuolentia ſuſpecta ſit tibi, ſicut tua: nempe ſatagis perniciem tuam ſpecie optabili. Quid præſumis de tuâ charitate, qui pro te nolis graue ſuſtinere aliquid? vbi amor ſine auctoramento ſuo patientiâ? quale tibi bonum amas, qui, vt conſequaris bonum æternum, malum momentaneum nolis pati? vt conſequaris bonum infinitum, nolis exiguum & leuiſſimum pati malum; vbi eſt amor tuus, ſi impatiens, ſi tam negligens tui? nunc rogo de vtro optimâ ratione confides curam tui; de te, qui nihil pro te facere vis, nihil pati? an de Deo, qui omnia pro te fecit, qui omnia paſſus acerba, vſque ad hauſtum mortis omnium acerbiſſimum, fuſo cruore per omnem probatus optimus malorum patientiam? Duplicis te iniuriæ aduerſus te arguo; quòd neſcias te amare, vt etiam cum beneuolentiâ non benè tibi velis. Deinde quòd, ſi ſcias, non ames. Hoc euidentiſſimâ demõſtratione exhibui. cùm enim ſcias tibi bonum æternum competere, id non quæris; nihil pro illo, id eſt pro te, pati vis. Obiter audi hoc improperium noſtræ conditionis. Ait diuinus vir Eucherius: *Imprudentiſſimum eſt* (ego inſuper, imprudentiſſimum dico) *cùm pro nobis tam multa* (ego addo, omnia) *Deus fecerit, nihil noſmetipſos feciſſe pro nobis* (ego adiicio, nec pro Deo) *cumque ille in operibus ſuis ad commoda humana reſpexerit, hominem nolle ſibi conſulere.* Ceterùm infirmitatem tuam non obtrecto: nam impotentia calumniæ eſt expers; non culpa eſt tantùm, ſed natura noſtra, nihil poſſe. In Deo tamen omnia hæc auſpicatiſſima & fortunatiſſima, ſolicitudo tui per primarias diuinitatis dotes oppignorata, & proſpera per omniualentiam, omniſcientiam & omniuolentiam boni. Quare quiſquis Dei prouidentiam non præſumit, mutilum illum, aut ignarum, aut inuidum facit; dicam, & perfidum. Se iam obſtrinxit nobis non ſemel, ſed ſæpiſſimè. Lætiſſimus te dares non facilè rumpendo ſopori, ſi à Iudæo ſyngrapham mille aureorum haberes, cur angeris? plures à Deo habemus. quid tunc acciperes, vt ſecurè dormires? fidem vnius infidelis. cur nunc vexaris ſolicitudinibus? fidem Dei habes, qui fideliſſimus eſt.

Epiſt. de contemp. mundi.

Adiice ad vtiliſſimam dulciſſimæ prouidentiæ præſumptionem, de ſingulis ſic curare Deum, quaſi ſinguli ſoli eſſemus in mundo, quemadmodum Adam in paradiſo. non confunditur, non diſtrahitur multitudine diuina procuratio: non numero clientum decreſcit patrocinium. Sic te vnum procurat diuinitas, quaſi vnicus eſſes; ſcilicet vnicè: ſic te amat, quaſi ſolus amabilis. ita auidè beneficiis te cupit onerare, & ſe quaſi exonerare, tamquam ſi hactenus illibata eſſet liberalitas grauidæ eius bonitatis, parturientis ſemper dona, quaſi nulli vmquam, nec tibi, beneficium contuliſſet.

Ceterùm quia diuinam procurationem refutare videntur humanæ neceſſitates (cuiuſnam egeret pro quo Deus ſolicitus?) atque prouidentiæ baſes, ſapientiam, potentiam & beneuolentiam vis malorum euertere: nam ſi Deus bonus & beneuolus eſt, cur permittit mala? cur atrociſſimè vindicat æternâ & implacabili irâ? ſi ſapiens, cur mala bonis, cur malis bona tribuit? culpa iſta mentis videtur. ſi potens, cur omnes non producit quò voluit? ideò explorare iuuat atque extergere omni calumniâ diuinos actus. iis enim ipſis, quibus prouidentia dirui videtur, plùs exaltatur; quibus ſapientia, potentia, beneuolentia euerti, firmiori fundantur adſtrumento.

CAPVT VIII.

Cur neceſſitates non obſtent diuinæ prouidentiæ.

VEnio ad neceſſitates, quomodo componi poſſint cum vigilantiſſimâ ſolicitudine Dei, ſi ſolicitus noſtri eſt ditiſſimus pater? Maximè vtique quadrant eius & procurationi, & beneficentiæ. Prudentiam in his video admirandam, & maximum effuſiſſimæ liberalitatis facinus; vbi ſine inuidiâ inſigne dignitatis eius, non tantùm beneficia, ſed beneficentiam ipſam nobis indulſit. Solicitius oportebat agere honorem noſtrum, & procurare animum, quàm corpus. Mirum artificium, per corporis iniurias beare animum. Affectat enim exemplum ſuum

Digitized by Google

in omnibus. Subtiliſſimâ nos refingit arte ad ſui normam; omnes nos per indigentias, quæ maximè obſunt ſufficientiſſimæ eius naturæ, cum ipsâ conformat, & ſufficientes facit. vnus ipſe eſt: geſtit vtique omnia vnum eſſe. At diuerſa ſunt, & diuerſi ſumus, quomodo compaginabimur, niſi aliquibus fibulis? hoc præſtant indigentiæ: annuli & nodi ſunt, quibus connectuntur diuiſa. anſulæ ſunt amoris, quibus conſtat & connectitur amatoria mundi catena! In corollâ & ſerto diuinitatis, flores nectuntur egentiarum funiculis & ſtamine. ædificia continuantur latere vno alterius vacuitatem implente: ita conſtruimur, vnius beneficentiâ implente alterius inopiam. Hæc, iuxta Clementem Alexandinum, ſunt elementa ſocietatis & charitatis, egere vnum, opem ferre alium. Commerciis ſe communicant nationes, & vnius copia emendat inopiam alterius, ſunt ſimiliter ſua cordium commercia. Nemo tam ſupra proſperitatem noſtri generis emerſit, vt ſolus naturæ fuiſſet curæ. vniuerſos ex æquo fouet. Vt iuuaremur & diligeremur, oportebat inuicem pendêre. Hæc vnio noſtra ad æmulationem ſimplicitatis diuinæ ſufficientiſſima.

Lib. de Anim. & dæm. Sublimiter Proclus dixit: *Res diuiniores quemadmodum indiuiduam habent eſſentiam, ſic & bonum indiuiſum poſſident, & vnitum: quæ verò à principiis longius diſceſſerunt, in diſtantiâ quadam & diuiſione iam poſita, bonum proprium comparant. quapropter talia cœtu quodam ad idem contendente, mutuáque conſpiratione, penitus indigent, vt, quandoquidem vnumquodque non habet ſufficientiam, quod eſt elementum boni, ſaltem per communionem mutuam ſuppleant naturæ defectum, atque ita debilitatem ſuam diuiſione factam, conſpiratione corroborent. Hac vtique ratione homines ſinguli ſeorſum debiles, in communi ad conſilium congregantur, diuiſam ita mentem inuicem copulantes, vt quaſi è ſcintillis multis lumen vnum accendere contendentes.* Ipſa quidem multitudo numquam per ſe ipſam ſibi communiter conferens compararet, niſi circa vnum aliquid in eâ præualens ſimul ordinaretur: hoc enim circa omnem rerum ordinem contemplari licet, multitudinem ſcilicet vbique vni congenitam eſſe, atque per cognatum vnum reuocandam ad vnitatem ipſam penitus abſolutam, ipſum diuinum bonum. ideò cunctis ſui inſerüit appetitum, vt per hunc bona nobis impertiri valeret. Itaque per ipſas neceſſitates in vnitatem nos collegit Deus, & ſufficientiſſimè prouidit. tam abeſt, vt iniuria noſtra egentiæ ſint, vt vnius neceſſitas ſit omnium beneficium, ſit ſingulorum gratia. Per hoc quòd egeas in vno, multis obſecundabis in pluribus. Vides quomodo inopia tua ſit multorum beneficium? reputa etiam indigentias aliorum omnes eſſe beneficia tua. Sic eſt, per tuam neceſſitatem Deus prouidit aliis: per aliorum neceſſitates prouidit tibi: quare & per tuam quoque te & tua procurauit. non enim tibi per alienas, niſi aliis per tuam prouidiſſet; quare & tibi per tuam.

Præterea, vbi dignitas noſtra imitatio diuinitatis, ſi nullæ neceſſitates? vbi beneficentia noſtra, character diuinæ? tanti refert tui egere aliquos, quanti ſi ſecundas deitatis infulas induas. Plato dixit ſine inuidiâ Deum eſſe, quare non abnuit commodare nobis teſſeram ſuam, & titulum diuinæ maieſtatis, benefacere. Maximum hoc beneficium, beneficia poſſe conferre. hoc egentiis debemus. Cui conferres, ſi egeret nemo? voluit nos Deus videre non ſolùm bonos, ſed beneficos, & fœcundâ bonitate imitatores ſui. Sine egentiis tamen ſiccâ ſolùm bonitate eſſemus, & ſteriles & aridi; oportet florentem & amœnam eſſe, & fertilem & fructiferam, in alios refluentem, & ſuperfluam. Manca eſſet ſtatuta Dei natura humana, ſine beneficentiâ; completa per defectus fit. additæ ſunt manus, dum diminuta. Velut enim rami amputantur arbori, vt fœcundetur; ita noſtra natura conſtringitur, vt profuſi ſimus. Præſtituit Deus omnia ſua tradere nobis, omnes ſuæ in nos tranſſcribere naturæ dotes; nullum reſeruare ſibi peculium, cuius non aliquo nos potiremur pignore. Neque illud adhuc, quod auctoritatem Numinis ſui ſuſtentat, liberalitatem & munificentiam dico; quare, vt ſummè nobiſcum liberalis eſſet, liberalitatem donando, oportuit aliquid negare: debuit parcus eſſe, vt liberaliſſimus eſſet, vt nos liberales. O maximam honorificentiam noſtri generis! per indigentias collegas nos admittit diuinitas: penſum enim Dei & munus, beneficentia eſt. ſocios nos patitur tantæ maieſtatis. Eleganter Maximus monachus, idem quod nos hactenus, diſſerüit pro conſeruatione beneficentiæ. *Nihil*, inquit, *eſt* In Expoſ. Liturg. c. 25.
nec tam ad iuſtitiam facile, nec ad hoc, vt dij (vt ita dicam) reddamur, & ad Deum quàm proximè accedamus, ita aptum eſt, vt miſericordia quæ ab animâ in indigentes libenter & hilariter offertur. Si enim Deus Verbum, eum qui vt beneficio afficiatur, indiget, ſeipſum eſſe oſtendit: Quoties enim, inquit, vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. Deus eſt autem qui dixit, multò magis eum, qui benefacere poteſt & facit, verè per gratiam & participationem Deum eſſe oſtenderit, vt qui eius beneficentiæ operationem & proprietatem aptè imitando, aſſumpſerit. Et, ſi pauper Deus eſt, propterea quòd Deus pro nobis pauper factus, ſe ad noſtram imbecillitatem demiſerit, & vniuſcuiuſque affectiones miſericorditer in ſe ipſum ſuſcipiat, & vſque ad ſæculi conſummationem pro modo & proportione vniuſcuiuſque paſſionis, ſemper propter bonitatem, myſticè patiatur: multò magis probabili ratione Deus eſt, qui ad Dei imitationē, eorum qui patiuntur affectionibus per ſe ipſum diuinè medicatur, & eamdem cum Deo, per proportionem, conſeruantis prouidentiæ in affectione poteſtatem ſe habere indicat. Quis eſt ergo ad virtutem adeò tardus, & motu difficilis, vt diuinitatem non deſideret, quæ tam facilè emi, parari & poſſideri poteſt? Idem paulò antè locutus de homine ad imaginem Dei reformato, dixit: *Huius autem gratiæ clara eſt demonſtratio, voluntaria & ſpontanea in id quod eſt cognatum, vna cum eo affectio. Cuius opus eſt, vt homini, qui vllâ in re noſtro auxilio indiget, pro viribus, ſicut Deus, neceſſitudine & familiaritate iungamur, & non ſinamus vt cura & prouidentia ſit expers, ſed conuenienti ſtudio re ipsâ factiſque oſtendamus, viuam eſſe quæ in nobis eſt, in Deum & proximum affectionem.* Ius quoque prouidentiæ ex neceſſitatibus agnouit Odo Tuſculanus: *Quotquot*, inquit, *prouidere debet animabus, ſi non prouideat, tot animarum homicida eſt.*

Atqui

Atqui Deus non tantùm dedit quòd demus (multiplex quidem hoc datum) ſed dedit quæ daremus : dedit & quibus ; & hoc maius: dedit, vt ipſi etiam daremus datori bonum. Vnde noſtræ fidei, & gratiæ erga illum periculum captaret ? nullâ re indiget ſufficientiſſima illa mens ſibi & omnibus. Vnde igitur illi grates referendæ nobis ? nam cuius omnia ſunt, beneficij eſt incapax. Quare inuentum diuinum fuit, Deo poſſe dari, ſubſtitutis pro ſe egentibus. Induit perſonam Dei egenus : atque vt Princeps officia legato ſuo præſtita acceptat, ſic Deus quæ præſtantur pauperi pro-Deo, & vicario ſuo. Tanti itaque æſtimandæ ſunt neceſſitates humanæ, quanti Deo benefacere. Deus non benefaciat Deo ; nullus Deus Deo debet. ipſe tamen beneficiarius noſter dignatur eſſe, dum ad beneficia ſufficit, & delegat egenos, quorum liberalitatem vult debere nobis. At tantam nos liberalitatem, tantum debitorem neceſſitatibus debemus. vbi ſecuriorem annonam habebimus, quàm obærato nobis Deo ? Quare largiſſimè prouidit nobis, per largitiones noſtras in pauperes. Eximiè diuus Auguſtinus ait : *An putas qui Chriſtum paſcit, à Chriſto non paſcitur ?* (Lib. de Eleem.)

Adiice, quòd in ſummâ corporis proſperitate animus infortunatur. præſtat per imæ partis noſtræ periculum conſeruare præſtantiorem. Rara affluentibus, & votorum potientibus, memoria Dei : rarus ad cælum reſpectus aſpicientis fortunam, rarus recurſus. Neceſſitates nos reducunt ; iis nos continet Deus velut puer funiculo paſſerem. Adhæc, vbi exploratio noſtri animi ? vbi præſumptio egregia Dei ? vbi fiducia ? Eleganter Marcus Anachoreta dictabat : *Qui Deo non confidit in his caducis, quantò minùs fidet in aliis æternitatem ſpectantibus.*

Ceterum ſi ſpectemus publicam & diuitum rem, valdè neceſſarij ſunt pauperes, ex ſuffragio D. Chryſoſtomi ſuper orationem Annæ : *Si paupertatem abſtuleris, omnem vitæ conſeruationem ſuſtuleris, vitámque noſtram corruperis. Nec nauta, nec gubernator, nec agricola, nec ædificator, nec textor, nec calceamentorum ſutor, aut faber, nec ærarius, nec coriarius, piſtórve, nec alius quis horum erit artificum. Qui ſi non fuerint omnia vobis tranſibunt : nam nunc quidem quaſi magiſtra quædam optima paupertatis neceſſitas ad opera ſingulos compellit. Si verò diuites omnes eſſe deberent, omnes quoque deberent in otio viuere, & omnia corrumperentur.* Alium paupertatis vſum ipſe Chryſoſtomus laudauit Antiochenis : *Communes enim præceptores, & calamitatum conſolatores, per orbem terrarum miſit pauperes Deus. Erutus eſt oculus tibi ? at illi duo. longo morbo laboraſti ? at ille incurabili. amiſiſti filios ? at ille proprij corporis ſanitatem. magnâ mulctatus es mulctâ ? ſed nondum ad hoc redactus es, vt alterius indigeas.*

Denique inæqualitas diuitis & pauperis cum æqualibus meritis immortalitatem noſtri animi fulcit, & æternam, alteram ſcilicet pollicetur vitam vbi æqualis meriti æqualis referetur merces. Ipſa huius vitæ confuſio, & ſpecies iniuſtitiæ cum iuſtis obſeruata, cùm probi ſæpiſſimè indigeant, & ſceleſti locupletentur ; fidem immortalitatis animi ſuadent, vt iuſtæ remunerationi omnium & locus & ſpatium reſeruetur.

CAPVT IX.

Quis ſtatus Adami antequam peccaret ; an præſens conditio præſtet.

MEmento, ditiſſimam & copioſiſſimam Chriſti Domini redemptionem fuiſſe, & tamen inopias noſtras non abrogaſſe. Potiùs prærogauit commercio ſuæ diuinitatis, factus inops. emendaret vtique Dominus maieſtatis noſtram vitæ huius conditionem, atque in priſtinam reſtitueret beatitatem & affluentiam, niſi prætuliſſet proſperitati egentias. Cenſus Chriſti eſt, quidquid Adam amiſit ; ius Chriſti eſt tota iactura primi parentis noſtri : ergo cùm ſufficientiſſima ſatisfactio illius cruoris ſit, vt omne diſpendium antiquum repararet, nihilominùs tamen neceſſitatibus nihil derogauit, beauit potiùs. Non vtique diſpendium eſt, egere. expedit maximè, opinor, conſtruendis meritis ; paſſione in his, compaſſione in illis. Ingenium merendi patientiam, & miſericordiam fecit. iſtæ ſunt machinæ efferendi in cælos lapides, quibus ſtruimur in illam ciuitatem Dei.

Iam iſthinc expungam aliam calumniam diuinæ procurationis & prudentiæ, quòd infelicitatis arguatur : ſiquidem illa priora conſilia non proſperarentur, & primogenita beneuolentiæ molimina de noſtrâ felicitate & in ſtatu innocentiæ infeliciſſimè accidiſſent ; quaſi geſtiret bonum noſtrum, nec vtique potuiſſet fortunare, & ad exitum perducere. Vt voluntatem ſolùm videremur illi debere ; infelicem tamen, quia orbam potentiæ aut ſapientiæ adminiculo. Prudentis enim eſt, proſperare voluntatem & conſilia. Anne illa prima conſulta Dei tam infauſta, quàm citò Adam lapſus, id eſt homo; quàm citò Lucifer fallax, id eſt inuidus ? Abſit hæc iniuria ſanguinis Chriſti, quaſi impotentis reſtituere totam illam fortunam & ſtatum. ſuperfluit ad hoc cruor Dei, & quia ſuperfluit, in melius reſtituit. & vt video, ſi non reddit per omnia conditionem illam tranquillam innocentiæ, commutauit in meliorem aliam gratiæ & meriti. Hoc mihi perſuadeo, maioris Sanctos anguſtias vitæ, huius, inquam, mortalitatis, facere, quàm immortalitatem antiquam. Sanctiores viri ſunt aliqui in hoc ſtatu redemptionis, in vitâ triginta aut quadraginta annorum, quàm in altero innocentiæ in vitâ longiſſimâ (octo mille putant aliqui, aut decem mille annorum) ſaltem (vt mihi viſum) longæuiore valdè quàm nunc. Neque enim credibile cenſeo, vitam vitæ illorum innocentium hominum, antequam in cælum transferentur, æqualem noſtræ in hac mortalitate futuram, nec vltra centeſimum exceſſuram, vt à non-nemine (neſcio an ſatis conſentaneè) exiſtimatum. ſuperuacaneus eſſet apparatus vitalis ligni. Tum ſi vita iſta mortalis in aliquibus protracta eſt circiter ad milleſimum, quînam credi poteſt, vitam illam immortalem contrahendam intra centeſimum ? Opinor etiam, fortaſſe magis piè, quàm temerè, ipſum Adamum ſanctiorem fuiſſe poſt lapſum, quàm anteà foret, prorogatâ licet eſu arboris vitalis per millia annorum vitâ. Namque copioſa

(Ita Suarez de Opere ſex dierum lib. 5. cap. 11. n. 24. in fine. & n. 1. & Pereira in Geneſ lib. 5. diſp. de ſecundâ excellentiâ ſtatus innoc. q. 5. n. 81. 82. & 83.)

(Pereira lib. 5. in Geneſim diſput. de arbore vitæ q. 3. num. 74.)

Digitized by Google

pioſa & redundans apud Chriſtum redemptio, non vtique ſolùm in ſe, ſed in nobis: non ſolùm in Chriſti merito, ſed in effectu. Ait ipſe
Ioan. 10. 10. Dominus gloriæ: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant:* neque maior eſſet reparatio Chriſti in minore aut æquali ſanctificatione. Quapropter S. Bernadus ait, reſtaurationem Chriſti non eſſe ſine magno fœnore
Serm. ſuper Signum magn. gratiarum. *Neque enim ſicut delictum, ita & donum: ſed excedit damni æſtimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus & clementiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed vtilius omnino refecit.* Quantum ad hoc conferunt neceſſitates, paupertas, inopia? calcaria ſunt quibus properat mens in cælum, & pennæ quibus reuolat à terrenis.

Itaque non infeliciùs conſilia Dei euenêre, imò feliciora potiùs miro quodam modo, & cum fortunâ, ſi dicere fas eſt: quaſi enim fortuna diuina quodam modo videtur poſſe dici, Adam lapſus, & egens. Neque in hoc à diuino Gregorio, & Eccleſiaſtico ſenſu valdè diſſentio, qui culpam illam felicem non ſolùm dicit, ſed
In Philoſ. & canit. Quid fortuna, iuxta Ariſtotelem & Greg. Nyſſenum, niſi præter diligentiam, & propoſitam intentionem euentus boni, aut vnde bonum venit? Atqui bonum tantum, quantum poſt peccatum euenit, non procuratum, non intentum, nec propoſitum per ſe antecedenter à Deo fuit. accidit occaſio tanti boni noſtri, & gloriæ Dei, quam Deus per ſe nec intendit, nec voluit, nec potuit per ſe intendere, licet prænouerit. Peccatum enim, & quidquid cum peccato nexum, nec diſponit per ſe, nec vult Sanctus Sanctorum: ergo gloria redemptionis peccatum ſupponens, non primariò intenta; ideò præter procurationem per ſe, & propoſitum diuinum, quaſi accidit accidente culpâ. Quare ſi bonum illinc emergens, non quæſitum per ſe à Deo, velut quædam Dei fortuna dici poteſt, ad oſtenſionem gloriæ ſuæ; quæ maior Dei gloria quàm auctoritas miſericordiæ ſtupendæ, & authentica illa demonſtratio bonitatis ſuæ, quæ inimicis non ſolùm pepercerit, ſed propter illos proprio non pepercerit Filio? quæ maior honorificentia noſtri generis, quàm congenerem habere Deum, & collegam laborum? Omnia hæc feliciora ſunt quàm anteà. Ingemunt multi noſtræ conditionis miſeriam, clamant; accuſant Adamum, propè eſt vt maledicant, cupidi alterius ſtatus. Neſcio an hoc ſit aliqua Chriſti obliuio. ego valdè lætor, & exulto cum Ieſu meo; cum hoc ſtatu miſeriæ, ſed gratiæ. Si eligendi alterutrum mihi præſtaretur optio, hunc triſtem, excepto peccato, non aſpernarer, quia feliciſſimum cum faternitate Ieſu, cum gratiâ eius, cum neceſſitatibus, cum miſerijs. has exoſculor, has adoro, has præfero felicitati antiquæ. nam has ſanctificauit Ieſus, has prætulit cùm pertulit. iam ſanctas illas video: hæ me ſimilem Deo facient, hæ me exſtimulant & agitant, vt Ieſum in illis & cum illis inueniam. Locus iſte ſanctus eſt, & porta cæli.

Non eſt cur iam defleamus miſerias iſtas, & exoptemus impatientibus votis felicitatem aliam fortaſſe periculoſam. Malo debere ſalutem Ieſu meo, quàm Adamo. Nam debeo certiorem, fortaſſe maiorem; gratulor, gratulor mihi gratiam Ieſu, venerandam etiam Angelis, & propem inuidendam; gratulor vulnera Vnigeniti Dei, gratulor ſanguinem Chriſti, gratulor patientiam potentiſſimi, gratulor tot paſſiones impaſſibilis, gratulor & meas. Multa ſunt quæ me lætificent, ſi conferam vtrumque ſtatum. In illo non deeſſent miſeriæ; In hoc non deerit gratia, quid impedit quòd abundent neceſſitates; plura forſitan in primo illo ſtatu fore peccata putat, & latiſſimè diſſeruit Vincentius Dominicanus, acutus & eruditus ex Releſt. de gratiâ. recentibus Theologis, atque plures homines probat tunc damnandos quàm modò. Sed hoc ſolùm intelligi poteſt, quantum ex rerum ſtatuumque naturâ licuit illi philoſophari: nam ex decreto diuino, cùm nos lateat, colligi nihil licet. Sanè quantumuis coërcitos appetitionum corporalium inſultus ille ſtatus contineret; magnus tamen fuit aditus. Magna peccandi ianua patuit libido mentis, & prurigo excellentiæ; ſuperbiam dico omnium ſcelerum metropolim, fæcundiſſimam malitiæ ſtirpem. In pacatiſſimâ illa conditione, & adornatione naturæ tot dotibus & priuilegiis honeſtatæ, pronus tumor erat, & inordinata non meritæ affectatio gloriationis: hæc Angelum, hæc hominem ſuâ depulit in præceps gloriâ. iactatio enim velut tinea pretioſiora corrupit. Quid intereſt, ſi tunc honeſtata ſublimibus mens dotibus, ſcilicet onerata? Eadem vtroque euentu in ſe eſt; ſcilicet labilis, imbellis. Ex maiori onere, ſine magno adſtrumento, quid niſi lapſum exſpectabis, & ruinam? In hoc tamen miſero ſtatu tumultuantur appetitus; ſed his cum gratiâ Chriſti præeſſe mens poteſt ſecurior; reuocata ſcilicet ad ſe, experimento miſeriarum, indigentiarum, laborum, quibus in gradu ſuo conſtabit, dum extolli interdicitur. Ipſi appetitionum impetus eius debilitatem commemorant; ſic compos ſui, idonea gubernaculo eſt, & dirigendo affectiones. At vbi intutus gubernator, qualis in primo ſtatui fuiſſet animus, patens libidini gloriæ, periculum fortè maius. nauis aliquantulum quaſſata, ſed ſtrenuo nauarcho dirigente, citiùs inter fluctus tumentes ſoſpitabitur, quàm integra moribundo aut ebrio gubernatore. Hoc mihi exemplum repræſentat aliquantulùm vtramque conditionem. Nunc periculum noſtrum à corpore primariò exoritur; tunc ab animo. & quemadmodum excellit iſtius dignitas, ſic excedit ruina. maximas res ſimilis conditio ſequitur. maius eſt quidquid inde venit boni aut mali. ex fertili glebâ tribulus etiam & vepris maior: ex ſpiritu etiam, cùm vim ſuam obliquat, noxa pernicioſior. Eſt quoque ſua menti inclinatio naturalis atque appetitus, ſicut ſenſui; & potentior erit, quia illa pars noſtra ſublimis, eſt valentior. Videmus multos profligatis ſenſuum cupiditatibus, adhuc periculoſis rixis cum inani colluctari glorâ; videmis qui ſuperarunt cupiditatem carnis, victos ambitione animi. Maiori vi aſſurgit ignis ad ſublimes ſedes, quàm terra demittitur ad ima: ſic mens ſuperior eſſe ardentiùs appetit, quàm ſenſus deijcitur. Planè non minus indomitus appetitus mentis, quam carnis. Memento primogeniti illius ſpiritus nullo tentante præcipitis: nec originalis iuſtitia tu-

tiorem

Digitized by Google

tiorem hominem redderet, quàm Angelum ſua ſimplicitas. Igitur ſuis agitata dotibus libido mentis incutiſſima eſt.

Quid? putabis iam iniuriam humaninatis noſtræ diuina dona, quibus recens Adamus fuit ditatus? abſit. liberalitas tamen Creatoris in exordio mundi publicari debuit, neque vlla ex ſe dona inuidere: poſt lapſum tamen, & periculum manifeſtatæ munificentiæ, emendari expediebat, & non reſtitui diſcrimini. ideò in humilibus reſeruatus homo exaltationi, & in miſerijs initiatus beatitudini. Opulentiſſima nunc merendi inſtrumenta obtinemus, ſenſus omnes, actus omnes, vires animæ omnes, impetus naturæ. Tot organis meritorum intrinſecus inſtruimur, quot repugnamus; nec minore ſupellectili laborum exornamur extrinſecus. Diuinitus ita conſultum, vt per collicitationem naturæ locupletiùs mereremur, &, ne nimis noxia eſſet, ſenſuum appetitio corrigeretur, & contemperaretur extimis aduerſitauerſitatibus & ærumnis, vt ad ima iſta & fæces rerum non deſcendamus, aut inde aſcendamus, numquam motemur. Iſtud beneficium afflictaɗtationis eſt. Egregiè Gerſon ait: *Sic columbra rationalis non habens vbi pe deſiderij quieſcat, reuertitur ad arcam contemplationis. ſic eadem arca creſcentibus aquis tribulationum, ſubleuatur ampliùs. Hæc eſt antiperiſtaſis quædam ſpiritualis, quæ contrarium fortificat; hæc eſt cos ferrum exacuens, hæc abſinthium pueros ablactans, auellenſque ab vberibus: malleus dilatans & extendens. In tribulatione dilataſti mihi hæc lima poliens, mundans, eruginans.* Ideò poſt locupletiſſimam Chriſti Domini reſtaurationem relinquimur miſerijs, egentijs, & iniurijs ſenſuum vt ſecurior auiditas animi ſit humilitate domimita, & inſtructior locupletiorque ad merita ex ſui repugnantiâ, atque quadam iam innocenti & expiatâ cupiditate peroptare liceat eſſe ſicut Deus, ſed ex dilectione Dei. Adeò intereſt velle eſſe ſicut Deus ex amore ſui intemperanti, aut ex amore Dei; vt illud ſuperbia ſit, hoc charitas:

In Theolog. miſticâ.

Adijce, quòd in illo ſtatu non ita gratia Dei in homines propenſa, non ita, neſcio an dicam, excubans & vber. Non maiora tũc auxilia fuiſſent: nunc locupletior eſt diffuſa gratia, fuſo Ieſu cruore. Neque ad exaggerationem dicam, etiamſi illum innocentiæ ſtatum honoraſſet Filius Dei, aſſumptâ noſtri generis carne? nihilominùs iſtum laborioſum eſſe fortunatiſſimum ad merita, in quo ſanguis Chriſti fontificat miſericordias.

Capvt X.

Cur mala ſint, ſi Deus optimus.

Partim iam vidimus, cur præter egentias ſint alia inſtrumenta miſeriæ noſtræ, tot cruciatus, tot iniuriæ, & mille calamitatum genera vel fortunatiſſimo obuia. ſed digna res eſt titulo, & examine diligentiori. Dices, Vnde mala ſunt, ſi Deus eſt? ego tamen rogo, Vnde bona, ſi Deus non eſt? Fontem alium malorum verorum quàm diuinitatem ego dabo; non bonorum, quorum vnica radix Deus eſt; imò eorum quæ putarunt mala peſſimi, etiam diuina bonitas origio eſt. Dubitabis adhuc, cur tot mala à Deo, ſi optimo: nam ſi vult tollere, & nequit; debilis, mancus, imo miſer erit, cuius vota irrita exeunt. ſi poteſt, & nolit, peſſimus atque malignus, Abſit, imò, quia potentiſſimus, qui optimus, ideò iſta quæ vulgus infamat malorum titulo, arcanis ſuæ benignitatis conſiliis decreuit. Aufer laruam nominis, non mala, imò bona ſunt; ſi quidem bonos faciunt. Intuere te, quoties melior fuiſti ob hæc, quæ dehoneſtas malorum nomine? quoties afflictus ad Deum cõfugiſti precibus, ſpe, corde? A contrariâ tamen fortunæ indole, præuaricantis bona, ludibrium nominis potes colligere. Non ſunt bona eius bona, quæ malos reddunt. hoc artificium eſt felicitatis, re ipsâ miſeriæ, & quidem infeliciſſimæ, quam ſoli Sancti euadunt, ſolùm in hac vitâ felices, etiam in malis quia ex malis optimi. Veriſſimè Petrus Cellenſis dixit: *Infelicior eſt illa miſeria quâ anima interficitur, quæ eſt proſperitas ſtultorum; quàm miſeria quâ corpus exacerbatur, quæ eſt pœna malorum. vtriuſque autem miſeria ſtimulos bona conſcientia non ſentit. Itinerariam miſeriam non ſentit, quia non egreditur ad viam illam malam quæ ducit in infernum; manſionariam nihilominùs euadit, quia clauſit ianuam, quâ ingreditur mors ad animas noſtras.* Idem Pater ridens illũ qui viliſſima bona vitæ ambit, *Quia*, inquit, *amplexatur ſtercora, quia amat tenebras, & quod miſerius eſt, quærit etiam miſeriam cum miſeriâ: nam quod in mundo ſublimius, hoc miſerius eſt & miſerabilius.*

Lib. de Conſcien.

Redeo ad ea quæ mala communi errore dicimus, quòd ſint moleſta. oportuit, poſtquam contracta vita fuit, compenſare penu meritorum locupletiori breuitatem, ne nunc minores ſancti ſint, quàm in altero ſtatu. Mira ars diuinæ ſapientiæ, ex diſpendio naturæ compendium gratiæ præparare, & procurare moleſtiis beatitudinem. Maximus promerendi titulus patientia eſt. vbi autem patientia, ſi fortuna vbique, ſi benè omnia cederent? Inuentum itaque diuinum, pœna noſtræ miſeriæ eſt, vt feliciſſimi eſſemus. Adhæc, vnde memoria Dei, vnde cupiditas alterius vitæ, vnde amor æternitatis, ſi adhuc morſi & dilacerati tot miſeriis eas amamus? ſi illuſi temporalibus, illa quærimus? ſi noſtramet damna honoramus? Quomodo æternam vitam amaremus, ſi temporalem nunc anteferimus, eius licet laceſſiti iniuriis? Quare oportebat, ne toti procumberemus in fimo & fæce rerum, cuſpides aliquas & tribulos diſſeminari, vt vulnerati ſaltem erigeremur ad ſpem & vota alterius vitæ.

Prætereà expediens fuit, periculum aliquod pœnæ facere, ne periremus, ſed prælibatione alicuius acerbi, declinaremus acerbiſſima; vt, guſtatâ miſeriâ temporali, non abſorberemur æternâ temporali, non abſorberemur æternâ. Nam ſine experientiâ mortis Adam, fuit etiam ſine timore, temerè tranſgreſſus legem Dei, contemptu interminationis non periclitatæ. fortaſſe, ſi præuidiſſet vultum mortis, non adeò deſpexiſſet. Itaque humaniſſimè conſultum nobis fuit, experiri aliqua mala, ne maligniores eſſemus, & æternis periremus malis.

Digitized by Google

lis. Digna igitur ſunt diuinæ bonitatis procurationе iſta quæ infamamus odioſo nomine. Tot mala quomodo eſſent ſine prouidentiâ diuinâ? Dei ſapientiâ opus fuit, vt ſic moliretur omnem vitæ huius ſtatum obnoxium miſerijs. nullum genus vitæ temporalis humana induſtria excogitare, aut potentia comparare poteſt, quod immune ſit à miſerijs; quarum effugium non ſceptrum, non maieſtas eſt, ſed patientia ſolùm. Quis non videbit hîc diuinam artem, cùm nullâ arte eripi malis poſſimus; non exſpectes aliud argumentum prouidentiæ, quàm vnde dirui videtur. non ſine diuino ingenio mala hæc præſtant bonis, celeritate, facilitate, frequentiâ, magnitudine.

Capvt XI.

Cur ægritudines immittat Deus poſt reſtitutam animæ ſalutem, & copioſam Chriſti Domini redemptionem.

SEd & illud inconſideratum eſt, morbos atque mortem malis accenſere. Vtrumque nequit eſſe. alterutrum, bonum neceſſe eſt dici, ſi malum alterum. mors vltimus medicorum eſt: omnia medicatur mala. omnẽ extinguit morbũ: ergo ſi morbus eſt malũ, mors eſt bonum. tanta nobis aut penuria bonorũ, aut faſtidium malorũ eſt, vt carentia mali bonum reputetur. Sed infamemus mortem inter mala, inter terribiliſſima, cur morbus malum, cum maximum malum enarret incautis, moneat improuidos? Quæris qui conſcium te periculorum faciat, atque in amicitiæ bonis admonitionem habes damni; cur exploratores & excubias oderimus eius quod putamus malum maximum? Diuiniſſimum inuentum eſt totus hic ſtrepitus, & pompa aduentantis fati, ne ſecuri periclitaremur. Fauor prouidentiæ fuit, boiuningo ſerpenti omnium virulentiſſimo crepitaculum appendere, ſuapte naturâ innatum, vt proximos admoneret. tigrides quoque Bengalæ, incredibilis odij & noxæ, comitem habent paruum animalculum, quod latratu contumaci inſtantem feram indicat, vt caueant omnes. Nec ignauam prouidentiam oportuit eſſe ad noſtrum prædocendum exitum, ſic conſultiſſimè mors prædicitur per morbum, qui velut ſtrepitus eſt diuinorum armorum, vt à facie arcus fugiamus. Certè in morbo accidit quod Dauid cecinit, & latiùs intonuit Piſides Conſtantinopolitanus:

Vide noſtram Hiſt. natur. lib. 12 & 9.

De Mundi opificio.

Tu intendis arcum ſæpè, quò ferias malos,
Aſt impetum teli voluntas ſuſtines:
Nam intenſionem dum paras arcus tui,
Tardus ſagittarius es, vbi tactu eſt opus.
Rurſus frequenter tendis arcus cornua,
Tum ſpiculum laxas, retrahis & miſſile,
Opinione inſers ſuperuacuos metus,
Minitationis exprimiſque imaginem:
Donec metu exanimatus hoc telum videns,
Sua terga vertat, prouolutus ad genu,
Ac præ timore comprimens artus ſuos,
Declinet ictum concitatæ cuſpidis.
Aduerſa nam tela intueri ſi lubet,
Paratus ad vulnus ſagittifer tum erit:
Sin cautus à mediâ receſſerit viâ,
(Peccatum at interſtitium habetur prælij)
Auertit in contrarium iaculum leue:
Namque arciger volens aberrat à ſcopo,
Ac ſimulat, vt credatur irâ concitus;
Sed percutit ſemel, monétque ſæpiùs.
Terroribus, minis, pudore, inſomnijs,
Amore caſtigans: minas etenim Dei.
Par eſt ſalubres eſſe naturâ ſuâ.

Anne optatius eſſet, cunctos repentè corripi, quàm fata morbi monitione præſagire? Cùm aliquando raptum & repentinum alicuius exitum audimus, pauemus etiam ſecuri, ſolùm poſſibilitate ſubiti interitus. Quid eſſet, ſi certiſſima foret omnibus incertæ mortis repentina inuaſio?

Ceterùm, non tantùm iuuant ægritudines mortem, ſed vitam. caro peſſime affecta ſæpiſſimè animam afficit optimè. Pingueſcit ſpiritus macerato corpore. caſtigatur doloribus etiam voluptatis memoria; nec tantùm libertatem hi adimunt malefaciendi, ſed etiam votum. Quid felicius impoſſibilitate ſcelerum, quàm etiam faſtidium? Satis hoc languoris laudi, excuſationi ſupereſt; & ne noſtrorum allegemus commendationes, ab Ethnico aliquo requiramus bonum ægritudinum ex profeſſo. Plinius alter ſcribens ad Maximum inquit: *Nuper me cuiuſdam amici languor admonuit optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus. Quem enim infirmum aut auaritia, aut libido ſolicitat? non amoribus ſeruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque, vt relicturus, ſatis habet: tunc deos, tunc hominem eſſe ſe meminit. inuidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit: ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: balnea imaginatur, & fontes. Hæc ſumma curarum, ſumma votorum, mollémque in poſterum & pinguem, ſi contingat euadere, hoc eſt innoxiam beatámque deſtinat vitam. Poſſum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philoſophi docere conantur, ipſe breuiter tibi mihíque præcipere, vt tales eſſe ſani perſeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi.* Hæc ille. Non ergo malum, vnde boni ſumus; non ſupplicium tantùm, munus etiam computanda corporis vexatio; nec iniquè, ſed placidè amplexanda, exoſculanda. Herophilus medicamenta appellauit deorum immortalium manus. Hunc potiùs honorificum titulum ægritudinibus vindico. ægritudines ſunt Dei manus, per has nos procurat, nos ducit, nos iuuat, nos donat. Optimus gubernator inſtaurat minori damno grandius; medicus damna principalis partis, cordis & capitis, cum iacturâ aliorum membrorum ſarcit. ſic Deus per diſpendia corporis animum procurat. morbus eſt beneficium neceſſarium, quod abnui non poteſt. Inſcij nos noſtri commodi, vtiliora ſæpiùs repudiamus, diuina beneficia refellimus. At beneuolentia illa ſummi Patris ita nobis benè vult, vt ad bona cogat; impatiens ſuperari humano faſtidio ſua vota, & affectare nos tantopere odiſſe noſtra bona, quantopere ipſe amat. Animoſa & inclyta illa vox Philagrij: *Gratias tibi ago, Pater, tuorúmque hominum conditor, qui nos inuitos & reluctantes beneficio afficis, & per externum hominem purgas internum, & per contraria ad finem beatum nos ducis.* Scilicet iſta eſt ſubtiliſſima beneficentia Dei, vt ejus munera non

Lib. 5. Epiſt. 16.

Greg. Nazianz. Epiſt. 60.

non tantum ſponte dentur, ſed non ſponte recipiantur.

Quanta ad hæc Dei clementia, corpus conſignare purgatorium animæ! Fauor nobilium eſt, non in cuſtodiam publicam mitti, ſed intra domum aut caſtellum proprium carceris loco coërceri. ſic Deus eximiis aliquibus & dilectis animabus ſua ipſorum corpora deputat ad expiationem. priuilegiarius ille animus eſt, quem ſua ipſius clauſtra vexant, quem artus ſui macerant. Carceres Dei noſocomia ſunt: vbi video ob ſcelera comprehenſos & punitos. Vix aliud eſt quo magis ſoluamus peccata, quibus obæratí ſumus. Non eſt cur nonnulli pietatis imagine deplorent valetudinem, quòd impedimento ſit auſteritati vitæ. Quænam rigidior inſtitui poſſet? Quis Carthuſianus intra clauſtra magis in abdito? non licet languenti exire domo, non cubiculo: imò in ipſo non licet incedere. lectus ipſi cippus eſt. Sanctiſſimus ille ægrotantium patronus, & patientiæ doctor Iob propterea dixit: *Poſuiſti in neruo pedem meum.* Quis Anachoreta abſtinentior, quàm ægrotus? quis mortificationis ſtudioſor? quis ita corrupit cibos, aut elegit acerbos, qui adæquaret acerbiſſimum languentium guſtum ſine vllo palati ſapore veſcentium aut inſipidis aut amaris? Omnem quoque ſancto Iob ſua lues exacerbauit cibum. ipſe ſic fatetur: *Antequam comedam, ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.* Rurſus idem ait, iuxta verſionem LXX. *Fætorem eſſe video eſcas meas ſicut eſt odor leonis.* Non erat opus (vti quidem Iulianus interpretatus) dæmonem ſuis manibus eas contrectaſſe, & corrupiſſe, inferorum inquinando halitu: languor poterat faſtidia hæc procuraſſe. Quis monachus vigilias ægroti ducit? Quis ita incommodum lectum quæſiuit, ſicut languens ſentit? Quis ita ſe macerauit cilicijs & diſciplinis, vti qui inteſtinis tabefactis & doloribus? Quis ita pœnitens appendices ſui officij, ſordes, & cultus incuriam adamauit, ſicut valetudinarius patitur? Poſt omnia hæc, arbitrio noſtro non ſtat tantus rigor; nec tempus conſtat: ampliat ſenſum doloris, aut non ſolatur, incertitudo non dolendi. Adijce ægrotantium pœnitentiam expiatam eſſe & tutam ab indiſcretione, & vanitate. è cælo eſt, ideò vtilior. cæleſtis aqua plus fœcundat agros, quàm fontana. Sed & virtutes neceſſarias in ægrotante videbis, abſtinentiam, caſtitatem. Mirabilior obedientia. nullus monachus tot periculis probatus, tot experientijs exercitatus: iubetur ſcindi, acerba bibere; patet ad omnem moleſtiam medico. Vbi autem contemplatio æternitatis maior? prolixæ videntur febricitanti noctes, ſingulæ horæ pro ducuntur in integros dies. diſcit ex impatientiâ breuiſſimi doloris, quantum erit æternùm dolere.

Iob 13. · Iob 3. · Iob 6. · In Cate. Græcâ.

Iuuant quoque languores eruditionem, docent philoſophiam, contemptionem ſuadent corporalium, explanant nobis humilitatem noſtram. Lepidè Georgius Piſides morbum dixit *magiſtratum miſeriæ, & prudens Dei flagellum.* Leuant quoque animum ad commemorationem cæli, & inſtituunt in diuinis. dum valemus, rebus implicamur; ſuis quiſque occupationibus diteptus, ſtudijs poſſeſſus, nullum Deo, nullum rebus animæ locum expedit. Ceſſant ægrotantibus negotia; ideò aduertunt ad conſcientiæ curas, ad Deum, & explicant animum, impedito corpore. Veriſſimè Nazianzenus, ſiue D. Petrus, ait: *Anima morbo afflicta Deo eſt propinqua.* facillimè ſe Deus inſinuat per patientiam corporis. Optimè diuinus vir Diadochus inquit: *Sicut in cerâ, niſi multùm tepefacta & mollita ſit, non poteſt ſigillum imprimi: ſi nec in homine ſigillum virtutis Dei imprimi poteſt, niſi ex infirmitatibus probetur.* Igitur multa bona malignitas corporis parit. tot flores, tot poma è marcidâ ſtirpe erumpunt. Itaque non indignæ ægritudines ſunt prouidentia, cùm non ſint alienæ à beneuolentiâ diuinâ, cùm bonos nos faciant, cùm expient malis, cùm erudiant nos. Tam commoda viſa eſt ſummo Philoſophorum Platoni incommoditas corporis, vt locum optimæ optimorum ciuitatis elegerit noxium & inſalubrem. Grande quoque argumentum eſt excuſandis morbis, quod patrius amor exoptat ſoboli. Extraneos vmbra S. Petri medicabatur, gnatam ægrotare grauiſus rogatur cur eam grauiſſimo non liberaret morbo; reſpondit, *Sic expedit ei.*

Naz in carm. · Cap. 94.

Caput XII.

Cur mortis legem Deus ſanxerit, & ſeruet poſt ſatisfactionem IESV CHRISTI.

NEc mors mala eſt: nam digna beneficentiâ Dei, quamò magis prouidentiâ: non tantùm ad iuſtitiæ opportunitatem permiſſa: ſed ad beneficentiæ vſus ordinata. Iuſtiſſimè quidem excogitatum fuit, peccantem hominem à ſuæ animæ morte retineri corporis morte. Elegantiſſimè Bernardus dixit: *Præceſſit peccatum, vt ſequeretur mors. Quid enim iuſtius quàm talionem recipere? vita ſiquidem Deus eſt animæ, & iſta corporis.: voluntariè quidem peccando, volens perdidit viuere, nolens perdat & viuificare: ſponte repulit vitam, cùm noluit viuere, non valeat eam dare, cui & quando voluerit.* Hanc tamen iuſtitiæ pœnam illuſtrauit quoque clementia, ipſo iuris rigore ad beneuolentiam vſa.

Taceo Gregorium Theologum, & alios è noſtris, qui miſericordiam & beneficium Dei illam exaggerant: allego ignaros cæleſtium, & incredulos bonorum animi corporeis exempti vinculis. Plinius Maior, licet impius prouidentiæ, & inhumanus animo humano, quem mortalem cenſuit, mortem dixit præcipuum naturæ bonum. Stoici eam vindicarunt è malorum infamiâ. Latiùs alibi cauſſam mortis egi, eam quoque è malis exemi. nec hîc erit pretium operæ, niſi memorare quantum iuuet diuinam gubernationem. Velut enim in ſingulis rebuſpublicis aut conſulta ſenatus, aut edicta prætorum, aut dogmata principum, pro eius reipublicæ bono excogitata: ita Deus aliqua ſapientiæ ſuæ conſulta habet pro huius maximæ mundanæ reipublicæ faciliori tractatione, & habenis moderandis. Inter hæc præcipua mors eſt. hæc fuit inuentum diuiniſſimum ad humani generis moderationem. Dicant ipſi Ethnici, dicat Zaleucus aliquis. Præſignis hic politicus & legum prudentiſſimus lator; tam neceſſaria hominibus iudica

Vide lib 6. de Arte volunt.

Digitized by Google

iudicauit fata, vt, ſi non eſſet lex interitus à naturâ promulgata, cenſuerit excogitandum fore, & lege firmandum, mortis inuentum, vt homines memoriâ mortalitatis coërcerentur. Pataguaienſes barbari, rogati cur Solem adorarent; Quia, inquiunt, auctor mortis eſt. Tam ingenioſa eſt moriendi conſtitutio, vt ab illis diuinitatem impetret auctori. Diuino dignum ingenio inuentum mortis mihi videtur, certiſſimæ & incertiſſimæ, vt cautos ſemper nos ſuſpendat, & cum morum commeatu accinctos ad profectum. Ecqua induſtria excogitari poſſet efficacior ad contemptionem inanium & fugacium rerum, quàm conſcientia noſtri interitus, cùm omnia interitura ſunt nobiſcum, licet non intereant? Vnde ſuauiùs compelli poteramus ad procurandos nos, ad adornandos mores, habituri eos ſolùm poſthumos comites & patronos, quos hereditaturi ſumus, adituri ipſorum præmia? Tanta itaque commoditas mortis eſt humanæ vitæ, vt, cùm affluens & copioſiſſima ſit redemptio IESV, noluerit abrogare mortis legem temporalis, quia vtiliſſimam. Alibi etiam de hoc diſputaui. Hîc nihilominùs appendam ſententiam excellentis viri Algeri Scholaſtici. *Quia enim*, inquit, *peccando Adam à Deo diuiſus eſt, ideò Deus poſtmodum in morte corporali diuiduum eum fecit à ſeipſo; vt in corporis & animæ diuiſione cognoſceret, quia ipſa eius anima Deo, qui vera eſt vita, non adhæſiſſet. Quia igitur mors exterior mortis intrinſecæ tam erat figura, quàm pœna, ideo hinc terrendo, hinc monendo, erat quadam ipſius culpæ medicina. Si Deus priùs abſtuliſſet pœnam medicinalem quam culpam mortiferam, incurabiles nos redderet, quia ablatâ pœnâ magis condelectaremur culpæ, & ita culpâ vigente & obſtante, nullus diuinæ relinqueretur locus gratiæ. Cùm igitur culpa mors ſit animæ, interim punienda erat per temporalis mortis moleſtiam, & ſic ſananda per gratiam: vt interim in regno mortis amaritudo paſſionum & laborum peccata excoquens purgaret, & ita gratia cæleſtis virtutum germina, quò liberiùs, eò vberiùs inſerens, nos vitæ æternæ reformaret. Propter peccatorum igitur excoctionem & purgationem non erat interim mors temporalis auferenda, ſed æterna: ne aut immundi aut impuri requiem obtineremus illicitam, aut imbelles & immeriti iuſtitiæ reciperemus mercedem nobis indebitam. Non enim eſſet diuinæ diſcretionis æquitate condignum, vt vel ſociatâ ſibi peruerſorum immunditiâ, ſuam fuſcaret puritatem; vel immeritorum ignauiam remunerans, nullo magis merito homini quàm lapidi, tantæ ſuæ gloriæ largiretur dignitatem. Ne itaque peccati obſtinatione incurabiles fieremus, magnâ ſuâ gratiâ mortem non abſtulit temporalem, ne in æternum moreremur; vitam æternam diſtulit, vt maiori etiam merito, maiorique fructu reciperemus: quia pro certo niſi ita eſſet, ad fidem Chriſti omnes conuolarent tantummodò propter præſentis vitæ æternitatem; & ita, dum tantæ ſecuritatis torpore non exercerentur ad bonum futuræ gloriæ Chriſti, maius amitterent lucrum. Vnde etiam Deus Adæ miſericorditer prohibuit lignum vitæ dicens: Videte ne fortè ſumat de ligno vitæ: quia ſi ille qui in animâ perierat per lignum inobedientiæ, viueret etiam in carne æternaliter per conceſſum lignum vitæ; ex toto periiſſet, dum carne æternaliter viuens, & in animâ peccando æternaliter moriens, incurabilis eſſet vt dæmones, vel etiam poſt hanc vitam cum carne victurus æternaliter vt mali homines.*

Simile dubium requiſitum fuit à S. Iuliano Toletano Præſule in primo προγνωστικῶν libro, Cur mortem homines patiantur, quorum per gratiam baptiſmi reatus abſoluitur. *Qui enim*, inquit, *hæc dicunt, ſolent argutis propoſitionibus dicere: Mors quæ in primum hominem venit, de malo inobedientiæ accidit, & ideò pro illo peccato mortis vnicuique conditio impertitur. Nos autem quorum originale peccatum in baptiſmate ſoluitur, cur mortis huius ſupplicio teneamur? His obiectionibus ratio prolata reſpondet. Sic enim de his doctor egregius Auguſtinus loquitur, dicens: Ad hoc relinquitur anima experimentum ſeparationis à corpore, quamuis ablato iam criminis nexu: quoniam ſi regenerationis Sacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporum, ipſa fides eneruaretur, quæ tunc eſt fides, quando in re non videtur. fidei autem robore atque certamine, in maioribus dumtaxat ætatibus, etiam mortis fuerat timor ſuperandus, quod in ſanctis Martyribus maximè emicuit. Cuius profectò certaminis eſſet nulla victoria, nulla gloria: quia nec ipſum omnino eſſet certamen, ſi poſt lauacrum regenerationis iam Sancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Cum paruulis autem baptizandis, quis non ad Chriſti gratiam propterea potiùs curreret, ne à corpore ſolueretur? atque ita non inuiſibili præmio probaretur fides: ſed iam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quærendo & ſumendo mercedem. Nunc verò maiore & mirabiliore gratiâ Saluatoris, in vſum iuſtitiæ peccati pœna conuerſa eſt. De hoc quoque ita Iulianus Pomerius ait: Ideo regenerati hinc ad æternam beatitudinem tranſire ſine carnis morte non poſſunt: quia non præſentis eſt vitæ, ſed futuræ omne bonum, quod in eis Sacramenta quibus regenerantur efficiunt. Et vtique ſi ſpe ſalui fiunt, quicumque ſaluantur, & ſpes non temporalis vitæ, ſed æternæ eſt; non ſpe aliquâ ſaluarentur regenerati in Chriſto, ſi non ad æternam beatitudinem conſequendam, quæ non videtur, cui militat ſpes: ſed propter hanc viſibilem vitam ſine termino poſſidendam, viderentur velle in Chriſto renaſci: atque ita nec fideles eſſent, in quibus nulla eſſet inuiſibilium fides, & ad bona inuiſibilia promerenda tepidi redderentur huius temporis amatores.*

CAPVT XIII.

Cur pœnæ inferorum ſint æternæ, & an pertineat etiam ad miſericordiam æternitas ſupplicij.

DIces commodè & prudentiſſimè ita prouiſam vitam temporalem, vt morte eripiamur æternâ. Sed mors æterna cur? Anne decet diuinam bonitatem & miſericordiam, immiſericordem æternè eſſe? Quomodo viſcera illa pientiſſima tolerare valebunt torqueri ſine fine ſuas creaturas, cùm ſuas poſſit Deus limitare iras, aut non puniendo, aut non puniendo æternè? Ne iſta cogitemus: ſumma Dei miſericordia fuit, ſeueriſſima interminatio æternæ mortis, quæ neceſſaria fuit adamantinâ

tinâ ſtatui lege gubernationi mundi. nec enim Deus negligenter debuit gerere publicam rem. vniuerſi bonum poſtulabat, cautum eſſe de ſceleribus. ſalutarius erat, ſi largiſſima mulcta contraheret culpas. *Cùm enim*, ait Guillielmus Pariſienſis, *vniuerſum velut domus quædam ſit Creatoris, qui eſt Dominus omnium ſæculorum, & rex ac rector vniuerſi; neceſſe eſt vt domus eius completa ſit totalitate partium ſuarum, & opportunâ ſufficientiâ congruentium officinarum. Tu verò non dubitas, quoniam neceſſarius ſit carcer in omni regali palatio atque habitatione præſertim vbi tanta multitudo latronum eſt, & aliorum iuſtitiandorum.* Ampliùs: *Nulla eſt ciuitas ordinata cui bonus rex præſideat, & bono magiſtratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ iuſtitiæ. Cùm igitur certum ſit, & omnium Philoſophorum conſenſione firmatum, vniuerſum, ſeu mundum, ciuitatem eſſe Dei altiſſimi; in quâ ciues ſunt homines & Angeli, hoc eſt omnes & vniuerſæ ſubſtantiæ ſpirituales abſtractæ, exceptis dæmonibus malis, qui ſecundùm ſtatum malitiæ ſuæ, & etiam locum, quem nunc habent, & quem habituri ſunt, iuxta fidem & doctrinam Chriſtianam, non ciues, ſed exules reputandi ſunt; quare neceſſe eſt hanc ciuitatem, quæ Deo altiſſimo rectore & rege regitur, & magiſtratu ab eo inſtituto, locum habere vniuerſalem, communem & appropriatum exercendæ diuinæ iuſtitiæ.* Appoſite quoque S. Thom. in 3. libro Contra Gentes: *Secundùm leges humanas aliqui morte puniuntur, non quidem ad emendationem ſui, ſed aliorum. hinc eſt quod dicitur, Peſtilente ſtagello, ſtultus ſapientior erit. Quidam etiam ſecundùm humanas leges à ciuitate perpetuo exilio excluduntur, vt eis ſubtractis ciuitas purior reddatur; vnde dicitur: Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ. Nihil igitur prohibet, etiam ſi pœna non niſi ad emendationem morum adhibeatur, quin ſecundùm diuinum iudicium aliqui debeant à ſocietate bonorum perpetuò ſeparari, & in æternum puniri: vt ex perpetuæ pœnæ timore homines peccare deſiſtant, & bonorum ſocietate purior ex eorum ſeparatione reddatur.*

1. partis Vniu. p. 2. cap. 55.

Cap. 144.

Prou. 19.

Prou. 22.

Pertinebat quoque ad concentum vniuerſi vox aliqua & reſonantia iuſtitiæ. Aptè Gerſon ait: *Totus prætereà mundus concinet auribus Beatorum carmen pulcherrimum, & harmoniam numeroſam ſuauemque reſonabit. Ita etiam (quod mireris) infernales gemitus, ſtridores horridi, & rabidi vlulatus dæmoniorum concurrunt ad integritatem melodiæ huiuſmodi dulciſonæ, quia in inferno eſt iuſtitia, & in cælo mollior cantus miſericordiæ, iuxta illud: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Serm. omn. Sanct.

Benè, inquies, iſta, ſed temporaria pœna ſufficeret, & formidini, & exemplo. quare poſſet Deus componere ſuam miſericordiam, finiendo ſontium ſupplicium. Non puto ſat fore prouiſum timori, niſi ſempiterni horrore cruciatus. Allego teſtimonium Origenis. Is exiſtimauit, temerè licet, & contra orthodoxam diſciplinam, inferni pœnas æternas non fore, ſed aliquando finiendas. Nihilominùs alto ſupprimendum ſilentio dogma ſuum cenſuit, nequis ſcelerum licentiam vſurparet; vtiliſſimam ratus deceptionem putantium æternas. Didicit experentiâ, plures, qui exiſtimatione æternitatis pii & iuſti vixere, cùm ipſius ſecuti eſſent

ſententiã de temporalitate pœnarum, in omne ſe vitium effudiſſe. Inter alia ſic conqueritur: *Quot viri inter ſapientes habiti, cognitâ veritate de pœnis inferni, & deceptione reiectâ* (loquitur ſecundùm ſuum errorem) *vitiorum vitam amplexati ſunt! Vtilius erat illis ſentire, vt priùs ſentiebant, de illo, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* Sic detraxit ſuæ opinioni de pœnis inferni temporalibus, vt eam putaret ſcelerum nutricem, & ſatius iudicaret falli, dummodò æternæ poſthumæ ærumnæ putarentur. Ethnicos quoque appello, Epicurum, & Senecam aliquem, qui commentitia aut ſuſpecta rati inferorum tormenta, tamquam poëticum inuentum; vtiliſſimam tamen eam perſuaſionem habuere, ad diſpendium ſcelerum. Cur, ſi iſta opinatio tam vtilis eſt mundanæ gubernationi, eam Deus negligeret, cùm magis interſit, non peccare multos, quàm damnari aliquos? Atque, ſi neceſſe erat introduci eam exiſtimationem, veram eſſe oportuit. nec enim mendax Deus fieri potuit, ad hoc quidem feliciſſimè & potentiſſimè infirmus. errorem nec vult, nec valet pronuntiare; quare neceſſariò deberent eſſe pœnæ æternæ, non tantùm exiſtimari. neque Deus faceret vt exiſtimarentur, niſi eſſent. Quid iam criminaris inhumanitatis ſummam miſericordiam, quòd æternè ſontes puniat? nónne commodum & vtile eſt omnibus, vt putemus ſic puniri? vtique: nam & illi qui negant punitionem æternam, fatentur vtilitatem eius. Ergo ſi vtile putare, vtile eſſe; ſi vtile eſſe, cur non dignum Deo, omnimodis ſolicitante noſtra commoda? Vide quàm neceſſe erat ſempiternis punire cruciatibus peccatores, vt peiores non eſſemus, cùm peſſimi nunc ſimus. Si modò, cùm inſtat horribilis & indefeſſa incredibilium tormentorum æternitas, tam inuerecundi ſumus vt peccemus; quid fuiſſet cum temporaria duntaxat pœna, lentam licet indulgentiam pollicita, demulſiſſet vitia? Parum erat ad inuitationem virtutis, publicatio immortalis coronæ & gloriæ; plurimi contemnerent. opus etiam fuit vrgere æternæ comminatione infelicitatis. vtrimque neceſſe erat intercludi, vt ſaltem quæſituri aſylum, cælum quæreremus; vel cum tantâ iniuriâ boni, et non niſi odio mali illud appeteremus. Nunc rogo, quæ maior miſericordia, miſereſcere delinquentium, an dolentium? tollere culpas, an pœnas? maioris ſubtractio mali, maior gratia eſt. Meritò hæc ſupputatio maiorem arguit miſericordiam, ſceleſtos ſine miſericordiâ puniri, quantò maius malum culpa eſt, quam pœna. Puniuntur aliqui, ne puniantur multi. Parum hoc, plus eſt, ne peccent, ſiue vt reſipiſcant. Plurimi euaſerunt damnationem, quia nonnulli in eam delapſi, Ergo quia ſumma miſeria culpa, ſumma miſericordia de eâ fuit per immortales licet cruciatus, & ignes, quos ipſam diuinam miſericordiam decebat afflare, & per veras interminationes, noſtram ſalutem procurare. Georgius Piſides canit:

Homiliâ nouè excuſâ ex Vaticanâ Bibliot.

——Minas etenim Dei
Par eſt ſalubres eſſe naturâ ſuâ.

Adiice, quòd nec tantus fauor miſericordiæ debuit eſſe, vſque ad contemptionem iuſtitiæ. Vtraque ornamenta diuina ſunt: vtraque

Digitized by Google

ſoror. debebatur quoque ſua dos, & decor integer iuſtitiæ. In Deo nihil mutilum, nihil rude, nihil ignobile; aliquo neceſſe erat ſplendere incorruptam ſeueritatem radio. Mollem principem, & tam crudeliſſimæ benignitatis, vt omnibus ignoſceret, nullum puniret, quis non contemneret, aut odiſſet? ipſi adhuc, quos ſibi obſtrinxiſſet immunitate peccandi. Qualem cogitas futuram rempublicam ſub tam benefico rege, qui vitiis cunctando indulgeret priuilegia? cur Monarcham mundi tam ignauum vis, qualem prætorem tuæ vrbis eſſe nolis? nemo cui pudor aliquis ſit, ibi vellet degere, vbi nulla ratio iuris haberetur, nec exactâ emendarentur animaduerſione ſcelera. Prô infeliciſſimam vitam, & incolatum mundi, ſi ita proſperaret facinora ignauia rectoris eius! Ineptus imperio Deus eſſet ſine iuſtitiæ ratione, ſi punire neſciret. Noſmetipſos tolerare non poſſumus, ſi omnia ſcelera toleraret, aut nullâ aut ludricâ punitione. Satisfieri itaque iuſtitiæ debuit: non fieret temporariâ ſeueritate. non decebat, vt pœniteret iuſtitiam Dei non pœnitentium iniuſtitiæ humanæ,

Capvt XIV.

An ſit æquitas in Deo, punire æternè peccata.

Ceterum æternitas cruciatuum non excedit malignitatem ſceleris. Contemnitur per peccatum maieſtas æterna, deſpicitur infinita diuinitatis auctoritas. inde refluit in eius contemptores quædam infinitudo prauitatis, & proinde reatus. menſura contumeliæ, dignitas eſt contempti: æſtimatur ex offenſo iniuria. Deus infinitè bonus, infinitè beneficus; ergo eius contemptio, infinitè odibilis, deteſtanda, improperanda. Ideò Gerſon ait: *Peccatum mortale quodlibet auertit à ſummo bono, & eſt obiectiuè infinitum. ſimiliter imputatur etiam de lege ad pœnam æternam & infinitam duratiuè.* Hoc naturæ lux inſinuauit etiam iis qui in vmbrâ mortis ſidebant. nouerunt Ethnici nonnulli, docuerunt, timuerunt. At nulla ſit naturæ doctrina, ſufficit auctoritas Dei, auctoritas tantæ miſericordiæ, & ille pius & paternus animus, qui nihilominùs punit æternè: cuius cenſura tantò verior eſt, quantò ipſe miſericordior, cùm præter beneuolentiæ ingenium velut cogatur tam ſeuerè affligere. ſcilicet ille qui infinitè miſericors eſt, idem infinitè ſapiens, nec fallere ſe poteſt, ne æſtimet & cenſeat omnia vt ſunt. Ideò cùm non ſit Deus tyrannus, ſed pater tot pietatis officiis probatus, velut compulſus malignitate humanâ, eam tam acerbè corripit; non quòd Deus ſupra meritum excandeſcat, ſed quòd meritum ſceleris tranſcendat omne ſupplicium. Arbitrium diuinæ ſapientiæ, diuinæ bonitatis, nequit iniquum eſſe. Quis niſi gemmarius pretium dicet vnionis? errorem picturæ quis meliùs peritiſſimo artifice dignoſcet? Nec operum pretium aliquis taxabit meliùs, quàm qui optimus: nullus æſtimabit legifragium æquiùs legiſlatore. Illud mihi videtur ridiculum, mirari diuinam ſeueritatem in æternâ ſceleſtorum punitione, nec attendere infinitam illam iuſtitiam in innocentiâ Vnigeniti dilecti ſui. Quid mirum torqueri æternùm ſceleſtos pro peccatis ſuis, ſi paſſus eſt pro alienis iuſtiſſimus Filius Dei? Qui potuit ſuſtinere, ſine contumeliâ bonitatis ſuæ, chariſſimum Natum vnâ horâ pati iniuſtè; multò meliùs tolerabit æternis iniuſtos ſuppliciis affligi iuſtiſſimè. Rationem aliam D. Gregorius reddit, quæ pro multis ſceleſtis quadrat. ſic ait: *At, inquiunt, ſine fine non debet puniri culpa cum fine. Iuſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus reſpondemus, quòd rectè dicerent, ſi iudex iuſtus diſtrictuſque veniens non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideò tum cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine viuere, vt ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quàm viuere; & ideò hîc ſemper viuere cupiunt, vt nunquam deſinant peccare, cùm viuunt. Ad diſtricti ergo iudicis iuſtitiam pertinet, vt numquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vitâ numquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus vltionis, qui quamdiu valuit noluit habere terminum criminis.*

De Vitâ ſpir. 7. coroll.

Lib. 34. Moral. cap. 16.

Deinde quid iuſtius, quàm vt qui pro bono temporali bonum æternum contempſit, hanc iniuriam æterni paſſione doloris, pro temporariâ voluptate luat! Quapropter S. Thomas in Summâ contra Gentiles ait: *Apud diuinum iudicium voluntas pro facto computatur: quia ſicut homines vident ea quæ exteriùs aguntur, ita Deus inſpicit hominum corda: qui autem propter aliquod temporale bonum auerſus eſt ab vltimo fine, qui in æternum poſſidetur, præpoſuit fruitionem temporalem illius boni temporalis æternæ fruitioni vltimi finis. Vnde patet, quòd multò magis voluiſſet in æternum illo bono temporali frui. Ergo ſecundùm diuinum iudicium ita puniri debet, ac ſi æternaliter peccaſſet. Nulli autem dubium eſt, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur: debetur igitur ei qui ab vltimo fine auertitur, pœna æterna.*

Lib. 3. Contra Gent. cap. 144.

Ad hæc, peccatum damnatorum æternùm ſubſiſtet, nullo vmquam remittendum tempore; quare non mirum, ſi æternam offenſam culpæ æternum comitetur ſupplicium. neque enim vllum Ius edicet pœnam finiendam, dum dignitas pœnæ non finitur: neque ratio dictat dignitatem ſeu meritum ad pœnam mori, dum culpæ iniuria viuit. Hanc tandem rationem aut inſinuat, aut inuoluit Gerſon, dum reſpiciens eos Doctores qui malitiam peccati affirmant finitam, ſic ait: *Non video eos ſaluare poſſe, quòd non debeatur ſibi pœna infinita ſecundùm acerbitatem, ſi natura eſſet capax, vel Deus hanc vellet infligere: quoniam hoc agendo Deus non ſolùm iuſtè, ſed & miſericorditer ageret, conſeruando naturam. Et ſanè implicatio eſt dicere, quòd abſque miſericordiâ poſſet peccatum aliquod per finitam pœnam aut infinitam ſufficienter puniri. Nam quantumcumque daretur de pœnâ pro peccato, niſi Deus miſericorditer remitteret offenſam, ſemper remaneret dignum puniri vt priùs.*

De Vitâ ſpirit. 7 coroll.

Audiamus denique Angelicum Doctorem rurſus de hoc ſubtiliter diſputantem in ſummâ Theologiæ. *Peccatum, inquit, ex hoc inducit reatum pœnæ, quòd peruertit aliquem ordinem: manente autem cauſſâ manet effectus; vnde quamdiu peruerſitas ordinis remanet, neceſſe eſt quòd remaneat*

1. 2. q. 87. art. 3. in corp.

Digitized by Google

remaneat reatus pœnæ. Peruertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter. ſemper enim defectus quo ſubtrahitur principium irreparabilis eſt: ſi autem ſaluetur principium, eius virtute alij defectus reparari poſſunt. ſicut ſi corrumpatur principium viſiuum, non poteſt fieri viſionis reparatio, niſi ſolâ virtute diuinâ; ſi verò, ſaluo principio viſiuo, aliqua impedimenta adueniant viſioni, reparari poſſunt per naturam, vel per artem. Cuiuſlibet autem ordinis eſt aliquod principium, per quod aliquis ſit particeps illius ordinis: & ideò ſi per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis ſubditur Deo, erit inordinatio, quantum eſt de ſe, irreparabilis; etſi reparari poſſit virtute diuinâ. Principium autem huius ordinis eſt vltimus finis, cui homo inhæret per charitatem. & ideò quæcumque peccata auertunt à Deo, charitatem auferentia, quantum eſt de ſe indicunt reatum æternæ pœnæ.

Capvt XV.

Cur tot homines damnentur.

BEne iſta dices: at cur damnari tot hominum millia neceſſe fuit? Ius ſuum iuſtitia habetet minori ſtrage. non omne ius in multitudine ſontium iuſtiſſimi Imperatores diſtringunt, contenti decimatis capitibus. Decet maieſtatem quidem plurium venia. compara tamen, quæſo, cum peccantibus damnatos; omnes delinquimus, non omnes puniuntur. compara cum peccatis punitiones; plura dimittit Deus peccata, quàm plectat. æſtima potiùs quot Deus ignoſcat peccantibus, & quot velit ignoſcere, quàm in quos animaduertat. At quid miraris ob peccata mulctari, & non miraris tot peccare; dicam clariùs, quid miraris iuſtitiam Dei peccata punientem, & non miraris illa permittentem? Maius malum, & maiorem miſeriam, vnicum peccatum crede, quàm totius noſtri generis interitum ſine culpâ. Ego nõ ita formidarem ſeueritatem diuinam ſi omnes nos æternùm torqueret, ac quòd ſic puniat, vt permittat aliquem peccare. Magis totis contremiſco artubus ad vnam vitæ huius culpam, quàm ad vniuerſas inferorum pœnas. Planè non nimium fuiſſet, vt vnius hominis ſcelus deinceps vitaretur, æternis vniuerſos perdurare in torturis, non intercedente peccato. Quòd ſi conſpicer imbecillitatem & corruptionem humanam, plùs admitor vnum ſaluum fieri, quàm ſi omnes perirent. Verùm ne queraris tantam eſſe turbam pereuntium vt excedant quoſcumque incolumes. Plures ſalui erũt, quàm perdentur. non implent ciuitatem cæleſtem, nec tetricum inferorum carcerem homines dumtaxat. non conſtat carmen prouidentiæ diuinæ ſolùm humano genere: ſpiritus ſunt collegæ noſtri. atque ex aceruo ſpirituum & animarum ſuperabunt Beati miſeros. Plures conciues capiet ciuitas Dei, quam detrudentur ſontes in Babylonica ergaſtula. *Non enim rex hoc permitteret*, inquit Alexander Alẽſis, *ſcilicet regnum ſuum dãnificari plùs in vnâ parte, vt ex alia parte minus bonum adderetur. Propter quod dicendum, quòd omnibus conſideratis* 2. part. q. 94. mem. 3.

R. P. Ioan. Euſebij Nieremberg ij.

quæ ſunt in mundo, plus eſt bonum vel numero vel quantitate.

Ex hominibus ne mireris plures damnati, cùm ſit admirandum non omnes perire. Peccatum originis vniuerſos denotauit, cunctos tabes iſta corrupit. damnandi eramus omnes: quid ſeuerum, perdi aliquos, ſi non omnes, cùm deberemus omnes? maius miraculum eſt, vnum obtinere ſalutem; quàm omnes prolabi in interitum: quid maius dixi, cùm non ſit mirificum damnati? nónne magis mirum, vnum lapidem aſſurgere in æthera, quàm ſi mille videres deorſum ruere; Naturæ noſtræ proprium, interire eſt. neſcit profectò quid peccatum ſit, & horribilis eius enormitas, qui eius demiratur exitium.

Sed & iuſtitiam Dei aliqua pompa decebat; & non valdè magna eſt, poſt tot damnatorum apparatum, ſi beneficentiæ & miſericordiæ amplitudinem ſpectes: oportebat enim elucere gratiam Dei inter multa ſalutis diſcrimina, &, vt egregiè diſſeruit Ioannes Gerſon, damnationis cauſſam, *quatenus reſultet carmen illud pulcherrimum, ex graui tenore iuſtitiæ, & molli cantu miſericordiæ; de quali profitetur Propheta: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod ſi pauciores ſunt qui ſaluantur, manifeſtior eſt in hoc gratia Dei, quemadmodum inter ſurdos, claudos, mutos & mortuos, pauciores ſunt qui miraculo curantur, quàm qui propriæ conditioni relinquuntur.* Hæc Gerſon. Lib. 1. Conſol. Theol. proſâ 1.

Ergo qui paucos ſaluari miratur, non eſſe plurima miracula admiretur. Quod maius miraculũ, quàm correctio peccatoris; neſcio cur non demiratur, plures non eſſe mundos, non redundare orbes. minus miraculum eſt machina mundi, quàm minima gratiæ infuſio. magis enim admirandum mihi eſt, vnum ſaluari, quàm damnari vniuerſos, hoc opus noſtrum eſt perire; ſed vis tota Dei ſaluti noſtræ requiritur. Nemo plures maieſtatis læſæ reos abripi ad patibulum miraretur, id in primis ſtuperet, ſi damnatus morte regni hæres inſtitueretur, & in chariſſimum potentiſſimi regis aſſumeretur filium. Nec tantùm propter homines iuſtos, ſed & propter iuſtitiam & gloriam Dei, dignè nonnulli damnantur: nam propter iuſtitiam humanam, & ſalutem temporalem reipublicæ, & honorem principis terreni, capite minuuntur. Alius eſt finis partis, alius totius: alius enim eſt finis digiti, & manus alius totius hominis. meretur partis percuſſionẽ decor totius, finis totius naturæ noſtræ, gloria Dei eſt. digna vtrique oſtentatione per omnes ſuos numeros, etiam cum iacturâ ſceleſtorum. Eleganter Tertullianus ait: *Maior boni portio modico malo ad teſtimonium ſui vtitur.*

Capvt XVI.

An damnatio ſceleſtorum ſpectet etiam ad miſericordiam & beneficentiam Dei.

PRæterea non eſt tot hominum interitus tuentia ſolùm iuſtitiæ diuinæ, ſed & fauor eſt miſericordiæ in noſtrum vtrique genus, cuius dignitas & decor in multis maior accidit, quia multi perierunt. Publicum, & bonorum

Digitized by Google

bonum plùs curari debuit, quàm priuatorum commodum, maximè peſſimorum. Non eſt ſæuum & tyrannicum in Deo, quòd peſſimos plurimos ſuo iure, ſuâ donet mulctâ, vt tueatur bonos, aut in melius proueheat. Solemne eſt, & impune cordato cuique, inſumere viliora procuratione pretioſorum: ferrum auarus atterit effodiendo auro. non pauci ex optimis aut periclitaturi, aut perituri fuiſſent, niſi multi peſſimorum perijſſent. Plurimorum Dei ſeruorum, hoc eſt peſſimorum. Tanti Deus facit humilitatē & reuerentiā ſuæ maieſtatis, vt non magnopere æſtimet perdi plures, vt pauci, imò vt vnus ſit humillimus, diuini cōſternatione iudicij ſummi iuſtiſſimque, atque ſuæ anctoritatis potentiæque admirator & laudator. Ampliſſimū diſcrimen, vbi tot perierunt, conſtringens illos, in exiguitate & timore, ſi non ſecuros, ſaltem tutos facit. Ipſum quidem illos ſoſpitat periculum: neque minimus perditorum hominum vſus Sanctis eſt meritorum cumulus. Ignis ille contumax incendit eorum charitatem, excutit veternum, extimulat animum, vt properando abſint longiùs à præcipitio, & ſaltem vt aufugiant; multiplicant quoque merita, ad maius gloriæ emolumentum ad certius vadimonium ſalutis. Omniàne hæc à cenſu bonorum, & beneficiorum pla idiſſimo titulo expungenda, timor Dei, ſecuritas ſalutis incrementum ſanctitatis, ius maioris beatitudinis? quare cùm bona hæc ſint, ad beneuolentiam vtique ſpectabunt cum. fonte ſuo; & adhuc ipſe damnatorum carcer, cuius timor tot bonus opportunus, fœtus etiam eſt beneficentiæ. Acutiſſimè cenſuit Gulielmus Auernus Scholaſticorum antiquiſſimus, ad beneuolentiam ſpectare infernum, & nobis propterea diligendum: bona in nobis parit, quare non inter mala, ſed inter bona adſcribendus. *Primum, ait, quia eſt pars domus regiæ, & regalis palatij ipſius Regis regum; carcer enim pars eſt domus regia, valdè neceſſarius: ibi enim fures, raptores, & latrones, & omnes alij malefactores vincti & compediti detinentur, & arctiſſime cuſtodiantur, ne alijs vlteriùs noceant. Secunda cauſſa eſt, quia formido eſt, quæ vulgò dicitur expauentaculum, deterrens eos qui malè agere vellent, ne illud opere impleant, timorem ſeruilem eis incutiens, & cohibens manum, non autem animum ex toto. Manet enim in huiuſmodi hominibus (ſicut ait Ambroſius) peccandi voluntas, & ſequeretur opus, ſi ſperaretur impunitas. hoc eſt (vt vulgo dicitur) expauentans malum, & quemadmodum ribaldi dicunt de patibulo. Tum quia innumerabiles peccatores ad pænitentiam terrore ſuo compellit, & ipſa peccata de cordibus eorum expellit, ſicut legitur Eccleſiaſtis primo: Timor Domini expellit peccatum. Quemadmodum & magni in timore ſubito & magno, à febribus interdum curantur: ſic peccatores ab ab ardore carnalium & ſecularium deſideriorum plerumque liberantur. Quare manifeſtum eſt, quòd infernus diligendus eſt, vt medicina ſalutaris febres carnalium & ſæcularium deſideriorum deſideriorum extinguens, & expugnans. Si quis autem dicat ex præcedenti cauſſâ, diligendus eſt vt medicina præſeruatina, & ex hac in quâ ſumus, vt medicina curatiua, non inconuenienter hac dicit. Quarta autem cauſſa propter quam*

De Moribus cap. 5.

diligendus eſt hic, quia omnes Dei iniurias & contumelias vindicat, & Deum de omnibus inimicis ſuis. Non eſt ergo diligendus ſolummodò ex amore iuſtitiæ, hoc eſt, quia inſtrumentum eſt & locus iuſtificationis malorum, & vindictæ; ſed etiam ex amore ſinceriſſimo quo Deus diligitur. Si quis autem regem aliquem verè diligat, ſeruum illius, qui omnes iniurias & contumelias eius vindicaret, & de omnibus inimicis eum perfectè vlciſceretur, non ſolùm diligeret, ſed chariſſimum haberet: quia ergo infernus huiuſmodi Dei ſeruus eſt, meritò ab amicis Dei diligendus eſt. Non minùs erit campus diuinæ beneuolentiæ: nam & eius gloriæ, & electorum ſaluti vtilis; cui ſeruit infernus, ſeruiunt damnati. Idem Doctor licentiam infernalium ſpirituum ex miſericordiâ diuinâ iudicauit permiſſam. *Cauſſa eſt*, inquit, *diuina pietas, quæ ſcit nobis hominibus ſaluberrimum eſſe timorem ab huiuſmodi belluis, vt territi fugiamus ab eis. Et tu quidem iam vidiſti mulieres aliqua terribilia oſtendere paruulis ſuis, vt terrore huiuſmodi auertant eos ab aliquibus periculoſis vel noxijs. Si huiuſmodi terribilium appropinquatio vel oſtenſiuum paruulis adhibetur ex amore, vel pietate, vtpote ſalutaris eiſdem, quantò fortiùs Creatoris ſalubriter nobis adhibet, & oſtendit horribiles terrificaſque beſtias malignorum ſpirituum, vt earum timore atque terrore declinemus & fugiamus quidquid donare poteſt eis in prædam & deuorationem?* 2. partis part. 1. cap. 163.

Neque in hoc dumtaxat modo maligni ſpiritus, & miſerrimi illi homines felicitati Sanctorum ſeruiunt, dum in hac vitâ illos timere faciunt, ſed dum in alterâ gaudere. Ampliatur quædam accidens iucunditas beatitudinis, cùm ſe vident naufragio ereptos, & tutos, vbi tot demerſi. Creſcit hæc feſtiua animi exultatio, quò diſcrimen exantlatum maius: maius autem eſt, quò pauciores ſuperatunt. Hinc gratificatio incredibilis, & aſſiduus dicitur hymnus Deo. hinc inexplicabilis amoris vis erga Saluatorem totos illos occupat. adeò ad incrementum gloriæ Dei, eſt etiam detrimentum perditorum. Oſtendi quoque aliquo debebat indicio ſuprema Dei dominatio, & maieſtas, & ius, & arbitrium potentis de creaturis facere quod velit, immuni maieſtatis ſuæ decore. Poterat ſine calumniâ miſericordiæ in omnes ſæuire æternis ignibus. minus eſſet comparatione Dei perdere vniuerſas creaturas, Angelos & homines, quàm ſi tu vermiculum aut formicam calce necares. Quis tyrannum crudeliſſimum te criminaretur, quòd culicem occidiſſes, quia voluiſti? maius ius Deo eſt, maior ipſe eſt cunctis, quàm homo verme aut culice. Quare ſine ſuæ reprehenſione pietatis poſſet omnes excruciare. hoc ipſo quòd non faciat, iam mitis eſt. Nónne delicatiſſimæ illum miſericordiæ iudicares, qui nec formicam, nec vermem, nec culicem, nec lendem præ cordis pietate occideret, licet diuexatus ab illis? nam in tam minima impunè, & cum impunitate humanitatis liceret iraſci. Cur Deum non dices ſummè miſericordem, cùm manſuetior & clementior ſit; ſiquidem, quod ei eſt minus, omnes nos non damnarit, aliquorum contentus interitu iuſtiſſimo, & hoc non ſine cauſſâ: ſed, fermè dixerim, cum neceſſitate tot commo

Digitized by Google

commodorum, diminutionis ſcelerum, accretionis gloriæ, obtentionis humilitatis, gratificationis Dei, oſtentionis miſericordiæ, exhibitionis dominatus ſui? qui ſolùm dominij titulus, & maieſtas ſatis erat. Trithemius ad Maximilianum Cæſarem ita reſpondit: *Vt naſcantur homines boni & mali, pij & impij, fideles & perfidi, peccatores & ſancti, ſaluandi & damnandi, iuſtiſſimâ ratione Deus permittit, qui hunc ordinem rebus omnibus tribuit. Nihil Deo perit, qui omnium eſt Dominus, & non minùs malorum, quàm bonorum hominum atque ſpirituum corroboratum vbique tenet imperium. Quid putamus Deo ſalus noſtra conducere poteſt, qui bonorum noſtrorum non indiget? ſiue enim multi ſaluentur, ſiue damnentur, Deus ipſe omnium incommutabilis eſt Dominus. nihil accedit ei, ſi omnes ſaluentur; nihil deficit, ſi totus pereat mundus. Eſt infallibilis ordo diuina prouidentia & maieſtatis: qui damnandos non minùs complectitur, quàm ſaluandos, ſingulos videlicet & vniuerſos. Nemo certè damnandorum patitur iniuriam, quoniam ſicut in primo homine cecidimus omnes, ita nemo ſaluatur niſi in ſanguine Ieſu Chriſti per miſericordiam; & nemo damnatur, niſi in perfidiâ ſuâ & demerito per iuſtitiam.*

q. 2. ad Maximil.

Addo, cum ipſis damnatis beneficentiſſimè etiam agi, ne plùs peccent, & bonum pœnæ habeant, iam à Deo iſtud capiunt bonum, quòd minùs miſeri ſint quàm purâ & ſolitariâ ſuâ malignitate: nam conſortio & mixturâ pœnæ minùs fœda eſt.

CAPVT XVII.

Cur Deus permittat peccata.

IAm non eſt quòd calumnieris peſſimorum damnationem, niſi tolerare peſſimos: nam ſi ſunt, debent damnari. Dices, Cur ſunt; Anceps huius quæſiti ſenſus eſt; cur peſſimos permittat Deus; & cur permittat id, vnde ſunt peſſimi: hoc eſt, cur permittat malos, & cur mala. Vera mala hic dico, nempe peccata; de ceteris, quæ voce tenus vulgi infamantur, nonnihil iam diſſeruimus. ferè ad vtriuſque quæſtiunculæ dilutionem conſpirant nuper dicta, cùm diſpeximus damnationis cauſſas; tum alterius ratio quæſiti non leuiter nexa cũ alterâ eſt: nam ſi mali aliquâ ſunt ratione tolerandi, & mala vtique; atque è contrà. Et licet Plato in hac quæſtione, cur Deus tanta, tamque frequentia mala permittat, iubeat quieſcere, auſim aliquid philoſophari. Nam certe in permittendis malis multum eſt quòd miremur beneficentiam Dei, multum quòd bonitatem adoremus; multum quòd beneuolentiam omnipotentem ſuſpiciamus. Diuinus vir Auguſtinus ait: *Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala eſſe non permittere.* Arcano prouidentiæ conſilio ex te omnium peſſimâ nouit extorquere optima. quot bona ex aliquibus ſceleribus deprompſit? Nolo morari in illâ culpâ totius noſtræ miſeriæ fontanâ: quam nihilominùs ita emendauit, vt gratulata ſibi Eccleſia felicem vocarit. Inde honos noſtri generis, inde decor naturæ, inde Chriſtus Ieſus, inde Deus-homo, inde Deus pro homine ſtipiti affixus, inde Dominus gloriæ mortuus

Vide librum 6. de Arte volunt.

pro me mundi oppprobio; inde tanta gloria Dei, gratulatio, admiratio; inde cognitio bonitatis eius. Satiſne lucrum noſcere Deum? tantò autem plùs innotuit, ex quo homo factus, humilis vixit, patientiſſimè mortuus, vt pænè dixerim antè ignoratum. Ex peccatis ſumus docti Dei patientiam, clementiam, lenitatem. tantus virtutum ſtupendarum apparatus exornat nunc maieſtatem eius, prouocat humilitatem noſtram ad laudes eius, ad affectus, ad obſequia.

Quanta porrò ex aliis peccatis emerſere bona? ſatis ſit meminiſſe vnius Pariſienſis Doctoris, cuius arcana malignitas, & damnatio manifeſtata ſanctiſſimum Brunonem fecit. Inde proſerpſit fœcundus ille ſanctitatis timor in tot millia ſanctiſſimorum monachorum, qui ſecuti S. Brunonis inſtitutum, odorem quemdam paradiſi exhalantes, ſummo exemplo & admiratione. Eccleſiam Dei honeſtant, cælum implent. Egregiè Gerſon cenſuit: *Infernus damnatorum hominum, & eorum multitudo atque peccata ſunt de dominio iuſti, & ei militant ad coronam, & gaudium, & cautelam.* Deinde vbi certa humilitas noſtra? vbi neceſſitas timoris? vbi accretio feruoris? vbi cordialis gratificatio Dei? vbi flos & decor virtutis albicaret, niſi videremus tot peccare, timeremus nos plus poſſe, cognoſceremus à Deo præuentos? Præſentem ingeminat lætitiam eluſum diſcrimen. Quædam enim obſonatio iucunditatis obtentæ, eſt antecedens timor obtinendæ. ereptio malorum ſine alio bono lætificat. Quàm dulcem faciet beatitudinem mali, dixerim immenſi, ſubtractio! nullum culpâ malum horribilius. magnoperè acuet exultationem iuſtorum eximi illâ, adhuc in hac vitâ. Ruſbrochius ait: *Huius conſideratio tam amabilis, iucunda & ſapida eſt, vt vehementer admirer eius excitandæ nos vnquam poſſe obliuiſci.*

Non ſit aliud bonum, quàm dominatio Dei, quàm æquitatis maieſtas, ſcilicet probaſſe ſe arbitrum & dominum ſuæ gratiæ, atque diuitias plurimas ſuæ oſtentaſſe miſericordiæ, tum mitiſſimè gerere publicam mundi rem, ſine violentiâ, ſine tyrannide naturæ, quod decebat magis liberam. Vbi prudentia & iuſtitia principis rutilaret, nullo crimine? ſatis ſunt ſcelera, ſi artem & peritiam diuinæ beneficientiæ prouocant. langueret ſine æmulo virtus: repugnantijs emicat, nihil in rebus omnipotentiæ obſtat: æmulus ex nihilo venit, peccatum nihil; at illa potentiſſima Dei vis, & beneuolentia, ſic poteſt in illo, quod facere non poteſt, vt inde extorqueat, quod maximè poteſt, bonum. maior ars eſt emendare errata, quàm facere bona. Error aliquando diſciplinæ ſeruit, & peritiſſimus artifex conſentit nonnunquam in diſcipuli errorem, vt emendatione artis peritiam inſinuet. multa bona tollerentur vtique, ſi mala omnino: nam plerumque nexa ſunt. malum vni ſæpè dum prodeſt, alteri bonum eſt. Quare prouidentiâ dignum eſt, non omnia mala tollere, ſed ordinare ad bonum. Omnibus oportet modis bonitatem Dei probari, commendari; imò commendari bona per mala. Pulchriora apparent bona ex malorum deformitate: nam & candorem nigredo exaggerat. Lactantius ait: *Vbi ergo vitia non ſunt, nec*

Digitized by Google

virtuti locus eſt quidem, ſicut nec victoria quidem, vbi aduerſarius nullus eſt. ita fit vt bonum ſine malo eſſe in hac vitâ non poſſit. Nec minùs celebrari debebant bona morum, naturæ, quæ monſtra honeſtant. Quemadmodum in his non peccat naturæ intentio, optima ſemper; ſic illa præter diuinum propoſitum accidunt. Ergo quemadmodũ monſtra ad decorem mundi ſpectant; nam & næuus pulchritudinem ampliat: ſic peccata, monſtra morum, ad prouidentiæ decus; ne peccet prouidentia ipſa, aut minùs pulchra appareat, & totus ſuus lepos oſtendatur. Luculéter diuinus Thom. ait: *Nec tamen hoc diuina bonitati repugnat, quòd mala eſſe permittit in rebus ab eo gubernitatis. Primò quidem; quia prouidentia non eſt naturam gubernatorum tollere, ſed ſaluare. Acquirit autem hoc perfectio vniuerſi, vt ſint quædam in quibus malum non poſſit accidere; quædam verò quæ defectum mali pati poſſint ſecundùm ſuam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus prouidentiâ diuinâ; non regerentur res ſecùndùm earum naturam: quod eſſet maior defectus, quàm ſingulares defectus, qui tollerentur.* Hæc diuinè diuinus Doctor. Dixerim potiùs libertate carere hominem, quàm fruſtrà libertate donatum: fruſtrà autem libertate donaretur, ſi numquam vti libertate liceret, aut Deo dignum non eſſet id conſentire.

In Comp. Theolog. cap. 142.

Quare non abſurdè Trithemius philoſophatur, ad dignitatem hominis id ſpectare: *Quia*, inquit, *ſi Deus non permitteret peccare hominem, brutis videretur deterior, quæ nullâ impellente violentiâ naturæ motibus liberè vtuntur. Nam etſi ratione bruta careant, liberum tamen* (hoc eſt indifferentem) *naturæ motum habent, quem ſequuntur: in quorum comparatione homo videretur inferioris conditionis, ſi liberum non haberet arbitrium voluntatis. Permiſit autem homini Deus voluntatem liberam, cui nec reges imperant, nec principes* Itaque non ſolum redundat peccatorum permiſſio in virtutis decorem, ſed naturæ. Accedit quod Iſidorus ait: *Non permitteret Deus mala oboriri, contrariis malis naturæ bona decor emineret.* Et S. Auguſtinus: *Cuius rectè vituperatur vitium, proculdubio natura laudatur.* Quod Alexander de Ales ſic exponit: *Sicut cùm dicitur vitium oculorum cæcitas, id oſtenditur quòd ad naturam oculorum viſus pertinet: ita cùm vitium naturalis creaturæ dicitur; quòd non adhæret Deo, hinc declaratur eius natura, vt Deo adhæreat conuenienter.*

Lib. de Summo bono.
Lib 12. de Ciuit.
2. part. q 94. num. 4.

Tam rationabilis eſt peccatorum permiſſio, vt Plotinus lumine ſolo naturæ fretus, & ratione audax, diſſeruerit neceſſariam, vtilem & pulcherrimam mundo, & honorificam prouidentiæ. Carpam aliqua, ex infideli homine pro decore noſtræ fidei. In libro tertio enneade ſecundâ ſic ait: *Numquid ergo mala quæ in mundo fiunt, proptereà quid præcedentia conſequuntur? fortè etiam quia niſi hæc eſſent, imperfectum foret & totum. Plurima namque malorum, vel cuncta potiùs, quẽadmodum venenoſa, quamuis plurimorum vſus & ratio lateat. Iam verò prauitatem quoque ipſam multa conſtat vtilia continere, multaque reddere pulchra, pulchritudinis artificioſa more, ſuſcitat ſæpè ad homines ad prudentiam, neque ſecuriori licentiâ torpere permittit.* Aliàs rationes antè ſic congeſſerat: *Prauitas autem vtile quiddam affert ad vniuerſum, facta videlicet iuris iuris ipſius exemplum, multáque ex ſe vtilia pariens. reddit enim animos vigilantes, afficitque, vt diligenter excogitent, quâ viâ potiſſimùm à præcipitio prauitatis valeant declinare. facit rurſus, vt quantum bonũ virtus ſit comparatione malorum, vitioſos animos affligentium, cognoſcamus. Neque proptereà hæc facta ſunt mala: ſed dictum eſt ipſam mundi artificem rationem, malis, poſtquam facta ſunt, opportunè admodum vti ſolere. id autem maximæ poteſtatis eſt, malis etiam benè vti valere. Neceſſe etiam eſt hîc boni defectum accidere, quoniam eſt in alio. ipſum itaque aliud in quo bonum eſt, cùm diuerſum ſit à bono, infert boni defectum. id namque non erat bonum. Quapropter, vt Plato inquit, impoſſibile eſt mala penitus extirpari, quoniam & alia aliis inferiora ſunt ad ipſam boni naturam, & alia diuerſa ſunt à bono, ſubſiſtentiæ ſuæ cauſam inde ſortita: taliaque euaſerunt, quòd à bono remotiſſima prouenere.* Idem quoque ait: *Quicumque deterius è mundo tollendum cenſent, tollunt ipſam etiam prouidentiam; cuiuſnam ampliùs prouidentia erit?* Appendo, ſi mali cauſſas quis roget, ſubtilem Simplicij ſententiam: *Dicendum igitur hoc malum, quod ij qui principium mali ſtatuunt, pleroſque dubitantium de eo ſentire, principalem quamdam & præcipuam habere ſubſtantiam, naturam ſicut bonum, & potentiam bono æqualem ex æquo contrariam, atque id ipſum malum eſſentiam habere, quæ ſuapte naturâ cum eius contrario bono permiſceri nequeat. Quæ ratio nigri eſt cum albo, calidi cum frigido? Enimuerò tale malum prorſus non eſt in naturâ rerum. Nam ſi principalis aliqua eſſet eſſentia, vt exempli gratiâ, homo, & equus, haberet vtique ſuapte naturâ perfectionem aliquam, & formam, quâ id eſſet quod eſſet; omnis autem forma perfectione ſuæ naturæ conueniente prædita, bona eſt, & non mala: quapropter boni malum illud, & appetens, & particeps eſſe, & fructum ex eo capere, & amare participationem, & omnia facere, ne eam perdat, affirmant. Hoc igitur quo pacto, vt omnino malum cogitari poteſt? Quod verò malum eſt quo mali dicimur, & peccatores, id verò accidens eſt, & non eſſentia: ſiquidem & accedit & recedit abſque ſubiecti interitu, & per ſe non ſubſiſtit. Quid enim erit malum, niſi alicuius malum fuerit? Itemque bonum huic oppoſitum, & ipſum eſt accidens. Verum bonum id eſt, quod cuiuſque naturæ conuenit, quoque id ſuam habet perfectionem. Malum verò affectio contra naturam eſt eius penes quod eſt; quâ caret, eò quòd eius naturæ conuenit, ipſoque bono. Nam ſi malum affectio eſſet naturæ conſentanea, perfectio eius formæ in quâ ineſſet, ipſum quoque bonum eſſet, neciam malum diceretur. Quare non eſt principalis aliqua natura, & ſubſtantia mali, cuiuſmodi eſt boni; ſed eſt acceſſio boni, cuius eſt fruſtratio atque priuatio.* Auguſtinus nullam diſſerit propriè cauſam efficientem peccati, cùm nihil ſit.

Lib. 3. enn. 2. c. 18.
cap. 5.
Lib. 3. enn. 3. c. 7.
In Epict.

Capvt

Capvt XVIII.

Cur Deus, ſi quidem erat conueniens permiſſio aliqua peccandi, tot ſcelera permittat.

OBiectabis fortaſſe multitudinem peccatorum: cur tot ſcelera permittat Deus. pauciora, aut vnum, vel alterum ſatis fuiſſet. At lentor noſter non facili negotio tolleretur. ſtupet nobis ſenſus mentis: non vno ſolùm ſtimulo excitatur; vix ſæpiùs exſtimulatus exſurgit,& in veritatem intendit. Ad hæc, non tanta concreſceret feſtiuitas,& riſus animi, vt modò poſt eluſa diſcrimina crebra & obuia, in quæ tot impingentes periclitantur. non ita tenderet facies & iubar virtutis,niſi inter multas tenebras. Tum ſi nunc queri de Deo auſi aliqui, ignari ſcilicet eius conſilij, immemores eius dominij, quòd acceptor perſonarum ſit,aliquos permittens peccare, aliis obſtans; ſpecioſiori purpurarent imagine ſuas querelas (ſuas, inquam, blaſphemias) ſi vnum aut nonnullos dumtaxat impingere permitteret,quod in pluribus aut ceteris nollet. magis enim iniuria ſolitaria pungit. damna minùs communia plùs damnantur.& quod inſolens & infrequens vni, non pluribus accideret; non rationi iuris, iniuriæ potiùs imputaretur. Deus autem ſui, & creaturarum iuris religioſiſſimus obſeruator, permittit peccata. Nec multa putes quæ Deus permittit: cogita quibus obſtat. Nullam profectò reperies comparationem. Quis, ſi exundans non frænaret potentiam miſericordiæ, fœdior Heliogabalo, ſæuior Nerone, peior Antichriſto ipſo non eſſet? Tot obſtat ſceleribus pietas miſericordiſſima Dei, quot poſſunt eſſe, quot non ſunt. Quid ſeueritatis criminatis miſericordem illius naturã, cùm vna ſe opponat ſceleſtiſſimæ noſtræ, vna illa reſtringat fluxum malignitatis humanæ? ſic vno peccato corrupti fuimus. non miror ſic homines peccaſſe, miror non plùs. Gratulor compendium peccandi ſupremæ illi miſerationis & bonitatis fontanæ, quâ tantus malorum ardor extinguitur. Dic, quæſo, an accuſares illum, qui totum orbem affectu miſereſcenti conflagrantem extingueret, & ſolùm relinqueret ſtipulam ardentem, ad teſtimonium grati operis potentiæ ſuæ, atque vt inde maiora bona excitaret? Certè Deus iſte eſt, qui incendio totius noſtri generis ſe opponens, nondum milleſimam peccatorum particulam permittit. Multa facimus, plura faceremus. Imò ſi deſideras ſtatum illum, in quo Deus nullam permittat culpam, eſt quidem: namque in Purgatorio non eſt peccandi locus, vbi animæ, ſæuiſſimis licet irritatæ doloribus, ſummâ gratulantur ſibi ſuas pœnas patientiâ. inde omnes Deus culpas ablegauit. In hoc autem primo viæ ſtatu multis oportebat rationibus oſtendi diuitias miſericordiæ diuinæ,& arbitrium maieſtatis permiſſione peccatorum. Compone quoque æternitatem cum his ſæculi anguſtiis; nec punctum, illius comparatione, inuenies. æternum carebit orbis peccatis: nunc non valdè ſeuerum eſt, aliqua permittere,& hoc vt maiora & plura bona inde extorqueat Deus. Optimè dixit Alenſis: *Plus eſt bonum vel numero, vel quantitate, quod elicit Deus ex malo, quàm ſit bonum quod deſtruitur per malum.* Quare licet plurima peccata eſſe abſolutè videantur, non ſunt plura bonis. Imò ideò expediebat multa permitti peccata,vt exuberantia bonorum etiam ex multitudine malorum magis illuſtraretur. Tam ingens & excedens vis boni quaſi requirebat tantam copiam mali, ad maiorem bonitatis oſtentationem; cùm ex contrariis bona magis eluceant. S. Auguſtinus ait: *Sicut contraria contrariis oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentiâ contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur.* & alibi: *Sicut pictura cum colore nigro, ſuo loco poſita, ita vniuerſitas rerum (ſi quis poſſet intueri) etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamuis per ſe ipſos conſideratos ſua deformitas turpet.* Hinc licet colligere quanta ſit pulchritudo bonorum, cùm tot contraria, tot deformitates, tot mala abſorbeat & vincat: cùm tot nigritudinibus ſuperalbeſcat, cùm tot næuis pulchreſcat. magna etenim pictura magnas quoque vmbras ad ſuam elegantiam exigit. Accedit, vt immediatiùs reſpondeamus, vnum peccatum eſſe cauſam alterius,& alterum alterius pœnam: quatenus indigni per peccatum ſimus diuinis auxiliis. quare non mirum eſſe multa peccata, ſi aliqua oportuerit permitti.

1. part. q. 94. num. 5.

Lib. 11. de Ciuit. c. 18.

Cap. 23.

Claudo iſtum ſermonem, quòd ſatis auctoritatis ſit beneuolentiæ & beneficentiæ diuinæ diuinæ tot probatæ beneficiis,vt licet non conſequeremur in re aliquâ rationem conſilij ipſius; deberet præſumi cum conſilio, cum ratione, cum amore, imò cum beneficentiâ factum; ſi non eius, cui peccata permittuntur, eorum qui inde reſipiſcunt,qui noſcunt Deum, qui eius miſericordiæ diuitias demirantur & laudant. Satis Deus meruit opiniones noſtras, & optimos de ſe ſenſus, vt cuius non videmus rationem, putemus. Egregiè Auguſtinus ait: *Et ſi nos non intelligamus,quare quidque fiat,demus hoc prouidentiæ ipſius, quia non fit ſine cauſâ, & non blaſphemabimus. Cùm enim cœperimus diſputare de operibus Dei, quare hoc, & quare illud, & non debuit ſic facere, malè fecit hoc; vbi eſt laus Dei? omnia ſic conſidera quomodo placeas Deo, & laudes artificem. Quòd ſi fortè intrares in officinam fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, neſcientem quid quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quid ſibi dicet? Non ſine cauſâ folles hoc loco poſiti ſunt; artifex nouit quare, etſi ego non noui. In officinâ non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum?*

In Pſal. 149.

Capvt XIX.

Cur Deus permittat malos.

ALtera quæſtiunculæ particula, cur Deus malos permittat, poteſt quoque illuſtrari ex dictis; addam nihilominus aliqua. Tolerat malos Deus, vt fiant tandem boni, aut per ipſos

Digitized by Google

ipſos alij aut boni, aut meliores. Setiò S. Proſper luſit.

Et dum plectendis parcit clementia factis,
Dat ſpatium, quo ſe crimine purget homo.
Denique cõmittant homines mala crimina, ſemper
Dat ſpatium vt pereant crimina, non homines,
Verbere non numquam caſtigans corde paterno,
Ne citò conſumant ſaua flagella reos.
Sic pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil eſt quod nos non trahat ad veniam.
Cùm rex ſaluandis ipſâ quoque conſulit irâ,
Et curat medicus vulnera vulneribus.

Non eſt ſterilis Deo patientia ſua, etiam cum detractione maieſtatis, vt ſaltem fatigatione ſui tædeat peccatores voluptatum, & inde ſcelerum: nec enim tam contumacis placiditatis voluptas eſt, vt diu ſuſtentet ſuum florem. Reſeruat igitur Deus miſericordiæ iniuſtos per inducias ſuæ iuſtitiæ, &, vt diuinus Hilarius ait, *diſſimulat, & differt, & patientiæ ſolatium dilatione vltionis expectat; ſuauem ſe omnibus præſtans, dum per miſericordiæ & iuſtitiæ modum, temperandæ ſeueritatis indulgentia ſe reſeruat.* In Pſal. 144.

Si autem aliqui guſtent aſſiduo perire interitu marceſcentium etiam affectuum & libidinum, ſolo conſuetudinis placentium titulo; tolerat illos Deus ad aliorum fugem, vt periculo malignitatis in alieno capite facto feliciſſimè cauti, aut reſiliant à vitiis in imagine ſuâ damnatis, aut properent ad virtutem prouocati deformitate, aut iniuriis peſſimorum. Non enim parum iuuant mali bonos, dum offendunt; quorum ampliant patientiam ampliſſimum meritorum penum. Quare Dionyſius veriſſimè ait: *Nihil prouidentiæ gubernatione deſeritur; ſed his quoque qui mali fiunt, prouidentia benè vtitur ad aliquam vel ipſorum vel aliorum ſiue priuatam ſiue publicam vtilitatem.* Tolerat Deus malos bonorum vſu; nec inutiles ſunt paleæ in aurificis camino. Pontifex Calliſtus primus ad Benedictum Epiſcopum ſcripſit: *Nullus bonorum inimicum habet niſi malum, qui ideò eſſe permittitur, vt aut corrigatur, aut per ipſum bonus exerceatur.* Præter hæc, cauſſam agit iuſtitiæ diuinæ cunctans miſericordia, vt veriſſimum ſit illud Corippi:

In laudem Iuſtini.

—— Iuſti vindex, corrector iniqui,
Cenſuram grauitate regens, multóque rigore
Terribilis, mitique magis pietate tremendus.

Poſt diu expectatam pœnitentiam rigor plauſibilis eſt, cuius ſemper ius integrum; nec refert quòd lentè acquirat. Iuſtitia diuina imitatur horologium, cuius index videtur ſtare, & tamen procedit. Sol quoque præceps in occaſum, aſpectui ſemper ſe præbet conſtantem. Accedit, deteriorem &, vt ſic dicam, punitiorem eſſe malis ipſam impunitatem, eâque acerbiùs plecti ipſâ felicitate malitiæ. Boëtius ait: *Multo infeliciorem improbi ſunt iniuſtâ impunitate donati, quàm iuſtâ vltione puniti.* Etenim, quod incredibile cuiquam fortè videatur, infeliciores eſſe neceſſe eſt malos, cùm cupita perfecerint, quàm ſi ea, quæ cupiunt, implere non poſſint: nam ſi miſerum eſt, voluiſſe praua; potuiſſe, miſerius eſt, ſine quo voluntatis miſeræ langueret affectus. Itaque cùm ſua ſingulis miſeria ſit, triplici infortunio neceſſe eſt vrgeantur, quos videas ſcelus velle, & poſſe, & perficere. Lib. 4. de Conſol. proſ. 4.

Capvt XX.

Cur mali ſint plures quàm boni.

At dubitari poteſt, cur malorum tanta vbertas ſit, atque anguſtiſſimus optimorum numerus? Hoc in hominibus, vbi exercitio opus eſt, diſquirendum, non in Angelis. Pauci ex ſpiritibus ſunt perditi, ſi ceteros compares. non eadem ratio hominum. Eleganter Auguſtinus inquit: *Magna materies eſt purgationis bonorum, abundantia malorum. Nec mihi volo dicas: Saltem eſſet propter exercitationem noſtram vt eſſent mali, pauci eſſent mali, & boni multi eſſent. Non attendis, quia ſi pauci eſſent mali, multis non nocerent? Vtique conſidera vir prudens, quia ſi multi boni eſſent, & pauci mali eſſent; pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent. Nunc verò quia multi ſunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos: & cùm laboratur, ſudatur; & cùm ſudatur, aurum purgatur.* Hæc Auguſtini ratio. Poſſunt alia ex ſuperioribus quæſtionibus hunc transferri: ea tamen reſcribere non eſt opus. Ser. 254. de Tempore.

Appendam dumtaxat reſponſum ad eos qui putant malorum hominum exceſſu diuinum imminui honorem; hoc autem repugnat prouidentiæ, omnia pro Dei gloriâ meditanti. His optimè ſatisfaciet pulchra S. Anſelmi commentatio. *Dei honori*, inquit, *nequit aliquid, quantum ad illum pertinet, addi vel minui. idem namque ipſe ſibi honor eſt incorruptibilis, & nullo modo mutabilis. Verumtamen cùm vnaquæque creatura ſuum & quaſi ſibi præceptum ordinem ſiue naturaliter, ſiue rationaliter ſeruat, Deo obedire, & Deum dicitur honorare, & hoc eſt maximè rationalis natura, cui datum eſt intelligere quod debeat. Quæ cùm vult quod debet, Deum honorat: non quia illi aliquid confert, ſed quia ſponte ſe eius voluntati & diſpoſitioni ſubdit, & in rerum vniuerſitate ordinem ſuum & eiuſdem vniuerſitatis pulchritudinem, quantum in ipſâ eſt, conſeruat. Cùm verò non vult quod debet, Deum, quantum ad ipſam pertinet, inhonorat, quoniam non ſubdit ſe ſponte eius diſpoſitioni, & vniuerſitatis ordinem & pulchritudinem, quantum in ſe eſt, perturbat, licet poteſtatem & dignitatem Dei nullatenus lædat aut decoloret. Si enim ea quæ cæli ambitu continentur, vellent non eſſe ſub cælo, aut elongari à cælo; nullatenus poſſent, niſi ſub cælo eſſe, nec fugere cælum, niſi appropinquando cælo. Nam & vnde, & quà, & quò, & quà irent ſub cælo eſſent; & quantò magis à qualibet parte cæli elongarentur, tantò magis oppoſitæ parti appropinquarent. Ita quamuis homo vel malus angelus diuinæ voluntati & ordinationi ſubiacere nolit, non tamen eam fugere valet: quia ſi vult fugere, de ſub voluntate iubente currit ſub voluntatem punientem. Et ſi quæris quà tranſit, non niſi ſub voluntate permittentis: & hoc ipſum quod peruerſè vult, aut agit, in vniuerſitatis præfatæ ordinem & pul-* Lib. 1. Cur Deus homo c. 15.

chritu

chritudinem ſumma ſapientia conuertit. Idem Anſelmus paulò ante dixit: *Deum impoſſibile eſt honorem ſuum perdere. aut enim peccator ſponte ſoluit quod debet, aut Deus ab inuito accipit. Nam aut homo debitam ſubiectionem Deo ſiue non peccando, ſiue quod peccat ſoluendo, voluntate ſpontaneâ exhibet; aut Deus inuitum ſibi torquendo ſubiicit: & ſic ſe Dominum eius eſſe oſtendit: quod ipſe homo voluntate fateri recuſat. In quo conſiderandum eſt, quia ſicut homo peccando rapit quod Dei eſt, ita Deus puniendo aufert quod hominis eſt. quippe non ſolùm id alicuius eſſe dicitur quod iam poſſidet, ſed quod in eius poteſtate eſt vt habeat. Quoniam ergo homo factus eſt, ita vt beatitudinem habere poſſet, ſi non peccaret: cùm ergo propter peccatum beatitudine & omni bono priuatur, de ſuo, quamuis inuitus, ſoluit quod rapuit: quia licet Deus hoc ad vſum ſui commodi non transferat quod aufert; ſicut homo pecuniam quam alij aufert, in ſuam conuertit vtilitatem: hoc tamen quod aufert vtitur ad ſuum honorem per hoc quia aufert. Auferendo enim peccatorem, & quæ illius ſunt, ſubiecta ſibi eſſe probat.*

Quin, ſicut Dei honos integer eſt cum multitudine illum inhonorantium: ita & eius voluntas tandem impletur, cùm eam tot ſceleſti non impleant. Hoc demiratus Auguſtinus ait: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius: & tam ſapienter exquiſita, vt, cùm Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, quâ factum eſt quod Creator noluit, impleret ipſe quod voluit, benè vtens & malis, tamquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam; & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea namque magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi non fineret; nec vtique nolens ſinit, ſed volens. nec fineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.* (In Ench. cap. 100.)

CAPVT XXI.

Cur aliqui, qui diu ſanctiſſimè vixerunt, tandem damnati ſunt?

QVoad peccatorum permiſſionem, dices, rationabilem videri, non tamen in omnibus: in iis ſcilicet, qui totam ferè vitam ſanctiſſimè vixerunt, quos demum in exitu vitæ permiſit Deus labi, & æternis mulctauit cruciatibus, cùm dudum amici & grati ei fuerant. Hoc, fateor, tremendum: ſed & ideò rationabile, ſed & ideò non indignum Deo, imò digniſſimum prouidentiâ diuinâ ad multos vſus. Oportuit humiles nos ſemper eſſe, & imbecillitatem noſtram perſpectam verſare, atque nihilitatem (ſic dixerim) familiarem & ad manum habere, cogitantes nihil nos ex nobis poſſe. Vbi autem euidentiùs noſtra infirmitas panditur, quàm hoc permiſſu? Ex lapſu illius Monachi, qui illæſus ardentes prunas nudo calcauerat pede, fortaſſe ſalus pendebat S. Pachomij, S. Palæmonis, & plurimorum Monachorum ſub Pachomij inſtitutione ſanctiſſimorum. Inde humilior ipſe Pachomius, inde ardentior, & omnium virtutum magis ſtudioſus. Pauciſſimi tamen ſunt qui in exitu vitæ pereunt, poſt veteranam pœnitentiam. nam frequentiſſimum mortis archetypum videmus vitam. prout viuimus, morimur: apparatus enim noſtri exitus, præcedens conuerſatio eſt. At omnium humilitas exigebat, vnius vel alterius periculo erudiri. commune bonum poſtulabat, priuato capite inſtrui. ideò aliqui in portu naufragium fecere, ad ſalutem primorum, ad diſciplinam timoris, ad eruditionem humilitatis, ad manifeſtationem ſupremæ Dei dominationis, ad oſtendendas miſericordiæ eius diuitias. Tum, ſicut tota hæc vita campus meritorum eſt, ſic & ſtadium pugnæ. S. Theodorus Studita ait: *Quamdiu in hac carne ſumus, præſtò eſt bellum: neque enim fuerit virtus, niſi præſens ſit bellum.* (Serm. 118.) Si tempus virtutis & belli, ergo periculi. vnde hoc conſtaret, niſi aliquos videremus in omni vitæ tempore perire?

Præterea Dominus ſuæ gratiæ Deus eſt. Cuiuis è ſuo cenſu diſpenſare, prout libet, licet: ánne Deo ſolùm non licebit iuſtiſſimè alicui negligenti negare, quod non debet? Solo exercitio ſui iuris, non modò licitum hoc eſſet, ſed honeſtiſſimum: quantò magis vt pluribus det, & prout gloriæ ſuæ expedit, & omnium inſtructioni? Vt diſcamus hinc pretioſiſſimam veritatem, ſummè honorificam Deo, quæſtuoſiſſimam nobis, nihil nos ſine Deo poſſe, & maximè neceſſariam eius gratiam exordio noſtrorum operum, & perſeuerantiæ, & fini. Lapſus Memnonis plures inſtruxit, tum narratus ſimpliciter, tum à S. Theodoro Studitâ inculcatus ſermone habito ad monachos. Nec minùs Heronis cuiuſdam ruina, per quinquaginta annos ſanctiſſimi, vtilis multis fuit. publicatum eius præcipitium multos detinuit. Nunc adhuc coërcet in humilitate commendatum à Caſſiano in Collatione ſecundâ Abbatis Moyſis. Alij quoque Sanctorum caſus qui reſipiſcunt, vtiles ſunt, non tantùm iis ipſis, ſed aliis. D. Auguſtinus ait: *Quorumdam ſanè exempla, quos peccaſſe legimus, non ideò ſcripta dicit, qui ſanum ſapit, vt ad deſperationem non peccandi valeant, & ſecuritatem peccandi nobis quodammodò præbere videantur; ſed vt diſceremus vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapſibus non deſperandam ſalutem.* (Cap. 35. de Naturâ & grat. contra Pel.)

Ideò etiam in exitu, quandoque aliquorum peſſimorum miſertus Deus, vt latronis ſuæ ignominiæ ſocij. Oportebat fabricare ſpem omnibus ex nonnullorum qui peſſimi fuerunt ſalute; quemadmodum & timorem ex aliquorum pridem bonorum exitio. Maximè autem eruditio noſtra exemplum eſt. alieno periculo diſcimus fortunatiſſimè.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt XXII.

Cur Deus vni potiùs quàm alteri ſuam gratiam largiatur.

QVæres autem cur vnius latronis miſertus
Chriſtus, alterius non? æquè vterque
comes ſupplicij. cur Eſaū Deus odio habuit,
Iacob autem dilexit? cur multis negat gratiam,
diſpenſat alijs? Altiſſimum hoc prædeſtinatio-
nis arcanum rogatus B. Ægidius, reſpondit:
Sufficit mihi littus maris ad lauandum pedes,
manus, & totum corpus. Diuus Auguſtinus in-
4. ad Bonif ſcrutabile putauit. Ipſa eſt quæſtio, quam bea-
cap. 7. tus Apoſtolus curioſiùs quàm capaciùs propo-
Rom. 12. nentibus ait: *O homo, tu quis es qui reſpondeas*
Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit:
Quid me feciſti ſic? Ipſa eſt quæſtio, quæ ad il-
lam pertinet altitudinem, quam perſpicere vo-
lens idem Apoſtolus, quodammodò expauit, &
exclamauit: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ &*
ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iu-
dicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim
cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius
eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur
ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt
omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen. Non itaque
iſtam ſcrutari audeant inſcrutabilem quæſtio-
nem, qui meritum ante gratiam, & ideò iam
contra gratiam defendentes, priores volunt da-
re Deo, vt retribuatur eis; priores vtique dare
quodlibet ex libero arbitrio, vt ſit gratia retri-
tribuenda præmio: & ſapienter intelligant, vel
fideliter credant, etiam quod ſe putant priores
dediſſe, ab illo, ex quo ſunt omnia, per quem
ſunt omnia, in quo ſunt omnia, percepiſſe. Cur
autem iſte accipiat, ille non accipiat, cùm am-
bo non mereantur accipere; & quiſquis eorum
acceperat, indebitè accipiat; vires ſuas metian-
tur, & fortiora ſe non ſcrutentur: ſufficiat eis
ſcire quòd non ſit iniquitas apud Deum. Cùm
enim nulla merita inueniſſet Apoſtolus, quibus
Iacob geminum apud Deum præcederet fra-
Rom. 9. trem: *Quid ergo dicemus,* inquit, *numquid ini-*
quitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit:
Exod. 33. *Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam*
præſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis, ne-
que currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Gratia ſit
ergo nobis eius gratuita miſeratio, etiamſi hæc
profunda inſoluta ſit quæſtio. Quæ tamen ha-
ctenus ſoluitur, quatenus eam ſoluit idem Apo-
Rom. 9. ſtolus, dicens: *Quòd ſi Deus volens oſtendere*
iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit
in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum, vt
oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ,
quæ præparauit in gloriam. Ita quippe non red-
ditur, niſi debita, ne ſit iniquitas apud Deum;
miſericordia verò etiam, cùm præbetur indebi-
ta, non eſt iniquitas apud Deum. Et hinc in-
telligunt vaſa miſaricordiæ, cùm gratuita illis
miſericordia præbeatur, quòd iræ vaſis, cum qui-
bus eſt eis perditionis cauſſa, & maſſa commu-
nis, ita debita & iuſta rependitur.

Certè, ſi licet Deo de ſuo ce[illegible]u plus aliquid
quàm pupillo, non eſt quid interroges. Licet
ſupremæ Maieſtati quod vult, è patrimonio
ſuo, gratiâ, miſericordiâ, omnibus omnia con-
ferre. Quis enim niſi amens putauit Deum ini-
quum, ſiue iudicium pœnale inferat digno, ſi-
ue indigno conferat miſericordiam? Cùm lar-
gitur gratiam, per miſericordiam hoc facit; cùm
negat, per iudicium. Vult vni largiri, non alij:
non eſt opus ratione aliâ, cùm rationem alij
redditurus non ſit. Voluntati eius quis aliquâ
reſiſtet ratione? quis arguet? quis refuta[illegible]it?
quis conuincet? nec enim eius voluntas ſine
ratione eſt, cùm ſit illi pro ratione voluntas,
imò ipſa voluntas ratio. Non potes iuſtè queri
de vicino tuo, quòd neget tibi, quòd dederit
extraneo, ſi neutri debuit: cur Deo minor li-
centia erit, cùm ſit ſumma poteſtas, ius, arbitrium
eorum quæ licent? Non deſideras rationem ab
homine, cùm homo redditurus ſit rationem aut
homini aut Deo: cur à Deo exigis, qui exem-
ptus iure & omni iudicio eſt? Hominis voluntas
ſufficiens tibi ratio viſa, vt pallium & ſupelle-
ctilem ſuam præbeat cui libeat, cùm non ſit
humana voluntas regula, nec ratio, ſed dirigenda
ſit ad diuinam: quantò magis diuina voluntas
ſatis erit, cùm ipſa ſit regula & amuſſis rationis
atque omnium creatarum voluntatum, cui de-
bent conformari? ipſa autem ſine collatione al-
terius, ſine conformitate alterius, regulata eſt,
ſcilicet regula eſt. nihil enim regulatius regulâ,
nihil rationalibus ratione. *Summa iuſtitia vo-* De Prouid.
luntas Dei eſt, Saluianus dixit. At ſi vis adhuc
aliam rationem quàm voluntatem, id eſt, quàm
iſtam rationem; certè vtique eſt, exercitium ſui
iuris, oſtenſio dominatus ſui ad humilitatem
noſtram, ad timorem, ad reuerentiam ſuæ ma-
ieſtatis, ad incrementum gloriæ, ad gratificatio-
nem noſtram. Prô! in quales effunderetur gratia-
rum actionis affectus is, qui ſe videt diuinis reſ-
pectum oculis, nulla ex ſe præcedente cauſſâ,
nullâ ratione, cur ſe magis quàm alium reſpe-
ctaret miſericordia; imò cùm ſe videt minùs
meruiſſe? Vnde, quæſo, exclamaret Apoſtolus:
O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!
ſi hoc non ita fieret? vnde ſupremum Dei do-
minatum miraretur, ſi hoc non videret? Quare
hoc ipſum quod miramur, non inueniri ratio-
nem, cur vnius potiùs quàm alterius miſereatur
Deus, eſt maxima ratio, vt ſcilicet miremur.
hæc ſufficiens & iuſta & debita ratio, admiratio
Dei. Nam quid in hoc miramur, niſi vſum ſu-
premi dominij? Hoc quidem debebamus noſſe,
ſuſpicere, venerari, timere, mirari, adſtupere.
Nam ſi miſericordia Dei debuit aliquibus effe-
ctibus clarere hominibus, ſi bonitas, ſi ſapien-
tia, ſi potentia; cur non & dominatio? Qui
enim diuinæ diſpoſitionis cauſſas ſcire velit, &
iuſtiſſima decentiſſimaque omnia Dei opera fa-
teri, & ſuſpicere, cauſſam omnium diuinorum
operum memoriæ commendet. Omnia propter
ſemetipſum operatus eſt Dominus. neque de-
cuit aliter operatum eſſe, niſi ad honorem ſuum,
vt gloria tantæ maieſtatis pateret creatis aut
creandis mentibus: & quo pacto gloria Dei
pateret, niſi perfectiones eius paterent? Hinc
fit, cùm diuerſæ ſint diuinæ perfectiones, di-
uerſa quoque eſſe Dei opera; alia, vt miſericor-
dia monſtraretur; alia, vt iuſtitia; alia, vt ſa-
pientia; alia, vt potentia; alia, vt dominatus
& ius ſupremum. Hinc reſpondebimus pro-
poſitæ quæſtioni, ac penè omnibus quæ circa
diuinam prouidentiam poſſunt inquiri. Quid
quæris,

Digitized by Google

quæris, quid miraris, cur non Deus permittat mala? nonne hoc oportebat vt ſapientia & omnipotentia Dei illuſtraretur, qui ſcit & poteſt ex malis bona carpere maiora? Quid obſtupeſcis, quòd miſericors Dominus æternis cruciatibus miſeros peccatores perdat? nónne Deus iuſtus eſt ſicut & miſericors? cur iuſtitia diuina ignota debebat eſſet, non ſuâ quoque pompâ elucere, cum tanta perfectio ſit iuſtitia Dei, quanta miſericordia? Quid hæres, quòd v[illegible] potiùs quàm alteri largiatur gratiam? nónne ſicut Deus iuſtus, & miſericors, & ſapiens eſt, ita & Dominus? cur non ſupremus dominatus aliquem vſum debuit habere? Et vnde hoc, niſi in hoc eſſet illi pro ratione voluntas? Iuſtiſſimè ergo & rationabiliter cuius vult miſeretur Deus, & quem vult obdurat. *Miſeretur*, Auguſtinus ait, *magna bonitate, obdurat nullâ iniquitate* (& hoc propter oſtentationem decentiſſimam ſui dominatus) *vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat maſſant ab origine ducta cauſſa communis. Hoc autem qui eo modo audit, vt dicat, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit? tamquam proptereà malus non videantur eſſe culpandus, quia Deus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat: abſit vt pudeat nos hoc reſpondere, quod reſpondiſſe videmus Apoſtolum: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſâ facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hoc enim loco quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe, & inopiâ reddendæ rationis repreſſiſſe contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum eſt: O homo, tu quis es? Et in talibus quæſtionibus ad ſua capacitatis conſiderationem reuocat hominẽ verbo quidem breui, ſed re ipſâ magna eſt redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis eſt qui reſpondeat Deo? ſi autem capit, magis non inueniet quid reſpondeat. videt enim, ſi capit, vniuerſum genus humanum tam iuſto iudicio diuino in apoſtaticâ radice damnatum, vt etiamſi nullus inde liberaretur, nemo rectè poſſet Dei vituperare iuſtitiam: & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari: vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iuſtiſſimâ derelictis, oſtenderetur quid meruiſſet vniuerſa conſperſio, & quò etiam iſtos debitum iudicium Dei duceret, niſi eius indebita miſericordia ſubueniret: vt volentium de ſuis meritis gloriari, omnis os obſtruatur: & qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.*

Cap. 99. Enchir.

Fatebitis hoc ipſo quòd Deus velit, rationabile eſſe: nec iam exquirandam rationem, ſed cauſam. Nam poteſt quod cum ratione factum, neſciri cum quâ cauſâ. Certè ex nobis nulla eſt cauſſa gratiæ: liberalitas & libertas Dei ſolùm cauſſa eſt, ſcilicet voluntas: voluit, ſatis eſt; vt diſcamus humilitatem noſtram, & reuereamur maieſtatem eius. Iam & hæc cauſſa erit, ſi deſideras aliquam libertatis & voluntatis eius. Sunt prætereà cauſſæ in alijs noſtræ gratiæ; cum viri ſancti, cum ſanctiſſima Sanctorum Virgo Saluatoris Mater pro nobis potius orarunt. At ex nobis nulla cauſſa, nulla ratio nullum meritum, nulla occaſio anteceſſit, quod auctaret gratiam primam. ad ſecundam poteſt eſſe, non non tamen ſine gratiâ.

CAPVT XXIII.

Cur Angeli lapſi redempti non fuerint.

IDem de miſericordi reparatione è lapſu ſceleris, quod de primâ elargitione gratiæ cenſendum eſt. Licet Deo iure ſuo vti; lubet aliquando; & oportebat iuſtitiæ exẽplo erudire multos. Circumſtant ſæpè alia quæ locupletiſſimè cauſſentur diuinum iudicium. Pro multis ſit angelicæ ruinæ deſpectus, & humani lapſus felix reparatio. multa ſunt in his quæ exaggerent diuinam prudentiam, & rationabiliſſimum explanent conſilium. Dedecebat primum Dei contemptum ſuo rigore non compenſari, ne ipſa miſericordia auſpicaretur ſcelera. Semper prima delicta ſuſtinent impetum iuſtitiæ. Hoc ſolemne eſt prudentiſſimis latoribus legum, totam ſeueritatem in primos exonerare tranſgreſſores, in magiſtros peccandi. Brutus recentem libertatem patriæ etiam filiorum ceruicibus ſuſtentauit: Alexander auſpicia Perſici imperij dedicauit Beſſi iugulo: Salomon rex Pacificus hunc titulum impetrauit primis Adoniæ fratris conſanguinei & Ioabi ſuppliciis. Angeli quoque malignitas indignior veniâ fuit. non inductus ab alio, non paſſione correptus; ſciens volenſque deliquit. Ad hæc, hebetior humana mens, & tardior; Angelica perſpicacia acrior, & ſine mole carnis. dignitatem ſceleris hoc cumulat. Quare Alcuinus dixit: *Angelus ſui ſceleris inuentor fuit; homo verò alterius fraude ſeductus. Item quantò ſublimior Angelus in gloriâ, tantò maior in ruinâ. Homo verò quantò fragilior in naturâ, tantò facilior ad veniam.* Accedit Iobius monachus ſic dicens: *Nobis quidem noſtra cum corpore coniunctio venia cauſſam præbet: illis verò quanto corpore præſtantiores habentur, tantò etiam minùs deprecabilis caſtigatio infligitur. Quamobrem & vas electionis ait: Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia? & ſancti mundum iudicabunt. Nimirum craſſa huic carni alligati, ſed quæ meliora ſunt rectè peragentes, liberos illos à corporeis vinculis, ſed qui aut non paria noſtris, aut peiora etiam patrant, iudicamus atque compeſcimus, minore cum poteſtate quod melius erat perficientes, præ iis qui maiorem facultatem obtinebant.* Hæc Iobius. Tum non tota natura Angelica periit, ſicut elapſa humana. reſtabat maxima Angelorum portio tuta: genus tamen noſtrum in ſtirpe corruptum funditus. homines quoque alienâ culpâ; Angeli propriâ deliquere. nec ita remuneranda erat voluntas aliena, ſicut propria. Angelica ruina emendari ex hominibus potuit: humana vnde fortaſſe inſimularetur à dæmone infirmitatis Deus ob vtriuſque naturæ iacturam, quaſi impotens ſarcire: nec oportebat gloriari æmulum, quòd interciperet conſilium diuinum ſufficiendorum hominum pro Angelis, ſed potiùs pudere ſui, ſpoliari ab hominibus. Quod fortaſſe celebrauit Sapiens, cùm dixit: *Iuſti tulerunt ſpolia impiorum*, Ipſi quippe *Angelo*, ait Sello *qui*

Quæſt. in Gen.

Lib. 3. de Verbo incarnato.

Sapient. 10.

In Alleg.

primus

Digitized by Google

primus conditus eſt, per Prophetam dicitur, Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, &c. *Quod operimentum tunc perdidit, cùm per ſuperbiam deiectus, ſanctorum Angelorum ſocietatem amiſit.* Sed hæc ſpolia iuſti tollunt, cùm per pœnitentiam ſemetipſos cruciantes, & crudeles ſibimet exiſtentes, conſortium Angelorum, quod illi per ſuperbiam amiſerunt, per pœnitentiam aſſequuntur. Sed & cùm aliquem verbis & exemplis de peccato ad iuſtitiam conuerti faciunt, quaſi ſpolia ſua dæmonibus impiis tollunt.

Prætereà cùm interitu noſtro caſſa eſſet tota conſtructio mundi, humanis vſibus dicata, inutilis deinceps. Maior quoque opportunitas fuit explicandæ diuinæ bonitatis, caſus humanus, hominem-Deum expoſtulans ſuo ſtatui. non ita honoraret Deus omnes creaturas factus Angelus, ſicut factus homo. Relinquo inclinationem Dei, & guſtum humilitatis, vt deſcenſus maior maiorem explicaret maieſtatem. at tota plebs creaturarum ingloria & obſcura maneret: ſortita iam omnis eſt gloriæ fruſtum, nam homo fruſtum eſt omnium.

CAPVT XXIV.

Cur Deus creauit illos Angelos & homines, quos cognoſcebat damnandos.

HAnc quæſtionem dixit Trithemius immenſæ curioſitatis, & multos video in hoc anxios, aut nimis demiratos, cur Angelos creauerit Deus conſcius eorumdem damnationis; cur item homines condiderit, ſuperaturos aliquos turbam dæmonum ſupplicio; cur Adamum paradiſo colonum præfecerit, tam breuî exturbandum; cur Iſcariotem in Apoſtolum allegerit, proditionis Filij ſui præſcius? Præmitto S. Hieronymi reſponſum: *Vis ſcire rationem? Deus præſentia iudicat, non futura; nec condemnat ex præſcientiâ, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſteà diſpliceat; ſed tanta bonitatis eſt & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis & pœnitentiæ.* Hæc ille. nobis tamen non eſt animus libertatem arbitrij cum diuinâ præſcientiâ nouo coniugare fœdere; ſatis hæc amicant, cùm ſcientia Dei ſequatur futura, non efficiat. Ideò Deus noſcit futura, quia futura ſunt; non tamen futura ſunt, quia noſcit. At hoc quidem non ſpectat ad diuinos mores, quos nunc tantùm commendare lubet, & cauſſari cur rationabiliſſima omnia facta Dei, ſancta, benefica, admiranda. Et quidem huic quæſtioni in præcedentibus ſatisfactum eſt: nam ſi licet damnare ſceleſtum, licebit Deo creaſſe, quem prænouerat damnandum. ſi licet permittere ſcelera, licuit Deo condere illum, cuius ſceleris conſcius fuerat. At non tantùm hæc licere, ſed & expedire diximus etiam beneficentiæ & miſericordiæ Dei. Non igitur eſt cur plùs demiremur creaſſe Deum exornatos gratiâ Angelos, vt perenni ſecum contubernio eos bearet, licet videret ingratos futuros. Summa potiùs beneficentia eſt, conferre beneficia, & aliquando perdere. cùm conſcientia ingrati animi non obſtet animo liberali, Deus conſcius ruinæ angelicæ, Angelos condidit; non vt ruerent, ſed vt erigeret, & in amplexus ſuos dulciter admitteret: ſua ipſos culpa præcipites egit. Illud tamen licet Deo, imò laudi eſt. Licet cuique vti iure ſuo, maximè Deo, cui ſine iniuria maieſtatis licuiſſet, ad ſupremi iuris ſui demonſtrationem, omnes creaturas inſontes etiam æternis cruciatibus affligere. Quid miramur, ſi beneficâ voluntate condiderit aliquos ob ſcelera ſua affligendos, non vt affligeret; & quòd damnet iuſtitia, quos bonitas creauit ipsâ bonitate & iuſtitiâ abuſos? Ceterùm innocentiſſimi & beneficentiſſimi fines aut cauſſæ ſunt, vt non abſtineret earum creatione: nam nouerat ipſarum periculo attributa ſua publicanda, in ipſis peccaturis iuſtitiam ſuam, in aliis miſericordiam, cùm pereuntium exemplo feruidiores multi, arctiùs virtutem amplexentur, denſent ſoliciti merita, & in magnam ſanctimoniam & ſecuritatem conſurgant; cùm ex his malis exprimat Deus optima, & eruat velut ex inſulſo cortice dulcem nucleum. Prætereà Angeli beati ſeruiunt nobis, licet peſſimis. Quid mirum, ſi & homines damnandos velit Deus ſeruire filiis ſuis, & cohæredibus Chriſti? ſeruiunt & ipſi ſpiritus damnati, ſeruiunt quoque in temporalibus ſerui Dei & probi ſceleſtis: ne mirere; ſi in æternis ſeruiant peſſimi Sanctis, & proptereà Deus ab illorum non abſtinuerit creatione. Idoneè Gerſon dixit: *Velut animalia propter homines creata ſunt ad obſequiorum varietatem, illa blandiendo, iſta ſæuiendo; intelligere ſic habemus propter electorum ſalutem præſcitos eſſe formatos, ſiue nocere ſiue obſequi conentur, vt non glorietur omnis vel obſequens electis, vel aduerſans eis. Nouerat Deus ſceleſtos vſui futuros prædeſtinatis, tum ad vitam temporalem, tum æternam. quare propter electorum vtilitatem non inutiles omnino ſunt. Cadaueris morticini adipem iuſſit Deus haberi in varios vſus. Nam etiam ij qui ſuis mortuis peccatis ſunt, ſanctorum vitæ ſeruiunt. aliena adhuc malitia vtilis eſt filiis Dei.* Argutè Radulphus ſcripſit: *Adipes eorum ſunt varij affectus, quibus amatores huius mundi, qui Deo mortui ſunt, rapiuntur. Hos comedere quidem non debemus, quia eorum praua deſideria ab omni mundâ conſcientiâ repellenda ſunt. In vſus varios habere præcipimur. Huiuſmodi quippe homines ſibi inutiliter viuunt, ſanctorum tamen vtilitati deſeruiunt. Verbi gratiâ, non poſſunt ſibi multi filiorum Dei domos ædificare, non poſſunt arare, & ſerere, nec veſtes ſibi texere valent. Cùm his igitur indigeant, nec tamen ſibi hæc valeant præparare; prouidit miſericordia diuina, quæ etiam malis benè vti ſolet, vt eſſent aliqui ſæculi amatores. qui licet carnali intentione hæc didicerint, accepto tamen pretio, in huiuſmodi ſæculi neceſſitatibus obſequantur. Ipſi quoque, qui irâ & odio contra bonos deſæuiunt, bonorum militant vtilitati, dum patientiæ virtute exercitatis præmia æterna multiplicant. Inde namque eſt, quòd ipſe humani generis inimicus, dum contra Chriſtianum nomen infremuit, tot Martyrum millia ſuâ inſaniâ coronauit. Saga cilicina tabernaculi plura quàm cortinæ erant, & longiora, ſed cum vſu ſuo, ad operiendum tectum illius, & protegendum alias pretioſiores partes. Quoniam*, inquit S. Bruno, *peccatores*

Lib. 3. contra Pelag.

Lib. 1. de Conſ. Theol. proſâ 4.

Leuit. 7.

Exod. 26.

Digitized by Google

peccatores & plures ſunt, quàm iuſti, & magis diuitiis & honoribus ſublimati. Hæc tamen ſectum operiunt: hæc à grandinis & pluuiarum iniuriis tabernaculum defendunt: quoniam ſi monachi & ſacerdotes omnes eſſemus, facilè à Sarracenis & prædonibus Eccleſia conculcaretur. Vnde pro regibus, & ceteris qui in ſublimitate ſunt poſiti, orare iubet Apoſtolus, & membra contemptibilia magis neceſſaria Eccleſiæ dicit.

Capvt XXV.

Cur illos permittat Deus damnari, quorum laboribus multi ſalui ſunt facti.

CReauit quoque Deus plures, conſcius licèt interitus eorum, vt lucraretur plurimos, quos nouerat eorum ope ſalutem obtenturos. Quis dixerit cur Origenes natus, cur Lucifer Calaritanus, cur Tertullianus, cur Euſebius Cæſarienſis, in multis benè meriti de Eccleſiâ aliquando, quorum ſcriptis aut operâ multi firmati, & ſalutem conſecuti? Quis dicet fruſtrà fuiſſe Socratem, Platonem, Ariſtotelem, Epictetum? nónne digna cauſſa eſt, vt hi fuerint, ampliſſimum ex eis bonum in fidelibus, & ſanctis, & electis Dei? Idem dico de aliis, quibus non ad ſuum, ſed ad aliorum vſum Spiritus ſanctus conceſſus. Quod argutè obſeruauit Guillielmus de Cailloë ex trinâ ſancti Spiritus miſſione, in columbâ, in nube, in igne. *Tribus*, inquit, *etiam modis Spiritus ſanctus inuiſibiliter apparuit. Aliis datur in munus, & non in vſum muneris; aliis in vſum muneris, & non in munus; aliis ſimul in munus, & in vſum muneris. Primi ſunt boni, ſed imperfecti; ſecundi, mali; tertij, boni & perfecti. Et primi quidem columbinâ ſimplicitate gemunt ſibi: ſecundi verò nubium more compluunt multos, in ſe autem rapiuntur in arida, in magnis & mirabilibus ſupra ſe, & diſſipantur à ventis. Tertij pariter incendunt, & ardent ſanctorum deſideriorum ſtimulis; in ſe nutrientes amoris incendia, & eloquiis Dominicis alios inflammantes.*

At, dices, quæ tanta cauſſa fuit, vt illos Patres quondam Eccleſiæ aut damnaret Deus, aut certè incurrere paſſus ſit in damnationis interitum? Certè iuſtitia Dei ſecura eſt. fortaſſe, quia vel ingrati Deo, vel elati, vel abuſi diuinis donis. Quantò enim dignitas ſacerdotij præſtat, negligentia noſtra, & incuria noſtri ordinis Deum prouocat. Quia Deus ſanctiſſimos nos vult, humillimos quoque vult: & humilitatem noſtram præmuniuit tot periculis, tot damnis, tot conſacerdotum lapſibus, quos ad aliorum exemplum permittit damnari. Multis ideò reuelationibus eorum interitum promulgauit. Ludolphus de Saxoniâ hæc narrat: *Clericus quidam in Synodo Epiſcoporum prædicari compulſus anguſtiabatur, quidnam dignè poſſet coram tot Eccleſiæ Prælatis prædicare; & vbi acceſſurus in oratione iacebat, venit ad eum diabolus, & dixit: Quid anguſtiariis iſtis clericis prædicare? dic eis iſtud, & non aliud: Princeps inferni ſalutat Principes Eccleſiæ, læti omnes eiſdem referimus gratias, quia per eorum negligentiam ad nos ferè totus mundus deuoluitur, quia cum ipſis Præ*-

Cap. 68. de amb. & aliis Relig. defect.

latis nobis eorum ſubditi aſſeruntur. Inuitus quidem tibi dico, ſed Altiſſimi iuſſione coactus. Dionyſius Carthuſianus viſum quoque narrat Religioſi cuiuſdam Angli, mirum prorſus, quem extra ſe in ecſtaſi poſitum S. Nicolaus per varia Purgatorij loca circumduxit. Ait ergo Dionyſius, Religioſum illum, vbi ad ſe rediit, hæc inter cetera narraſſe: *Vidi ibi ſacerdotes immenſis cruciari tormentis, ardoreſque ferre intolerabiles, qui cùm incontinentiæ culpam confeſſione deleuiſſent, pœnis diuinæ iuſtitiæ debitis non ſatisfecerant. Cumque vehementer admirarer, tam paucos ſacerdotes illis fornacibus purgari, habitâ ratione multitudinis eorum qui paſſim continentiæ iura contaminant; reſponſum eſt mihi: Ideò perexiguo illic numero verſari ſacerdotes huiuſmodi, quòd vix quiſquam eorum verum animi dolorem concipit de peccatis ante mortem, propterea penè omnes addici diuino iudicio ſuppliciis ſempiternis.* Licet ergo cum D. Gregorio lamentari: *Per nos quidem fideles ad ſanctum baptiſma veniunt, noſtris precibus benedicuntur, & per impoſitionem noſtrarum manuum à Deo Spiritum ſanctum percipiunt, atque ipſi ad regnum cælorum pertingunt; & ecce nos per negligentiam noſtram deorſum tendimus. Ingrediuntur electi ſacerdotum manibus expiati cæleſtem patriam, & ſacerdotes ipſi per vitam reprobam ad inferni ſupplicia feſtinant. Cui ergo rei, cui ſimiles dixerim ſacerdotes malos, niſi aquæ baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleſte mittit, & ipſa poſteà in cloacas deſcendit?* Adiici quoque hîc poſſunt quæ præcedenti capite diximus.

Lib de quat. Nouiſs. artic 11. de purg. inferni.

Hom 17. in Euang. ſub fin.

Capvt XXVI.

Cur non omnibus eroget Deus auxilium efficax.

ILla quoque quæſtio, cur non omnes valentiſſimè iuuet Deus opportunis cogitationibus, ne peccent, dirimenda eſt ex ſuperioribus. Eadem dubitatio eſt ac illa, cur Deus peccata permittat: de quâ ſatis dictum. Hîc breuiter dumtaxat addo; iam in Purgatorio legitimum hoc eſſe: obſtricta ibi & iurata eſt locuples gratia patientibus animabus (cur non ſic illam appellabo?) Quòd autem inconſtanti lege quoſdam in hac vita iuuet diuite illa cogitatione, alios non ita inſtruat, multæ ſunt cauſſæ, arbitrium iuris diuini, conſcientia noſtri arbitrij, oſtentatio diuitiarum miſericordiæ Dei, incrementum merendi in iuſtis, aut proprio aut alieno periculo, gaudium maximum cæleſtium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. & deníque gratia eſt, non debetur. Anne multùm laborares, vt quæreres cauſſam, cur Auguſtus non omnes donarit ſicut Mæcenatem? placuit hoc; ſatis eſt. vbi non aliud ius aut ratio, ipſa voluntas ius & ratio eſt. Hanc vitam agonis ſtadium puta, vbi lapſi, vbi erecti pugiles; nec inconſultò promiſcuè gratia nunc efficax, nunc ſufficiens conceditur. Sic enim diſpoſitum eſt prudentiſſimè. in inferno nulla gratia eſt efficax, in Purgatorio tota, in hac vitâ aliqua; id eſt vtraque, & ſufficiens, & efficax.

Digitized by Google

Si amplius aliquid deſideras, audi Auguſtinum deuotiſſimè diſputantem. *Sed cur, inquit, gratia Dei non ſecundùm merita hominum datur? Reſpondeo, quoniam Deus miſericors eſt. Cur ergo, inquit, non omnibus? & hîc reſpondeo, quoniam Deus iudex iuſtus eſt. Ac per hoc & gratis ab eo datur gratia, & iuſto eius in aliis iudicio demonſtratur, quid eis, quibus datur, conferat gratia. Non itaque ſimus ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ tam multos liberat miſericors Deus de tam debitâ perditione, vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus. Ex vno quippe omnes in condemnationem non iniuſtam iudicati ſunt ire, ſed iuſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat. ſi in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam eſſe apud Deum iniquitas inuenitur. Sed cur, inquit, non ſolùm in paruulorum, verùm etiam in geminorum vnâ atque eâdem cauſâ tam diuerſum iudicium? Nónne ſimilis quæſtio eſt, cur in diuerſâ cauſâ idem iudicium? recolamus igitur illos operarios in vineâ, qui totâ die laborauerunt, & eos qui horâ vnâ: nempe cauſſa diuerſa eſt impenſi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid & hîc audierunt murmurantes à patrefamilias niſi hoc, Volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla eſſet iniquitas. Et iſti quidem vtrique in bonis ſunt; verumtamen quantum ad iuſtitiam ſpectat, & gratiam, poteſt & de reo qui liberatur, rectè dici, Volo: poteſt & de eo qui damnatur, Tolle quod tuum eſt, & vade: huic autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Hic ille ſi dicat, Cur non & mihi? meritò audiet, O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Quem certè in vno veſtrûm benigniſſimum largitorem, in te verò exactorem iuſtiſſimum, in nullo tamen cernis iniuſtum. Cùm enim iuſtus eſſet, etiamſi vtrumque puniret: qui liberatur, habet vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat.*

De Dono perſeu. c. 8.

Sunt prætereà aliæ cauſſæ negandi multis, ſaltem ad tempus, gratiam; aut vt reſipiſcant à præſumptione aliqua, aut ne in illam relabantur, aut certè ob abuſum ipſius gratiæ. Nonnulli interdum deteriores viſi poſt indulgentiorem gratiam. Guillielmus de Sancto Theodoro obſeruauit: *In quo*, inquit, *prô dolor! plurimi falluntur: qui cùm paſcuntur pane filiorum, iam ſe filios eſſe arbitrantur, & deficientes vnde proficere debuerant, ex viſitante gratiâ, euaneſcunt à conſcientia ſua, arbitrantes ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint; & de bonis non emendantur, ſed indurantur: & cùm à bono patre de pretioſiore gratia ſubſtantia paſcantur ſerui, vt affectent eſſe filij, ipſi gratia Dei abutentes, efficiuntur inimici. Et cùm ab oratione ad ſuas negligentias reuertuntur, illud vxoris Manue, etſi non ore, corde tamen ſæpiùs replicant in ſe ipſis, Si Dominus voluiſſet nos occidere, non ſuſcepiſſet ſacrificium de manibus noſtris. Hoc eſt, niſi nos Deus diligeret, non nos tanta dulcedinis gratia viſitaret.*

Iudicum 13.

CAPVT XXVII.

Cur Deus permittat tentari quem ſcit caſurum.

PAuca hîc addenda; eadem pænè eſt hæc quæſtio cum illa, cur Deus condiderit quos prænouit damnandos. Vtramque copulauit Petrus Lombardus, & ex doctrina Auguſtini ſoluit: *Non enim eſſet laudabile homini, ſi ideò benè viuere poſſet, quia nemo malè viuere ſuaderet; cum in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle, non conſentire ſuadenti, Deo iuuante: & eſt glorioſius non conſentire, quàm tentari non poſſe.* Mouentur etiam quidam dicentes: Cur creauit Deus, quos futuros malos præſciebat? quia prævidit quid boni de malis eorum eſſet facturus: ſic enim eos fecit, vt relinqueret eis vnde aliquid facerent; & ſi culpabiliter aliquid facerent, illum de ſe laudabiliter operantem inueniret. A ſe habent voluntatem malam; ab illo naturam bonam, & iuſtam pœnam. Fruſtrà ergo dicitur non debere Deus create, quos præſciebat malos futuros: ſciebat enim bonis profuturos, & iuſtè pro mala voluntate puniendos.

2. diſt. 23.

Thomas de Argentina vetuſtus & nobilis Theologus pluribus reſpondet modis propoſitæ quæſtioni: *Idcircò*, inquit, *Deus condidit & permittit hominem tentari, quem ſcit vincendum & caſurum. Quod Primò agit, quatenus Creatoris perfectio in creaturis diuerſimodè repræſentetur atque reſplendeat. Secundò, vt in his Dei ſapientia manifeſtetur, quæ ex malis multa elicit bona: Deus quippe tam bonus & ſapiens eſt, quòd non ſineret fieri mala, niſi ſciret & poſſet inde elicere bona. Tertiò, vt pietas Dei in electis refulgeat; iuſtitia verò in reprobis: & hoc in multiplici gradu, ac varia differentia diſpoſitionis Dei in rebus. Quartò, vt liberum arbitrium exerceatur, & creatura ſuam fidelitatem ad Creatorem oſtendat. Quintò, quia non decet, vt propter creaturarum ingratitudinem ac peruerſitatem Deus omittat peragere quod ſuæ eſt bonitatis. Sextò, vt maior ſit decor vniuerſi, dum oppoſita iuxta ſe poſita clariùs eluceſcunt ac innoteſcunt: verùm, vt ait Scriptura, Deus, quantum in ſe eſt, vniuerſos & ſingulos vult ſaluari, hominéſque permittit tentari, vt reſiſtendo & præualendo copioſiùs mereantur, ac glorioſiùs coronentur. Et rurſus, vt ſuas infirmitates experiantur, atque ad Creatorem confugiant, ac ſemper magis ſoliciti, timorati, & cuſtoditi permaneant.*

In 2. Sent.

Neque deſpicienda ſunt, quæ Dionyſius Rikelius Carthuſianus ad idem quæſitum commentatur. *Ipſe enim ſapientiſſimus Deus cuncta creauit, vt ſint, & benè ſint, & intellectualia, vt beata exiſtant. Taliter quoque regit, diſponit ac ordinat ea, vt ſuam ſapientiam atque illorum naturam proprietatéſque decet. cumque homo fuerit conſtitutus in vita hac tamquam viator, & miles Dei, ad honorandum creatorem ſuum in omnibus, & ad reſiſtendũ aduerſariis diuini honoris, decuit, vt Creator permitteret eum ab impiis impugnari, eumque faceret liberè reluctari. Neque ob id quod ex creaturarum fragilitate, abuſione & infide-*

In 2. Sent. diſt. 23. p. 418.

litate

Digitized by Google

litate fuerat ſecuturum, decuit infinitam bonitatem & ſapientiam Creatoris omittere quod ipſam decebat. Ordo etiam vniuerſi exigit, eſſe creaturas libero arbitrio præditas, quæ ſuos actus & motus liberè exequi permittantur. Sed & Deus altiſſimus tam bonus & ſapiens eſt, quòd non ſineret fieri mala, niſi ſciret, & vellet, ac poſſet ex illis elicere bona. In malorum etiam iuſtâ punitione, debitâ ordinatione, piâ reparatione, Deus omnipotens ſapientiam ſuam prorſus immenſam, bonitatem ac omnipotentiam glorioſè demonſtrat. Sed & oppoſita iuxta ſe poſita, & mutuâ comparatione euidentiùs eluceſcunt ac innoteſcunt: ſicque ex multiplici gradu malorum ac miſerorum, ordo, gradus & excellentia multiformis bonorum ac beatorum præclariùs emicant: perfectio, eminentia & gloria Creatoris abundantiùs repræſentantur, laudantur ac honorantur.

Eædem rationes ſatisfacient quæſtioni de allectione Iudæ in apoſtolatum; quam ita obiicit & diſſoluit Gerſon: *Cur Dominus Iudam quem caſurum ſciebat, elegit in Apoſtolum? Ego, inquit, duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt. Reſpondi quæſtionem iſtam eſſe vnam de illis, quas intuens Apoſtolus reuerenti ſilentio prætериens honorauit, exclamans: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! &c. Hoc vnum ſcimus, quòd in Iudâ non cauſſauit Deus improbã voluntatem perditionis ſceleratæ in eſſe malitiæ. Attamen ipſe hac maculatâ voluntate benè vſus eſt; tamquam Dei ſapientia attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Corripitur hîc ſtulta ambitio cordis humani, proruens impauidè ad culmina dignitatum. Quem honorem homo etiam vocatus, etiam electus à Deo, non tutè, neque ſine multo cadendi diſcrimine ſuſcipit. Teſtimonio ſunt Iudas & Saül, plurimique. Quis igitur manet exitus, dum ingerit ſe quiſpiam prece, pretio, non vocatum, non electum, vtinam non reprobatum.*

Tom. 2. Ser. ad Eccleſ. cautelam.

CAPVT XXVIII.

Cur animam puram infundat Deus corpori, cùm inde maculetur, & contrahat peccatum originis ſine actu propriæ voluntatis.

Illud fortaſſe magis crudum alicui videbitur, quod Petrus Lombardus & quærit & ſoluit. *Cur*, ait, *Deus qui fecit animam ipſam ſine maculâ, & ſcit eam ex corporis coniunctione maculam peccati contrahere, & aliquando ante baptiſmum ſeiungi ab ipſo corpore, & ſic damnari, eam corpori iungit? Reſpondemus, ex altitudine iudiciorum Dei id prouenire, & nec iniuſtè hoc à Deo fieri. ipſe enim non incongruè humanæ conditionis modum, quem à principio inſtituit, licet peccata hominum interceſſerint, ſine immutatione continuè ſeruat, corpora de materiâ à principio ſine vitio factâ fingens, animáſque de nihilo creans, eorúmque coniunctione hominem perficiens. Cùm ergo vtraque hominis natura à Deo ſine vitio ſit inſtituta, licet à ſe peccato ſit vitiata; non ideò immutabilis Deus humanæ conditionis primariam legem mutare debuit, ſine ab hominum multiplicatione deſiſtere.*

Lib. 2. Sent. Diſt. 31.

Adiiciam, quæ Ægidius Romanus & S. Bonauentura dicunt. Ille in opuſculo de Originali peccato ſic ait: *Sunt nonnulli de ſuâ intelligentiâ præſumentes, ac diuina iudicia metiri volentes, dicentes bonitatem clementiamque diuinam non debere animam corpori infundere maculato. Et quoniam humana ratio non acquieſcit, niſi dictorum ratio aſſignetur, triplici viâ oſtendo Deum iſtud decere: iuxta quod triplex bonum in rebus conſiſtit, videlicet bonum vniuerſale, ſpeciale & perſonale. Prima via hæc eſt: Ad ſummam & vniuerſalem cauſſam pertinere, principaliter procurare, intendere, perſequi bonum vniuerſale, quod eſt decor & complementum vniuerſi: ad cuius ornatum & complementum ſpectat vniuerſitas ſpecierum, inter quas ſpecies humana eſt de eminentioribus: ergo eius generatio & continuatio non fuit deſerenda propter originalis peccati diſpendium. Secunda via eſt: quoniam toti ſpeciei humanæ voluit & potuit Deus prouidere contra originalis peccati incommodum, copioſum ac ſalubre medium, vtpote vnigeniti Filij incarnationem, paſſionem ac cætera myſteria Sacramentaque, atque in Chriſto exaltauit naturam humanam ſuper omnem penitus creaturam, & de remedio contra originale ab exordio prouidit hominibus, quibus & multa ac maxima ſupernaturalia dedit chariſmata. Tertia via eſt, quia & originale peccatum eſt factum diuerſis perſonis ſpeciei humanæ occaſio amplioris gratiæ ac ſalutis, quibus diuerſa & eminentia dona gratiæ gratum facientis, ac gratiæ gratis datæ collata ſunt, prout in epiſtolis ſuis tangit Apoſtolus. Hinc exclamat Gregorius, O felix gratia, quæ talem ac tantum meruit Redemptorem! & quamuis multi tantarum non fiant participes gratiarum, hoc ex eorum negligentiâ contingit & culpâ; non ex Redemptoris defectu, qui vniuerſos ad ſuam gratiam multipliciter conuocauit.* Hæc Ægidius.

Opuſc. de Pecc. orig.

Nunc S. Bonauenturam audiamus: *Iuſtitia*, inquit, *multipliciter ſumitur. Primò, pro condecentiâ diuinæ bonitatis. Secundò, pro æquitate in meritorum retributione. Primo modo ſumendo iuſtitiam, decuit diuinam iuſtitiam vnire animam carni infectæ, ne opus creatum & læſum dimitteret irreparatum: nam & hoc decuit Deum vt conſeruatorem, cuius eſt opus ſecundùm capacitatem ipſius ſeruare in eſſe, & aliquid melius prouidere pro ipſo. ſic & ſummo vniuerſorum gubernatori iuſtum & condecens fuit, calamum conquaſſatum non prorſus confringere, ſed in melius renouare. Si autem iuſtitia ſecundo modo ſumatur, iuſtum non fuit, animas quæ adhuc nil boni aut mali commiſerunt, corpori ſic infecto coniungi.* Concordant S. Bonauenturæ Albertus & Vlricus.

In 2. Sent. diſt. 32.

CAPVT XXIX.

Cur iuſtos in Purgatorio detineat Deus.

Reſtat excuſandæ beneuolentiæ diuinæ, cur iuſtos defunctos amicos & dilectos ſuos expiatoriis affligendos ignibus detineat, ſine meritorum vſu. Nam labor huius vitæ, & tota hæc miſeriarum ſupellex haud quidem inutilis eſt: nam officina ſunt gloriæ, cuius æternum

pondus operantur. Poſtumi tamen illi immaniſſimi cruciatus Purgatorij ſteriles ſunt, nullum gloriæ cumulum fructificant: cur ergo inutiliter Deus diuexat gratos ſibi? At tantus eſt iuſtitiæ diuinæ titulus, vt ſolo eius nomine ſine aliâ ſpe moram cruciatuum mereatur. Nec tam vili debuit æſtimari conſpectus Dei, vt impuris pateret. Sed & vſus Purgatorij ſuperſtitibus vtiliſſimus eſt ad meritorum cumulum, vt maturent in hac vitâ fœcundè labores, ne ſecuritas ignauiam noſtram ſubornaret. oportuit eſſe aliquid poſtumum, quod timeant iuſti, etiam cum iure & commendatione iuſtitiæ morituri, vt iuſtiores fiant. Quare diuiniſſimum puto inuentum, diuinæ prudentiæ iuſtiſſimam purgandorum ſcelerum legem, non ſolùm iuſtitiæ nomine commendatam, ſed & beneficentiæ. Eam negotiatus eſt amor & deſiderium noſtri meriti, & ardens noſtræ gloriæ ſtudium. Nihil poteſt tribui beneficentius poſt beneficium ipſum, quàm eius dignitas.

Non eſt opus hîc miſcere alia de neceſſitate & conuenientiâ Purgatorij. Vnius tantùm Origenis ſententiam proferam: *Si poſt lauacrum,* inquit, *& veniam delictorum rurſus ad priſtinas* Hom. 12. in Ierem. *ſordes fuerimus reuerſi, & adhuc imperfecto ſenſu ab Apoſtolorum veſtigiis recedentes, aut iniuſtâ geſſerimus aliqua, aut certè in ipſâ iuſtitiâ ſine aliqua nata peccata, quid nobis fiat conſideremus: vtrúmne egredientes de præſenti ſæculo, ſi habuerimus vitia vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, & dimittentur nobis ea quæ ſcientes peccauimus? An plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus? Sed neutrum horum verum eſt. quia & pro peccatis torquebimur, & pro iuſtitiâ recipiemus præmia quæ meremur. Si enim poſt fundamentum Ieſu Chriſti, non ſolùm in tuo corde aurum & argentum & lapidem pretioſum (ſi tamen habes aliquid auri vel argenti) ſuperædificaueris, verùm & ligna, fœnum & ſtipulam; quid tibi vis fieri cùm anima ſeiuncta fuerit à corpore? vtrumnam ingredi vis in ſancta cum lignis tuis, cum fœno & ſtipulâ, & polluas regnum Dei? An propter lignum, fœnum & ſtipulam foris reſidere; & pro auro, argento & lapide pretioſo nihil mercedis accipere? ſed neque hoc æquum eſt. Quid igitur ſequitur, niſi vt primùm propter ligna ignis tibi detur, qui conſumat fœnum, lignum & ſtipulam,* &c. Et paucis interiectis: *Primùm quippe propter iniuſtitias tormenta perpetimur, deinde propter iuſtitiam coronamur.*

RATIONALIS
Diuinorum operum.
LIBER SECVNDVS.

Caput I.

Cur bonis mala accidant.

Hactenus beneuolentiam Dei præcipuè expiauimus calumniâ; reſtat ſapientia: cur ſic rerum euentus moderetur, vt aduerſa accidant iuſtis, & confuſione quadam ſui iuris, promiſcuè affligat quos amat. Si Deus bonus, ſimiles ſui, bonos inquam, amat; qui amat, vult bonum; quomodo ſi amat bonos, mala in illos ſpargit? affectus non deeſt, ánne error cauſſa erit? abſit, imò ſummâ ſapientiâ in illos collimat aduerſa, non dico mala: nam ſubinde vult iuſtis accidere aduerſa, ne putentur mala; ſubinde fortunam ab illis abigit, ne eius fauores putentur bona. Quanam aliâ induſtriâ ſagaciùs diffamare poſſet iſta bona caduca, quàm negando bonis, quàm dando malis? quâ diligentiâ honorem aliquem reſtitueret patientiæ, quàm aduerſa ponendo in bonis, ne illa æſtimarentur mala? At quàm dulcis eſt manſuetudo Dei, per ficta tantùm hæc mala temporaria punire ſuos, aut exercere, aut corrigere? Egregiè D. Auguſtinus dixit: *Numquam debet ſecura eſſe felicitas, quia perículoſiora ſunt animo ſecunda, quàm corpori aduerſa: prius enim corrumpunt proſpera, vt inueniant aduerſa quod frangant.*

Diſpenſat quoque Deus acerba iuſtis ad meritorum annonam, ad pietatis condimentum. optimè D. Proſper ait:

> *Abſque dolore quidem nequeunt mala ſueta repelli:* Epig. 93.

Ad patientiæ ſupellectilem, ad alterius vitæ ſpem, & vota. Sublimis doctor & Martyr Maximus diuinam prouidentiam dixit per iniurias terrenorum aſſueſacere diuiniora appetere; tum ad prouidentiæ fidem, tum ad animi explorationem, num ipſum Deum ament, an ſua, an cum patientiâ ament, id eſt, an ament? exanguis charitas eſt ſine periculo patientiæ. an ſine lucro prouidentiæ ament? Ingenuus ille, &, vt ſic dicam, animoſus animus Epicuri, qui licet Deum otio infamaret, & humanarum rerum aut obliuione aut contemptu; ſine lucri ſpe, ſine vtilitate, gratis ſolùm cenſuit colendum, diligendum. Iniurioſo etiam Deo grati deberemus eſſe. Caio Cæſari gratiæ referebantur pro malis. Quod extorſit timor, cur non amor impetrabit? Primum diuinitatis puerperium Heſiodus commendauit amorem. Nihil agit, quod amor

Digitized by Google

quod amor non libet & ſacret. Quare ſi maximum omnium beneficium amor, & amor Dei etiam dura & moleſta condiat, maximè pro his gratiæ agendæ. ſperatur & præcupitur altera vita, dum in iſtâ affligimur, & mordemur tot noſtræ naturæ iniuriis, & fortunæ odiis; ad magnam vtique virtutis fidem, reuerentiam, incrementum, gloriam. Optimè S. Paulinus

Ep. 58. ad Iouium fratrem ſcripſit: *Deus ita iſtius vniuerſitatis opus condidit, vt alia ad ſeruiendum, alia ad exercendum, alia ad dominandum creauerit. itaque corporeis animalibuſque naturis homines ratione dominamur. Sed, ne ipsâ poteſtatis noſtra licentiâ reſoluamur, vtiliter exercemur aduerſis, aut ſpiritibus dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipſorum ſæpè elementorum motibus; videlicet vt exagitati, curis prudentiæ & metu diuinitatis acuamur. A quo nos, qua deberet magis gratificos Domino æterno facere ſecuritas, negligentes facit. Vnde & magiſter Gentium Apoſtolus ait, arcano diuinæ pietatis conſilio, & magno humanæ ſalutis emolumento, opponi quoſdam obices curſibus noſtris, & aduerſis ſecunda mutari (vt morbos, damna, diſcrimina) quia tribulatio patientiæ robur operetur, & patientia probationem fidei pariat, & præmium gloriæ conferat: quod certè virtus capere niſi victrix non poteſt, non habitura victoriæ facultatem, niſi cum aliquâ priùs difficultate certauerit.*

Non diſſimulabo egregiam Syneſij ſenten-

De Prou. tiam. *Aduerſa etiam*, inquit, *quæ præter merita nobis videntur accidere, plurimùm conferunt ad noxium affectum, quo caducis afficimur, extirpandum. Fortunis certè eiuſmodi apud eos qui mentem habent, prouidentia confirmatur; quibus, & qui mente capti ſunt, diffidere de prouidentiâ ſolent. Nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiam fugiat; ſic in patriam reuerſura, ſi in nullum hic malum inciderit. Quapropter exiſtimandum eſt, inferioris prouidentiæ præſides vulgares adinueniſſe proſperitates, animabus inſidiaturas. itáque hinc emigrantibus animabus obliuioſum contingere potum alius dixerit. Ingredienti certè hanc vitam animæ potum obliuionis affert ſors quædam vitæ ſuauis & blanda.* Igitur diuina bonitas, prouidens malorum bonum vſum, & commeatum ad æterna bona, per ipſa nos prouidit abſoluere ſupplicia, per ipſa nos felicitare mala, per ipſam iuſtitiam miſereri. Meritò S. Proſper ait:

Ad veniam tendunt iuſti per verbera regis:
Ira breuis rectis gaudia longa dabit.

Erudit Deus & inſtruit quos ſibi deligit. Adhuc Ethnici nouerunt, & Seneca commen-

De Prou. dauit: *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant. Illi exercitari iubent liberos ad ſtudia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis & interdum lacrymas excutiunt; at matres fouere in ſinu, continere in vmbrâ volunt, numquam flere, numquam contriſtari, numquam laborare. Patrium Deus habet aduerſus bonos viros animum, & illos fortiter amat, &, Operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur.* Hæc Ethnicus. Igitur efficax doctrina Dei, calamitas eſt: æger animus inerti voluptatis plauſu languens, ſicco diuitiarum guſtu, & peſtifero moribundus honoris æſtu, curari debuit votorum infelicitate, & ſuis deturbatus cupiditatibus puniri. Voluptate, & quauis cupidine, velut trabali clauo, figitur noſtra mens, moli carnis conglutinatur, æterna temporalibus; nec reuelli ab illis poteſt, niſi à nobis auellantur. Medici per acerba curant corpora: nec ſalus animi digna eſt minori conſtare. Pueros abducunt à lacte nutrices, illinentes mamillas aloë; infantiam quoque animi acerbitas excludit. Odium temporalium lenocinator nobis Deus per ipſorum infidelitatem. formido ſenſus noſtri, poſt iacturam, impetrare debebat à nobis abſtinentiam eorum, quibus præſtat carere quàm priuari. timor maioris doloris meretur faſtidium minoris voluptatis. cibis propterea noxiis abſtinemus. Poſteà vltrò fiet, quod

In Epict. priùs ſenſu & timore: *Nam & pueri*, Simplicius ait, *quæ priùs declinabant, aut agebant ob timorem, ea, vbi mentis compotes fuerint, ex electione faciunt.* Duæ medicinæ partes ſunt, quæ morbos pellit, & quæ obſtat. hæc à Tralliano Θεῖ χεὶρ appellatur. Manus quoque diuina caller per anticipatas iacturas obſtare cupiditatibus. exercet animorum medicinam prouidentia diuina, cui ſaltem gratos oportet eſſe, cùm corporis medicis inſuper ſoluamus pretium

Ibid. artis. Egregiè idem Philoſophus dixit: *Si igitur corporum medicinam exercentem, vrentem, producentem, ac partes reſecantem, & idem ferè quod homines qui ſeuerè puniunt agentem, malam negamus, vel bonam potiùs fatemur, gratiámque ac mercedem medentibus perſoluimus; curnam Dei medicinam non amamus?* Idem ait: *Neque enim iracundia, nec vindicta cupiditate, nec præter meritum, neque nocendi cauſsâ quidquam Deus facit; ſed inſtar medici, & curatoris, & parentis, & ad maximam vtilitatem noſtram, & (quo vno verbo rem complecti totam licet) pro ſuâ diuinâ bonitate.* Multiformis autem Dei medicina; vt qui alios morbis, inopiâ, ignominiâ; alios peſtilentia, fame, terræmotu, inundatione, naufragio, bello, aliis pœnis humanitus inflictis medicetur. Neque verò mala hæc ſunt, ſed bona; ſiquidem medicari bonum eſt. Mala ergo, ſunt medicamenta bonorum. at nec ſine medicamento ſunt: nam malorum medicina patientia eſt: ſine iſto vſu adhuc appetenda. Lactantius ait: *Summa igitur virtus habenda eſt patientia, quâ vt non careret homo iuſtus, voluit illum Deus pro inerti contemni.*

Semper meminiſſe oportet quantum præſtet lucrum, quod ex damnis huius ſæculi capimus. Vtiliſſimum, & Chriſtianum Arriani præce-

Lib 4. c. 13. ptum in promptu ſit: *Si quam rem externam relinquis, cogita quid loco illius conſequare. Quòd ſi pluris fuerit, caue vmquam dicas te iacturam feciſſe. Nec quadrante honeſtam actionem, nec frigido ſermone tranquillitatem animi, nec turpi oratione verecundiam commutato. Quid peccat prouidentia, ſi melioribus meliora tribuit? Nónne præſtat verecundum eſſe, quàm diuitem?* Pudeat iam nos ſiniſtrè opinari de laboribus, & propudioſè de contemptu humano, contra Dei ſenſum, contra Sanctorum cupiditatem, contra Philoſophorum opinionem, qui labores non tantùm bonis dignos, ſed optimis bonos iudicarunt. Poſt Senecæ, poſt Arriani, poſt Simplicij ſuffragium, allego

Digitized by Google

Dionem Chryſoſtomum, qui Chriſtianè in his ſenſit: *Vir generoſus labores putat eſſe maximos ſuos antagoniſtas; ſemperque amat cum his pugnare, tam noctu quam interdiu: non pro apio, quemadmodum mulieres, neque pro oleaſtro aut pinu; ſed pro felicitate & virtute per totam vitam: non verò tum, quum Elei prædixerint, aut Corinthij, aut Theſſalorum communitas, ne quem reformidet: neque optabit alteri ſortitò congredi; ſed vltrò prouocabit omnes ex ordine; cumque fame contendet, & frigore, ſitimque ſuſtinebit, & virgis, ſi ita oportuerit, caſus, & ſectus, & vſtus, perferet; & nihilomagis dabit manus. Paupertatem autem, & exilium, atque contemptum, & ſimilia numquam exiſtimabit ſibi grauia; ſed valdè leuia: & virum perfectum interdum illis ludere, quemadmodum pueri ſolent talis & variegatis globis.* Quid debet Chriſtianus facere, ſi Ethnicus hæc dixit? Orat.8.

Affatim iam collegimus rationes non tantùm ad excuſationem, ſed ad honorem diuinæ prudentiæ, cui malis artificioſiſſimâ beneficentiâ bonos afficiat. Quæ vt tenaciùs nobis inſideant, non pigebit eas ex S. Ioanne Damaſceno reſumere. *Deus*, inquit, *pium virum grauibus incommodis affici patitur, ne ſcilicet a rectâ conſcientiâ excidat, aut etiam ob vim gratiamque diuinitus ſibi conceſſam in arrogantiam prolabatur: velut in Paulo contigit. quin ad aliorum correctionem aliquantiſper quiſpiam deſeritur, vt videlicet alij calamitoſum ipſius ſtatum intuentes, documentum inde ſibi capiant: quemadmodum in Lazaro ac diuite cernere licet. Sic enim naturâ comparatum eſt, vt, cùm aliquos malè mulctatos cernimus, animum contrahamus ac demittamus. Ad alterius etiam gloriam, ac non ob ſua vel parentum peccata pro derelicto habetur quiſpiam, vt ille iam inde à natiuitate cæcus ad gloriam Filij hominis. Sinitur inſuper quiſpiam ad æmulationis ſtudium in aliorum animis excitandum graue aliquid perpeti. quò nimirum auctâ atque illuſtratâ eius qui perpeſſus eſt gloriâ, haud cunctanter alij ad aduerſa perferenda ſe comparent, inſequentis videlicet gloriæ ſpe, ac futurorum bonorum deſiderio adducti: vt in Martyribus vſu venit.* Lib.1.de Orthod. fide c.19.

Capvt II.

Cur iuſtos afflictos non exaudiat Deus.

Illud plures demirantur, cur amicos & chariſſimos ſuos, iuſtos homines, multis incommoditatibus afflictos, non exaudiat ſemper pientiſſimus Pater, maximè cùm ſyngrapham liberaliſſimam à Ieſu habeamus, *Quidquid petieritis in nomine meo, fiet vobis?* Credo tamen multos reos eſſe ignorantis petitionis, & cum Ioanne & Iacobo neſcire quid petant. at Deus beneficentiſſimè negat, quod ſtultè exoptamus, quod inconſideratè expoſtulamus. D. Proſper canit:

Multum concedit, quòd nocitura negat.
Errantes voto, non vult delinquere facto:
Iratus fineret, quod prohibet placidus.
Diſcat felici ſupplex gaudere repulsâ,
Incipiatque animo pellere quod voluit.

Veriſſimè quoque S. Auguſtinus: *Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus, quàm ægrotus.* Appoſitè quoque Aquitanicus:

Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec verò leges ipſe dabit medico.

Iterùm audiendus Auguſtinus: *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus: quod non tantùm verbo docuit Apoſtolus, ſed ſuo quoque demonſtrauit exemplo. Nam contra vtilitatem & ſalutis ſuæ perfectionem neſciens orabat, vt diſcederet ab eo ſtimulus carnis, quem ſibi datum dixit, ne magnitudine reuelationum ſuarum extolleretur. Et quia illum Dominus diligebat, non fecit quod ignoranter petebat. Sed tamen vbi ait, Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus; mox adiunxit, Sed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid ſpiritus ſapiat: quia ſecundùm Deum interpellat pro ſanctis, id eſt, interpellare facit ſanctos.* Hæc ille. Fortaſſe, ſi Paulus ter importunus piis precibus exaudiretur, damnaretur. Quid refert, cùm Deus concedat quod deberemus petere; ſi negat quæ neſcimus petere? Plus intereſt plerumque noſtrâ, per moleſtâ ſegetem meritorum, & nundinas virtutum patientiam præparare. ergo dulci Deus beneuolentiâ reiicit contraria vota, & oblationes, quas ſeuerè ſuſciperet. Simplicius ait: *Si vel muneribus acceptis id faciat, nónne vel mediocribus hominibus deterior apparuit? Quotuſquiſque enim eſt, qui cùm aliquem curandum ac tuendum ſuſceperit, muneribus corruptus ipſum vitiari permittat?* Num quis medicus legitimus illi, qui à cibis aut potibus aliquibus læderetur, donis aut precibus adductus, permittere volet vt noxiis licenter vtatur? Lib.4. de Animâ ad Vinc. 1.Cor.12. Rom.8. In Epict.

Capvt III.

Cur malos ſæpè exaudiat Deus.

Appendix præcedentis quæſtionis eſt, cur malos toties exaudiat Deus. aliquando eſt refluxus miſericordiæ illius, qui ſolem oriri facit ſuper malos & bonos: aliquando iuſtitiæ ius, peſſima vota punientis, dum fortunat. ſic peccarunt, ſic precantur, vt ipſi ſupplicia ſua exigant. petunt temporalia, inſtant precibus, qui nihil merentur, niſi exaudiri. petunt à Deo, quod ab homine exigere erubeſcerent. Simplicius ait: *Licet nullâ aliâ in re deliquiſſent mali, quia ſe muneribus inuertere Deum ſperabant, id ſat erat vt eos à Dei familiaritate magis abiungeret.* Egregiè *Socrates humana ſapientia* (Valerij verbis vtimur) *quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltrà petendum à Deo arbitrabatur, quàm vt bona tribueret: quia ille demum ſciret quid vnicuique eſſet vtile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentes errores cæcas precationes tuas ſpargis? diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiſcis, qui plures peſſumdederunt; regna tecum ipſa voluis,* Lib.7.c.1.

quorum

quorum exitus ſæpenumerò miſerabiles cernuntur; ſplendidis coniugiis iniycis manus; at hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Deſine igitur, ſtulta, futuris malorum tuorum cauſſis, quaſi feliciſſimis rebus, inhiare, téque totum cæleſtium arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.

Nec ſolùm ignorantiam, ſed impudentiam noſtrarum petitionum ſatis oſtendit Hugo Carthuſianus. *Cùm rogas,* inquit, *Deum, vt non auferat tibi aliquid cui inhæſiſti cupidè, ita eſt ac ſi mulier à viro ſuo in ipſo adulterio deprehenſa, cùm debeat petere veniam criminis, roget potiùs, ne interrumpat ei ipſius adulterij voluptatem. Non ſatis tibi eſt à Deo fornicari, niſi ipſum ad hoc inclines, vt ea, quibus corrumperis fruendo, augeat, conſeruet & coaptet, id eſt formas corporum, ſapores & colores. Quæ eſt adeò impudens mulier, vt dicat viro ſuo: Quære mihi illum aut illum, cum quo dormiam; quia placuit mihi plus te, alioquin non quieſcam? Tu tamen facis hoc viro tuo, id eſt Domino, cùm præter ipſum aliquid diligens, id ipſum ab eo petis. Cùm dicis Deo, Da mihi hoc aut illud: hoc eſt dicere, Da mihi, in quo te offendam, & à te fornicer. Cùm enim aliquid aliud ab eo quàm ipſum petis, ipsâ petitione tuâ reatum ei tuum & fornicationem ab eo oſtendis, & neſcis. Miſericors vindicta, ſi ſponſus ſponſam ſuam adulteram deprehendendens, ea tantùm ſubtrahit ei, cum quibus fornicabatur. Quàm verò verò impudica & inuerecunda eſt ipſa, ſi ad iniuriam hoc accipiat? Nulla alia ferè tibi eſt cauſſa dolendi, niſi talis, id eſt de ſubtractis fornicationibus tuis. ipſi ergo dolores tui arguunt fornicationes tuas, ita vt non ſit opus aliis teſtibus. Hæc ſolet à ſponſi oculis quamlibet inuerecunda & impudica mulier abſcondere: lacrymas, quas pro damnis quæ contingunt adultero, & quas pro iniuriis ab adultero ſibi irato illatis, fundit, ipſas quoque iniurias ſimiliter, & gaudia. Vide nunc, ſi id ſaltem tu ad Deum facias, ſi non apertè coram eo pro damnis adulterij tui, id eſt mundi huius, luges; & proſperis exultas. frons ergo meretricis mulieris facta eſt tibi.* Hæc ille. Igitur quod Deus vult, illud ſolum velimus, & benè nobis volemus. Chriſtianè Ethnicus Epictetus dixit:

Apud Arr. l. 3. cap. 26.

Ἐγὼ δὲ πώποτ᾽ οὐ θέλων ἐκωλύθην, οὔτ᾽ ἠναγκάσθην μὴ θέλων. καὶ πῶς τοῦτο δυνατόν; προσκατατέταχά μου τὴν ὁρμὴν τῷ θεῷ. θέλει μ᾽ ἐκεῖνος πυρέσσειν; κἀγὼ θέλω. θέλει ὁρμᾶν ἐπί τι; κἀγὼ θέλω. θέλει ὀρέγεσθαι; κἀγὼ θέλω. θέλει με τυχεῖν τινος; κἀγὼ βούλομαι. οὐ θέλει; οὐ βούλομαι. Id eſt: *Ego verò nunquam volens prohibitus ſum, nec coactus nolens. Quo pacto iſtud fieri poteſt? appetitum meum obedientem præbui Deo. vult ille me febricitare, volo & ipſe. vult me aliquid appetere, volo & ego. vult me aliqua re potiri, volo & ipſe; non vult, nolo.* Hæc ille. Ergo non doleamus amittere noſtra, quoniam nec bona noſtra ſunt, nec noſtra: nam nec noſtri ſumus, ſed Dei, cuius omnia; & cura ei de nobis eſt, quia nos eius. Optimè Tertullianus dixit: *Nihil noſtrum, quoniam & Dei omnia, cuius ipſi quoque nos.*

Caput IV.

Cur plurimos malos non puniat Deus.

DEmirari quoque vulgus ſolet, ſi Deus eſt, cur aut mala ſint, aut impunita maneant, cur multos homines peſſimos non remuneret pœnâ aliquâ, ſed velut immunes iuſtitia eius prætereat, & ſpecie quadam proſperitatis illuſtret. Huic quæſito reſpondet Auguſtinus: *Nihil eſt infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* Appoſitè illud.

Sumens peſtifera de conſuetudine robur,
Et ſua complectens vincula mortis amor.
Qui ſe peccatis gaudet feliciter vti,
Infelix nimis eſt proſperitate ſuâ.

Quæ maior ſceleris pœna, quàm ſcelus? Iterùm Auguſtinus loquatur: *Cùm voluntas mala poteſtatem accipit efficiendi quod cupit, ex iudicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas. Punit enim eam iſto modo, nec ideò iniuſtè, quia occultè.* Ceterùm iniquus puniri ſe ignorat, niſi cùm manifeſto ſupplicio ſenſerit nolens, quantum mali ſit quod perpetrauit volens. Hinc S. Proſper:

Cùm datur iniuſto peccandi optata poteſtas,
Vt mala mens prauè, quod cupit, efficiat;
Ira Dei magna eſt, quâ multos ſic quoq; punit,
Vt quibus exultant criminibus, pereant.

Nec damnum ſolùm culpæ, eſt orbum pœnæ ſenſu. Intimis ſæuit cruciatibus conſcientia. Sacramentum quoddam eſt diuinæ iuſtitiæ, ipſas voluptates melle ipſo earumdem punire. Aſt hîc felices mali non ſunt ſpectandi in vlnis fortunæ, dum mulcet, dum blanditur, dum gratiâ præſtringit feſtinâ. optimè enim Æſchylus alloquitur fortunam: χάρις λάμπει σὺ σὰν πτέρυγα χρύσεον. *Gratia fulget circa tuam auream alam.* Spectandi ſunt, cùm ſagittat tandem eos. Inſtruitur fortuna ad malorum itas, in optimorum iniuriis. ſicut enim ſagittarij album ſcopum priùs proponunt ſibi, vt diſcant ſeriò mittere iacula: ſic videtur fortuna in innocentiâ inſtrui atque imponi, vt erudita iam, dexterrimè ſæuiat in ſceleſtos.

Præterea interdum etiam oportet parcere, nec ſummo iure vti in hac vitâ. Nam & hoc expedit principibus humanis, ad imitationem vtique Dei. Politicus in hoc S. Auguſtinus ait: *Nimia iuſtitia incurrit peccatum; temperata verò iuſtitia facit perfectos. Non enim ſine malitia eſt, qui multùm eſt iuſtus: quia peccantibus ad ſingula ſi reſpondeas, non deerit vbi pecces. Denique Dei temperantia iuſtitia eſt. Peccantibus enim aliquando ignoſcit, aliquando iraſcitur, aliquando reddit non quantum digni ſunt: ſuffert enim eos, vt ſint qui proficiant: lex enim, quia ſe ipſam mollire non poteſt, à nobis mitiganda eſt, vt poſſit prodeſſe ſub ſe agentibus. Hic ergo iuſtus non eſt multùm, qui Dei imitator eſt.* lib. qq. Vet. & Nou. Teſt. cap. 15.

Quòd ſi locupletiùs ſcire aliquis velit, quo modo Deus, cùm ſummè iuſtus ſit, parcat multis malis, non tantùm temporalem aliquam felicitatem largitus, ſed miſertus ad æternam ſalutem; pio quodam proſologio demonſtrat S. Anſelmus, vbi quæſitum idem obijcit & dirimit,

Digitized by Google

Verum, inquit, *malis quomodo parcis, ſi es totus iuſtus, & ſummè iuſtus? Quomodo enim totus & ſummè iuſtus facis aliquod non iuſtum? aut quæ iuſtitia eſt merenti mortem æternam, dare vitam ſempiternam? vnde ergo, bone Deus, bone bonis & malis? vnde tibi ſaluare malos, ſi hoc non eſt iuſtum, & tu non facis aliquod non iuſtum? An quia bonitas tua eſt incomprehenſibilis, latet hoc in luce inacceſſibili quam inhabitas? verè in altiſſimo & ſecretiſſimo bonitatis tuæ latet fons, vnde manat fluuius miſericordiæ tuæ. nam cùm totus & ſummè iuſtus ſis; tamen idcircò etiam malis benignus es, quia totus ſummè bonus es. Minùs namque bonus eſſes, ſi nulli malo eſſes benignus. Melior enim eſt qui & bonis & malis bonus eſt, quàm qui bonis tantùm eſt bonus: & melior eſt qui malis & puniendo & parcendo eſt bonus, quàm qui puniendo tantùm. Ideò ergo miſericors es, quia totus & ſummè bonus es. & cùm forſitan videatur, cur bonis bona, & malis mala retribuas; illud certè penitus eſt mirandum cur totus & ſummè iuſtus, & nullo egens, malis & reis tuis bona retribuas. O altitudo bonitatis tuæ Deus! & videtur vnde ſis miſericors, & non peruidetur. cernitur vnde flumen manat, & non perſpicitur fons vnde naſcitur. Nam & de plenitudine bonitatis eſt, quia peccatoribus tuis pius es; & in altitudine bonitatis latet, quâ ratione hoc es. Etenim licet bonis bona, & malis mala, ex bonitate retribuas; ratio tamen iuſtitiæ hoc poſtulare videtur. cum vero malis bona tribuis, & ſcitur quia ſummè bonus hoc facere voluit, & mirum eſt cur ſummè iuſtus hoc velle potuit. O miſericordia Dei, de quâ opulentâ dulcedine, & dulci opulentia nobis profluis! O immenſitas bonitatis Dei, quo affectu amanda es peccatoribus! Iuſtos enim ſaluas iuſtitia comitante, iſtos verè liberas iuſtitia damnante: illos meritis adiuuantibus, iſtos meritis repugnantibus: illos bona quæ dediſti cognoſcendo, iſtis mala quæ odiſti ignoſcendo. O immenſa bonitas, quæ ſic omnem intellectum excedis! veniat ſuper me miſericordia illa, quæ de tanta opulentia tua procedit: influat in me, quæ profluit de te. parce per clementiam, ne vlciſcaris per iuſtitiam. Nam etſi difficile ſit intelligere quomodo miſericordia tua non abſit à tua iuſtitia; neceſſarium tamen eſt credere, quia nequaquam aduerſatur iuſtitiæ, quod exundat ex bonitate, quæ nulla eſt ſine iuſtitia: imò verè concordat iuſtitiæ. Nempe ſi miſericors es, quia es, ſummè bonus, & ſummè bonus non es, quia ſummè iuſtus; idcircò es miſericors, quia ſummè iuſtus. Adiuua me iuſte, & ſumme, & miſericors Deus, cuius lucem quæro; adiuua me vt intelligam quod dico. Verè ergo ideò miſericordia tua naſcitur ex iuſtitia tua? ergóne parcis malis ex iuſtitia Si ſic eſt, Domine, ſi ſic eſt, doce me quomodo eſt. An quia iuſtum eſt te ſic eſſe bonum, vt nequeas intelligi melior; & ſic potenter operari, vt non poſſis cogitari potentius? Quid enim hoc iuſtius? hoc vtique non fieret, ſi eſſes bonus tantùm retribuendo, & non parcendo: & ſi faceres de non bonis tantùm bonos, & non etiam de malis. Hoc itaque modo iuſtum eſt vt parcas malis, & vt facias bonos de malis. Denique quòd non iuſtè fit, non debet fieri; & quod non debet fieri, iniuſte fit. Si ergo non iuſtè malis misereris, non debes miſereri: & ſi non debes, miſereri, iniuſtè miſereris, Quod ſi nefas eſt dicere, fas eſt credere, te iuſte miſereri malis*

Sed & iuſtum eſt vt malos punias: quid namque iuſtius, quàm vt boni boni bona, & mali mala recipiant? quomodo ergo & iuſtum eſt, vt malos punias; & iuſtum eſt, vt malis parcas? An alio modo iuſtè punis malos, & alio modo iuſtè punis malos, & alio modo iuſtè parcis malis? cùm enim punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit cum verò parcis malis, iuſtum eſt, non quia illorum meritis, ſed quia bonitati tuæ condecens eſt. Nam parcendo malis, ita iuſtus es ſecundum te, & non ſecundum nos: ſicut miſericors es ſecundum nos & non ſecundum te, quoniam ſaluandos nos quos iuſtè perderes, ſicut miſericors es, non quia tu ſentias affectum, ſed quia nos ſentimus effectum: ita iuſtus es, non quia nobis reddis debitum, ſed quia facis quod decet te ſummè bonum. Sic itaque ſine repugnantia iuſtè parcis. Sed numquid etiam non eſt iuſtum ſecundum te Domine, vt malos punias? iuſtum quippe eſt, te ſic eſſe iuſtum, vt iuſtior nequeas cogitari. Quod nequaquam eſſes, ſi tantum bonis bona, & non malis mala redderes. iuſtior enim eſt qui & bonis & malis, quàm qui bonis tantum merita retribuit. Iuſtum igitur eſt ſecundum te, iuſte & benigne Deus, & cum parcis, Verè igitur vniuerſa vita Domini miſericordia & veritas; & tamen iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis.

Capvt V.

Cur Deus vindicet aliquorum crimina in aliis.

ALius quoque ſcrupulus eſt circa diuinam iuſtitiam; cur in innocentes excandeſcat; cur inſontes ſeueriſſimè plectat, ob ea quæ ſceleſti patrarunt. Relinquo ſupplicium filiorum ſubditorumque, ob peccata parentes, ideò in rebus ſuis patiuntur, cùm acerbiùs ferant culpâ ſua chariſſima verberati pignora. res quoque principis regnum eſt. Sacrilega Giezi cupido vniuerſam poſteritatem leprâ fœdauit. curioſitas Dauid in recendendo populo purgata eſt clade ſeptuaginta millium hominum Illud magis mirum, cur vnius ſcelus plures luant ignari illius & innocentes, quique ad ſceleſtum non ſpectent: ob furtum vnius Achan totus Iſraël ſubſtinuit diuinas iras. crimima Manaſſis centum ferè poſt annos vniuerſum eius regnum Babilonico tyranno tranſcripſerunt. Quare veriſſimè ſcripſit ad Theodoſium monachum S. Iſidorus Peluſiota: *Propter peccatum vnius ſæpè flagellatur regio & ciuitas, vt dicit Eccleſiaſtes, quòd vnus peccans perdet multam bonitatem.* Proptereà &, Apoſtolus dicit: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, vt exponunt Ambroſius & Anſelmus. Ardua hæc æquitas videtur, in aliis vindicare quæ alij commiſere. Quod etiam apud ciuiles leges damnatum reperies. l. *Calliſtratus.* ff. de pœnis.
Crimen, ait lex, *vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt. Nam vnuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubijcitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Sancimus*, aiunt Arcadius & Honorius, *ibi eſſe pœnam, vbi noxa eſt. propinquos, notos, familiares procul à calumnia ſummouemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Peccata ſuos teneant auctores, nec vlterius progre-*

diatur

diatur metus, quàm reperiatur delictum. Iuſtiſſimum tamen cenſeo iſtud iudicium Dei, & beneficentiſſimum. Licet quandoque Maieſtati humanæ in totum corpus œconomicum aut politicum animaduertere, cur non & Deo, cuius id æquitate nec indignum cenſuit Heſiodus?

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅς τις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
Τοῖσι δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν. ———

Vnius ob crimen pœnas vrbs tota rependit,
Si quis ſacrilegè ſeſe gerat: aut iniuſtè.
Iuppiter hinc cælo clades immiſit ab alto
Peſtem ſiue famem. ———

At mira diuinæ miſericordiæ aſtutia iſta, eſt, ad peccatorum diſpendium, ob vnius peccatum ceteros plectere, quia non obſtiterunt, ſiue vt obſtent, vt omnes iuuemur ad virtutis frugem. Idcircò reprehendit Apoſtolus Corinthios inceſtuoſo fornicario non obſtantes, iubens expurgare vetus fermentum interminatione diuinæ iuſtitiæ. *Quoniam modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: nimirum quoniam vnius illus fornicarij labes omnem Corinthum contaminaret, ira Dei in omnes illam diſſimulantes ſæuitura, iuxta Ambroſij & Anſelmi interpretamentum. Oportet etiam humiles nos manere, & timidos diuinorum iudiciorum. ſic locupletiſſima annona prouidet alienis etiam culpis. Deinde non ſemper ſupplicium ſolùm eſt alieni peccati, ſed occaſione alieni peccati emendantur etiam propria. Crediderim illo Iſraliti ci populi flagello opportuno ex Dauidis iactantiâ, plures ſceleſtos ob ſua etiam crimina peſte ſublatos.

Quotus quiſque eſt qui nulla pœnâ dignus ſit, quem Deus non poſſit iure omni punire? quid denique miramur, quòd ob vnius peccata affligat Deus plures, cùm licet abſque vllo ſcelere affiligeret, miſericordia fuiſſet ad virtutis exercitum; damna iſta temporaria non ſemper ſupplicia mera ſunt, ſunt ſæpè beneficia. Pœnarum æternarum maxima Deo ratio eſt, quarum ſuam quiſque vindicat ſortem, Optimè
q. 8. in Ioſue. S.Auguſtinus *Viſibiles* inquit, *afflictiones hominum, ſiue mortes, quoniam ijs quibus ingeruntur, & obeſſe & prodeſſe poſſunt: nouit Dominus in occulto prouidentiæ ſuæ quemadmodum iuſtè quibuſque diſpenſet, etiam cùm aliorum peccata in aliis videtur vlciſci. Pœnas verò inuiſibiles, quæ non niſi nocent, & prodeſſe non poſſunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, ſicut homine iudice luere niſi pro ſuâ culpâ iſtas viſibiles debet. Sic anima quæ peccauerit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filij.*

CAPVT VI.

An proſperitas huius vitæ ſit apud Deum pro crimine.

ILLud fortaſſe plus mitaberis, quàm ſeuerè Deus in proſperos ſæuiat, & iraſcatur felicitati huius vitæ. Maximum hoc arcanum; cur ita proſperitatem faſtidiat & puniat, quæ non eſt crimen: nam ipſe illam largitur; aut, ſi crimen eſt, cur ipſe largitur? nullum ab Abrahamo profertur diuiti illi damnationis elogium, niſi recepiſſe *bona in vitâ ſuâ*. S.Baſilius ait: *Timeto* Hom. 1. de ieiun.
exemplum diuitis. Illum deliciæ vitæ igni tradiderunt, non ob iniuſtitiam. Ipſe Filius Dei inquit:
Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem Lucæ 6.
veſtram; væ vobis qui ſaturati eſtis; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis. Nullum iniuſtitiæ, quæ alios diuites velut paredrus afflat, meritum explicuit venturi, ſupplicij, ſed opulentiam, & feſtinum fortunæ vſum. Viderint hîc vota humana, quò anhelent; viderint labores, quò aſpirent; viderint auari votis, mercatores peruigiliis, ſellularij operis, milites periculis, omnes damnis. Omnium propoſitus votorum ſcopus, fortuna eſt, & aliquis fauor auri, aut annona voluptatis At hæc eadem cauſa eſt proprij interitus, & elogium damnationis. Iam ſi temporaria iactura exciperet proſperitatem, ſufficiens nomen eſſet: nam temporalia damna nullo ingrato titulo à Deo mitti poſſunt; mittuntur tamen libentiſſimè, vt proſint. At æternis ſuppliciis dignam eſſe fortunam, quam tamen Deus præſtat, mirum profectò eſt. an crimen erit accipere, quod Deus dat? certè in multis crimen erit, retinere; ſcelus erit, habere quod datur, vt detur. crimen eſt vſus fortunæ, cùm eroganda eſt fratribus noſtris, pauperibus, famelicis. Præterea inſignitur ſolùm titulus opulentiæ ad iuſtitiam damnationis. quia licèt ipſa crimen non ſit, multis fundatur criminibus, aut fundat multa: vel ſceleribus paritur, vel ſcelera parturit. multa crimina per compendium dicuntur, vno diuitiarum nomine. ſolitarius titulus fortunæ infamis eſt, niſi aliquod pietatis acnomen purget. Quid ingratius quàm dici diuitem, niſi ſimul dicaris miſericors, humanus, mitis, beneficus, pater pauperum, iuſtus, ſobrius? Licet à Deo diſpenſentur opes, timendæ ſunt, tamquam calamitates. veniunt ad experimentum fidei, ad officia meritorum, non ad ampliationem, cupiditatum: miſericordia illas excuſat. Quidam in Libu ex tenui fortunâ ad ampliſſimam innoxiè peruenit. voluit tunc bona ſua & ſe tranſmittere in vrbem Manillam, vt placidiùs ibi partâ fungeretur felicitate. Conſtituit diſceſſum die Dominicâ ſequenti: at mediâ die Iouis nocte audiuit è cælo vocem monentem, vt, quoniam ibi erant plures pauperes, vbi opes obtinuerat, maneret ibidem, & opem tribueret, nec Manilla diſcederet, Noluit parêre, & eo ipſo die & horâ, quam diſceſſui condixerat, è vitâ excedit. accidit hoc anno 1627.

CAPVT VII.

An Deus iuſtè aliquibus neget bona æterna & ſpiritualia, ob ſolam opulentiam.

ATqui opulentia per ſe ſolùm ſpectata, licet non ſit titulus æterni interitus, eſt elogium negandi gaudia alterius vitæ, & dona ſpiritualia, quæ in hoc ſæculo præuia ſunt æternitati. Sanctiſſimus quiſque ſepties cadit. ſic nemo tam peſſimus, qui aliquando non egerit nonnihil boni. Nihil Deus negligit remunerari. Quare cùm bona peſſimorum opera temporali

Digitized by Google

porali felicitate donet; nullum reſtat ius ad bona alterius vitæ. Ideò diues precatus aquæ Luc.16. ſtillam meritâ repulſus eſt exceptione, *Quia recepiſti bona in vitâ tuâ.* Accipiunt peſſimi bona in hac vitâ, quia nullum in alterâ captabunt bonum, niſi ſupplicium. accipiunt optimi mala in hoc ſæculo, quia in altero vbertas illis bonorum exundabit. Sic opera bona malorum mercede debitâ hic donantur, & defectus iuſtorum emendantur, hic eſt iuſtiſſimus titulus illius apparentis iniuſtitiæ, quòd improbos fortunet Deus, & ſanctos affligat. Amittit itaque ius ad alia bona, qui temporalia inordinatè acceptat, hoc nomine timenda. Geminam, ſiue potiùs alterutram, bonorum operum, etiam peccatoris ſolet in hac vitâ diſtribuere Deus mercedem. vnam fortunæ, alteram gratiæ. quoſdam terrenis ditat, alios illuſtrat cæleſtibus; vt ad agnitionem veritatis magis properent. aliis diſpenſat fortunam, aliis Spiritum ſanctum. Timeant felices huius ſæculi ſuam felicitatem, ne iacturam gratiæ proſperitas impetret: nam quantò plura acceperint temporalium, minus ius ad gratiam habent, minus ad gloriam. Adeò tremenda eſt proſperitas etiam cùm fidelis eſt, & coæua vitæ, indiuiduaque comes: quod mirum quidem eſt, & prodigium æternæ miſeriæ. Ethnici etiam auari & ambitioſi, formidabant amplos fortunæ amplexus. Philippus Macedo, Furius Camillus, & Æmilius Paulus rebus feliciter venientibus, precabantur proſperitatem illam mediocri ſolùm penſari calamitate, gnari rerum vices aduerſas connecti, quemadmodum Socrates diſſeruit: dolorem & voluptatem res eſſe mutuâ implexas viciſſitudine, ſicut in puteo vrceus inanis & plenus. Optimè quidam:

Quamobrem cùm ſecundæ res ſunt maximè, tunc maximè
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant.

Sancti tamen & fideles Chriſti timent temporalis felicitatis non vices, ſed fidem & conſtantiam, quam putant damnationis argumentum. Diuinus vir Ambroſius hoſpitium feliciſſimi hominis, experti nunquam aliquam rerum iacturam, ingreſſus, conſcius tam conſtantis fortunæ, expauit, & illicò aufugit. Prodiens è domo dixit: *Eamus hinc, ne corruens iſta domus nos opprimat.* accidit ita. egreſſum ſanctum virum ſecuta eſt ædificij ruina. Sed & acutos naturæ lumine hoc ipſum non latuit. Demetrius dixit: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil euenit aduerſi.*

CAPVT VIII.

Cur malis bona accidant.

MVlti quoque mali fortunantur laruatis huius vitæ bonis, ad contemptum ſuum & ignominiam; ad correctionem opinionis, ne putemus illa bona, nec comparanda poſthumæ noſtræ felicitati. Optimè Boëtius cenſuit: l.4.Conſol.pr.6. *Læta magnum bonis argumentum loquuntur, quid de huiuſmodi felicitate debeant iudicare, quam famulari ſæpè improbis cernant.* Perpetuâ miſeriarum procellâ obruendi ſunt peſſimi: at ne abſque experientiâ diuinæ liberalitatis elabantur beneficentiæ diuinæ, mutarat hîc aliqua dona Deus, pro opinione eorum; vt ſaltem cupiditate ſuâ illos veneretur, & eleuet ex ipſarum ſitu rerum, ad reſpectum largitoris, ad referendam gratiam, ad deliniendum obſequiis, vt amplient quam putant felicitatem; & iam impetrent meritis, quam demetendo acceperunt. Sin minùs, ſaltem ſatisfiat munificentiæ diuinæ, vt vel nemo ſine illius guſtu vixerit. Iuſtis ſacra eſt remuneratio poſthuma. expectare poteſt munificentia; & digna interim adornare præmia. malos videt elapſuros, quos ſi modò non donaret aliquo pignore, non ampliùs locus gratiæ reſtat: quare hîc feſtinat largiri, quibus poſſunt exornari, bona. Argutè Laurentius Iuſtinianus dixit: De Caſtro conn c.4. *Nullum omnino abſque remuneratione eſſe permittit operantem bonum: peccatoribus quidem, & huius ſæculi incolis, temporalium reddit pro labore mercedem, quam appetunt, quam quærunt, & quâ contentantur, tanquam alieni à Deo, & à ſanctorum hereditate extranei. Iuſtis autem atque verè peregrinantibus aliter merita compenſantur. ipſis nempe temporalis ſurripiritur ſucceſſus: nam facilè amittunt cæleſtia qui terrenis abundant.* Arnobius quoque ait: In Pſal.76. *Sæpè Dominus peccatoribus in hoc mundo lætitiam, & abundantiam, & potentiam vſurpatam relinquit, quia ſcit quæ paſſuri ſunt in gehennâ incendia, & condolens eis auertit in hoc ſæculo iram ſuam ab eis. itaque non eſt illis inuidendum hoc miſeræ felicitatis interſtitium.* Immeritò inuideret Iſaac Iſmaëli donationem, heres ipſe. largitur Deus malis exigua huius vitæ dona; iuſtis hereditatem æternæ. Heres expectat mortem: iuſtus quoque, quia hæres; non tamen alienam, ſed propriam; ſic ſecuriſſimus hæreditatis: heredes enim temporalium excidunt hereditate, cùm expectent mortem alienam, quam præuenit aliquando propria. ſolùm tuta eſſet hereditas, ſi immortalis eſſet heres, & mortalis hæreditandus: at hereditas cæleſtis, quia immortalis Deus, adiri nequit, niſi per mortem hæredis, cùm pariter immortalis ſit. Hereditas immortalitas eſt, nequit illam niſi immortalis adire.

Tam abeſt vt repugnet procurationi Dei fauor iſte temporalis peſſimorum, vt eam potiùs exaggeret. Accenſendum puto præcipuis prouidentiæ indiciis, & neſcio an diuus Thomas antehabeat. In Opuſc. *Deus, inquit, gerit curam hominum quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, quos membra dilecti Filij ſui conſtituit, & templum Spiritus ſancti ordinauit; ſingulis ſingulos Angelos ad cuſtodiam deputans, & carne & ſanguine pretioſo Vnigeniti ſui reficiens: quodque præſtantius eſt, peccatoribus inimicis ſuis vita neceſſaria prouidet abundantius quàm amicis. Tantus eſt inimicorum fauor, vt ipſum Deum commendet.*

CAPVT IX.

Quomodo Deus iraſcatur iniuſtis, concedendo bona huius vitæ.

FOrtunantur etiam aliquando peſſimi ad infortunij maioris apparatum. numquam tuta eſt

Digitized by Google

eſt felicitas ſontium. Per ſomnium quidam fuit monitus diſcedere à muro recedens vidit ſtatim corruentem. putabat iam gratum Deo furtum, donec aliter edoctus vidit ſe reſeruari cruci. Quare ſæpè maxima ira Dei eſt, locupletare malos, &, licet feſtiuo ſupplicio, ſatis ſæuit. Elegantiſſimè Simplicius dixit: *Auari totum vitæ tempus circa lucra laborantes, cum conſternatione vigilijs, ac formidine ſemper adiunctâ, nullum vſum, nullam delectationem à pecunijs capiunt; & quænam hac fuerit iuſtior ac vberior pœna?* Tanta ita Dei nonnumquam eſt opulentia, vt pro crimine cenſeatur. Hoc fuit Epuloni diuiti damnationis elogium, *Recepiſti bona in vitâ tuâ.* Eadem feſtiuitas eſt circa honorem, & voluptatem. *Partim*, Idem Philoſophus ait, *ad vltionem, partim ad pœnam dantur, vt affectuum colliſione expleti euomant aliquando affectuum ſordes, & ad pœnam deinde ac expiationem idonei reddantur.* Præterea tanto moleſtiarum cenſu bona temporalia corrupta ſunt veris anxietatibus, timoribus, periculis vt inter damna & ſupplicia veriſſimè computaueris. Ceterùm, ſi velis adhuc cauſſam huius miseræ malorum felicitatis ſcire, ex Axitheo Æneæ Gazæi diſce: *Si ſceleſtus aliquis diteſcat ac valeat, id quidem conſtat eſſe ex prouidentia diuina erga nos propensâ voluntate, & gratiâ. Siue enim hoc remedio fiat melior, quemadmodum pueri quibuſdam illecebris ad bonarum artium ſtudia inuitari ſolent: ſiue conuictus deſperata malitia, atque nudato eo quod latebat anima totius vlcere, ſe ipſum quàm ſit intus & in cute malus, prodiderit; flammam ipſe ſibi parat, multam videlicet materiam cumulans, vnde etiam lapſus nullam habebit neque excuſationem, neque culpa condonationem. Neque enim poteſt comminiſci, quòd propter inopiam egentibus non potuerit ſuccurrere, qui diuitiis abundabat: neque etiam fingere, quòd potentia ac viribus deſtitutus, eos qui premerentur iniuriis neglexerit, qui ſummus rerum Dominus erat: neque prætexere, quòd imbecillitate ſuapte factum ſit, vt voluptatibus ſuccumberet, cui corporis robur alias ad res affuerit. Nam vt omnibus conſtet, quàm multa ſit huius iudicis & excellens iuſtitia; vult ille ipſe iudicium ſuum nec obſcurum eſſe, nec ambiguum: verùm ſic iudicare, vt reus & pœnam ſibi irrogatam ferat, & ſententiam ab iudice de ſe latam ſuſpiciat atque reuereatur. Etenim ſi mors omnium rerum finis vltimus eſſet; rectè in quæſtionem vocarent homines, quinam fieret vt homo ſcelectus in imperio atque in lautâ fortuna vitam ſuam omnem finiret. Iam verò cùm immortalis ſit anima, ac neque ad inferos demiſſa, pœnam effugiat; ſed iſtic maximè anteacta vita vindictam ſentiat, cùm in ima tartara ceciderit, inde numquam eſt exitura. Quamobrem inſperati lucri vice fuerit, hîc ægrotare, egere, ſeruum eſſe: cùm is, qui illa perfert in priuato vitæ genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum ſuorum compactione iam ſoluta, iamque fortunæ ſuæ cauſſa cognita, ac ſatis deplorata, à ſuppliciis inferorum liber & immunis euadat. Alius exſecto oculo factus hic exemplum iuſtitiæ, vitij ſui, ſine perturbationis, euentum odio proſecutus ac deteſtatus, liber etiam ipſe euadit.*

In Enchirid. Epict.

Capvt X.

Cur Deus permittat confuſos eſſe malos cum bonis.

IN his quæſtionibus de malorum bonorumque hominum contrariis ſortibus iudicia ſuſpendere ſæpiùs oportet, nec quemquam diiudicare licet: nam vt mali ſæpè latent, ſic & boni. S. Proſper ait: *Boni latent, quia bonum ipſorum in occulto eſt; nec viſibile enim eſt nec corporale quod diligunt, & tam merita eorum ſunt in abſcondito conſtituta, quàm præmia.* Ad fomentum humilitatis hoc prouiſum, ne quis ex opinione ſuâ aut ſe aut alios æſtimet. Optimè, licet inculto Phœbo, Gerſon canit: Sent. 199.

4. de Conſ. Th. m. 2.

Filijs ſuis quid obeſt,
Prouida cura patris ſcit.
Pane filiorum ſeruus
Vt quandoque cibatur;
Sic cibo ſerui frequenter
Paruus veſcitur heres:
Glorietur vt nequaquam,
Et ſperet cor vtrimque.

Nec prætereundus eſt Auguſtinus: *Hominibus, ait, videtur, omnes, qui boni apparent fidelis, perſeuerantiam vſque in finem accipere debuiſſe. Deus autem melius eſſe iudicauit, miſcere quoſdam non perſeueranturos certo numero ſanctorum ſuorum vt quibus non expedit in huius vita tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à perniciosa elatione redimit, quod ait Apoſtolus, Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat.* Idem alibi: *Perplexa quippe ſunt iſta duæ ciuitates in hoc ſeculo; inuicemque permixta, donec vltimo iudicio dirimantur.* Interim nunc ſumus ſimiles ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti, & velut area, in quâ non modò triticum congregandum in horreum, ſed etiam paleæ comburendæ igni inextinguibili reperiuntur.

De Dono perſeu. cap. 8.

16 de Ciuit. cap. 35.

Matth. 13.

Matth 3.

Capvt XI.

Cur Deus permittat bonos à malis opprimi.

DIces, Cur ſuos tolerat Deus filios, & dilectiſſimos, iuſtos, inquàm, à peſſimis obtui? Rogo te, ánne Sancti potiùs debebant obtuere alios, licet perditiſſimos? iam virtutis maieſtatem, & ſanctimoniæ titulum perderent, perditi quoque ipſi. neſcit qui de his dubitat, fortunam virtutis, humilitatem eſſe. Cur non ex perditis hominibus hoc lucraretur Deus, quòd prodeſſent bonis, vt in his redimeretur iactura malignitatis aliorum? Iuuent ſaltem peſſimi patientiam optimorum, nec inutiles mundo ſint, non inutiles aliis, quia ſibi. Proſint adhuc repugnando iuſtis: proſint ſaltem vt inanimes naturæ, & ſeruiant chariſſimis Dei; vt æſtus, gelu, nix, quia incommodant. Dignitas electorum merebatur, vt non tantùm illis ſeruirent naturæ inanimes, ſed animatæ, ſed homines. nec valdè mirum ſi degeneres dignitate rationis: nam ſi naturæ bonæ ſeruiunt, non nimis erit, ſi & homines mali.

Idem

Idem ipſe qui omnia propter homines fecit, homines tolerat propter electos. Eleganter Boëthius ait: *Diuina prudentia protulit inſigne miraculum, vt malos mali bonos facerent: nam dum iniqua ſibi à peſſimis perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediêre, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe, quos oderunt,*

lib. 4. Conſ. pr. 6.

Certiùm maximam & potiſſimam patientiæ portionem & iniuriæ adornant. non niſi humanum pectus monſtra hæc format. Iniquas voluntas acerbiùs toleratur, quàm iniqua fortuna. iniquiùs ferimus alium voluiſſe lædere, quàm lædi. Quare? quia maximè bonos nos vult Deus, maxime patientes amat. nec maxima patientia ſine iniuriâ: at iniuria & contumelia ab humano ſereatur affectu.

In Pſal 24.

Si hæc non placeant, placeat S. Auguſtini ſententia: *Surgunt procellæ ſtagni huius. vides malos florere, bonos laborare, tentatio eſt, fluctus eſt: & dicet anima tua, O Deus, Deus, haccine eſt iuſtitia tua, vt mali floreant, & boni laborent? & Deus tibi reſpondet, Haccine eſt fides tua? haccine tibi promiſi? aut ad hoc Chriſtianus factus es, vt in ſæculo floreres?* Sed luculentiſſimè propoſitam quæſtionem diuinus Areopagita ſic ediſſerit: *Dixerit quiſpiam, non eſſe iuſtitiæ permittere viros ſanctos ab improbis ſine præſidio contineri? huic reſpondendum eſt, eos qui appellantur ſancti, ſi terrena diligunt, quibus homines terreni ſtudent, à diuino amore penitus excidiſſe. Neſcio quo pacto ſancti appellari, debeant, qui reuerà amabilia diuinaque iniurijs afficiunt, quatenus his illa, quæ neque amanda ſunt, neque digna ſtudio, indignè comparant: ſin autem quæ vera ſunt amant, gratulari oportet eos qui aliqua cupiunt, quando potiuntur optatis. Nonne tunc magis virtutibus propinquant angelicis, quando rerum diuinarum deſiderio pro viribus ab omni bonorum terrenorum affectione diſcedunt? Iam verò ad hoc vtiliter exercentur, dum anguſtias honeſti gratia tolerant. Quamobrem hoc dictu verius: hoc potiùs eſſe diuinæ iuſtitiæ propriũ, nequaquam mulcere atque eneruare virilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum. Neque ſi quis id tentet efficere, eos abſque auxilio relinquere, ſed illos in ſtatu potiùs honeſto & inflexibili ſolidare, eiſque, cùm ſint tales, pro meritis reddere.* Quantum iuuent damna iuſtos, quantum illorum ſaluti ſeruiant peſſimi, fiet euidens ex fide P. Sebaſtiani Viera ex noſtrâ Societate, qui inter Iapones fuerat tempore perſecutionum. dicebat ſe tunc temporis pluſquam quatuor millia confeſſionum excepiſſe, in nullâ peccatum inueniſſe graue.

Cap. 8. de Diuin. nom.

Denique vt pleniùs ſatisfactum ſit huic quæſito de oppreſione iuſtorum per iniuſtos, & aliis de prouidentiâ dubiis, quæ ſuperiùs attigimus, appendam quæ elegantiſſimè & ſubtiliter diſſerüit Auguſtinus, vbi hæc habet: *Ex Scripturis diuinis, fratres chariſſimi, bonos & iuſtos viros perſecutionem malorum ſemper ſuſtinuiſſe cognoſcimus: ſi diligenter conſideramus, inueniemus illos maiora ſupplicia ſuſtinere. Omnis enim homo, qui alium in corpore perſequitur, priùs ipſe in corde perſecutionem ſuſtinere cognoſcitur. Nam ſi etiam illi, quem perſequitur, aliquid de ſubſtantiâ ſuâ tulerit, maius ſibi ipſe diſpendium facit, quia nemo habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno. Vbi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arcâ, damnum in conſcientia. Tulit veſtem, perdit fidem: acquirit pecuniam, & perdit iuſtitiam. Sed hoc homines ideò faciunt, quia diem nouiſſimum attendere nolunt. Si enim diem mortis ſuæ cogitare iugiter vellent, animum ſuum ab omni cupiditate vel malitiâ cohiberent. Sed quod modò nolunt ſalubriter cogitare, neceſſe habent poſteà ſine vllo remedio ſuſtinere. Veniet enim illis dies nouiſſima, veniet dies iudicij, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus ſe ab æternâ morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei. Veniet dies iudicij, quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vſque ad inferos deorſum, quando cœli ardentes ſoluentur, quando ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum quando ſtellæ cadent de cœlo, quando peccatores & impij mittentur in ſtagnum ignis; & fumus tormentorum illorum, aſcendet in ſæcula ſæculorum, vbi fletus & ſtridor dentium. Veniet tempus, fratres chariſſimi, quando nulli bono erit malè, nulli malo erit benè. Veniet, inquam, nouiſſima dies, quando diſcernuntur pij ab impiis, iuſti ab iniuſtis, laudatores Dei à blaſphematoribus Dei Veniet & quando diſcernuntur, vt nulli, ſicut dictum eſt, bono ſit malè, nulli malo ſit benè. Quare ergo modò non ſic? Fortè modò ſic. Sed quod nunc eſt in occulto, tunc erit in maniſto. Lege Scripturam diuinam, ingredere mecum, ſi potes, in ſanctuarium Dei fortè ibi, poſſum, docebo te, imò diſce mecum ab eo qui docet me, etiam nunc non eſſe malis benè & melius eſſe bonis quàm malis, quamuis nondum venerit bonorum plena fecilitas, nondumque venerit malorum pœna nouiſſima. Si legem Dei diligenter attendis, fortè intelligis mecum non eſſe benè malis. Rogo enim te, & quæro abs te, Tibi quare malè eſt? Reſponſurus es: Egeſtas angit, premit difficultas, dolor fortaſſe membrorum, timor ab inimico. Tibi ideò malè eſt, quia pateris mala, & benè eſt illi, qui eſt ipſum malum? Multum intereſt inter malum pati, & malum eſſe. Tu quod pateris, non es, malum enim pateris: ſed tu malus non es. Ille hoc malum non patitur, & malus eſt. Noli ergo falli. Non poteſt fieri vt tibi malè ſit, quia pateris malum; & illi benè ſit, qui eſt malus. Cùm enim malus eſt, putas quia non patitur malum, cùm patitur ſeipſum? Tibi malè eſt, quia malum alienum pateris in corpore tuo: & illi benè eſt, qui malum ſeipſum patitur in corpore tuo: & illi benè eſt, qui malum ſeipſum patitur in corde ſuo? Tibi malè eſt, qui forte malam habes vitam: & benè eſt illi, qui malam habet animam? Eſto bonus, qui habes bona. Bonæ ſunt diuitiæ, bonum eſt aurum, bonum eſt argentum, bona familia, poſſeſſiones. Omnia iſta bona ſunt; ſed vnde facias benè, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ ſunt, inquis, iſta; Fac iudicium & iuſtitiam. Bona ſunt, quæ habes, Fac iudicium & iuſtitiam. Eſto & tu bonus inter bona tua, erubeſce bonis tuis. Eſto bonus manſurus inter bona peritura, erubeſce bonis tuis. Noli eſſe malus in eis, ne pereas cum eis. Ita ergo aurum & argentum diſtribuit hominibus conditor rerum & adminiſtrator Deus, vt ipſum per ſe natura & genere ſuo bonum ſit; copia verò eius nõ extollat bonos, nec elidat inopia. Malus autem homo, & cùm offertur, excæcatur; & cùm aufertur, excruciatur:*

Serm. 10. de Sanctis.

quia

quia & cùm acquiruntur diuitiæ, falſam lætitiam tribuunt; & cum perduntur, veram triſtitiam derelinquunt. Diſcamus amare veras diuitias, id eſt, caſtitatem & iuſtitiam, pacem & miſericordiam. iſtæ enim iuſtæ, dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis iuſtiſque tribuuntur: illa vera dicuntur diuitiæ, quia quiſquis eas habuerit, non egebit, dum iuxta Apoſtolum, habens victum & veſtitum, his contentus eſt. Iſtas verò terrenas diuitias, iniuſtum eſt putare diuitias, quæ non auferunt egeſtatem. Tantò enim magis quiſque ardebit egeſtate auaritiæ, quantò magis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ, quibus creſcit inopia, quæ amatoribus ſuis, quantum fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditate diuitem? Tu putas quia minus indigeres, ſi minus haberes. Vnde benè quidam dixit: Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari vel cupidi, velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum ampliùs ſitit; ita auarus vel cupidus acquirendo non ſatiatur. Nos verò, fratres, cogitantes peregrinos nos & hoſpites eſſe in hoc ſæculo, hoc tantum quod ad victum & veſtitum opus eſt, nobis in itinere vitæ iſtius reſeruemus, &, quantum poſſumus, in æternam beatitudinem per eleemoſynam pauperum dirigamus, vt cum in die iudicij cupidi & auari pro ſterilitate bonorum operum audire meruerint, Matth 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum; nos pro nobis operibus audire poſſimus, Venite benedicti, percipite regnum: quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: nudus fui, & operuiſtis me. Ad iſtam benedictionem vos Dominus ſub ſua protectione perducat, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Capvt XII.

An mali poſſint nocere iuſtis.

At neſcio, an dixerim aptè, probos à peſſimis affligi; ſeruiunt potiùs bonis mali, non dominantur, non inſoleſcunt: nihil illis nocent, ſed iuuant illos; puniunt ſe. nullâ improbus iniuriâ poteſt cædere iuſtum, nullâ contumeliâ; immotus concuti non poteſt: & qui nec ſperat, nec timet, infortunari nequit: cui non eſt bona huius vitæ fortuna, nec malum ſibi putat infortunium: qui nec facta nec dicta humana curat, immunis iniuriâ & conuitio eſt. Boëthius dixit, illatam cuilibet iniuriam, non accipientis, ſed inferentis eſſe miſeriam. Potiori hoc ratione æſtima, cùm infertur probo: nam ſi iniuria, quam peſſimus in peſſimum iaculatur, potiùs inferentis damnum quàm ferentis eſt; quid erit cùm optimo incutitur? tantò maior eſt iniuria inferenti, quantò ferens melior. imò bono & patienti nulla iniuria fit; tota eſt peſſimi, ſola turpitudo iniurioſa eſt. Hæc maximè ſuum fabrum cædit & imbuit: iuſtus ſolùm tangi iniuriâ poteſt, non lædi. Poteſt ab aliquo eſſe, non in illo eſſe. iniuria, quia malum eſt ſolùm culpa erit, quæ in faciente eſt. At iuſtus, quantum abeſt à culpâ, tantum à malo, tantum ab iniuriâ. detrahit & diminuit iniuria; nihil iuſto eripi poteſt: omnia eius non amplius cõſtant, quàm ipſe; hoc habet, quod eſt. Infirmior fortiorem non lædit. Virtus fortior eſt malitiâ, quare inuulnerabilis. Fatentur hoc Ethnici, & extra omnem iuriſdictionem malorum extulerunt bonos, immunes iniuriâ, incapaces contumeliæ. Laudo fidem alicuius Senecæ ita conteſtantis: *Sapiens à nullo contemnitur, magnitudinem ſuam nouit: nullique tantum de ſe licere, renuntiat ſibi: omnes has, quas non miſerias animorum, ſed moleſtias dixerim, non vincit, ſed nec ſentit quidem.* De Conſtantiâ cap. 10. Cap 9. *Caret irâ ſapiens, quam excitat iniuriæ ſpecies; nec aliter careret irâ, niſi & iniuria, quam ſcit ſibi non poſſe fieri. Inde tam erectus lætuſque eſt, inde continuo gaudio elatus, adeò ad offenſiones rerum rerum hominumque non contrahitur, vt ipſa illa iniuria vſui ſit, per quam experimentum ſui capit, & virtutem tentat.* Latiùs idem philoſophus mox ſuadet: Cap. 11. *Cùm magnam partem contumeliarium ſuperbi inſolenteſque faciant, & mali felicitatem ferentes; habet quo illum affectum inflatum reſpuat, pulcherrimam virtutem omnium, animi ſanitatem, magnitudinemque illa quidquid huiuſmodi eſt tranſcurrit, vt vanas ſomniorum ſpecies, viſuſque nocturnos, nihil habentes ſolidi, neque veri. Simul illud cogitat, omnes inferiores eſſe; quàm vt illis audacia ſit, tantò excelſiora deſpicere. contumelia à contemptu dicta eſt, quia nemo, niſi quem contempſit, tali iniuriâ notat; nemo autem maiorem melioremque contemnit, etiam ſi faciat aliquid quod contemnentes ſolent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit laceraxitque infans, & ſputo aſperſit, aut nudauit in conſpectu ſuorum tegenda, & verbis obſcœnioribus non pepercit; & nihil horum contumeliam dicimus. quare? quia, qui fecit, contemnere non poteſt. Eadem cauſſa eſt, cur nos mancipiorum noſtrorum vrbanitas, in dominos contumelioſa, delectet: quorum audacia ita demum ſibi in conuiuas ius facit, ſi cœpit à domino, vt quiſque contemptiſſimus, & vt maximè ludibrio eſt, ita ſolutiſſima lingua eſt. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent, qui probra meditatè effundant: nec has contumelias vocamus, ſed argutias. Quanta autem dementia eſt, iiſdem modò delectari, modò offendi; & rem ab amico dictam maledictum vocare, à ſeruulo iocularе conuitium. Quem animum nos aduerſus pueros habemus, hunc ſapiens aduerſus omnes, quibus etiam, poſt iuuentam canóſque, puerilitas eſt. An quidquã iſti profecerunt, quibus animi mala ſunt, auctique in maius errores, qui à pueris magnitudine tantùm formaque corporum differunt: ceterùm non minùs vagi incertique, voluptatem ſine delectu appetentes, trepidi, & non ingenio, ſed formidine quieti? Non ideò quiquam inter illos, pueroſque, intereſſe quis dixerit, quòd illis talorũ, nucumque, & æris minuti auaritia eſt; his auri argẽtique, & vrbium: quòd illi inter ipſos magiſtratus gerunt, & prætextam, faſceſque, ac tribunal imitantur; hi eadem in campo, foroque & in curiâ ludunt. illi in littoribus arenæ congeſta ſimulacra domuũ excitant; hi vt magnum aliquid agentes: in lapidibus, ac parietibus & tectis moliendis occupati, ad tutelã corporum inuenta in periculum verterunt. Ergo par pueris longiùſque progreſſis, ſed in alia maioráque error eſt. Non immeritò itaque horum contumelias ſapiens vt iocos accipit.*

Idem ipſe qui omnia propter homines fecit, homines tolerat propter electos. Elegantet Boëthius ait: *Diuina prudentia protulit inſigne miraculum, vt malos mali bonos facerent: nam dum iniqua ſibi à peſſimis perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediêre, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe, quos oderunt*, Ceterùm maximam & potiſſimam patientiæ portionem & iniuriæ adornant. non niſi humanum pectus monſtra hæc format. Iniquas voluntas acerbiùs toleratur, quàm iniqua fortuna. iniquiùs ferimus alium voluiſſe lædere, quàm lædi. Quare? quia maximè bonos nos vult Deus, maxime patientes amat. nec maxima patientia ſine iniuriâ: at iniuria & contumelia ab humano ſcreatur affectu.

lib. 4. Conſ. pr. 6.

Si hæc non placeant, placeat S. Auguſtini ſententia: *Surgunt procellæ ſtagni huius. vides malos florere, bonos laborare, tentatio eſt, fluctus eſt: & dicet anima tua, O Deus, Deus, haccine eſt iuſtitia tua, vt mali floreant, & boni laborent? & Deus tibi reſpondet, Haccine eſt fides tua? haccine tibi promiſi? aut ad hoc Chriſtianus factus es, vt in ſæculo floreres?* Sed luculentiſſimè propoſitam quæſtionem diuinus Areopagita ſic ediſſerit: *Dixerit quiſpiam, non eſſe iuſtitiæ permittere viros ſanctos ab improbis ſine præſidio contineri? huic reſpondendum eſt, eos qui appellantur ſancti, ſi terrena diligunt, quibus homines terreni ſtudent, à diuino amore penitus excidiſſe. Neſcio quo pacto ſancti appellari debeant, qui reuerà amabilia diuinaque iniuriis afficiunt, quatenus his illa, quæ neque amanda ſunt, neque digna ſtudio, indignè comparant: ſin autem quæ vera ſunt amant, gratulari oportet eos qui aliqua cupiunt, quando potiuntur optatis. Nonne tunc magis virtutibus propinquant angelicis, quando rerum diuinarum deſiderio pro viribus ab omni bonorum terrenorum affectione diſcedunt? Iam verò ad hoc vtiliter exercentur, dum anguſtias honeſti gratia tolerant. Quamobrem hoc dictu verius: hoc potiùs eſſe diuinæ iuſtitiæ propriũ, nequaquam mulcere atque eneruare virilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum. Neque ſi quis id tentet efficere, eos abſque auxilio relinquere, ſed illos in ſtatu potiùs honeſto & inflexibili ſolidare, eiſque, cùm ſint tales, pro meritis reddere.* Quantum iuuent damna iuſtos, quantum illorum ſaluti ſeruiant peſſimi, fiet euidens ex fide P. Sebaſtiani Viera ex noſtrâ Societate, qui inter Iapones fuerat tempore perſecutionum. dicebat ſe tunc temporis pluſquam quatuor millia confeſſionum excepiſſe, in nullâ peccatum inueniſſe graue.

In Pſal. 24.

Cap. 8. de Diuin. nom.

Denique vt pleniùs ſatisfactum ſit huic quæſito de oppreſione iuſtorum per iniuſtos, & aliis de prouidentiâ dubiis, quæ ſuperiùs attigimus, appendam quæ elegantiſſimè & ſubtiliter diſſeruit Auguſtinus, vbi hæc habet: *Ex Scripturis diuinis, fratres chariſſimi, bonos & iuſtos viros perſecutionem malorum ſemper ſuſtinuiſſe cognoſcimus: ſi diligenter conſideramus, inueniemus illos maiora ſupplicia ſuſtinere. Omnis enim homo, qui alium in corpore perſequitur, priùs ipſe in corde perſecutionem ſuſtinere cognoſcitur. Nam ſi etiam illi, quem perſequitur, aliquid de ſubſtantiâ ſuâ tulerit, maius ſibi ipſe diſpendium facit, quia nemo habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno. Vbi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arcâ, damnum in conſcientia. Tulit veſtem, perdit fidem: acquirit pecuniam, & perdit iuſtitiam. Sed hoc homines ideò faciunt, quia diem nouiſſimum attendere nolunt. Si enim diem mortis ſuæ cogitare iugiter vellent, animum ſuum ab omni cupiditate vel malitiâ cohiberent. Sed quòd modò nolunt ſalubriter cogitare, neceſſe habent poſteà ſine vllo remedio ſuſtinere. Veniet enim illis dies nouiſſima, veniet dies iudicij, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus ſe ab æternâ morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei. Veniet dies iudicij, quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vſque ad inferos deorſum, quando cœli ardentes ſoluentur, quando ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum quando ſtellæ cadent de cœlo, quando peccatores & impij mittentur in ſtagnum ignis; & fumus tormentorum illorum, aſcendet in ſæcula ſæculorum, vbi fletus & ſtridor dentium. Veniet tempus, fratres chariſſimi, quando nulli bono erit malè, nulli malo erit benè. Veniet, inquam, nouiſſima dies, quando diſcernuntur pij ab impiis, iuſti ab iniuſtis, laudatores Dei à blaſphematoribus Dei Veniet & quando diſcernuntur, vt nulli, ſicut dictum eſt, bono ſit malè, nulli malo ſit benè. Quare ergo modò non ſic? Fortè modò ſic. Sed quod nunc eſt in occulto, tunc erit in manifeſto. Lege Scripturam diuinam, ingredere mecum, ſi potes, in ſanctuarium Dei fortè ibi, poſſum, docebo te, imò diſce mecum ab eo qui docet me, etiam nunc non eſſe malis benè & melius eſſe bonis quàm malis, quamuis nondum venerit bonorum plena fecilitas, nondumque venerit malorum pœna nouiſſima. Si legem Dei diligenter attendis, fortè intelligis mecum non eſſe benè malis. Rogo enim te, & quæro abs te, Tibi quare malè eſt? Reſponſurus es: Egeſtas angit, premit difficultas, dolor fortaſſe membrorum, timor ab inimico. Tibi ideò malè eſt, quia pateris mala, & benè eſt illi, qui eſt ipſum malum? Multum intereſt inter malum pati, & malum eſſe. Tu quod pateris, non es, malum enim pateris: ſed tu malus non es. Ille hoc malum non patitur, & malus eſt. Noli ergo falli. Non poteſt fieri vt tibi malè ſit, quia pateris malum; & illi benè ſit, qui eſt malus. Cùm enim malus eſt, putas quia non patitur malum, cùm patitur ſeipſum? Tibi malè eſt, quia malum alienum pateris in corpore tuo: & illi benè eſt, qui malum ſeipſum patitur in corpore tuo: & illi benè eſt, qui malum ſeipſum patitur in corde ſuo? Tibi malè eſt, qui forte malam habes vitam: & benè eſt illi, qui malam habet animam? Eſto bonus, qui habes bona. Bonæ ſunt diuitiæ, bonum eſt aurum, bonum eſt argentum, bona familiæ, poſſeſſiones. Omnia iſta bona ſunt; ſed vnde facias benè, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ ſunt, inquis, iſta; Fac iudicium & iuſtitiam. Bona ſunt, quæ habes, Fac iudicium & iuſtitiam. Eſto & tu bonus inter bona tua, erubeſce bonis tuis. Eſto bonus manſurus inter bona peritura, erubeſce bonis tuis. Noli eſſe malus in eis, ne pereas cum eis. Ita ergo aurum & argentum diſtribuit hominibus conditor rerum & adminiſtrator Deus, vt ipſum per ſe natura & genere ſuo bonum ſit; copia verò eius nõ extollat bonos, nec elidat inopia. Malus autem homo, & cùm offertur, excæcatur; & cùm aufertur, excruciatur:*

Serm. 10. de Sanctis.

quia

Digitized by Google

quia & cùm acquiruntur diuitiæ, falſam lætitiam
tribuunt; & cum perduntur, veram triſtitiam de-
relinquunt. Diſcamus amare veras diuitias, id eſt,
caſtitatem & iuſtitiam, pacem & miſericordiam.
iſtæ enim iuſtæ, dicuntur diuitiæ, quia bonis meri-
tis iuſtiſque tribuuntur: illæ veræ dicuntur diui-
tiæ, quia quiſquis eas habuerit, non egebit, dum
iuxta Apoſtolum, habens victum & veſtitum, his
contentus eſt. Iſtas verò terrenas diuitias, iniu-
ſtum eſt putare diuitias, quæ non auferunt ege-
ſtatem. Tantò enim magis quiſque ardebit ege-
ſtate auaritiæ, quantò magis eas diligens maiores
habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ, quibus cre-
ſcit inopia, quæ amatoribus ſuis, quantum fuerint
ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflam-
mant cupiditate diuitem? Tu putas quia minùs
indigeres, ſi minus haberes. Vnde benè quidam di-
xit: Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia
creſcit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cu-
piditatis augetur. Nam omnes auari vel cupidi,
velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomo-
do enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum
ampliùs ſitit; ita auarus vel cupidus acquirendo
non ſatiatur. Nos verò, fratres, cogitantes pere-
grinos nos & hoſpites eſſe in hoc ſæculo, hoc tantum
quod ad victum & veſtitum opus eſt, nobis in iti-
nere vitæ iſtius reſeruemus, &, quantum poſſumus,
in æternam beatitudinem per eleemoſynam pau-
perum dirigamus, vt cum in die iudicij cupidi &
auari pro ſterilitate bonorum operum audire me-
[Matth. 25.] ruerint, Diſcedite à me maledicti in ignem æter-
num; nos pro nobis operibus audire poſſimus, Venite
benedicti, percipite regnum: quia eſuriui, & dedi-
ſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibe-
re: nudus fui, & operuiſtis me. Ad iſtam benedi-
ctionem vos Dominus ſub ſua protectione perdu-
cat, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XII.

An mali poſſint nocere iuſtis.

AT neſcio, an dixerim aptè, probos à peſ-
ſimis affligi; ſeruiunt potiùs bonis mali,
non dominantur, non inſoleſcunt: nihil illis
nocent, ſed iuuant illos; puniunt ſe. nullâ im-
probus iniuriâ poteſt cædere iuſtum, nullâ con-
tumeliâ; immotus concuti non poteſt: & qui
nec ſperat, nec timet, infortunari nequit: cui
non eſt bona huius vitæ fortuna, nec malum ſi-
bi putat infortunium: qui nec facta nec dicta
humana curat, immunis iniuriâ & conuitio eſt.
Boëthius dixit, illatam cuilibet iniuriam, non
accipientis, ſed inferentis eſſe miſeriam. Potiori
hoc ratione æſtima, cùm infertur probo: nam
ſi iniuria, quam peſſimus in peſſimum iacula-
tur, potiùs inferentis damnum quàm ferentis
eſt; quid erit cùm optimo incutitur? tantò ma-
ior eſt iniuria inferenti, quantò ferens melior.
imò bono & patienti nulla iniuria fit; tota eſt
peſſimi, ſola turpitudo iniurioſa eſt. Hæc ma-
ximè ſuum fabrum cædit & imbuit: iuſtus ſo-
lùm tangi iniuriâ poteſt, non lædi. Poteſt ab
aliquo eſſe, non in illo eſſe. iniuria, quia ma-
lum eſt ſolùm culpa erit, quæ in faciente eſt.
At iuſtus, quantum abeſt à culpâ, tantum à ma-
lo, tantum ab iniuriâ. detrahit & diminuit in-
iuria; nihil iuſto eripi poteſt: omnia eius non

amplius cõſtant, quàm ipſe; hoc habet, quod eſt.
Infirmior fortiorem non lædit. Virtus fortior eſt
malitiâ, quare inuulnerabilis. Fatentur hoc
Ethnici, & extra omnem iuriſdictionem malo-
rum extulerunt bonos, immunes iniuriâ, inca-
paces contumeliæ. Laudo fidem alicuius Sene-
cæ ita conteſtantis: Sapiens à nullo contemnitur, [De Conſtantiâ cap. 10.]
magnitudinem ſuam nouit: nullique tantum de
ſe licere, renuntiat ſibi: omnes has, quas non mi-
ſerias animorum, ſed moleſtias dixerim, non [Cap 9.]
vincit, ſed nec ſentit quidem. Caret irâ ſapiens,
quam excitat iniuriæ ſpecies; nec aliter careret
irâ, niſi & iniuria, quam ſcit ſibi non poſſe fieri.
Inde tam erectus lætuſque eſt, inde continuo gau-
dio elatus, adeò ad offenſiones rerum rerum homi-
numque non contrahitur, vt ipſa illa iniuria vſui
ſit, per quam experimentum ſui capit, & virtutem
tentat. Latiùs idem philoſophus mox ſuadet: [Cap. 11.]
Cùm magnam partem contumeliarum ſuperbi in-
ſolenteſque faciant, & mali felicitatem ferentes;
habet quo illum affectum inflatum reſpuat, pul-
cherrimam virtutem omnium, animi ſanitatem,
magnitudinemque illa quidquid huiuſmodi eſt
tranſcurrit, vt vanas ſomniorum ſpecies, viſuſque
nocturnos, nihil habentes ſolidi, neque veri. Si-
mul illud cogitat, omnes inferiores eſſe, quàm vt
illis audacia ſit, tantò excelſiora deſpicere. con-
tumelia à contemptu dicta eſt, quia nemo, niſi
quem contempſit, tali iniuriâ notat; nemo autem
maiorem melioremque contemnit, etiam ſi faciat
aliquid quod contemnentes ſolent. Nam & pueri
os parentum feriunt, & crines matris turbauit
laceraxitque infans, & ſputo aſperſit, aut nu-
dauit in conſpectu ſuorum tegenda, & verbis
obſcœnioribus non pepercit; & nihil horum
contumeliam dicimus. quare? quia, qui fecit,
contemnere non poteſt. Eadem cauſſa eſt, cur
nos mancipiorum noſtrorum vrbanitas, in domi-
nos contumelioſa, delectet: quorum audacia ita
demum ſibi in conuiuas ius facit, ſi cœpit à domi-
no, vt quiſque contemptiſſimus, & vt maximè lu-
dibrio eſt, ita ſolutiſſima lingua eſt. Pueros qui-
dem in hoc mercantur procaces, & eorum impu-
dentiam acuunt, & ſub magiſtro habent, qui pro-
bra meditatè effundant: nec has contumelias vo-
camus, ſed argutias. Quanta autem dementia eſt,
iiſdem modò delectari, modò offendi; & rem ab
amico dictam maledictum vocare, à ſeruulo iocu-
lare conuitium. Quem animum nos aduerſus pue-
ros habemus, hunc ſapiens aduerſus omnes, quibus
etiam, poſt iuuentam canóſque, puerilitas eſt. An
quidquã iſti profecerunt, quibus animi mala ſunt,
auctique in maius errores, qui à pueris magni-
tudine tantùm formaque corporum differunt: ce-
terùm non minùs vagi incertique, voluptatem ſine
delectu appetentes, trepidi, & non ingenio, ſed for-
midine quieti? Non ideò quiquam inter illos, pue-
roſque, intereſſe quis dixerit, quòd illis talorũ, nu-
cumque, & æris minuti auaritia eſt; his auri argẽ-
tique, & vrbium: quòd illi inter ipſos magiſtratus
gerunt, & prætextam, faſceſque, ac tribunal imi-
tantur; hi eadem in campo, foroque & in curiâ lu-
dunt. illi in littoribus arena congeſta ſimulacra
domnũ excitant; hi vt magnum aliquid agentes, in
lapidibus, ac parietibus & tectis moliendis occupa-
ti, ad tutelã corporum inuenta in periculum ver-
terunt. Ergo par pueris longiùſque progreſſis, ſed
in alia maioráque error eſt. Non immeritò itaque
horum contumelias ſapiens vt iocos accipit.

KK Verùm

Digitized by Google

Verùm ſi magnitudine animi & penè ſuperbiâ armatum nulla cædit iniuria, nulla nocet malorum vis, quàm inpenetrabilis erit protectus magnitudine Dei, magnitudine cæleſtis gloriæ, magnitudine humilitatis ſuæ? cùm videat per mala iſta ficta, & per malos veros fieri meliorem, Deo gratiorem, Chriſto digniorem, Filio Dei ſimiliorem, Non accipit hæc moleſta, vt maleficia hominum, ſed ac beneficia Dei. Impoſſibile eſt, iuſtum, quatenus iuſtus eſt, lædi ab iniquo. Iam ſi lædi putet iuſtitiæ ſuæ detrimentum eſt, & ipſe ſibi, non alius noxius. Quare qui mirantur, bonos affligi, & propterea ſiniſtrè de prouidentiâ cogitant; atque peſſimi ipſi qui bonos affligunt; ſimiles mihi videntur ijs qui in Babylonicam fornacem tres coniecere pueros, qui combuſti extrà ſunt, pueris intus indemnibus.

Capvt XIII.

An mali aliud poſſint in iuſtos, quàm prodeſſe

ARtificium diuinæ beneficentiæ tam ſubtile, tam mirificum eſt, vt nec à malis mala accidere bonis conſentiat: quibus ſi non ſemper, benefaciant improbi, proſunt ſemper, & vel inuiti aut inſcij iuuant. Sic ſunt probi à Deo protecti, vt ipſa damna proficiant. nullum maius munimentum eſt, quàm ſi eſt & ipſa noxia munimentum. tam abeſt, vt ſceleſti noceant optimis, vt nequeant niſi prodeſſe. Hoc fortaſſe paradoxum putabis. tanta eſt ignorantia veritatis, tam læſa rerum æſtimatio, vt, quod de fide eſt, paradoxum videatur. Apoſtolus diuino
Rom. 8. inſtinctus ſpiritu ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia inquit, addit Caſſianus, *ſiue mors, ſiue vita, ſiue proſpera, ſiue aduerſa. vbique qui Deum diligit, inuenit occaſionẽ ſalutis.* Verum ſicut de perfectis ac ſapientibus hoc dicitur ita de infirmis pronuntiatur ac ſtultis, omnia aduerſari viro inſipienti. Nec enim proſperis rebus proficit, nec emendatur aduerſis. Eiuſdem namque virtutis eſt, triſtia fortiter ſuperare, cuius eſt moderari ſecunda, & eum qui in vno eorum ſuperatur, neutrum ſufferre, certiſſimum eſt. Faciliùs tamen quis elidi poteſt proſperis, quàm aduerſis. hæc enim inuitos interdum retinent atque humiliant, & compunctione ſaluberrima, vel minùs peccare faciunt, vel emendant. Illa verò mentem mollibus ac pernicios extollentia blandimentis, ſecuros felicitatis ſuæ prouentu, ruinâ maiore proſternunt. Proinde mens viri iuſti non debet eſſe ſimilis ceræ, vel alterius cuiuſque materiæ mollioris, quæ ſemper characteri ſignantium cedens, pro eius formâ atque imagine figuratur. quamquam in ſe tamdiu retinet, donec alio rurſum ſuperimpreſſo ſignaculo reformetur. atque ita fiat, vt numquam in ſuâ qualitate perſiſtat. Quin potiùs debet eſſe velut quoddam adamantinum ſignatorium, vt inuiolabilem menſuram, figuram ſui ſemper cuſtodiens characteris, vniuerſa, quæ incurrerint, ſibi ad quatitatem ſui ſtatus ſignet atque formet; ipſa verò inſigniri nullis incuſſibus poſſit. Itaque adhuc ex damnis fabricant ſua commoda iuſti, & ad ſuam vtilitatem effigiant, quia meritorum inde ſupellex patientia, ſelecta virtutum argilla difficultas: nec magis indignè ferenda, quàm ſi aurifex inueniat probatiſſimum aurum.

Si vis luculentam aliam explicationem, quomodo & bonorum & malorum poſſit eſſe bonis bonus vſus audi Galfridum, omni virtutum ſatellitio munientem iuſtos: *Non enim bona, inqui, tantùm, ſed etiam mala bonis proficiunt ad ſalutem. Quidni poſſint? Abſit vt vincat malitia ſapientiam, & cùm multi etiam bonis in ſui perniciem abutantur, benè malis vtentes nonnulli inueniuntur. Benè itaque vtitur bonis quæ facit, qui rectè offerens rectè etiam diuidit; ſolam, in his omnibus quæ rectè egerit, quærens ſalutem propriam, proximorum ædificationem, gloriam Dei. Iuſtitia & hoc, quod ſuum eſt cuique reddere. benè vtitur bonis, qui recipit ea in timore, & in gratiarum actione, & neceſſitatis conſideratione, beneficia ſumit auctoris. Temperantia hoc, quæ & ipſa ſecunda ſpecies eſt virtutis. Benè vtitur malis, quæ fecerit, ſi etiam feruenior ad agendam pœnitentiam, & ſolicitior fuerit ad cautelam. Benè vtitur malis quæ patitur, qui eorum breuitatem, leuitatem, vtilitatem, ſemper attendit. Et horum quidem duorum prudentia alterum eſt, alterum fortudinis.*

Si vis idem naturæ auctoritate firmatum, adi, Lib. de Prouid.
aut audi breuiſſimè Senecam: *Nihil accidere bono viro mali poteſt. non miſcentur contraria. Quemadmodum vt amnes tantum supernè deiectorem imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium, non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem; ita aduerſarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. manet in ſtatu, & quidquid euenit, in ſuum colorem trahit.* Ergo prodeſt, ergo bona etiam aduerſitas bonis. hic color pulcherrimus, iuſti bonitas.

Bona quoque ſunt iuſtis acerba iſta, etiam quatenus admittunt vt pœnas, vt ſupplicia, licet inde nullum grandius gloriæ emolumentum fabricarent. pœna vtique iuſtitiæ Dei radius eſt; iuſtitia bona eſt, quare & pœna. lætantur vtique non ſolùm ſe bonos eſſe, ſed minùs malos; minùs autem malos ſe putant, cùm bonum iuſtitiæ habent, quàm cùm carent. culpis debita eſt pœna, nec minùs lætantur, cum puniuntur, quàm cùm creditor egenus ſolui ſibi debitum videt.

Capvt XXV.

Cur Deus tot animæ pericula permittat.

MAgnifice quidem iſta dices, nihilominùs non ſunt ſine periculo iuſti: nam & pereunt quandoque, qui iuſti quondam. Euidens diſcriminis argumentum, damnum eſt. atque, ſi nolis violenta recenſere, quibus peſſimi obruunt probos, & ad imitationem ſui torquent; conſilia computa, blanditias, exhortationes, exempla, conſortia, quibus eos adigunt in mores ſimiles. Nec maiori cædi poſſunt vulnere, quàm exemplo malitiæ, nec diriùs perire quàm imitatione. At iſtud damnum non infert alius, ſumit quiſque: inuitus autem vir optimus à nemine cædi poteſt, minùs perire,

Sed

Digitized by Google

Sed & aſtutia eſt, ex his etiam proficere. Ars iuſtorum eſt, transfundere in ſalutem pericula. nec diuerſa eſt illorum diſcriminum ratio, quàm eorum, qui ex affectibus, qui ex corpore noſtro, qui ex peſſimis ſpiritibus; quæ poſt exundantem Chriſti redemptionem adhuc reſtant, quia vtiliora nobis ad experimentum fidei, ad ampliſſimum patientiæ penum, ad virtutis exercitium, ad meritorum ſupellectilem, ad humilitatis auctoramentum, ad iuſtitiæ & ſanctitatis cumulum, ad timoris pignus vtiliſſimi Sanctis; quem propterea dixit Leontius Arabiſſinus *patronum iuſtitia.*

Apud Photium.

Cap 94.

Sublimiter ſenſit magnus vir Diadochus, per acerba diuinum ſimulacrum humanis inſculpi animis; numquam propterea tutos eſſe etiam iuſtos aut à periculo, aut à formidine. Olim quidem exercitos piorum animos per tyrannorum cruciatus: pacata poſtea domo Dei, ceſſantibus Martyribus, increbuiſſe ægritudines corporum, & alias animi afflictiones, vt furoris tyrannici vſum compenſarent multa alia moleſta & pericula, vt numquam deeſſet negotium virtutis. *Nunc*, inquit, *quia Eccleſiæ multam per Dominum pacem & tranquillitatem habent, opus eſt eorum qui certant corpus quidem frequentium morborum, animas verò malarum cogitationum periclitatione probari; præſertim in quibus cognitio in omni ſenſu & plenitudine operatur. Vt extra omnem inanem gloriam, & extra illud in ſublime poſiti, ſigillum, vt dixi, diuinæ pulchritudinis in cordibus ſuis per multam ſummiſſionem capere poſſint. Sicut ait ſanctus ille Propheta: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Oportet igitur cum gratiarum actione voluntatem Domini ſuſtinere: tunc enim iſta ægritudinum aſſiduitas, & cum dæmoniacis cogitationibus pugna, vice ſecūdi martyrij habebitur.* Credo iſtud alterum martyrium felicius, & purificatum ſine fæce peccati. non eſt neceſſe delinquat alius, vt merear ego, dum ægroto, dum vexor ſuggeſtione inimici, aut aliâ tentatione. At vt priſci Martyres luctarentur cælum, perdebant illud multi: vt vnus mereretur coronam, multi merebantur compedes & ſupplicia. Vnius fortitudo multorum ſupponebat iras, inuidentias, odia: vnius virtus multorum peccata ſequebatur. Peccabat Imperator, peccabant miniſtri, peccabat Conſul, peccabant lictores, quæſitores, criminatores, carnifices, ſine tot culparum ſordibus defæcatiſſimum martyrium eſt tentatio, & pulcherrima merendi officina, & virtutis promptuarium.

Quis non mirabitur prouidentiæ ſubtilitatem, ne optimus quiſque otio torperet, artificioſam præparantis palæſtram per animæ pericula? Qui immobilis ad omnes fortunæ geſtus perſtat, nulla ſibi reputat temporalia bona, nulla damna corporis. iam ſupra omne, in quod tempus dicit ius, erectus nec timet, nec ſperat quæ deſpicit. Sic nullis aut leniſſimis telis tangitur: iam ſine pugnâ, quia dominans omnium: ergo aliis commeatus adornandus ipſi erat amplandæ exercitio virtutis, non per temporalium & corporis diſcrimina, quæ ipſi æternitatem inuiderent. nec vmquam virtus ſine exercitio ſit, ſine triumpho, cùm optimus non ſe dignum cenſeat niſi animo. Huic inſidiæ, huic æmuli, huic mala impendeant, vt habeat quid timeat, quid vincat. nihil illi nocet, niſi velit. Arbitrio illius victoria, & ſecuritas eſt in timore tuta. Inde fiet vt ſollicitus ſemper ſui, ſua quoque promoueat merita, & ſancto extimulatus timore impleat quod B. Ephræm canit:

Diligentiam tibi vindica, magnum ſapientiæ theſaurum,
Et relinque negligentiam ærarium perditionis.

ſcilicet præparabit animæ ſuæ, vt idem Sanctus ait, bonorum operum viaticum, vt qui minori virtutum pompâ ſaluaretur, huic formidini debeat maieſtatem meritorum, quæ aſſiduus Dei timor & humilitas adornarunt, & ſeruant gratiam. Inde illud diui Nouati Catholici: *Via ſalutis non nobis eſt peruia, niſi humilitas.* Rurſus dicit: *Non neceſſarium ſeruis Dei aliquod præmium niſi humilitas.* Serm. de humil. Quare humilis & timentis beatitudinem commendauit Salomon, dicens *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Prou. 8. Simeon iuſtus erat, & Spiritus ſanctus erat in eo, nihilominùs timoratus dicitur; imò & perinde humilis, ac timoratus. Optimè Galfridus diſſeruit: *Ne*, inquit, *mireris; quòd timuerit iuſtus, & in quo Spiritus ſanctus erat. Non enim erat vacuus coram latrone viator, & quomodo non timeret? Theſaurum magnum habebat in vaſe fictili, & timoratum fuiſſe miraris? Tua, credo, ſecuritas, aut de inopia, aut de ignorantia eſt: aut enim deeſt quod poſſit auferri, aut deeſſe iam putas, qui poſſit auferre. Time igitur vel ob hoc ipſum, quòd te inueneris non timentem.* Audi in hac parte præcepta Hugonis de Foilleto: *In veritate didici, nihil æquè eſſe efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur; & hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Cùm adeſt, time, ne non dignè opereris ex ea; ſed ſuperbiæ ſpiritus, ſi impedire non praualet actionem, tentat intentionem, ſuggerens, & ſuadens quatenus effectum gratiæ arroges tibi. Quod quidem genus ſuperbiæ intolerabile eſſe non ambigas. Timendum eſt ergo manente gratia. Quid ſi receſſerit, num multò magis timendum? Planè multò magis, quia vbi tibi deficit gratia, deficis tu. Audi quid dator gratiæ dicat. Sine me, ait, nihil poteſtis facere. Time ergo ſubtracta gratia, tamquam mox caſurus. Time, Deo, tibi, vt ſentis, irato. Time, quia reliquit te cuſtodia tua. Nec dubites in cauſſa eſſe ſuperbiam, ſi non appareat, etiamſi nil tibi conſcius ſis. Numquid enim qui humilibus dat gratiam, humili aufert datam? Ergo argumentum ſuperbiæ, priuatio gratiæ eſt. Quamquam tamen interdum ſubtrahitur gratia, ſiue retrahitur. Habes huius rei euidens documentum de Apoſtolo, qui ſtimulos carnis ſuæ ſuſtinebat inuitus, non quia extolleretur, ſed ne extolleretur. Iam ſi gratia repropitiata rediret, multò ampliùs tunc timendum; ne fortè contingat recidiuum pati: quod vtique deterius eſt.*

Neceſſaria quoque erant aliqua animi tentamenta ad explorationem noſtram: nam, vt ait Auguſtinus, *homo ſibi ignotus eſt, quid ferre poſſit, quid non poſſit: aliquando metuit ſe non poſſe, quod tamen poteſt: cùm accidit tentatio, quaſi interrogator quidam, homo inuenitur à ſe ipſo, qui prius latens neſciebat ſe ipſum.* Archiapoſtolus

poſtolus Petrus, antequam ei ſuperueniſſet tentatio, & ſe latebat, & alios, quàm eſſet inconſideratus & infirmus: acceſſit illa, & apparuit infirmitas quæ latebat. Maxima igitur hominis probatio tentatio eſt, ſacrâ teſtante

Eccli. 27. Scripturâ: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Facilis eſt in proſperitate patientia, quando mentem nulla pulſant aduerſa. *Multa* autem *tribulationes iuſtorum, ſed de omnibus his liberabit eos Dominus* noſter Ieſus Chriſtus.

Capvt XV.

Cur poſt priuatum iudicium, vniuerſale decretum ſit.

HInc videbis iuſtiſſimam cauſſam futuri totius generis humani iudicij, vt compenſentur iuſtorum damna, vt publicus reſtauretur honos virtuti, vt pudor quoqoque puniat peſſimos, vt dignoſcatur ſincerum vitæ decus, & remuneretur etiam peſſimorum ſuſpectione & reuerentiâ, vt vaniſſimus morum oſtentator reſtituat honorem ſimplicitati obnoxium. Debuit ſceleſtiſſimus, vno tantùm ſcelerum aut diuitiarum priuilegio, ſtipatus aſſentatoribus, permulſus adulatoribus, plecti probris, & improperio redimi vſurpata gloria. Neceſſe eſt vt publico iuſti conſpectu, quemadmodum Sapiens

Sapient. 5. diſſeruit, ſtent *in magnâ conſtantiâ aduerſus eos, qui ſe anguſtiarunt, & qui abſtulerunt labores eorum* vt improbi turbentur *timore horribili*, & mirentur *in ſubitatione inſperata ſalutis, & præ anguſtiâ ſpiritus gementes*, præ magnitudine confuſionis dicant: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à viâ veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Anne decens erat, vt toleraretur abſque publicâ reſtitutione iniu-

Ecc. 15. ſtitia illa, qualem Eccleſiaſticus ſcripſit; *Diuiti decepto multi recuperatores: locutus eſt ſuperba, & iuſtificarunt illum. humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur: locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus.* Si hanc inæqualitatem complanare, Dei munus eſt, hoc certè maximè commendat prouidentiam eius; hoc publicam mundi rem curare demonſtrat, & eluit impiorum atque Epicurei alicuius calumnias. Egregia hinc S. Chryſoſtomi ſententia: *Regula hæc eſt vniuerſalis & determinatio: in virtute viuentium nemo iudicij ſermonem negat, ſiue Gentilis, ſiue hæreticus: in multâ viuentium malitiâ nemo, præter paucos, reſurrectionis ſermonem admittit.*

Multa quoque alia adſtruunt vtilitatem totius iudicandæ naturæ: nam & corpus peccati complex apparere iudici debuit. Neque tantùm reo vult Deus iuſtitiam ſuam probari, ſed omnibus, & inſcrutabiles ſapientiæ ſuæ vias pandere. Multorum hominum peccata & virtutes, & diuinæ circa illos gubernationis effectus colliguntur cum aliis; quare oportet vt totus prouidentiæ contextus patentiſſimè illuſtretur. Quemadmodum enim qui periodum ſolam orationis legit, non plenè concipit ſenſum ex antecedentibus & ſequentibus ſuſpenſum, vt opus ſit integriorem textum conſiderare: ſic effecta prouidentiæ plurima non ſatis tenentur, niſi ex toto contextu variè colligantur inter ſe diuinæ prudentiæ conſilia.

Deinde gloria Chriſti expoſcebat, vt qui ab hominibus iniuſtè iudicatus eſt, plublico iudicio & ſupplicio, iuſtè homines iudicaret publico item iudicio. Oportet cum maieſtate iudicis veniat qui priùs cum humilitate peccatoris venerat. oportet cum confuſione videant impij illum, quem confixerunt cum impudentiâ. Itaque & ampliatio conſumatióque mercedis, & manifeſtio diuinæ iuſtitiæ vniuerſis agnoſcendæ probandæque, & vniuerſus declarandus ordo vniuerſæ prouidentiæ, & ratio reddendus Filio Dei, vniuerſale iudicium expoſcunt.

Capvt XVI.

An iudicium finale ſpectet etiam ad miſericordiam Dei.

VErum non tantùm iudicium Dei inuentum iuſtitiæ puto, ſed & miſericordiæ. Maxima Dei commiſeratio eſt, compendium præparare ſcelerum. Vtiliſſima iudicij interminatio. obſtat multis delictis. formido tanti periculi, tuta & ſalutaris eſt pluribus. Quàm vtilis & plena eſt miſericordiæ terribilis illa interminatio apud Sophoniam: *Scrutabor Ieruſalem in* Soph. 1.
lucernis, vt ſcilicet ſcrutanda non committamus, ſed ſubtili & exquiſitâ noſtrorum actuum diſcuſſione & correctione ſubtilitatem diuini tribunalis præueniamus? ſi tam ſcrupuloſè ſanctos, per Ieruſalem deſignatos, examinabit, ánne erga impios Babyloniæ ciues negligens iudex erit? Vtiliſſimum eſt, ſi noſtro hæreant pectori iſtæ minæ. vtiliſſimæ S. Bernardo fuerunt, quantum timore cauit ſibi, & promouit admirabilem ſuam ſanctimoniam. Iſque quoque dixit, quod etiam vtiliſſimum erit audire: *Valdè* Serm. 55. in Cantica.
timendum eſt ſcrutinium iudicis. Acuto viſu eſt, nil inſcrutatum relinquet oculus eius. Scrutabor, inquit, Ieruſalem. Quid tutum in Babylone, ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium? Puto hoc loco Prophetam Ieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Ieruſalem conuerſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi qui de Babylone ſunt, vitam in turbatione vitiorum, ſcelerumque confuſione vaſtantes. Denique illorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio. Mea autem (qui videor eſſe monachus, & Ieroſolymita) peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu monachi adumbrata. Et idcircò neceſſe erit ſubtili ea inueſtigari diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.

Vnde etiam exorta fides Bulgarorum & ſalus? vnde ſanctimonia ſancti regis Trebellij, niſi à memoriâ iudicij, cuius ſpectaculum depictum à Methodio monacho, iuſſo terribilia pingere, conſternatum ad ſalutem regem Chriſto vindicauit? Plus enim publicum illud tribunal formidamus, quàm priuatum. Pudor acriùs percellit multos, quàm dolor: nec ſic cruciatus terret

terret,vt confuſio. Quare non ſatis cautum formidini erat, niſi etiam per periculum verecundiæ: ideò ſubtiliſſimè excogitatum edictum iudicationis palàm futuræ totius naturæ,vbi pandantur omnia, & publico proſtent cuncta ſcelera pudori. Lucretia Romana femina non ſic timuit mortem, ſicut ruborem: hunc ſiquidem maluit eluere nece. Quot damnati famâ manus in ſe prodigo conſpurcarunt cruore, vt conſpectum humanum eluderent? multi, ne traducerentur exemplo publico, in carcere perfregerunt elatas ceruices. Prætextus tenebrarum inutilis peccaturis eſt. manifeſta fient omnia, vt quod celas modò, ſciam ego aliquando. quod nolles niſi te ſcire, ſciam te inuito, ſcient vniuerſi. Lateat ſceleſtus quantum voluerit; maximo cunctis exhibebitur pudore, parentibus, cognatis, extraneis, amicis, inimicis. Nec tantùm numerus teſtium irritabit tunc infamiam ſceleſtorum,ſed vis ſcelerum, quæ mores ipſorum hereditarunt. Quorumdam ſcelera fœcundiſſima ſunt,vt in alieno ſolo (ſic dixerim) germinent & poſthumis damnis ſuperſint. Arius,Pelagius, Mahometus, Lutherus, Caluinus in multos annos produxerunt mala. vltra vitam deliquere: oportet puduiſſe non ſolùm ſcelerum quæ fecerunt, ſed quæ dederunt: hoc eſt,liberaliter ſuppeditarunt doctrinâ & exemplo. Quare expectandus erat ſæculorum exitus, vt frondes & fructus integros videant, erubeant, & carpant largam probrorum mercedem,ab iis etiam quos deceperunt.

Caput XVII.

An ſit diuinâ iuſtitiâ dignum, aliqua delicta punire in hac vitâ,alia non?

HInc liquebit quomodo, inuiolato diuinæ iuſtitiæ iure, aliqua ſcelera diſſimulari poſſint: nam ſi ſemel & iterum iudicanda, excutienda, damnanda, non obſtat interim procraſtinare totam ſeueritatem. Prudentiſſimè à Deo conſultum, quædam in hac vitâ munerari, quædam quaſi contemnere; ad fidem vtrique prouidentiæ, & argumentum poſthumæ remunerationis. Si nulla Deus puniret, prouidentia credi non poſſet; ſi omnia, nulla alterius vitæ ſpes reſtaret. Diagoram ſupplicium periurij dilatum exturbauit diuinitatis fide; Deum negauit, dum vindicem non vidit. Idcirco Deus, vt prouidentiæ, & alterius vitæ fidem fulciret, quædam punit, quædam non punit,& promiſcuè decernit, vt bona interdum bonis, & mala interdum malis eueniant, vt Abrahæ proſperitas, & Cain pœna. Aut contrà bona malis, & mala bonis; vt diues qui in Euangelio vſque ad mortem felix deſcribitur; è contrà Lazarus vlceribus atque egeſtate miſerandus. Aut certè neque his neque illis vtralibet retributio, vt pro Ioſeph vendito nulla inſignis vltio fratribus irrogatur. Nec ſocer Moyſis, qui pro regendo populo ſalutare dedit conſilium, licet laudetur à Deo, aliquâ mercede donatur. Cuius diuerſitatis cauſſam Iunilius hanc reddit: *Aliquibus hîc congrua rependuntur, ne mundus non putetur prouidentiâ diuinâ regi, ſed caſibus: ſimul; vt & bonos bonorum copia conſoletur,* (Lib. 2. de Part.diu. leg.c.13.) *& malos ſimilium pœna deterreat. At verò malis felicitas permittitur, vt boni probentur, & diſcant ea contemnere,quæ vident indignis ſecum eſſe communia. bonis autem æquè accidunt mala. Aut vtrique generi nulla hîc compenſationis imago conceditur, vt alibi & iudicium,& plenam pro actibus retributionem certiſſimè poſſimus cognoſcere.*

Præterquam quòd ij ipſi qui impuniti videntur in hac vitâ, fortaſſe acerbius peccatorum præmium tolerant, licentiam pecandi, proſperitatem dico. quam eleganter dixit Chryſoſtomus nouercam virtutis: à quo proximè M.Tullius, *Difficile*, inquit, *eſt virtutes eum reuereri, qui ſecunda ſemper fortuna ſit vſus.* (4 ad Heren.) Deinde non ideò quòd videamus improbum felicem, impunis in hac vitâ credendus eſt. quis ſcit,an inde adornetur illi magna calamitas? Verè dixit Boëthius: *In omni aduerſitate infeliciſſimum infortunij genus eſt,fuiſſe felicem.* (2.de Conſ.) Luculenter quoque Cæſar ſcripſit: *Conſueſcunt dij immortales, quo grauiùs homines ex mutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci volunt, iis ſecundiores interdum res, & diuturniorem immunitatem concedere.* (Lib.1.) Aliud eſt ſine pœnâ relinqui, aliud pœnam differri. triſtis menſura calamitatum, ſolet eſſe magna & diuturna felicitas. Sæpiſſimè lêta ira Dei meditatur tempeſtiuum ſupplicium, pro loco, pro tempore, pro modo, quo diuina ſapientia nouit ſceleri conuenire. Non ſine ordine, non ſine elegantiâ punit Deus, & interdum indigetat flagitium concentus ſupplicij. Lepidè Æſchylus prouidentiam dixit harmoniam Iouis; alij geometriam Dei: cum menſurâ & proportione, &, vt ſic dicam, cum ſymphoniâ culpæ & pœnæ ſæuit. Multis hoc hiſtoriis firmare poſſem. recentem dumtaxat cõmemorabo, quæ anno 1630. cõtigit in regno Valentino. Septem ex noſtris iter agentibus,ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, occurrit quidam eius regni eques armatus ſclopetis, calumnians illos, quòd gallipauum è domo ſuâ ſurripuiſſent. Sclopeta direxit in eos, donec reduceret tremebundos ad villam. ibi explorauit etiam ſub veſtibus, an auem occultaſſent mixtis interim acerbis iniuriis in ſeruos Dei, cum ſcandalo audientium. quod auctum fuit,cùm poſteà reperiſſet eques in domo ipſâ ſuâ gallipauum viuum. nemo tamen fuit auſus Religioſos illos defendere. At licet per aliquot dies impunis videbatur calumniator manere, citò ſe explicuit diuina iuſtitia: accidit enim, vt ipſo S.Ignatij Patris noſtri die,eodem anno,& in ipſo loco,vbi inuaſit ſeptem ex noſtris, à totidem inuaderetur ſclopetariis, qui illum ſeptem plumbi glandibus atrociter ibidem exanimarunt. Vide harmoniam in numero eodem, in inſtrumento, in loco in tempore. Patentiſſimum fuit omnibus diuinæ iuſtitiæ argumentum.

Caput XVIII.

Cur quoſdam iuſtos remuneret Deus, alios potiùs affligat.

EAdem cauſſa meritorum eſt quædam in hac vitâ remunerat Deus, alia ſic in ſpecie contemnit, vt tamquam vitia videatur punire.

Adoleſcentulos Hebræos flammis ſubduxit; at Machabæos fratres obiecit Antiocho excruciandos. Merita tamen vtroque modo munere compenſat,ſiue præmio, ſiue pœnâ; & fortaſſe hac locupletiùs. damna huius vitæ ſalutaria ſunt. *Damna*, inquit Lucifer Calaritanus, *lucris animæ Chriſtiani repenſamus, coronam in vulneribus computamus.* Egregiè S. Macarius ait: *Via chriſtianiſmi hac eſt; vbi eſt Spiritus ſanctus, ibi eum ſequitur, tamquam vmbra, perſecutio & lucta.* Plerumque enim accidit quod Chryſoſtomus dixit: *Quos ante mundi conſtitutionem ſuos eſſe cognoſcit Deus, tantis eos laboribus onerat,& tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cælorum. quoſdam itaque propterea affligit, vt interim contemptum perſuadeat temporalium, & pretioſos ſibi faciat meritorum cenſu patientiâ, & gratiores confidentiâ diuini auxilij.* Ideò Deus, qui non vltrò,nec libenter affligat, importunis nihilominùs inſtat ærumnis, & exercet ad vltimum, vſque dum deſperatâ humanâ ope, ſolùm diuinam imploremus. Hæc ſpes digna eſt omni cruciatu emi: & viget,cùm auulſi à terrenarum rerum lenociniis, ad cælum erigimur votis & oratione:quæ numquam efficacior, quàm cùm ipſa anima cruciformis toto ipſam crucem corde affectat, quam manibus oſtentat: iuxta Aſterij ſententiam. *Rectas*, inquit, *tendere in cælum manus, formam eſt exhibere Chriſti cruci affixi; ſi verè oret & orans placeat Deo, non modò in figurâ crucem repræſentans,ſed etiam affectu:* addiderim ego & maximè,ſi affectu etiam.Vt alios tamen demulceat Deus,omnes omnipotentiæ opes largiſſimè impendit, Chriſtianam virginem omni deſtitutam ſpe, lauiè è ſuis vberibus recreauit lacte. manarunt & oleo, quo panem condiret, quo vulnera foueret. Aliquando non pro ipſis iuſtis hæc diſpenſat Deus, ſed aliorum cauſsâ, vel quia iuſtus afflictus exemplum erit patientiæ, vel felix & opulentus ſubſidium vitæ aliis præſtabit. Deus qui pater pauperum eſt, fidelibus miniſtris ſolet impertire, quæ fideliter egentibus diſtribuant. Ea quoque præcipua cauſſa eſt promiſcui ſeueritatis & beneficentiæ vſus, quòd non eadem omnibus expediant. quoſdam ægros acribus,alios lenibus pharmacis iuuari oportet.

In libro *Moriendum pro Chriſto.*

Hom. 15.

Hom. 54. in Matth.

CAPVT XIX.

An aliquando nullam mercedem virtutum aut ſcelerum reddat Deus in hac vitâ.

NIhilominus omnis etiam in hac vitâ ſceleſtus cum aliquâ pœnâ eſt, omnis cum mercede iuſtus. Licet enim iuſtiſſimis cauſſis remuneratio protrahatur multis; aliqua ſemper merces moribus inſtat, & indiuiduo contubernio pectora implet.Mirabilis eſt prouidentia diuina in gerendis humanis rebus; in hoc mirabilior, quòd mirificâ ſubtilitate noſtros imbuat debitâ mercede actus, & congruens moribus aſſuat præmium. Ipſæ cupiditates punient auarum iam triſtitiâ, iam formidine, ſemper periculis miſerrimum, & velut naufragum ſuperuenientibus fluctibus, inſtantibus votis anxium & obrutum. Amor ipſe gloriæ ſuperbum traducit ad contemptum, & naſum omnium. Voluptates ſæuiunt in corpus ipſum,quod peſſundant macie, morbis, debilitate, prouocatione fatorum. Quis eſt, quem ipſa ſcelera non crucient,ſi non infelicitate votorum, importunitate? tædio ſui ipſe ſceleſtus ſe plectit; omnes illum faſtidio, odio, probris. Neceſſe omnino eſt malos mala pati: nam neceſſe eſt ſe pati. Demus tamen tam proſperam malignitatem, vt omnibus grata ſit; quòd difficillimum eſt placere etiam malis. Demus omnem felicitatem votorum; nullum votum fefellerit cupientem. Plura peſſima ſunt: & quod maius ſupplicium, quàm iſta fortuna peccandi? nam ſi pœna malum reputatur, quæ maior pœna quàm maximum malum? Præter hæc conſcientia, quæ fideliſſimus & primus cordis arbiter diligentiſſimè pectora fodicat, & in omni voluptatum apparatu locum pandit, cruci. Epicurus, licet iuſtum nihil naturâ putarit,crimina tamen vitanda eſſe dixit, quia vitari metus non poſſit. Alexander quem omnes metuebant, qui nihil metuit, conſcientiam ſolùm timuit. Decernunt Macedones iure interfectum Clytum, quo minùs puderet cædis Alexandrum. Interim ipſe miſerrimè exclamabat: *Et ego ſeruatorum meorum latro reuertar in patriam, vt ne dexteram quidem nutrici ſine memoria calamitatis eius offerre poſſim.* Curt. lib. 8.

Prima eſt hæc vltio, quòd ſe Iuuenal.
Iudice nemo nocens abſoluitur.

Non potuit fortunâ Imperij, & elatus ille inuidiæ ſcopus, impunem Tiberium & ſecurum ſui reddere. Quàm miſerè lamentatur! *Quid ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore; dij me deæque peius perdant, quàm perire me quotidie ſentio, ſi ſcio. Adeò* (ſubiicit prudentiſſimus Hiſtoricus) *facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes,poſſe aſpici laniatus & ictus; quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* Demus nullas adhuc conſcientiæ iras, nullum adhuc votorum patibulum ſceleſtum ſubire; demus ſecundis ſceleribus non mulctatum; pœna illa ipſius primæ culpæ ab ipſâ reuelli nequit. culpa ipſa punit non leuiter,ſed capitali iudicio,cùm perdat hominem. Iam hominis ſacramento & titulis indignus eſt, qui peccat. Iniquum non niſi æquiuocè hominem puto, quemadmodum cadauer hominem mortuum dicimus. Acutiſſimè magnus vir Boëthius dixit: *Vitioſos malos eſſe conceſſerim, ſed eſſe abſolutè nequeam confiteri. Eſt enim quod ordinem retinet, ſeruátque naturam; quod verò ab hac deficit, eſſe etiam, quod in ſui natura ſitum eſt, derelinquit.* Profectò honorificentiſſimè cum improbis actum, ſi ſolùm negamus homines: nam Boëthius conuincit non eſſe: ſic diſſeruit: *Omne namque quod ſit, vnum eſſe, ipſúmque vnum bonum eſſe, paulo antè didiciſti: cui conſequens eſt, vt omne quod ſit,id etiam bonum eſſe videatur. Hoc igitur modo quidquid à bono deficit, eſſe deſiſtit: quo fit vt mali deſinant eſſe quod fuerant. Sed fuiſſe homines adhuc ipſa humani corporis relicta ſpecies oſtentat: quare verſi in malitiâ,humanam quoque amiſere naturam. Sed cùm vltra homines quemque*

Tacit. 6. Ann.

Lib. 4. proſâ 2.

Lib. 4. proſâ 3.

prouehe

prouehere ſola probitas poſſit, neceſſe eſt vt quos ab humanâ conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Igitur licet exundent opibus peſſimi, eructent voluptates, intumeant potentiâ & gloriâ; intima illos ſua paupertas dehoneſtar, ſuus dolor lancinat, ſua infirmitas deprimit, ſua ignominia deturpat. quis pauperior quàm ſuæ adhuc mentis egenus? Quemadmodum nihil magis proprium hominis eſt quàm mens & anima, quibus homo eſt: ita nemo eſt pauperior, quàm cui hæc deſunt. Quis magis miſerandus, quàm quem miſerum id facit, quod putabat felicitatem? quàm quem ipſa voluptas affligit? quis ignorabilior, & magis imbellis, magis mollis, quàm potens ad ſcelera? nam ad mala non eſt alia potentia quàm imbecillitas. malum nihil eſt. in nihil ſponte proruunt infirma. Queruntur multi de peſſimorum potentiâ, cùm obruant bonos. Compara vtrorumque vires: nihil debilius inuenies poteſtate peccandi. Cogita duos homines ad eumdem profectos locum, quorum vnus ſtatim accedit, alter nunquam: vter ex his validior? profectò qui peruenit. Omnes ad bonum nitimur; boni ſolùm perueniunt, quare validiores erunt. Cogita etiam duos homines, quibus idem ſit propoſitum. vnus id peragat naturalibus inſtrumentis, alter nec artus ſuos adminiſtrare poſſit; quem diceres valentiorem? Exemplum eſto: velint duo ambulare; vnus incedat pedibus, alter ſolùm id poſſit alio modo quàm naturæ placuit, ſcilicet manibus; qui non perficiat greſſum, ſed ſimulet perficientem: nonne hic infirmiſſimus eſſet, nec fortior infantulo, qui reptare ſolùm, non incedere poſſet? Idem de bono & malo æſtima. ſummum bonum cunctis eſt propoſitum. boni obtinent naturali virtutum officio; mali per varias cupiditates ſimulant ſibi fictitium bonum. Ceterùm & illa imbecillitas & infamia admiranda eſt, quòd ſibi malus repugnare non audeat, quòd nec ſibi tutus ſit, quòd cedat libidini ſui cordis, quòd ſeruiat cupiditatibus, quòd non vno tyranno ſed mille excrucietur: tot ſcilicet, quot vota habet, id eſt patitur, quibus nec parere poteſt, nec contradicere. Si duobus dominis nemo poteſt ſeruire, tot tyrannis minùs ſatisfaciet.

Quod de malis diſſeruimus, connexam factis ipſorum mercedem, pari ratione, diſpari tamen ſorte, in bonis reperiemus. nunquam bonus ſine præmio eſt; nam numquam ſine bono. Bonum ipſum eſt præmium: neque enim boni eſſent abſque bono. merces vtique operis id eſt,
Lib. 1, Offic. propter quod fit. Sed & conſcientiæ feſtiuitas largo munere virtutes recreat. S. Ambroſius ait: *Impius ſibi pœna eſt, iuſtus autem ipſe ſibi gratia:*
Lib. 4. Coſol. proſ. 4. *& vtrique aut bonorum aut malorum operum merces ex ſe ipſo ſoluitur.* Accedit Seuerinus: *Vide autem quid æterna lex ſanciat. Melioribus animum ſi confirmaueris, nihil opus eſt iudice præmium deferente: tu te ipſe excellentioribus addidiſti. ſi ſtudium ad peiora deflexeris, extrà ne quæſieris vltorem: tu te ipſe in deteriora detruſiſti: velut ſi vicibus ſordidam humum cælúmque reſpicias, cunctis extrà ceſſantibus, ipſa cernendi ratione, nunc cœno, nunc ſideribus intereſſe videaris. At vulgus iſta non reſpicit. Quid igitur? his ne accedamus, quos belluis ſimiles eſſe monſtrauimus. Quid ſi quis amiſſo penitus viſu, ipſum etiam ſe habuiſſe obliuiſceretur intuitum, nihilque ſibi ad humanam perfectionem deeſſe arbitraretur; num videntes eadem, cæcos putaremus?*

Capvt XX.

Quale ſit ingenium malitiæ à Deo prouidè permiſſum.

VT admitemur diuinam prouidentiam & iuſtitiam in peccatorum punitione, cùm nec mali nec mala pœnas ſuas illudant; ipſum ingenium malorum & malitiæ conſiderandum eſt, quomodo aduerſus ſe ipſum armetur. Ipſi mali æmuli viciſſim ſunt, ipſa quoque ſibi hoſtis malitia. ipſi ſceleſti ſe traducunt in exemplum, ipſa culpa ſibi ſupplicium eſt. Nouit iſtud artificium Boëthius: *Vt probis,* inquit, *aut improbis nullum fœdus eſt, ita ipſi inter ſe impro-* Lib. 4. Conſ. *bi nequeunt conuenire. Quidni? cùm à ſemeti-* proſ. 6. *pſis, diſcerpentibus conſcientiam vitiis, quique diſſentiant, faciantque ſæpè, quæ cùm geſſerint, non fuiſſe gerenda diſcernant. Ex quo ſæpè ſumma illa prouidentia protulit inſigne miraculum, vt malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua ſibi à peſſimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediere, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe, quos oderant.* Hoc fortaſſe in prouerbiis Salomon inuoluit, iuxta Græcam verſionem dicens: *Stulti malitiam in-* Prou. 14. *ter ſe partiuntur. Quia,* inquit Græcus Scholiaſtes, *malitiam quaſi quoddam delicatum obſonium inter ſe diuidunt ſtulti.* Aptiùs tamen alius doctor antiquiſſimus dixit: *Inſipientes diui-* Catena *dunt inter ſe malitiam, quaſi communem the-* Græca *ſaurum: quandoquidem & ſeſe mutuo odio ha-* Prouerb. *bent, & ſe inuicem mordent, & iniuria afficiunt, & ſibi mutuò inuident; & ita malitiâ, ex æquo quodammodò inter ſe partitâ, inuicem inſurgunt.*

Magis feſtiuum & ſubtile eſt, quomodo ipſa ſibi infenſa ſit malignitas. Deſigna aliquod vitium, & monſtrabo ipſum ſibi intolerabile, ſeueriùs Rhadamanto ſe punire. deſigna inuidentiam, amantem licet proprij commodi; videbis iniquam. deſigna iram cum ſuâ dulci vindictâ; inuenies acerbiſſimam. Etiam ipſas iniuſtitias iniuſtiſſimas dices. Quid iniſtius, quàm id quo nihil iniuſtius, liuor? aliena ſolùm oculis eripit, ſed ipſum ſubtiliſſimum latronem diripit, lacerat, ipſum patrem ſuum trucidat. Nazianzenus inuidentiam vocauit *propriicidam*; clariùs dicam parricidam, cùm parentes ſuos occidat. Ex S. Syncleticâ diuus Athanaſius refert: *Poſſeſſorem ſuum primùm necat inuidia, ve-* In Vitâ *lut viperæ in lucem editæ antequam aliis noceant,* S. Syn- *matribus ſuis exitia afferunt.* Quid miſerius, clet. quàm in inuido rerum felicitatis, cùm ob alterius merita puniatur? Anne poſſet crudeliùs cum aliquo agi, quàm ſi ob benefacta aliena laniaretur? Quid dicam? Apoſtata naturæ inuidus eſt, atque, vt alter Timon, totius generis oſor. nullum, nec ſe amat; aliena damna optat, ſua non ſentit. Iudæi, cùm à Chriſto flagellis cęderentur in templo, noluerunt illum occidere:

Digitized by Google

id tamen voluerunt, cùm Lazarum ſuſcitauit. Odit inuidus non damna ſua, ſed aliena lucra: emit diſpendia aliorum, propriis: incommoda ſua ambit, vt alius amittat commoda.

Ita quoque non minùs parricida eſt. Rectè Socrates dixit, iracundum, cùm aliis deſierit, ſibi ipſi iraſci: nam antequam alios lædat, ſe mactat. Primus ictus iræ mentem percellit, & iniuriam maiorem ſibi præripit, quàm hoſti imprimit. Æneas Gazæus inquit: *Iniuria facta,* In Theophraſt. *ei qui fecerit tamquam peccatum imputatur. eſtque etiam damno: quippe qui cùm fecerit, nec facti culpâ vacet, nec pœnas effugiat. Ei verò qui paſſus fuit iniuriam, ſaluti potiùs eſt, quàm damno.* Quandoquidem ei ad felicitatem momenti multum attulit, & ad vtilitatem publicam quoque ceſſit hæc afflictio. Elegantiſſimè Lib. 4. Conſ. proſâ 4. quoque Seuerinus dixit, *iniuriam non accipientis, ſed inferentis eſſe miſeriam. Atqui nunc, ait, contrà faciunt oratores: pro his enim qui graue quid acerbumque perpeſſi ſunt, miſerationem iudicum excitare conantur, cùm magis admittentibus iuſtior miſeratio debeatur: quos non ab iratis, ſed à propitiis potiùs miſerantibuſque accuſatoribus ad iudicium, veluti ægros ad medicum duci oportebat, vt culpæ morbos ſupplicio reſecarent: quo pacto defenſorum opera, vel tota frigeret, vel, ſi prodeſſe hominibus mallet, in accuſationis habitum verteretur. Ipſi quoque improbi, ſi eis aliquâ rimulâ virtutem relictam fas eſſet aſpicere, vitiorumque ſordes, pœnarum cruciatibus ſe depoſituros viderent, compenſatione adipiſcendæ probitatis, nec hos cruciatus eſſe dicerent, defenſorumque operam repudiarent, ac ſe totos accuſatoribus iudicibuſque permitterent. quo fit vt apud ſapientes nullus prorſus odio locus relinquatur: nam bonos quis, niſi ſtultiſſimus, oderit? malos verò odiſſe ratione caret. Nam ſicut corporum languor, ita vitioſitas quidam eſt quaſi morbus animorum. Cùm ægros corpore minimè dignos odio, ſed potiùs miſeratione iudicemus; multò magis non inſequendi, ſed miſerandi ſunt, quorum mentes omni languore atrocior vrget improbitas.*

Superbia quoque ipſa ſe diruit, quæ cùm ſit amor excellentiæ propriæ, contemptibilem ſe præbet. per ea ipſa, quibus poſtulat adorationem ſui, prouocat riſum. Libido quoque delicium carnis, ipſam corrumpit. Ingluuies, etiam per vitæ officinam, mortem fabricat, per guſtum anxietatem. Lepidè hoc vitium Diogenes vocauit vitæ Charybdim; ego & mentis, & virtutis, & gratiæ Scyllam. De ignauiâ quid dicam, perpetuis ſibi diſcordiis importunâ, & moleſtiſſimâ, & tartareis ſuppliciis ſimillimâ? S. Bernardus ait: Serm. 6. de Aſcenſ. *Num tibi horum tepidorum vita inferno propiùs appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur?* Auaritia fortaſſe in ſupplicio ſui ingenioſior, ſiue iuſtior eſt. ipſa ſe mulctat ſuis votis, ipſa ſe abdicat ſuis: quæque anxia quæſiuit, magis anxia non fruitur: nam, vt amœnè Georgius Piſides cecinit,

Tabeſcit ac libidinum tota æſtibus,
Expletione & auctione alens ſitim,
Temulentiæ flammam aurea accendit magis.

Namque tam peſſimum genus poſſeſſionis habet auarus, vt par ſit ſpolio. Perinde eſt auaro habere, quàm carere. minus dixi: nam deterius eſt habere. quantum enim ad vſum, perinde eſt habens ac carens: quantum ad curas, quantum ad pericula, infelicioris conditionis eſt, dum habet. nec tantùm gratis eſt miſer, ſed vltrò. Sic incurrunt vitia, nec aliter quàm ſcorpio igne ſeptus, in caput ſuum aculeum infigunt.

Ceterùm bona, & felicitas temporalis, cuius potiſſimam portionem peſſimi occupant, quanto ingenio in eorumdem infelicitatem fabricata eſt? quot laboribus & acerbis votis ambitur? quot curis & periculis cuſtoditur? quot doloribus & gemitibus imminuitur? ante ipſam, & in ipſâ, & poſt ipſam proſperitatem infeliciſſimi: in ſuorum poſſeſſione votorum ſuâ ipſi fortunâ infortunati.

Sic mali ſe torquent, ſic à vitiis lancinantur, ſic à ſuâ ipſi felicitate vruntur, vt eorum vita ſui ipſius credita ſit pœna, & miſerrimum ſupplicium; dixerim inferorum. Ille philoſophantium grex qui poſtuma tormenta negabant, inferos in hac vita conſtituêre, rati, aut peccatum ipſum infernum eſſe, aut peccatorum vitam, cum qua componebant quidquid alij de inferis dictabant. Macrobius ex hac factione ſic diſſerit: *Omnia quæ illic eſſe credidit fabu-* Lib. 1. in Somn. c. 10. *loſa perſuaſio, in nobiſmet ipſis, & in ipſis humanis corporibus aſſignare conati ſunt. Obliuionis fluuium aliud non eſſe aſſerentes, quàm errorem animæ obliuiſcentis maieſtatem vitæ prioris, quâ, antequam in corpus truderetur, potita eſt; ſolamque eſſe in corpore vitam putantis. Pari interpretatione Phlegethontem ardores irarum & cupiditatum putarunt: Acherontem, quidquid feciſſe dixiſſéve vſque ad triſtitiam, humanæ varietatis more, nos pœnitet: Cocytum, quidquid homines in luctum lacrymaſque compellit: Stygem, quidquid inter ſe humanos animos in gurgite mergit odiorum. Ipſam quoque pœnarum deſcriptionem de ipſo vſu conuerſationis humanæ ſumptam crediderunt. Vulturem iecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi volentes, quàm tormenta conſcientiæ obnoxia flagitio, viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis, ſemperque curas, ſi requieſcere fortè tentauerint, excitantis, tamquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis: lege hac, quâ ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam. Illos autem epulis ante ora poſitis excruciari fame, & inedia tabſcere, quos magis magiſque acquirendi deſiderium cogit præſentem copiam non videre, & in affluentia inopes egeſtatis mala in vbertate patiuntur, neſcientes parta reſpicere, dum egent habendis. Illos radiis rotarum pendere diſtrictos, qui nihil conſilio præuidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, ſeque & actus ſuos omnes fortunæ permittentes, caſibus & fortuitis ſemper rotantur. Saxum ingens voluere, inefficacibus laborioſiſque conatibus vitam terentes. Atram ſilicem lapſuram ſemper, & cadenti ſimilem, illorum capitibus imminere, qui arduas poteſtates, & infauſtam ambiunt tyrannidem, numquam ſine timore victuri, & cogentes ſubiectum vulgus odiſſe, dum metuat, ſemper ſibi videntur exitium quod merentur excipere. Nec fruſtrà hoc Theologi ſuſpicati ſunt. Nam Dionyſius aulæ Siculæ inclementiſſimus incubator, familiari*

Digitized by Google

miliari quondam ſuo ſolam beatam exiſtimanti vitam tyranni; volens quàm perpetuo motu miſera, quamque impendentium ſemper periculorum plena eſſet, oſtendere, gladium vaginâ raptum, & à capulo de filo tenui pendentem, mucrone demiſſo, iuſſit familiaris illius capiti inter epulas imminere. Cumque ille & Siculas & tyrannicas copias præſentis mortis periculo aſpernaretur: Talis eſt (inquit Dionyſius) vita quam beatam putabas: ſic nobis ſemper mortem imminentem videmus. Æſtima ergo quomodo felix eſſe poterit, qui timere non deſinit. Hæc infelix malorum felicitas, aut infernus, aut cuius vmbra infernus videtur.

Caput XXI.

Vbi Deus puniat ſeueriùs peccata, in hac vitâ, an in alterâ.

TAm abeſt vt peccata inulta negligat Deus in hac vitâ, vt dubitare liceat, vbi ſeueriùs iraſcatur. Et credo (dicam aliquid inopinum multis, ſed veriſſimum) magis timenda eſſe ſupplicia huius vitæ, quàm cruciatus futuræ, tantò magis, quantum culpa peior quàm pœna. Conſtans ſapientum ſenſus eſt, peccatum maius eſſe malum inferno: nam nec adæquatur ipſius malitia immanitate illâ ignis. Tum infernus à Deo eſt, à quo nullum verè malum profectum; at ſupplicia huius vitæ ſcelera ſunt, permittente Deo, non ordinante, ſed negotiantibus nobis. Huius generis pœnæ carnifices nobis ſumus, & auctores noſtri damni. ergo extimeſcenda eſt iuſtitia diuina, tum maximè, cùm nulla putatur, cùm ſcilicet proſperantur ſcelera. Sententia eſt vera, ſed timenda D. Anſelmi: *Propter præcedentia peccata multiplicantur ſequentia: & Deus, qui peccatorem diu expectat vt redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc vbi grauiùs impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt, & cauſſa peccati; aut peccatum, & pœna peccati; aut peccatum ſimul, & cauſſa, & pœna peccati. Omne enim quod priùs malè committitur, peccatum eſt. Sed ſi citiùs pœnitendo non tergitur, iuſto iudicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum eſt ſimul, & cauſſa peccati; quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò, quod ex peccato, id eſt ex ſecundo, ſequitur, peccatum ſimul eſt, & pœna peccati: quia, creſcente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, & quaſi iam quædam ſint in peccatore ſupplicia, ipſa incrementa vitiorum. Fit verò nonnumquam, vt vnum idemque peccatum ſit, & pœna peccati ſimul, & cauſſa peccati.* Conſentit quoque dictis ſuprà idem Anſelmus, dum peccatum in hac vitâ pœnale pluſquam infernum horruit. *Si hic*, inquit, *peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſariò vni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens, gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere; cum conſtet, ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cæleſti beatitudine foueri.*

Sup. 1. ad Rom.

Lib. de Simil. c. 190.

Caput XXII.

An Deus ſit malis beneficus, & damnatis etiam bonus.

CÆterum cum tantâ iuſtitiâ Dei & rigore miremur colligatam beneficentiam. adeò Deus tenax bonitatis ſuæ eſt, vt, cùm ſæuiat, proſit. Huius vitæ ſupplicia temporaria multis iuuant modis peſſimos, ſi non vt reſipiſcant, vt obſtent ſibi, & impetum peccandi mitigent; ſi non voluntate, neceſſitate. ipſe adhuc æternus cruciatus inferorum præſtat damnatis, quàm ſi nullo tangerentur doloris ſenſu. Allego fidem Ethnici. Socrates ait: *Qui iniuriatur iniuſtuſque eſt, omnino eſt ante alios miſer, miſerior autem, ſi iniuriarum pœnas numquam luat; minus verò miſer, ſi luat.* Chriſtianum iſtud ſenſum ſatis adſtruitur à Seuerino Conſule, *Feliciores eſſe improbos ſupplicia luentes, quàm ſi eos nulla iuſtitia pœna coërceat.* Applaudit hæc D. Auguſtini ſententia: *Cùm in pœnis eſt natura vitioſa excepto eo quod natura eſt, etiam hoc ibi bonum eſt, quòd impunita non eſt: hoc enim eſt iuſtum, & omne iuſtum proculdubio bonum. Conuinco hoc euidenti ratione. Iam enim habent mali aliquod bonum, cùm puniuntur, pœnam, inquam. hoc bono, cum non puniuntur, carent. Ergo infeliciores, quia pura malitia, quia ſolitaria miſeria, ſine vllius mixturâ boni. Satius itaque damnatis eſt plecti, quàm æternum deformes eſſe meris culpis, ſine vllius reformatione pœnæ, & decore vindictæ.* Pœna enim decet maximè ſceleſtos: ergo beneficentior Deus miſeris damnatis eſt, cùm punit, atque beneficio æterno ſuis debita ſceleribus perſoluit.

Plato in Gorgiâ.

4. Conſolat. proſâ 4.
12. de Ciuit. cap. 3.

Caput XXIII.

Cur bona & mala accidant nec bonis nec malis.

SAtis iam diximus, cur malis bona, & bonis mala, cur etiam malis mala, & bonis bona accidant. Ex quibus ſatis conſtabit altera quæſtio, cur nec bonis nec malis vtralibet retributio accidat: *Nam pro Ioſeph vendito* (quod Iunilius in ſimili quæſtione aduertit) *nulla vltio fratribus irrogatur. Nec ſocer Moyſi, pro regendo populo conſilium dans, licet laudetur à Deo, aliquâ mercede donatur.* Reſtat quartus modus, cur ij qui neque mali aliquid per ſe neque boni geſſerunt, bona participant aut mala, vt infantes; aut forſitan neutra, vt abortiui? Ad titulum bonorum ſatis eſt bonitas Dei; ſcit gratis benefacere. Regiæ liberalitatis cauſſa, & ratio, & ius, ipſa maieſtas eſt. Circa malorum diſpenſationem magis ardua eſt inquiſitio, cur ij qui nihil mali egerunt, cum malis naſcantur, claudi, cæci, ſurdi, aut aliis mutilati artubus? certè ad tutelam animi efformatur corpus.

Lib. 2. de Part. diu. leg. c. 16.

Digitized by Google

In Theophraſt.

corpus. *Poſteà enim,* Æneas Gazæus inquit, *aliqui in malitiam lapſi, non quantum vellent peccare poſſunt: eſtque illis hoc corporis incommodum, quaſi quædam animæ eorum diuinitus attributa cuſtodia, atque rem rectè reputantibus ſaluti potius eſt, quàm damno: qui verò in tenebris oberrant, & ſuæ ipſorum animæ oculum mancum atque imperfectum haud reſpiciunt; illi ſolent cæci illius animam, quaſi pœnis inferorum affecta iam eſſet, ſic contemptam atque abiectam iudicare. Itaque multis pro altero cuſtode Angelo calamitas naturæ eſt. Verùm aliam etiam occultam rationem poſſum tibi afferre. Non in eas ſolùm quæ modò ante pedes ſunt res prouidentiæ lex animaduertit, verùm etiam in eas quæ longo pòſt tempore eueniunt, proſpicit: tum quæ quibuſdam conuenientia ſunt atque digna, vt ea eueniant, decernit. Hunc quidem, quoniam durus in ſeruos herus futurus eſſe videbatur, ſeruum fieri permiſit: illum verò, quòd malè eſſet vſurus opibus, pauperem reliquit atque egenum: ille, quia decepturus & adulaturus, ac falſos ſtatim damno affecturus erat, capite, in quo animæ ſedes ac vis eſt, læſus atque ictus eſt: vnde eum ipſum ratio deſerit, ipſeque ſtolidus euaſit. Alij rurſus procliui ad cædem facto dextra contabuit: eoque factum eſt, vt ſibi tranquillè potius pacatéque viuendum putet. Sed prodeat in medium cæcus ille puer, qui ratione duce aliàs vti ſolet: de quo nobis anteà quoque ſermo fuit. Hic ſi ſuorū haberet oculorum vſum vllum, certè haberet laſciuum atq; impudicum. Quare ei prouidentia oculos cauſit, hacq; plagâ ipſum affectū coërcuit: eſtque cæcus hic factus Lynceo ipſo felicior, quando ſimul etiam iuſtior euaſit. Neque verò multis id vſu venit, quando minimè oportuit, præter naturam vt euenirent plurima, dare: ſed pulchritudinis ſuæ munus, naturæ quam Deus ipſe conſtituit, vt ne tota turbata tandem euerteretur, ſaluum atque integrum relinqui. Ac rurſus hæc vt euenirent, oportuit concedi, vt ei quod pulchrum eſt, eo quod deforme eſt oppoſito, quantoperè excellit pulchritudo, vnde eſſet ſuus naturæ decor, cognoſceremus. Perfectior enim penes eos eſt & plenior boni cognitio, qui malorum aliquid experti ſunt. Ac, quod gratiſſimum eſt, non vna eademque eſt huius medicinæ ratio. Hæc enim prouidentiæ medicina omnia quidem curat, non autem vnum idemque medicamentum omnibus affert, ſed ad alios morbos pharmaca alia profert: quando, cùm morbi ſint multi & varij, ars quoque ipſa multiplex ſit neceſſe eſt. Hic quidem eo ipſo quòd nihil videt, malis etiam amoribus prohibitus atque excluſus eſt: ille etiam hoc aſpernatus remedium, aliquo alio acutiſſimis oculis prædito longè vehementiùs ad libidines fertur, ac propterea alio quoque remedio opus habet. Vnde & interdum flammâ & ferro coërcetur. Aliis ad temperantiam pecuniarum inopia ſufficiens remedium; aliis aliud ſalubre fuit. Neque idem pharmacum omnibus adhibitum. ſuntque etiam cuiuſque morbi remedia multa & varia. Quâ de cauſâ ars quoq; ipſa eſt, & habetur illuſtrior. Verùm qui medicæ facultatis huius eſt ignarus, is, ſi quod anteà ſibi nec viſum nec exploratum medicamentum videt, medicum ipſum conuitiis ſtatim petit. Solent enim qui ſine ratione & doctrinâ medicam artem aggrediuntur, cùm vnum quoddam medicamentum cognorint, illud ipſum omnibus ægrè affectis ſemper adhibere, nullâ naturæ, temperamenti, loci, ætatis, morbi habitâ ratione: quarum rerum eum qui peritus ſit artis medicæ, nihil omnino prætermiſſet. Exiſtimandum eſt autem omnino, nec pauperiem, nec morbum, neque quæcunque alia, quæ vulgò videntur & dicuntur mala, his qui boni ſunt, eſſe mala,* &c. poſteà rationem reddens cur nonnulli infantes moriantur, dicit: *Etenim anima, ſi citiùs recedat, materiam cui formam dedit, eo ipſo ornauit: ipſa verò citra detrimentum ſuum diſceſſit, quando generationis experimentum lucrata eſt, & oppoſito ſibi corpore mortali, quantò præſtet immortalem eſſe, pleniùs atque meliùs cognouit. Denique etiam immortalitatis rationem mortali corpori inſeuit, atque homines reliquos edocuit, ne omnia naturæ credant: neque enim hæc dominium vita habet. Prouidentiæ, non naturæ munus hoc eſt.* Expurga hanc ſententiam Originiani & Platonici erroris odore, nec inſulſam inuenies. Poſteà ſubdit: *Iam ſi pater eius qui periit filij, iniuſtus fuit; vt maiore dolore affectus, æquior ac melior euadat, eo caſu minimè potuit impediri. Sin autem iuſtus fuit, hoc ipſo ad illuſtriorem virtutis probationem deuenit. Nihil enim fortaſſe puer ille præclarè & fortiter facturus fuerat: alioquin ſuprà quàm ſperari vel optari poterat, ſaluus conſeruatus eſſet. veluti ſæpè & multùm vſu veniſſe ferunt, vt quòd Pelias, Telephus, Cyrus feris obiecti, ab his nutriti atque educati ſunt, quibus paſcendis ac nutriendis expoſiti fuerant.*

Sunt prætereà aliæ cauſſæ communes multis ex dictis: licet namque infantes innoxij ſint ſine actuali reatu, non ſunt parentes eorum: atque in diuinis ritibus fit, multorum ſcelera in aliis vindicari. Quare genitorum ſcelus in paruulis licuit expiari. Deinde non ſunt verè mala, & poſſunt ad bonum eſſe, aut publicum, aut priuatum. Quis ſcit an, ſi adoleuiſſet paruulus, qui ſtatim obiit, poſtquam tinctus fuit, & & initiatus Chriſto, non peſſimus futurus eſſet, & damnandus? quare immatura mors gratia potiùs credi debet. Denique licet mala & morbos ſubeant, merebuntur, cùm originali ſcelere infecti naſcantur, & Deo odibiles.

CAPVT XXIV.

Cur Deus non crearit omnes in gloriâ.

QVoad diuinum ius, & ſummam dominantiſſimi arbitrij & licentiæ eius potentiam obiici potuit, cur non per compendium totius mali, ærumnarum, ſcelerum, damnationis, in gloriâ nos creauit Deus? cur opus erat per ambages huius vitæ, per circuitus natiuitatis & mortis, per ſalebroſos calles eò nos ducere, vbi ſtatim locare potuit, quò tandem peruenturi eramus, ſi initio ſtatuiſſet; accidiſſet fortunatius, ſine diſpendio tot creaturarum pereuntium errore itineris. Hócne pacto ſuæ & noſtræ fortaſſe prouideret feliciùs gloriæ? Non ita puto; nam vbi decor virtutis? vbi gloria noſtra? vbi tantus honos, promeruiſſe gloriam? vbi gloria Dei, remuneraſſe? & voluiſſe gratificari, & gratuitò largiri: voluiſſe obſtringi nobis, voluiſſe debere, qui omnia & omnibus dat, cuius omnia ſunt? vbi reuerentia & timor maieſta

Digitized by Google

maieſtatis ipſius? vbi fida præſumptio bonitatis? vbi admiratio miſericordiæ eius? vbi oſtentatio diuitiarum eius? vbi experimentum ſapientiæ eius? vbi amoris? & vt tandem dicam, vbi IESVS meus pro me mortuus? vbi gloria hæc Dei? vbi gloria hæc hominum? quæ comparatio poteſt eſſe cum gloriâ Dei omnium hominum interitus? minùs quàm vermiculi, aut culicis calcatio ad honorem, ad guſtum maximi Regis. quæ comparatio cum vno IESV, omnium huius vitæ ærumnarum? inferni cruciatus tolerarem conſolatus Chriſti natiuitate.

Sed & gloria ipſa quodammodò conditur, & plus dulceſcit præuiis paſſionibus & periculis. Venuſtiſſime S. Iſidorus Peluſiota labores vocauit *ἐφόδιον μείζονος εὐδοκιμήσεως*, *viaticum melioris complacentiæ gloriæ:* nam ſenſum felicitatis acuit memoria anteactæ miſeriæ, atque quaſi multiplex lætitiæ fœnus parit dolor præteritus, ipſam quoque ſecuritatem dulcorant diſcrimina tranſacta. Iunilius quoque Africanus idem quod nos inquiſiuit: *Si omnia quæ in præſenti ſæculo geſta ſunt, ad futurum reſpiciunt, cur opus erat vt à Deo præſens ſæculum fieret?* & reſpondet, *Quia decuit, vt rationales creaturæ priùs diſcerent & exercitarentur in dubiis, ac tunc æternis poſteà fruerentur; & meritò data viderentur probatis, & gratiora fierent reminiſcentibus tranſacta certamina, & plus glorificarent donatorem, qui pios in hoc ſæculo iuuat, & vt vincerent, & victoribus æterna præmia concederet. Itaque præcedentes labores obſonant ſequentem beatitudinem, diſcrimina condiunt ſecuritatem, & quodammodò donatorem magnificant, dum donum cumulant, cùm placidius faciant.* Seneca quoque dixit: *Antecedens metus lenocinium eſt muneri.* De petrâ mellis ſaturatos Hebræos Scriptura dicit. ſi audimus Chryſoſtomum, hoc accidit, cùm aridus Iſraël aquas è petrâ erumpentes hauſit, quas ſic condierat præcedens æſtus & ſitis, vt dulciores melle viderentur, & dulciſſimo ſapidiores nectare. Allego quoque naturæ ſuffragium philoſophiam. Appoſitè Xenophon dixit: *Illud ſanè ſciendum eſt, eò bona maiorem afferre lætitiam, quò magis quis labore antecedente ad ea perueniet: labores enim obſonium ſunt bonis viris.* Cyrus vt magnificum epulum & ſuauius ſuis exhiberet, adornauit id præuio ſudore, & ingentibus præcedentis diei laboribus; magnam ſiluam iuſſit ſuccidi, vbi poſterâ die conuiuium celebrauit, tantò iucundius, quantò labor heſternus moleſtior. Sophocles quoque dixit: *Labores cùm iam abiere, dulces ſunt.* Ergo ſi ſola laborum mors & alienatio tam grata eſt, qualis erit ſucceſſio gaudij, & commutatio in lætitiam, cuius quidem ſaporem acuent incredibiliter?

Lib. 2. de Part. diu. leg.

Prætereà maieſtatem ipſius gloriæ decebat aliquis aliunde apparatus laborum, & hos alibi adornari, qui ibi aptarentur: nam & *malleus & ſecuris non ſunt audita in domo Domini.* Hoc ſic intelligendum eſſe, Aithardus diſertiſſime docuit. *Quòd ante ædificationem templi, dum adhuc lapides in monte Libano exiſterant, adeò quadrati fuerant & politi, quòd in ipſâ ædificatione & ſtructurâ lapides ſibi conuenienter aptarentur ad inuicem, & facillimè ſine tunſione aliquâ iungerentur. Nam anteà ad extrahendos lapides & quadrandos malleus & ſecuris plurimùm neceſſarij extiterant. Sed hoc multò meliùs, multoque veriùs de illâ cæleſti ædificatione, quam verus Salomon Ieſus Chriſtus de viuis lapidibus quotidie ædificat in cælis, accipitur. Vbi nec malleus reſonat nec ſecuris, ſed magis gratiarum actio, & vox laudis. De domo etiam ſpiritali, quam iugiter ædificat in ſanctis, conuenienter poteſt intelligi. Nam multo ſudore, multoque labore ſudatur, ſecurique ac malleo plurimùm laboratur, antequam ad illam quietem, & illam pacem, quam ſolus Ieſus inhabitat, veniatur. Vt ergo formentur lapides in Libano ſuperiore, primò extrahendi ſunt à Libano inferiore: vt formentur in charitate Dei, eruendi priùs ab amore ſæculi. Eos autem inde elicere & extrahere valdè eſt difficile. Vt enim mundus naturalis ex quatuor compactus eſt elementis, ſic & ipſi in mundo quodam vanitatis, velut ex quatuor ligantur vinculis. Hoc ipſum ſiquidem eos ibi detinet, quòd ſunt in Libano monte, id eſt, quòd mundus eis candeſcit, arridet & blanditur, quòd in vits ſuis proſperantur, & quòd forſitan ad aliquod ibi culmen honoris ſublimantur, aut expectant ſublimari. Detinet etiam eos moles propria, id eſt carnis ſuæ delectatio: propria quoque duritiies, id eſt mentis ſuæ obſtinatio. Aliorum quoque lapidum connexio, id eſt carnalis, quam ipſi ad alios, & alij ad ipſos habent, affectio, Proinde inimici hominis domeſtici eius: non enim ipſi in ædificium ſpirituale intrare volunt, nec familiares ſuos intrare permittunt. Hæ ſunt ſquamæ ſe prementes. Hîc profectò malleus & ſecuris ſunt neceſſarij. Hîc exercendi ſunt, & audiendi, ſi fortè vel in eorum ictibus in lapidibus huius formæ Libani, quæ eis candeſcit, poſſit confundi, moles alleuiari, confringi duritiies, compages diſſolui: vt ſic à maſſâ perditionis diſſoluantur, & à Libano inferiore auellantur, auulſi cadantur, poliantur, & in Libano ſuperiore quadrentur atque formentur, in domus ſpiritualis ſtructuram mittantur.*

3 Reg. cap. 6.

CAPVT XXV.

An decorum fuerit Deum fieri hominem.

SAtis mihi quæ diximus ſunt rationabilia, vt omnes diuinos actus etiam impius videat, non ſolùm excuſatos, ſed laudatos, imò neceſſarios decori diuino, vſuique humano, ſic fieri, ſic eſſe decuiſſe, ſicut ſunt. Videbit etiam ab impiis aut probatos, aut deſideratos, ipſi illi qui negabant Deum eſſe Critias & Euripides, optabant fuiſſe ad humana commoda. Ad guſtum Ariſtotelis, licet ignarus eſſet Trinitatis, Deus trinus eſt. quod etiam Mercurio, quod etiam Platoni valdè arridet. Epicurus ingratus prouidentiæ totius religionis fundamento, commendauit tamen religionem & cultum Dei. Mortis legem probauit Zaleucus, etiam, ſi mors non fuiſſet, ſtatuendam cenſuit. Origenes, qui æternitatem inferorum non credidit, credidit vtilitatem eius, ſi foret, ad compendium ſcelerum. Affluentiam diuinæ beneuolentiæ per mala ipſa exundare etiam peſſimi agnouerunt, & extollit Seneca. Omnia, quæ indigeſta multis, & difficilia in gubernatione Dei ſunt, comprobata aut exoptata reperio ab ipſis Ethnicis, vſque ad humanitatem illam Dei, quâ humani

humanitatem aſſumpſit. Aggæus vocat Chriſtum *deſideratum cunctis gentibus.* An quem ignorabant, exoptarunt? Iudæi promiſſum ſibi & reuelatum Meſſiam concupere poterant; Græci tamen, & ceteræ nationes ignaræ ſalutis, quomodo illum concupierunt? Ignaræ vtique erant futuræ ſalutis, non præſentis morbi, non damni; imò pondus tot malorum pænè deſperatis extorſit, ſi non ſpem, votum, humanam medicationem non parem damnis & inutilem cenſentes. non ſunt auſæ ſperare diuinam, ſed præſumere, atque ipſa malorum moles coëgit exoptare. Nonnulli è Gentibus fuerunt, qui Deum hominem factum iudicarunt vnicum humanarum miſeriarum antidotum, atque id maximè optarunt, vt eo doctore morum genus frueretur humanum. Hoc votum occupauit Platonem, qui in ſuis Legibus ait: *Menſura rerum omnium non homo, ſed Deus eſt, maximè verò ſi Deus fiat homo.* Idem rogatus quamdiu ipſius legibus foret acquieſcendum, *Donec*, inquit, *aliquis ſacratior homine in terris appareat, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique ſequantur omnes.* Idem ſenſus ſapientiorum commendauit narrationem de Hercule, in quâ filium Dei exemplum agendi patiendique architectati ſunt. ſcilicet quod fingebant, deſiderabant. Idem votum figmentum Mercurij extruxit, & repræſentauit ad malorum medicinam aliquem Dei filium mittendum. Tam ſunt vtilia nobis, tam feſtiua etiam rationi perſpicacium & ſublimiter ſentientium, tam ex voto noſtro, quæcumque pro gubernatione humanâ Deus ſanxit. Atqui, licet nulla nobis conſtaret ratio, ſat erat ad fidem prouidentiæ, & totius ſupellectilis eius beneuolentiæ, prudentiæ & facultatis, vnica dignatio incarnationis. Non decet minus dare diuinis, quàm humanis. Socrates, cùm obſcuriſſimum Heracliti librum perlegiſſet, rogatus quid ſentiret, *Quæ intellexi*, dixit, *præclara ſunt, puto etiam præclara eſſe quæ non intellexi.* Ne ruſticiores ſimus ingenio Dei, præclara, benigniſſima, amatoria ſunt maiora prouidentiæ opera. Idem de totâ cenſendum. An Deus negligere iam humana potuit, cùm ſic ad ipſum ſpectent, vt non modò humanus, ſed homo ſit? quomodo non ſuſtentabimus omnem ſpem redimendæ miſeriæ, cùm vltra ſpem videamus eumdem cum miſeris Deum? Malum præſumi non licet, cùm tanta bonitas pateat. oppignorat quidem hæc vna ſignificatio bonitatis omnem fidem ad præſumptionem totius beneficentiæ. Purgare vtique poteſt omnes ſiniſtras opiniones euidentia iſta amoris. Iam ſi quæras rationem, cur Deus factus homo; ſatis erat afferre iſtam, eſſe ad fideiuſſionem ipſius bonitatis, ad auctoritatem eius operum, ad metendum omnes noſtras opiniones pro bonitate ipſius, etiam in malis, aut ex malis, ad figendam omnem noſtram ſpem rebus adhuc deſperatis. cùm vltrò videamus feciſſe, quæ non auderemus ſperare, quid faciet rogatus? quid ſolicitatus votis, precibus? & denique ad proceſſum beneficentiæ, & complementum amoris erga ſuum hominem. Egregiè Tertullianus ait: *Si creator eius eſt, ſuum meritò amauit.* Melius adhuc S. Auguſtinus: *Nec horruit Deus hominem induere, quem ad ſuam Patriſque imaginem figurauit. Vnde libens Dei Filius voluit hoc eſſe, quod fecit: nam ideò Deus noſter Filium ſuum miſit ad hominem liberandum, vt cui dixerat, Faciamus hominem, ipſe etiam liberator eſſet, qui fuerat & creator.* Beneficentiam quoque Chryſoſtomus commendans ait: *Non enim ſemetipſum humiliaſſet, niſi nos eſſet exaltaturus. natus eſt enim ſecundum carnem vt tu naſcerere ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris: quia cùm verus & dilectus Filius ſit ſempiterni Dei, etiam Dauid filius eſſe dignatus eſt, modò vt te filium faceret Dei. ſeruum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo patrem faceret ipſum Deum.*

De Legibus.

De Carne Chriſti c. 4.

Serm 17. de Temp.

Hom. 2. in Matth.

Hanc maximam ſolicitæ prouidentiæ ſignificationem importunè verſemus. Non amplioribus impenſis, non vigilantiori curâ ſui ipſius ſalutem (liceat hoc comminiſci) ſi periculum poſſet diuinitas ſubire, ſolicitaturus Deus eſſet, quàm noſtram negotiatus eſt. non poſſet plus pro ſe feciſſe quàm pro nobis fecit, quàm tulit. Tanti nos fecit, quanti ſi fuiſſemus dij: ac ſi hominis valor non minoris conſtaret, quàm Deo. pretium enim hominis Deus fuit. Sublimiter Euſebius Emiſſenus dixit: *Magnum quidem mihi eſt de Deo quòd eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multò plus eſt, quòd tranſiſſe ipſum video in pretium meum: quandoquidem tam copioſo munere ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur. Profectò licet non valeamus infinitum, æſtimat Deus infinito.*

Hom. 6. Paſch.

Decus ſolum tantæ benignitatis in medium venire poteſt. At ſi maximæ benignitatis opus, cur non decens? ſi ſummæ dignationis, cur non dignum? Quidquid beneficum, decorum Deo eſt. An quia excellens benignitas, erit ſibi iniqua? an ſe perdet, quia lucratur omnes? Anguſtas opiniones hominum ampliſſima Dei charitas ſuperatura erat, & molitura aliquid vltra ſpem, vltra vota, vltra ſenſum noſtrum. Tantò magis decorum Deo, quantò minùs videretur indecoris. Senſum Ethnicorum allegemus, num decuiſſet diuinitatem hoc hominis ſtudium, tanta pro homine dignatio, tanta patientia. reſpondeat Plato aliquis: *Si amor auctor fuit, aſſeuerabit decuiſſe iſtud priuilegium amoris.* Cognouit tenacem honoris eſſe, etiam in humilibus, & ſine iacturâ gloriæ poſſe vileſcere. totum iſtud opus amoris facinus eſt. amor inopinabile hoc myſterium architectatus eſt. Optimè Guitmundus in Confeſſione Trinitatis ſcribit: *Mori autem, cùm aliæ multæ rationes quibus nos redimeret ſuppeterent, voluit, vt & diabolum iuſtitiâ magis quàm potentiâ vinceret, & quantâ charitate reducat nos, oſtenderet. Hinc eſt quòd de Spiritu ſancto conceptus dicitur, quia Spiritus ſanctus charitas eſt, & totum hoc myſterium charitas operata eſt.* Amori conſilium accedit. non alia Trinitatis perſona carnem noſtram induta, ſed illa quæ Sapientia eſt Patris. Idem Archiepiſcopus Auerſanus ait: *Mortuus eſt homo per inſipientiam, oportuit eum viuificari per ſapientiam. incarnata eſt igitur Dei Sapientia, vt deleretur hominis inſipientia.* Accedit ingenuitas maieſtatis diuinæ. Seneca ſic alloquitur Imperatorem Romæ: *Hæc ſumma magnitudinis ſeruitus eſt, non poſſe fieri minorem; ſed cum diis tibi communis iſta neceſſitas eſt: nam illos quoque cælum alligatos tenet, nec magis illis deſcendere datum eſt, quàm tibi tutum. faſtigio*

In Sympoſ.

In Conf. Trin.

Lib. 1. de Clementiâ cap 8.

tuo

Digitized by Google

tuo affixus es. Libera tamen eſt Dei veri maieſtas, ingenua, & maior omni maieſtate, cui deſcendere liberum fuit, tutum, honorificum, ſublime.

Capvt XXVI.

An decorum ſit Deo, in cibum præberi.

EAdem excuſatio eſt inſtituendæ Euchariſtiæ ab illo priuilegio amantium. tota eſt amoris artificium, quare ſummè decet Deum, &, iuxta Platonem, glorioſiſſimum erit opus in omni etiam humilitate. Sed & ingenium amatorij huius inuenti Deo digniſſimum cenſeo; ſi Deo dignum amare. At, credo, nihil dignius diuinitate quàm charitas; nam & ipſa eſt. vbi autem amoris ritus feliciùs celebraretur omnia vnientis transformantiſque, quàm in alimenti vnificâ tranſmigratione ſubſtantiæ? Prima & nobiliſſima vota dedicat vnitati amor. At humanus, quia infirmus, hac ipsâ ingenuitate mulctatur, ſui voti impos: diuinus tamen valentiſſimus vota ſua nouit negotiari. Nec induſtria, & modus implacidus rationis humanæ, ſiue quia Deus eſt amor, ſiue quia eſt amans. Anacreon duxit non fortunatiùs ſolicitaturum corda amorem, quàm ſi intra pectus conderetur ipſe, & ſe pro telo iactaret in viſcera. Ecce inuentum amoris diuini, quod ſomniauit Ethnicus, exactum vides. nequeunt tanta eſſe humana ingenia & vota, quæ non vicerit diuina beneuolentia. Sed & titulum amantis non dedecet alimenti nomen. Regina Cariæ dilecti ſponſi corpus conſumpſit, ad affectationem charitatis, conata quo potuit modo vniri amato, & excogitauit, per cibum & potum hauriens, quod voluit fieri. Atuuacæ effoſſa & eruta dominorum, vxorum, cognatorumque corpora titulo charitatis abſumunt. Eumolpus teſtamento iuſſit omnes charos qui aliquid hereditatis & legata à ſe acceperunt, hac lege & conditione accipere, vt corpus ſuum comederent, admonens amicos ne recuſarent quod iuberet, ſed quibus animis ſpiritum ſuum deuorauerant, iiſdem conſumerent corpus. Legitimum quoque fuit apud alias gentes, vt à propinquis aut amicis conſumerentur cadauera; nec aliud genus hereditatis iudicatum excellentius, quàm ſubſtantia defuncti.

Hoc ſpeciali ratione video in Iesv magis charitate ipſius dignum. nihil in terra habebat, ex quo nos heredes inſtituere poſſet, nihil quod legaret: nam nihil diuitiarum habebat, veſtes adhuc illi ereptæ, nec ſupererat vbi caput reclinaret. nihil deliciarum, qui vir dolorum erat; nihil honorum, qui opprobrium hominum, & abiectio plebis dictus fuit. Vnde ſuam charitatem moriturus nobis explicaret? niſi ſeipſum in teſtamento relinquens, qui nihil niſi ſe retinebat. Paterna charitas innincibilis licet, & filialis reuerentia minori nexu fundantur. Parens & natus ideò amantur, quia ſunt duo, cùm fuiſſent vnum. diuiſa enim ſubſtantia patris commodatur filio. Nodus arctior conſtat per Euchariſtiam: nam ſunt vnum qui fuerant duo. Cur non decentiſſimum Deo, per ſubuerſionem conſilij hoſtilis reparare nos, & per ea ipſa quibus inuadimur, defendi? per gulam lapſi fuimus, per carnem inquinamur ſcelere naturæ. At ſi cibus nos occidit, cibus nos reſuſcitat; ſi caro nos deturpauit, caro expiat. Hic ſtylus diuinæ gubernationis, non minori opulentiâ ruinam ſarcire, quàm ipſa conſtitit. contagio carnis Adami deformantur infuſæ corporibus animæ; oportuit contactu carnis Chriſti reformari. Quemadmodum qui caro Adami fuimus, contaminari eramus; ſic, cùm caro Chriſti ſimus, expiamur. Induſtriam tanti miraculi inuenit prudentia diuina, vt caro Chriſti fieremus, huius Sacramenti participes. Compingimur Iesv vnione mirifica, naturali, ſubſtantiali, non metaphorica; vt iam ſic placeat Iesv caro noſtra, quòd æſtimet ſuam. & quemadmodum ſuam è morte vindicauit, ſic noſtram reſurrectionis decorabit honore. Verè Algerus lib. 1. dixit: *Ita* Lib. 1. de Sacram. c. 3.
verè & perfectè communicauit nobis ſe ipſum, vt, viſibiliter etiam corporis & ſanguinis ſui mirifico Sacramento Eccleſiam ſibi vniens & concorporans, tanta gratia inſigniret, vt ipſe caput eius, & ipſa eſſet corpus ſuum, non nomine tenus tantùm, ſed in veritate ſui corporis verè ſibi concorporatum, vt in illo nullius gratiæ nobis eſſet diuortium, cum quo nos ſolidaret tam vnica vnitatis Sacramentum: certumque eſſet hoc pacto, nos cum ipſo per ipſum ſimilem dignitatis obtinere gloriam. Geſtio dicere, iuxta plura Sanctorum ſenſa & dicta, tantæ vnionis carnis reuerentia magnos in animam refundendos fauores. Et præterquam quòd immortalitatis impaſſibilitatiſque prærogatiuam obtinebant participes Dominici corporis, non ſolitario iure animæ tale corpus promeritæ, ſed ſui corporis ratione & iure iam vnius cum corpore Chriſti Domini. Nam etiamſi nulli alij homines ius reſurgendi haberent, illud haberent qui corpus Domini manducant, iuxta Irenæum, Nicænos Patres, & nonnullos, licet recentes, Theologos grauiſſimos doctiſſimoſque. Fingo caſum, vt expromam quod veneror cum ſanctis Patribus, quod gratulor, quod demiror; ſi, poſtquam iuſtus homo corpus Chriſti ſe fecit, dignè & deuoto affectu communicans in hoc Sacramento, omnis ab illo habitualis gratia tolleretur ſine culpa ſua, volente ſic Deo extraordinaria aliqua lege, nihilominùs manſurum heredem reſurrectionis ob vnitatem cum carne Chriſti; atque proceſſuram complacentiam Dei in animum: nam ſi per carnem communicatur diſplicentia Dei in filios Adami, cur non poſſet per carnem ſanctam communicari complacentia in membra Chriſti? Filij Adami fuimus, ſed membra Chriſti ſumus. Nam & gratos manere Deo, ſine qualitate habitualis gratiæ actu exiſtente, non repugnat, & fatentur grauiſſimæ cenſuræ viri. Veræ charitatis actus iuſtos nos reddit, imò cuiuſuis virtutis actio digna æternitate gloriæ, ſanctos nos ſanctitate operum facit, vt, licet orbaremur poſteà qualitate gratiæ, dum ſine culpa noſtra eſſet, heredes nihilominùs gloriæ maneremus. quod grauiſſimi & Catholici Doctores fatentur. Sunt enim (ablegata acceptatione extrinſeca) aliæ formæ ſanctificantes præter habitualem gratiam exiſtentem actu. P. Vaſquez ſæpè 3. part. to. 2. diſput. 116 cap. 5. n. 55. & 1. 2. to. 2. diſput. 203. c. 4. & diſput 220. cap. 5.

Quare nec caro noſtra per coniunctionem

& vnionem cum carne Chriſti, reſurrectionis ſpeciale ius lucrata, illud amitteret, etiam ſi nudaretur anima qualitate gratiæ, ſine culpâ tamen. *Non enim*, Algerus inquit, *eſſet miſericordia Dei & iuſtitiæ condignum, ſi eos repelleret à regni ſui conſortio, quibus tam familiariter vniri dignatur in mundi exilio, eiſque honoris viciſſitudinem non rependeret in manifeſtâ viſione ſua maieſtatis: nam quomodo ibi fieret diuerſum, quod hîc factum eſt vnum?* Idem ait: *Non enim eſt ſine magno gratiæ priuilegio, quòd Deus etiam corporaliter humano corporis & cordis vti dignatur diuerſorio: nec tantùm ad hoſpitandum, vt in templo ſuo, ſed ad incorporandum ſibi, vt membrum capiti ſuo. Quid enim ad ſalutem nobis deerit, cùm ille qui ſalus eſt omnium, nobis vnitus fuerit?* Planè qui iuſtus æſtimator ſit eorum quæ Patres & plures Theologi ſeriò dicunt de vnione ſubſtantiali, reali, naturali, quæ poſt hoc etiam Sacramentum manet inter communicantes dignè & carnem Chriſti, cum iure reſurrectionis glorioſæ, abſurdum hoc non credet. Nam reſtaret animæ ſua dignitas & meritum ex precedenti affectu & amore erga IESVM, cui per Euchariſtiam incorporatur.

In hoc Sacramento, non tantùm vna caro cum Chriſto ſimus, ſed vnus ſpiritus; nec tantùm corpus noſtrum honoratur, ſed anima. Quis non miretur egregium hoc amoris inuentum, mirum vnitatis artificium? Coagulum Eccleſiæ, caro & ſanguis Chriſti ſunt: per hæc myſteria non tantùm ſimus vnum cum Chriſto, ſed inter nos: ardentiſſimâ enim charitate congelamur arctiùs: nam ſi vniti Chriſto, & Chriſtus nobis, nos quoque inter nos per Chriſtum vniti. manus idem corpus conſtruit cum capite, & cum aliâ manu: brachium vnum corpus eſt cum capite, & cum pede.

Sed quod præcipuè in hoc Sacramento mirandum, arctiſſima eſt vnio cum carne & ſpiritu & diuinitate Chriſti. Hoc contemplata S. Tereſia in Meditationibus ſuper Orationem Dominicam auſa eſt dicere: *Maius fuit hoc beneficium quàm fieri Deum hominem. in incarnatione non deificauit niſi animam & carnem ſuam, vniens illam cum ſuâ perſonâ; at in hoc Sacramento voluit Deus deificare omnes homines, qui meliùs aluntur cibis quibus à pueritiâ nutriti ſunt: cumque in baptiſmo geniti fuiſſemus ex toto Deo, voluit vt ex toto ſe aleremur, iuxta dignitatem filiorum quam nob s tribuit.*

Atqui, ad fidem prouidentiæ, quod maius auctoramentum amoris, & eius appendicum curæ, ſolicitudinis, dignationis, quàm ſuo corpore, ſuo ſanguine Deum nos alere? Numantiâ captâ inuentæ ſunt matres, quæ liberorum tenerent ſemeſa in ſinu corpora, nulla quæ filios ex ſe nutriret. Pluſquam maternum affectum erga nos IESVS habet. habeamus nos erga illum filialem, imò & maternum, faciendo voluntatem Patris eius. Ipſe Dominus diſertè ait: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Egregiè Galfridus hortatur: *Diligamus ergo Dominum Ieſum Chriſtum, tamquam filij: quoniam ipſe, vt audio, à nobis maternum non dedignatur affectum. Neminem enim reſpuit matrem ſuam fieri, qui ab omnibus vult Patris voluntatem impleri. Et quia certiùs atque affectuoſiùs ab homine diligi voluit, filium ſeſe hominis non modò fecit, ſed etiam nominauit toties.* Verùm verò & ipſe nos tamquam mater diligat, imò & matris amorem propria charitate tranſcendat, idem ipſe in Propheta declarat. ait enim: *Et ſi mater oblita fuerit, vt non reminiſcatur filij vteri ſui, ego non obliuiſcar tui.*

Matth. 12.

Præterea, quantum ad fiduciam, iuuat ipſum Chriſtum complecti, oſculari, & ipſi incorporari. Fimbriam veſtimenti eius reputauit mulier fluxum ſanguinis duodecim paſſa annis, inueterati morbi remedium; quid faciet amictus diuinitatis, ipſum Ieſu Chriſti corpus, ipſa caro, ipſe ſanguis Filij Dei? Optimè exclamat S. Petrus Rauennas: *O quid iſta vidit habitare in interioribus Chriſti, quæ in Chriſti fimbriâ diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quàm docuit mulier, quantum ſit corpus Chriſti, quæ in fimbriâ tantum Eccleſiæ monſtrauit! Miſeri qui quotidie corpus Chriſti tractamus, & ſumimus, & noſtris vulneribus non curamur: imò, quod magis flendum eſt, mulier tulit medicinam de vulnere, nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus. Non enim deeſt Chriſtus infirmantibus, ſed fides.*

CAPVT XXVII.

An decorum fuerit, Deum paſſum & mortuum eſſe.

QVod autem Gentibus ſtultitia eſt, viſum Iudæis ſcandalum, Deum hominem mortuum fuiſſe, laboribus ſaginatum, & per totius patientiæ pericula commendatum; ſumma ſapientia eſt, & decentiſſimum Deo. Cyrillus Ieroſolymitanus non ſolùm glorioſam dixit crucem Chriſto Ieſu, ſed gloriationem gloriationum. In primis allego priuilegiariam amoris legem apud Platonem, per quam nihil vileſcit quidquid amore fit, etiam viliſſimum, commendante charitate omnem humilitatem. Hanc rationem alibi diſſerui; nec opus eſt inculcare: iuuat ſolùm addere Chriſtianam pij Balduini ſententiam, quæ Platonicam & Philoſophicam conſecrat. *Chriſti*, inquit, *charitas in morte Chriſti violentior fuit, quàm Iudæorum iniquitas; nec potuit iniquitas, niſi quantum permiſit charitas. Iudas Chriſtum vel Iudæus morti tradidit; & hoc ex maligna iniquitate. Tradidit Pater Filium, tradidit & ſe Filius, & hoc ex charitate: nec traditionis rea eſt charitas; ſed innocens eſt etiam in morte Chriſti. ſoli enim charitati licet quidquid libet, & impunè. ſola Deum cogere poteſt quaſi imperioſa. Hæc de cœlo Deum depoſuit; hæc in cruce poſuit, hæc tam innocenter quàm ſalubriter ſanguinem Chriſti fudit in remiſſionem peccatorum. Ergo gratiarum actio tota pro ſalute mundi charitati debetur: quæ ita nos vrget violentiâ ſua rationis, vt par ſit nos tantum Chriſtum diligere, quantum Iudæus potuit odiſſe. Humanum fortè dico propter infirmitatem cordis noſtri. Indignus eſt enim amici nomine, qui minùs diligit, quàm inimicus odit. Indignus eſt remiſſione peccatorum, qui ſic amanti viciſſitudinem amoris redamando non reddit: ſed qualem poteſt,*

ne

Digitized by Google

ne dicam parem. Nam parem quis poteſt? Non ſit nobis pretioſior ſanguis proprius, quàm amor Chriſti. Ergo ſi amare, dignum Deo eſt, nihil indignum erit quod amatorio impetu fecerit; quantò magis pati, quod ipſum amorem maximè commendat? Tam abeſt vt patientia IESV indigna maieſtate ſit, vt non ſolùm eam ſuus amor commendet, qui commendat etiam vilia & abiecta, iuxta Philoſophos, ſed ipſa commendet amorem omnia commendantem.

Satis iam actiones diuinæ fidem amoris præſtiterunt. oportebat per omne periculum explorari, ſcilicet per paſſiones. Melleus totus diuus Gregorius ait: *Quia nos videlicet minus amare, niſi & vulnera noſtra ſuſciperet: nec vim nobis ſuæ dilectionis oſtenderet, niſi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret. Paſſibiles quippe mortaleſque nos reperit, & qui nos exiſtere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam ſine ſuâ morte poſſet à paſſione.* Nos itaque quia amati à Deo, vulnerauimus illum. Vt vulnera ſui amoris per vulnera ſui corporis ſignificaret, ipſe IESVS dulciſſimè affatur animam: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* Sed & dignus eſt Balduinus, vt iterùm audiatur. *Quæ ſoror dicitur & ſponſa, cur vulneraſſe dicitur cor fratris & ſponſi? An & amor ſua vulnera habet? Habet vtique: facilis enim & promptus vulnus tam ſuaue, quàm ſalubre & ſufferre pariter, & inferre. Attendamus igitur quomodo ſponſus cor ſuum à ſorore & ſponſa vulneratum dicit: nec ſemel dicit, ſed ſecundò ingeminat vulnus, &c. Nempe propter nimiam charitatem quâ nos dilexit, cùm eſſemus mortui peccatis, vitam nobis deſiderauit, & ſibi mortem. Hinc eius vulnera in cruce ſuſpenſi: hinc peccatorum noſtrorum vulnera ſunt ſanata: hinc nobis ſalus eſt miniſtrata. Deſiderium ergo noſtræ ſalutis, & pro noſtrâ ſalute deſiderium propriæ mortis duo vulnera ſunt; alterum amoris, alterum doloris. imò vtrumque amoris: vtrumque enim deſiderium de amore proceſſit, vtrumque amorem probat ipſâ iam patientiâ ſigillatum: vtrumque plus illum ſauciauit, quàm claui, quàm lancea.* Deuotiſſiuè Drogo ad illam Chriſti in cruce querelam cùm dixit, *Sitio: Domine quid ſitis? Ergone plus cruciat ſitis quàm crux? De cruce ſiles, & de ſiti clamas, Sitio. Quid? veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium. Plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet, & ſi non mei, ſaltem miſeremini veſtri.* Audi ex S. Ambroſio, quantum præſtet auctoritas probatæ tantâ patientiâ & contemptu ſui charitatis, aliis negotiationibus amoris; ſic fatetur: *Plus, Domine* IESV, *iniuriis tuis debeo, quòd redemptus ſum, quàm operibus, quòd creatus ſum.* Quare optima eſt concluſio Tertulliani: *Propter hominem omni ſe humilitate deiecit vſque ad mortem, mortem autem crucis: amauit vtique, quem magno pretio redemit.*

Lib. 10 Moral. cap. 16.

Lib. 1. in Luc.

De Carne Chriſti c. 4.

Deinde non indigna eſt diuinitate tolerantia. Allego ſenſum naturæ, & ipſorum Ethnicorum ſuffragium, qui cùm filium aliquem dei ſuum Herculem ad exemplar virtutis propoſuiſſent, laboribus etiam exornarunt, & omni conſecrarunt patientiâ. Huius gloriam lego ab Ethnicis commendatam, etiam per ignominiam crucis: de quâ Lucius Florus nec confundendum cenſuit, nec indignum maieſtate ſupplicium. De Regulo ſic loquitur: *Nec vltimo ſiue carceris, ſupplicio deformata maieſtas; imò his omnibus admirabilior. quid aliud quam victus de victoribus, quia Carthago non ceſſerat, de fortunâ triumphauit?* Hæc Ethnicus de patientiâ hominis. Quantum Chriſtianus gloriabitur de patientiâ Dei? Dicam cum S. Ambroſio: *Decora facies, quæ non erubeſcit auctorem, quæ non confunditur redemptore.* dicam cum Tertulliano: *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit. ſaluus ſum, ſi non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confuſus fuerit, confundar & ego eum. Alias non inuenio materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem, & feliciter ſtultum. Natus eſt Dei Filius; non pudet, quia pudendum eſt. & mortuus eſt Dei Filius; prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt. & ſepultus, reſurrexit; certum eſt, quia impoſſibile eſt.* De ignominiâ Reguli non confuſi Romani, ſed gloriati, quia pro illis viliter paſſus, & affixus cruci: cur homo poteſt erubeſcere, indignum arbitratus quòd pro ſe Deus paſſus viliſſimè ſit? Audi Theodotum Ancyranum Epiſcopum, cuius in Concilio Epheſino hæc de cruce & cruciatibus IESV leguntur: *Nequaquam ergo hæc paſſiones appelles; ſed paſſionum noſtrarum potius ſanitates, & noli mihi membra Virginis ad opprobrium offerre diuinitatis: non enim horum indigna natura eſt, licet aduenientes contumeliarum paſſiones nobilitatem corporis deuaſtarint.* Audi quoque Laurentium Iuſtinianum: *Fecit autem antidotum ſpirituale, ſputo, aceto, felle, ſanguine, flagellis, irriſione, opprobriiſque compoſitum, quo vulnera, dolores, tentationes cruciatuſque linirentur noſtri.* Vocabo igitur cum Tertulliano humilitates & paſſiones IESV *neceſſarium decus fidei.*

Lib. 2. c. 2.

Serm. 6.

Suprà c. 5.

In Concil. Epheſ. in Appendice cap. 2.

In procem. de Caſto connub.

De Car. Chriſti c. 5.

Ceterùm & fidem maieſtatis tanta humilitas præſtat. non habet Deus ſuum honorem leuiter adhærentem, vt facilè excidat. innata eſt illi maieſtas, ſecura periclitari ſe poteſt, & tuta, & tota, & magnificè demittere. Ille enim qui non duxit rapinam æqualitatem Patris (etenim te verâ &, & legitimâ & naturali hereditate æqualis erat) ſecurè potuit ſemetipſum exinanire. Aptè Chryſoſtomus ait: *Quod rapuit quis, & præter congruum accepit, iſtud deponere non audet, veritus ne pereat, ne excidat; ſed perpetuò ipſum detinet. Qui verò naturalem quamdam dignitatem habet non veretur deſcendere etiam ab illa ſciens quòd tale nihil paſſurus ſit: vt exempli vice dicam, tyrannidem rapuit Abſalom, & deponere illam deinceps auſus non fuit.* Idem poſteà dicit, quomodo Dei Filius non ſit veritus à dignitate ſuâ deſcendere. *Non enim rapinam arbitratus eſt diuinitatem, non timuit, ne quis naturam aut dignitatem Dei ſibi auferret, propterea & depoſuit eam ſecurus, quòd recepturus eſſet eam; diſſimulauitque illam, nihil ſe eo imminuendum ratus. Propterea non dixit, Non rapuit, ſed, Non rapinam arbitratus eſt. Non raptum habebat principatum, ſed naturalem non donatum, ſed legitimum ac ſecurum. Proptereà non cunctatur vel ſeruorum formam accipere Tyrannus metuit in bello deponere purpuram; rex verò id cum magna ſecuritate facit. Quare? quia non habet raptum principatum. Non igitur tamquã qui rapuiſſet, formã Dei non depoſuit, ſed*

tanquam naturalem habens, & quæ numquam deponi queat, eam abſcondit ac diſſimulauit. Iſtud æqualem eſſe Deo, non ex raptu, ſed ex naturâ habuit, proptereà inaniuit ſeipſum. Appoſitè etiam Theophylactus: *Non enim rapuerat gloriam, vt timeret de illâ excidere: & proptereà non dignantur humile quidquam facere, qui generoſi non ſunt, quòd gloriam rapiant, nolentes vllo modo humiliari, vt ne perdant quod rapuerunt. at omnium Rex erat, & Dei Filius.* Oportuit maieſtatem diuinam ingenuam liberamque oſtendi. Seneca enim dixit: *Hæc ſumma magnitudinis ſeruitus eſt, non poſſe fieri minorem.*

Sup. 2. ad Philip.

De Clement 1.

Decebat enim magnum illum Dominum maieſtatis exhiberi minimum, & Sapientis præceptum adhuc amplecti, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Elegantiſſimè Balduinus ait: *Secundùm magnitudinem dignitatis æqua ſit menſura humilitatis. Humilitas in honore, honor eſt ipſius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipſo dignitatis nomine indigna eſt, ſi humilia dedignetur. Humilitas autem ſine honore ipſa ſibi ſufficit ad honorem; honor verò ſine humilitate ſeſe perducit ad confuſionem.* Adiice, nullam ignominiam patientiæ iniuſtam eſſe, imò glorioſiſſimum indignè pati. Vtrùm glorioſius erit, Chriſtum innocentem punitum, an deos Gentium omnium criminum reos adoratos? Neruosè dixit Tertullianus: *Qui ſi eſſent in his temporibus, omnibus legibus rei ſubiacerent, quæ multò iuſtiores & ſeueriores, quàm actus illorum. Patrem armus pulſauit* (Iupiter) *lex Falcidia & Sempronia parricidam in culeo cum feris ligaret. & ſorores corrupit; lex Papinia omnibus per ſingula membra probrum puniret. connubia aliena inuaſit; lex Iulia adulterum ſuum capite afficeret. pueros ingenuos attaminauit; lex Cornelia tranſgreſſi fœderis admiſſum, nouis exemplis noui coitus ſacrilegum damnaret.* At IESVS noſter nulli criminali legi obnoxius, noxas omnium & crimina abrogauit. Quantò turpius eſt ob peccata mereri ſupplicium, tantò glorioſius ſine peccato ferre; quid erit, ſi non ſit peccatum, maximè ſi nec alienum? Hic eſt totus pudor crucis Chriſti, ſcilicet gloria eſt.

Libro de Execrandis Gentium diis.

Præterea opera Dei imperfecta non ſunt; iam ſiquidem depreſſit ſe ad humilitatem noſtram; ad exemplum, ad redemptionem, exactè debuit facere quidquid fecit. voluit pati, debuit exactè pati, id eſt non minùs quàm vllus, id eſt plus omnibus. voluit mori, debuit exactè mori, morte, vt ſic dicam, mortaliſſimâ. voluit humiliari, debuit exactè humiliari; debuit magnanimiter, debuit ad extremam lineam. voluit egere, debuit exactè egere, id eſt nihil habere. Proptereà tanto voluit contemptui haberi, & execrandus iudicari, *Vt*, quemadmodum Anſelmus ait, *nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem, neque inter homines, niſi inter execrabiles: neque ſub tecto aliquo, niſi ſub cælo, de quo eiici non potuit, vt ſecundùm Prophetam, opprobrium hominum, & abiectio plebis æſtimaretur.* Pauper verò ita fuit, vt veniens in mundum, non in ſuâ, ſed in alienâ domo naſceretur, & natus propter inopiam loci, in præſepio brutorum animalium poneretur; & viuens in mundo, non haberet vbi caput ſuum reclinaret; nec moriens, quo nuditatem ſuam tegeret; nec mortuus, vnde inuolueretur; nec ſepulchrum aut locum, vbi corpus eius collocaretur. ſi decens Deo fuit, fieri hominem, decuit ſic fieri hominem, vt minus homine videretur. Sunt diuina opera eximia, & in humilibus etiam magnifica, & quodam infinitatis odore illimitata.

Epiſt. 137.

Multæ aliæ cauſſæ fuerunt, quæ ſic IESVM meum exigebant, conſolatio noſtræ miſeriæ, exemplum virtutum ipſius, demonſtratio grauitatis peccati, commendatio diuinæ gloriæ, neceſſitas humilitatis noſtræ, & denique doctrina vitæ, doctrina mortis. Omnia grauia vitæ conſortio IESV patientis dulceſcunt, non minùs quàm aquæ amaræ per lignum. *Si tu inueneris*, inquit Stephanus Cantuarienſis, *aquas Marach, id eſt, ſi pœnitentia tibi videntur amara; reſpice lignum crucis, reduc in memoriam beneficium paſſionis; & ſic tibi omnis tribulatio dulcis fiet. Et nota quòd non dicitur, Dulcorata ſunt aquæ, ſed, In dulcedinem verſa; quod multò maiorem notat dulcedinem. Reduc me in memoriam, & narra ſi quid habeas vt iuſtificeris.* Quaſi dicat, Confer opera tua cruci, & vide quàm inæqualis ſit ad me recompenſatio tua. Hinc diuiniſſima eſt ſententia S. Franciſci Xauerij qui ſic ſcribit: *Omnia incommoda, ſi Dei cauſsâ, vti par eſt, ſubeantur, profectò magna ſolatia ſunt, & materia multarum magnarumque cæleſtium voluptatum.* Equidem ſic mihi perſuadeo, crucis Chriſti Domini amatores vitam eiuſmodi exercitam ærumnis beatam ducere; crucis autem fugam ac vacuitatem, mortis inſtar putare. Quæ enim mors acerbior eſſe poteſt, quàm ſine Chriſto, vbi ſemel eum guſtaueris, viuere, eumque deſerere, tuas vt ſequaris cupiditates? Mihi credite, nulla crux eſt cum hac cruce comparanda. Rurſus, quàm beatum eſt viuere quotidie moriendo, noſtraſque frangendo voluntates?

Epiſt. 1.

Plurimùm quoque iuuat paſſio, & exempla IESV noſtro torpori excutiendo, & animi ſterilitati fœcundandæ: non minùs fertiles operibus ſimus, non minùs etiam fœcundi quàm Iacob cùm ex Balâ ſuſtulit filios. Conſultè monet idem Stephanus: *Sic debet facere clauſtralis, cum præ acediâ contemplationi vacare non poteſt. Accipiat Balam, id eſt Chriſti paſſionem, vel vetera peccata reducat ad memoriam. Hic eſt panis ſubcinericius, qui datus eſt Eliæ dormienti ſub iunipero, noſtræ ſcilicet abiectionis memoria.* Porrò ad omnium malorum duriſſimum mortem tolerandum, quanta conſolatio eſt exemplum Chriſti mortaliſſimè morientis; cùm *paſſus ſit pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius*? Deuotè & ſublimiter Balduinus exclamat: *O rem mirandam & ſtupendam! inde obligamur vſque ad mortem obnoxij, vnde per mortem dimittimur à morte liberi: inde debitum mortis contrahitur, vnde debitum mortis abſoluitur.* Iam ergo ex nouâ cauſsâ debitores mortis ſumus; quamuis ex veteri culpâ, nihilominùs ex nouâ gratiâ. Sed mors peccatorum peſſima, debitæ pœnæ quædam eſt exſolutio; ſic tamen, vt ingratitudinis nulla ſequatur abſolutio. Pretioſa verò mors ſanctorum. per mortem Chriſti eſt quædam gratiarum actio, & viciſſitudinis nonnulla ſimilitudo. Hæc autem ſimilitudo mortis, obedientia eſt vſq; ad mortē. Piè alterâ ratione Guerricus conſolationē noſtrā commen

Serm. de S. Bened. commendauit. *O quanta*, inquit, *conſolatio nunc deſolari, quanta dilectio nunc derelinqui! vt vnico Patris vnicè dilecto mereamur in paſſionibus conſolari.*

Vbi autem fœcundiori fructu charitas, quàm ad præſentiam tantæ charitatis IESV, tot laboribus, humilitatibus, paſſionibus, & morte ipsâ authenticæ & probatiſſimæ? Velut enim palmæ, & nonnullæ aliæ arbores ad præſentiam alterius fœcundantur, & inclinantur ad ſociam: ſic noſtrum amorem trahit charitas IESV ex arbore crucis. Ipſe dixit, *Si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum.* (Ioan 12.) Deuotè Gillebertus inquit: (Serm. 20.) *Omnia quæ in te ſunt, IESV bone, quamdam habent alliciendi efficaciam, & cogitationes ſolicitant in affectum. Sed ad omnia non poſſumus omnes attingere. ſublimia ſolis ſublimibus ſunt, humilia omnibus. Quæ maior humilitas quàm exaltari in cruce? & de hac ait, Cum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me. Efficax ad trahendum humilitas eſt, quid mirum? Quis non ad ſimplicem cogitatum huius rei ſtupore & ecſtaſi repleatur? cuius non affectum fides hæc exhauriat, & infatuet, & reddat inſufficientem? facilis eſt ad contemplandum locus, ſed fœcundus ad gratiam.*

Quid dicam, quantum compendio deliciarum, ſtrangulationi vt ſic dicam elationis noſtræ, & in ſummâ correctioni priuatum omnium affectionum faciant dolores IESV & humilitates, quorum memoriâ faciliùs toleramus aduerſa, aduerſamur ſuperbiæ? Quis non clamabit cum Laurentio Iuſtiniano: *O humana pudor ſuperbia, ô altitudinis terrenæ confutatio ſingularis, videre Dei Filium aquam infundere, refundere, pedum puluerem abluere, linteo extergere, atque ſingulorum pedibus oſcula imprimere dulciſſima charitatis! & quis poſt hanc ſubmiſſionem ſuperbiat, aut dicat, Maior illo ſum, qui ſuorum ſubſternitur pedibus?*

Quid dignius Deo quàm diſpendium peccatorum, quàm emolumentum virtutum? vtrumque artificium eſt paſſio & humilitas eius. Chriſtus hoſtia fuit pro delicto: cuius ſanguis per gyrum cordis noſtri (quod altare diuinum eſt) fuſus in eius paſſionis memoriam, dedicat & ſanctificat affectus noſtros. Faciamus quod S. Bruno ait: *Fundamus, chariſſimi, huius hoſtiæ ſanguinem per gyrum altaris, vt ſemper corda noſtra in Chriſti ſanguine natent, & numquam eius paſſionis obliuiſcamur.*

Atqui formidinem peccati quid magis commendare potuit, quàm ita pro alieno affligi innocentiſſimum Dei Filium, & Dominum maieſtatis? Idem dico de magnitudine gloriæ, quam nobis tanto emit eius Dominus. Maieſtas diuinarum perfectionum & attributorum, vbi digniùs patefacta? vbi miſericordia, vbi iuſtitia auguſtiùs manifeſtatæ? namque, vt noſtri miſereretur Filius Dei, ſuæ vitæ non pepercit; & Pater, ne derogaret ſuæ iuſtitiæ, non pepercit chariſſimi Filij vitæ. vbi ſapientia emicuit altior, quàm in hoc fœdere miſericordiæ & iuſtitiæ? vbi potentia Dei fortior, quàm per infirmitatem omnipotens? optimè Auguſtinus dixit eius infirmitatem ex poteſtate eſſe. vbi maior doctrina vitæ, quàm ex morte ipſius vitæ, per omnium rerum contemptum & penuriam? Immenſum eſſet, gloriam humilitatis IESV, & fructus paſſionis ipſius, enarrare. Aliqua dedimus alibi, nec opus eſt huc tranſcribere. Patet omnibus conuenientia tanti ſacramenti Deo digniſſimi. experientia iam probauit glorioſiſſimum, cùm paſſioni IESV cultus & notitia Dei debeatur. Chriſti crux ſuper Imperatorum capita ad maieſtatis ſignum geſtatur. ſuper omnem mundi gloriam hoc ſignum exaltatum eſt, vt verè, iuxta Iſaiæ dictum, *ſuper montem caliginoſum ſignum* leuatum ſit. *Mons iſte*, inquit Ailredus, *Babylonem ſignificat, id eſt mundum. Mons propter ſuperbiam, caliginoſus propter errorem. Super hunc montem Dominus ſignum eleuauit, cùm per crucem ſuam de mundi ſuperbiâ triumphauit. Quod enim alicui rei ſuperponitur, aut premit, aut claudit, aut ſupereminet. Superpoſita ſunt duo Cherubim arcæ teſtamenti, vt altius eminerent: ſuperpoſitus eſt lapis puteo, vt clauderet: ſuperponitur torculari prælum, vt premat. Super montem igitur caliginoſum vexillum crucis extollitur, vt ſuâ virtute mundi huius potentiam premat, ſuperbis redemptionis noſtræ myſteria claudat, apud mites verò & humiles omni mundanæ gloriæ ſuperemineat.*

CAPVT XXVIII.

Quid decentius Deo, curare per ſe omnia, an per Angelos.

TAnta eſt ſedulitas Dei pro homine, vt homo fieret, ne minùs procuraſſe hominem videretur quàm ſe. cumulata iure ſanguinis charitas magis voluit conſtringi ad ſolicitanda noſtra; non tantùm Deus amicus noſter eſt, ſed & conſanguineus. Proceſſit vltrà ſolicitudo, atque corpus & ſanguinem ſuum nobis prouidit, noſtræ vitæ impendit. Magnum charitatis facinus exaggerauit Roma, quòd filia patrem lactans eum à morte exemerit, ad quam damnatus erat ſenex fame accelerandam: at Filius hominis cruore & carne ſuâ nos alit, nos vita donat. Viderint impij, an procuret homines Deus? an per ſe? Non confidit vicario negotiari humana. non diſtrahitur, nec contrahitur vis illa benefica multitudine clientum. Sol non magis illucet vni, quàm vniuerſis; nec minùs ſingulos illuſtrat, quàm omnes; nec plures, quàm paucos. hoc vtique non tantùm Deo dignum, ſed neceſſum eſt. Nequit non curare ſingulos, & in ſingulis. nequit obliuiſci ſuorum. minuta iſta, attenta & immediata procuratio omnem merebatur amorem noſtrum, omnem gratiam, omnem fidem. Venia eſt iam & excuſatus ille auſus, illa præfidentia, cùm non erubuit Dauid poſtulare, vt pupillam oculi cuſtodiri à Deo. Non miror præſumptio decebat tantæ prouidentiæ experimentum & euidentiam. Ipſe Dominus operibus dixit ſæpè, quod ſemel verbis per Zachariam: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* (Zach. 2.) Moyſes didicit, & celebrauit cuſtodiſſe Iſraël quaſi pupillam oculi ſui. (Deut. 32.) Idcircò iuſtiſſima illa poſtulatio per Salomonem: *Serua mandata mea, & viues; & legem meam quaſi pupillam oculi tui.* (Prou. 7.) Iniuſtè Deo remunerat prouidentiam ſuam; qui aliter præcepta obſeruat, ad

Digitized by Google

ipſius prouidentiæ ſubſidium. Tam delicatè, tam intentè Deus proſpicit nobis. Vna cuſtodia oculi alij commendari nequit, niſi quòd quiſque protegat ſuum. Regij corporis cuſtodia fido ſpiculatori committitur: nemo tamen ſatelles oculorum regis cuſtos eſt, ſed ipſe; non eſt hoc negotium alienum. Scilicet proximè Deus & attentiſſimè curat noſtra. Neque indecens hoc maieſtati diuinæ, ſi amat. Falsò aliqui maieſtatem Dei formarunt ad ſpeciem humanæ, quæ quia infirma, magnæ prouidentiæ gloriâ mulctatur, vt minutiora vel ſingula non curauerit, aut ſolùm per vicarios. Ignorantia amoris Dei, & immenſitatis ipſius extorſit hanc opinionem. Quia amans, dignatur; quia immenſus, non laſſatur ſingulorum & omnium procuratione. Neque anguſtius Deo eſſet, ſi per præfectos & legatos Angelos hæc ſolùm moliretur, niſi minutiſſimis quibuſque oculatus ipſe adeſſet. Maius hoc humanæ prouidentiæ laude, cuius ſolùm imagine aut affectatione extollitur. hæc maxima Traiani Cæſaris commendatio: *Velociſſimi ſideris more omnia inuiſere, omnia audire, omnia curare, & vndecumque inuocatum ſtatim numen velut adeſſe.* Perfici principes cupidi vbique & ſingulis adſiſtere, remedium immenſitatis excogitarunt, ſuffectis vicariis quos oculos & aures regias vocarunt, vniuerſos hac arte habituri ante oculos. Decus itaque eſt nimium, & minutiſſima curare. Impotentia ſolùm humana cogitur per præfectos emendare prouidentiam, & prorogare curas.

Plinius Secun. in Panegyr. Traiani.

At dices, Quis Angelorum nos cuſtodientium vſus? vt quid delegauit Deus miniſtros? non vtique tam delegat, quàm addit noſtri curatores boni; id eſt, non delegat vt negligat ipſe, ſed vt plures ſolicitent; vt pluribus ipſe modis ſolicitet. ita curat nos, vt velit præcipuas mundi mentes etiam nos curare, non ſolas. Nec prudentiæ ſolùm creaturæ, licet ſanctiſſimæ, confidit nos Pater cæleſtis: non oblitus, aut tædio noſtræ prouidentiæ, pædagogos nobis, vt chariſſimis filiis, adſociat cæleſtes ſpiritus. Chriſtianè Epictetus dixit: *Cuinam alij, aut meliori, aut diligentiori, quemque noſtrûm committere cuſtodi potuiſſet?* Gratus Ethnicus ob iſtud beneficium ſic concionatur: *Par erat vos etiam Deo obſtrictos eſſe iureiurando, quemadmodum milites ſunt Cæſari. At milites propter ſtipendium iurant ſe Cæſaris ſalutem omnibus rebus anteferre. Vos tantis & tam eximiis affecti beneficiis non iurabitis, aut iurati non praſtabitis? Ecquidnam vobis iurandum? non rebellaturos vmquam, aut incuſaturos, aut indignè laturos vllam rem ab ipſo vobis oblatam: nec non libenter facturos & perpeſſuros, ſi ferat ita neceſſitas, omnia.* Adiice, ſi tanto ſacramento obſtringuntur milites qui defendunt Cæſarem, quanto nos obſtringi Deo debebimus, cùm nos ipſe defendat, nos curet? Milites qui vitam ſuam locant pro principe, omnem illi fidem mancipant, omne obſequium: cur iſtud detrectamus Deo, qui vitam ſuam pro nobis ſtipulatus, qui poſuit? æſtimet ſe homo, quem Deus ſic æſtimat, ſic curat. Extorquebit pudorem multis Chriſtianis ſenſus Epicteti, quem memoriâ prouidentiæ egregiâ ſpiritus afflauit, ſe æſtimans Dei filium, ceteros ex eodem parente fratres. *Si Cæſar*, inquit, *te adoptaſſet, ſupercilium tuum nemo ſanè ferret: ſi ergo Dei filium te agnoſcis, non te efferes?* Idem increpat: *Mancipium recuſas ſuſtinere fratrem tuum, qui Iouem habet parentem, tamquam filius ex eâdem ſtirpe generatus, & ex eodem de ſupernis ſatu.* Videatur tibi filius Dei, cui Deus pluſquam pater prouidet: ergo iam ex diuinâ familiâ nihil indignum diuinitate agas. Scipionem fama cæleſtis originis ad egregia inſtigauit. Alexandrum fecit magnum opinio filiationis diuinæ. Dicebat hoc ſe mendacio gaudere felicitaturo geſta ſua. Vtique; nam digna Deo ſtudebat. Varro dixit vtile eſſe ciuitatibus, vt ſe viri fortes, etiam ſi falſum ſit, ex diis genitos eſſe credant, vt eo modo animus humanus, velut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audaciùs, agat vehementiùs, & ob hoc impleat ipsâ ſecuritate feliciùs.

Arrian. lib. 1. Serm. Epict. cap. 14.

Lib. 1. cap. 3.

Capvt XXIX.

Quibus præcipuè ritibus gubernatio Dei geratur.

Satis, puto, purgauimus diuinam prouidentiam, & cum amore nexuimus. nunc illam parumper ſpectemus ſinceriùs, & quibus potiſſimùm publica res hominum geratur ritibus. In primis demiror nihil ſine vſu relinquere, adhuc malis optimè vſam. Quantâ ſubtilitate & ſolertiâ, ex ſceleribus ſanctimoniam exprimit? ex morte æternitatem? S. Albani ſanctitudo ex quot facinoribus extorta? primò inceſtus patris cum filiâ, deinde parricidium. vno ictu confodit ſororem, matrem & vxorem, altero patrem, auum & generum. duxit enim vxorem matrem ſuam, eadem & ſoror erat: nam patrem habuit auum. Deinde percellit Deus dæmonem iiſdem quibus inſtruitur aſtibus. per lignum decepit, per lignum decipitur; per cibum nos occidit, per cibum viuificamur. Magna prudentia eſt, nullis decipi artibus: maxima, omnibus intercipere, & iiſdem quibus captatur inſidiari. Illud maximè mirandum, nihil perdere. ſubtiliſſimâ dexteritate per diſpendia ipſa ſe prouehit. Labentium Angelorum ruinam per homines ſarcit, originalis gratiæ iacturam in vna Maria emendauit. Nihil gratiæ amiſſum placuit omnem in vnam matrem ſuam copulare, condenſare. In illa ſola redempta eſt omnium futurorum Adami poſterorum originalis iuſtitia. habuit quam cuncti habituri eramus. Egregiè quidam eleuatus & vetuſtus Pater conceptionem Mariæ vocauit *exordium felicitatis noſtræ*; quippe in Mariam tunc coacta fuit tota gratia noſtri exordij in illo felici ſtatu incontaminatæ naturæ. In Maria, cum reuerentia iuſtitiæ, conſultum eſt liberalitati diuinæ, & vtilitati noſtræ: nihil Deus reliquit largiri quod voluerat. & in multis tantumdem, imò plus vſus nobis præſtat Maria; quòd originalis integritas ſine Maria, cuius exoratio reſtaurat quidquid perdidimus, impetrat auxilia, macerat concupiſcentiam, & peccati diluit fomitem. Videt ſe habere gratiam noſtræ originis, & officiis piis eius vſum retribuit.

Sed & admiranda conſilia Dei, quæ per contrarias

tratias vias fortunat. Ioſephum per ſeruitutem prouexit ad imperium; Danielem per captiuitatem deduxit ad honorem; Moyſem per pericula direxit ad ſalutem ſui & electi populi. Plura accidunt, quæ effuſis lacrymis deploramus, vnde pendet noſtra ſalus, vita, honor. Dilectus Iacob filius in ciſternâ flebilis timebat, traditus Ægyptio hero, & miſſus in cuſtodiam dolebat: at inde negotium Dei agebatur promoturi illum ad regnum, ad ſalutem parentis, fratrum, & penè mundi. Quis videns flentes & afflictos Hebræos, publicato diplomate Pharaonis, iubentis maſculos omnes Nilo mergi, vt humor ferocior ferro iugularet innocentes, & præſcius futuræ per Moyſen ſalutis, non adoraret manum Dei, valentem per diſcrimina felicitare? Quantâ ſubtilitate gubernat reſiſtentes ſibi, vt iuuentur ipſis impedimentis? Is potiſſimùm ſæpè implet decreta Dei, qui refutat: per illam viam quâ fugit, accedit. Inconſolabili fletu fata chariſſimarum filiarum proſecuta S. Monegardis; at inde ſummam ſanctitatem inchoauit, inde lætitiam vitæ aſſiduam, inde gaudium perenne beatitudinis. Plurimorum corpora occidit Deus, vt aliorum animæ reuiuiſcant. mirificè architectatur bona æterna ex damnis temporalibus. Quot ſceleſti damnarentur æternè, niſi temporaliter! Madriti patuit artificioſa hæc miſericordia Dei. Quidam opportuniſſimam ſaluti æternæ mortem putauit, ſupplicium ſuſpendij. ideò importunis Deum precibus id poſtulabat. accidit vt quadam die Dominicâ, cùm innocens & liber eſſet, per ſomnium intelligeret ante diem Veneris ſuſpendio ſe forte plectendum. ita euenit: nam lictoribus repugnans, comprehenſus fuit, & ſtatim morte damnatus, die Iouis publicè deductus in exemplum, ſubijt patibulum.

Lib. 2.

Punit beneficentiſſimè Deus in hac vitâ, vt in æternâ remuneret. quot contemptibus, quot ſupplicijs ſalus Imperatoris Andronici procurata eſt? eſt dabo quæ Nicetas Choniates prodidit. Andronicus Orientis Imperator, tertio Imperij ſui anno ab Iſaacio Angelo victus, duabus grauibus ferreis catenis collo iniectis, & compedibus oneratus, verbis contumelioſiſſimis exceptus, ita demum ornatus ad Iſaacium perductus eſt. hîc illi ſæuities & tyrannis exprobata; facta omnibus licentia, quidlibet in illum audendi. Iucundum fuit irritatis ab hoſte vindictam ſumere. itaque impinguntur ei colaphi, tergum ignomiose pulſatur, barba vellitur, capilli trahuntur, dentes excutiuntur, in publicum deinde protrahitur, omnium ludibrijs exponitur, etiam à mulierculis pugnis cæditur. Pòſt dextera ei præciditur, & ſic mutilus in furum & latronum ergaſtulum detruditur, ſine cibo, ſine potu, ſine cuiuſquam officio. Paucis elapſis diebus alter ei oculus effoditur. Ipſe ſic fœdè habitus, & vno tantùm oculo, vnaque manu deformis, curtâ inſuper breuique tunicella malè amictus, capite raſo & glabro infamis, ſcabioſo camelo auerſus imponitur. Ludicrâ ex allio coronâ caput præcingitur, cameli cauda pro ſceptro læuæ inſeritur. ſic per forum triumphi formâ lentâ pompâ deducitur. Hîc plebs petulantiſſima, & circumforanea ſordida turba, efferatis animis in eum fecit impetum, nullâ habitâ ratione, quòd is nudiuſtertius fuiſſet Imperator, regio diademate redimitus, ab omnibus laudatus, cultus, celebratus, adoratus; quodque & ipſi iureiurando fidem ſuam & beneuolentiam erga illum obſtrinxiſſent. Furor omnibus miniſtrauit arma, clauas alij in caput impegerunt, ſordibus alij ſpongias hominum pecudumque excrementis & oleto plenas in faciem expreſſerunt. verubus alij latera pupugerunt. illi lapidibus, hi luto petiuerunt, iſti rabidum canem fungum alij & bardum proclamarunt. Impudens muliercula ollam è culinâ raptam bullientis aquæ plenam in tranſeuntis iſtius Imperatoris caput effudit. nemo erat qui ei non malefaceret. Ita demum ſummo ludibrio in theatrum perductus, & mox camelo detractus, inter duas columnas pedibus ſuſpenſus eſt, qui ſexcenta mala iam perpeſſus fuerat. Virum tamen & heroëm ſe geſſit planè Chriſtianum: lamentari & eiulare, aut fortunam accuſare auditus non eſt. & fruſtrà id feciſſet. cum Deo cœpit rationes ponere, & noxarum veniam orare. Illud enim ſolùm identidem ingeminabat: *Domine miſerere, Domine miſerere. Miſer, Andronice, quòd tanta ferre cogaris; felix, quòd patienter feras, & agnoſcas peccata ſic eſſe expianda.* Sed nec ſuſpenſo furibenda turba, dum vixit, pepercit: dereptâ tuniculâ virilia manibus agitarunt & lacerarunt. ferocior vnus enſem per pendentis aluum ad inteſtina adegit; duo alij periculum facturi, vtrius gladius eſſet acutior, ambabus annixi manibus, auerſum corpus transfixerunt. Hîc miſerrimus Imperator mutilatam dexteram ægrè admouit ori, calidum ex eâ ſanguinem vt multi putabant, ob recentem plagam adhuc ſtilantem exſucturus, ſic miſerè vitam abrupit. Diebus aliquot interiectis ex infami furcâ detractus, ſub theatri fornicem pecudis inſtar proiectus eſt, dum humaniores aliqui in locum alium tranſtulerunt; cum tamen à nemine ſepeliri permiſit Iſaacius. O Andronice, Imperator Orientis, quantam tibi Deus fecit gratiam, qui hæc te pati voluit paucis diebus! breui tempore miſer fuiſti, ne eſſes æternùm. totus hic calamitatum apparatus artificium ſalutis fuit Andronico, beneficium Dei, procuratio S. Pauli, cuius ille deuotiſſimus, & in cuius Epiſtolis aſſiduus. Nec ingratus Apoſtolus impepetrauit clienti ſuo per miſerias beatitudinem, quas prodigioſo ſuæ imaginis fletu prædixit.

Damna publica, fata principium, bella, fames, tyrannides, aliquando illius priuati, qui plus hæc deplorat, negotiantur ſalutem. Maxima cura Deo ſuorum electorum eſt, atque vt opportunâ inſpiratione vetulam pauperculam erudiat, non magnas impenſas computat regia capita. Occidit aliquando reges vt publicata mors ſolicitet alicuius mediaſtini & mendici ſalutem, docti rerũ humanarum fragilem naturam intutâ felicitatem, cæleſtiũ ſolùm rationem habendam. Fleuit B. Franciſcus Borgia fata Imperatricis Caroli Quinti vxoris: at inde ſanctitatis eius auſpicia eius gloriæ adornabantur, nam perdoctus maieſtatis humanæ humillimos exitus, æterno ſolùm Imperatori ſeruire ſtatuit. Bella, & inuaſionem Gallicam, oppugnationem Pampelonæ Deus permiſit, molitus S. Ignatij Patriarchę noſtri ſanctitudinem, & inde Xauerij, Ouiedi, Anchietæ, & inde tot populorum fidem

Digitized by Google

in orbis angulis latentium, & inde tot hominũ ſalutem. iam inde præparabatur quoque mea felicitas. Per longa itinera, per ambitus deducuntur diuina conſulta. Quotquot caſu videntur accidere, & minima videntur, maxima bona fundant. Quis putaret fidem Bulgarorum (gens ferox erat, & contumax erroris) illud ſolùm ſperare quòd monachus pictoriam diſceret? re tam leui totum regni emolumentum ſtetit. S. Ioannis Gualberti, & tot religioſorum hominum ipſius inſtitutum ſectantium, ſanctimonia manauit è tam minuto euentu, vt in biuio, non hoc ſed illo tramite pergeret, quo patris inimicus occureret. Pater Saulis non caſu amiſit aſinas. inde adornata occaſio quæſitum mittendi filij, vngendi à Samuele, regnaturi in Iſraël. Quis non expectabit ſalutem, cùm è rebus minimis poſſit Deus illam fabricare, &, cùm opus fuerit, magna ſoleat impendere? rebus deſperatis non ampliabit ſpem, cum nouerit conſilijs diuinis contraria explanare viam, & ex ipſis, vnde impugnantur, fortunari? ſcit Deus per humilia extollere. Quare omnia ex manu Dei, ex conſilio venire credamus; nihil caſu fieri. Minima magnum conſilium claudunt. ſic lætiſſimam vitam ducemus, cùm tam proſperè omnia accidant. Nihil nobis fortunantius vouere poteramus, quàm quod euenit. nam à Deo venit plus nos amante, quàm noſmet nos amemus.

Atqui in reuocatione fortunæ non minùs mirabilis ars, vt non tantùm miſer ſpes ſuas nutriat, ſed calamitoſus; non tantùm humilis, ſed deiectus ſperet poſſe reuehi vnde prolapſus. cum fœnore reſtitutus S. Iob, & ex ſtercore reſiluit in regnum, vnde præcipiti pulſus calamitate. Tam ſubtiliter, tam artificioſè noſtram fabricatur Deus ſalutem, vt ex contrarijs, ex minimis, in magnam molem conſtruat. Illud hinc colligat animoſum Chriſtiani hominis pectus, æquiſſimo atque ſereno animo omnia ferre, cùm nihil melius ei conſulere poſſet. reuereatur omnes euentus, etiam minimos, adhuc morſus culicis. Quæ nobis caſus ſunt, Deo ſunt conſilia. Timeat vota ſua, cum non poſſint ſuperare euentus. feliciùs res accidunt, quàm quæ conſulimus nobis. at ſi vota noſtra formidare poſſumus, quantum conſilia, quantum facta, quibus diſſoluimus prouidentiæ tenorem; & auream eius beneficiorum reſtem infringimus?

Nec minùs ſubtilis iuſtitia Dei eſt, quàm beneuolentia. Saulem ſuo intercepit conſilio: Iuſſus a Deo Amalecitas omnes penitus delere, noluit. mirum iuſtitiæ artificium: poſteà duxit beneficium, ab Amalecita trucidari. Sic ex ipſis noſtris ſceleribus ſupplicia ſua Deus educit, velut è vaginâ gladium: ex malo inobedientiæ noſtræ ſtringit bonum iuſtitiæ ſuæ. P. Victoria ex noſtrâ Societate, cùm puer erat, cœpit ſecum voluere an omnia omnino pro Deo faceret; an aliquid tam arduum obuenire poſſet, vt numquam id à ſe impetraret; id ſibi difficillimum videbatur, anguem vorare. accidit mox vt naufragio pulſus in inſulam deſertam, tantâ laboraret fame, vt viſum à ſe anguem inuaderet; ſed antecurrentes ſocij diripuerunt inter ſe. ipſe dumtaxat corripiens lactes, pro delicijs comedit. tunc memor antiqui horroris, & diuinæ prouidentiæ, in lacrymas fuſus, doluit minùs neceſſitate Dei amorem in ſe potuiſſe. Illud admirabile eſt, quàm ſine ſtrepitu magna atque ardua conſilia ſuæ gubernationis peragat diuina maieſtas, & vijs communibus admiranda deducat, & per ordinariam rerum ſeriem clandeſtina patret miracula. Credo hîc mirabiliùs, quàm cùm palàm diſtringit ſuam potentiam.

At oportebat nihilominùs aliquando exſeri valentiam eius per legifragium naturæ, vt non tantùm iuſtus & ſapiens Deus, ſed dominans exhiberetur, & fulciret euidentiâ poteſtatis ſuæ noſtram periclitantem ſpem. Ideò & inter leges prouidentiæ eſt, ſine lege quandoque eſſe. Quod in omni tempore eſt viſum, per miracula prouidiſſe Deum etiam inopinis, & his temporibus accepimus miranda eueniſſe. Inaudita clades viſa anno 1626. in vrbe Paquin Sinarum, in quadam domo, vbi ingens vis pulueris tormentarij ſub terrâ ſeruabatur. creditum id tutius. Accidit nihilominus, vt ob negligentiam lapsâ illuc ſcintillulâ, tam violenter erumperet, vt tota ciuitas contremiſceret & magna in circuitu terræ pars: nec exigua eſt ciuitas, quæ quadrangularis cùm ſit, ex vnoquoque latere ad leucam porrigitur. vndecim millia domuum diruta, immenſæ arbores excuſſæ, per aërem procul amandatæ, homines innumeri aut combuſti, aut ſepulti; artus humani, capita, brachia, crura, extra muros pulſa. Mugitus terræ fertur auditus vſque ad duodecim leucas. fumus & & puluis ſolem obtenebrarunt, quaſi nox eſſet. In hoc ſtupendo Dei ſupplicio euenit, vt quo tempore inflammanda cetera erant, paruulus cuiuſdam Chriſtiani hominis filius in plateâ luderet cum alijs: ecce venit iuuenis per aëra, exerto gladio raptat, & mergit illum cum ſocijs in fonte vicino, ſic incolumes euaſerunt incendio.

Iuſtitia quoque diuina robuſtiſſima eſt, nec expectat quandoque moras naturæ. Anno 1627. in Parian delapſus è cælo ignis innumeras domos abſumpſit, & quindecim millia hominum combuſſit. Sapiens ille ignis tranſultabat ad aliqua prætoria, quærens ſecuros ſceleratiores: nam hauſtâ vnâ domo, in aliam magno interuallo diſiunctam tranſcurrebat. viſus eſt multis conteſtantibus è cælo defluxiſſe. Ipſi ſe Ethnici fatebantur ob ſcelera recentia id promeritos. Patres Dominicani, qui in eâ vrbe erant, timentes cladem, produxerunt imaginem B. Virginis Mariæ, quam vocant *Del Roſario*, extra domum: at, licet ſepties tranſcurreret illac incendium, integra ſuperfuit, cum magnâ Ethnicorum admiratione, & noſtræ fidei opinione. Dixerant enim, Nunc videbimus, an Caſtellanorum Deus poſſit ſuos iuuare. Hæſit aliquoties flamma parietibus domus, ſed miraculoſè extincta, coniectis in ignes placentulis, quas vocant S. Nicolai.

At peculiaris ratio eſt ſingularitatis prouidentiæ, ad fulcimentum fidei, cuius auctoritatis credibilitas propinari debuit aliquâ demonſtratione ſupremi dominatus. ſic nunc, vt olim, vbi fides ſeritur, crebrò accidunt rara. Idem tenor Dei eſt in propagandâ Eccleſiâ per miracula, per martyria, quibus ipſa patientia miraculum eſt. Dicant ſolùm quod nuper eodem anno 1627. accidit puerulo quinquenni, cùm immanitas

manitas tyrannorum omni graſſaretur ſæuitiâ in Chriſti ſeruos, & quoſdam hi exuerunt carne digitorum, mox oſſa tunderent; quorumdam autem digitos mutilarent. Hæc ſors accidit puero, qui vt vidit reciſos ſuos digitulos, tam abfuit vt ploraret, vt hilaris riſerit, ipſis etiam tortoribus ſtupentibus.

CAPVT XXX.

Quomod imitandus ſit Deus in prouidentiâ ſuâ.

QVia de prouidentiâ Dei egimus, quâ præcipuè religionem impetrauit; ipſum puto Deum religioſiſſimè colendum eiuſdem prouidentiæ imitatione, quàm ex D. Thoma tranſſcribo. *Alius, inquit, eſt mos Dei, quòd ipſi* De Diuin. moribus. *cura eſt de omnibus creaturis, tam de minimis quàm de maximis, animalibus, natatilibus, volatilibus, etiam de paſſeribus, quorum duo veneunt dipondio, nec vnus eſt in obliuione coram Deo. Item de magnis & paruis vermibus. Hæc enim omnia in eſſe conſeruat, eiſque vitæ neceſſaria continuè ſubminiſtrat. Item de quatuor elementis curam habet, & omnium quæ ab eis naſcuntur, vel nutriuntur, ſiue vegetantur, vt herbæ, & arbores; ſiue viuunt, vt cetera animalia. præcipuè verò gerit curam hominum, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, quos membra dilecti Filij ſui conſtituit, & templum Spiritus ſancti ordinauit, ſingulis ſingulos Angelos ad cuſtodiam deputans, & carne & ſanguine pretioſo Vnigeniti ſui reficiens: quodque præſtantius eſt, peccatoribus inimicis ſuis vitæ neceſſaria prouidet abundantiùs, quàm amicis. Item curam gerit animarum, quibus obligationes ſacerdotum proficiunt ad pœnarum remedium, licet ipſis ſacerdotibus ex eiſdem oblationibus indignè offerentibus damnatio generetur. Similiter per deſideria triumphantis, & per ſuffragia militantis Eccleſiæ adiuuantur. Et licet homines orationibus, eleemoſynis, ieiuniis, & peregrinationibus extra charitatem factis propria peccata delere non ſufficiant; piè tamen credi poteſt, quòd eiſdem mitigationem & abſolutionem pœnarum ex benignate Dei ſuſcipiunt, cùm pro eis fiunt, ſi viuentes in hoc ſæculo meruerunt. Angelorum curam etiam magnam habet, quos in tantâ beatitudine creans, abſque omnis mali experientiâ conſeruauit immunes, & conſeruat. Similiter & nos curam gerere debemus quarumlibet creaturarum, vt ſingulis ſecundùm Dei ordinationem vtamur, nec in die iudicij ipſas in malitia noſtra teſtimonium habeamus. Item curam omnium hominum, vt commodum & incommodum ſingulorum nobis medullitus aſſumamus, ipſoſque ab iniuſtitiâ retrahẽtes, deſiderijs, orationibus, & bonis exemplis in Domino confortemus. Item curam animarum in Purgatorio, vt ipſarum pœnas operibus miſericordiæ frequenter mitigare curemus. Item curam Angelorum, vt præmium,* accidentale ſcilicet, *quod ipſis eorum obſequio, & cuſtodia de noſtro profectu debetur, ex culpa noſtra ipſis nullatenus ſubtrahatur. Item curam Dei præ omnibus gerere debemus ſolicitè vt ſemper & vbique, quidquid ei de nobis maximè placeat, & ad quæ nos maximè ordinauerit, exequamur.* Hæc ſanctus Doctor.

Quomodo autem imitandus ſit Dominus, qui omnia in pondere & menſurâ & numero diſpoſuit, ex ſententiâ Adami de Perſeniâ exhibeo. *Si,* inquit, *mediatori vis amicitias iungere, ſi dignè vis myſterio mediatricis aſſiſtere, vide ne diſcedas à medio, vide ne quid nimis, ne quid facias ſine modo. In oculis hominum conformare moribus conuiuentium; ſed in conſcientia coram Deo, ſi potes, alios tranſgredere diligendo. Hoc ſolum eſt in quo moderator ſæculorum noſtra delectatur immoderantia, cùm noſtri amoris affectio in ipſum ſine modo intenditur & menſura. Ipſe auctor omnium, omnia in pondere & numero & menſura condidit, & quod creaturis contuliſſe cognoſcitur, hoc requirit. Habe ergo pondus, ſerua numerum, menſuram tene; & diuidi non poteris ab auctore. Falſitas non habet pondus, vnde fertur & euolat in incertum. pondus neſcit leuitas, cor non ſinit eſſe ſtabile, neque firmum. Numerum non ſeruat ſingularitas, cùm ſit numerus collectio vnitatum. vbi regnat diuerſitas, non eſt collectio, ſed diuiſio vnionum. Modum ignorat ſuperfluitas, & nihil ab ea admittitur menſuratum. Beatus igitur quem ponderis grauitas reddit ſtabilem, ratio numeri ſocialem, moderantia menſura frugalem, ſtabilem in fide, ſocialem in charitate, frugalem in conuerſatione.*

CAPVT XXXI.

Quomodo amandus ſit Deus propter prouidentiam ſuam.

TOtam prouidentiam Dei commendant beneficia diuina, promiſſa, iudicia præcepta: quæ omnia noſtro bono diuina dedicauit bonitas, inaugurauit amor, vt noſtrum pro omnibus amorem flagitaret iuſtiſſimâ exactione, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto* Luc. 10. *corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua,* vt iuxta hoc æquiſſimum edictum præmium diuinæ erga nos prouidentiæ aliquod rependamus. Tranſcribam deuotam Balduini, quem ſæpè laudaui, ſententiam: *Quid,* inquit, *ſibi vult hæc verborum inculcatio, tam diligens, tam propenſa, & in vno mandato? vt arbitror, ob duritiam cordis* In Alleg. *noſtri curauit Deus hoc verbum tam diligenter mandare, & quaſi mandando altiùs imprimere, ſicut fieri ſolet in duriore ligno, cùm infigendus eſt clauus. Nam propter ligni duritiam, nõ totus clauus ſtatim intromittitur, ſed crebra percuſſione inditur, & intrare cogitur, donec totus infigatur. Iſte ſermo quaſi quidam clauus eſt noſtris cordibus infigendus, Hoc volens Deus cor noſtrum transfigere & penetrare, dicit: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et altiùs infigens ait, Et ex tota anima tua; & vt interiùs adhuc admittatur, ſubdit, Et ex omnibus viribus tuis; & vt ad interiora intima perueniat, nouiſſimè adiungit, Et ex omni mente tua. & nimis mandauit hoc, quod voluit cuſtodiri nimis. Eſt & alia ratio. Nam quia amor mundi totum cor noſtrum occupat, & omnes cellulas eius implet; de toto corde eijciendus eſt amor mundi, vt & princeps huius mundi eiiciatur foras, & ingrediatur amor, totum cor ſibi vendicans, vt in nouiſſimis finibus cordis noſtri cognoſcatur Deus, & reminiſcantur & conuertantur ad Dominum vniuerſi fines terræ. Sed quomodo toto*

corde

Digitized by Google

corde poſſumus diligere Deum, cùm cor noſtrum nondum noſtrum ſit, ſed alieni diripiant illud? Multiplicatæ ſunt iniquitates ſuper caput meum, & cor meum dereliquit me. Verùm ſi non, quantum tenemur, diligere poſſumus, ſaltem, quantum poſſumus, diligamus, nec imitemur iniquum debitorem, qui ſi non ſufficit totum ſoluere quod debet, detrectat ſoluere quantum habet. Quaſi par culpa ſit, nihil ſoluere, & non totum ſoluere. Diligendus eſt igitur Deus in beneficiis ſuis toto corde, in promiſſis totâ animâ, in iudiciis ſuis ex omnibus viribus, in præceptis ex omni mente. Sunt autem beneficia Dei, alia conditionis, alia reparationis, alia quotidianæ conſolationis. Ecce quomodo magnificauit Deus facere nobiſcum, multitudine beneficiorum nos obruit, & amorem molitur beneficiis extorquere. Pro his autem beneficiis tantis, & tam magnis, toto corde diligendus eſt Deus, & meritò dandum eſt ei, ſi quid poſtulare ipſe dignetur. Sed dignatur; ad hominem enim dicit: Da mihi cor tuum. ex corde vult amari, qui cor ſibi petit dari. Tota anima diligendus eſt Deus in promiſſis ſuis, qui magna nobis dedit, ſed maiora promiſit. Promiſit nobis à labore requiem, à ſeruitute libertatem, à timore ſecuritatem, à mœrore conſolationem, à morte reſurrectionem, & in reſurrectione plenum gaudium & indeficiens. Pro his meritò debet amari à nobis ſine modo amoris. nam promiſſiones Dei omne deſiderium ſuperant. Cùm ergo in ceteris rebus impatientia ſoleat culpari, in expectatione tantæ promiſſionis laudabilis eſt vehemens impatientia dilationis: eum enim qui plùs amat, & qui plùs deſiderat, dilationis impatientia plùs cruciat. Hæc autem affectio ſancti deſiderij ſignificari poteſt nomine animæ, cùm dicitur: Diliges ex totâ animâ tuâ. Nec immeritò. anima enim ſpiritus eſt, & Spiritu ſancto afflata, ſemper deſiderat & ſuſpirat, donec in illo reſpiret ad quem aſpirat. In iudiciis ſuis, diligendus eſt Deus ex omnibus viribus tuis. Boni, cùm à Deo flagellantur, alij in flagellis Deum amant, alij ipſa flagella propter Deum amant. Hi in flagellis, hi de flagellis Deum glorificant & laudant. Illi in tribulatione patientes, Deum in iudiciis amant; illi in tribulatione gaudentes, iudicia Dei quaſi quadam beneficia gratanter acceptant, & in eis exultant. De qualibus ſcriptum eſt: Exultauerunt filij Iuda propter iudicia tua Domine. Sunt & alij qui iudicia Dei in tantum amant, vt, non expectata diſciplina patris, ipſi ſe iudicent, & puniant, & de quotidianis peccatis, quibus carere non poteſt humana infirmitas, quotidie vindictam expectant. De quibus Apoſtolus dicit: Si noſmetipſi iudicaremus, non vtique iudicaremur: qui autem ſe ipſum iudicat, & quaſi reum punit, ipſe ſimul & reus eſt, & iudex, & miniſter iudicis. Tota mente diligendus eſt Deus in præceptis ſuis. Mens eſt quæ in homine principatur, ſummum & præcipuum locum tenet: ſed, ſicut omnibus quæ ſub eâ ſunt, ſe nouit eſſe prælatam; ita meminiſſe debet neceſſitate obediendi ſe Deo fore aſtrictam. Obedientam ſanè quam ab inferiori exigit, ſuo Superiori æquiſſimo iure impendit. Væ autem homini qui Deo non obedierit. Pœna enim inobedientiæ erit illi præualens ipſa mors: mors autem ſicut terribilis eſt, ita & odibilis: quæ quoniam inobedientiæ cohæret, ipſa quoque inobedientia æquè digna eſt odio, ſicut & ipſa mors. Quòd ſi inobedientia æquè odibilis eſt vt mors; quia ex ea procedit mors; cur non obedientia æquè diligenda eſt vt vita, quia ex ea procedit, & in ea perſeuerat? Obedientia enim Deo obſequitur, & voluntati eius, & vita eſt in voluntate eius. Charitas autem Dei & obedientia indiuiduo nexu ſeſe complectuntur, & ab inuicem non diſiunguntur. Hinc Dominus ait: Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. Proinde qui mandatum Dei amat, & voluntatem eius, obedientiam amat; & qui obedientiam amat, iuberi amat. Hæc ille. Certè nihil præter charitatem gratius prouidentiæ diuinæ quàm obedientia noſtra. Ipſe gubernator mundi Deus deducet, quò creauit nos, non reſiſtentes ſibi.

Digitized by Google

THEOPOLITICVS.

PARS SECVNDA:

DE PROVIDENTIA SALVTIS PVBLICÆ,

Siue Cardinibus gerendæ Reipublicæ.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

PERITIAM publicæ rei tractandæ, multis iam illuſtrem commentariis, incaſſum fortaſſe recenti lucubratione adornabo; verear licet, ne adhuc nouiſſimâ indigeat ope. Nullius artis plures fortaſſe minùs docti; cùm neque alteriùs plures ſtudioſos videam. Ij maxime illam diſcunt, quibus aut nullus, aut noxius vſus eſt; cùm nonnunquam exerciturì negligant. Sic peſſimè res agerentur, ſcilicet cùm inertiâ regentium, & calliditate regendorum, nec illi imperare, nec hi parére ſcient. Innatâ omnibus dominatus libidine, aptum ſe quiſque imperio dictat, & facillimè ſuadetur. Deinde vota in tacitas traducit ſpes, atque pro cupiditatis indole quaſi expectans quod ambit, præparat ſe fortunæ, vt idoneum reperiat ciuilium induſtriæ rerum: ſin minùs, ſtruit illi calumniam, quòd aptum & ſcientem ad imperia negligat, imperitiores aſſumat. Hinc difficiliùs res geritur publica, etiam à peritis & gnauis. Nam hæc præſumptio & calliditas ſciolę plebis, obſtat ſibi moderandæ. Maiorum geſta examinat; regentium iudicat decreta, plerumque damnat. Ea eſt conditio noſtra plus in alienis ſapere. Hinc detrahit Regibus, ſuos iudicat iudices. non habet alium præſumptæ ſcientiæ vſum: & ne otioſè calleat prouidentiæ artem, exercet in Superiores, quod in Inferiores nequit.

Accedunt aliqua librorum ciuilium vitia. Docent nonnulli malignari, aut fallere. Eadem quoque auctorum libido ſcribendi politica. Nonnulli, credo, non ſine auaritiâ gloriæ illâ eruditione ſe oſtentare ſtudent, quæ Legiſlatoribus ſcribat leges, quæ præcipiat Regibus: plaudunt ſibi & latenti ſatisfaciunt ambitioni, è pluteo iubendo Principes, moderando orbes. Non tamen tot credo eſſe doctores adminiſtrandæ Reipublicæ, quot creduntur. Promittunt multi doctrinam publici boni, docent tamen priuatum: vtilitatem Magiſtratus cum communi implicant, inſtruunt quo aſtu ſibi conſulat, non populo; cùm cauſſa Regni non eadem ſit quæ Regis, niſi boni Regis. Alij ciuilem tradentes prudentiam, conſtruunt fallendi artem; modeſtiùs, ſed idem dicam, dexteritatem ſimulandi. Alij ſinceriori animo Politicam complexi ſcientiam, à cæmentis ædificant Regnum: eruditè, ſed iam ſine multo vſu, dicunt potiùs, quo pacto optimè conſtruatur, quàm geratur. multa inſumunt in quærendo, an popularis, an maiorum, an vnius adminiſtratio præſtet: quo ſitu locandæ vrbes. Cùm iam

Regna

Regna fundata ſint, iam Reſpublicæ firmatæ, ſuis quæque legibus, ſuis ritibus; non euertendæ ſunt, nec traducendæ, vt optimè gerantur. Adeóne licebit adminiſtrantibus eas à primo lapide diruere, noua reſtruendas facie? Maioris pretium operæ puto, formatas inſtitutáſque iuuare, ſuos tantùm Rectores communibus informando præceptis: ſiue penes vnum res omnis geratur; ſiue dicant potiſſimi ius publicum; ſiue ſui iuris ipſa plebs ſit, & populi dominentur ſibi. Placent documenta, quæ omni Principatui quadrent, circa quæ omnis libenter voluatur dominatio. Alij artem imperandi latiſſimè, ſicut ipſius imperandi libido, pátentem, eruditiſſimis ſunt amplexi præceptionibus; latiſſimè quoque, vt ipſa moles obſtet diſciplinæ. Alij congerunt præcepta, ſaluberrima ſanè; non digerunt, quod etiam incommodum eſt vſui. Alios ſuſpicio & demiror, aptè feliciſſiméque omnem tradidiſſe doctrinam ciuilem: neſcio tamen quid adhuc in nonnullis deſiderari audiam; fortaſſe, quod pluris eſt, minùs vrgent, aut docent, non monent. Nam interdum publicæ ſalutis miniſtros ignauia potiùs quàm imperitia infeſtat. Norunt, qua arte publica res benè tractetur, non quanti ſit benè tractetur, non quanti ſit benè tractetur, non quanti ſit benè tractari: ſic ſui muneris dignitatiſque inſcitia, aut contemptus, omnem benè gerendi muneris corrumpit ſcientiam, & ſterilem reddit. Tantumdem inertiæ puto contemptam artem: nam quod ad vſum ſpectat, perinde eſt nolle, ac neſcire. Prætereà de Principatu magis pro vitio noſtro, quàm pro natura ſua, multi tractant. Non propterea, quamuis excuſatum eſſet, ingratè accideret, reſciſſis minùs vtilibus controuerſiis præceptíſque, ſinceram adminiſtrationem publicarum rerum commendare, & pro miniſtrorum vſu paucis Reipublicæ molem aptare cardinibus faciliùs verſandam. Pondus iſtud ex iis eſt, quæ non vi, ſed ingenio alleuiantur. Neque tamen hoc polliceor. Plura à me deſiderabuntur, & fortaſſe ipſa politica; quod ſciens commiſi: nam & hoc quoque excuſatio mei operis erit, non iam ſuperflui poſt tot eruditiſſimos politicos, ſi politicum non erit. Qualecumque exeat, nomen obtineat. Crede, cum his complexum, quæ in noſtro Opere, quod inſcripſimus Heſiodi exemplo *Opera & dies*, ſatis poſſe publicis rebus ſanctè gerendis inſtituere viros Principes. Lubuit quoque, poſtquam prouidentiæ diuinæ rationes illuſtrauimus, cauſſas humanæ circumſcribere; pendet enim hæc ab illa: tum breui quaſi complere appendicem noſtrorum opuſculorum, quam de ciuili tractatione à me deſiderabant nonnulli, poſtulauit non vnus. neſcio an & hæc venia ſit peccandi cum cum multis. Accedo nihilominùs ad operam.

Capvt I.

Auctoritas Regia diuinitati vnica.

IGitvr hominum rector caputque rem ſacroſanctam ſe putet: nec magis adorari colique permittat, quam ſe colat, ſe ſuſpiciat, venerandus ſibi tantum credat excellere hominibus, quantum homines brutis. artificem intelligat ſe communis boni, arbitrum felicitas gentium, collegam fortunæ, ſpirantem Diuinitatis ſtatuam, ſpiritum vitalem Reipublicæ, expreſſiſſimum & aureum ſimulacrum Numinis, Prodeum & vicarium diuinæ prouidentiæ, excubias generis humani, Angelum ſingulorum, iam multis Angelis ſuo excellentem munere. Diminutè quidam dixit vltimum Deorum: ego potiùs dicerem primum hominum, ſecundum Deum, tractabilem, acceſſibilem. Primus illos honores Adamus ad imaginem diuinam conſtitutus, meruit imperium in bruta: præfuturus erat amentibus naturis. Hæc vmbra diuinæ poteſtatis, tot priuilegia, tot fauores meruit, ipſi Creatori quaſi venerabilis. Non vt vulgus & plebem mundi quadrupedes, volucres, piſces, iubendo fecit Deus; inaugurandum verò hominem imperio ſine imperio extruxit, cum conſilio, cum labore: ſuis ipſe Creator manibus ſelectum, purum regiumque; limum effigiauit; ſi mauis, conſecrauit. ruber erat; purpuram iam noſcis, & ſignum maieſtatis. Deinde ſuo ipſo ore, imagine quadam oſculi, & cærimoniâ amoris, animauit. Gregem variorum brutorum vnâ voce è puluiſculo excuſſit. An vnum regem, vnum hominem dico, multo conſilio elaborauit, multâ operâ: tanti fiebat præfuturus brutis. Quid præeſſe hominibus erit? Quare ſupra communem humani generis dignitatem euectus Princeps, tantò vltetius & elatiùs humanâ gloria locatum ſe miretur, quantò honos humanæ naturæ ſupra brutorum ſeruitutem ſurgit: nec tantùm præ omnibus eſſe, ſed pro omnibus. tantumdem ipſe vnus eſt, quantum vniuerſa. Namque ſi tam gratioſum Deo fecit hominem brutorum dominatus; quî Regem gratiſſimum non faciet hominum imperium?

Gen. 1. (margin)

Nuda iſta dignitas, vel in peſſimis hominibus, in Cyro aliquo auri & cruoris auido, tanti Deo eſt, vt Chriſtum ſuum dixerit. Iſaias ſic vaticinatur: *Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dextram*: id eſt, amicè & fideliter affui, afflaui. Tam amanter, tam placidè alloquitur: tanti fecit Deus impium hominem, Regio ſolùm nomine ſibi com

Etiam iniqui Reges venerabiles. (margin)

Iſaiæ 45. (margin)

Digitized by Google

commendatum. Mirabetis quid mox ad eumdem ait: *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus.* Ipſum ſummæ Veritatis Numiniſque oraculum, diuinos elargitur titulos auariſſimo homini, ſine ſuę inuidiâ maieſtatis. Reges dicit Deos abſconditos: fuerunt qui & Deos patentes dixere. Commodè vtrumque. Legati ſeu Proconſules ſummi Dei Principes ſunt, per quos repræſentatur inuiſibilis, per quos familiarem atque affabilem ſe oſtentat ineffabilis. Qui ſæpè alibi partes tuetur Regias, atque obedientiam reuerentiamque Rectorum etiam iniquiſſimorum requirit. Apud Ieremiam Iechonias ſceleratiſſimus, quia Rex, non ſine reuerentiâ damnatur, comparatus pretioſiſſimo vnioni, & annulo dexteram Dei exornanti. Apud Sapientem ipſa ſe Sapientia diuina dum magnificat, quòd per ſe Reges regnent, magnos dicit. Cor Regum ipſe Rex Salomon ſcripſit in manu Dei haberi. Themiſtius in palmis diuinis cuſtodiri ait: quem ſi ad verbum interpretari velimus, *Animus*, inquit, *Regis in palmâ Dei ſatellitatur.* Magnum ſanè caput Regium eſt, cuius ſatelles potentia Dei, & cura: ſatellitium auctoritatem ſecuritatémque ſtabilit. Ceterùm cùm non in manibus tantùm, ſed in palmâ Dei dicat; charius quid, tenerius & æſtimabilius ſignificat: ſi Pindarum attendimus, etiam ſecurius. per palmam Dei, diuinam virgulam opémque intellexit. Libenter aliqua fœneror ex ſacrâ doctrinâ; toties enim Regiam amplitudinem magnificant, tanta Principum iuri, potentiæ dignitatique tribuunt ſacri noſtri libri, vt ab iiſdem Ethnicos videam doctos eiuſdem maieſtatis reuerentiam, honorem, amorem. Nunc occurrit Orator Euphrades, qui ex Salomonicis parœmiis (ipſe ex Aſſyriorum libris petitum dicit) auctoritatem Principum non ſemel fulcit attollitque. cuius aliquam ſententiam, quia vtiliſſimam maieſtati, libentiſſimè appendo: Ἀλλ' ἐγώ ποτε ἐπηθόμην, καὶ τῶν ἀσσυρίων γραμμάτων ταυτὸ τοῦτο κομιζομένων, ὡς ἄρα ὁ νοῦς τοῦ Βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖται. καὶ δεῖ τὸν κίνδυνον ὁρᾶν, τηλικοῦτος αὐτῷ πρὸς ἀλλοτρίαν τοῦ Θεοῦ πρᾶξιν ὁρμήσαντι, ἐκπεσεῖν τῆς χειρὸς τοῦ φυλάττοντος. οὐ γάρ σοι μόνον, ὦ Βασιλεῦ, ἅγια προσήκει φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς πρός σε διαλεγομένοις ἅγια φθέγγεσθαι, ὡς ἑκάστου ῥήματος τῶν εἰς τὰς σὰς ἀκοὰς ἐμπιπτόντων, εἰς τὴν ἀκήρατον ἐκείνην παλάμην ἐγγραφομένου. διὰ ταῦτα τοίνυν, ὦ θεοφιλέστατε Αὐτοκράτορ, τὸν ἄγριον ἐκεῖνον τυφῶνα λίαν ἀναιμακτὶ κατειργάσω, ὅτι σοὶ χρηστὰ ἐννοοῦντι τὴν χεῖρα συνεπιδέδωκεν ὁ Θεός. *Atque ego ſanè quàm eleganter hoc ipſum Aſſyriorum litteris proditum animaduerti, Regis ſcilicet animum in manu Dei cuſtodiri. Vnde ei quantum immineat periculi prouidendum, ne, ſi ad agendum aliquid, quod à Deo ſit alienum, feratur, cuſtodiente ſeſe Dei manu tandem excidat. Non enim tibi ſolùm, Imperator, quæ ſancta ſunt, animo ac cogitatione tractanda; verùm etiam iis qui apud te ſermonem inſtituunt, eadem vſurpanda in dicendo, cùm vnumquodque verbum ex iis quæ ad aures tuas accidunt, in incorruptam illius manum inſcribatur. Ac propterea, Deo gratiſſime Imperator, fœdam illam atque horribilem procellam ſine cruore admodũ ſedaſti: quòd tibi præclara quædam atque egregia meditãti manũ ſuã ad id Deus præbuerit.*

Ierem. 22. Prou. 8. Prouerb. 21. Olymp. 10. Oratione 9.

Nec parum regentium homines reuerentiam & maieſtatem explicat, animam populi dici, caputque hominum, ſidus generis humani, paſtorem populorum. Quantum intereſt inter animum, & fæcem corporis: ille diuinus, iſtud terreum, luteum, fæculentum. quantum inter caput & pedes: illud ſenſuum metropolis, mentis capitolium; hi oneri & ſolo nati. quantum inter ſolem & minutas Pleiadas: ille oculus mundi, totius iubaris penus; iſtæ infidi & auari luminis. quantum inter hominem & pecora: tantum differt Regius honos à vulgari, tantum Rex ab homine. Accedit fides & amor vltra priuatas vtilitates populorum prodigentium opes, ſanguinem, vitam pro ſuis Principibus, Regibus, & quibuſcumque aliis Status publici cuſtodibus. Charum & venerabile caput Principis eſt, cui idem pænè nationes, quod Deo impendunt. Non hæc fruſtrà gentium conſpiratio animandi tuendíque ſuos tutores, & pro vnus animâ tot millia amplecti fata. Quid diuinum in illis odorantur; adorant in Legatis ſuis Deum.

Regis à cæteris hominibus diſtantia.

Capvt II.

Oneroſa Regibus ſua maieſtas eſt.

NVnc quæro: Immenſus iſte honos ſupra ceteros mortales, gratiſne erit? Tantúſne prodigetur fauor, dum fruſtrà? Cur Deo & hominibus tam chari, tam pretioſi Principes, vt omnia illis in ſui honoris ſortem allectis dederit Deus, maiorem ſcilicet humanis meritis honorem? An ſine cauſsâ mortalis homo, eiuſdem cum ceteris naturæ, minor multis merito, prudentiâ, probitate, ſubductus è reliquorum cenſu, ereptus conditione humanâ, miſeriiſque; elatus in municipatum diuinum? Neque Deus ſuæ vnius gloriæ non liberalis, neque homines inuidiâ numquam liberi, tot ſuperuacaneè prodigerent honores. Quo iure gratis traderetur morituro arbitrium mortis vitæque, reuerentia meliorum ſe, amor etiam deteriorum? intelligat hoc Princeps, ſuam maieſtatem ſibi oneroſam eſſe; non gratis, non temerè adorari. Præmium aliquod expectant populi ſuæ reuerentiæ. non vt otio & ſitu ſordidus viuat, moriuntur pro illo, fortaſſe præſtantiores ipſo: non vt luxu ſe fœdet; ſuis illum opibus donant nationes: non vt bonum nihil agat, aut ſit; amant boni, & mali, aut timent. ſciat peti aliquid à populis, ſciat mandari à Deo: ſciat fortunam ſuam non eſſe naturam, ſed munus onus. Quid ergo tam grande, tam immenſum eſt, quod tot honoribus, tot felicitatibus, tantâ Dei hominúmque charitate expoſtulatur à Principe? Quid eſt, cur poſt tantam reuerentiam, fidem, amorem, gratiam, oneroſa ſit maieſtas, & fortuna grauis? Magnum quid petitur, & grandius Regia magnitudine; cura ſalutis publicæ, commune bonum, felicitas hominum, ſeruitium Reipublicæ. Ad hoc tot honores, ad hoc tanta reuerentia, ad hoc fides, ad hoc amor omnium, ad hoc maieſtas Regia, quòd ſeruiat Regno. Grandior & honorificentior

ficentior titulus Principis eſt, ſeruum eſſe publicum, famulum omnium, mancipium Reipublicæ, ſatellitem ſingulorum. Ad hoc ſupra omnes euectus, vt pro omnibus ſit: cum illo onere quo datur, accipiat fortunam: namque & ſtipendia ſui famulatus à Reipublicâ accipit. Tributa quid ſunt, niſi ſalaria Principum; quibus inſtar aliorum famulorum, remunerari laborem Regum iuſtum & fas eſt?

Immenſum quid eſt bonum publicum.

Noſcat iam quantum ſit bonum publicum, cui dedicatur ſummus hominum honos; noſcat quid ſit publica ſalus, cuius ſeruus honoratiſſimus eſt, cunctis venerandus & charus. Ex ſuæ felicitatis vertice, quò euectus eſt ſupra mortales proſpiciat quantum ſit bonum mortalias & felicitas & columen, ſuo patens arbitrio. Diſcat ex ſuæ fortunæ magnitudine, muneris quoque & oneris molem; & quanti eius intereſſit, pro quo tanta habet, non parum eſt, cui maieſtas ſeruit; cuius ſeruum eſſe, maius eſt dominatione humanâ. exiſtimet ſe pro honoribus populorum teneri ad curas: plus omnes procurare & prouidere debet, quàm ab omnibus honoratur. Pretium reuerentiæ omnium, ſolicitudo eſt pro omnibus. Diſcat ex fide, ex amore nationum, quâ fide, quo amore cauſſam nauet publicam; nec minùs ſe animâ & ſpiritu pro omnibus teneri, quàm omnes pro vno ſe. Ergo *Imperatores purpuram vereamini* (cum Nazianzeno loquor) *cognoſcite quantum id ſit, quod veſtra fidei commiſſum eſt, quantum circa vos myſterium. Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, diademate paruo, atque exiguo panno retentus. ſupera, ſolius Dei ſunt; infera autem, veſtra etiam ſunt. ſubditis veſtris Deos vos præbete: liceat enim audaciùs aliquid dicere: Cor Regis in manu Dei eſt. Hìc imperium veſtrum ſit, non autem in auro & in exercitibus.*

Oratione 27.

Infatigabilis cura eſt Regia dignitas.

Itaque Regis nomen non eſt feliciſſimi, ſed vigilantiſſimi; non deſidiæ, non ſocordiæ, non otij, non ſuperbiæ, non voluptatis; ſed laboris, diligentiæ, curæ, prouidentiæ, diuinitatis. fateor eſſe honoris, ſed oneris quoque, & quidem excedentis fortaſſe. Egregiè Rodericus Calagurritanus duriſſimum officium Regis dixit. Non vacat tempus Principi ſatisfacturo fortunæ omnium, prouidentiæque communi. Duorum vel trium liberorum educatio occupat totum pectus paternùm, licet amor illud capax faciat, & expandat curis. Quomodo tot millium capitum procuratio, non innumeris curis Regium rundet pectus; Rex enim parens. orphanorum eſt, ſponſus viduarum, Deus pauperum, ſatelles diuitum, oculus cæcorum, manus mutilatorum, ſupplementum neceſſitatum communium, votum vniuerſorum, artifex pacis; fideiuſſor ſecuritatis, oſor belli, proxeneta ſalutis publicæ, amor omnium, numen mortale: in hoc primum imitetur æternum, quòd æternè curet, vigilet, amet, agat, id eſt, benè agat. Nullus felix motus Principis, nullus concinnus geſtus, nulla actio legitima, niſi beneficentia ſit, aut priuata, aut publica: nam & beneficium omnium eſt iuſtum vnius damnum: ſæpè beneficentia publici corporis in priuati capitis ſtat caſu. Accipiat ſibi Princeps, quod Principum optimo Theodoſio dictum: *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & ingi agitatione ſe vegetat æternitas: & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cælum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit; ita tu, Imperator, continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exercitus es.* Erubeſcat publicus Chriſtianæ Reipublicæ tutor non curare in magnis, quod in minimis accurabat Ethnicus. Marcum Aurelium dico, in quo, propter veritatem religionis, nihil eſt quod deſideres. Nihil dicere ſolebat (Dion miratur) nihil ſcriberet aut facere negligenter, ſed vel in minimis rebus diem ſæpenumerò conſumebat; quòd exiſtimaret non decere Imperatorem temerè & properè quidquam agere. Si quid enim prætermiſiſſet vel in minimis rebus, non putabat ſe poſſe in ceteris effugere calumniam.

Lib. 1. Spec. cap. 2.

Latinus Pac. in Paneg.

Xiphil. in Marco Aurel.

Capvt III.

Salus publica prima Regis cura.

QVare ſi ſacrum quid, & ſupra mortalium pretium, Princeps ſe debet putare id quod maius ipſo eſt, bonum publicum, id propter quod totus ipſe eſt, ſalutem communem; ſacroſanctum quid æſtimet & diuinum. nec ſui honoris hunc maximum honorem negligat: totus in hoc ſit, totus intentus ſuo operi. Leuis Principis incuria, magna multis damna creabit. ab ipſo lætitia omnium, ab ipſo pax, opulentia, ſecuritas, ab ipſo vita: ab ipſo mors pendet, ab ipſo multorum æternitas. Iſtud accedit Chriſtiani populi Rectori: non modò temporariæ ſalutis cuſtos tutorque, æternæ quoque complex eſt. Ideam huius ſolicitudinis ex noſtrâ Hiſpaniâ promam Alphonſum ſeptimum, maximum pacis tutorem, tranquillitatis, totiuſque publicæ rei bonique artificem Exhibebo quæ Pelagius Ouetenſis Epiſcopus in Gottico codice ſcripſit. Iſte, inquit Adephonſus fuit pater & defenſor omnium Eccleſiarum Hiſpanienſium; ideò hæc fecit, quia per omnia Catholicus fuit. Tantoperè terribilis fuit fuit omnibus malè agentibus, vt numquam auderent apparere in conſpectu eius: omnes poteſtates, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, qui erant in ipſius Regno, non auderent vnus in alterum litem mouere, nec aliquid malefacere. tanta pax fuit in diebus, quibus ipſe regnauit, vt vna ſolà mulier portans aurum & argentum in manu ſuâ, per omnem terram Hiſpaniæ, tam habitabilem quàm inhabitabilem, in montibus, vel campis, non inueniret qui eam tangeret, vel aliquid mali ei faceret. Negotiatores, & peregrini tranſeuntes per Regnum eius nihil vetebantur; non enim eſſet auſus quiiibet eis de rebus ſuis volens, etiam obolum auferre. Ad hæc autem, nulla tempora vitæ ipſius vacabant ab omnibus operibus. ſtuduit facere omnes pontes, qui ſunt â Loccronio ad ſanctum Iacobum vſque.

Vt noxius ſit Princeps, ſatis eſt diligentem non eſſe.

Summum optimi Principis artificium, pax eſt; maximum maieſtatis & ipſâ maieſtate grandius opus, ſecuritas eſt humillimorum. Arduum planè opus, quod conſtet curis potiùs quàm impenſis. At quicumque Princeps boni

&

Digitized by Google

& quietis publicæ rudis & imperitus, in arte ſuâ & munere enormiter delinquit; tam noxius omnibus erit, quàm deberet eſſet ſalutaris. In eum locum euectus eſt, aut Reipublicæ columen, aut ruinam ſit daturus. Neſciunt mores publici ſponte ſtare: neſcit vno ſtatu vltrò manere Reſpublica; niſi ſuſtentetur, nullo impulſore ruet. Aufer tibicinem aut columnam ædificio, labetur; ſic, niſi Regia ſolicitudo & opera ſubſtentet Statum publicum, ſponte fatiſcet. Duplex hoc Regiæ negligentiæ damnum. Quot populum fraudauit bonis, totidem onerauit malis. Quid totidem? Duplicatis. Priuationem boni inter mala accenſeo. Deinde aduehit alia ſolida ſubſiſtentia, & ſine reſpectu mala. Quemadmodum moles efferenda machinis, ſi præcipuæ peccent trochleæ, dilabitur, caſu ipſo diſſoluenda: ſic vitio Regum, non tantùm publica ſalus & commodum ſurgere nequit, ſed noxio relabitur pondere. Se intelligat Princeps inſtrumentum primum, & magiſtrale (ita me explico) diuinæ prouidentiæ, ne obſtet ſocordia eius diuino operi. Per Reges electa organa Dei diſpenſatur fortuna mortalibus, quies, tranquillitas: eorumdem otio & ſitu infelicitas, pericula, damna inuehuntur.

Arbiter rerum aut pro Angelo, aut pro dæmone.

Simile & proximum Angelis miniſterium Regum eſt. Vtrumque prouidentiæ brachium, beneuolentia & rigor, Angelos arripit in nationes mittendos: his ad bona & mala ſatellitibus vtitur, pro cuiuſque conditione legationes demandans; bonos ſpiritus ad bona, malos ad mala & ſupplicia: per hos peſtes, fames, exitia. Sic per optimos Principes felicitatem deriuat communem, per malos pœnas deducit. Neque ineptiorem damnis publicis ſe putet, ſe timeat Princeps ignauus peſſimo ſpiritu: non eſt, vt noceat Rector hominum; neceſſe, quòd velit nocere. inuitè noxius erit, etiam cùm vult prodeſſe, niſi profit. Peſſimos Reges deplorarunt gentes cum non malâ voluntate, imò cum bonâ, niſi acri, niſi felice, niſi in opus tranſeunte. Adeò acerrima peſtis eſt lentor Principis; noxium faciet Regem etiam nolentem, etiam volentem ſalutarem eſſe. Hoc ſolo quòd negligat, peſtifer erit, etiam ſalutaria meditatus. Cùm autem accedit incuriæ boni publici voluntas mali, in præceps omnia ibunt, dabuntur peſſum, & ipſe: nec aliter quàm Saul irruet ſuper gladium ſuum. Stephanus Cantuarenſis ait: *Hoc facit, qui propriâ poteſtate abutitur ad mortem æternam.* Quapropter temperet ſe, qui omnia poteſt, frenet affectus, libidinem mactet omnem, nec minùs caueat damna publica, quàm prouideat bona. Incuſſa vni ſoli iniuria expiatur aliquando ceruice inferentis: quale piaculum erit tot hominum millibus iniurioſum eſſe? & poteſt Rex eſſe volens, nolenſque: volens rarò, nolens multis modis, ignauiâ, exemplo: quia normam morum Regis omnes ſibi proponunt. Venuſtè dictum à Platone, Principes longè magis exemplo quàm culpâ peccare. excuſatio cuiuſque ſceleris eſt ſimilitudo maiorum.

Clamor totius mundi aduerſus negligentes Reges.

Ceterùm vt viderint potentiores quàm iniurioſi humano generi erunt, quàm graues & & peſtiferi mundo, cùm munus ſuum minùs accurant; allubet ſubiicere querelam totius mundi, adhuc & clamantium ab inferis, prouocantium diuinam iuſtitiam in eiuſmodi Principes: audiuit illam Birgitta è Regio Suecorum Principum genere, excellentiſſima femina, multò plus ſanctimoniâ & cæleſti lumine præſtans, cuius diuina colloquia, & alia reuelata, ſummis Pontificibus, Conciliis Eccleſiæ; & doctiſſimis viris accepta, ſancta & firma ſunt. *Tunc* (ipſa ſic fatetur) *audiui vocem de terrâ infinitorum millium clamantium, & dicentium: O Domine Deus index, iudica ſuper Reges & Principes noſtros, & attende effuſionem ſanguinis noſtri, & dolores, & lacrymas vxorum & filiorum noſtrorum. Reſpice famem & pudorem noſtrum, vulnera & captiuitates, incendiáque domorum, & violentias, & pudorem iuuencularum & mulierum. Attende iniuriam Eccleſiarum & totius Cleri, & vide Principum & Regum fallaces promiſſiones, & proditiones, & exactiones, quas cum iracundiâ & violentiâ extorquent, quia non curant quot millia moriuntur, dum tamen ipſi poſſint ſuperbiam ſuam dilatare. Deinde clamabant de inferno quaſi infinita millia, dicentes: O index, ſcimus quòd creator omniũ es. Iudica igitur ſuper dominos quibus in terrâ ſeruiuimus, quia ipſi nos profundiùs in infernum demerſerunt. Et licet cupimus tibi malum, tamen iuſtitia compellit nos conqueri, & dicere veritatem. Ipſi quippe domini noſtri terreni abſque charitate dilexerunt nos, quia non plus curabant de animabus noſtris quàm de canibus. Quibus dominis noſtris indifferens fuit, vtrùm diliximus te Deum creatorem omnium, an non, cupientes diligi & ſeruiri à nobis. Propterea indigni ſunt cælo, quia non curant de te; & digni ſunt inferno, niſi eis ſuccurrat gratia tua, quia nos perdiderunt. Ideoque & adhuc grauiora pati vellemus quàm patimur, ne ipſorum pœna finiretur.* Intercido hunc clamorem: ſatis hoc horrori: nam animas quoque ſanctas, atque Beatos omnes, vidit poſteà ipſa Birgitta aduerſus ignauos Gubernatores clamare, & incendere diuinam iuſtitiam. Tam arduum, tam anceps, tam præceps eſt, publicam gerere rem, & tutari ſalutem omnium: tam ſedulò debet fieri, tam attentè. Alto ſibi pectore figant Reges illud Galfridi: *Non ſemper eris Princeps, ſed ſummo Principi rationem reddes.* Lib. 8 cap. 6.

Capvt IV.

Deus maximè iuuat politicam.

Ergo vt immenſam communis fortunæ molem facilius & ad bonum agitet Princeps, tribus præcipuè vertebris gubernari ſciat, tribuſque velut cardinibus volui, curâ diuinorum, prouidentiâ humanorum, atque æquitate. De ſingulis diſſertabo, complexus breuiſſima hac ſumma omnem ciuilem & Imperatoriam artem. Ordiar à priori parte, quam multos calidiſſimos procurandæ Reipublicæ magiſtros video contempſiſſe, aut penitus reieciſſe. Fuerunt qui maximum præceptum publici ſeruandi Status contrarium prorſus ſtatuerint, deturbare Diuinitatem, pietatem, cultum & quamcumque Numinis opinionem. ſolùm hac commodi

modi cynoroſâ volunt dirigi Reipublicæ nauim, nullâ diuinorum ratione, nullâ fide; induſtriâ dumtaxat humanâ protecti, arte, calliditate, dolis.& hi maximè Politicorum nomen adepti, iam propter eoſdem turpe infaméque. Falluntur toto cælo: nihil magis publicæ rei. feliciter agitandæ,nihil magis, quo faciliùs geratur neceſſarium, quàm Diuinitatis opinio, & veritas. Video diuiſos priſcos aliquot ciuilitatis Doctores: quidam Deum eſſe parum neceſſarium rebus gerendis æſtimarunt; ipſius tamen opinionem valdè neceſſariam. Addunt, inuentum ſubtile vtiliſſimumque ſapientiſſimorum politicorum fuiſſe Deitatis perſuaſionem, religionem, timorem; putantium non aliter populos legibus teneri,nec publicum ſtatum poſſe ſtare. Critias & Euripides, qui Diuinitatem negarunt, mirantur ingenium illorum publicæ felicitatis amatorum, qui religionem intruſerunt, reuerentiamque diuinam; quod vtiliſſimum mortalibus mendacium vocant. Legum enim inuentione externâ flagitia coërceri vix poſſent:timore Dei intima quoque ſtrangulantur; nec tantùm peccata Numinis conſcius refrenat animus,ſed ipſam voluntatem peccandi. quare nec de externis criminibus ſatis cautum legum remedio, niſi per reuerentiam timoremque diuinum. Nulla vitia extirpare leges poſſunt, ramos ſolos amputant, radicem latentem non euellunt:nequeunt cor ligare,ſicut manus. liberâ autem voluntate, integrâ ſtirpe, libera etiam erunt ſcelera, integra crimina peſſimæ voluntatis, impiæ mentis germina:ſcilicet.

Silius l 4. ——*Prima ſcelerum cauſſa mortalibus ægris*
Naturam neſciſſe Deûm.

Sola Diuinitatis fides, ſola conſcientia Dei humanis attenti rebus, premere flagitia valebit. Quare ſi nullus Deus foret, nullum puto tunc inuentum ſalutarius excogitatum, nullum ingenioſius, nullum magis neceſſarium humanis benè tractandis componendiſque actibus, publiciſque rebus, quàm famam fundare Diuinitatis, cui nihil eſſet clauſum, quæ mediis interueniret cogitationibus, quæ intereſſet noſtris animis; atque cultum prouidentis alicuius perſpicaciſque Numinis, & præcordia mentium penetrantis, remuneraturi etiam cogitata præmio, aut pœnâ; hoc eſt, religionem intrudere.

Quàm neceſſarius eſt Deus Regibus.

Tunc feliciter deceptum popellum dicerem Diuinitatis opinione,à ſuis Legiſlatoribus Rectoribuſque procuratâ. fauſtum hoc eſſet publicæ rei faciliùs moderandæ; ſed non ſatis præſtructum, vt optimè gereretur, niſi eadem mens & conſcientia Rectoribus ſit. Quid benè de publicâ te ſperare poſſes, etiam plebe moderatâ, & verente oculatiſſimum mentium teſtem, integerrimum actionum arbitrum Deum; ſi Principes nihil huiuſmodi timerent, ſi immedicabiles nullo Dei metu, nulla reuerentia Numinis? vbi fides erga populum, vbi amor, vbi cura publicæ ſalutis, vbi contemptio priuatæ, neceſſaria communibus commodis? Quid non auderent in coërcitas mirabili ſuo mendacio gentes, ſe omni pauore & reddendâ muneris ratione liberis, impiis ſcilicet? Ergo vt proſperè geratur, & ſtet communis ſtatus; non tantum opinio, ſed veritas Diuinitatis neceſſariiſſima regendis, & Rectori. Saltem id obtinebo, etiamſi non eſſet, fore vtiliſſimum Deum ſtatui publico. Abeant iam prudentes, qui euertunt omnem politicam: abeant Politici: abeant impij, qui, contempta diuinorum ratione, emolumentum Principum, detrimentum publicæ ſalutis habent pro ratione, pro lege, pro normâ ciuilis ſcientiæ: abeant qui Status rationem pluris habent quàm religionis, quàm ipſam rationem; qui maioris faciunt rationem Status vnius, quàm omnium; Regis, quàm Regni.

Sfortiæ & Cæſaris Borgia peſſima Politica.

Exhibebo vnum aut alterum iſtorum Antipoliticorum ſiue Pſeudopoliticorum diſcipulum; quibus non alios Principes opto ad piaculum doctrinæ, & meritorum ſuorum de genere humano, quàm quos optant, quos inſtruunt, quos meliores volunt, quos ad exemplum Regnantium commendant, Ludouicum Sfortiam, & Cæſarem Borgiam. Quid iuuit Sfortiam cum contemptione diuinorum ſumma viri calliditas; Geſtabat mori arboris inſigne omnium ſapientiſſimæ, quoniam lentè, & non niſi tuta ab hiemali horrore germinet ac floreſcat, citato tunc partu moras præteritas compenſas; ex ingenio prudentiſſimi cuiuſque,non properè,non temerè,ſed grauiter in omni actione conſilia ineuntis, maturè ocyuſque explicantis. Vaniſſimum id geſtamen euentus dixit: nec ſubtilis aſtus, nec ſimulandi artificium, nec votorum ſilentium, nec diſſimulata mendacia, nec fraus ex commodo, nec ſimpliciorum traductio (hæc ex diſciplinâ officióque excellentis Principis eſſe putabat) ſcelera potuerunt fortunare, quibus venabatur fortunam. Viſa tandem aſtuliſſimi calliditas nihil ſibi ſapere, cùm exutus Principatu, clathrato in carcere multos maceratus annos, tandem ictero morbo afflictus, diuturnam quoque exuit morte miſeriam.

Iam te quid olim conſilium iuuat?
Quid cum doloſi pectoris artibus
Actus iuuere: atque in periclis
Ingenij experientis vſus?
Ergo inſolentem pone ſuperbiam,
Qui fidis alti viribus ingeni:
Fortuna ſic gaudet iocari,
Vertere cum cupit ima ſummis.

Iam Cæſar Borgia, ipſiſſima idea & oraculum Politicorum, furioſus, ſi vllus vmquam fuit, fortunæ procus; quam per mores ſimiles, per omnem dico perfidiam, diu expiſcabatur: vix aliquem amplexum eius tot ſceleribus meruit; peſſum tandem ab illa datus, pulſus Principatu, vincula expertus, exul Italia, latens in culina, priuatus occiditur, vili deportatur iumento: tandem nihil. Alterum propoſiti ſui membrum impetrauit.

——*Indutus mentem animumque tyranni,*
Aut nihil, aut Cæſar, demens iactare ſolebat.

Fuit qui vtrumque fuiſſe diceret. fallitur: tam perfidum animum ipſa infida faſtidiuit Fortuna.

CAPVT

Capvt V.

Non quilibet cultus diuinorum, ſed verus, neceſſarius eſt politicis rebus.

Qvare reuerentiam & pium Diuinitatis cultum ſi populus benè moderandus requirit, maximè Princeps moderaturus optimè. Nec ſatis eſt rebus fauſtè gerendis opinio Dei, ſed veritas; non qualiſcumque cultus, ſed verus. Hæc tota Status tuendi ratio tutiſſima, hæc tota Reipublicæ ſtatuendæ ars certiſſima. Hoc breuiſſimum maximæ prudentiæ magnorumque conſiliorum compendium, hic felicitatis neruus, hoc fortunæ iuſiurandum, hoc proſperitatis locupletiſſimum pignus, hoc ſecuritatis ſacramentum. A fide enim robur accipiet Princeps, qui ipſi dederit, iuxta diuinum Theologum Nazianzenum. Pietas
Oratione 27. enim velut eſt ſacramentalis Regibus. nexam in illâ habent miram fidem, dicam pænè infallibilem, felicitandi Imperij. Hoc animi ſenſum altè vellem Regum pectoribus immergi, præcordiis infigi, vnice cordi haberi. Nolo nunc philoſophicè adſtruere, quod natura promulgat, quod ipſe Sol clariùs ſe iurat, ſummi alicuius rectoris arbitrio, moderationi & potentiæ vniuerſa parere, omnia à Deo eſſe, omnibus Deum præeſſe: id modò præſtituo, non quamcumque Diuinitatis opinionem, non qualemcumque cultum fortunare publicas res. Infauſta multa accidunt reputantibus Numen, & aliquo colētibus ritu, infidelibus idololatris, hæreticis, Mahometanis: at quia non vero cultu, etiam cum opinione, cũ cultu Numinis, tutam Status ſui rationem nullam habent. Super omnes errant Principes religionis veræ virtutiſque ſtudioſi. Quod ſatis fulcit, non ſatis fulcire humana Imperia ſolam opinionem Diuinitatis, ſed veritatem. ſcilicet Mentem aliquam diuinam verè excubare, attentamque humanis, propitio protegere aſpectu cultores ſuos.

Noſtro hoc ſæculo clariſſimum huius argumentum vidimus Cæſarem Ferdinandum II. qui pietate inuictâ, maximâ ſuâ Imperij ſtabiliendi arte, Statuſque tuendi ratione emerſit ſupra omnes alterius methodi Politicos; præclaruſque inter ſui æui clariſſimos Principes, interque antecedentis Cæſares, atque futurus venientibus felicitatis idea: vtinam & Imperij feliciter gerendi, non artibus, non dolis, non habita Status ſui ratione religionis! Huius ſolius cura ſtatuit Pientiſſimi Principis Imperium, reſtituit amiſſa, comparauit noua: in illius fidem fortuna diu iurauit, ex quo Regnis ſuis initio Principatus ſpoliatus, conſtans & ſanctiſſimè contumax in Catholicæ religionis cultu, nihil minùs quàm ſi rerum potiretur, non tantùm fidem Romanam tutatus eſt, ſed ampliare meditatus. In hoc Pientiſſimo feliciſſimóque Principe inuiolabile religionis & fortunæ fœdus miramur; cuius pietati inuictæ vincta hactenus felicitas fuit, æque fidelis ipſi fortuna (rarum miraculum) quàm ipſe Deo. etſi enim fatigata aſſiduis officijs fortuna, quæ vel inuita religioni Ferdinandeæ diu ſeruiuit, quaſi languere aliquot diebus viſa ſit; id euenit

vt recreatis viribus pertinaciùs deinceps pietati famularetur. Obſtantibus multorum peccatis, interim remunerandis, ceſpitauit aut ſubſtitit. ſed ſua ipſe flagella ſcit Deus poſt deſtinatos vſus in flammas abijcere, & expiatos malis bonos denuò fortunare. Igitur tam pius Princeps, tam felix debuit eſſe. neque tutò tam felix eſſet, niſi pius. Plures non religioſos vidimus fortunatos ad tempus, non diu. vltimâ ſui parte, velut ſcorpio, fortuna tandem illos cecīdit. Piè & verè Campanus dixit: *Omnia ſecunda ſunt colenti Deum, aduerſa ſpernenti. & qui religioni ſtudens diuina tutatur, fluctuare poteſt aliquando, mergi non poteſt.* Stultam hîc Macrini Cæſaris electionem damnatam video. oblatum Felicis nomen recepit, Pij noluit habere: ſed breuî ſequens obtruncatio infelicem illum oſtendit ſine pietate. Proh inertem Politicorum artem, inſtructam ſolo ingenio! proh ſtultam calliditatem diuellentium pietatem à felicitate, putantium impium poſſe eſſe felicem, ſiue apertâ vi, ſiue ſimulatâ pietate fortunam captet, tueatur, Egregie in hunc hiſtrionem Imperij diſſonâ pectori ſuo perſonâ indutum, quondam ſic luſum!

Hiſtrio iam ſenior, turpis, grauis, aſper, iniquus:
Impius, & felix, ſic ſimul eſſe cupit:
Vt nolit pius eſſe; velit tamen eſſe beatus,
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix poterat dici, atque videri,
Cui Imperium infelix eſt, erit ille ſibi.

Memoremus quoque duos feliciſſimos Reges, proximi ſæculi dilectiſſimos Fortunæ amaſios; quos ipſa ſupra omnes retrò Principes, ſupra vires & fidem ſuam, ſupra ſpes & vota ipſorum, efferre nouo meditata eſt ingenio, nouis largitionibus. nulli vnquam alij hoc modo affabilis & profuſa: non contenta communibus donis, triumphis & Europæis victoriis antiquorum Imperiorum, detulit ipſis recentia regna, nouos orbes, vltra mundanas victorias, vltramundana Imperia: quam gloriam ſuo proco Alexandro negauit, cui vix libenter dedit Orientem, & vidiſſe Oceani oras, non ſuperaſſe. Hi ſunt, Ferdinandus Catholicus Caſtellæ, alter Emanuel Felix Luſitaniæ, Reges, primi magnorum Imperiorũ fundatores. Felicis huic nomen datum, non ipſe accepit: comparauit tamen pietate, & ardore religionis tuendæ, ampliandæ. Cuius pietas felici argumento in ipſâ ſuâ natiuitate inaugurata fuit. Accidit quintâ Corporis Christi Feriâ, cùm Beatrix mater iam pridem acerbo & arduo parturiret enixu: ſed vbi ſolemnis Euchariſtiæ pompa pro foribus accederet; ipſo Numinis acceſſu ominoſiſſimè profudit infantem. Minus erat felicitate Emanuelis, fortunæ partum dici; gloriam iſtam Samius Polycrates libauit: cæli potiùs partus debuit appellari. Iam adfuturum ſe Deus Emanueli ipſo ortu pollicitus eſt: meruit poſteà ipſe. Sæpè à publicis ſe ſubducebat curis, malè dico, non niſi humanis, vt diuinis æterniſque vacaret: non enim otioſus, nec inutilis eſt Reipublicæ, qui Deo vacat; feliciùs ſiquidem hac diligentiâ publica negotia tranſigentur. Eundem ad aliquot dies cum Religioſis hominibus modum Religioſæ vitæ ſeruabat: idem lectus, eadem abſtinentia, idem

Digitized by Google

ſomnus, idem rigor, eadem diſciplina, eadem in tantâ maieſtate humilitas, eadem humiliatio; fallor, maior profectò, quia in tantâ maieſtate. dirè ſe flagris vexabat; interim ſui hoſtilia tergora cædebant. mediâ nocte ad pſallendum Deo ſurgebat; excubias tunc pro Imperio agebat toto. vnio ſemper abſtinuit oleóque, Ferias totius anni ſextas panis & aquæ victu tranſigebat: aureum hac auſteritate ſæculum repræſentauit Luſitanis. Omnes ſui Regni Franciſcanos Fratres quotannis veſte donabat, altera pauperum eccleſiarum ornamentis veſtiebat: quinquaginta (nam innumera ſunt quæ reparauit) templa ſextruxit, aliqua magnificentiſſimè, ad miraculum vſque: multis alijs donis eccleſias Romanumque donauit Pontificem, quem charum patrem habuit filius ipſe obedientiſſimus. Par ipſi fidei ardor: reliquias Maurorum è Luſitaniâ exegit, Iudæos è Caſtellâ pulſos ad fidem Chriſti induxit; eamdem in multas Orientis oras inuexit.

Vide ampliata. Luſitana potentia.

Hæc tanta tanti Principis pietas ampliauit Principatum Luſitanum terrâ marique: latiſſimum ſtabiliuit Imperium, vbi ſol naſcitur, vbi toto incumbit feruore, vbi ponitur. Aſiam, Africam, Americam quoque inuaſit, peruaſit, victor vbique, felix vbique. interdicta hominibus perrupit frementis Oceani clauſtra; luſtrauit cubilia auroræ, vltra anni ſoliſque vias progreſſus, arbiter gentium, dominus maris. Potentiſſimi Orientis & Africæ Reges, aut parebant Emanueli, aut timebant. Regna arbitrio eius dabantur, adimebantur. Oliſipo tunc temporis tota aurea, & vniuerſi orbis theſaurus; aurum præ argento vileſcebat. Non minor cura pacis, & cultus iuſtitiæ: recoxit antiquum Regni ius, legeſque; appendit multa vtiliſſime. Denique

Quæ ſumma in ſummo quæruntur Principe, ſolus
Aut habet hic Princeps, aut ea nullus habet.

Et credo, feliciſſime Emanuel,

—— Meritis ſi Regna darentur,
Auguſta eſt Regnis terra fretumque tuis.

ſub hoc Rege vidit orbis multos ſimul Phœnicios & ſæculares viros; tot Hercules, tot Achilles, quot Duces habuit. Sufficit meminiſſe Alfonſi Albuquercij & Vaſci Gamæ; modernus hic Neptunus, ille Hector alter. Idem dico de collegâ tantæ felicitatis pietatiſque Ferdinando: cui nec titulus Felicis defuit, dum Catholici obtinuit: ſuos Hercules habuit, & maiores Alcide; cuius ineptum trophæum ad pudorem torſerunt. ibi initiatus eorum animus & gloria, vbi deſiit Hercules: plus vltro id progreſſi, vbi non plus vltra, Alcides ſcripſit. Suum Hectorem habuit, ſuum Neptunum; Conſaluum Ferdinandum, magnum Ducem excellentiâ animi & fortunæ, quem ipſa fortuna

—— Comitata priorem
Non dux, ſed magnum eſt fida ſecuta Ducem;

atque Chriſtophorum Columbum, ſtupendi alterius, & priſcis antè ſæculis incogniti mundi inuentorem, vbi

— Alia ventorum anima ſua lintea leni
Implerunt Aquilone, nec alto
Fulſerunt Helices clariſſima lumina cælo,
Nec vertit mare triſtis Orion.

Hic Catholicus Ferdinandus Imperium Hiſpanicum primus conſtruxit, priſtinæ Heſperiam gloriæ reſtituit, pepulit Caſtellæ Regno Luſitanum, exegit ſuâ ditione Iudaicam gentem, ſtrauit Mauricum Imperium; Granatenſe, Neapolitanum, Nauarrenſe Regna occupauit. totius Hiſpaniæ potitus, præter Luſitanam ditionem; Canarias inſulas in Atlantico domuit mari. Africa quoque experta inuictum Ferdinandum, vincentem omnia. eripuit Barbaris Melillam, Oranum, Tabracam, quam Buxiam vocant, & Tripolim, Poſt hæc nouos mundos detulit alumno ſuo fortuna. maior erat Regi animus, maiora merita hoc orbe, maior quàm ipſa fortuna. Ardorem pietatis Catholicæ, zelum Fidei, præter expiationem ſuarum prouinciarum ab Hebræâ & Mahometanâ lue, oſtendit inſtitutio Inquiſitionis aduerſus omnes à Romanâ doctrinâ degeneres, pignus æternæ religionis, & pietatis veræ in Hiſpaniarum Regnis diuturnaturæ. Prætermitto curam Eccleſiarum, Pontificis reuerentiam, gratitudinem animi erga Deum, multáque alia quæ hunc Principem fortunatiſſimum fecerunt, admirandum, nulli ſecundum, multis o primis & primis primum, Cuius.

Nec potuit virtutem æquare potentia, tali
Omnis erat regni gloria Rege minor.

Idem oraculum quod fortunam Ferdinando promiſit, pietatem prædixit eiuſdem. Quo die natus eſt, quidam è Carmelitano Ordine vir ſanctus Alfonſo Regi Neapolitano, Hodie, inquit, in Hiſpaniâ citeriore puer tui generis eſt natus, cui cælum noua imperia pollicetur, ingentes opes felicitatemque, pio præ ceteris, religioniſque cultori & amplificatori præclaro.

CAPVT VI.

Eliſabethæ Catholicæ Reginæ epiſtola.

ILlud Ferdinandeæ pietatis meritum ſupprimere nolo, quòd ereptus hic Rex violentis fatis non ſemel. Hæc merces aliqua, priorum Principum, mors propitia, eripi proditionibus, ſeruari. quod niſi alius iam ſatis probaſſet, totius penè mundi hiſtoriis ſtatuere poſſem. In Granaten ſi bello Maurus miles, Scæuolæ Romani æmulus, etiam cum pretio ſuæ vitæ, Ferdinandi necem meditatus, ingreditur noſtratum caſtra; Aluarum Portugalliæ, qui illuſtri cultu Maieſtatem referebat, ſtricto gladio cædit. hoc errore liberatus Rex, Barcinone maius adiit diſcrimen in pace, in proprio patrimonio, & inſanum ictum ſuſtinuit furentis hominis ſubitò & liberè aggreſſi Regem. Dicunt auctores illæſum Ferdinandum, obſtante vulneri collari aureo; falluntur: grauiter ſaucius fuit. incerta ſcriptoribus eſt hæc narratio, quare explanabo illam Eliſabethæ coniugis verbis, cuius epiſtolam tranſcribam integram, cum ibi multa ſint, quæ pietatem eius Reginæ monſtrent, Ferdinandi ſignificent, omnes Principes doceant. Scripſit pia Regina ad Confeſſarium ſuum, ſanctum virum, Ferdinandum de Talauerâ, Antiſtitem Granatenſem.

Valdè Reuerende ac Religioſe Pater, cùm Reges pari iniuria fatorum obire poſſint, ac reliqui mortales, oportet ad bonam mortem præmuniri.

Hoc

Digitized by Google

Hoc dico, licet alìequi numquam ipſa dubitauerim de æqualitate communis conditionis, imò tamquam rem indubitatam meditabar ſæpiſſimè, & ipſa me fortuna atque Maieſtas plus id meditari & timere compellebant; maximus tamen à fide & cogitatione ad ipſum vſque experimentum intercedit tractus. Et quamuis Dominus meus Rex morti proximus fuerit, ego illam ſæpiùs & acerbiùs guſtaui, quàm ſi alio ipſa euentu mortem ſuſtinerem: neque enim ita dolere anima mea poteſt, cùm ab ipſo diuellatur corpore; nequit explicari immenſus dolor ille, qui me occupabat. Idcircò, antequam iterùm experiar acerbum fatorum guſtum (Deum precor, ne ex tali cauſsâ recidat) vellem aliter me inuenirent præmunitam & paratam, quàm eram: nunc præſertim, quoad ſatisfactionem debitorum. Quapropter peto & magnopere commendo tibi, amore Domini noſtri, ſi aliquid mei cauſsâ adhuc facturus es, ex his pluribus & tot grauiſſimis rebus, in quibus iam ſtrenuum te exhibuiſti, vt velis aliquot vacare dies, quò omnia debita mea mihi explices & præſentes, tum ex ære alieno mutuo accepto contracta, tum ea quibus meis famulis teneor, tum quæ ex damnis illatis in bellis præteritis acciderunt, tum quæ ex cenſibus Regiis antiquis acceptis Principiſſæ cauſsâ, tum quæ in domo monetariâ Abulenſi debeo. Denique omnia quæ iudicaueris à me reſtituenda, quomodolibet onerari videar. Quorum omnium debitorum ſyllabum & memoriale ad me mittas; maioris enim conſolationis mihi erit habere illud, quàm vllas res huius mundi exoptare poſſum. Prætereà ex notitiâ quam habebo, plus conabor & laborabo omnia ſoluere. Hoc poſtulo quàm breuì fieri, ſi vis vt in hoc vitæ exilio maneam. Deus ſcit quantum nunc ego dolerem & quererer, ſi me viſurus non properares, niſi propter vtilitatem iſtius ciuitatis, quam plus quàm vitam meam amo, cuius commodum ante meum habeo, & deſidero: &, cùm primùm conſcia fui inopini illius euentus, percuſſi impio gladio Regis, nec mei, nec filiorum meorum quos coràm habebamus, curam nec memoriam habui, niſi iſtius ciuitatis. Quapropter iuſſi ſtatim te moneri per epiſtolas quas miſi. ideò nec tuum aduentum flagito vehementiùs, donec, Deo fauente, iſthuc appropinquemus: atque cùm nihil amplius mihi tunc explicaretur, quàm id cuius te feci certiorem, nec Dominum meum Regem vidiſſem: ego enim in alio prætorio manebam, vbi habitabamus; Rex autem in illo vbi inflictum fuit vulnus: atque antequam huc veniret, ſcripſiſſem ad illum; nam ſua Dominatio noluit à me conueniri, donec confeſſione peccatorum animum expiaſſet. ideò non potui amplius dicere quàm quod mihi nuntiabatur. quod & neceſſum non erat, ibi ſciri. imò nunc nollem ſciri quantum vulnus ſit, & ideò mihi videtur oportere ſemper minui. Verùm vt immortales Deo gratias agas, velim ſcias tibi ſoli rem, quemadmodum accidit. Tam immane fuit vulnus, iuxta id quod Doctor Guadalupe faſſus eſt, vt mihi defecerit animus & cor illud videndi; adeò porrectum, adeò profundum. in profunditate quatuor digiti immergerentur. longitudinem explicare præ cordis conſternatione nequeo. magnitudinem eius in quolibet de fæce hominum adſtuperemus, & compateremur, quantò magis in Regiâ perſonâ? Verùm tam miſericorditer Deus ſe habuit, vt videatur præmenſum & delineatum fuiſſe ſpatium, quà ſine diſcrimine diſcurrere gladius potuit. liberas & integras reliquit omnes chordas, neruos & fibras, & oſſiculum ceruicis, & quidquid periculoſum erat. Itaque ſtatim apparuit extra diſcrimen vitæ futurum. Poſtmodum nihilominus neruorum rigor, atque cruoris formido, aliquid periculi attulerunt. Septimo die nouâ coincidenti paſſione auctum: cuius iam te certiorem per litteras feci, poſtquam ſine anxietate eram; ſed, vt mihi videtur, penè ineptiens ex defectu ſomni. Poſteà in exitu ſeptimæ diei maligna acceſſit febris: hæc fuit maior afflictio quam ſuſtinuimus, quæ per integrum diem & noctem nos torſit: de qua non dicam quod S. Gregorius in Officio Sabbati ſancti; ſed mihi fuiſſe illam noctem tartaream. Pater credere hoc potes. Nulli vmquam ſic affectum populum viderunt, quemadmodum his diebus. artifices & ſellularij ſuis penſis & miniſteriis non attendebant: non erat qui cum alio loqueretur, vniuerſi erant rebus ſanctis operam nauantes, aut viſitantes loca ſancta, aut ordinantes proceſſiones ſacras, aut diſtribuentes eleemoſynas: maior concurſus populi ad confeſſiones peccatorum, quàm in Hebdomada ſancta. Omnia hæc vltrò fiebant ſine iuſſu aut ſuaſu alicuius. Ad hæc, in Eccleſiis & Monaſteriis continua oratio fiebat: decem duodecimve Sacerdotes vel Monachi coram Deo aſſidui. Nequeunt dici omnia. Placuit Deo ob bonitatem ſuam omnium miſereri. Itaque cum Herrera hinc diſceſſit cum altera mea epiſtola, iam Dominus meus Rex valebat; quod & Herrera narrauerit. exinde perſeuerat valetudo integra. immortales gratiæ & laudes Deo ſint. Iam non eſt in lecto, ſed incedit liberè & tutò. Cras, fauente Deo, per mediam eques ciuitatem in alterum concedet prætorium, in quo nunc malumus degere. Tanta eſt lætitia communis videndi Regem, quantus mœror paulò antè. Videtur omnes nos donaſſe vita & ſpiritu, & quaſi à mortuis ſuſcitaſſe. Neſcio quibus obſequiis gratificemur Deo hoc beneficium: non ſufficient ad hoc magna aliorum merita & virtus. Ecquid ipſa præſtare potero, quæ nullam habeo? imò iſte vnus dolor meus erat, quòd Rex ferret, quod ego merebar pati: cùm ipſe dignus non eſſet, qui pro me pœnas lueret. Hoc me penitus opprimebat: faxit Deus vt illi poſthac inſeruiam, prout teneor. Preces veſtræ & monita ad hoc, ſicut ſemper, opem mihi ferant; præcipuè modò in hoc quod magnopere tibi commendaui, & quàm citiſſimè poſſis. Omnia hæc tibi enarro pro mea conſolatione. neſcio an prolixitas mearum litterarum oneroſa tibi ſit: contraham deinceps vela, ſi grauis tibi ero. Vnum hoc volo addere; audio enim aliter iſthic narrari. Certiſſimum hoc eſt, poſt infinitas inquiſitiones, & diligentias omnes, quæ excogitari poſſunt, nec ſuſpicio nec indicium eſt alicuius complicis. ſolus ille auctor ſceleris fuit, qui patrauit: qui in illa inſania conſtans perſtitit, ab Spiritu ſancto iuſſum id feciſſe, prohibitumque peccata confiteri Sacerdoti, tum à multis annis hoc animo vixiſſe. Addebat, quotieſcumque liberum eſſet, idem facinus repetiturum, cuius numquam pœniteret, cùm à Deo iuſſus feciſſet, ſeque Regem futurum. Hanc cauſſam ſui facti eſſe, non odium &. inimicitiam aduerſus Regem. In his ſemper inſaniis continuus fuit & conſtans; & licet certus ſuæ mortis, nullo modo confiteri volebat. adeò tamen omnium inuidiam atque odium con-

Digitized by Google

traxit, vt nemo quæreret illi ſalutem, & acciri Confeſſarium vellet; potiùs imprecabantur illi animâ ſimul & corpore perire: donec ego miſi duos Monachos, qui pœnitentiam homini ſuaderent. quod cum magno labore obtinuerunt: atque cùm primùm voluit confiteri, agnouit malefactum ſuum, ac ſi ex ſomno euigilaret: nam anteà ſui impos videbatur fuiſſe, ſic deinceps fatebatur Confeſſario. Veniam pro ſe à Rege, & à me poſtulare. valdè enim in hoc quieſco, & à me poſtulare. valdè enim in hoc quieſco, & recreor in enarrandis tibi omnibus rebus: nam perpenſis benè circumſtantiis apparet amplius diuina permiſſio, quæ leniùs nos punire voluit, quàm ego merui. faxit Deus omnia in maius ſuum obſequium cedant. Claudo has litteras, tuis me orationibus commendans. Barcinone trigeſimo die Decembris. Ego Regina.

Multa ſunt quæ in his litteris commentari poſſimus pro Regiæ pietatis vſu & praxi, multa quæ pientiſſimum huius Heroinæ pectus tamquam in ſpeculo declarent; quam etiam ad exemplum Regiæ normæ, pietatis, virtutis, & quæ his adnaſcitur, felicitatis, præſento. Miremur in illâ ſanctam prudentiam, & vſum caſuum humanorum ad ſalutem animæ, tum memoriam aſſiduam mortis, in fortunâ raram auem: ſolicitudinem ad illam horam præparationémque, timorem Dei, gratitudinem, humilitatem, erga Confeſſarium fidem, amorem, reuerentiam, charitatem, ſimplicitatem, quam omnes Principes maximè imitari oporteret. Sed tales Confeſſarios quærant, qualem Catholica hæc Regina inuenient, ſi ſimilem delectum habeant. quærant oblitum, eruant ſuffoſſum, capiant fugientem ab aulis, teneant repugnantem. Neque enim ſanctitas vera obuia eſt prætoriis, nec grata. Deinde mirandus in Eliſabethâ fidus amor coniugis Ferdinandi, plus amor ſuorum, propriis commodis præhabens commune. tandem iuſtitiæ cura, ne vlli iniuriam inferret debitorum mora. Notandus quoque populorum amor erga Principem tanquam patrem, tamquam animam propriam ab vnoquoque deſideratum, dilectum. hæc ſatis felicitas; licet non aliàs multas pietas crearet fortunas.

Capvt VII.

Fideliſſima eſt fortuna pietati Regiæ.

SI pios omnes & verè religioſos Principes (quod multæ operæ eſſet) cenſeremus, fortunatos miraremur mirâ fortunæ fide. Quamuis enim ſæpiſſimè arcana Dei procuratio mundi, bonos & malos ſpecie quadam confuſionis videatur commiſcere, atque vno aſpectare vultu, vt multos optimos, non minùs quàm peſſimos, vrgeat & affligat; multos peſſimos, non minùs quàm optimos, & quaſi mererentur, fortunet; hoc ſæpiſſimè accidit in priuatis fortunis: at in publicis, in Regiis, non ita neutralis & vaga eſt beneficentia, & felicitas. firmior bonis eſt Principibus, iurata pro optimis. Alta diuinæ Prouidentiæ conſilia, in hac vita velut occultantis ſe, reſeruantis æternitati. Nemini iniquorum conſtanter hîc acerba eſt, nulli proborum ſecurè blanda; hoc tamen priuilegium Regia probitas & religio adepta, vt piis & religioſis Principibus fideliter propitia ſit: quemadmodum miſericordibus erga homines fidiſſima eſt miſericordia & liberalitas Dei. Numquam vidimus pauperem, qui in pauperem profunditur; quamuis multi alij integræ & innoxiæ vitæ vexandi inopiæ relinquantur: ſic exemptus eſt communi Prouidentiæ ſtylo, pius religioſus Princeps. non ſine fortunâ erit, maximè in proprio Regno. Quæres huius diſcriminis cauſſam, cur bonis hominibus nexa huius vitæ felicitas non ſit; aſtringatur tamen magis bonis Principibus, ſtudentibus religioni & pietati. Credo, quia electi à Deo Principes tuendis moderandiſque populis; vt Prodei & Vicarij ſui Numinis ſint; idem præſtituti, quod Deus ipſe, niſi obſtent: obſtant autem, cùm in ſe, non in Deum nec diuina intendunt: cùm verò ſiue arte, ſine dolis humana, cum pietate, cum religione diuina tractant; lectiſſima ſua organa expedita videns Deus libentiſſimè motat versátque in id quod ambit bonum publicum: & quemadmodum ſibi Deus fidelis eſt, ſic & fideli Principi. Res Dei eſt publica. Placent fidi miniſtri; & optimus herus fideliſſimos ſeruos, & intentos adminiſtrationi, nequit non iuuare, nequit non iis vti. Accedit, quòd Principis cauſſa non ſit vnius hominis, ſed communis. tum hominis priuati felicitas circumſtans eſt inanium rerum affluentia; Regis autem felicitas homines ipſi, & hominum innumerorum ſalus fortunáque. Diſtat valdè perdi res hominum, aut ipſos homines. ideò in pleriſque iuſtis non diſſimulat leuiſſima Deus errata, pœnâ temporalium expianda; at multa, ne homines perdat, in probis etiam Principibus tolerat, facillimè pietate placatus.

Reges prima inſtrumenta ſunt diuinæ Prouidentiæ.

Ergo ſciat Princeps ſacrum quid ſe eſſe, & electum à Deo ad ſalutem multorum, proptereà obſtrictam ſibi & aſſidentem diuinam protectionem. Hic ſanctus & legitimus Prouidentiæ ritus, deſtinata ſibi organa ſcitè verſare, & in ſuos promouere exitus, niſi ipſa fatiſcant, niſi vitio aliquo obſtent, niſi repugnent verſari. neque faber fractâ dolabrâ, aut inerti, opus faciet artis; repugnat autem Princeps, cùm alia intentat quàm ſuus motor Deus, cùm ſibi, non ſuis proſpicit; cùm priuata, non publica quærit: tunc inutile inſtrumentum, non aliter quàm faber, abiicit Deus, ſumit aliud. Cùm autem coniunguntur mens regia & diuina, cùm idem volunt, idem intendunt; nequit non Deus piis adeſſe conatibus, non poteſt non dexterrimè & artificioſè, hoc eſt ſalutariter, illum verſare peritiſſimus ſalutis artifex. Igitur nexa eſt ſolùm diuina protectio bonæ & candidæ voluntati Regum, cupidæ boni publici, ſtudioſæ religionis: non enim aliud bonum vtilius eſt publicæ rei quàm cultus legitimus, quàm vera & ſincera pietas, quàm cura diuinorum & reuerentia, quàm cauſſa hæc Dei, cauſſa publica. Cùm autem hinc diſcedit Rex, cùm ſe quærit, cùm gloriam potentiæ ſibi captat; abiicitur à diuinâ manu, ſuo & fortunæ arbitrio permiſſus, tamquam rabidæ feræ. nihil tunc tutum tentabit, nihil fauſtum, nihil ſtabile. Inquirat conſilia, excogitet artes, legat fortiſſimos milites, eligat Duces præſtantiſſimos, prudentiſſimos; acies ex Hectoribus ordinet, Ne-

ſtores

Digitized by Google

ſtores plures, Vlyſſes plures, aſſidentes ſibi requirat; polleat quantumcumque viribus, nummis, & humana prudentia: totus iſte apparatus felicitatis infelix erit, Deo non auſpice, Deo non commilitone; peſſum ibunt omnia; ipſa ſe humana protectio perdet. Abſint hæc omnia Principi, adſit ſolùm Deus (adeſt quidem, cùm vult Princeps; ſcilicet cùm vult, quod Deus, publicum bonum) fortunabuntur omnia.

Capvt VIII.

Secura & tota ratio Status pietas Principum eſt.

QVare puto Principum religionem, & attentum ſtudioſumque diuinorum animum, eſſe præcipuum cardinem feliciſſimè gerendi publicas res: in hoc ſtare totam rationem Status, & boni communis; potiſſimam artem adminiſtrationis publicæ, prudentiam & fortunam regnantium, fontem felicitatis, & quidquid tractandis Regnis opus eſt, in religionis ſtudio concludi, non aliter quàm in ſemine fructus. Quemadmodum compendium complectitur, quæ in ſe diſiuncta & dilatiora digeruntur; ſic pietas, & religionis ardor, felicitatis ſumma, omnes præceptiones politicas claudit, aut pro ipſis eſt. Studioſo pietatis Principi non deſiderabitur prudentia, non vires, non fides populorum: namque aut res accident quaſi prudenter prouiſæ, licet fortuitò aut inconſultò decretæ; aut prudentiam parabit ſibi Princeps; ſin minùs, prudentes, quorum conſilia requirat pareatque, vt ſit aliena mens pro prudentia propria. Idem de potentia & viribus dico: etiamſi labet maieſtas, etiamſi militaris langueat diſciplina, marceſcat virtus; perinde prouinciæ & Regna felicitabuntur, quaſi cogeretur fortuna viribus quæſita. Scit Deus quem ad ſceptrum elegerit, quem adoptet ſuæ Prouidentiæ præfectum. quem adigat pro ſe rerum arbitrum. Iactat ſe Sapientia diuina, quòd per ſe Reges regnent; atque quemcumque electum maieſtati, & moderationi populorum, ad ipſorum ſalutem deſtinat, dum ipſe non obſiſtat, & vitio ſuo corruptus, peſſimum inſtrumentum diuinis ſe manibus exhibeat verſandum difficulter; non autem obſiſtit, dum idem quod Deus intendet, & conſpiret diuinis votis. hoc pietas & religio eſt. Ergo ſi hæc non deſit, nihil deerit ſaluti publicæ. Cetera Deus ſupplebit, explebitque. ſcit & vult quomodo, & miris faciet modis. Hoc ipſum quod minùs callidum & inſtructum ingenio extulit ad arbitrium communis fortunæ. Electio Dei in conſtituendis humani generis cuſtodibus & tutoribus, Vicariis Numinis & Prouidentiæ ſuæ, attentiſſima eſt, non temerè facta, ſed collimans ſalutariter. Quare cùm noſcat electum, ſcit quibus deducat viis ad ſalutem communem: ſcit qua lege ſupplenda ſit inſtrumenti ruditas; in quo nihil magis deſiderat quàm facilitatem motus: atque ſi Princeps per pietatem facilem ſe præbeat diuinæ dextræ, pro vſu & ſalute Reipublicæ commodiſſimè tractabitur.

Æſtimet iam Princeps, quanti interſit concupiſcere quæ Deus, iiſdem conſpirare votis; intendere in ſalutem publicam, in quam maximè Deus intendit; proſpicere ſuis, non ſibi; negotiari reuerentiam diuinis, non nomini ſuo: non enim rerum hominumque potitur, vt peſſimus ſit, vt ambitioſus, & gloriæ nimis auidus; non vt ſua quærat, negligat ſuos; non vt gloriam ſuam captet, perdat ſalutem ſuorum. Albiſſimum, purum, defæcatum animum ſeruet, candidiſſimam mentem, nulla fœdatam priuati lucri ſpe, aut nominis cupidine. imitetur Ferdinandum III. Caſtellæ Regem fortunatiſſimum, ſanctiſſimum, optimum; cuius in contemptione humanæ gloriæ, & ambitione diuinæ, hoc eſt ſimplicitate nitidiſſimæ mentis, gloria maxima eſt. Fenerot aliqua, quæ de hoc Principe Rodericus Palentinus collegit. Fuit hic glorioſus Princeps tantæ moderationis & virtutis, vt numquam, niſi iuſtis ex cauſſis, cuiquam bellum indixerit; illud Auguſti Octauij ſemper commemorans, videlicet iactantis eſſe animi, & leuiſſimi ardore triumphandi, ob lauream, id eſt folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos euentus certaminum, ſecuritatem fidelium ciuium præcipitare. Et iterùm aliud Scipionis ſemper in ore gerebat, Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Hic Catholicus Ferdinandus de tot & tam præclaris victoriis non intumeſcens, nec de tanta dominiorum amplitudine ſuperbiens, victorias ipſas Deo altiſſimo tribuebat, & incrementa Fidei ac Chriſtianæ religionis potiùs, quàm terræ dominationis, mente gerebat, atque pro eâ Fide aſſiduis periculis ſe exponebat. De quo veriùs quàm de Pyrrho dici poteſt, quia non ſatis erat illi pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro Fide contemneret. Hic Princeps interrogatus, cur longè plùs Regni fines auxiſſet, quàm multi eius progenitores, quippe qui recuperant quæ illi perdiderunt; reſpondiſſe fertur verbum ſuo auctore & ſempiternâ commemoratione dignum. Patres, inquit, mei fortaſſis animo gerebant Principatum terrenum exaltare, potiùs quàm Fidem plantare; augere ſibi populum multum, ſed non ſtabilire diuinum cultum: quare decepti ſunt in adinuentronibus. Itaque ad cælum oculos vertens, Tu Domine, qui ſcis corda & renes hominum, noſti, quia non meam, ſed tuam gloriam quæro: non tam caducorum, Regnorum, quàm Fidei tuæ Chriſtianæque religionis augmentum deſidero. Denique ſemper illud in ore gerebat, quia non propter eius merita, ſed propter infidelitatem hoſtium, omnia proſpera ei ſucceſſiſſent. Sciebat enim deuotiſſimus Princeps, quia ſic Ioſue, ſic Dauid vicerunt Regna: tunc enim proſtrarunt hoſtes, cùm pugnarunt animo tuendi & augendi religionem vnius veri Dei. ſic & Ioſaphat Rex Iuda dicebat militibus ſuis: *Credite in Domino Deo veſtro*, pro quo pugnatis, *& ſecuri eritis.* & Nehemias, *Deus*, inquit, *noſter*, pro quo pugnamus, *pugnabit pro nobis*, & dabit victoriam; *nos ipſi faciamus opus.* Nihil profectò tantum ad victoram confert, quàm recta bellandi intentio, in verâ iuſtitiâ ſtabilita. ſcriptum eſt enim: *Iuſtitia eleuat gentem.* Hinc & Apoſtolus bellare admonet per arma iuſtitiæ, & loricam fidei. Nam (vt Scriptura commemorat)

Ferdinād. III. Caſte'la Rex ſanctus, atten-tiſſimus voluntati Dei & honori.

Part. 3. c. 39.

2. Paralip. 20. 2. Eſd. 4.

Prou. 14.

Digitized by Google

rat) *Sancti per fidem vicerunt Regna.* Iuſtitia autem belli ex ipsâ rectâ bellantis intentione procedit, dicente Auguſtino illa bella iuſtè ſuſcipi poſſe, in quibus non eſt nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, & libido dominandi. tali quippe intentione bellantibus victoria promittitur. *Nam* (vt inquit Gregorius) *non deerit certantibus optata victoria, ſi deſit in animo humana gloria.* Hinc Bernardus: *Ex cordis*, inquit, *affectu, non belli euentu penſatur, vel periculum, vel victoria Chriſtiani hominis: quia ſi bona fuerit cauſſa pugnantis, pugnæ exitus malus eſſe non poteſt.* Rurſus Ambroſius: *O homo ideò non viciſti, quia de tuo præſumpſiſti.* Qui verò bella etiam contra infideles gerit, non augendæ aut tuendæ religionis gratiâ, ſed amplioribus dominiis potiendi, aut quadam humanâ gloriâ, parum victoriâ fruitur. Sic Romani, qui (vt ait Auguſtinus) non diligebant gloriam propter iuſtitiam, ſed iuſtitiam propter humanam & inanem gloriam, ingentes clades paſſi ſunt: & quamquam pro puniendis orbis malis aliquando celeriter bella confecerunt, ipſam tamen victoriam celeriùs perdiderunt. Quod facilè comperiet, qui recolet, quàm diuturna bella à veteribus geſta fuere, quàm hi varios euentus, quàm luctuoſas clades, & quàm parum diuturnas victorias experti ſunt. Denique fuit Fernandus in ordinandis aciebus prudentiſſimus, in congrediendo ſtrenuiſſimus, denique pius, manſuetus, Deo & hominibus charus, humillimus quoque fuit. Quare meritò victorioſiſſimus fuit, quia ſcriptum: *Vir obediens*; ſiue humilis, *loquetur victoriam.* Sæpè enim totius ferè Africæ Mauri contra Fernandum transfretauerunt: quos Fernandus mirabiliter fregit, & contra eos diuinâ potentiâ victor euaſit. Hic Fernandus, vt alter Alexander quem Iuſtinus commemorat, tam glorioſus in prælijs fuit, vt cum nullo hoſte congreſſus ſit, quem non vicerit; nullam vrbem obſederit, quam non expugnarit; nullam gentem aggreſſus ſit, quam non calcauerit. In ore eius ille Propheticus verſus ſemper reſonabat: *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Quia igitur in Deo fidit, fugerunt à facie eius inimici illius, & requiem dedit illi Altiſſimus, & liberauit eum à concuſſione & afflictione hoſtium ſuorum, & per eum contriuit Dominus baculum impiorum, virgamque iniquè dominantium confregit. quidquid animo concepit, & agere cœpit, feliciter Deo adiuuante compleuit, dimiſitque ampliſſimum Principatum Alphonſo decimo filio ſuo, à mari Oceano vſque ad Mediterraneum, & quidquid in illâ infeliciſſimâ clade, tempore Roderici vltimi Regis Gothorum, Saraceni occuparunt, Fernandus ipſe poſt multa annorum ſpatia feliciſſimè recuperauit. Regem verò Granatæ tributarium fecit. Nam (vt ait Cuſentinus) omni die mille Merabetinos aureos ei perſoluebat, & ad illius curias venire tenebatur, & vocatus etiam contra Mauros, ccc. milites mittere adſtringebatur. Hæc ille.

Prou. 22.

CAPVT IX.

Minor animi Regij ſinceritas noxia eſt rebus publicis.

VIdeamus quoque quantum illa mentis puritas & candida cupido iuuet Principes & populos; ex quo nocet minor ſinceritas. Dauid Rex ſplendorem iſtum limpidum retinuit, diu fortunatiſſimus, interim omnium hoſtium domitor. in cuius delectu ad moderandas Iſraëlis habenas id maximè attentum, cum eſſe virum ſecundùm cor Dei, fœdere voluntatum, & vnitate votorum. Infelix exauctoratio Saülis emendanda requirebat virum per omnia conſentientem diuinis, feliciter hac pietate inaugurandum Regno. Igitur glorioſiſſimus Hebræorum Rex, potentiſſimus, optimus, quo felicior nemo, melior nemo, ſalutarior nemo, cùm ſemel ſe reſpexit, non tam negotiaturus gloriam propriam, quàm blanditurus, infeliciſſimus tunc fuit, & peſtifer ſuis. iuſſit omnem recenſeri populum: opera fortaſſe quibuſdam conſiliis non inutilis: ſed quia non intentus vſui publico, ſed inani ſatisfacturus gaudio fortunæ, multis capitibus perniciem procurauit. Septuaginta millium hominum cæde expiatus fuit feſtiuus ille riſus, & inſulſus gloriæ propriæ ſenſus. A quo hoſte tantam populi cladem timere potuit, quantam ipſe intulit? Et hoc poſtquam clementiſſimè tranſacta cum Deo leuior punitio. Commendatam propterea video in inaugurandis Orientalibus Cæſaribus humilitatem, cùm ante auream veſtem & purpuram ſacco induebantur. Simeon Theſſalonicenſis de phelonio Imperatorio inquit, ſignare ſaccum quo per ludibrium Saluator indutus eſt: & Demetrius Chromatianus ſcribit in tribus celebritatibus vſum ſacci Imperatori fuiſſe. Idem dicit purpurea veſtimenta eſſe luctus inſigne, in ieiunij diebus, & mortuorum memoriis.

Lib. 2. Reg. c. 26.

Plus miror cladem vndecim Iſraëlis tribuum caſtra aduerſus Beniamiuios mouentium, conſulto & iubente Deo manus conſerere, duce quoque ſacris oraculis electo. Quin & cauſſa indicti belli amor prætexebatur iuſtitiæ, vltura immane flagitium, quo ſceleratius, atrocius, fœdius vix in vllis hiſtoriis reperies. poſt cauſſam nihilominùs iuſtiſſimam, poſt conſultum & annuentem Deum, iubentem quoque, commiſſo prælio ceciderunt viginti duo millia Iſraëlitarum, tam auſpicatò præliantium. Requirunt iterùm Deum: iubentur iterùm præliari clariſſimo oraculo. cadunt quoque ex ipſis duodeviginti millia. Nondum nitidis omnino animis, nondum defæcatis affectibus bellum geſſerant, donec ad tertium prælium expiati, ſinceriùs nitidiuſque iuſtitiæ atque honoris diuini cupidine animati, fortunatiſſimè ſunt vlti. Adeò, vt fauſtè gerantur publicæ res, intereſſe debet nitor & ſimplicitas animi, ab omni proprij lucri auiditate terſi & limpidi. Velim hoc ſtricto ſinu Principes colligere, atque profundo condere animo, Auguſtam & Regiam eſſe Regum fortunam, nullis deliniri dolis: veram dico, & legitimam, & fidam; non illam adulterinam, quæ vltima ſui parte mordet, quæ poſt longos vſus

Digitized by Google

vſus fatiſcit; qualis Alexandro, Pompeio, Cæſari, & ſexcentis aliis, diu non ſemper affulſit. at ſincera nobiliſque non dolis allici patitur, non arte, non ſimulatione, ſed terſis & puris affectibus, & ſtudio commodi publici, & in hoc honoris diuini. Hunc etiam mentis puriſſimum intuitum, & candentis votum animi video commendatum à Chriſto imperantium Domino, qui inuaſurum infideles Regem Sueciæ per admirandam illius nationis feminam Birgittam monuit primò, vt proceſſurus in aciem, nullâ aliâ intentione inſtigetur, niſi propter charitatem & ſalutem animarum: *Secundò*(verba Iesv ſunt, reuereantur Principes, audiant & pareant) *laboret, quòd vaſallos & milites habeat voluntarios & correctos. Ideò circumeat primò Regnum ſuum, inquirendo quomodo iuſtitia ſeruata eſt, qualiter, & per quos facta ſunt iudicia & regimina: quia qui alios conatur mittere in cælum, neceſſe eſt vt incipiat à ſe ipſo, corrigendo errores proprios; & poſt hoc ſubditos admonendo & corripiendo, & virtuoſis exemplis incitando.* Hæc Iesvs Regum Rex: Nouit hoc Dauid Rex ſecundùm cor Dei manſuetiſſimus, qui ſuos milites in Abſalonico bello exhortatus eſt: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Pſal. 4.

Non abs re erit hoc loco etiam Euſebij inſignis diuinarum Scripturarum interpretis expoſitionem adiungere, qui putat his verbis Dauid cohibere militum ſuorum iras aduerſus Abſalomi perfidiam indignãtium. Hæc verba eius: Συμβουλεύει κωλύειν τὸ τῆς ὀργῆς πάθος, εἴποτε ἀγανακτικῶς ἀνακινεῖται, μηδὲ εἰς ἔργον τὸν θυμὸν κινῆσαι παραινῶν. οὐκ ἀκαίρως δὲ ταῦτά φησιν. ἀλλ' ἐπειδὴ κατὰ τοῦ Ἀβεσσαλὼμ ὁρμῶντες, εἰς πόλεμον μετ' ὀργῆς ἐξῄεσαν, ὡς εἰκός, οἱ μετὰ τοῦ Δαβίδ, ἀγανακτοῦντες ἐπὶ τῇ τοῦ υἱοῦ κατὰ τοῦ πατρὸς ἐπαναστάσει, τούτου χάριν ἔοικεν τοιαῦτά τινα, πρὸς αὐτοὺς λέγων. *Monet vt affectum iræ coërceant, ſicubi ad indignationem permoueantur, ſuadetque ne iram ad opus exire patiantur. Neque verò id temerè dicit. nam quia aduerſus Abſalom accenſi, ad pugnam irâ inflammati exierant, vt veroſimile eſt, qui cum Dauide erant, eius filio indignati quòd aduerſus patrem conſpiraſſet; eam ob cauſſam illos his verbis alloquitur.* Et paulò pòſt hæc verba ſubiungit: Εἰ δὲ καὶ κλονεῖσθε, κατὰ τὸν Ἀκύλαν, τὰς ψυχὰς διὰ τὰ τῷ Ἀβεσσαλὼμ τετολμημένα, ἀλλ' ὁρᾶτε μὴ καὶ ἑτέραν ἐπὶ τῆς προτέρας προσθεῖντε ἁμαρτίαν τῇ ὀργῇ ἐπιμένοντες. Εὕροις δ' ἂν καὶ κατὰ τὴν ἱστορίαν πολλὰ παραινοῦντα αὐτὸν φείσασθαι τοῦ παιδός. εἰκαίως ἄνθρωποι θνητοὶ πολλὰ διανοεῖσθε καθ' ἡμέραν ὀργιζόμενοι. ἀλλ' ἐπὶ τῶν κοιτῶν ὑμῶν ἐφ' ἡσυχίας, παρ' ἑαυτοῖς γενόμενοι κατανύγητε, τὰ δι' ἡμέρας ὑμῖν πεπραγμένα διαλογιζόμενοι. *Quòd ſi turbamini, vt vertit Aquila, animis veſtris propter audacia Abſalom cœpta; at videte nè alterum priori peccatum adiiciatis, dum in irâ permanetis. Facilè autem etiam in hiſtoria inuenias, illum ſæpius monuiſſe, vt filio parcerent. Fruſtrà mortales interdiu irati multa cogitatis; ſed in cubilibus veſtris per quietem apud vos manentes compungimini, quæ per diem à vobis geſta ſunt reputantes.* Hæc Euſebius.

Militaris animus qualis eſſe debeat.

Iuuaret quoque, ſi eamdem mentis ſinceram puritatem milites haberent, qualem Machabæi; quibus multas dedit victorias ardor ſanctæ legis, ſpes in Deo: poſtquam autem pacto fœdere Gentibus ſe adſtrinxere, nonnihil præſidiis humanis, & fortaſſe propriæ gloriæ attenti, marcuit ipſorum felicitas. Fuerunt quoque, cùm Hiſpaniæ Mauri potiebantur, eximij milites, qui ad bellum non alio animo quàm ad martyrium procederent, etiam ex Germaniâ: multos ardor Fidei inde huc mittebat. Magna fecerunt; etiam cadendo victores, imò Martyres, vtramque palmam adepti, terræ cælique. Sepulchra occiſorum militum Alphonſus primus Luſitanorum Rex obibat, opem è cælo accepturus. Inter eos qui in Oliſiponis expugnatione ceciderе, claruit miraculis Henricus natione Germanus, imò claruerunt multi. Dabo aliquid ex Luſitano auctore. Inter eos qui expugnandæ Oliſiponi interfuerunt, fuit Henricus natione Germanus, patriâ Bonnenſis prope Coloniam, morum probitate ſpectabilis. Is in expugnatione occiſus, & in templo diui Vincentij ſepultus (erat tunc is locus commune Luſitanorum in prælio cadentium ſepulchrum) magnis miraculis eluxit, vno de plurimis memorando. Fuerunt in eâ externorum hominum claſſe duo, à primo ſtatu loquendi audiendique facultate deſtituti, Henrico non ignoti. vterque eius ſepulchrum adeuntes, & patrocinium implorantes, quò ſuarum remedium ægritudinum inuenirent, ſenſim obdormiſcunt; cùm ſubitò obiicitur Henricus peregrino habitu, & palmari baculo inſignis, in morem eorum qui Ieroſolymitanam peregrinationem feliciter abſoluerant; & paucis allocutus, En vobis, inquit, Martyrum qui hac humo tegimur meritis, diuinitus indulta ſalus. Nec plura. Hic euanuit. illi ſuis redditi ſenſibus euigilarunt: mirantibus ceteris, qui experimento ipſo didicerunt, mutos ac ſurdos diuinas audire ac reddere laudes.

Vaſconcellius in Anaceph. Alphonſi I.

Sed cùm Deus clarioribus adhuc argumentis huius ſanctitatem Equitis manifeſtare vellet; ad caput ſepulchri, in quo ſitus erat, viſa eſt palma, illis non abſimilis, quas ex Ieroſolymitanâ peregrinatione referre ſolent peregrini, quæ germinare primum cœpit, & frondere; ac tandem ad iuſtam altitudinem perducta, ægris omnibus ſalutaris euaſit. Nam ſiue carptum ex eâ ſurculum è collo appenderent, ſiue reliquum ex eâ cinerem poculo haurirent, quocumque morbi genere laborarent, ſanabantur; donec vſque ad vltimas fibras ac radiculas in ægrotantium medicinam iugiter ex eâ legentium extirpata eſt. His miraculis Alphonſus Rex ſingulariter animatus erga illos Martyres (ſic enim appellabant) qui ex prælio occubuerant, & eo loci dormiebant; quoties aliquâ valetudine tentabatur, illuc oraturus conuolabat, nec longâ morâ conualeſcebat.

Dices, cur præcepta Politica intercido narrationibus ſacris? cur inter militaria exempla exhibeo miracula? Credo, non vanam hanc operam, ne bellicam fortitudinem, alienam verâ virtute putemus, nec audaciam militarem pietati extraneam. Quis fortior, quis audacior, quàm qui non tantùm negligit vitam, ſed amat mortem, non minori condimento ſibi dulcem quàm ſpe cæli?

Capvt

CAPVT X.

Quæ conſtituant Principem religioſum.

IAm dicam illuſtriùs, quid per religionem & pietatem intelligam. In primis requiro nitorem hunc animi, & ſimplicitatem ſapientiſſimam, non ſua quærentis, ſed quæ Dei, quæ populi. Ad hæc, amor puræ Fidei prorſus neceſſarius, ardorque religionis Catholicę tuendæ, illuſtrandæ, propagandæ; & quod his conſequens, odium aduerſantium ſinceritati veritatis, & à Romana deſciſcentium Cathedrâ. Si in aliquâ re, in hac maximè, nimius ſit Princeps, rigidus, & quod erit magnæ incrementum pietatis, in Regno potiſſimùm peccato intaminatoque, crudelis, ciuiliterque (ſic auſim dicere) imprudens. Quemadmodum maximam conciliandis populis virtutem deſidero clementiam, etiam erga perduelles Regiæ Maieſtatis; ſic maximam tranquillandis iiſdem populis & felicitandis virtutem puto crudelitatem erga perduelles diuinæ. Ferdinandus III. Caſtellæ Rex in multis ſanctiſſimus, in hoc etiam, imò in hoc maximè, præbuit pientiſſimum, quia ſanctè crudelem. Exhibeo Lucæ Tudenſis fidem: *In tantum*, ait, *Regnum ſibi ſubditum, ſuccenſus igne Catholicæ veritatis ſtrenuè rexit, vt inimicos fidei Chriſtianæ totis viribus perſequeretur, & quoſcumque reperiebat hæreticos flammis exureret; & ipſe, vice famulorum, ignem & ligna in eis comburendis miniſtrabat.* Heres tantæ pietatis & Fidei Ferdinandus Catholicus fuit non ſine fœnore. De eo ſcribit Genebrardus: *Ferdinandus ipſemet voluit ſubeſſe Inquiſitioni. tunc Regna Granatenſe, Neapolitanum & Nauarrenſe ſubegit.*

Prouidentia in cauſſis Religionis vltra politicam debet eſſe.

Obiter hoc velim monitum, licet pietas & ardor Fidei in omnibus feliciter Principes, maximè in cauſsâ ipſius Fidei, in quâ audacter fidendum, & fortaſſis audendum humanæ æſtimatione calliditatis imprudenter. Quemadmodum vltra humanas vires pio Principi res feliciter aguntur, ſic vltra humanam prudentiam decernenda plura ſunt. Conſcius Regis animus diuinæ ſibi aſſidentis manus protegentis, verſantis, dirigentis, expertus ſæpè, aliter quàm iſtâ arcana deſtitutus ſpe & ope, res gerere, & decernere poteſt animoſius & quadam temeritatis imagine præfidentiùs. Sicut Rex, qui ſupra vires poteſtatis tentaret, imprudens videretur ignorantibus occulta auxilia & opes quibus adornatus, licet magna moliretur, maiora poſſet; prudenter tamen reuera, & conſultiſſime rem gereret: ſic Chriſtianus & religioſus Princeps plura, quæ politici imprudenter geſta pronuntiabunt, prudentiſſimè decernet. Diu damnatus fuit à prudentiſſimis Ferdinandus II. optimus Cæſar, imprudentis ardoris & temeritatis in ſtabiliendâ & ampliandâ religione: immedicabilia damna timebantur exacerbatis hæreticis; ſed euentus feliciſſimus vltra ſpem vireſque oſtendit, maiorem humanâ prudentiam pientiſſimi Principis, nec temerè, nec imprudenter, ſed piè, hoc eſt prudenter, nobiliſſimo prudentiæ genere omnia geſſiſſe. Non eſt prudentia heroica, quæ primò aſpectantibus imprudentiæ faciem non obtendat. Prudentiam heroicam vix à diuinâ fide & fiduciâ diſtinguo; ſine his profectò non eſt.

Studeat Rex diuino honori.

Præterea maximè, imò propriè ſpectat ad religionem ſtudium diuini honoris: in quo etiam excelluit ſanctus ille Caſtellæ Rex, quem iam laudaui. Multa fecit procuraturus diuinum cultum: nũc vnicum commemorare lubet. Campanas ex Compoſtellanâ æde eripuerat Almanzor, & ſuperſtitioſo Mahometis cultui Cordubæ dicarat ad contemptum Chriſtiani ritus. Has pijſſimus Rex, cum Cordubam cepiſſet, referri humeris Mahometanorum Compoſtellam iuſſit; iter eſt circiter quadringentorum milliarium.

Recentes Hiſpaniarum Reges idem amplificandæ Chriſtianæ religionis ſtudium ſecuti, nullis parcunt impenſis, in Religioſos omnes profuſi. Societas IESV nouem in Indijs prouincias habet, viceprouincias duas: quarum omnium pænè Religioſi ſumptibus Regijs ab Europa in extrema mundi traiecti ſunt. Præterea vnum ad celebranda Sacra, oleum ad alimenta lampadum templis noſtris liberaliter largitur Rex Hiſpanus: Religioſis medicamenta Europæa ſuppeditat, pluriſimoque alit. Multa quoque ex fiſco Regio ædificata templa poſſidemus. Eâdem liberalitate vſus erga Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtinianos, Carmelitanos, Mercenarios: quarum ſanctiſſimarum Familiarum Religioſi ſumptibus quoque Regij fiſci Indias penetrant. Neque id quod de vini donatione diximus, parum eſt, cùm in Philippinis inſulis quadringentis nonnumquam regalibus ematur ea vini menſura quam *arroba* dicimus. Neque tantùm pro ſuâ ditione prouidet tot impenſis Prædicatores Euangelicos, ſed & pro Regnis & prouincijs extraneis Sinarum, Iaponum, Mogor, Tibet, Camboiæ, Sian, Pegu, Cochinchinæ, Æthiopiæ, Biſnagæ, Tuquimar, & aliis Deinde omnes Cathedrales Eccleſiæ (quadraginta numero ſunt in Americâ) Regum iuſſu & fiſco ædificatæ ſunt. Ex eodem ſoluuntur annui reditus Epiſcoporum Indicorum, & Iaponum & Sinarum & Serræ in Oriente: tum Parochorum: & Sacriſtarum, & aliorum Eccleſiaſticorum. Plurimis quoque Franciſcanis & Dominicanis veſtitum donat. Exploratum quidem, ex ſolo fiſco Mexicano ſeptuaginta millia argenti pondo (nos *peſos* dicimus) cum Religioſis exhauriri. Quid fiet ex aliarum prouinciarum fiſcis? ſunt autem in ſolâ Americâ quinquaginta quatuor fiſci, præter Braſiliam. De aliis Hiſpanorum Principum liberalitatibus in Religionis emolumentum longum eſſet diſſerere. Sat hæc, vt eorum erga diuinum cultum commendemus curam. Debet præcipuè diuina Princeps curare: nam Principem præcipuè curat Deus; nobiliori illum Angelo, imò Angelis cuſtodiendum committit. Quin, vt Euſebius Dorylæus inquit, *Sanctiſſima Trinitas eſt cuſtos Principum.*

Deinde pietatis & religionis nomine clauditur obſeruantia Apoſtolici Solij, tutela Eccleſiarum, fauor Eccleſiaſticorum, amor Religioſorum. Membrum Regiæ auctoritatis Sacerdotium intelligat Rex: ſic amet, vt rem propriam vt dimidium ſui, & meliorem portionem Maieſtatis. Olim Sacerdotij appendix Regnum erat: nec

Digitized by Google

nec aliis cura rerum humanarum commiſſa eſt, quàm curatoribus diuinarum. Idem olim Sacerdos & Rex, poſteà creſcentibus imperiis, cum vnus homo duplici huic muneri ſatis non potuiſſet facere, diuulſum eſt à Regno Sacerdotium: quod quia maximum, quia optimum, òptimo & maximo tributum, at cum inclinemur ad externa, alijs permiſerunt Reges Sacerdotium, ex malitiâ quadam meliori ſe abdicantes Maieſtatis fruſto. Nouerunt hoc priſci Hiſpaniæ Reges pientiſſimi, qui Præſides ſacros, ſuos Dominos vocarunt. Inuenio Ramiri Regis inſtrumentum, vbi inquit: *Concilium cogi iuſſi admonitione noſtri Domini Salomonis Aſtoricenſis Eccleſiæ Epiſcopi.* Non minor Sacerdotij reuerentia Ioanni II. Portugalliæ Regi. ſemel enim recitanti Canonicas Horas cum Regij ſacelli Decano (is erat Iacobus Soſa poſtea Bracarenſis Archiepiſcopus) crepida excidit. quam cùm Decanus arreptam de genu conaretur inducere, acriter obnixus indignatuſque Ioannes; Túne, inquit, quâ manu ſacra facis, eâ pedes meos tractare, vel crepidam parabis; & abire iuſſit, ac domi eſſe donec aliter ipſe decerneret, integrumque diſſimulauit menſem. In baptiſmo quoque Iudæi hominis ſponſor fuit, adeò diligens, vt deſideratâ neſcio quâ è lino faſciâ, ipſe ſibi ſubuculæ manicam abſciderit, ne quid in parando moræ ad rem adeò ſacram, vt aiebat, interponeretur.

Magna Eccleſiaſtici honoris pars, fides immunitatum eſt tutelaque. Caueant Principes vim inferre, tantum ſibi erunt noxii, quantum Eccleſiæ derogabunt. In Capitulis Caroli M. Ludouici & Lotharij Auguſtorum hæc habentur: *Nouimus multa Regna & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliauerunt, reſque earum vaſtauerunt, abſtulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt; Epiſcopiſque & ſacerdotibus, atque, quod maius, Ecccleſiis eorum abſtulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt; ſed terga, multi vulnerati, & plures interfecti, verterunt, Regnaque & regiones, &, quod peius eſt, Regna cæleſtia perdiderunt.* Inibi admonetur: *Ne cupidos rerum ſanctarum, ignis qui in eis eſt, fauilloſius exurat.*

Chriſtiana religio vtiliſſima eſt eſt Reipublicæ.

Meminerint potiùs Principes quantum debeant Chriſtianæ religioni, quantum Catholicæ puritati, quantum Romanæ Eccleſiæ; cuius ſincera Fides & diſciplina legitima vtiliſſima eſt rebus publicis. Conſtantinus Cæſar optimus omnem Eccleſiaſticis viris rebúſque honorem detulit, quia hoc expertus. Conferens vetuſtam ſuperſtitionem cum religione noſtrâ, ſic ait: *An non hic vera & germana concordia? an non perpetua benignitas? an non errati reprehenſio, quâ admonitionem adhibet, non ad perniciem, ſed ad curationem; non ad crudelitatem, ſed ad ſalutem, ſinceramque fidem, primùm erga Deum, deinde erga homines, quos natura deuincit ſuauitatem? Huc accedit miſericordia in eos, quos aduerſus fortunæ caſus oppugnauerit: vita ſimplex, ſinceráque nullo verſutiæ fuco improbitatem obtegens, veri etiam Dei & vnius principatus agnitio, an non hic ſatis apparet?* (In Orat. cap. 13.)

Audiamus quoque Auguſtinum, qui Voluſianum & Marcellinum ſic inſtruit: *Scio excellentiam tuam quorumdam perpeti obſtinatiſſimas contradictiones, qui propterea putant, vel putare volunt, Chriſtianam doctrinam vtilitati non conuenire Reipublicæ, quia nolunt ſtare Rempublicam firmitate virtutum, ſed impunitate vitiorum.* (Epiſt. 3.) *Proinde qui doctrinam Chriſti aduerſam dicunt eſſe Reipublicæ, dent exercitum talem, quales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales ſeruos, tales Reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores, & exactores ipſius fiſci, quales eſſe præcepit doctrina Chriſtiana, & audeant dicere eam aduerſam eſſe Reipublicæ; imò verò dubitent eam confiteri magnam, ſi ei obtemperetur, ſalutem eſſe Reipublicæ.* (Epiſt 5.)

Caput XI.

Princeps deiformis virtute, deformis vitio.

SEd & virtutes reliquas pietati requiro Principis, cuius venerandum ſceptrum probitas eſt. Præcipuum hæc inſtrumentum artis Regiæ, hæc pignus fortunæ, hæc peculium potentiæ, magis exemplo leges promulgabit tuebiturque, quàm edictis, quàm armis: ipsâ ſolius vitæ reuerentiâ venerabilis, auguſtus, diuinus apparebit. Deiformem virtus Principem facit, deformem ignauia. Chæronenſis Philoſophus ait: *Iuſtitia legis eſt finis, lex Principis opus, Princeps Dei imago omnia digerentis. Neque is opus habet Phidiâ qui fingat, aut Polycleto, vel Myrone; ſed virtutis operâ ſeipſum Deo quàm ſimillimum facit, iucundiſſimúmque ſpectatu opus, & diis chariſſimum.* (Lib. ad Principem indoctum.) Cùm autem deuiat manus ab ore, nec dicta complet exemplum; deſpicabiles & deformes Reges, non aliter quàm Dauid ſerui dimidiam tonſi barbam, & purpurâ vſque ad nates præciſsâ, vileſcunt. (2. Reg 10.) Subtiliter Stephanus Cantuarienſis dixit: *Barba fortitudinem notat. Duplex fortitudo debet eſſe in Prælatis; operis ſcilicet, & ſermonis. Media pars barbæ raſa eſt, quando Prælatus fortis in ſermone, & non in opere. Malunt autem filij Ammon, id eſt, maligni ſpiritus, vt media pars radatur, quàm tota: quoniam quantò ſapientiores ſunt Prælati, ſi malè viuunt, tantò maius ſcandalum faciunt. quoniam, vt dicit Iuuenalis,*

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò qui peccat maior habetur.

& Ambroſius: Quantò maius eſt donum ſcientiæ, tantò tranſgreſſor maiori ſubiacet culpæ. Porrò veſtes præſcindere, eſt bona opera auferre, & hoc vſque ad nates: ita quòd nates appareant, id eſt, fœda opera & turpia luxuria. Hoc fit, quando incontinentia eorum coram hominibus publicè prædicatur. Hæc Stephanus.

Regiam dignitatem virtus ſtatuit.

Itaque adiumento ſolius virtutis dignitas ſtat Regia: alioqui in ipsâ Maieſtate ſeruitur: nam

Solus peccator malè ſeruit, qui licet amplo
Vtatur Regno, ſat miſer eſt famulus.
Cum mens carnalis, nimiùm dominante tyranno,
Tot ſeruit ſceptris, dedita quot vitiis.

Accepit Proſper ab Auguſtino magiſtro: *Iuſtis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non pœna eſt criminis, ſed virtutis examen. Nam bonus, etiamſi ſeruiat, liber eſt; malus autem, etiamſi regnet, ſeruus eſt; nec vnius domini, ſed, quod eſt grauius, tot dominorum, quot, vitiorum.* Qui enim libidinibus ſeruit, etiam ſi dominetur hominibus; non tam erit caput magni imperij, quàm maximi monſtri initium. Si pictor ſic luderet arte, vt ſupra humanum collum pedem pingeret; pes ſemper & vbicumque eſſet: ſic ille, qui ſuus non eſt, qui vitiorum eſt ſeruus, licet faſtigium humanæ Maieſtatis occupet, non dominus, non caput erit, ſed mancipium vel viliſſimorum dominorum. Quomodo, ſi captus Rex eſſet, poſſet è carcere abſens Regnum gerere, prouidere ſuis, impeditus hoſtili manu, quæ facilè epiſtolas Regias interciperet, reſcripta adulteraret? Maior ſeruitus affectuum eſt, nihil boni facere permittunt: ineptum communi prouidentiæ reddunt animum, qui nec priuatæ idoneus eſt. Accedit quòd vitæ probitate, velut aſſiduo ſacrificio & precibus, cælum tundet, extorquebit liberaliſſimam opem. Iſocrates dixit ad Nicoclem Regem: *Id pulcherrimum ſacrificium, & cultum eſſe maximum exiſtima, ſi ipſe te quàm optimum & iuſtiſſimum prabeas: maior enim ſpes eſt Deos immortales talium vota audituros, quàm eorum qui multas victimas proſternunt.* Hinc Deus conſtantiam imperij, & cæleſte ſatellitium bono Principi pollicetur. Per Zachariam Prophetam ſic annuntiatum Ieſu filio Ioſedec: *Si in viis meis ambulaueris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: tu quoque iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic aſſiſtunt.* Magnum profectò promiſſum, & magnitudini rerum gerendarum neceſſarium, aſſiſtentes Angelos bono Regi donari, tuendo, moderando & ſeruando feliciter imperio.

Orat. de Regno.

Zach. 3.

Capvt XII.

Bonos ſubditorum mores Princeps praparet optimè moderaturus.

IDem erga populum ſtudium vellem, ne tantùm illum Fide & cultu Dei contineat Princeps, ſed ceteris quoad poſſit (& poterit multùm exemplo) virtutibus excolat, promoueat. Cauſſa Regis hæc eſt, &, vt ſic dicam, magna Status ratio. Quo fidelior plebs erga Deum, fidelior erga Principem erit: quo maioribus illuſtris frequenſque virtutibus, mitiùs habenas patitur, placidiùs gubernatur. Salutariter monuit Cæſarem Salluſtius in Oratione priori de Regno. *Eniti decet, cùm ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, vti quàm optimis imperites; nam peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur.* In hoc præcipuè miratur Xenophon Lycurgi inſtitutum, *quòd poſteaquam animaduertiſſet per eos qui lentiùs ſtudere virtuti vellent, patriam amplificari non poſſe, coegerit Sparta omnes virtutes exerceri publicè. Quemadmodum igitur priuati homines priuatis præſtant virtute, & ſtudioſi negligentibus: ita & Sparta, quæ ſola publicè honeſtatem probitatémque exercet, virtute cunctis planè vrbibus præcellit. Etenim nónne & illud pulchrum, quod aliis ciuitatibus in eos dumtaxat animaduertentibus, ſi quis alter iniuriam alteri intuliſſet; Lycurgus enim non minus plectendum voluit, ſi quis manifeſtò neglexerit, quo optimus fiat? Exiſtimabat enim, vt videtur, ab his qui aliquos captiuos effeciſſent, aut quidquam abſtuliſſent, aut furto ſurripuiſſent, in eos qui læderentur ſolùm perpetrari iniuriam; à vitioſis verò ignauiſque hominibus Reſpublicas prodi. Itaque rectè videtur mihi maximas hiſce pœnas ſtatuiſſe.* Idem Xenophon ait: *In aliis vrbibus, cùm aliquis malus fit, mali tantùm cognomentum accipit; verſatur autem eodem in foro malus, vbi & bonus, & ſedet, & ludit, ſi velit. Sed apud Lacedæmonios quiſque erubeſceret vitioſum hominem in contubernium ſecum, aut in palæſtrâ concertatorem admittere. Sæpè etiam malus, diuiſis qui pilâ ex aduerſo ludant, in neutram partem accipitur, atque in choreis quoque in abiectiores locos reiicitur, in viis cunctis ei cedendum eſt, & in conſeſſibus, ac inter iuniores quoque aſſurgẽdum.* Adiicio exemplum Magiſtratuum Principúmque ad obedientiam prouocaturum plebem. *In aliis vrbibus potentiores, neque volunt videri quidem Magiſtratus ipſos pertimeſcere, quin illiberale id eſſe ducunt: Sparta verò viri præſtantiſſimi Magiſtratus maximè obſeruant, ac ſibi glorioſum putant, ſi humiles ſint, & accerſiti non lentè incedendo, ſed currendo obediant. exiſtimabant enim, ſi ad obedientiam præſtandam ipſi præirent. alios ipſorum exemplum ſecuturos: quod quidem ita euenit.*

De Repub. Lacedæm.

At verò cuſtodes Regnorum Angeli, coadiutores, &, vt ſic dicam, collegæ Regum, relinquunt Regnorum cuſtodiam, peccandi exacerbari licentiâ.

Quapropter in hoc laborandum, venuſtare moribus Rempublicam, ſplendidam facere potiùs virtutibus, quàm opulentiâ & ædificiis. *Peruerſa*, inquit Auguſtinus, *& aduerſa corda mortalium felices res humanas putant, cùm Rectorum ſplendor attenditur, & labes non attenditur animorum: cùm theatrorum moles extruuntur, & effodiunt fundamenta virtutum: cùm glorioſa eſt effuſionis inſania, & opera miſericordiæ deridentur: cùm ex his quæ diuitibus abundant, luxuriantur hiſtriones & neceſſaria vix habent pauperes: cùm Deus, qui doctrina ſua publicis vocibus contra hoc malum publicum clamat, ab impiis blaſphematur.* Externus autem ſplendor, & vſque ad delicias opulentia, peſtifero ſui abuſu otium creant, peſſimorum motuum omniúmque malorum artificem. Verè Iuuenalis dixit:

Pulchritudo Reipublicæ bonis moribus conſtat.

Epiſt 5.

Sat. 6.

Seruabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomnique breues, & vellere Thuſco
Vexatæ duræque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & ſtantes Collinâ in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala; ſæuior armis
Luxuria incubuit, victámque vlciſcitur vrbẽ.
Nullũ crimen abeſt, facinúſq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.——

Quid ergo expectas, Auguſtinus, inquit, *vt ego exaggerem, quanta mala importauerit ſucceſſu proſpero iniquitas ſubleuata, quandoquidem & ipſi*

Digitized by Google

ipſi, qui aliquanto prudentiùs attenderunt, plus dolendam viderunt paupertatem, quàm opulentiam periſſe Romanam? In illa enim morum integritas ſeruabatur; per hanc autem non muros vrbis, ſed mentes ipſius ciuitatis dira nequitia omni hôſte peior irrupit. Gratias Domino Deo noſtro, qui contra iſta mala miſit nobis adiutorium ſingulare. Quò enim non tolleret, quem non inuolueret, in quod profundum non demergeret fluuius iſte horrenda nequitiæ generis humani, niſi crux Chriſti in tanta velut mole auctoritatis eminentiùs firmiuſque figeretur, cuius apprehenſo robore ſtabiles eſſemus, ne malè ſuadentium, vel in mala impellentium, tam vaſto mundi huius gurgite abrepti ſorberemur? In iſta enim colluuie morum peſſimorum, & veteris perditæ diſciplinæ, maximè venire ac ſubuenire debuit cæleſtis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ continentiam, beneuolentiam, iuſtitiam, atque concordiam, veramque pietatem perſuaderet, ceteraſque vitæ luminoſas validaſque virtutes: non tantùm propter iſtam vitam honeſtiſſimè gerendam, nec tantùm propter ciuitatis terrenæ concordiſſimam ſocietatem, verùm etiam propter adipiſcendam ſempiternam ſalutem, & ſempiterni cuiuſdam populi cæleſtem diuinamque Rempubl. cui nos ciues adſciſcit fides, ſpes, charitas: vt, quamdiu inde peregrinamur, feramus eos, ſi corrigere non valemus, qui vitiis impunitis volunt ſtare Rempub. quam primi Romani conſtituerunt auxeruntque virtutibus, & ſi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam ciuitatem poſſet ſalubri religione perducere: cuſtodientes tamen quamdam ſui generis probitatem, quæ poſſet terrenæ ciuitati conſtituendæ, augendæ conſeruandæque ſufficere.

CAPVT XIII.

Principes decet heroïca virtus.

CEterum, cùm virtus maximè deceat Reges; decet quidem maxima & Regia. quemadmodum tranſcendunt fortunam omnium, vincant etiam gloriam, legitimum virtutis partum, cuius non minùs quàm purpuræ nitore reluceant. Decus hominum virtus eſt: at cùm Regia dignitas tantum præſtat humanæ, quantum homo brutis, eius decor virtus non minùs excellat humanæ virtuti. Inter motales heroïcæ excellunt, quidam aurei & nitidiſſimi habitus animi vltra communem legem, quæque homines proximos Deo collocent, non humanitus, ſed diuinitus agentes, decoros, admirandos, quos non niſi in ſemideis, & prole diuinâ, antiqui cenſebant. Hercules, Achilles, Æneas, Romulus, Alexander, diis nati crediti, quia fulgor quidam excellentiam harum virtutum opinionem diuinitaris ipſis impetrauit. Ergo cùm Reges heroïca deceat virtus, paucis quid ſit, dicam: eſt eminentia, eſt vertex, eſt quidam roſeus color, eſt pulcherrimus rubor, eſt elegantia, eſt ſplendor mortalium virtutum ſupra hominis vires, diuinam expoſcens facultatem. Earum præcipuè nitor eſt, quas ampliſſimè difficultas, pretium totius virtutis, commendat. Nobiliſſima hæc virtus, illuſtria præ

ceteris natalitia habet: naturales enim virtutes ex præſtantiâ optimoque corporis temperamento exoriuntur; humanæ ex aſſenſu atque conſpiratione ſenſuum, mentiſque ipſos dirigentis; heroicæ tamen ex ipsâ mente negligente humana, magnificante diuina, atque vehementiſſimo honeſti amore. Euſtathius heroïcam virtutem cenſuit abſolutam perturbationum euulſionem: namque vt homo ſupra hominis conditionem, ſupra dignitatem humanam aſſurgat, cuncta eum humana ſupponere ſibi, & exuere oportet, ne vnquam mortalibus implicetur, ſed purus & candidus, magni ſolùm diuina faciat; non extirpatis, ſed eruditis affectibus, reformatis, directis, atque ad honeſta elaboratis. Totum hoc egregiè dabit charitas, æternorum auidiſſima. Adam de Perſeniâ ait: *Amare certè quæ mundi ſunt, eſt contempſiſſe cæleſtia, eſt inimicum fieri æternorum; ab æternis exulat bonis conquiſitor præſentium, nec dignus eſt amore opificis, quoniam ipſum opificem operi ſuo præferre non nouit.* Hæc virtus virtutum, decor ceterarum eſt & purpura, & vita & anima, & pro ipſis, & præ ipſis. Dicam quomodo hoc diſſeruit Ailredus. Ceteræ virtutes ſunt nobis, aut quaſi feſſo vehiculum, aut quaſi viatori viaticum, aut quaſi arma pugnantibus. At charitas licet, vt aliæ virtutes, ſit oportet in omnibus, ſpecialiùs tamen ipſa & requies fatigato, & viatori manſio, & plena lux peruenienti, & perfecta corona victori. Quid enim eſt fides, niſi vehiculum noſtrum, quo ad patriam vehimur? Quid ſpes, niſi viaticum noſtrum, quo in huius vitæ miſeriis ſuſtentamur? quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, iuſtitia, niſi arma ſunt noſtra, quibus pugnamus? In his omnibus charitas principatum tenet: imò ſicut ſuper omnes eſt, cum ipsâ omnes ſupra ſe ſunt auguſtiores, purpuratiores, illuſtriores. Oportebat hîc omni virtutum ſupellectili exornare Principem, niſi id iam feciſſemus iuſto volumine.

CAPVT XIV.

Inſtituuntur pij Reges è cælo.

SAlutari hactenus inſtitutione, humanâ tamen, Principum pietatem muniuimus; digna tamen eſt cæleſti eruditione. Oracula nunc tonent, excidat inſtitutio de cælo, Magiſter eloquatur diuinus cum inuidiâ Minoïs congerronis Deorum. Miſit Politicam Chriſtus Regum Rex ad Sueciæ Regem, per illuſtriſſimam ſanctiſſimamque Birgittam, omnes in vno inſtituturus Principes. Adeò Reges curæ ſunt cælo. Lubet inde compingere, quæ ad pietatem ſpectant. Priùs carpam religioſa documenta, quæ Regem cum Deo componant; deinde ciuilia præcepta, quæ eum populo concilient. Capiant omnes Principes ab ore IESV edicta ſibi. *Rex legem Dei non tranſgrediatur, nec nouas inducat conſuetudines contra ſtatuta laudabilia. Nec poteſtatiuè diſponat & iudicet, quæ occurrunt menti eius, ſed iuſtè ſecundùm legem Dei & regni agat omnia; quia non decet Regem multa præcipere, & nihil agere, iuſtitiamque* Lib. 8. Reuelat. cap. 2.

relinquere, & crudeliter imperare. Se ſalem operibus exhibeat, quatenus dignus ſit nomine Regio, fugiendo cupiditatem, & diligendo veraciter humilitatem. quia quantò Rex maior eſt ceteris, tantò humilior ſit coram Deo, à quo omnis poteſtas eſt. qui ita in iudicio rationem ſtrictam exiget à Rege, ſicut à populo, & plebe. Mittat vaſallos ſuos & gentes ad illa loca infidelium, vbi fides Catholica & charitas augeri poteſt. Nam ideò vaſalli ſui interfecti fuerunt in ciuitate Hamnis, quia ipſe ambiuit partem Regni alieni Chriſtianorum. Legat quotidie Horas Beatæ Virginis matris Mariæ. Et cùm iudicia & aliqua ardua inter manus habuerit, dimittere poteſt Horas diei. Audiat etiam duas Miſſas priuatas, vel vnam cantatam, omni die. Recordetur quoque omni die quinque vicibus, de quinque vulneribus meis, quæ pro eo ſuſtinui in cruce. Ieiunet vigilias Sanctorum, & Matris meæ, quæ ab Eccleſiâ ſanctâ conſtitutæ ſunt. Sextam verò feriam ieiunet in piſcibus; & Sabbatum, ſi voluerit, in lacticiniis. Quadrageſimam verò obſeruet iuxta morem patriæ. Sed hoc attendat in ieiunio ſuo, quòd ſit moderatus, & temperatus; ne propter inconuenientia ieiunia, aut propter indiſcretas vigilias, & prolixas orationes priuatas, tepidus ſit in conſiliis, aut remiſſus in iudiciis faciendis. Sed quando labor maior ei accreuerit, tunc obediat conſilio, & poteſtati, & diſpenſationi Prælatorum Eccleſiæ meæ. Quemlibet decimum denarium, qui fiſco Regio debetur, tribuat in eleemoſynam pauperibus. Si verò aliqua alia piè ſupererogare ob amorem meum voluerit certâ de cauſsâ, maior tunc erit ei merces. Omni feriâ ſextâ colligat tredecim pauperes, & lauet pedes eorum, & tribuat eis victum & pecuniam manu ſuâ, niſi fortè fuerit in viâ, propter quam talia ſunt omittenda. Ipsâ quoque ſexta feria exoccupet ſe totum, quando habet reſidentiam quietam, & audiat illa die querimonias ſubditorum communitatis Regni, & tunc etiam inquirat de fidelitate & regimine Præpoſitorum, & Iudicum Regni, & vaſallorum, & de exactoribus ſeu collectoribus tributorum & redditnum Regalium.

Ciuilis Regiæ prudentia à Chriſto commendata.

Quæ ſequuntur, vtiliſſimam claudunt prudentiam ciuilem. *Ipſe*, inquit IESVS, *Rex ſit diſcretus in donis ſuis, vt ſic vni tribuat, quòd aliis non ſit auarus. Et ſi alicui pro vitæ merito, & ampliori labore, plus quàm aliis donare voluerit, hoc etiam faciat cum maturitate & cautelâ, ne notetur in Rege inæqualitas, vel occaſio murmurationis. Quia nihil ſic reprehenſibile in potentibus dominis eſt, ſicut prodigalitas, aut nimia tenacitas: & nihil ita decet & ornat Regem, ſicut imperare cum modeſtia, & laborantes in ſeruitio ſuo remunerare cum charitate. Poterit etiam Rex dare dona ſua etiam extraneis conſeruantibus pacem Regno ſuo, & his qui neceſſitatem patiuntur. ſic tamen hoc faciat, quòd vaſalli & familiares proprij non negligantur, aut obliuiſcantur. Remoueat à ſe illos conſiliarios, quorum corda ſunt ambitioſa & cupida; quorum lingua duplex & doloſa; quorum oculi ſunt ad ſpiritualia lippientes. Eligat verò illos, qui non vendunt iuſtitiam pro pecunia; qui erubeſcunt mendacium, & aſſentationes; qui diligunt Deum plùs quàm carnalia, & qui proximorum miſeriis compatiuntur.*

Decem præcepta ſalutaria Regibus à Chriſto data.

Iam ſecundam lectionem Regis Regum audiant Reges, & intimis condant animis. *Dixi*, inquit, *Regi prius quoſdam gradus per quos aſcendere poteſt ad cæleſtia. Quos ſi tenuerit & ſeruauerit, tanta facilitate aſcendet ad cælum, ſicut ille qui vitam tenet contemplatiuam. Nunc autem conſulere Regi volo decem conſilia. Primum eſt, quòd in menſa ſua non ſit ſolus, ſed cum aliquibus ſubditis ſuis ſedeat, qui ex eius præſentia conſolabuntur corporaliter & ſpiritualiter, quia ex hoc à peccatis & inhoneſtatibus abſtrahuntur. Secundum conſilium eſt, quòd poſt menſam ſtare poterit, & honeſtè modicum ſolatiari; quia ex humili collocutione, & collatione domeſtica, ſubditorum acquiret gratiam & amorem. Et tunc audiet multorum rationes, & opiniones, aut imitandas, aut reprobandas. Tertium conſilium eſt, quòd in omnibus iudiciis & operibus ſuis ſit miſericors & iuſtus, vt nec propter amicitiam, vel falſam compaſſionem, nec propter priuatum bonum ſuum, aut propter temporalem vtilitatem, ſeu timorem, dimittat exercere iuſtitiam. Nec propter iram, ſeu impatientiam, negligat aut obliuiſcatur miſericordiam: quia indecens eſt Regi vinci ab ira, & iudicem iudicare ſubitò, aut precibus à via iuſtitiæ deuiare. Quartum conſilium eſt, quòd Rex non committat regimina & iudicia ſua facienda illis quos ſciuerit eſſe partiales & cupidos, aut illis qui fraudulenter ſciunt extorquere pecunias: quia tales faciliter deuiant à iuſtitia. Sed inquirat Rex illos, qui à natura benè ordinati, progenitorum ſuorum imitantur bona veſtigia, & qui magis iuſtitiæ opera diligunt, quàm ditari. Quintum eſt, quòd continuè inquirat Rex qualiter obſeruatur lex & iuſtitia in Regno ſuo; & illos quos delinquentes corrigere poterit, non dimittat impunitos. Et caueat, quòd non nimis emungat pecunias & emendas à delinquentibus: nec aliqua calliditate opprimat innocentes. Sed cum humilibus agat mitiùs, & ſeueriùs puniat induratos, ſeruata in omnibus iuſtitia & miſericordia: & vbi humilitatem maiorem viderit, miſericordiam ſuperexaltet æquitate. Sextum eſt, quòd continuè Rex diſcutiat iudicia & opera ſua. & ſi ex facili & ſubito mentis impulſu erraſſe ſe viderit, non erubeſcat corrigere, vel retractare, quæ malè acta ſunt. Non enim ipſe ſapientior eſt David, qui etiam errauit: nec ſanctior Prophetâ, qui credens mendacio, occiſus eſt à leone. Septimum eſt, quòd non ſit nimis ſubitus in agendis; ſed prouidus & circumſpectus, conſiderando finem negotiorum: innitatur etiam conſiliis ſapientum, & expertorum, & timentium Deum, quibus & obediat, & ſeipſum non abſcondat ab eis. Quia degeneris & ſuſpectioſi eſt animi, conſiliarios probatos habere ſuſpectos; & conſilia maturè & ſobriè tractata, cum adulantibus & aſſentantibus retractare. Octauum conſilium eſt, quòd caueat leuitatem verborum & morum in omnibus, etiam apud familiares & domeſticos ſuos. Fugiatque adulatores & aſſentatores quaſi ſcorpionem, quia eum fouent in peccatis, & ſcandalizant bonos: nam talem conuenit eſſe Regem, quòd timeatur à iuuenibus, honoretur à ſenibus, laudetur à ſapientibus, diligatur à iuſtis, & ab oppreſſis cordialiter deſideretur. Nonum eſt, quod Rex non communicet his qui ab Eccleſia excommunicati ſunt, nec foueat illos qui Deum & mandata eius derident; ſed informet eos verbis & admonitionibus*

Digitized by Google

bus charitatis ; & , niſi reſipuerint , oſtendat eis ſeueritatem ſuam , & ſubtrahat eis beneficia ſua. Nam honor Regis eſt , diuina ſuper omnia diligere , & Dei honorem ſuis viribus augmentare. Decimum conſilium eſt , quòd populum & communitatem Regni ſui diligat , milites ſuos clementer pertractet , & beneficia parentum in filiis recordetur.

Alia inſtitutio Regis Sueciæ. Tertiam appendo inſtitutionem cæleſtis Imperatoris. *Dixi priùs , quòd Rex diligeret populum & communitatem Regni ſui. Tunc autem oſtendit ſe diligere eam , quando eam permittit vti legibus approbatis : ſi ſuper communitatem & populum crudeles non dominantur exactores & collectores : ſi nouis adinuentionibus & impoſitionibus tributorum non oneratur populus : ſi hoſpitalitate oneroſâ & inſolitâ non aggrauatur. Poterit tamen Rex , ad impugnationem infidelium, humiliter petere auxilium à populo & communitate Regni , ſi neceſſitatur ; ſed caueat quòd neceſſitas illa non veniat in conſuetudinem & legem. Studeat etiam Rex amouere conſuetudines contrarias ſaluti animarum : & maximè illam diutinè antiquatam , quæ continet, quòd quando naues in littore poteſtatis ſuæ periclitantur tempeſtate , domini nauium & mercimoniorum priuantur bonis quæ littori aduehuntur. O quàm impiiſſima crudelitas eſt , afflicto afflictionem addere ! ſufficit enim afflicto ad cumulum doloris ſui , perdere nauem , vt bona alia non diſtrahantur. Ergo Rex iſtam conſuetudinem , & alias prauas & iniuſtas auellat à Regno ſuo. & inueniet maiorem gratiam & profectum in oculis meis.* Hactenus Chriſtus Iesvs. Lectionem quoque vtilium Regibus librorum eidem Regi commendarat, facta ſcilicet ſanctorum,piorum & fortiſſimorum Principum.

Capvt XV.

Epiſtola S.Birgittæ ad Regem Cypri.

QVæ Regi Cypri, & patruo eius Principi Antiochiæ , Gubernatori Regni, præſtantiſſima illa femina , iubente Chriſto , conſilia ſcripſit , prætermittere nolo. *Primum*, ait , *conſilium eſt , quòd quilibet veſtrûm cum Confeſſore ſuo puram & plenariam Confeſſionem faciat de omnibus quæ commiſit contra Dei voluntatem, & ſic recipiatis benedictum Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cum timore & charitate Dei. Secundum conſilium eſt , quòd ambo ſitis in vero amore, ita quòd ſitis cor vnum ad Deum , & honorem eius , regendo Regnum ad Dei honorem , & ſubditorum vtilitatem. Tertium conſilium eſt , quòd ambo ſitis vniti in verâ charitate cum ſubditis veſtris , indulgendo & parcendo ſolummodò propter reuerentiam paſſionis & mortis Ieſu Chriſti, omnibus qui conſilio , facto , vel fauore dederunt operam in morte patris veſtri Regis Petri , accipiendo illos toto corde in veſtram charitatem , ad hoc vt Deus in ſuâ miſericordiâ recipere vos dignetur , ac etiam vt ipſe ad regendum Regnum velit vos roborare ad ſui honorem. Quartum conſilium eſt , quòd ex quo diuina Prouidentia vos conſtituit Gubernatores Regni , adhibeatis omnem diligentiam quam poteritis, in colloquendo,& efficaciter charitatiuo animo conſulendo omnibus Prælatis tam Eccleſiarum quàm Religionum, quòd omnes ipſi, & eorum ſubditi , ſe corrigant in omnibus,in quibus à ſancto ſtatu priorum ſanctorum Patrum ſuorum prædeceſſorum quomodolibet deuiauerunt ſpiritualiter, vel temporaliter,& ad viuendum purè in priſtinum ſtatum ſuorum prædeceſſorum celeriter ſe reducant,vt ſtatus ipſorum totaliter reformentur ; vt ſic ipſi,& eorum ſubditi veraciter emendati, obtineant amicitiam Dei, & digni efficiantur ad rogandum Deum , quòd ipſe dignetur ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ in ſanctitate virtutum miſericorditer renouare. Quintum conſilium eſt,quòd propter illam charitatem magnam, quâ Deus dilexit animas veſtras, vos velitis diligere animas ſubditorum veſtrorum : conſulendo veſtro populo militari , quòd omnes qui in aliquo Deum offenderant,celeriter & humiliter ſe corrigant ; & omnes qui ſunt ſub obedientiâ Romanæ Eccleſiæ , qui ad annos diſcretionis peruenerunt, humiliter confeſſiones exerceant ; cum proximis, quos offenderant , ſe reconcilient , & concordiam faciant , reuerendumque Corpus Chriſti emendati accipiant. Poſt hæc autem Catholicam vitam ducant , viuendo ſcilicet fideliter in matrimonio, aut in viduitate , aut etiam in ſtatu laudabili virginitatis : omniaque illa , quæ ſancta Eccleſia præcepit , obſeruando : familiares, & domeſticos , & ſubditos , & omnes alios quos poterunt ,ad ſic faciendum ſuo bono exemplo , aut verbo , & opere charitatis viſceribus inducendo , ac eos in talibus ſtatibus ſuis bonis admonitionibus roborando. Et ſciatis certiſſimè , quòd omnes qui in his noluerint obedire , in corpore & in animâ diſpendium patientur. Sextum conſilium eſt , quòd loquamini cum omnibus Prælatis, quòd efficaciter & frequenter admoneant omnes Clericos ſuos , ſcilicet Rectores Eccleſiarum , quòd quilibet eorum in Parochiâ ſua inquirat diligenter , ſi aliqui Parochianorum ſint , qui in aliquibus peccatis publicis malè viuendo perſiſtant , & in Dei offenſione, & ſanctæ Matris Eccleſiæ contemptum ; & quos taliter inuenerint in ſuis peccatis publicis impudenter viuendo , eos efficaciter admonendo præcaueant de periculo animarum ſuarum, & doceant eos tales modos & ſpiritualia remedia , per quæ ſe valeant & debeant humiliter emendare. Si verò aliqui in publicis peccatis viuentium humiliter obedire noluerint , tunc iidem animarum Rectores non differant nuntiare ſuis Superioribus & Epiſcopis, vt talium obſtinatorum proteruitas per Prælatos cenſurâ Eccleſiaſticâ iuridicè comprimatur & corrigatur. Si verò prædicti Epiſcopi & Prælati , propter ipſorum pertinaciam & ſuperbiam , aut propter eorum temporalem potentiam , illos corrigere nequiuerint & punire ; tunc vobis Dominis meis conſulitur,quòd veſtrâ potenti manu ſitis cooperatores dictorum Dominorum Prælatorum , vt auxilio veſtro & fauore dicti peccatores inducti corrigantur , & emendati miſericordiam Dei conſequantur.* Hactenus prudentiſſima & ſanctiſſima femina.

Lib.7.c.18.

Capvt XVI.

Ratio ſui muneris exigenda Regibus.

POſt inſtitutionem interminatio accedat, hunc de pietate & virtute Regiâ tractatum clauſura; vt quos ratio non domat, nec vincit auctoritas, timor conſternet. [Sap. 6.] Sapiens ait: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus: fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Sed ánne poſtuma dumtaxat coërcitio reſeruatur potentibus? Non vtique ſola, præpeti non rarò fato corripiuntur iniqui: ad [Lucæ 13.] eos potiſſimùm illa iuſſio dirigitur: *Succide illam: vt quid terram etiam occupat?* Quod diſertè Magnus Gregorius ſic commentatur: [Hom. 31. in Euang.] *Vnuſquiſque iuxta modum ſuum, in quantum locum vitæ præſentis tenet, ſi fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuoſa arbor terram occupat: quia in eo loco in quo ipſe eſt, & aliis operandi occaſionem negat. Sed in hoc ſæculo potens quilibet, ſi fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præſtat ceteris: quia quicumque ſub ipſo ſunt, exemplo prauitatis illius, quaſi vmbrâ peruerſitatis eius premuntur. Stat deſuper arbor infructuoſa, & ſub terrâ ſterilis iacet. Infructuoſæ arboris deſuper vmbra denſatur, & Solis radius ad terram deſcendere nequaquam permittitur: quia dum ſubiecti quilibet, patroni peruerſi peruerſa exempla conſpiciunt, ipſi quoque infructuoſi remanentes, veritatis lumine priuantur, & preſſi vmbrâ, calorem Solis non accipiunt: quia inde remanent à Deo frigidi, vnde in ſæculo malè proteguntur. Sed de hoc peruerſo quolibet, & potente, penè iam requiſitio Deo non eſt. Poſtquam enim ſe perdidit, quærendum ſolummodò eſt cur & alios premat. Vnde benè eiuſdem vineæ Dominus dicit: Vt quid etiam terram occupat? Terram quippe occupat, qui mentes alienas grauat: terram occupat, qui locum quem tenet, in bonis operibus non exercet.* Ergo ſuccidi à Deo timeat inutilis aut noxia Poteſtas. Timeant Reges ipſum Regum Regem, timeant Iudices vniuerſorum Iudicem. Non ſine arcano Diuinitatis conſilio, primo mortalitatis aditu tremendus & adorandus Regibus Chriſtus inducitur; quem etiam infantem & deſpectum formidauit Herodes, adorarunt Magi. vt egregiè pronuntiarit Auguſtinus: [Serm. 30 de Tempore.] *Quid erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos Reges cunabula terrebant infantis? Quantò conſultiùs Reges, non, ſicut Herodes, interficere quærant, ſed ſicut Magi potiùs adorare delectentur, iam præſertim, cum qui & ipſam mortem, quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipſis inimicis ab inimicis ſuſtinuit, eamque in ſuo corpore occiſus occidit? Piè timeant Reges ad Patris dexteram iam ſedentem, quem Rex impius timuit matris vbera lambentem.* Hæc magnus ille Doctor.

Digitized by Google

DE PROVIDENTIA SALVTIS PVBLICÆ, Siue Cardinibus gerendæ Reipublicæ.

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

ALTERVM Imperij feliciter verſandi cardinem, poſt diuinarum rerum curam, prouidentiam humanarum cenſeo. Rex enim, velut prouincialis Deus, ſiue Dei Prorex; idem in ſuo Regno præſtiturus, quod Deus in vniuerſo. Sapientiâ, & conſilio maximè hoc præſtabit. arte ſtudeat ſupplere quod Deus naturâ habet. Immenſus Deus vbique eſt, omnia videt, omnibus aſſidet, futura præſcit. artificialis Regum immenſitas, fidelitas miniſtrorum erit. factitiam hanc ſapientiam & mentem habeant, prudentiam Senatus, & maturam conſiliariorum fidem. Perſarum Reges quondam negotiis publicis ſtrenui, optimo rerum moderamini deſiderarunt immenſitatem; vt non aliter quàm Deus, ac ſi vbique adeſſent, omnia vigili penetrarent obtutu, vbique oculos, vbique aures haberent. induſtriâ emendarunt anguſtias vnius hominis, per miniſtros ampliarunt ſe, & velut immenſos fecerunt: inſtituerunt propterea noua officia, deſignatis vtilibus huic rei miniſtris, quos aures & oculos Regis appellarunt; vt quæ vbique audirent aut cernerent, renuntiarent Principibus. quo inuento æmulati ſunt diuinam ſapientiam, rati non minori quàm ſciëntis omnia, publicam rem poſſe procurari. Deinde magna conſilij incundi ratio iis fuit ad ſupplementum, & velut laciniam Regiæ mentis. quam prouidentiæ magnifico nomine lubuit denotare, eodem quo diuinam prudentiam, cui proximè accedere oportet, & ſimillimis tractare imperium ritibus. In hoc regnandi cardine multa concludo, & ramoſus valdè eſt. In primis Regum prudentiam requiro, ſiue naturalem, ſiue artificialem: deinde vſum illius, ſcilicet diligentiam, & attentam ſuo muneri curam; quam tandem circa futura potiſſimùm deſidero. Hæc maxima prudentia eſt honeſtior prouidentiæ titulo, quæ damna præuertat, potiùs quàm emendet. Præſtat pharmacis impedire morbum, quàm tollere: excellentior enim medicandi ars, præſeruare eſt quàm ſanare. ſic prouidentiæ feliciſſimum munus eſt felicitare exitus, potiùs quàm infelices reformare.

CAPVT I.

Præſtet Rex ſapientiâ.

ITAQVE Rex, quia anima & caput ciuilis corporis, ſapientiâ valere ſtudeat. Nam & in animâ mens eſt, non in corpore: in capite cerebrum, oculi, & aula reliquorum ſenſuum: ſolitarius dumtaxat in aliis artubus obtuſior omnium tactus iacet. Ergo quantum viſus tactui, quantum mens ſenſui, tantum ceteris præſtare Princeps ſapientiâ debet. cuius propterea præcipuum ornamentum, & Maieſtatis teſſera, diadema caput ſeruat & perornat, ſpecie quadem æternitatis in ſe reflexum. Egregiè Dauid inſtituturus hæredē Regni ſui Salomonem, dixit: *Poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tuâ acquire prudentiam: arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus. dabit capiti tuo argumenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Audi fili mi, & ſuſcipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ.* Præfuturus brutis Adamus, naturalium omnium rerum munitur notitiâ: præfuturus Rex hominibus, quantâ diuinarum etiam præſtruendus eſt ſcientiâ, maximè poſt Prou. 4.

corruptum genus humanum, diſruptam originis primæ concordiam, violatum animi imperium, exacerbatos affectus, cupiditatem indomitam, maceratam mentis vim? Vt vnum ſe quiſque moderetur, multis habet, prudentiâ, conſilio, attentione: quamnam ſatis habebit vniuerſos vnus moderaturus? Non eſt Rex vnus de multis, ſed pro multis, quantum vnus vniuerſis conſultior ſit. Plures ſatellites requiruntur, plures excubiæ vni Principis corpori tuendo: diſcat hinc, vt vniuerſorum animas tueatur, ſolus ipſe, ſatelles cuſtoſque ſingulorum, quot vigilijs, quantâ ſolertiâ habeat opus.

Natura ſapientes Reges amat.

Diſcat ex naturâ etiam rudimenta vigiliæ & attentionis Regiis neceſſariæ animis. Leo princeps ferarum, etiam dum cubat, excubat; apertis ſopitus oculis, dum dormit vigil. Delphinus æquoris rex, nec in requiete ſiſtit, importuno agitatus motu? imagine quoque attendentis, ſomnum expergiſcendo libat; numquam cognoſces dormire. Aquila quæ dominatur ætheri, pertinaci valet obtutu, & genus ſuum obſeruantiâ periclitatur luminis. Etiam venerationem princeps, Regio propterea nomine decorus, viſu pollet, & virus ſuum per oculos ſpargit. Rex elementorum ignis perſpicuus & lucidiſſimus eſt, ipſius lucis focus & lar. Siderum quoque rex Sol, oculus mundi dicitur, ſomno & quiete caret, numquam non ſuum regnum luſtrat. Rex igitur oculus Regni, mens communis, lumen Reipublicæ, intellectus ciuilis corporis, cuſtos omnium, ſapientia publica, caput gentium, priuilegiarios mentis oculos habeat, polleat obtutu animi.

Sapientia neceſſaria Regis ſupellex.

Sapientia Regius character eſt, maximè virtute inaurata, neceſſaria ſupellex magni animi. Aureâ hoc oratione diſſertauit Cynicus Chryſoſtomus. Regem ſine prudentiâ imperare poſſe, *ſimile eſt*, inquit, *vt ſi quis dicat, eum qui imbecillem adeò habeat viſum, vt neque ea quæ ante pedes ſunt videat, ſed opus habeat manuductore, viſu pertingere poſſe ad longiſſimo diſtantes interuallo: quemadmodum qui à longè ex pelago montes atque inſulas vident. Aut ſi quis dicat, eum qui cum aſtantibus non poſſit loqui, ita vt audiant; totis populis & caſtris loqui poſſe, vt exaudiatur. Namque mens quiddam viſui ſimile habeo: & quemadmodum hic corruptus, ne propinquiſſima quidem videt, ſanus verò vſque ad cælum & aſtra pertingit: eodem modo & prudentis animus omnes homines poteſt gubernare; at inſipientis, ne vnum quidem ſuum ipſius corpus poteſt cuſtodire, neque vnam domum. Plerique enim, qui imperium obtinent, quia ipſis licet omnia concupiſcunt: & quia in ipſorum manu eſt ius, ideò ſunt iniqui: & quia non metuunt leges, ideò neque eſſe autumant: & quia non coguntur laborare, ideò numquam ceſſant deliciari: & quia nemo eos mala paſſus vlciſcitur, ideò numquam affligere & mala facere ceſſant: & quia vna ipſis rara eſt voluptas, ideò numquam implentur voluptati dantes operam: & quia ipſos nemo vituperat apertè, ideò nihil eorum facere intermittunt, ob quæ iure malè audiunt: & quia ipſos nemo vult contriſtare, ideò aduerſus omnes ſæuiunt: & quia ira commotis omnia licet facere, ideò continuè iraſcuntur. Bonus autem Princeps contraria ſtudet. Nihil enim concupiſcit, quòd omnia ſe putet habere: abſtinet & à voluptatibus, quòd nulla non potiri poſſit, ſi appetat; iuſtior quoque eſt quàm alij, vt qui omnibus iuſtitiam exhibeat: delectatur autem laboribus, quòd ſponte laboret: & diligit leges, quòd non timeat. Atque hæc rectè ſibi perſuadet: cui enim maiore opus eſt prudentiâ, quàm qui tantis de rebus deliberat? cui accuratiore iuſtitiâ, quàm qui eſt ſupra leges? & cui modeſtia continentiore, quàm cui omnia licent? & cui maiore fortitudine, quàm qui omnia ſalua conſeruat? Et ſanè aliorum multorum Imperatori, nunc quidem quàm plurimis opus eſt ſumptibus; nunc verò exercitibus pedeſtribus atque equeſtribus, & muris, & nauibus & machinis, retenturus eſt ſubditos, hoſteſque repulſurus; & ſi quis deſciſcat à Principatu, ad obedientiam compulſurus. Imperium verò ſui ipſius nullis indiget ſumptibus, minimique eſt negotij periculique expers: neque enim ſumptuoſa, neque periculoſa eſt hominis continentis vita. At quamuis huiuſmodi ſit, omnium tamen difficillimum eſt: quoniam Sardanapalus ille omnibus decantatus habebat Ninum, habebat & Babylonem, ciuitatum, quæ olim fuerunt, maximas; parebantque illi omnes gentes in alterâ habitantes continente, vſque ad terras inhabitabiles quas dicunt: Regnum autem ad eum nihil pertinebat, non magis quàm ad aliquem è mortuis iam fœtidis. Neque enim inſipiens vmquam Rex eſſe poterit, non magis quàm cæcus viæ dux fieri; neque iniquus, non magis quàm regula curua & inæqualis, quæ aliâ opus habeat regulâ; neque timidus, non magis quàm leo animum accipere cerui, aut ferrum ceræ aut plumbi mollitiem. Cui enim fortior conueniebat continentia, quàm plurimarum in medio voluptatum viuenti, plurimâque negotia gubernanti, minimumque agenti otium, atque de ſummis plurimiſque rebus gerenti ſolicitudinem?* Hæc Dion pro prudentiâ neceſſariâ regnantibus.

Capvt II.

Dauidis & Berſabee cura, vt Salomon inſtitueretur benè.

Crebra Dauidis optimi Regis vota, *Da mihi intellectum*, obſeruarat Salomon filius: prima propterea Regni auſpicia ſapientiæ concupiſcentiâ inaugurauit: nec cupidiùs poſtulauit, quàm liberaliùs accepit. Gratiſſima Deo poſtulatio eſt rei ſibi gratiſſimæ. Nam liberaliſſimo placet dare, quæ placent magis. Ad omnium exemplar Principum, Pacificum hunc Iſraëlis Regem, cultorem ſapientiæ, cupidum, ſponſum, doctorem perhibeo; prudentiæ cenſu fortunatiſſimum, vt ſi non ipſam, ipſius cupidinem & negotiationem in hoc Principe diſcant ceteri: nec tantum mirentur Salomonis ſapientiam, quàm ſapiendi ſtudium, publicas tractaturo res non excuſabile. In primis familiares patris Dauid pro prudentiâ preces, aſſiduque laudes ſolemniter cantatæ, in æſtimabilem coniungi Berſabee & filio Salomoni ſapiendi æſtimationem fecere. Mater nihil optatius merandis feliciter à filio Iſraëlis habenis, ſapientiâ. Creberrimè inſinuabat chariſſimo nato

Digitized by Google

nato ſapientiæ pretium; dicebat *Suſpiciat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues. Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſeruabit te.* Accedebat pædagogi Nathan inſtitutio, accedebat præclara Salomonis indoles. Mirum eſt quanta reuerentia imo condebat corde, quæ mater iterabat, vſque in ſenilem ætatem memoriæ haud refigenda. Laudata aliqua tamquam oracula & prophetiam in ſapientiſſimis Parœmiarum libris legimus, opportunè huc tranſcribenda; vt miremur doctrinam feminæ, & maternam curam ſimul & diſciplinam pueri, reuerentiamque filialem; tum vt prægustemus ſalutaria Regum monitâ à prudentiſſima illa matre inſtillata vnico ſuo, à ſapientiſſimoque filio hauſta. Extremum Parabolarum caput ſic Salomon orditur: *Verba Lamuëlis Regis. Viſio, qua erudiuit eum mater ſua. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos Reges. Noli Regibus, ô Lamuël, noli Regibus ô Lamuël, noli Regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſſam filiorum pauperis. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius. Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt: aperi os tuum, decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem.* Lamuël dictus fuit Rex Salomon ab importunâ & opportunâ imprecatione matris, indentidem dicentis, *Tecum ſit Deus*, Inde Salomon cognominatus Lamuël, hoc eſt, *Cum ipſo Deus.* Diſcant matres quid imprecandum, quibuſque lactandæ natorum auriculæ ſermonibus. Quemadmodū Blancæ matris inſtitutio ſanctiſſimo Ludouico Galliæ Regi timorem Domini ingeſſit aſſiduâ hac oratione: *Fili mi, vellem te potius perire & rūpi, quàm peccare.* ſic & Berſabee iterabat, *Tecum Deus*, reuerentiam Numinis infundit Salomoni, ſuaſitque diuinæ neceſſitatem opis. Porrò Salomon, qua pietate verba matris coluit? Viſionem ſeu prophetiam dixit illa, non tamquam è muliebri ingenio prolata, ſed velut è diuino ore reſponſa. Et quidem vtiliſſima illa monita tantum merebantur titulum. Temperantiam in primis mater commendauit filio regnaturo, tum ſui, tum conſiliariorum Principum; deinde cauſſas imbellium, res pauperum, lites pupillorum, quorum partem agere Rex debet: mox affabililitatem; tandem æquitatem & cultum iuſtitiæ, maximè in rebus egenorum: Quæ dum ſeruauit Salomon, feliciſſimum, maximum & optimum egit Regem. Accedebat (vt ad propoſitum regrediar) inſtitutioni parentum & pædagogi Nathan, eximia pueri Salomonis indoles; &, quod plus eſt, accedebat gratia Dei, quæ excellentiſſimum adornabat Regem cupidine ſciendi.

Prouerb. 4.

Prou. 31.

Cupido ſapientiæ in Salomone.

His ardens Salomon, preſſuſque Imperij pondere immaturis annis grauiore, vnum ſuſtinendi portandique Regij oneris robur prudentiam ratus, vltra humanam calliditatem à cælis expectauit, cupidiſſimè poſtulauit: quot ſacrificiis? decem hecatombas ſimul mactauit. quot precibus? quot votis? quot ſuſpiriis? quot gemitibus? quot lacrymis? ipſe ait: *Manus meas extendi in altum, & inſipientiam eius luxi.* adeò concupiebat, adeò ardebat prudentiam, adeò deperibat ſapientiam, vt eius amorem & cupidinem per ſomnia verſaret: nam

Eccli. 51.

Quæcumque mentis agitat infeſtus vigor,
Ea per quietem ſacer & arcanus refert
Veloxque ſenſus. ——

Seneca in Octauiâ.

Nihil antiquius habebat, nihil cupidius, quàm Regiâ dignitate dignam amplexari ſuauiarique prudentiam. Cùm nuptiarum ſubibat cogitatio aut ſermo, hoc occurrebat reſponſo, nullam priùs ducturum ſponſam, niſi ſapientiam. Sic ipſe teſtatur: *Melior eſt ſapientia quàm vires: & vir prudens, quàm fortis. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute meâ, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Quid* enim *ſapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? ſi autem ſenſus operatur; quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex? Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum; ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis: diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubdita. Timebunt me audientes Reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa.* Credo non ita Iacob Rachelem deperiiſſe, ac Salomon ſapientiam:

Sap. 6.

Sap. 8.

Sed & remedium ceterarum cupiditatum votum ſapientiæ fuit bono iuueni: hæc vna omnes intercipiebat affectus, cupiditates eludebat: *Quoniam*, inquit, *antecedebat me iſta ſapientia*, ad concupiſcentiam ſcilicet & poſſeſſionem omnium bonorum. Subibat amor vitæ? occurrebat ſtatim ſapientia immortalitatem donatura: *Immortalitas*, inquiebat *eſt in cognatione ſapientiæ.* Subibat ambitus regnandi, cupido diuitiarum; obuiàm ibant maieſtas & opulentia ſapientiæ. *Præpoſui*, inquit *illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus: quoniam antecebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam omnium horum mater eſt. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.*

Deliciæ Salomonis ex ſapientiâ, & diligentia pro illâ.

Sap. 7.

Sap. 8.

Sap. 7.

Poſt caſtiſſimam ſapientiæ cupidinem adiecit diligentiam; nullum lapidem non mouit, adepturus pulcherrimam ſponſam, cuius locupletiſſima dos theſaurus rerum omnium. Labores & procationem ſuam ſic Salomon indicauit: *Quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere.* Hic circumcirca curſitandi labor, proci eſt obambulantis ſponſæ fores. Cantacuzenus ſic intellexit: Dum diu multúmque elaboraret, dum ſe in omnibus honeſtis actionibus exerceret, dum

Sap. 8.

omnes

Digitized by Google

omnes qui ſapientia & virtute præditi eſſent, alios obſeruaret atque ſuſpiceret, alios etiam in Magiſtrorum ac Pædagogorum haberet loco, ac prorſus in hoc ſtudium totus incumberet. Poſt tot vota, ſuſpiria, lacrymas, poſt tot labores pro ſapientia, poſt tot amores ſapientiæ, modicum ſe dixit laboraſſe. Credo, quemadmodum Iacob, parui omnia præ amoris magnitudine feciſſe.

Eccli. 51.

Ex ſapientiâ auſpicia Regnorum.

Has delicias, hos amores, hos cupidines ſapientiæ omnibus cupio Principibus, ad fideiuſſionem felicitatis regnandi. Primatus fortunæ ſapientia eſt: nullum ſceptrum auſpicatum ſine illa. Fortunam ſic ipſa promittit, vt pulchrè Pulchatellius:

Imperî nullam manus vlla molem
Appetit, nullam ſine me coronam
Induit Mauors, ſtabiliue Regnum
Culmine firmat.
Quò ſuos flectat fugitans videri
Vita Mæandros, video; nec vllas
Fraudis ambages mihi celat aui
Lubricus error.
Obſtetrix fetæ vocor vna ſortis,
Ante maturam parientis horam:
Certa contemplor dubiâ retruſum
Pignus in aluo.
Sæpè cùm fetu dare ſemiparto
Cœperit riſus; reliquum cauebo.
Namque pars triſtes generanda ſeruat
Vltima luctus.
Me ſuos tardat medicante partus,
Et meo partus abigit veneno.
Ille quàm multos hominum timores
Fallit abortus!
Me roga, monſtris veterum gemellis
Aucta quid niſu ferat illa primo,
An γλωττοτυφλῶν *genus, an furentum*
Πυθογλώττων.
Nomen horreſcis? Colubros vocaui
Voce fraternos merita; ſed alter
Virus aſpectu iacit; alter imâ
Cuſpide caudæ,
Ite qui Regnis ſine me potiri
Vultis, & ſceptris geminare mundum:
Ite palantes Stygis in propinquo
Margine mentes.

Fortuna, ſi vllâ re, conſilio coërcetur. tela, manus, vis non vincunt induſtriam: non ita facilè verſant molem Imperij, nec ſalutem publicam fabricant, ſicut deliberatio. Regnum enim, quod ſummum eſt humanarum rerum, ſummâ geri prudentiâ oportet imo diuinâ.

Capvt III.

Antiquorum Regum certamen pro ſapientiâ.

NOuerant hoc Orientales illi Reges coæui Salomoni, omnes ſapiendi ſtudio & certamine ardentes, omnes proinde pacifici: pretioſum enim artificium ſapientiæ, pax eſt, populorumque tranquillitas ac ſalus,

——— *dare*
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus: petitur hac cœlum via.

Hiram Rex Tyri ſapientiſſimus, charus Dauidi & Salomoni: Regina Æthiopiæ, ſiue Maceda, ſiue Nitocris ſcientiſſima feminarum, cupida & auara ſapiendi, longa confecit itinera. Alij Reges ſingulis quibuſque annis Salomonem in Ieroſolymitanâ aulâ docentem, non ob aliam negotiationem quàm ſapeindi, conueniebant: qui adire non poterant, legatos ſufficiebant, audituros pro ſe hunc Regem. Nam & docere, & diſcere, vtrumque Regium eſt. Belliſſima Regum æmulatio pro prudentiâ, arte ſuâ. Crebri illis aureis temporibus, vbi pax & ſalus dominabatur, congreſſus Principum pro ſapientiâ. multa certamina, quæ interceſſere Regi Ægyptio, & Æthiopico, Græci ſapientes ſciunt. tunc Regni apud Barbaros heres ſapientior erat, conſanguinitate corporis poſthabita cognationi animi, ſapientiæ. Non iniquum omnino, ad propinquiorem mente quàm carne deuolui Imperium, prudentia non robore moderandum. Noque naui proficiendus eſt, qui pulcher, qui roſeus, qui præcerus, qui benè conſtitutis membris, qui diues, qui muſicus, qui cognatus nauclero mortuo, ſed qui arte nauigandi pollet. ſic ad gubernacula publica nullus aptior, quàm prudentiæ artis Regiæ gnarus; ſin minùs, diſcipulus aut cupidus. Platonis & Abimeſeri eſt: *Cùm gentis alicuius bona vult Deus, ponit in eius Regibus ſcientiam, aut Regnum in eius ſapientibus.* Quare tractaturo publicas res prima poſt pietatem cura prudentiæ ſit: hanc non in deliciis, non in ludis, non in otio reperiet. ſapientia enim partim accipitur, partim inuenitur; comparatur ſtudio, accipitur è cœlo, inuenitur experientiâ, imò ſimul comparatur, accipitur, inuenitur ſapientium hominum vſu. In hoc laudandi nonnulli præter Perſicos Reges Hiſpaniæ Principes, doctiſſimorum pro illo æuo prudentúmque familiaritate deliciari. Quare regnandi peritiam quærat Princeps labore, obſeruet ex euentibus, poſtulet à Deo. Apud Hali.

Capvt IV.

Regius aſſeſſor eſt prudentia, non mundana.

CEterum, quæ prudentia illa eſt, tam dulcis optabiliſque Salomoni, tam neceſſaria Regibus, vt vtilis Regnis? non calliditas mali, non aſtus, non diſſimulatio. Grande Politicorum ingenium, & ingenioſa perfidiæ machina, qua

Tetrius nihil halat os Auerni,
Nil Cocytia tetrius vorago.

ſed in nitido animo cœleſtis radius, purus, ſimplex de bono publico multùm, de priuato nihil merens. Hanc elegerat Salomon ſic deprecatus Deum: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.* Illa Sap. 9. eſt ſapientia digna animo Regio, quæ diuino aſſidet throno: hac eâdem afflari bonus iuuenis optat, hanc ſibi aſſeſſorem regnanti cupit, Quemadmodum communes Iudices minùs periti legum, aſſeſſore aſſumpto, emendant imperitiam legum: ſic Rex generalis totius Regni iudex, aſſeſſore ſapientiâ eget: nihil inconſultâ ſapientia, nihil non ſuffragante decernat, & ſicut nemo in ſua prouincia, ſed in aliena aſſeſſorem

Digitized by Google

ſeſſorem legitime aget: ita Salomon cæleſtem & immortalem ſapientiam aſſiſtricem cupit iuti mortalibus ritè dicundo. In illo quod adiecit, *Noli me reprobare à pueris tuis*, etiam pluſquam humanâ ſcientia perit meritum regnandi, Cantacuzenus pueros intellexit, Angelorum Deo aſſiſtentium ſupremos ordines, Cherubinos atque Seraphinos, qui recentem carpunt diuinum radium in inferiores perfundendum. ſic Rex, magnus hominum Angelus, pater, cuſtos, illuminator, hauſtam diuinitus ſapientiam refundet in Regni ſalutem.

Ibid.

Qualis prudentia digna ſit Regio animo.

Mox ait: *Mitte illam* (ſapientiam) *de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſuâ potentiâ. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè.* Non putet Princeps procurari ſalutem publicam poſſe, niſi bonis artibus, atque acceptis Deo operibus & conſiliis, non calliditate humanâ, non otio, ſed labore, & collaborante ſinceriſſimâ prudentiâ. Iſta ſapientia eſt arcana ars benè gerendi res, norma ſalutis, lux operum, dux vitæ, prima lex Regni, phoſphorus iuſtitiæ, obſes pacis, columna diuini luminis, diuinus boni inſtinctus; &, vt Abimeſer ait, clauis totius vtilis, ac vis totius ſpei. Nec enim in Regibus requiro ſubtilitates Philoſophorum; nec calliditates mercatorum, ſed integrum, ſolidum & auarum boni iudicium: augures eos volo mali, tenaces recti, ſequeſtros veri, auſpices æqui; in quibus magis videatur Philoſophia, quam audiatur. Aureus Philoſophus Chryſoſtomus dixit, non omnino neceſſarium Regibus eſſe philoſophiam attingere ad ſummum, ſed ingenuè & ſimpliciter oſtendere ipſis factis morum humanitatem manſuetudinemque, & iuſtitiam inſuper, & excelſum animum & fortem, & præſertim gaudentem, ſi quid benefaciant. quod quidem proximè ad Deorum naturam accedit. In illos autem ciuilem ſapientiam dolis extruunt, ſimulatione fundant, ſceleribus fulciunt, miſeriis felicitant, & ſuis felicitatibus infeſtant, ſatis eſt iaculari, quod Sapiens contorquet in huius politices complices: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Viderint quàm ſanctè res agentur ſimulando, aufugiente Spiritu ſancto. Videant ſe hoc telo ſauciatos clari Politici. mihi enim videtur maior illius prudentia, qui fallere non velit, quàm qui falli non poſſit.

Sap. 1.

Innocens & veridica prudentia Principes decet.

Sed & illos, qui ſine legitima religione aliquam adepti ſunt felicitatem, iuuit virtus, aut virtutis affectatio, ſine dolis artéque fallendi: hoc eſt cum ſimplici, nitido, innocenti animo, prudenti tamen. Exhibeo cum Senecâ Fabricium, triumphalem virum, ſuæ paupertatis innocentiæque amantiſſimum, illum qui *Pyrrhi Regis aurum repulit, maiuſque Regno iudicauit, Regias opes poſſe contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum ſe Regi daturum, monuit Pyrrhum, caueret inſidias. Eiuſdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati ſumus ingentem virum: quem non Regis, non contra Regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem; quod difficillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſtes nefas: qui in ſummâ paupertate, quâ ſibi decus fecerat, non aliter refugit diuitias quàm venenum. Viue, inquit, beneficio meo, Pyrrhe, & gaude, quòd adhuc dolebas, Fabricium non poſſe corrumpi.*

Seneca Epiſtol. 120.

Non tantùm eſt prudentis, falli non poſſe, ſed nec velle fallere: imò iſta portior maior ſenſus: nam ſapientior eſt qui aliis nocere neſciat, quàm qui ſibi ſciat prodeſſe. attenta ſolius boni ſui cura, ſine malis artibus non eſt; ſinceritas tamen concordat ſui & aliorum curam. cum hac

Sapiens pol ipſe fingit fortunam ſibi.

Orientalium Cæſarum Logotheta vitream in Scaramanico ſuo imaginem Imperatoris geſtabat. Credo ob puritatem, perſpicuitatem, ſinceritatemque neceſſariam animo Auguſto, qui totus ſine pudore videri poſſit, limpidus, conſpicuus, nullis obſcurus dolis. Exemplo Vladiſlai Regis Hungariæ diſcant Reges ſinceritatem, fidem & religionem etiam erga Barbaros. Hæc Bonfinius de hoc Principe narrat. Amurates cùm ſuos in pugnâ Varnenſi ab Vladiſlao Rege Hungariæ, qui violato fœdere prior bellum fecerat, non ſine magnâ cæde fugari conſpicaretur; ad expianda violatæ fidei piacula, ad vlciſcendam Chriſtianorum perfidiam, ad vindicandum ius reſciſſæ pacis, depromptum è ſinu codicem initi fœderis explicat; intentiſque in cælum oculis, Hæc ſunt, inquit ingeminans, IESV Chriſte, fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere, per Numen tuum ſanctè iurarunt; datamque ſub nomine tuo fidem violarunt, perfidè ſuum Deum abnegarunt. Nunc Chriſte, ſi Deus es (vt aiunt, & nos hallucinamur) tuas meaſque hîc iniurias, te quæſo vlciſcere; & his qui ſanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas oſtende. Vix hæc dixerat, qui vltimum in ſe impetum expectabat; cùm prælium, quod anceps & dubium priùs fuerat, inclinare cœpit. Nam camelorum onerariorum interuentu à cæde ad prædam Hungari animos conuerterant. Tandem trucidato Rege Vladiſlao, Hungari in fugam coniecti, nobilem victoriam Amurati reliquerunt. Patres quoque Toletani Cœtus octaui ſinceritatem Regij conſilij valdè requirunt; neque piget adducere alia præcepta eorumdem. *Habeant*, inquiunt, *Reges in regendo corda ſolicita, in operando facta modeſta, in decernendo iudicia iuſta, in parcendo pectora prompta, in conquirendo ſtudia parca, in conſeruando vota ſincera; vt tanto gloriam Regni cum felicitate retententur, quanto iura regiminis manſuetudine conſeruauerint.*

Lib 6 decad. 3.

CAPVT V.

Conſilium præſtantiſſima pars prudentiæ Regiæ.

VErum quia non ſemper plenum, & tam ſaturum ſapientiæ iubar Principi præfulget, haud potenti vnius ſui viribus ingenij verſare molem ſalutis publicæ; illud optet etiam, illud habeat, quod exoptauit Salomon, cor docile, facilè;

facile, tractabile, parens honeſto, cedens ſaniùs conſulentibus. Ad exemplum Regiæ indolis, auidæ conſilij audiendi, & ſui ſenſus parum tenacis, vidit Michæas filius Iemla Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris: qui conſilia requirebat ab ſpiritibus; ſingulorum audiebat ſententias; probauit tandem, ſecutuſque eſt vnius aſturiam. Ergo Senatum pro coronâ, pro mente, pro animâ, pro ſenſu ſuo habeat Rex: quemlibet Senatorij ordinis putet commiſſuram ſui animi, aut vnionem ſuæ coronæ, non minori delectu exquirendum, non adulterinum, ſed nitidum, fidelem, etiam ex longinquo comparandum, vndequaque concupiendem. Dion Chryſoſtomus ait abſurdum eſſe, ex inſulis equos arceſſere, quòd meliores ſint Theſſalicis; & canes ex Indiâ; hominibus autem ſolis vti vicinis,

Quærat Princeps Regio conſilio Regios etiam animos, velut ſui animi fruſta, & eiuſdem ſecum coloris, ſapientes, prudentes, ſcientes, expertos, fidos, amicos, magnanimos, timentes Deum. Hæ optimi conſiliarij dotes, imò & optimi Principis. Sapientia deſideratur præſtituendo fini penetrandóque; prudentia inueniendis medijs; ſcientia cognoſcendo iuri, & legibus, quarum imperitia obſtare poſſet; experientia illuſtrat multa, & magna prudentiæ eſt acceſſio. Hæc requiruntur, ne fallatur; poſt hæc, ne fallat, neceſſaria eſt fides ſaluti publicæ, cui magis velit bonus Princeps fidelem ſuum miniſtrum, quàm ſibi. deinde amor, ne minùs quàm ſibi prouideat Regi; imò vt confidenter ſententiam dicat, maximè ſi magnanimitas accedat, ne humana timeat. tum etiam, vt magna moliatur; nec, quia ardua conſilia, ſtatim damnet. Timor Dei pro his omnibus fideiubebit; quanto enim oportet non timere homines, tantò eſt neceſſum timeat Deum, ſine quo nulla dos animi, nulla fides pectoris, nullus amor ſecurus eſt. Timor Dei præs eſt & fideiuſſor omnium virtutum: hunc conſulant omnes, qui conſulturi ſunt, ſedendo, cunctando; & implorato Numine auſpicatiſſima conſilia erunt. Optimè Tranio dicebat:

Sic tamen hinc conſilium dedero, nimio plus ſapio ſedens:
Conſilia firmiora ſunt de diuinis locis.

Iuuat præterea mentem voluntas bona, quam Ariſtoles ad prudentiam requirit: hanc bonam voluntatem timor Dei fundat, tum quia Deus fortunat conſilia ab almo, grato ſibi, ſéque timente pectore prolata. Nam quæ ipſe afflat in conſentaneum ſibi organum, tenetur ad exitum perducere, quaſi propria excogitata, quaſi oracula: quæ autem calliditas & aſtutia humana expectorat, non ita merentur diuinam opem. & ſi accedant praui mores, hos punit infelicitate ſuæ argutiæ; qui, vt veriſſimè Eliphaz Themanites dixit: *apprehendit ſapientes in aſtutiâ eorum, & conſilium prauorum diſſipat.* & iuxta Iſaiam, *conuertit ſapientes retroſum, & ſcientiam eorum ſtultam facit.* Idem delectus in creandis Præfectis & Prætoribus adhibendus. maximè probatiſſimos Eccleſiis præponat.

Caput VI.

Quo pacto Principes velut immenſi fient.

HOs exquiſitos amicos adſtringat ſibi Princeps, tot oculis, tot auribus, tot mentibus attenturus ſaluti communi. Hi ſint pro Otacuſtis Perſarum, ad remedium Regiæ mentis: humana eſt, oportebât eſſe diuinam immenſámque. Apuleius ait: *Aures Regiæ, & Imperatoris oculi, quidam homines vocabantur: per quæ officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cùm omnia, quæ vbicumque gererentur, ille Otacuſtarum delatione diſcebat.* Apud Hebræos Principes eumdem morem odorantur aliqui. In libro Regum ſecundo: *Sermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam, & Prophetam, & Videntem Dauid*, id eſt Dauidis. Vocabatur Hebræis Videns Regis, qui Perſis oculus Regis viſurus ſcilicet pro Rege. Prudentiſſimus Dauid eos viros ſufficiebat, attenturos pro ſe, & conſulendos, qui Spiritu Dei imbuebantur, Sed & Romanos miſiſſe per Prouincias ſubauſcultatores, in Ariſtidis Orationibus inuenio. Quod etiam in Valentiniano Imperatore ſanctiſſimus Ambroſius commendauit. Similem gloriam metitus Ioannes Tertius Luſitanus, certiſſimam benè regnandi methodum à Deo, quem dubijs in omnibus fidenter conſulebat, hauriebat; & à fidis monitoribus, quos ad indagandum quid ſiniſtris ſermonibus in Rege vulgò carperetur, ſubmittebat. Itaque multianimis, multimembris, immenſus debebat eſſe Princeps. hoc per miniſtros comparabat fidos, amicos, comparatos beneuolentiâ, electos diligentiâ. Quot enim amicos quis poſſidet, tot oculis ea quæ vult, videt; tot cogitationibus cogitat de iis quæ conducunt. non enim eſt aliud, quàm ſi cui Deus vnum corpus habenti multos animos dediſſet, qui omnes ipſi prouiderent. Adiicit aureus Cynicus in tertio de Regno ſermone: *Quid? quod omnium eſt incredibiliſſimum, cùm ſit vnus, multis ille præditus amicis, multa ſimul poteſt in vno tempore facere: de multis ſimul conſilium capere, multa videre, audire. Quomodo non ſit beatiſſimus, cuicumque licet multis corporibus ſimul voluptate & lætitia frui, multiſque cogitationibus curare & conſultare multiſque animis fortunato eſſe?* Accidet hoc cùm Conſiliarij & Præfecti amici veri ſunt qui plus Regem ament, quàm Regia dona, qui Regi potiùs, quàm ſibi proſpiciant, qui nemini præter Regem. Iſta cura Perſarum Principibus fuit. Heliodorus enim libro vltimo Æthiopicæ hiſtoriæ ſcribit; *Perſarum Regijs aulis oculi ſunt & aures, eunuchorum genus; qui cùm neque liberos, neque cognatos habeant, quibus eorum animi deuincti eſſe poſſint, pendent ex eo ſolo, qui ſe illis credidit.* Qui autem quærunt ſua, Lampridius inquit, ſunt qui Principes perdunt, qui eos à populo ſemouent, qui ſolùm internuntij ſunt, aliud quàm reſpondetur ſæpe referentes, claudentes Principem ſuum, & agentes ante omnia, ne quid ſciat. Ille idoneus lateri, & auri, & cordi Regio; qui, vt Sidonius inquit, ſit à diuitibus ambitus, nec diuitias ambiens, cupidus ſcientiæ continens pecuniæ.

Digitized by Google

Caput VII.

Veritas exulat aulâ.

Verum, quia

Fugit potentum limina veritas,
Quamquam ſalutis nuntia;

oportet viris Principibus ingeri amorem veritatis, amorem veridicorum, vt dulciter hauriant rem multis amatiſſimam, quærant veritatem è ſuis tectis profugam. Audiant Galenum, in eâ tractatione quam de curandis animi ægritudinibus ſcripſit, iudicia iuſti hominis & veridici ex odio aulæ veſtigantem. hanc virum bonum & amantem veritatis cognoſcendi methodum præſcribit: *Vt de illo*, inquit, *poſſis ferre iudicium, num ſit talis, qualis eſſe perhibetur, huiuſmodi periculum fac. Primùm, ſi videas ab homine & diuitum, & apprimè potentum, aut etiam Principum ac Tyrannorum, ædes frequentari; pro comperto habeto, te fruſtrà audiuiſſe hominem omnia vera dicere ſolere (obſequia quippe iſtiuſmodi mendacium ſequi conſueuit:) deinde ſiue id genus hominum ſalutantem, ſiue illis ſe ipſum comitem exhibentem, conuiuiiſque illorum ac cœnis inferentem conſpicias. Quiſquis enim huiuſce generis vitam ſibi ſequendam propoſuit, non ſolùm non verax eſſe conſueuit, ſed etiam omnem malitiam habere neceſſario: quippe qui aut pecuniarum, aut principatus, aut gloriæ, aut honorum ſit cupidus, & vel aliquibus horum ſeorſum, vel omnibus inſidietur. Quem verò neque ſalutare, neque comitari id genus hominum, neque cum valdè potentibus ac diuitibus cœnitare, ſed frugi ac temperato victu vti ſolitum compereris, ſperaueriſque veridicum, conare hunc quoque profundiùs cognoſcere.* Hæc ille. Circumſtant Principes auari, ambitioſi, mendaces, in ſummâ, adulatores; qui cum fortunâ Regum libentiùs, quàm cum ipſis Regibus loquuntur: nam prætetquam ſit multi laboris perſuadere vtilia potentibus, non accideret ex votis aulæ; aſſentatio autem tantò ſecutior & quæſtuoſior aulicis eſt, quantò Principi magis noxia, Principatui letalis: quia tantò hæc gratior, quantò inſenſior veritas. Henricus IV. Caſtellæ Rex veritatem quondam ſe monenti iuſſit linguam præcidi, & in exemplum ad patibulum oſtendi populo. Oſtendit tamen cælum miro prodigio dilectam ſibi, quam homines oderunt: elinguis ille elatâ inſonuit voce, conteſtatus linguam illam ſuam eſſe, veridici nomine gloriatus, & glorioſus. Alienum animal aulæ illud; mendax, paraſitus, palpo indigenæ, obuij, plures. Anne omnes? omnes tamen timendi:

Adulatio peſtis animorum. Timeantur hæc monſtra, hæ Regnorum Regumque peſtes, aſſentatores. Præſentabo, vt conſternentur Reges, quæ per excellentem multis virtutibus feminam Birgittam monuit Chriſtus quemdam Regem, vt à ſe abſcinderet & procul iaceret aſſentatorem & politicum miniſtrum, ſagacitate & aulæ artibus inſtructiſſimum,
Reuelat. lib. 8. cap. 16. quemadmodum multi hodie. *Si amicitiam* (inquit Iesvs) *meam quærit inuenire Rex, caueat & recedat ab amicitiâ & conſeruatione illius. Non tribuat ei vnum minimum paſſum terræ, quam ille quærit ab eo. Non iuuet eum hominibus vel muneribus ſuis. Quia ille vellera habet ouina, ſitim inextinguibilem, & fraudis venenum in corde. Si vero Rex audierit conſilia eius, & vult amicitiam eius, & diſſoluerit ſe cum eo confidendo plenariè de eo, reprobabitur à me, & erit prouerbium & ridiculum multorum, dicentium: Ecce Rex ſimilior eſt aſino coronato quàm Principi. Et etiam timendum eſt ei, ne cum dolore amittat Regnum.* Hactenus Iesvs. Adeò infenſus Deus adulatoribus, ſcilicet mendacibus, fallentibus, contrario prorſus ingenio veracitati ſuæ ſimplitatique. Adulatio ſiquidem

Artes nocendi mille tegit
Imbuta: quis tam lynceus aſpicit
Quod vitet? inſenſus canentis
Mercurij numeris, ſopore
Centena claudens lumina, ſenſibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitij graue præbet Argus.

Tot malorum grauidam adulationem Ioannes Satisberienſis æſtimauit, cùm ait: *Et licet adulari, quem licet occidere.* Tantundem conuitij immerita laus eſt, nec vnum digitum à maledictione adulatio diſcedit. Lego apud Salomonem, laudem vocari maledictum. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, maledicenti ſimilis eſt.* Proverb. 17.
Accedat argutia Galfridi: *Nox eſt vita iſta mortalis ignorantia tenebris tetra, & culparum obſcura caligine; in eâ tamen conſurgens amico ſuo voce grandi benedicit, qui in vitâ ſuâ laudare hominem, & non parcè laudare præſumit. Itaque ſimilis eſt maledicenti, dum inutiliter vtilem ſomnum excutit, & beatificans errorem inducit, vel non recipienti miſero moleſtus lucem ingerit, quam ille non diligit.* Hæc ille.

Soror adulationis detractio eſt, quæ iam (Guerricus eleganter dixit) magis in vſu quàm in crimine eſt. Eodem Principi faſtidio damnandi maledici, vultu in hos ſolùm & fratres *Detractores exterminandi.* blanditores acerbo: nam ſi latrones inſectatus eſt, cur non optimi boni fures, inutiles ſibi, famæ raptores? Placet audire Gillebertum in liuidos maledicorum candidatos inuectum. *Quid tu inuidia alienum vis corrumpere bonum? Numquid tibi adiicies quod ab alieno decerpis? Ita forſitan, ſed ſi corporalis aliquid pecuniæ ſubtrahas. Non ergo in clauſtralibus rapacitatis huiuſmodi vitium vereor. Eſt ſubtilius quoddam rapacitatis genus, inuide? Quid enim? Rapacitatem non putas, ſi pecuniæ parcis, famam decerpis? Aliena ſi corrodis bona, quid inde tibi accreſcit? Euidenti forſitan veritate alienæ virtutis conteruntur in ore tuo dentes, quos ad derogandum paraueras. Non audes corrodere, non tamen potes collaudare. Sed numquid non ideò rapis? Grauis rapacitas, cùm veram alterius gloriam, etſi mendacio non corrumpis, ſilentio tamen ſepelis. Vis audire in ſola etiam æſtimatione rapacitatem? Non rapinam, inquit Apoſtolus, arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Inuidam animam non poteſt intrare æſtimatio boni de bonis alienis. Non vult enim intelligere quòd alius benè agat. Vt quid iſtud? niſi quòd liuor, dum priuatam ſemper excellentiam cogitat, alienam obſcurat?*

Caput VIII.

Magna prudentiæ pars ſilentium.

PRæterea prudentiæ decus eſt ſilentium; magnum gerendis fortunatè rebus ſacramentum, venerandumque Maieſtatis myſterium. Petro Aragonio familiare hoc fuit: Comburam intimam tunicam, ſi conſiliorum meorum gnaram eſſe ſciam. Prudenter quoque Alphonſus Aragonius & Neapolitanus Rex ſolitus dicere: Si priſcis Romanorum æuis vixiſſem, Senatum hortatus fuiſſem, ante fores Curiæ extruere Aram Ioui Poſitorio, in quâ Senatores ingredientes priuatos affectus, egredientes verò ſecreta conſilij deponerent. Compenſat ſæpè ſilentium maiorem calliditatem, egregia vincit conſulta. Optimum deſtruxit
2.Reg.17. Chuſai conſilium Achitophel callidiſſimi viri, quod ad huius rei myſterium argutè flexit Hugo de Foilleĉto: Nam, inquit, Chuſai interpretatur ſilentium. Valentiores hoſtium artes ſuperat ſecreta ſinceritas. Huius virtutis delectum maximè habendum in allegendis Regiis miniſtris conſulit Henricus Luſitanus Rex Cardinalis, ad imitationem Chriſti, iubentis Apoſtolos tacere honores transfigurati ſui corporis. Pulchram Sereniſſimi huius Principis ſententiam concidere nefas duxi; integram do: *Magna ſanè ac laudabilis Apoſtolorum taciturnitas, quòd hæc tam magnifica, quæ in vulgus ſparſa, & Redemptori, & ipſis magnum nomen exiſtimationemque conciliaſſent, ſecreta ſeruare maluerint: vnde apparet quàm rectè tres hi aſſumpti fuerint. Aliàs cùm poſt miracula perpetrata, ea Dominus ſecreta ſeruari vellet iuberetque ſanati quò magis prohibebantur, hoc ea ampliùs diuulgabant. Hanc diuinam, de quâ principio diximus, Chriſti ac Dei & hominis prudentiam, Reges ac Principes quiuis imitari, & homines ſe eſſe, & Reges meminiſſe, & oſtendere deberent, inter ſeſe & ea quæ priuati hominis, & quæ Regis ſunt commiſcendo, priuatique hominis virtutibus, quæ peculiares Regibus, maximeque ad regendum accommodatæ, coniungere: nam priuati hominis virtutes baſes ac fundamenta ſint oportet, ſuper quæ tota ſtructura Regiarum Imperatoriarumque virtutum culmen innitatur: nam ſi ſolidum fundamentum huiuſmodi non ſit, quidquid ſuperſtruxeris corruet. Debent & Principes eiuſmodi ſibi deligere, qui his Apoſtolis aſſimilentur; cum quibus quantumuis magni momenti negotia & ſecreta communicare audeant, & de agendis tutò conſultare: qui licet ditiſſimi ſunt, pro illius tamen communique ſalute omnia priuata poſt ponere parati ſint, vt nec proprio filio, ſi ita res poſtulet, parcere, ſed pro Regis & Reipublicæ ſalute eum immolare non inuiti velint; quique in veritate tractandâ, in ſecreto celando, aliiſque virtutibus, ſimiles Apoſtolis appareant: qui nec de tabernaculis, nec de manſionibus cogitabant quidem, niſi conformiter ad eorum merita, quæque Domino præſtiterant obſequia.* Hæc Henricus Rex. Ceterùm poſt ſilentium diſſimulatio eſt, honeſta quidem & vtilis: interdum ipſam diſſimulare prudentiam, maxima prudentia eſt.

Lingua modus. At qui prudentiam celat, altero ſilentium merito obſtringit: nam præterquam decreta celando illam fortunat, ſuo etiam decore comit, & maieſtate induit. Omnia quæ Regem exornant, Regia oportet eſſe: quare & prudentia cum maieſtate ſit, cum ſuâ purpurâ ſilentio, cum linguæ modo, cuius vſum Regio ore dignum ex Petri Damiani pulcherrimo documento deſcribo. *Sit lingua noſtra modeſta, ſobria, diſcreta, pudica, ſit ori noſtro ſaliua virgo die creſcente; & niſi vtilitatis occaſio præbeatur, vſque in craſtinum, ſiue perendinum diem, incorrupta ſeruetur. Ponamus ori noſtro cuſtodiam, & oſtium circumſtantiæ labiis noſtris. Anceps non emittit accipitrem, niſi anſerem videat: & vir prudens dimittit linguam ſuam, ſi loquendi neceſſitas non aſſiſtat? Dedignatur venator catulum ſoluere, niſi lepus appareat: viliorem habet* Princeps *linguam ſuam, quam ad nullius ſalutem vel commodum inutiliter ſoluat? Sudat lapis in manu oppugnantium mœnia: incaſſum volat verbum de ore ſtantis in ſanctâ Eccleſiæ diſciplinâ? Arcus flexis cornibus fruſtrà non intenditur: & rationale os ad effundenda irrationabilia paſſim relaxatur? Parcitur pharetræ, ne ex eâ ſagitta non leuiter exeat; non parcitur linguæ, vt mordax in quemlibet verbum, velut ictum vulneris, non infligat? Quid ac hoc dicimus? Excuſari certè non poſſumus. Facilius eſt enim tacere quàm loqui.*

Caput IX.

Adhibenda eſt diligentia conſiliis.

COmplectitur quoque prudentia curam & & diligentiam, neceſſariam ſapientiæ appendicem, ſine quâ infeliciter conſulta accident: fida enim prudentiæ fortuna ſolicitudo eſt. Incaſſum omnia decreta ſine euentu ſunt, euentum autem proſperat, & ad optatos trahit exitus, conſiliáque manuducit obſtetrix felicitatis diligentia, quam tamen multæ curæ extorqueant: velut enim Promethei obligati annullo Regius ales viſcera fodicabat; ſic Principis legitimi, & ſuo muneri adſtricti, auguſtæ cogitationes & conſilia felicitandi Regni, præcordia vrgent corona memoriam aduertit vinculo-Promethei. Æſchylus in Sphynge dixit:

Τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανος ἀρχαῖον στέφος
Δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.
Corona ſertum detur antiquum hoſpiti,
Referens Promethei vinculorum imaginem.

Lepidè quoque Purpuratus Lyricus:

—— *Vita potentum*
Eſt Regale epulum; ſed puer â ſcyphis
Circumfert pateram ſolicitudinum.

Omnia negotia publica duplici ſtant baſi: non ſatis eſt exordium callidium ſine calido exitu: his duabus rebus felicitantur, tardâ conſideratione, celeri opere; calliditate & calore, hoc eſt, conſilio & executione: illud eget iudicio, hæc fide: illius anima cunctatio eſt, huius feſtinatio. vtraque prudentiæ corpus, & ſubſtantia. Electio indiget maturâ & ſanâ meditatione; effectus opportunitate; quæ facili manu ad difficilia introducit. Propitia eſt gerendis rebus occaſio, impatiens omnino moræ: quare celeritatis gloria eſt maior fortunæ pars, & euentuum proſperitas. vbi negligentia eſt nulla, nulla eſt fortunæ

Digitized by Google

fortunæ pigritia. Salluſtius ait *Vbi te ſocordia ac ignauiæ tradideris, nequaquam Deos implores: irati infenſique ſunt.*

Diligentia non ſubſiſtet ſine affectu. Fulciet indefeſſam ſolicitudinem atque attentionem Regum amor erga ſuos. Aureà Petrus Rauennas dixit: *Semper amoris oculus acutius intuetur; & ſemper viuaciùs, qui diligitur, ſentit: nimirum, quia diligit; neque enim niſi charitas ſuſtinet paternas curas, & labores educandæ atque inſtituendæ prolis.* Grauius eſt Regium penſum elaborandæ publicæ ſalutis, quare ſine affectu diu non manebit. nam

Thom. Morus.

Legitimus immaniſſimis
Rex hoc tyrannis intereſt:
Seruos tyrannus quos regit,
Rex liberos putat ſuos.

Cæleſtis ſublimium ſpirituum politia, paternitas, iuxta diuinum Paulum, dicitur. Præſunt illi aliis ſolâ amoris potentiâ, fortiſſimâ vinclorum charitate conſtat imperium. Non aliter ſuperior mens inferioribus dominatur, quam pater filiis prouidet; nec aliter Rex ſuis proſpiciat. Quare

Princeps pius numquam carebit liberis:
Totus eſt Regni pater.
Princeps abundat ergo feliciſſimus
Tot liberis, quot ciuibus.

Nec aliter ſuprema illa mens & Numen vniuerſum moderatur, aut moderari vult, quàm paterno, imò materno affectu. Oſeæ 11. *Ego*, inquit, *quaſi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & neſcierunt quòd curarem eos.* Teneriùs in oraculis Iſaiæ loquitur: Iſaiæ 46. *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à meâ vuluâ. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, ac ſaluabo.* Iſaiæ 60. Apud eumdem Prophetam ſignificatur etiam felicitas Ieruſalem, quòd mamillâ Regum lactabitur. Moyſes quoque gnarus diuini guſtus, paterno affectu & ſolicitudine tractari populos volentis, dixit: Num. 11. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum?* Ergo diuinum obſeruaturus Regum, imitaturus exemplum, non vtcumque paterno ritu & amore Regnum colat; ſed quemadmodum filium pater paruulum, cùm maiori cureſt, & amori, & labori, cùm teneriùs diligitur laborioſiùs educatur, cum vlnis paternis portat, & onus ipſum dulce eſt, aliorumque laborum leuamen. Hac curâ, ſolicitudine, affectu vult tractari & ſuſtineri molem publicam dulci amplexu, tamquam pater vnigenitum mulcet infantem. Maius eſt, tamquam maternalium lactans è mamillis, quas propterea Iſaias tribuit Regibus, tamquam proprio ſanguine nutrituris ſalutem publicam, communiſque crementum boni. Non debent ſugere potentes ſanguinem ſubditorum: nec enim mater lauit cruorem filij, ſed ex ſe præbet iucundum natis ab vbere ferculum, vt increſcant cum detrimento ſui. Illud prorſus delitti & tenerrimi amatoris, non ſolùm Deum, nos vt filios habere, vt paruulos portare & infantes lactare, ſed vt fetum fouere. Nec dicit modò nos portari amplexu, ſed vuluâ, cum filius idem eſt cum matre, ſine cuius capitis diſcrimini abiungi nequit. Adeò diuinis præcordiis

& amori inuiſcerati ſumus. adeò noſtra ſalus & cura Deo intima eſt, Hoc Regibus charitatis exemplum præbuit, demulcendi, & materno animo procurandi populos.

Capvt X.

Non minùs quàm ſe amet Rex ſuos.

Addo, non tantùm vt intimam, vt rem propriam, curandum Principi publicam eſſe, ſed vt ſe proprium; non aliter quàm anima corpus. Diſertiſſimè Dion dixit: *Corpus vtpote fatuum, nec ſibi ipſi ſuccurrere poteſt, nec vt ſui ipſius curam gerat, à natura factum eſt; quandoquidem animâ relinquente, neque modicum temporis poteſt ſubſiſtere, ſed confeſtim ſoluitur atque perit. Anima autem pro ipſo omnia curat, omneſque machinas mouet; & plurimum diſcruciatur afflicta. Et corpus ipſum quidem præſentem dumtaxat ſentit dolorem; anima autem priùs quàm dolor adueniat, diſcruciatur: ſæpè etiam quando tantùm futurus eſt, trepidat mortemque corpus numquam ſenſit; anima autem & hinc intelligit, permultaque patitur, eripiens corpus ex morbis, & omnibus aliis calamitatibus.* Orat. 3. de Regno. Ratio quoque capitis petit amari ſubditos à Principe, non minùs quàm artus, & ſua ipſa viſcera. Regnum, quaſi magnus quidam homo, compingitur amore: Princeps caput, populus membra ſunt: quot habet Rex ſubditos, tot membra numeret, tot ſui corporis partes putet; ſic doleat perdere vnum ciuem, ac reuulſum ſibi membrum. Si hoc fecerit, non minùs exponent ſe ſubditi pro Rege, quem caput ſui corporis vident eſſe.

Sed & amori ſuorum adiicere reuerentiam Rex debet: nec tantùm vt pignora ſua gratiſſimoſque filios reſpiciat, ſed ſuſpiciat tamquam filios Dei, tamquam dominos. *Rex debet reuerentiam Regno.* Hac ſapientiſſimus Princeps Salomon ratione adminiſtrabat populos, quibus famulari, Regios honores putauit. in illâ oratione, in quâ auidiſſimus ſapiendi è cælo id exſpectauit, ſic vrget Deum: *Tu elegiſti me Regem populo tuo, iudicem filiorum tuorum.* Non vt ſeruis ſuis Rex dominetur populis, ſed tanquàm filiis Dei ſeruiat. amorem amplier veneratio: debet Rex reuerentiam Regno; vt diligat, habeat pro filiis ſuis; vt reuereatur, pro filiis Dei. Agnoſcat quoque honorem ſui muneris, inter Dei filios eligi ipſorum iudicem. arbiter inter patrem & filios adactus eſt. Quamuis pro patre ſententiam dicat, ſi grauis filiis ſit, ipſum quoque patrem offendit. Exemplo Cæſaris Auguſti dabo, quem compares bono patri bonum iudicem, & & bono Principi bonum patrem. T. Arius adegit Octauianum Auguſtum arbitrum inter ſe & filium deprehenſum in parricidio, de more Romano, vbi pater filio priuatus iudex cenſórque erat. Venit Cæſar in priuatos penates, aſſedit, pars alieni conſilij fuit. Non dixit: Imò in meam domum veniat. Quod ſi factum eſſet, Cæſaris futura erat cognitio, non patris. Auditâ cauſâ, excuſſiſque omnibus, & his quæ adoleſcens pro ſe dixerat, & his quibus arguebatur; petit vt ſententiam ſuam quiſque ſcriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cæſaris fuiſſet.

Digitized by Google

Deinde priuſquam aperirentur codicilli, iurauit ſe T. Arij hominis locupletis hereditatem non aditurum. Dicet aliquis puſillo animo: Timuit, ne videretur locum ſpei ſuæ aperire velle, filij damnatione. Ego contrà ſentio. quilibet noſtrûm debuiſſet aduerſus opiniones malignas ſatis fiduciæ habere in bonâ conſcientiâ. Principes multa debent etiam famæ dare. Iurauit ſe non aditurum hereditatem. Arius quidem eodem die, & alterum heredem perdit: ſed Cæſar libertatem ſententiæ ſuæ redemit; & poſtquam approbauit gratuitam eſſe ſeueritatem ſuam (quod Principi ſemper curandum eſt) dixit relegandum quò patri videretur, Non culleum, non ſerpentes, non carcerem decreuit; memor non de quo cenſeret, ſed cui in conſilio eſſet: molliſſimo genere pœnæ contentum eſſe debere patrem dixit, in filio adoleſcentulo impulſo in id ſcelus, in quo ſe quod proximum erat ab innocentiâ, timidè geſſiſſet; debere illum ab vrbe & à parentis oculis ſubmoueri: contentus exilio delicato, Maſſiliæ parricidam continuit; & annua illi præſtitit, quanta præſtare integro ſolebat. Hæc liberalitas effecit, vt in quâ ciuitate numquam deeſt patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus meritò damnatus eſſet, quem is pater damnare potuiſſet, qui odiſſe non poterat. Ergo Cæſar iudex conſtitutus filij, tulit ſententiam patris. Ita ſe Princeps æſtimet conſtitutum à Deo iudicem inter ſe & homines filios Dei; nec aliter ius dicat, quàm Deus dicturus erat filiis.

Beneuolentia neceſſaria Regio muneri benè gerendo.

Hunc amorem & reuerentiam in Principe requiro, non tam tam vt negotietur beneuolentiam populi quàm ſalutem: conſtitutus eſt procurator & tutor boni publici. opus hoc arduum eſt. Bonum ſine amore velle populis nequibit; minùs ſine grandi amore vigilas, curas, labores præcurrentes ſuſtinere, accinctus ad magna, promptus ad difficilia, quæ niſi amor nequit tolerare diu. Sua cuique felicitas magno ſtat, multâ emitur patientiâ. Omnium autem felicitatē, quanto neceſſe eſt ſtare vni homini? Quemadmodum ad ſuam quemque venandam felicitatem agitat amor ſui per mille curas, per diſcrimina ſic ad procurandam omnium felicitatem nequit Princeps ſine omnium amore erigi: neceſſe eſt in illo vno glomerari omnium erga ſe charitatem, vt vnius amet vniuerſos, quantum vniuerſi ſingulos ſe, & quantum vnum illum. Turpiſſimum Principi eſt minùs amare quàm amari. Optimū Iſocratis ad Nicloceni monitū: *Non fieri poteſt, vt vel equis, vel canibus, vel hominibus, vel vlli denique rei quiſquam rectè præſit, niſi delectetur ijs quorum ei mandata eſt curatio.* Quare iniquiſſimum erit ferarum & beſtiarum principes beneuolentiores eſſe alterius generis ſubditis, quàm ſit Rex, qui manſuetis hominibus & ſui generis imperat.

Beneuolentia lenigat imperium.

Verùm & flagitando beneuolentiam fidemque populi, ſuum erga eum amorem Princeps comprobabit. Armenta amant & patiuntur ſuos paſtores, equi aurigas, canes venatores inſuper cuſtodiunt feræ domitores: omnia: bruta ſuos diligunt imperatores: carentia ratione, ex pulcherrimo gratitudinis ſenſu, eos qui ſui curam habent, ſentiunt, gratificantur: quomodo Regium animal, ratione decorum, virtutis honore diuinum, cognatum Deo, gratum referendæ gratiæ, ſuos curatores aut ignorabit, aut inſidiabitur, cùm ab iis curari amarique ſe videt? Iuuat hæc populi in Principes propenſio ad felicitanda negotia publica, obedientiæ facilitate: omnia in bonum vertit decreta. quamlibet ardua benignè audit ſecurus à ſuo Principe, quem ſcit patrem, dubitat dominum.

Hoc patrium eſt, potiùs conſuefacere filium
Suâ ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc pater & dominus intereſt.

Quemadmodum machinæ difficiles verſari, patent motui oleo illitæ: ita Reipublicæ moles delinita beneuolentiâ, facilè volui tractarique ſ ſinit. Sanctus Proſper ſanctè luſit:

—— *Benè ſeruit amor.*
Abſque iugo poſita eſt ditionis amica volunta.
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

Probantur tunc leges. ſine pronâ opinione non eſt Regia indoles amoris: benè ſentit amor, vt ſe ſentit.

Capvt XI.

Non eſt integrè Rex qui animis non dominetur.

AMpliat Rex Principatum, amans; metu enim ſolùm in corpora ius habet, amore in animos. ſic geminat imperium, & ſuos feciſſimè expugnat, ſine ſtrepitu, ſine impenſ. Dominari hominibus grandius aliquid eſt, quam præeſſe brutis. At ſi poteſtas ſolùm polleat in corpora, minus in Rege quàm in bubulco ideo; hic in tota armenta pollet, ille non in totos homines ius habet. Quemadmodum omnes affectus parent amori omnium principi; ſic amanti Principi libenter parent omnes. Amor per ſe imperioſus eſt: quem ſi adiungat ex imperio ſuo, omnia poteſt. Credo non tis poſſe ſuſtentari Maieſtatis auctoritatem, niſi beneuolentiæ viribus, etiam apud bonos: neceſſitum, cùm & pietatem vincat. Apud Ionatam bonum iuuenem pluris valebat Dauidis amor, quàm Saulis Regis ſimul & patris auctoritas: hoc enim negotiatus eſt benignate Dauid, parentibus vt plus diligeretur quàm nati, illis quàm parentes. Rex rationalis ſol, quemadmodum naturalis, aſpergit ſalutares vis; & quod naturali ſideri lumen, Regi beneuolentia eſt. Ille ſine luce agit, nihil poteſt, nihil indit in inferiora nihil: ſic Rex lenitate ſolâ efficax, cuius influxus in corda hominum eſt otitas. hæc iubar Maieſtatis clariſſimum. Optimè diuinus Ambroſius dixit: *Animi benignitas influamus in affectum hominum.* Nullum aſtrum animos rectâ iaculatur radios, nullum mari vires infigit, ſolùm ignobilia inuadunt corpora, per quæ leuiter animum quatiunt. Vnum fulgentiſſimum ſidus, quod immediatè animos attingat, & vincat, atque in mentem influat, Rex eſt; qui cùm amatorios fundit radios, penè cogit: nec vllus ſapiens huic dominabitur aſtro: imò quò plus ſapiens, plus dominādus beneuolētie cedet amori. Atqui dominatus Princeps animis, dominabitur corporibus: ſequuntur hæc os.

ccedit

Digitized by Google

Amor ſecuros reddit.

Accedit aliud emolumentum amoris publici, ipſa ſecuritas publica, id eſt, felicitas populi: quæ ſine ſecuritate, etiam inter felicia, non eſt. Quomodo publicæ ſalutis & ſecuritatis faber Rex erit, ſi per ipſum publica res non ſit tuta? nec tuta erit, ſi non ametur. Sed nec Rèx ſecurus erit ſine amore & fide populi: hæc non erit, niſi Rex præamauerit. Remedia alia Regij periculi, ſatellitium, & cibi potúſque prægustationes, patent dolis, patent timoribus. Fateor tutamenta quidem iſta eſſe, non tamen pura, nec defæcata, ſed cum mixturâ metus periculíque: hoc ipſo quòd tuentur, monſtrant illum malè ſecurum eſſe, qui aliter non poteſt ſecurus eſſe. Satelles timendos enſes, prægustator toxica cauenda, monſtrant. Metuenda ſunt hæc ipſa metus remedia: gignunt, quem extinguunt, ſola beneuolentia Regis ipſum tutò tuetur: hæc fortiſſimum præſidium, hæc fideliſſimum ſatellitium, hæc ſimplex & puriſſimum remedium timoris; quæ nullum periculum memorat aut creat, nullum metum aduertit: alioqui tam meticuloſa eſt aut periculoſa Maieſtas, vt ipſâ ſecuritate timeat. imo tam miſera eſt tanta fortuna, vt eius vitæ felicior pars vix ſit mendico æqualis. dies integros exhaurit curis, requiem noctis etiam corrumpit, priuilegiis infringit ſomnum, neque molliùs in plumâ quieſcit, quàm in rigenti pauper humo. Solâ animi innocentiâ beneuolentiáque muniatur; non timebit ciues, qui pro ciuibus timet, quem ciues non timent, pro quo timent. Infeliciſſimum eſt vt quas curas pro Republicâ tuendâ Rex impendere debet, pro ſe vno tuendo conſumat.

Ita amet ſuos Princeps, vt ipſi mutuo amentur.

Sed ad compagem integram Reipublicæ non ſatis eſt amare Principem, & amari. oportet amari ſubditos viciſſim. Altera hæc Regis cura, pro amantium indole, ab iis quos amant amari volentium: quare Rex amet omnes, omnes Regem, deinde omnes ſe mutuò. Non aliud fuit exitio Lacedæmonibus Athenienſibúſque, quamquam armis pollerent, niſi quòd victos pro alienigenis arcebant. Cauit hoc Alexander; atque vt charitatem fabricaret inter ſuos victores & victos, iungi Perſas & Macedones connubio ſtatuit. hoc vno docuit modo pudorem victis, ſuperbiam victoribus detrahi poſſe. quare in hoc maximè amet Princeps ſuos, vt ipſi mutuo amentur.

Illud quoque Principibus commendandum maximè, quòd non ſatis eſt naturam imperaſſe: ſcilicet amor ſuorum ſtabiliturus certè imperia. Moribundus Micipſa Rex filios ſic monuit: *Ego Regnum vobis trado firmum, ſi boni eritis; ſin mali, imbecillum: nam concordiâ parua res creſcunt, diſcordiâ maxima dilabuntur.* Dixeris legiſſe ſacri noſtri Parœmiaſtæ ſententiam: *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma; & iudicia quaſi vectes vrbium.* Ad meritum charitatis flexit hoc Maximianus Conſtantinopolitanus, non ad concordiæ valentiam; vt quæ, inquit, à Chriſto Domino cuſtodiatur. Appoſitè quoque ad Micipſæ prudentiam ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Petrus Rauennas. *Quæ maior hereditas, quàm vinculum charitatis? Nam terrena hereditas ſucceſſores ſuos deſecat, & mittit in partes. vnde nec hereditas, ſed pugna, ſed nouerca filiorum, non*

Epiſt. ad S. Cyrill.

facultas. ille verè ditat filios, qui relinquit filiis pleniſſimam charitatem. vnde & Dominus ait: Cauete ab omni auaritiâ: hoc eſt, abiiciatur auaritia, & non erit in hereditate contentio. Auaritia fratres neſcit, parentes negat, germanos diuidit, amicitiam ſoluit, excludit effectum, hanc qui habuit, erit nullius, ſuus non erit.

CAPVT XII.

Diuina inuentio legum.

FEſtino iam ad futurorum prudentiam, quam elogio prouidentiæ præcipuè commendo: qua potiſſimùm elaboratur publica ſalus, fundatur ſolidiùs. Oportet enim in ſemine obſtare malis, & adornare tempeſtiuè bona: valdè enim iuuat publicas res, iuuenum prauos mores, velut oua immanium calamitatum, contundere. Quemadmodum enim ichneumon perquirit crocodilorum oua, vt inimicos, etiam non natos, extinguat: ſic damnorum publicorum expectationi neceſſe eſt occurrere. Inuentum cæleſte huius prudentiæ, quo maximè cauetur futuris, lex eſt. inſpiratio generalis, oraculum ſilens, ſtillicidium diuinæ Sapientiæ, oculus ignorantium, communis mens Reipublicæ, prudentia publica, murus inexpugnandus hoſtibus, compago ciuium, fundamentum libertatis, neruus politici corporis, fons æquitatis animus vrbium, inuentum & donum immortalium, atque, ſi Pindarum audiamus, Regina omnium mortalium immortaliúmque, quæ futuris regulam imponit. Quàm ſint populis leges quæſtuoſæ quarum Rex prototypus, & ſubſtantia, & anima eſt legitimum fuit Perſis explanare in exceſſu Principis: ad quinque poſt Regis obitum dies omnes abrogabantur leges, vt diſceret plebs periculo ſuo, poſt quod figitur diſciplina feliciùs, quantum malum eſſet ſine legibus, ſine Rege viuere; vt deinceps fideliores Regum cuſtodes amantioréſque, atque legibus obſequentiores eſſent ad lucrum communis boni. Æſchylus ait:

Πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
Μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος.
Obedientia eſt felicitatis mater,
Et ſponſa ſaluatoris.

Quid? remedinm omnium malorum lex eſt, naturæ emendatio, atque, inæqualium æquamentum. His duobus, natura & lege, regitur mortalium vita. Natura inæqualis eſt, non eiuſdem omnibus coloris, ſed peculiaris cuique pro ingenio & impetu: lex communis ſenſus eſt, & eadem vniuerſis emendatura indolis vitia: quare grandius beneficium eſt legum quàm naturæ; nam quod hæc corrumpit, illæ reſeruant.

Leges non valent numero

Nihil tam vtile in humanis, quod modus non commendet: ipſe ſanguis vitæ dos, & animæ neceſſaria ſupellex, excreſcendo extinguit: ſic legum multitudo turbat Rempublicam. Aut contemptione, aut obliuione inutiles ſunt; ſunt & noxiæ. præterquam quòd auida libertatis condicio noſtra irritatur in vetita, hoc ipſo quòd vetari ſentiat: quamdam enim libendi pruriginem mouet prohibitio: arceri, eſt illecebra. Quapropter malæ Reſpublicæ quotidie

legibus curantur, numquam valent bene, quemadmodum corpus aſſuetum pharmacis. Non cumulo leges valent, ſed vſu. Paucæ leges multa complectentes, & velut præceptorum cardines, in quibus multa clauduntur, ſalutares erunt, & tolerabiles. Has Hippodamus Amaltheæ cornu dixit; nihil enim non ineſt boni bonæ legum conſtitutioni, ſine quâ maximum naturæ bonum neque gignitur, neque natum aut auctum perſtat. hæc ſi mores erunt; quod maximè curandum latori: multitudo autem reuerentiæ obſtat, & proinde firmitudini. Nam oportet maſcula & magnæ virtutis lex ſit, quæ multis proſit, cui nemo obſtet. Macareus propterea, quàm legem apud Lesbios vtiliſſimam tulit, leonem appellauit, ab huius regij animalis virtute & robore cedente nulli. Talus quoque Æneus dictus, quòd vtiliſſimas validiſſimaſque Cretenſium leges, & inconcuſſi firmamenti, velut ex metallo promulgaret. fecit hoc curâ ſuâ; ter quotannis luſtrabat pagos, obſeruaturus quo ſeruarent ſancita culta.

Lib. de Felicitate.

Reſpublica non innouanda, ſed renouanda.

Nouæ leges difficulter condendæ, ſcilicet, vt placuit Vlpiano, non niſi cum euidentiâ vtilitatis; ſufficiunt enim iura, ſi non deficiat voluntas. ſicut lenit imperia conſuetudo, ſic ſunt aſpera noua exercitia regnandi.

Ἅπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

Rex durus omnis, ſceptra qui tractat noua.

Apud Locrenſes conſtitutum fuit, nihil recens ſtatui, niſi hac lege: vt, ſi quis vellet legem nouam ferre, in laqueum collum inſerens, legem ferret: ac ſi honeſta & vtilis eſſe videbatur lex, viuebat; ſin minùs, conſtricto laqueo peribat legiſlator. Tota cura ſit, ne leges priſcæ antiquentur, potiùs quam nouæ condantur. renouare rem oportet publicam, non innouare. Omnia in peius conantur; omnia tempore langueſcunt: quare neceſſe eſt requirere antiquum florem, ex vniuerſi meditatione, & naturæ ritu & ſtatu, diſcere hoc licet.

Non flore ſemper gramina purpurant,
Non prata vernis picta coloribus
Semper rubeſcunt, nec tenorem
Annus habet refluens eumdem.
Tandem ſenectam functa laboribus
Natura ducit, pronaque tempora
Dum ſe volutant, in iuuentam
Canitiem ſeniumque portant.
Seneſcit alto nauis in aquore,
Et pigra merces reijcit Indicas,
Ni querna mercator vetuſta
Robora reſtituat carina.
Squaleret ornis conſitus hiſpidis
Apex in Aemo, ſtagnaque frigore
Semper rigerent, nî receſſus
Frondiferos renouaret aſtas.
Quin alma curru Cynthia carulo
Cùm trunca miſcet cornua nubibus,
Ignes ademptos, & retuſas
Accelerat reparare flammas.
Amat vetuſtis languida menſibus
Natura vita reſtitui noua:
Sic ales Eous priorem
Emoriens reuocat iuuentam;
Et cauta diſcit frangere marmore
Roſtrum recuruum, quo lacerat feras
Regina prædatrix volucrum,
Cùm ſenio pigra languet atas.

Capvt XIII.

Legum qualitates.

Vtcumque ferendam legem publicum commodum deſideret, conſentanea diuinis ſit: multâ meditatione, conſultis hominibus, Deóque, non turbâ, non iuuentute, non vtilitate priuatâ. Minos imitandus eſt; quem ferunt annis nouem Gnoſio in antro latuiſſe: illic legum ferendarum rationem à patre Ioue ſumpſiſſe. Alij malunt, ſingulis quibuſque nouem annis exactis, antrum ingredientem leges de concilio & ſententiâ Iouis emendare atque interpolare ſolitum, quarum obſeruatione Creta feliciſſima, atque etiam Lacedæmon, ex quo iis cœpit legibus vti. Sed & legiſlatores omnes Dei diſcipulos dixit Princeps Apollineæ artis Galenus, quippe à Deo doctos rationem elaborandæ legis. Præter Minoëm Iouis auditorem, habitus quoque Pompilius diſcipulus Deæ Ægeriæ, Solon Mineruæ, Charondas Saturni, Lycurgus Apollinis, Zoroaſter Horomaſdes, Triſmegeſtus Mercurii, Zamolxis Veſtæ. Alij omnes optimatum legum fabros dicunt Deos; alij fecerunt. Omnes Samij præceptoris alumni, qui fabricandarum legum operam variis gentibus nauarunt, aras & ſacrificia adepti ſunt, Charondas, Zaleucus, Timaratus, Theætetus, Helicaon, Ariſtocrates, Pithius; etiam Zamolxis ſeruus conceſsâ diuinitate illuxit. Quin Reges omnes, quia legum cuſtodes, Ioues olim dictos Tzetzes ſcribit. Adeò negotium Dei optima lex eſt, adeò diuinis arridens & apta conſtrui debet, vt, niſi diuino auctore, quaſi rem propriam acturo, ferri optimè perſuaſum haud fuerit. In Brachamanarum quoque myſteriis hæc Ariſtoxeno auctore contenta: abſque diuinâ regulâ, & hac quidem à Deo demonſtratâ, nihil poſſe vel priuatim vel publicè ritè & fauſtè adminiſtrari.

Poſt hæc nitida & perſpicua ſit lex, & velut filia ſolis; Rhetorum Aduocatorumque ludibrio eximenda: alioqui accidet multis quod Oratori Byzantino. Rogatus quomodo ſe haberet Byzantinorum lex: Vt ego volo, reſpondit. appoſitè Sextus Chæroneus ait Καθάπερ οἱ ψηφοπαῖκται τὰς τῶν θεωμένων διʼ ὀξυχειρίας κλέπτουσιν, οὕτως οἱ ῥήτορες, διὰ πανουργίαν τὰς τῶν δικαστῶν διανοίας ἀμαυρώσαντες, τῷ νόμῳ συγκλέπτουσι τὰς ψήφους. *Quemadmodum qui ludunt calculis, per manuum velocitatem ſpectatorum furtim præſtringunt oculos: ita Oratores, cùm per aſtutiam animis iudicum tenebras offuderint, legi ſuffragia & calculos ſurripiunt.*

Deinde accommodata ſit & tolerabilis lex ingenio ſubditorum. Optimè optimus Theologus Ægidius Romanus: *Tria reſpicere debet lex humana: ius naturale, à quo debet habere fundamentum; bonum commune, ad quod eſt dirigenda; ſubditos ipſos, quibus eſt applicanda;* Itaque tria lex continere debet: vnum ex lege naturæ, quòd ſit iuſta: alterum ex communi bono, quod ſit vtilis: tertium, ex ſubiectis, quòd ſit poſſibilis, & moribus, locis temporique conueniens: ex nullo priuato commodo lex ferenda eſt, niſi bonũ illud ordinetur ad bonũ commune. Nec tacenda eſt Abulenſis ſententia in differ

Lib. 3. par. 2. cap. 26.

Digitized by Google

diſſertatione de optimâ politiâ: *Legiſlator*, inquit, *non debet condere optimas leges; quia imperfectus populus leges perfectiſſimas tolerare non poterit. Si quis autē vellet optimas facere, hoc ipſo faceret peſſimas, & nullo modo conuenientes Reip. Neque Deus ipſe leges ſimpliciter optimas dedit Hebræis, ſed populo illi accommodatas.* Deinde quas promulgari oporteat, pœnales potiùs ſint quàm vt in conſcientiâ adſtringant. Multas hinc turbationes in politiis tam Eccleſiaſticis, quàm temporalibus, deplorat Gerſon, qui nimis acriter, quamuis partim verè, ſic ſcripſit: *In hominum præterea conſcientiis modò ſcrupuli vani contemnendi ſurrepunt, modò contemptus inſurgit temerarius, & audacior quàm ſatis eſt. Fit inſuper frequenter irritum mandatum Dei propter traditiones hominum. Fit amplius de leui iugo Chriſti & lege libertatis iugum ferreum, & onus graue, premens ceruices Chriſtianorum; dum ſcilicet aliqui ſuas omnes leges, ſuas inſtitutiones, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt accipienda eſſe ſicut præcepta legis Dei, ad æternæ mortis interitum, ſi prætereantur, demergentia. Has verò traditiones hominum quis cunctas dinumeret, in conſtitutionibus Synodalibus prouinciarum aut Diœceſeum, Religionum regulis, in Vniuerſitatum, Collegiorum & Eccleſiarum ſtatutis, in edictis Imperatorum & Principum, in plebiſcitis Communitatum? Quarum plures ſub interminatione latæ ſententiæ, aliæ ſub interminatione diuinæ indignationis, aliæ ſub voto, aliæ, & ferè omnes, ſub iuramenti aut fidelitatis debito ſtringunt & obligant. Quòd ſi Adam vir talis & tantus vnicum diſciplinæ præceptum habens, in illo corruit, nos inter innumerabilia poſiti qualiter euademus? Vix poteſt imbecillitas noſtra diuinas leges ad numerum paruum gratuita ſub benignitate redactas implere. Viam igitur obſitam tot ſpinis conſtitutionum, ſemet inuoluentium & obumbrantium, quis inoffenſo pede tranſiliet? Scimus quid dixerit Petrus Apoſtolus Actuum 15. Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Hoc animaduertens, & piâ compaſſione deplorans egregius Doctor Auguſtinus ad inquiſitionem Ianuarij, Ipſam, inquit, religionem noſtram, quam, manifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum ſacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſeruilibus premunt oneribus; vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui legalibus ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubiiciuntur. Si tuo tempore ſic dolebas, ô ſapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate dixiſſes? vbi pro varietate & motu capitum incredibilis eſt varietas, & diſſona multiplicitas onerum huiuſmodi ſeruilium, & humanarum (prout loqueris) præſumptionum. Inter quas, velut inter laqueos animarum, & ligantia retia, vix quiſpiam ſecurus & indeprehenſus inceſſerit.* Hæc Gerſon in lib. de Vitâ ſpirituali.

Caput XIV.

Legibus neceſſarij Magiſtratus.

Oportet quoque optimos legum iuriſque æditũos ſufficere. Magiſtratus dico, qui ipſi ſpirantes leges ſint, & citima plebi prouidentia: accuratiſſima proinde inquiſitione creandi: nam & optimæ leges ſine optimis tractatoribus, tam abſunt vt vtiles publicæ rei ſint, vt & ſæpiſſimè noceant, & ipſum bonum commune, quod conſtructuræ erant, deſtruant. Quemadmodum optima inſtrumenta nullum eximium artis opus per ſe dabunt; niſi artifex eximius illa gubernet: ſic bonæ leges, niſi eas tractet & viuificet bonus, boni nihil operantur. Propterea inaugurandi ſunt ad iuris ſacerdotium, qui pro ipſo parati ſunt hoſtiæ fieri. ij adoptandi Magiſtratus, qui ipſo Magiſtratu ſint meliores; quorum primum meritum ſit, illum non appetere; ſecundum, non petere; quos vinci pretio impoſſibile, prece mirandum ſit. Sidonius breuiter dixit: *Maximè ambiendus, minimè ambitioſus.* Iuxta Eliſium Calentium, non ſat eſt bonum tantummodò eſſe, ſed videri quoque, ac ſuſpicione carere. Oeconomia argumentum ciuilis tractationis erit: nam qui priuata gnauiter non gerit, publica non aget ſtrenuè. Multis ſapientibus Regibus hoc ſtudium fuit in creandis Rectoribus publicarum rerum, eos aſſumere qui priuata benè regerent. Hoc conſilium diui Pauli eſt: à quo edoctus Baſilius Imperator ad filium ait: Συμβούλοις δὲ χρῶ τοῖς καλῶς περὶ τῶν οἰκείων βουλευσαμένοις, καὶ διοικήσασιν, ἀλλὰ μὴ τοῖς κακῶς ἐξ ἀβουλίας τὰ ἑαυτῶν οἰκονομήσασιν. ὁ γὰρ κακῶς περὶ τὰ οἰκεῖα διατεθεὶς, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων. *Conſiliariis vtere iis, qui rebus propriis benè conſuluerunt, recteque eas adminiſtrarunt; non autem qui per imprudentiam malè. nam qui ſuis rebus malè proſpexit, numquam ille benè conſuluerit alienis.*

Prudentia Artaxerxis

Lubet vna aut altera Artaxerxis Regis narratione hoc exponere. Miſes Artaxerxi per Perſidem equitanti malum punicum maximum obtulit in vanno. Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit: E quonam horto deprompum hoc donum mihi adfers? Illo verò reſpondente, Domo mea, & ex meis agris; gauiſus Rex ſupra modum, miſſis Regiis muneribus, virum ornauit; &, Per ſolem, inquit, iſte homo tali curatione & diligentia poterit etiam ciuitatem, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem reddere. Videtur autem hic ſermo innuere, omnes res cura & ſufficienti opera, & indefeſſo labore, meliores & præſtantiores, quàm natura producat, effici poſſe. Quidam genere Mardus, nomine Rhacoces, ſeptem habebat liberos. Sed ex his omnium minimus natu, nomine Cartomes, Magos & ſapientes multis damnis affligebat. Primùm igitur eum pater inſtituere, erudire, & verbis reducere in viam tentabat: verùm cùm ille non admitteret diſciplinam, & quodam tempore vicini iudices eò venirent, vbi ſedes ſuas habebat adoleſcentis pater, ille comprehenſum filium, & manibus in tergum reuinctis, ad iudices adduxit: ibi, quæcumque vnquam per audaciam deliquiſſet, cum accuſatione commemorauit, & à iudicibus poſtulauit, vt adoleſcentem ad mortem raperent. At illi animis conſternati, ſuis ſententiis eum condemnare noluerunt, ſed vtrumque ad Regem Perſarum Artaxerxem adduxerunt. Mardo verò ſemper inſtante, & eadem contendente, excipiens Rex ait: Potiſne es etiam ferre, vt

filius in tuo conſpectu vitâ priuetur? qui reſpondit, Maximè: quoniam in horto etiam cùm naſcentium lactucarum ſurculos amaros defringo & amputo, tantum abeſt vt dolorem ex eo mater ipſorum lactuca patiatur, vt etiam magis efflorescat, item magnitudine & dulcedine plùs augeatur. Ad eumdem modum ego, ô Rex, cùm videro eum, qui meam familiam lædit, & vitæ fratrum officit obſtatque, vitam amittere, & à ſuis in ipſos iniuriis prohiberi, etiam ipſe amplificabor, & reliquos mei generis ſimiliter mecum proſperam fortunam agere conſpiciam. Quibus auditis Artaxerxes Rhacocem collaudauit, & in collegium Regiorum iudicum cooptauit, his verbis præſentes allocutus: Qui tam ſeueriter & iuſtè de propriis liberis ſententiam audet pronuntiare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum & ſincerum iudicem ſe præſtabit: adoleſcentem verò præſenti culpâ liberauit, grauiſſimam mortem interminatus, ſi præter antecedentia peccata in poſterum ſimili in crimine deprehenſus fuerit.

CAPVT XV.

Magiſtratuum delectus.

NIhil credo magnificentius, nihil magis honorificum poteſt Reipublicæ accidere, quod illuſtriùs illam exornet, & in omnem amplitudinem efferat, quàm optimi Magiſtratus allectio. Veriſſimè Conſtantius Cæſar dixit: *Si muris vndique vrbem cingere, ædibus intus ornare, præ populi multitudine anguſtare, ſignum eſt ab Imperatore illam ſuo amari: quantò maius eſt, Senatum tali acceſſione augere; quæ animos ciuium meliores reddet, & vnà cum aliis ædificiis, virtutis etiam gymnaſium excitabit?* Nempe qui ciuitati alia illa conciliat, primaria quidem illi tribuit bona: ſed qui in eâdem ſcientiæ rerum ſapientiæque promouendæ curam impendit, rem illi præſtabit omnium maximam; quam multi quidem concupiſcunt pauci verò aſſequuntur. Iuuat adiicere quæ in Themiſtij adoptione idem Cæſar ait: *Nullum namque beneficium, cum ratione & iudicio datum, illius tantùm fit qui id accipit, ſed omnibus in vniuerſum, tamquam præmium ſimilium laborum, proponitur. Cùm igitur exiſtimatio de viro longè lateque diſperſa, Themiſtium Philoſophum ad aures noſtras adduxiſſet, Imperatorij iudicij atque etiam veſtri exiſtimaui, illum ſplendidiſſimo Patrum concilio adſcribendo, virtutem, quæ in ipſo eſt, congruo honore remunerari, ſimulque duorum inter ſe conſentaneorum vnum per alterum decorare. Neque enim noſtram hanc beneficentiam in vnum Themiſtium, ſed in totum Senatum redundare exiſtimo, quem tali tamque aptæ Philoſophiæ munere participando dignum ſum arbitratus. Ornamentum ergo hoc illi impertientes, viciſſim ab eo recipietis, acceptumque rurſum eidem reddetis.* Subdit mox: *Neque ille ſolùm honore dignus eſt, qui virtutem in ſe reconditam prodit; ſed qui illam vel poſſidet tantùm: omnibuſque, qui id merentur, gratia vicem obtingere æquum eſt, etiamſi tales ipſi apparere minimè ſtudeant. Hic autem vir, quem præſens ſermo noſter deprædicat, non ſeuerum quoddam atque inſociabile Philoſophiæ genus ſibi aggrediendum duxit; ſed quod bonum ſibi labore comparauit, hoc ipſum maiori cum labore volentibus impertit; veterum ac ſapientum virorum interpres, Philoſophiæque penetralium ac templorum antiſtes. Neque exoleſcere ſinit antiquarum diſciplinarum decreta atque ſententias; ſed maius cum ætate robur nouitatemque accipere cogit; atque adeò mortalibus omnibus, quantum in ipſo eſt, auctorem ſe præſtat, quò vita ex præſcripto rationis inſtituendæ, ſapientiæque acquirendæ curam ſuſcipiant.*

Delectus Magiſtratuum non ex vnâ Nobilitate, neque aleæ populari fidendus, ſed reſeruandus Principi, ex probis, ex optimis. Egregiè conſultiſſimus Iuriſconſultus D. Ioannes Baptiſta Larrea conſulit: *Nihil ad optimum* Diſput. 4. Nouarum deciſion. Granat. *regimen populorum magis conducibile cenſeo, quàm vt Reges in ſe has electiones recuperent, & ſuis conſiliis referant, vti ex inſinuationibus proborum ciuium, cuiuſque populi digniorem eligant, abſque differentiâ nobiliorum.* Sic Ferdinandus V. Politicæ artis peritiſſimus, cùm Cæſaraugustanos Magiſtratus ſuffragia ſortirentur non abſque publicis damnis; vt his obſtaret, eorum ſibi electionem vindicauit.

Caueat Princeps, ne affectum ſequatur: fallunt paſſiones, digniſſimos Conſulatu iudicabunt ineptos. *Electio ſit ſine affectu.* De Caligulâ ſcribit Nicæus: Vnum ex equis ſuis, quem Velociſſimum appellabat, inuitabat ad cœnam; ita vt ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem eius & fortunam iuraret, ſeque eum Conſulem facturum polliceretur; idque feciſſet omnino, ſi vixiſſet diutiùs. Ratio ſequenda eſt in omnibus, ratio omnem affectum domet, & flectat potentiſſimum odium. Themiſtocles deſignatus Dux aduerſus Barbaros, omnium primùm Ariſtidem cognomento Iuſtum, à quo ſemper diſſenſerat in Republica gerenda, ideoque exulabat, in patriam reuerti iuſſit, ne in illo periculo hoc conſiliorum ſocio careret. Caueat Chriſtianus, dum arbiter rerum eſt, alios publico allegere ordini, quàm Iuſti nomen meritos. Quo animo Rex ferret, ſi Proreges ſui ad Magiſtratus extuliſſent perduelles, proditores, & infenſiſſimos hoſtes? Idem faciet Rex, qui Prorex Dei in terris eſt, ſi coadiutores regiminis adoptet peccatores, qui hoſtes Chriſti perduelles ſunt. Adulterator monetæ capitali in ſe periculo lædit Maieſtatem: hoc ſolùm quòd Principem fingat falſi ponderis aut metalli teſtem: nonne ſceleſtius Principi erit approbare ſcelera, falſi, id eſt iniqui, animi delectu?

Electus quicumque Magiſtratus ſatellitem legum ſe putet, eas tuetur. *Magiſtratus legum ſatellitium.* Adeò auguſta res eſt lex, vt hoc honoratiſſimum ſatellitium habeat, Senatum, & præſtantiſſimos Reipublicæ viros: non enim quoſuis de plebe, ſicut Regij corporis cuſtodia, admittit; quantò enim honoratior animus quàm corpus eſt, tantò oportebat honoratiores milites ſeruare mentem Principis, quàm corpus. In legibus enim regnantium mens eſt & animus, & ſapientia, & lares, & focus imperij cuſtos, & arrha vigorque ac ſplendor; quas non minùs, quàm ſacrum

Veſtæ

Digitized by Google

Veſtæ ignem colere, ſeruare, fouereque vigentes, & illuſtres debent ſui Antiſtites. Non vereor ſanctis nominibus legum cuſtodes notare. Theodoricus Rex ſic reſcripſit, eſſe innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, aram iuſtitiæ. Abſit à iudicariis mentibus aliquid profanum: pio Principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur. Tum Græcis βῆμα & altare & tribunal ſignificat. Clariſſimè Antonius Meliſſa,

Βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν.

Rex iuſtus ſacerdotalem habet ordinem.

Ceterùm ad legum cuſtodiam addititius Ariſtoteles vtiliter ſcripſit libro de Republica nono: *Noſtri temporis Orator egregiè animaduertit, cùm ait, oportere ciuitatum Rectores eum ciuem, qui legum cancellis continet ſe, quique eis libenter paret, ceu integram ſalutis collectam patriæ afferentem, & honoribus augere, & laudibus tollere: contrà autem, qui harum repagula perruperit, & limites tranſtulerit, ignominiis notare, & ſuppliciis conſtringere. Et rationem ſubdit: Communis enim collatio & ſymbola ſunt officia illa omnia, quæ vnuſquiſque noſtrûm facit, legibus iubentibus.* Denique oportet præmium cuſtodiæ publicæ exhiberi Magiſtratibus honorem & obſequentiam: quam populus largiter præſtet, tamquam membris ipſius Regis, tamquam inſtrumentis Dei. *Valdè* (inquit VVolquero Abbas) *timendum eſt, ne, ſi cuſtodes cuſtodiam negligunt, & cuſtodiendi cuſtodes deſpiciunt, vel cuſtodia repugnant & detrahunt, illum qui cuſtodes poſuit, & cuſtodiam ſtatuit, grauiter offendant.*

CAPVT XVI.

Neceſſaria rebus publicis inſtitutio.

MAxime etiam futurus boni publici ſtatus præſtruitur puerorum cultu: (redeo ad id quod indicaui) quà vnâ educandæ iuuentutis curâ nihil amplius Socrates de legibus curauit. vltrò boni erunt, qui benè diu inſtituti. In nullâ re natura ſolicitior ac delicatior quàm in fetu & ſemine. Quemadmodum feræ nobiſcum à primis annis altæ ponunt feritatem, & quid come atque vrbanum contrahunt manſuefactæ, fiunt denique humanæ: ſic homines à pueritiâ bene docti, fient, ſic dixerim, diuini. Cera & vitrum calidum effigiari ſe ſinit; quam velis, excipiet tunc effigiem: ita adoleſcentiæ calor habilis eſt omni formæ. Semen noualibus commiſſum, altas radices agit: ex tempeſtiuâ ſemente annnona expectatur: ſic ex adoleſcentum cultu, meſſis accidet vrbana. Quare ſicut remedium ſequentis anni in antecedenti quæritur agrorum procuratione: ſic bonos Reipublicæ viros Magiſtratuſque à primis annis adornari oportet. In magnis ædificiis magna fundamentorum cura eſt. tota Reipublicæ fabrica è pueritiâ aſſurgit; quare maximè curanda: cuius educationem meritò dixit Diogenes cæmentum totius Reipublicæ. Hac iuuentutis culturâ floruit Sparta. pædagogum ibi publicum puerorum inſtituit Lycurgus: volens prætereà quaſi naturalem his pudorem vehementer conciliare, imperauit, vt in viis manus intra pallium haberent, ſilentioque incederent, ac nuſquam circumſpicerent, ſed humi defixos oculos tenerent. Hîc certè patet, maſculinum ſexum & circa pudicitiam acriorem eſſe naturâ muliebri. Itaque illorum vocem minùs quàm ſi lapidei eſſent audieris; oculos verò minùs ſi eſſent ærei conuerteris; maiori autem eos pudore affici, quàm ipſas in thalamis virgines exiſtimaris. Ac poſteaquàm in conuiuium venerint, ſatis profectò ſit, ſi vel ad interrogata reſpondeant. Etiam minima puerorum peccata diſſimulanda non ſunt: imitanda prudens illa vetula ancilla, cuius fidei & curæ commiſſa ſancta Monica, quæ (Auguſtinus filius ſic ſcribit) adhuc adoleſcentula, & ſuperſtes matri prædefunctæ, cùm ab eâ poſt prandium bibere prohiberetur, vt hac viuendi normâ temperans euaderet; ſæpiùs eam precibus vrgebat, vt ſaltem hauſtu aquæ frigidæ expleri ſibi ſitim pateretur: quod illi ſemper hac ratione negauit, quòd, cum ipſa grandior facta nupſiſſet, & bibendi vini adepta eſſet libertatem, aqua tum ſorderet, & mos potandi præualeret.

Præcipua tamen cura ſit inſtituendæ prolis Regiæ. Optimè Cyriacus Stroza: *χρὴ τὸν ἀγαθὸν βασιλέα οὐ τοῦτο μόνον σπουδάζειν, ὅπως ἀρχῆς ὡς μεγίστης κληρονόμους καταλείπῃ τοὺς αὐτοῦ υἱεῖς, καὶ διαδόχους, ἀλλὰ καὶ ὡς παιδείας τῆς βελτίστης, καὶ τῷ ὄντι βασιλικῆς. τοσούτῳ μᾶλλον τῶν ἰδιωτῶν, ὅσῳ οἱ μὲν ἰδιῶται ἀπείργονται τοῖς νόμοις, καὶ τῷ φόβῳ, τοῦ τε ἁμαρτάνειν, καὶ τοὺς ἄλλους κακοποιεῖν. οἱ δὲ τῶν βασιλέων παῖδες καὶ διάδοχοι τῶν νόμων αὐτῶν καὶ τῶν κρίσεων κύριοι καθίστανται. Τῷ μὲν οὖν τὰς βασιλείας καταπεπαῦσθαι, τὰς δὲ πολιτείας ἀντ' αὐτῶν ἀναφανῆναι, τοῦτ' αἴτιον τὸ πρῶτον. Oportet bonum Regem non eò ſolum animum intendere, neque id vnum ſpectare, vt imperij fines quàm latiſſimos filiis propaget; ſed etiam vt viam eius regendi illis oſtendat, arteſque verè regias doceat, idque eò acriùs & diligentiùs quàm ſingulares homines priuati, quo illi quidem timore & legibus à peccando atque ab inferendis iniuriis deterrentur: Regum autem liberi & ſucceſſores, legibus ſoluti, & legum & iudiciorum domini exiſtunt. Quòd igitur Regna olim deſierint, & pro eis Reſpublicæ excitatæ ſint & conſtitutæ, caput hoc primum eſſe videtur.* Imò ipſe Rex etiam ſeneſcens diſcat: ad canos cum diſciplinâ properet. Sapienter Solon:

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Seneſco multa ſemper diſcens.

Quoad librorum delectum prudenter Themiſtius: non eoſdem priuatis hominibus & Principibus ſermones ac libros accommodatos atque idoneos eſſe, Sed nimirum, vt amictus, ædes, equi, currus ac miniſtri, ceteráque quæ ad cultum pertinent corporis, ornatiora illis quàm ſubditis & ſplendidiora ſunt, ita diſciplinas ac libros non communes iidem ac vulgares attribui, ſed proprios atque præcipuos oportere: qui teneris Principum mentibus alti atque exaggerati animi magnitudinem quamdam & grauitatem inſtillent; quique Reges illos priùs ac moderatores eſſe ſui, quàm aliorum rectores ac gubernatores doceant: ac denique, qui diuiniſſimi præſtantiſſimique cùm ſint, diuinam in eos & conditionem & appellationem transfundant. Salutare eſt quod Baſilius Imperator filium monet: *Γενναίας ἀρχαίας* *Delectus librorum.*

ἐξάρχ

ἐξέρχεσθαι μὴ κατόκνει. ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀκόπως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐγκόπως. καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τάς τε τῶν σπουδαίων ἀρετάς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολάς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγάς, καὶ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον. καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβάς, τῶν δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀνταποδόσεις. ὧν τὰς μὲν φύγῃς, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς. τὰς δὲ κατορθώσεις, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς. *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa: ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt: atque illinc haurıes & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones; mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus: &, vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in diuinæ iuſtitiæ manus incidas; hæc amplecteris, vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Ego non contemnendos puto, inter volumina Regio animo digna, Nicephorum Gregoram, & Bozium cùm de Italiæ ſtatu, tum de imperio virtutum. Laudo in hoc Gregoræ hiſtoriam, quòd euentuum cauſſas curioſè expiſcetur, pietatem inculcet, atque in aſſerendâ opportunè prouidentiâ alios ante Scriptores eat.

DE PROVIDENTIA SALVTIS PVBLICÆ,

Siue Cardinibus gerendæ Reipublicæ.

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

TERTIVM fabricandæ ſalutis inſtrumentum æquitatem dico, quæ velut vſus eſt ſapientiæ atque pietatis; legitima pacis mater, immediata communis felicitatis origo. Princeps enim, lex, iuſtitia, ſunt canales fortunæ publicæ, è diuino fonte deducti. Princeps Dei vicarius eſt, lex Principis artificium, iuſtitia legis flos & fructus. Princeps pietate, lex ſapientiâ, iuſtitia æquitate ſubſiſtit; in quâ pax, ſalus, felicitas Regni Regiſque locatur. Lubet propterea rhetoricari cum Philone, vt hanc partem ſiue vſum Regiæ Philoſophiæ Principi commendem: eſt enim æquitas ſeu æqualitas, vt naturæ ſcrutatores aſſerunt, mater iuſtitiæ; eſt lumen clariſſimum, Sol (vt ita dicam) factitius; ſicut è diuerſo inæqualitas, tum in defectu, tum in nimietate, fons & origo caliginis. At æqualitas omnia vel in cælo vel in terrâ benè diſpoſuit, iure humano diuinóque immobili. Quis enim neſcit, ſolem dimetiri æquabiliter dierum noctiumque vices & ſpatia certis proportionibus? ſiquidem quotannis recurrentia, quæ ex re vocantur æquinoctia, vernum autumnaléque, natura tam manifeſtè ſignauit, vt vel indoctiſſimi ſentiant quantitate dies pares fieri noctibus. Quid Lunæ curſus recurſuſque à coniunctione vſque plenilunium, & inde rurſus vſque coïtum & interlunium, nónne paribus dimetiuntur ſpatiis? nam ſiue creſcat ſiue decreſcat, vtrumque fit numeris dierum æqualibus, & augmentis detrimentiſque parilibus: adeò in cælo quoque puriſſimo eximius honor habetur æqualitati, ſicut & in vicino eius aëre. Cùm enim quadrifariàm annus ſit diuiſus in horas quas vocant, aër mutari ſolet naturaliter his viciſſitudinibus, ineffabilem oſtendens in hac ipſa permutatione ordinem: nam in totidem menſes hiems, ver, æſtas, autumnus diſtribuitur, trinos videlicet, atque ita expletur annus ſolidus: quem ideò Græci ἐνιαυτὸν nominant, quia in ſe currit ſua per veſtigia, in ſe complectens omnia; quod aliàs fieri non poterat, niſi adiuuaretur horarum dictis vicibus. Eadem æqualitas à cæleſtibus extendit ſe ad terreſtria

pro ſuo vigore natiuo, cùm ſit ætherea natura prædita, & illinc ex propinquo cuncta diſponens ſublimia, & deorſum more ſolis mittens ſecundos radios. Quidquid enim apud nos peccat, eſt inæqualitas; quidquid non decedit ab officio, æqualitatis opus eſt, quam in rerum vniuerſitate propriè mundum dicere licet; in ciuitatibus optimam & maximè legitimam Reipublicæ ſpeciem; in corporibus ſanitatem, virtutem in animis: nam e diuerſo inæqualitas, morborum ac vitiorum cauſſa eſt. Ætas, quantumuis longa, me deficeret, ſi vellem percenſere omnes laudes æqualitatis, & ex ea natæ iuſtitiæ.

Capvt I.

Æquitas neceſſaria.

ERgo Princeps conſtitutus ſequeſter iuris, arbiter boni & æqui, ſponſus iuſtitiæ, Hymenæus pacis, fetialis fortunæ communis, cuſtos æquitatis tuendæ inter ſuos, iiſdem ipſe æquus iuſtuſque ſit: ſit & alienis, nec aliena Regna concupiſcens, nec propria contemnens. Ad æquum collimet; hoc ſibi præfigat album ſuorum operum: quemadmodum ſagittarius ad metam tela mittit, nec ſupra nec infra, nec in dextram nec in læuam; non cognatio, non vtilitas, non familiaritas attendenda; ſed nitido & pertinaci intuitu pulcherrima & ſplendidiſſima ſolitariæ iuſtitiæ ſpecies reſpicienda. Sapientiſſima ſimul & ſanctiſſima femina Hildegardis Philippum Flandriæ Comitem ſic monuit: *Attende, ô fili Dei, vt puro oculo iuſtitia in Deum velut aquila in ſolem aſpicias, & vt abſque proprietate voluntatis tua iudicia tua iuſta ſint.* Opus Principis æquitas eſt; elegans, lepidum, perfectum elaboret, accuretque oſtendere populis, & quanta arte polleat probare: nulla eius errati exceptio admittetur, ſiue amicorum cognatorumve importunitate pulcherrimo peccauerit artificio. Regiam ſtatuam fabricaturus ſculptor, regulas artis ſequetur, non quæ amicus ignarus ſtatuariæ dixerit: ſic Rex iuri æquitatique ſolùm pareat, cetera ſurdus. Quid diceremus de peritiſſimo ſtatuario, qui adorandum omnibus ſimulacrum informe feciſſet, truncum, aut mutilum, aut monſtroſum? Num aliqua excuſatio eſſet, quòd accedens amicus poſtulaſſet manum illi amputare, aut naſum recidere, aut vnum brachium prolixius & delicatius altero producere, aut fœdo onerare gibbo? Regi quoque nulla eſt excuſatio temerandæ fœdandæque pulcherrimæ æquitatis, precibus id feciſſe aut perſuaſione aulicorum, aut priuato lucro. Tantò magis curet ſuæ auguſtæ artis opus elegantiſſimum facere, quantò præſtat ceteris artificiis bonum publicum æquitate reſultans. Quemadmodum peritia gerendi publicas res, ars artium eſt, & ſcientiarum ſcientia, iuxta diuinum Gregorium; ſic in eius vſu & elegantiâ cura curarum adhibenda eſt: nam & eius opus, ſalus publica, opus operum dici debet. In hoc imitetur Princeps Deum, hos honores Regiâ Maieſtate dignos habeat, hoc feliciſſimi Imperij pulcherrimum ſceptrum, æquitatem; non fulmen (vt Plutarchus ait) non tridentem, quomodo nonnulli ſe pingi ac fingi iubentes, ſtultitiam ſuam inuidiæ expoſuerunt, dum affectant ea quæ conſequi nequeunt. Succenſet enim Deus tonitrua & fulmina radiorumque proiectus imitantibus. Qui verò virtutem ipſius æmulantur, & honeſtate humanitateque ipſum referre conantur; ipſe hoc ſtudio eorum delectatus, eos auget, ſuaque æquitate iuſtitiæ, veritate ac manſuetudine impertit. quibus nihil eſt diuinius; non ipſa perpetuitas, atque æternitas: non enim ob tempus vitæ beatus eſt Deus, ſed virtutis principatu.

Capvt II.

Iuſtitiæ cultus.

ÆQuitatis ſeu iuſtitiæ duo ſunt membra: donandi præmij vnum, reddendæ alterum pœnæ. hæc dixit Democritus communes rerum publicarum *δαίμονας*, fortunas, genios, angelos. Licet pulcherrimum ſui pretium ipſa ſibi virtus ſit, pœnitet multos gratis bonos eſſe: vnum de millibus domat ipſa honeſti ſpecies & decor. vix eſt qui credat grandem ſui mercedem ipſam virtutem: quare appendice alio præmio neceſſum eſt prouocari mortales. Adiicienda eſt mercedi ſoror ſua pœna. multitudo non rationi paret, ſed neceſſitati: minorem ſenſum honoris habet quàm doloris: quare improbi, velut iumenta, afficiendi ſunt ictu, aut metu; & quos pudor innocens non vltrò cruentat, timor ſeuerus conſternat inuitos. Hanc partem, quia ignobiliorem, deleget aliis Princeps; illuſtriorem illam honeſtandi dignos, per ſe potiùs exerceat: neutram negligat, ſed in delegatos alterius iudices ſolicite animaduertat, & inquirat, ad exemplum Conſtantini. Cuius iſtam memorandam legem Theodoſianus Codex habet: *Si quis eſt, cuiuſcumque loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcumque iudicum, comitum, amicorum, vel palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifeſtè probare poſſe confidit, quod non integrè atque iuſtè geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat; interpellet me, ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam: & ſi fuerit comprobatum, ipſemet vindicabo. Dicat ſecurus, & benè ſibi conſcius dicat: ſi probauerit, vt dixi, ipſe me vindicabo de eo, qui me vſque ad hoc tempus ſimulatâ integritate deceperit: illum autem qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi ſumma diuinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, vt cupio, feliciſſimâ & florente Republicâ.* (Lib. 9. Cod. Theod. tit. 1.) Hæc ille. Non minor cura Henrico III. optimo Caſtellæ Regi: de quo Palentinus hanc

Politicam

Politicam in prouidendis iudicibus narrat. *Henricus tantâ charitate ſubditorum facta gerebat, vt & omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret: & ſub eo omnes prouinciæ & ciuitates floruerunt. Bonos iudices & rectores non mutauit: dicebat enim duplicem irrogari iniuriam, ſi bonis viuentibus gubernatoribus alios ſubſtituiſſet: primam ciuitati, quam optimo & noto priuabat rectore; alteram iudici, qui non niſi ob eius probitatem remoueri videretur. Nihilominus ſicut prouinciis bonos Præſides & Rectores præponebat; eâdem animi virtute & ſeueritate in eos acerrimè animaduertebat, quos in gerendis Magiſtratibus & officiis, nedum delinquentes, ſed ditatos conſpexit. dicebat enim, eos iudices non indigere alio ſyndicatu, aut aliâ peſſimi regiminis probatione, niſi quòd pauperes Magiſtratum accepiſſent, ſed locupletes inde euaſiſſent. Imitatus eſt Henricus Antoninum Pium Imperatorem, qui, vt Capitolinus ait, quemdam Prætorem deſignans paruo tempore in officio ditatum, ad Senatum ait: Audiſtis Prætoris noſtri filios indutos purpurâ, quem, antequam Prætor fieret, mendicum & pauperem nouimus; ſed ſubitò diuitem factum. & ſubdit: Vnde, quæſo, niſi de viſceribus Reipublicæ, & pauperum ſanguine? Quare ſimiles in officiis locupletatos, non iudices, aut Rectores, ſed ſpoliatores dixerim, qui creditas ſibi ciuitates arbitrantur, vt luxurientur, & diuites fiant, vt alios pauperes efficiant.*

CAPVT III.

Ne ſit venale ius.

CVret Princeps honores iuſtitiæ: nam contemnetur ius, ſi nummis æſtimetur. multa fiunt vilia, hoc ipſo quòd habent pretium. ſceleſtiſſimum eſt, ipſum fas & ius venale tradere iniuſtè. quidquid ſacrum, ſacrilegum eſt vendere. Actiùs Bleſenſis ait: *Acceptior eſt apud Deum iuſtitia, quàm præbenda. Ideóque cùm in vtroque poſſit ſimonia committi; damnabilior tamen eſt omnis venalitas in exhibitione iuſtitiæ, quàm in venditione decimæ aut præbendæ.* Ergo retundatur ambitio cæca cupientium, proterua refrenetur audacia. qui lucrum de malo quærit, pœnâ propoſitâ terreatur: qui honorem per nefanda deſiderat, amiſsâ potiùs opinione turbetur. Generosè Præfectus Prætorij inquit: *Noſtris temporibus ſcelerata pecunia non valebunt; nec culpam ſuam redimet, qui reum ſe eſſe cognoſcit. iniquis fraudibus non patebit occaſio: perſequimur, non vendimus excedentes.* Princeps ipſe doceat venerationem iuris, donans tribunalia, non vendens. quid mirum, ſi vendant iudices iura, ſi ipſis Rex vendidit iudicia? Neceſſe eſt, vt qui emit Magiſtratum, quæſtum reparet, quanto illum comparauit, mercaturam doctus à Principe. Non eſt credibile, quòd vir egenus, ſi probus eſt, velit quæſtui Rempublicam habere; ſi improbus, quòd non velit poſt exemplum Regium. Alexander Seuerus honores iuris gladij numquam vendi paſſus eſt, dicens: *Neceſſe eſt, vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim punire eum hominem qui emit, & vendit.* Similiter criminatur Seneca: *Prouincias ſpoliari, & nummarium tribunal, auditâ vtrimque licitatione, alteri addici, non mirum: quando quæ emeris, vendere, gentium ius eſt.* Damna huius mercaturæ ſatis monuit Reges Chryſoſtomus: *Dignitates factæ ſunt venales: mille hinc damna naſcuntur, & tamen nemo eſt qui corrigat, nemo qui reprehendat; ſed viam quamdam atque ſequelam nacta eſt hæc merces.* Gnarus huius mali Iuſtinianus ait: *Pecunias ex officiis conquirere, omnium flagitiorum principium eſt, & finis: hinc enim nundinarum & publicorum conuentuum confuſio: hinc legum contemptus & Magiſtratuum: hinc demum in rebus publicis malorum omnium cauſſa & origo.* Idem ait: *Subiit animum cogitatio, quo tandem facto, quidquid vſpiam in prouinciis noſtris noxium exiſtit, poſſemus vno generali actu ad meliora traducere: & re ipsâ hoc euenturum deprehendimus, ſi demus operam, vt gentium Præſides qui ciuilia in prouinciis officia adminiſtrant, puris vtantur manibus, & omni prædâ abſtineant; his ſolis contenti, quæ præbentur ex publico. quod quidem aliter non fiet, niſi quoque ipſi officia gratuita ſuſceperint, neque prætextu (vt vocant) ſuffragiorum, neque iis qui Magiſtratus gerunt, neque cuiquam alij quidquam dantes.* Eiuſdem Imperatoris eſt: *Volentes illiberalia illa & ſeruilia furta tollere, & collatores noſtros tueri, ne quid aſperum à prouinciarum moderatoribus patiantur; propterea gratis illis officia conferre ſtuduimus, ne quam ad delinquendum decipiendumque ſubditos occaſionem habeant, dedignantes imitari eos qui ante nos Imperio præfuerunt, qui pro pecuniis conferentes officia, ſibi ipſis iuſtè increpandi eos qui iniuſtè ſe in officiis gerebant, copiam ademerunt. digni profectò quibus propter turpiter acceptam pro officiis pecuniam, capita obducerentur pallio: cùm neque ſuos eâ re collatores ab improbis Præſidibus eripere, neque ob prædictam cauſſam ipſos Præſides coërcere potuerint.*

Epiſt. 95.

Caſſiod. lib. 12. 6.

Lib. 1. de Benef.

Modum reddendi iuris diſertè expoſuit Calliſtratus, illuſtriſſimus Iuris Antiſtes; cuius meritò præcepta, inſtituturus Præſides, tranſcripſit Iuſtinianus Cæſar in Pandectis. *Obſeruandum eſt ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur. vnde mandatis adiicitur, ne Præſides prouinciarum in vlteriorem familiaritatem Prouinciales admittãt: nam ex conuerſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo, neque excandeſcere aduerſus eos quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrymari oportet: id enim non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. & ſummatim ita ius reddet, vt auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat.* Appendendum hîc eſt pro Officialibus reſcriptum Conſtantini ex Theodoſiano volumine. *Ceſſent, inquam: nam ſi moniti non ceſſauerint, gladiis præcidentur. Non ſit venale Iudicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretarium, non viſio ipſa Præſidis cum pretio: æquè aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus reſerentur. Abſit ob inducendum eius qui officij princeps dicitur, deprædatio. nullas litigatoribus adiutores eorumdem officij Principum concuſſiones adhibeant: Centurionum, aliorumque Officialium, parua magnáque poſcentium, intolerandi*

Pulchra Calliſtrati & Conſtantini leges.

Lib. 1. tit. 6.

impetus

impetus oblidantur, eorumque qui irrgantibus acta reſtituunt, inexpleta auiditas temperetur. Semper inuigilet induſtria præſidalis, ne quidquam à prædictis generibus hominum de litigatore ſumatur. qui ſi de ciuilibus cauſſis quidquam putauerint eſſe poſcendum, aderit armata cenſura, quæ nefariorum capita ceruiceſque detruncet, datâ copiâ vniuerſis qui concuſſi fuerint, vt Præſidum inſtruant notionem. Qui ſi diſſimulauerint, ſuper eodem conquerendi vocem omnibus aperimus apud Comites cunctos prouinciarum, aut apud Præfectum Prætorium, ſi magis fuerit in vicino: vt his referentibus edocti, ſuper talibus latrociniis ſupplicia proferamus. Hæc pius Princeps vtiliter edixit.

CAPVT IV.

Conſolatio miſeri iuſtitia Regis.

OPortet maximè, ne difficiles aures arbiter rerum & iuris habeat. Sanctè gloriatur Senator apud Caſſiodorum: *Quod maximè iudicem dehoneſtat, nundinatio à me fœda neſcitur; non enim verba mea more veſtium ſuſpenſa venduntur.* Quo die multorum hominum millia alloquebatur Deus, non dedignatum diuinum oraculum ſingulos compellare in promulgatione legis. *Exemplum hic datur,* Philo inquit, *ne quis vmquam Rex ſuperbè deſpiciat priuatum obſcurumque ciuem, ſed doctus à ſacris legibus deponat ſupercilium, faſtumque dediſcat, ſic ſecum cogitans: Si ille ingenitus, immortalis, ſempiternus, nullius indigus, Creator rerum omnium, beneficus, Regum Rex, & Deus deorum, ne humillimum quidem contemnere ſuſtinuit; ſed hunc quoque admiſit ad oraculorum ſuorum epulum, tamquam inuitato ei ſoli preparatum ad exhilarandam animam, quantum fas eſt, ſacris magniſque myſteriis initiatam: ego mortalis cur inflatus ceruicem erigam? Homo enim cùm ſim, non eſt æquũ, vt maieſtatem tragicam in me recipiam: continebo me intra naturam meam.* Didicit hunc Regium, imò diuinum, facilis conuerſationis morem Rudolphus primus: cùm ab eius congreſſu auerterent aulici tenuioris fortunæ homines, Sinite, inquit, homines ad me venire: neque enim ideò Imperator ſum, vt arculâ includar. Nolenti Adriano audire feminam, cùm per otium minùs poſſet; clamans illa dixit: Noli ergo imperare; tum admonitus officij, illam admiſit. Non ſit tanta maieſtas, vt in faſtum degeneret. ſibi dictum capiat illud Nazianzeni ad amicum Iulianum Præfectum tributorum exequendorum: *Vniuerſam Deus rerum machinam ſolo iuſſu atque imperio procreauit. Maius autem & ad incutiendum pudorem accommodatius nobis contulit; nempe commiſerationem, atque honoris æqualitatem. Quid verò nos Chriſti diſcipuli, illius inquam mitis & benigni, & qui nobis vſque adeò miniſtrauit? non Magiſtri pietatem nobis imitandam proponemus? non benignos ac faciles nos ipſos conſeruis præbebimus, vt talem ipſi quoque Dominum experiamur, nobis videlicet eâdem menſurâ, qua menſi fuerimus, repenſurum? non animas noſtras lenitate redimemus? Satis ſuperque graue eſt liberis hominibus ſeruitute premi, tantumque inter eos, qui ex eadem terra maſſa coagmentati ſunt, intereſſe, vt alij imperent, alij imperio teneantur; alij tributa conſtituant, alij tributi cauſſa deſcribantur; alij iniuriam inferre maloque afficere impunè poſſint, alij ne quid patiantur laborent, ac precibus contendant; eaque circa vnam & eamdem imaginem, circa vnam & eamdem dignitatis præſtantiam contingere, circa eiuſdem vitæ heredes, & pro quibus Chriſtus æquè mortuus eſt. Satis, inquam, hæc liberis hominibus moleſta ſunt: ne quid huic iugo ponderis addatur, ne quid pœnæ illi, qua primum noſtrum peccatum mulctatum eſt, acerbitatis accedat.* Hactenus ille. Magnum populis ſolatium, etiam non obtinentibus cauſſas, conſcientia auriti & iuſti arbitri præſtat. Ariſtides Sophiſta in Marco Aurelio hæc laudat: *Omnes ab eo ius ſuum conſequuntur, nec eius iudicia quiſquam calumniatur, ſiue actor cauſſa cadat, ſiue reus vincatur. Verùm vterque æquo animo & hilaris diſcedit; nec aliter de re iudicata ſentit is qui cauſſam obtinuit, quàm qui litem perdidit. Quòd ſi pœnas aliqui dare cogantur, non id tam graue ducunt, quam quòd maiora non patiantur, præclarè ſecum agi putant.* Cauſſis pauperum auritior & felicior Princeps ſit, eorumdem non ſolum iudex, ſed patronus, ſed procurator. Laudanda in hoc Maria Aragoniæ Regina, ſtatos hebdomadæ dies pauperibus, viduis, orphanis audiendis ſacros habebat.

Lib. de Decalogo.

CAPVT V.

Proponitur exemplum iuſtitiæ Petrus Rex Luſitaniæ.

EXhibebo Petrum Regem Luſitanum, præmiorum ſuppliciorumque liberalem artificem, maximum iuſtitiæ cultorem, cui Aſtræa è ſummo æthere aureas tradidit lances: cuius ſtudium æquitatem tuendi, pacemque iuſtitia colendi, nonnulla expiauit indigna tanto Principe; quæ nihilominùs non obſtiterunt magnæ inter maximos gloriæ adeò iuſtitiæ nomine meruit de omnibus. Tres Reges eiuſdem nominis, nec diuerſi ingenij, Aragoniæ, Caſtellæ & Luſitaniæ Regnis tunc temporis potiebantur. Aragonius & Caſtellanus ſua Regna afflixerunt; Luſitanus non tantùm ſeruauit, ſed felicitauit. Sæui natura omnes tres: ſed quia Portugalliæ Rex ingenium flexit excolendo exquiſitè iuſtitiam, non tantùm fuit melior Petro Caſtellæ & Petro Aragoniæ aſperis & ſæuis Regibus, ſed multis aliis clementiſſimis. Aureum ſæculum appellatum Luſitanis, quamdiu hic Petrus imperauit: dum alia Hiſpaniæ Regna implacato æſtuabant Marte, ardebant bellis, & ſuorum Regum crudelium impatientia laborabant, Luſitania mira elucebat pace, multis exundabat opibus, ſui Petri non dicam crudelis, non ſæui, ſatis eſt dicere ſeueri, beneficio. Non iræ ſuæ, ſed crimina aliena durum illum fecerunt. Proptereà meruit ab hominibus laudem excuſationemque multorum, à Deo veniam Chriſtianis procuratis ſacris. Qui Luſitaniæ Regum geſta

Digitized by Google

ſcripſit, ſe in veteri memoria comperiſſe tradit, eximia & ſingularia Petrum, maximè in morte, Numinis ſuſtinuiſſe beneficia, tum quòd rectus & iuſtitiæ fuerit amantiſſimus, tum præcipuè meritis & interuentu ſanctiſſimi Apoſtoli Bartholomæi, quem religioſiſſimè ſemper coluit, cuiuſque nomine, & priuatim & publicè, multa & maxima in egenos ſemper contulit. Aſſerit vlteriùs, conſtantem & vetuſtiſſimam in Alcobacienſi Cœnobio famam eſſe, poſtquam è viuis iam deceſſerat, gelido corpore, & mox iis aromatis, quæ corruptionem vel impediunt vel remorantur, farciendo, ad viuos iterùm rediiſſe magnâ aſtantium trepidatione: aduocatoque mox Sacerdote, qui ſibi à ſacris confeſſionibus fuerat, vbi crimen, quod per obliuionem viuo excidiſſet, ritè expoſuit, & ſacrâ abſolutione expiauit, compoſitis iterùm membris ſuauiter conquieuiſſe. Quod ſibi adeò rarum & peregrinum beneficium, ob iuſtitiæ inuiolatam & incorruptam ſemper obſeruantiam, atque eximia apud Numen Bartholomæi promerita, obtigiſſe conteſtatus fuit, ne æternum ſalutis diſpendium animo non ritè expiato ſubire cogeretur. Mirum quibus modis, & quidem miris, iuſtos Principes Sacramẽtis ſuis Chriſtus donet. Egregium humanæ iuſtitiæ facinus cum complacentiâ diuinæ iſtud idem demonſtrabit. Herkinbaldus multis nominibus, ſed potiſſimùm iuſtitiæ cultu, illuſtriſſimus, dum grauiter lecto decumberet, tumultum in primâ camerâ clamoreſque fœmineos exaudiuit. Quidnam eſſet ſciſcitatus, ab omnibus pro more aulæ ſuppreſſam veritatem extorſit minis; quibus quidam ex pueris perterritus, paucis aſſeruit: Domine, filius ſororis veſtræ, quem omnes poſt te primum timẽt & colunt, virginem oppreſſit puellam. Quo audito, & re plenè cognita, chariſſimum nepotem ſuſpendi mandauit. Seneſcallus, cui id iuſſum fuerat, ſe facturum ſimulans, egreſſus iuuenem admonuit ad tempus latere; & ad ſenem rediẽs, impleſſe iuſſa eſt mentitus. At quinto die exiſtimans iuuenis auunculum iam culpæ oblitum, aperto cameræ oſtio introſpexit: quem vt infirmus vidit, blandis aduocans verbis, ad lectum reclinare permiſit. tunc Herkinbaldus, arreptâ conſanguinei cæſarie, caput læuâ contorquens, & dextrâ cultellum gutturi eius validè infigens, occidit. Poſteà dum morbum letiferum perſenſit, aduocauit Epiſcopum: cui, poſtquam cum Sacramentis aduenìſſet, multis cum lacrymis & magnâ cordis contritione omnia peccata ſua nudè confeſſus eſt, tacitâ dumtaxat morte, quam paucis antè diebus nepoti intulerat. Quem ſubinde arguens Epiſcopus, dixit: Quare celas recens homicidium, cùm cognatum manu tuâ peremptum vidimus? Ad quod ſenex retulit: Neque ego hoc peccatum iudico, neque id mihi à Deo remitti depoſco. Cui iterùm Epiſcopus: Confitere crimen, vt Deus tui miſereatur; alioquin ſacro Viatico deſtitutus abibis in tartara. Herkinbaldus intrepidè reſpondit: Teſtor Deũ, nepoti me chariſſimo non liuore, non odio, ſed iuſtitiæ zelo necem intuliſſe. ſi propterea Sacramenta mihi negaueris, ſpero ſaltem ſpiritualiter Viatici fructum me percepturum. Quo audito, Epiſcopus recedebat. cui mox reuocato dixit ægrotus: Perquire an in capſellâ ſit Sacramentum Corporis Chriſti, & cùm aperta pyxide Sacramentum non appareret, ſubiunxit Herkinbaldus: Ecce quem mihi abnuens tecum portaſti, non ſe mihi denegauit Chriſtus. illicò, aperto ore, hoſtiam in lingua demonſtrauit. Redeo iam ad Luſitanum Principem.

Ingens iuſtitiæ amor Petro Regi Luſitano.

Æquè fidiſſimus malorum vindex, ac liberaliſſimus bonorum æſtimator fuit Petrus, & ſine auaritiæ diligentia, ſine ſubditorum miſeria diues, pace felix. Damnatorum diuitias ærario nuſquam Regio addixit; ſed in Duces, & optimè de Regno meritos viros, diſtribuendas curauit. Plebem nouis vectigalibus & ſtipendiis nullatenus oppreſſit: imò admonitus aliquando, vt Regiis, quos à maioribus acceperat, theſauris aliquam acceſſionem faceret; illum laude digniſſimum Regem ſe arbitrari reſpondit, qui cùm à maioribus acceptas diuitias tueatur, Regiis ſe vectigalibus alat, citra populi iniuriam. Ingenio ita liberali & ad conferenda beneficia procliui fuit, vt illo ſe die Regem minimè fuiſſe diceret, qui nullo collato beneficio elapſus eſſet: aliquãdo cingulũ ſibi laxari iuſſit, vt brachia liberiùs ad donandum extendere poſſet. Nobilibus, qui in Curiâ & aulâ verſabantur ſtipendia auxit. De ſe vel Republ. benè merentes magnis honoribus & donis cumulauit; neque cuiquam ea, quæ pater liberaliter dono dedit, aut imminuit, prorſus abſtulit. Conuiuia quibus nobiles excipiebat, dum Regni fines inuiſere ſolitus erat, lauta ſemper & oppipara fuere, quamuis aſſidua; quippe crebrò Regnum vniuerſum perluſtrabat, vt maiores & potentiſſimos quoſque in officio contineret: minores, abiectos, iniuriis obnoxios, & expoſitos ab eiſdẽ vindicaret. Cùm igitur his duobus Regium munus contineatur, bonorum nimirum præmio, ſontium ſupplicio atque pœna, Petrum, qui in vtroque excelluit, mirè, in primis numerandum Regibus eſſe cenſeo. leges aliquot tulit acerbas quidem, ſed populo gratiſſimas. Capitali ſupplicio & bonorum proſcriptione iudicem damnauit, quicumque ſe muneribus corrumpi pateretur; quod & aliquando exequendum curauit. Flagellum è zona appenſum geſtabat, argumentum inſtantis iuſtitiæ. Ita ſe apud vicinos Reges geſſit, vt in magnis bellorum tumultibus, quibus Aragoniæ & Caſtellæ Regna afflictabantur, perpetua ipſe pace potitus fuerit. Nec alio ingenio, nec iniuria quidem, ſed hoc communi pacis beneficio priſcorũ Regum theſauros locupletauit ingẽti auri & argenti facti infectique vi; quam ſine popularium oppreſſione, & poſt ſummam liberalitatem, ex diuturna comparauit pace. nam plus ſibi poteſt pacatus Rex dare, quàm ab hoſte victor accipere.

Exceſſus iuſtitiæ.

Hæc propono imitanda Principibus; nõ alia, in quæ nimius iuris amor adegit Petrum cum ipſius iniuria iuris, auguſtam Regiæ æquitatis Maieſtatem offendens. Impos ſibi imperandi, abſtinere non potuit, quin violentas ipſe manus ſontibus, qui ipſi ſiſtebantur, inferret. Miniſtros quoque Eccleſiæ incontinenti iuris ſeruandi libidine inuaſit. ſacerdotem homicidam, exercitio Ordinum priuatum, occidi à lapidicida fecit; quo comprehenſo prolatoque ad iudicium, iuſſit, ne ampliùs lapides excideret. Clericus, inquit, homicida dãnatus eſt officij ſui

priua

Digitized by Google

priuatione : ergo quoque iſtum homicidam ſui officij vſu priuo. Filius in patrem manus iratas immiſit. iuſſit Petrus accerſiri matrem : præcipit feminæ explicare patrem ſui filij, inficiatus hunc maritum poſſe eſſe. illa fatetur è Monacho quodam ſuſcepiſſe adulteram prolem. mox Rex ipſe Cœnobium adiens, trucidari iuſſit Monachum. Impatientiſſimus adulterorum fuit, ardentiſſimâ in eos ſæuitiâ profuſus. Nouit præcipuum ex aulicis, quem charum & intimum habebat, cum coniuge alienâ adulterum : ſtatim imperauit virilia eius abſcidi.

Mores imitandi Petri Luſitaniæ Regis.

Poſt hæc charus populo fuit, & optatus, & vtilis. adeò iuſtitiæ in reliquis amor, liberalitáſque erga bonos, impetrauit gloriam homini immiti : qui licet ſæpè ſæuiit, numquam gratis ſæuiit. Sæpè gratis benefecit ; nec enim iuris amore plus prætergreſſus limites ipſius iuris, quàm honoris. non magis immitis fuit, quàm comis, familiaris, liberalis. perinde malorum oſor, ac bonorum amator : contra illos ad inſaniam feſtiuus. Quâ nocte Ioannes Alphonſus Tellus pro more priſco Hiſpaniæ inaugurandus Eques, perſtiturus vigil erat ad arma capeſſenda, quinque millia lampadum à totidem hominibus ſuſtineri iuſſit, placidus inter illos ipſe pernoctans. Dictum de hoc Principe quod de Seuero Cæſare, aut non naſci debuiſſe, aut non mori. plerique æternum volebant. Multa habuit digniſſima, & digno Regi neceſſaria : qualia ſunt, immenſa liberalitas erga bonos ; nulla auaritia erga plebem, quam vectigalibus & tributis numquam preſſit ; ardentiſſimus amor iuris, legúmque reuerentia ; inuicta cura & diligentia officij Regij, procurandæque ſalutis publicæ. Luſtrabat propterea ſæpiſſimè totum Regnum, cauſſas pauperum procurandas quærens, non exſpectans modò. Hoc maximè ſolicitum habebat Regem, ne miſerum potentior opprimeret. In hoc quoque clarus Deioces Medorum Princeps, ſi quem intellexiſſet iniurium cuipiam, hunc ad ſe accitum indictâ pro delicti modo pœnâ mulctabat : in quem vſum exploratores auſcultatoréſque per vniuerſam ſuam ditionem diſpoſuerat. Mycerinus Rex, vt ſe obſtringeret curandis pauperibus, è ſuo cenſu & pecuniâ reſarciebat furta, quaſi ſe mulctans ob ob incuriam prouidendæ iuſtitiæ. Perpetuo denique pacis ſtudio felicitatem diuitiaſque Regno procurauit Petrus, ſibi inſuper gloriam. Contentus vno Regno felicitando, noluit alia infeliciter conquirere. Nam

Regibus è multis Regnum cui ſufficit vnum,
Vix Rex vnus erit ; ſi tamen vnus erit.
Regibus è multis Regnũ benè qui regat vnum,
Vix Rex vnus erit ; ſi tamen vnus erit.

Phœniceus Princeps, quem magnus vir Thomas Morus exoptauit, Petrus Luſitaniæ Rex fuit, contentus ſuo Regno, optimè ipſum moderatus.

CAPVT VI.

Modeſtia regnandi.

QVemadmodum ſtudia regnandi priuatis hominibus odioſa & turpia ſunt ; ſic & Regibus auaritia amplificandi nouis prouinciis Imperij. Accidit, quod Sidonius pulchrè ait: Sicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi deſideria dominantur. At non minùs modeſta Principis cupiditas debet eſſe, quàm ſubditi. Plato dixit : *Si bonorum virorum extaret ciuitas, in eâ, vt arbitror, haud aliter non imperandi gratiâ pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupiditate ; ibique pateret reuerâ legitimum Principem non ſui ipſius, ſed eius qui ſub ipſo eſt, commoditatem reſpicere.* Quare vnuſquiſque qui amens non ſit, potiùs eliget alium ſibi prodeſſe quàm, dum aliis ipſe conſulit, ſeſe negotiis implicare. Idem ait: *Oportet neceſſitatem illi imponere & multam, ſi futurum eſt vt velit Magiſtratum accipere.* Quare videtur turpe quòd quis ſponte ad imperandum accedat, neque expectet neceſſitatem. Tam abſit à Rege, pro Imperiis nouis bella mouere, dum Imperia ſola quæruntur, vt potiùs pugnandum eſſet illi pro deponendo proprio Regno, quàm pro alieno acquirendo. Non eſt regium vitiò regnare, quantò minùs audè, iniuſtè ? Inuitum non inuitis imperare, glorioſum & imperatorium eſt. Diuino viro Henrico Suſoni hoc è cælo oraculum de antiquis Germaniæ Cæſaribus detonuit : *Electus in Romanum Imperatorem, inuitus quidem ſummâ modeſtiâ, humilitate ac timore, Regni gubernacula ſumebat, perſuadénſque ſibi ſe eâ ex cauſſâ Chriſti ſeruum eſſe corpus, animam, diuitias, facultates & honorem ſuum Deo offerebat.*

Æquitas in bellis declinandis.

Credo & iſtud pacis ſtudium ad æquitatem ſpectare : quam propterea Cyrillus Alexandrinus pacis plantulam dixit. Non eſt ſolùm Princeps cuſtos iuſtitiæ in Regno ; ſit & exemplum, maximúſque ſacerdos iuris, cultor æquitatis colat in ſe quam in aliis ſeruat. æquus ſit ſubditis, iuſtus æqualibus, qui inter inferiores æquitatem iuſtitiamque tuatur. Vtrumque præſtabit pacis affectu : bellum enim magnus anfractus iuris, & periculum totius iuſtitiæ eſt. In primis belli cauſſæ ſæpè dubiæ ſunt, aut coloratæ ; quas ambitio ſubtiliter purpurat, & honeſtatis obducit cocco. Quid ? cùm iuſtum bellum euidenter eſt, iniuſte haud rarò exercetur, & ſæpè non eſt neceſſarium. Quare tunc excuſandum, quia difficulter excuſari iniuſtitiæ poſſunt, etiam in bello iuſto. ſæpè ſuos priùs ſpoliat, ſpoliaturus alienos. Vltionis aut furoris titulus ignobilis eſt belli cauſſa. Nihil niſi ratione poſſeſſus Princeps decernat ; tunc tantùm Princeps, tunc Dominus, ſi habeat affectus, non habeatur. Notabiliter Nahum dixit: *Vlciſcens Dominus, & habens furorem.* Cap. 1. Iſtud ſignanter dictum eſt, ait Stephanus Cantuarienſis, quia, qui furorem non cohibet, imò cum impetu furoris agitur, potiùs poteſt dici quòd habeat eum furor, quàm ipſe furorem. & iuxta illud Iob, *Cùm apprehenderit eum gladius, non poterit ei reſiſtere neque haſta, neque thorax;* Cap. 41. dicitur, qui per abrupta furoris graditur, non apprehendere gladium, ſed à gladio apprehendi. Sed quia talis impetus in Deum non cadit, rectè dicitur *habens furorem* : licet enim ſit iratus, nulla tamen ita dominatur ei. Verumtamen graue eſt, cùm pro peccatis hominũ ille, qui miſericordia eſt, iraſci cogitur. Vnde Iſaias ait: *Sicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur, vt faciat opus ſuum,* alienum

Digitized by Google

alienum opus eius. Quaſi alienum eſt hoc opus ab eo cui proprium miſereri eſt ſemper & parcere. Ita Princeps opus alienum ſibi reputet bellum: nec vltrò velit eſſe niſi vitæ auctor. Bellum autem egregiè Mebodes appellauit pictorem & archetypum mortis, atque humanorum malorum doctorem naturâ ſuâ doctum.

CAPVT VII.

Pacis ſtudium.

DEinde in paucitate tributorum vectigaliumque oſtendat ſe Princeps ſuis æquum: oſtendet quidem pacis beneficio; plura bella iuſta, omnia non neceſſaria, prudenter eludens. Marciani Imperatoris laudanda pigritia armorum, ſoliti iterare: *Dum in pace eſſe poſſumus,*
Orat. 9. *arma non induamus.* Diſertè Gregorius Theologus ex bello tributa orta dixit, quorum proſapiam ſic deſcribit: *Ex peccato factum eſt, vt ad laborem naſcar, & viuam, ac moriar. Hinc indigentia nata eſt; ex indigentiâ cupiditas plus habendi; ex cupiditate bella; ex bellis tributa, quibus in diuinâ condemnatione nihil grauius eſt & acerbius.* In pace Rex non multis indigebit opibus: non egebit Regnum, abundabit. nulla eſt tam diues aurifodina, nulla India, nulla Arabia tam felix, quàm pax Regni. plus hæc dabit, quàm Indicæ claſſes. ex hoc penu Salomonis diuitiæ immenſæ, etiam ante nauigationes Indiæ. Hunc philoſophicum lapidem, amorem pacis, ſi haberent Reges, aurea facerent Regna. Inaugurandum in Oriente nouum Imperatorem, Codinus ſcribit, in ſcuto priùs ſeſſitantem, in ſublime elatum eminuiſſe vniuerſo populo ſuſcipiendum. hoc commentabantur ritu, magnitudinem Imperij pace & requiete potiùs permanere; aut ſi aliquando bello, potiùs eo pro defendendâ ſuâ Republicâ, quàm aliena offendendâ Principem vti debere, & quæ poſſit incruentè vincere. Iuſtam gerendi belli laudem Conſtantio Auguſto tribuit Nazianzenus, omnibus in hoc Principibus imitando. Defunctum alloquitur, cùm tota adulatio Principum inuidiæ decedit: *Non tuæ ſolùm, ſed etiam ſuperioris memoriæ Imperatores animi ſolertiâ & acumine longè antecellebas: qui barbaras nationes per gyrum repurgabas, tyrannoſque inteſtinos ditioni tuæ, partim ſermonibus, partim armis ſubiiciebas, & quidem vtrumque ita dextrè & egregiè, quaſi ab altero nihil moleſtia tibi exhiberetur: cuius cùm magna & eximia trophæa, armis & prælio quæſita, tum maiora & illuſtriora ſine vllâ cruoris profuſione parta: ad quem legationes & ſupplicationes vndecumque confluebant. Cui nationes omnes, partim iam dicto audientes erant, partim iam iam futura erant; vt in eâdem cauſſâ eſſent omnes ij, quorum expugnatio in ſpe poſita erat, ac ſi iam domiti atque in poteſtatem redacti eſſent. Qui Dei manu ad omnia conſilia, reſque omnes gerendas, vtebaris. Cuius denique & prudentia maiorem ſui admirationem mouebat, quàm manuum vires; & rurſus vires maiori admirationi erant, quàm prudentia; atque vtroque præclarior illuſtriorque erat pietatis gloria.*

Curet igitur Princeps ſtudio pacis, & compendio tributorum, non ſtare magno populis, non carum eſſe: moderato præmio ſeruiat ſaluti communi, moderatis impenſis agat publica negotia: tributa enim & vectigalia, ſalaria Regum ſunt. *Non ſit Princeps grauis ſubditis.* Quemadmodum ipſi Principes amant laborioſiores diligentioreſque miniſtros, qui modico ſtipendio, nec magnis impenſis perficiant mandata: ſic Rex, famulus publicus, maximus miniſter boni communis, & procurator Regni, mediocribus ſumptibus moderatâque mercede famuletur populis, & publicam agat rem. Non ſufficit negotiari felicitatem communem, ſi eam magno comparet: oportet compendioſè agere, vt paruo populis conſtet: neque enim ſatis eſt procuratori obtinere cauſſam, niſi cum emolumento, ſi non tantidem conſtet. Poterit tot ſumptus facere, vt cara procuratio iniuria ſit. Sic boni publici tutor curet, ſuis non oneroſus, nec magni ſumptus eſſe: iam ipſe malum publicum erit, ſi malè bonum publicum curet, aut per mala. Iniquiſſimus medicus eſſet, & peior morbo, qui neſciret ægritudinem niſi aliis ægritudinibus curare. Vnum Principem agere quod volet, gementibus lamentantibuſque ceteris, potiùs eſt carceris cuſtodem agere, quàm Regni. Inuentio principatus ad beatè viuendum excogitata à populis, inſpirata à Deo, non eſt detorquenda infelicitando vitam: ne idem faciat tutor Regni, quod hoſtis. Salutariter Prætorianus Præfectus ad Canonicarium Venetiarum: *Caue ne grauior fias hoſti-*
bus, ſi adhuc nudare velis exutos: chlamydes Caſſiod. lib. 12.
non paueſcant, qui arma timuerunt; rapinas non ſentiant poſt prædones. validas contra te apochas inuenerunt. inuictas ſecuritates illis dedit calamitas.

CAPVT VIII.

Regis gloria eſt opulentia Regni.

QVare, ſi Princeps ſit aut tam imperandi rudis, aut infelix, aut tam inuiſus ſuis, aut contemptus, vt niſi compilatione, oppreſſione, ſectione, eos in officio continere aut tueri non valeat, vel ſciat; glorioſius ipſi erit ſe abdicare Principatu, quàm his moderari artibus. Quinimò iam re ipſâ abdicatur, amiſſâ Maieſtate, quamuis Imperij titulos retineat: non enim Regium eſt exercere Principatum in mendicos, ſed in opulentos & felices. Præſtat Regem pauperem eſſe, quàm pauperum Regem eſſe diuitem. Conſultiſſimè Fabricius dixit, malle ſe imperare diuitibus, quàm eſſe. Ipſi Regi aut graue aut ignominioſum credo, inopis atque miſeri ſeruum eſſe. Non poteſt eſſe fortunatum, non honorificum, non magnum; quantò minùs Regium erit ſeruire Regno pauperi & afflicto? Hoc ignobilius erit, quantò pauperiori ſeruitur, quãtò ditior ſeruit. Amplietur auarus Princeps opes ſuas, condat locupletiſſimos theſauros, hauriat ſuorum ſanguinem, ſubſtantiam: eò indignior erit, quantò opulentior egenum marcidumque gerit Regnum. Non eſt à populis electus, vt miſerorum viſcera laniet, ſed vt tueatur; vt veſtiat nudos artus Regni, non vt etiã pelle nudet. imò

ſicut

Digitized by Google

ſicut nudum corpus veſtimus, facies tamen aperta & nuda eſt; ſic corpus ciuile curet veſtire Princeps, ſibi nihil quærat. Rex propter Regnum eſt, non Regnum propter Regem: quare Regni bonum ante proprium habeat, ſtudioſior publicæ tranquillitatis quàm ſuæ. Imitandus Deus, vniuerſi potentiſſimus Monarcha, vnus Rex, qui propter Regnum non ſit, ſed Regnum propter illum Rex propterea Regum, nullius ſeruus, cuius ceteri Reges ſerui ſunt & ſuorum Regnorum. Scilicet ingenuus Rex ſolus eſt, reliqui ſeruiles; nihilominus ſalutem & felicitatem ſuorum ſic curat atque ſuam; imò nullam ſibi vtilitatem, totam hominibus quærit. Meritò S. Proſper hanc Dei commendat beneuolentiam, &, vt ſic me explicem, beneiubentiam. nam

Non ideò quidquã mandat Deus, vt ſibi proſit:
Nec ſerui officio verus eget Dominus.
Cuius præceptis augetur, qui famulatur;
Fitque minor, quiſquis negligit imperium.

Caput IX.

Vtilitas Regni antehabenda.

STrictiori iure Principes humani, qui ad vſum populi conſtituti ſunt, eiuſdem toti vtilitati ſe erogent, adhuc vnde vtiles non videntur, tributorum exactiones refuſuri in ſuos, non retenturi, non iis ditandi ipſi. Oceanus aquarum rex licet omnes ebibat fluuios, qui ampliſſima tributa ipſi pendunt, eaſdem quas ſorbet aquas, reſtituit ad eorumdem vſum, vt fluant ſcilicet, vt ſoluant iterùm tributa. vnde flumina eſſent, vnde pelagus amarent, & per tot præcipitia requirerent, ſi totum, quem ipſi, dant, laticem ſuus Princeps conſumeret? Rex vt æquus ſit, velut æquor fiat. Aptè concionatur Salomon: *Omnia flumina intrant in mare,*
Eccl. 1. *& mare non redundat: ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterùm fluant.* Omnes exactiones Regiæ ad vtilitatem & velut populorum adipem referendæ ſunt, vt Elias Cretenſis
In Orat. 1. Naz. ait: neque enim Rex eſt, qui non ſuis opibus contentus eſt, atque omni bonorum genere excellit; qui autem eſt huiuſmodi, nullâ re indiget: nullâ porrò re indigens, ea quæ ipſi vtilia ſunt, minimè ſpectabit, ſed quæ ſubditis. Non ſe putet Dominum populorum, nec cenſum proprium publicam rem; ipſum ſe potiùs eſſe Reipublicæ, eſſe ſuorum: quos non vt ſeruos deſpiciat, potiùs vt dominos ſuſpiciat, quorum ipſe publicum ſe ſeruum intelligat, &, ſi honoratius aliquid velit, filiorum Dei pædagogum. Optimè Guigo ait: *Non tibi conandum eſt, vt domini tui, quorum ſeruitio ab eorum patre, id eſt, Domino Deo tuo, deputatus es, quod tu vis? ſed quid eis proſit agant. Te enim ad eorum vtilitatem, non eos ad tuam voluntatem inclinare debes, quia non vt præſis, ſed vt proſis eis, tibi commiſſi ſunt, ſicut & æger medico, non vt ei dominetur, ſed potiùs medeatur, committitur. Nec contra ægrum, ſed pro ægro, id eſt, contra ægritudinem eius eſt medicus; totamque & ſufficientem vindictam pro omnibus quæ ab eo patitur, ſalutem eius habet; neque enim aliquid ei imputat, ſed ipſi morbo; & ideò plena eſt ei vltio, morbi ipſius extinctio.* Marcus Aurelius Cæſar ſicut in multis, ita in hoc excelluit, in reuerentiâ & procuratione Reipublicæ: pecuniam ex ærario petebat à Senatu, quæ tamen in propriâ poteſtate erat: dicebat verò, theſauros & cetera omnia eſſe Senatus populique Romani. *Nos*, inquit, *adeò nihil habemus proprium, vt ædes etiam veſtras habitemus.* De eodem Principe Ariſtides ſcribit: Cùm penſiones multæ in Remp. conferrentur, ac tributa multa nondum ſufficerent, ſed æraria omnia eſſent exhauſta, & grauiora quoque in poſterum metuerentur, ipſe maiorem pecuniæ ſummam vt conquireret, coactus non fuit, nec eâ de cauſsâ acerbiùs ſe geſſit, verùm tributa ſubleuauit.

Caput X.

Onus tributorum.

SOlum neceſſaria onera iniungat Rex, & hæc dolens. Ioannes Primus Caſtellæ Rex ferali & lugubri veſte ſemper induebatur, quòd neceſſum eſſet ſe regnante tributis onerare populos. S. Gregorius Nazianzenus nihil grauius & acerbius in diuinâ condemnatione ob peccatum Adami cenſuit, atque opportunè tunc temporis Filium Dei cælo deueniſſe, cùm ad tributorum exactiones deſcribebatur orbis, vt tantùm onus ſolatium aduentus ipſius haberet. Sic ad Iulianum tributorum deſcriptorem dixit; eos, quibus huiuſmodi munera commiſſa ſunt, admonens, Deum ſemper maximis rerum adminiſtrationibus intereſſe. Et quidem, vt deſcriptores pudore quodam afficiat, tum demum commoueat, carnem aſſumit, & cum hominibus verſatur: vt autem ſeruituti noſtræ ſolatium afferret, animique æquitatem veluti lege ſanciret (nam ne id quidem contemptim prætereundum eſt) non modò ſuo, ſed etiam Petri, Diſcipulorum omnium chariſſimi, nomine didrachmam pendit. Nec mirum, cùm propter nos homo factus ſit, ſeruique formam ſuſcepetit, & pro iniquitatibus noſtris ad mortem ductus ſit. Accedit, quod proximum eſt, victorem etiam Deum afflictos habere.

Chilpericus cum Fredegunde coniuge valdè afflixerat Gallos: poſt multa flagella nouit rem ſacram miſerum eſſe. Tunc Regina, vt Gregorius Turonenſis ſcribit, *Venite*, aiebat, *incendamus omnes deſcriptiones iniquas: ſufficiat fiſco noſtro, quod ſuffecit patri Regique Clotario. Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, iuſſit libros exhiberi, qui de ciuitatibus ſuis per Marcum venerant: proiectiſque in ignem, iterùm ad Regem conuerſa; Quid tu, inquit, moraris? fac quod vides à me fieri, vt etſi dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde, tradidit omnes libros deſcriptionum igni; conflagratiſque illis, miſit qui futuras prohiberet deſcriptiones.* Expertus fuit Deum pauperum vindicem, quorum ſanguis vocalis in extorto ære ad cælum, ſicut Abelis cruor, vociferatur. Mirum eſt quod inter res geſtas ſancti Franciſci de Paulâ memoriæ proditur. cùm Neapolim veniſſet, à Ferdi-

nando Rege ipſius regiæ hoſpitio honorificicentiſſimè exceptus eſt. Munera quoque Principatu digna cùm Rex offerret in bonum Religioſæ familiæ recens à viro ſancto tunc conſtitutæ; negauit ſe accepturum, ſatius Regi fore conteſtatus, aliena ſi reſtitueret, quàm ſi adeò magnifice profunderet malè parta. Suboffenſo Regi, & neganti quidquam apud ſe eſſe alienum, repoſuit beatus Pater, eas ipſas pecunia quas obtruderet, pauperum ſanguinem eſſe, quem exaggeratis tributorum penſitationibus exuxiſſet. Fidemque dicto fecit correpto numo ex ſummâ quæ offerebatur, & diffracto in duas partes, ex quibus plurimis illicò ſanguis manauit Anne hic miſellorum cruor mutus erit? aut qui Pater pauperum dicitur, ſurdus ad ſuorum filiorum fletus.

Pauperes non vexandi exactionibus. Vindex Deus miſeri eſt, vltor afflicti. vnius Naboth extorſio non niſi tragœdiis Iſraëliticorum Regum expiata fuit. Viderint hinc Principes minùs rebus ſacris attenti, quantum iuuet rem ſuam pietas, quantum irreligio obſtet. Impio Regi Achab nec coactus voluit Naboth vineam vendere: pio tamen Dauid gratis Areuna dedit aream. Vbi ſanum Principis animum viderint populi, vltiò dabunt non debita: vbi intentum deliciis, vix iuſta tributa ſoluent. Pietas pro Principe fideiubet: nihil à pio & religioſo Rege iniuſtè fieri præſumunt; nec audent reſiſtere, cui Deum propitium vident: habebit autem propitium, ſi ipſe pauperibus ſit; quos præſertim oneribus eximat: accidet tunc, vt priuilegio charitatis imperioſiſſimus ſit, quemadmodum Apollinaris dixit, Idem fauor debetur Religioſis, inter pauperes cenſendis; quos Nazianzenus ſic commendat tributorum Præfecto: *Oratio mea tibi dono pauperes offert, totum Sacerdotum & Philoſophorum cætum, qui nullo vinculo humi tenentur: qui ſola corpora, ac ne ea quidem tota poſſident: qui Cæſari nihil, Deo omnia habent, hymnos, preces, vigilias, lacrymas, hoc eſt eiuſmodi opes, quæ manibus arripi ac teneri nequeunt: qui mundo mortui ſunt, Chriſto viuunt; carnem confecerunt, animam à corpore abſtraxerunt. His parcens, aut etiam omnino Deo reddens diuini Numinis famulos & diſcipulos, cæleſtiumque rerum inſpectores, has inquam generis noſtri primitias, hæc columina, has Fidei coronas, has pretioſas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum & lapis angularis eſt Chriſtus, hoc eſt, præclari Eccleſiæ complementi; pulcherrimè vtique & ipſis, & tibi, & nobis omnibus conſulueris. Ac tibi has potiùs à nobis diuitias optarim, quàm magnos auri atque argenti theſauros, qui nunc exiſtunt, ac paulo poſt non erunt.* Orat.9. Memorandum quoque eſt edictum Artaxerxis pro Eccleſiarum fauore, *Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne fortè iraſcatur contra Regnum Regis, & filiorum eius.* 2.Eſdr.7. Iuuabit aliquando Allelengyum iniungere. hoc tributi genus in Anatolico Iure extat, impoſuitque Baſilius Porphyrogenneta; tributum erat pauperum, qui ſoluendo non eſſent, à locupletibus exigendum.

Capvt XI.

Nouum concilium inſtituendum pro pauperibus.

ID maximè vdim inter cetera Regum concilia vnum ſtatui huic ſoli curæ dicatum, vt videat quâ ratione oneribus leuari ſubditi, & pauperes iuuari poſſet. Nam ſi conſilia pro ſtatu Regni ſeruando promouendóque inſtituuntur; è nullâ tamen re magis quâm hinc Imperia pendent. Afflictis & gementibus pauperibus, iraſcitur Principibus & diuitibus Deus. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Pſal.11. ſcilicet contra Principes. Afflicta Iudæa miſit legatos ad Caium Cæſarem; quos noluit Princeps audire. tunc Philo vnus ex Oratoribus bono animo eſſe iubet, propitium habituros Deum, iniquis hominibus. Potentium iniurias in pauperes, & oppreſſiones egenorum, vocauit Propheta Amos *peccata fortia*; quia vrgent iuſtitiam, & Cap.5. quaſi vincunt in hoc clementiam Dei, vt pœnam ſeueram eorum in hac ſaltem vitâ numquam aut vix remittat, cùm alioqui eius iuſtitia cedat aliis miſeriis noſtris. *Fortia* (inquit) *peccata veſtra: hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.* Fortia ſunt hæc peccata quæ non diſſimulet Deus. neque enim vllus fuit Princeps pauperum afflictor, quem iratus Dominus multis ſuppliciis non afflixerit. Hinc plurimarum, imò omnium rerum publicarum euerſiones, patrauit vectigalium oppreſſio. Oraculum Phaëllonis Epiroticæ prædixit, ventura omnia Bithynis mala propter graue tributorum onus. id ita accidit, teſte Zoſimo. Sed & Conſtantini æuo plures euacuarunt vrbes tributa. Anne parietibus vacuis conſtabunt Reſpublicæ, & diuitiæ Regiæ? Ceterum & tumultus quot excitarunt hæc onera? Sub Carolo VI. adhuc puero magnæ excitatæ in Galliâ turbæ, ſumpto à populo Parienſiſi initio, peruadente licentiæ exemplo in totam Galliam. Apud Venetos cùm exhauſto ex diuturnis bellis ærario noua vectigalia excogitarentur, parum tuta fuit Rainerij Ducis auctoritas, coniectis in eum lapidibus. Sub Richardo II. Angliæ Rege grauis etiam ob tributa oborta eſt ſeditio; ſub Henrico VI. altera neque alia fuit ſeditionis Conſtantinopolitanę cauſſa ſub Inſtiniano Imperatore. Saluianus defectionem Bagaudarum ad Gothos in eos retuſit, *qui exactionis publicæ* (inquit) *nomen in quæſtus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerant. Qui in ſimilitudinem beſtiarum non rexerant traditos ſibi, ſed deuorarant: nec ſpoliis tantùm hominum, vt plerique latrones ſolent, ſed laceratione etiam & ſanguine paſcebantur.* Quæ igitur cauſſa magis conſilium & prouidentiam requirit, quàm iſta, ne de cælo terrâque euertatur publicarum rerum Principumque ſtatus? Imminent quoque ipſis capitibus Regiis tributa. Primum admirandæ ſanctimoniæ ſignum auſpicatus eſt. S. Bernardus in Ioſberto grauiſſimo miſeris; qui punitus tandem è cælo, triduo egerat difficilem animam, Chriſtianis nondum procuratus ritibus.

ſine

Digitized by Google

ſine voce & ſenſu explicare peccata haud poſ-ſet. vocatur Abbas Claræuallis ad remedium perituri. venit Bernardus, ſenſui illum reſtituere obligatur: ſed hac lege, vt vſurpatæ in grauamen pauperum conſuetudines dimitterentur: hoc ſi ſibi iuratâ fide promitteretur, pollicetur ipſe ſenſum & vocem ſtatim reddere ægroto. concedit omnia filius Iosbertus iunior. firmata hac conditione impetrauit Sanctus è cælo ſenſum, ſermonem & veniam Iosberto, qui pœnas immodicæ exactionis peſſimo illo fato dabat. Sed & auctores imponendorum tributorum trux fortuna excipit: Georgium Præſchonem Errici Suecorum Regis aſſentatorem, impellentémque ad rapinas, omni tormentorum genere plebs excruciauit; ſicut Procletem lapidauit, quòd Theodebertum Francorum Regem ad tributa impelleret.

Capvt XII.

Magna tributa ſine vſu ſunt.

DEmus omnia tuta Principibus: non valdè vtilia ſunt tributa immodica. Quemadmodum priuatis partæ non bonis artibus opes breuî diſſipantur: ſic Regibus madefacta lacrymis ſubditorum pecunia vtilis non eſt, & neſcio quo pacto diſpareat, & inſulſo euaneſcat luxu, ludicríſque impenſis. cedit tandem in alimenta libidinum, & pompam malitiæ. De Eduardo Anglorum Rege ſanctiſſimo ſcribit Alredus Rhieuallus: tributum illud grauiſſimum quod tempore patris ſui claſſi Danicæ pendebatur, & poſtmodum fiſco Regio inferebatur, Regiâ liberalitate remiſit, & ab hoc onere importabili in perpetuum Angliam abſoluit: cùm enim collecta illa pecunia ante illum delata eſſet, diabolum ſuper cumulum ſedentem & ludentem vidit: & ne ampliùs exigeretur, præcepit. Tam feſtiuæ dæmoni ſunt lacrymæ pauperum: ridet ad miſerorum gemitus. Nec populariium onerum exactionibus alius plus lucratur: non enim aut Rex aut Regnum; nam hoc extenuatur, ille non ditatur immodicis tributis. inſenſibiliter diſſipantur aceruati his artibus theſauri; deinde ipſa materia tributorum conſumitur. Athenæus (Lib. 3. Dipnoſ.) hæc narrat: Riuulus mari vicinus gelidam aquam fundens prope Edepſum emicuit, cuius potus ægros plurimùm recreabat: ſed cùm Antigoni duces res Principis procurantes vectigal bibituros pendere coëgiſſent, euanuit illa ſcatebra. In Tragæi cuiuſdam gratiam, vt Iulius Pollux ſcribit, in palude quadam Troadis ſalem condenſauerat Neptunus, vnde cuiuis auferre ſalem licebat: verùm Lyſimachus tributum illis ſalarium impoſuit, nihil ſalis viſum eſt, donec remiſſo vectigali, copiam ſalinæ rurſus præberent. Idem quod Tragaſæis, accidit illis ſalinis. Noui Orbis, quas vocant *de Campeche*, eo die quo tributum impoſitum deficientibus: at ſimulatque ablatum onus, reſtitutæ ſunt. Idem in Hiſpaniâ euenit celeberrimis Alhamæ balneis. Denique ipſi populi minuuntur oppreſſi vectigalibus; quare & ipſa vectigalia: abeunt enim mercatores, & diſcedunt incolæ impotentes aut impatientes tot onerum. Præſtat autem à multis pauca exigi, quàm maiora à paucis. Meminiſſe oportet viros principes illius *væ*, quod Habacuc denuntiat ædificanti ciuitatem in ſanguinibus, ex pauperum immodicâ oppreſſione, quorum velut ſanguis à potentioribus exugitur. (Cap. 2.) Similiter Nahum exclamat: *Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena; non recedet à te rapina.* (Cap 3.) Quaſi diceret, Sanguinem pauperum ſuxiſti, alij te ſugent, & ſic lacerabunt, vt effluat vniuerſus tuus cruor, & ad ſummam redigaris paupertem; & quia rapuiſti, diripieris.

Cæterùm non tantùm diripi populi poſſunt exactionibus Regiis, ſed ipſis potiùs exactoribus. Quare Princeps benè meriturus de publicâ re, in publicanos etiam alióſque miniſtros animaduertat, & ab eorum iniuriis ſubleuet populum. Egregiè de talibus ait Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, vbi publicos exactores deſcribit: *Publicanus* (inquit) *eſt caput rapinæ, lex violentiæ, prædo ſine pudore, medicus exterminij, immanior furibus: nam fur timens delinquit, hic autem confidenter. fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem vocat. Quis eo iniquior, qui verbis iuſtitiæ iuſtitiam damnat, & armis innocentiæ ſpoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege vtique legem perimit; & dum alios vrget ad legem, ex lege deiicit. Publicanorum autem à maximo vſque ad minimum cœtus concuſſioni potius quàm iuſtitiæ vacat: & ita in populum debacchantur, vt quod reliquit vnus, alij non morentur auferre, tanquam ad hoc conſtituti ſint, vt reſiduum locuſtæ comedat bruchus, officialis Cæſaris; niſi in omnibus acquieueris, Cæſari contradicis. Et quidquid dictet, niſi ſit ſic, & niſi ſic fiet, eſt in perſonam Regis contraque coronam: quidquid dixeris, ita obtinet, ac ſi inueniatur in actis. Cùm aliàs habitâ moderatione inculpatæ tutelæ vim vi repellere liceat; concutientibus Officialibus, ſpoliantibus, torquentibus, mutire non licet. Hæc autem omnia in Principem redundant. Singuli quippe tenentur ad ſingula; Principi verò onera incumbunt vniuerſa. Princeps autem legis nexibus dicitur abſolutus, non quia ei iniqua liceant, ſed quia is eſſe debet, qui non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ æquitatem colat. Nam in negotiis publicis nil ei velle licet, niſi quod lex aut æquitas perſuadet, aut ratio communis vtilitatis inducit.* Hæc Helinandus monachus ſcripſit.

Capvt XIII.

Iuuanda paupertas.

QVare temperet patientiam ſuam Princeps, attentus impotentiæ populi. Impoſiturus noua onera Themiſtocles, dixit ſe accedere cum duabus Deabus, perſuaſione & violentiâ. Reſponſum illi ciuium nomine, ſe quoque duas alias Deas comitari, inopiam & impotentiam. Tertiam Deam conſcientiam adiungamus. Tam abſtineant Principes exigere ab egenis, vt ipſis impendere debeant: poſſideant aliquid, quibus nulla ſubſtantia eſt. Cenſus pauperum ſit regnantis fortuna. Habeant inopes Principis munus pro poſſeſſione; ipſum poſſideant dominum fortunæ, qui nullas fortunas habent.

Sciat Rex facillimam rem eſſe iniuſtitiam miſerorum; & alio modo iniurium ſe illis eſſe poſſe, quam auferendo: ſatis eſt non donaſſe Egenis non dare auferre eſt. Extinguit Princeps, quem non paſcit eſurientem. Ad hoc oportet vti alicuius prouidentiâ conſilij, prout Orlandinus noſter in decimoquinto libro ſuæ hiſtoriæ prodit his verbis *At in Siciliâ nouum eſt genus pij operis, auctoritate Proregis, inſtitutum, quod Concilium vel Officium charitatis placuit appellare, cuius eſſent partes cognoſcere & curare quidquid in eo Regno ad miſericordiæ pietatiſque ſpectaret officium: quale eſſet, vt pauperibus redderentur ablata, vt in iudicijs ac ciuilibus controuerſiis conſuleretur ſolitudini viduarum ac pupillorum: vt templa atque cœnobia, & ædes hoſpitales, quæ vetuſtate iam corruerent, ſarcirentur: vt pia teſtamentorum legata, quæ priuati cauſſa emolumenti heredes ſupprimerent, ab actuariis & tabellionibus ederentur. Cuius generis legatorum pecuniæque vis ingens Regium per edictum ab his Sodalibus impetratum, paucis diebus indicata eſt. Id Concilium Meſſanæ primò cœptum eſt à duobus Mamertinis ciuibus, totidemque Theologis, alterò è S. Dominici Familiâ, altero de Societate, qui fuit Prouincialis ipſe Domenecus, ac duobus Proregis adminiſtris. Hi ſex numero quaque hebdomadâ vnum in locum conuenientes, conſultationem de iis, quæ decernenda viderent in rem communem, habebant; & ad Proregem deinde, quidquid ſtatutum ac decretum eſſet, decimoquinto quoque die referebant. Cuius etiam auctoritate ac ſapientiâ comparatum erat, vt in ſingulis Siciliæ vrbibus probi homines duo alter ex Cleri corpore, alter ex populo, deſignarentur, qui menſtrua per interualla Concilio ſuggererent, ſi quid ſanandum vſpiam & corrigendum eſſet. Cœtus in Mamertino Collegio habebantur: eodemque modò è Panormitanis ciuibus, dum in eâ Prorex vrbe verſaretur, Concilij numerus ſupplebatur.* Hactenus ille. Ad hăc faciem aut ſimilem Senatus poteſt inſtitui, aut aliter prouidentia ſtabiliri pauperum: Pudeat Pincipem negligere, quorum præcipua cura Numini eſt, pupillorum, viduarum & pauperum: Pudeat quibus iubetur largiri, ſi tollat. Vltra omnem ſæuitiam erit ditari ex mendicis. Congregando, diſſipabit; & paupertatem potiùs trahet ad ſe, qui non reiicit exigentium egenorum pecunias.

Hæc tributorum onera, neceſſitatemque affligendi populi pax Reipublicæ, vt dixi, declinabit, quæ multas dabit innocentes opes. Deinde temperantia liberalitatis inutilis, id eſt, in non merentes. Quemadmodum turpe Principi eſſet, dimiſſis ſontibus, ſæuo innoxios afficere ſupplicio; ſic etiam indignum Maieſtate eſt, relictis bonis & merentibus benè, profundi in alios, inutiles homines, in noxios, in ſcurras, in adulatores. Paraſitus enim ſi ſe nutriat, plus dabit Regi ſuo, quam quiſquam alius. Quod eleganter Crobylus dixit in ſuo Suſpendioſo:

—— Παράσιτος αὐτὸν γοῦν τρέφων
Τὰ πλεῖστα συνεράνιζεν ἂν τῷ δεσπότῃ.
—— *Paraſitus, ipſe ſi ſe nutriat,*
Plus quàm quiſquam alius conferat regi ſuo.

Natio hæc adulatoria & paraſitica, ingrata inſidiáque eſt. Confoſſo Regi Caſtellæ Petro Crudeli, animam ſanguinariam & ſanguinolentam iam expectoranti, inſultaſſe hiſtrionem, Regi ipſi gratiſſimum, ſic ſcribit Rodericus Palentinus: *Non tam miſerans, quàm vindicans, nec tam mæſtus, quam lætus, ait ad illum: O Petre, velim memor ſis verborum quæ tibi ſæpè ioco dicebam, quoniam neceſſe vt à lupis occidatur, qui lupos occidit: Nec hac deriſione contentus, iterùm ait: Crede, Petre, qui ſic vixit vt tu, non potuit aliter mori quàm vt tu; & qui ſanguini tuo non pepercisti, à ſanguine tuo occubuiſti: ſæuior Domitiano, crudelior Nerone, irreconciliabilis amicis, incredulus familiaribus, cunctis iniquus, tibi iniquior. Sicut ergo feciſti, ſic pateris: dignum enim eſt, vt qui omnes occidit, omnes eius morte lætentur; & qui in omnem ſexum deſæuiit, vterque ſexus de eius cæde congaudeat. Cui Petrus quaſi exanimis: Si aliis, inquit, fui ſæuus, tibi tamen benignus, qui inceſtu ſimul & homicidio te liberaui. Sed verum ais, me iuſtè mori, qui te iniuſtè viuere feci. Patior item, quia in eo te amaui, in quo nequiſſimus es, veſtiui ſæpè pretioſis indumentis nequitiam tuam. Morior denique, quia non naturæ donaui, ſed tuæ arti nequiſſimæ. Nam fateor, ſi homo tantùm eſſes, & hiſtrio adulatorius non fuiſſes, non tibi donaſſem. Morior, quia honoraui in te vitium, non naturam. Vtinam hic Princeps tam rectè in vitâ egiſſet, quàm vera in morte referebat: ſed mortis doloribus preſſus ſapienter loquitur, qui in vita gaudiis delectatus imprudenter operatus eſt.* Hactenus ille. Ergo infundantur potiùs quàm profundantur dona: dentur, non perdantur. Meritò Petrus Bleſenſis ſcripſit: *Illud in Curiâ deteſtabile eſt; quia qui magis diligunt, minùs diliguntur. imperiti etiam,* Epiſt. 14. *& omnino inutiles, elegantioribus beneficiis ampliantur: diuitiæ accumulantur diuitibus: nec eſt qui reſpiciat ad inopem & mendicum. Eliſeus implebat vaſa vacua, & deficientibus vaſis vacuis ſtetit oleum: in Curiâ verò contemnuntur vaſa vacua, & plena implentur; ligna in ſiluas, & aqua in mare deferuntur.*

CAPVT XIV.

Prudentia largitionum.

Liberalitas cum ratione ſit, cum ingenio; erit quidem, ſi detur dignis. cunctos obſtringit, qui merenti tribuit; neminem, qui immerenti: hic ingratus erit, ceteri infenſi. & quidem meritò de nemine meretur, qui immerenti tribuit: nam & ipſi cui dedit nocet, dum materiam malè agendi ampliat, roboraturus malitiam indigni. Prudenter Baſilius Auguſtus, docturus filium largitionum normam, ait: *Beneficium apud virum bonum collatum theſaurus eſt, nullis raptoribus obnoxius, qui multiplicem collatori refert gratiam: qui autem improbo benefecit, ſerpentem in ſinu alit, Sicut canes alienis etiam cibum offerentibus ablatrant: ita homines peruerſi perinde eos, qui benè de ipſis merentur, offendunt, atque eos qui malè. Bonos ergo beneficiis, tuis deuinciens, te ipſum quodammodò multiplicem habebis; nempe vitam tuam, multis circum oculis, multiſque vigilantibus amicis cuſtoditam.* Nec decet dare omnibus: nam quod quibuſli

quibuſlibet datur, minùs gratum eſt. Neque in vnum aut paucos conſumenda gratia eſt, ſi mereantur alij. Amor hic vnius aut paucorum, impetrabit vniuerſitatis inuidiam. Eleganter Theodoricus Rex: *Quis neſciat, noſtrum eſſe commodum, ſupplicantis ad quæſtum? & illud bonis Principibus creſcere, quod benignâ poſſunt largitate præſtare? Hæc ſunt enim Regia dona, quod ſemina: ſparſa, in ſegetem coaleſcunt; in vnum coacta, depereunt. Optamus ergo munera multis collata diuidere, vt poſſint vbique noſtra beneficia pullulare.* Ceterùm, neque vt det merentibus Princeps, eripiat aliis. Tiberius ſecundus dicebat monetam adulterinam eſſe, quæ cum ſubiectorum lachrymis collecta eſſet. Optimè: nam neſcit felicem vſum aurum ereptum miſeris. Marcus Aurelius liberaliſſimus Imperator, ſi quis alius, confecto maximo prælio, partâ maximâ victoriâ, rogatus à militibus pecuniam, negauit; Quoniam, inquit, ſi quid plus quàm eſſet conſtitutum acciperet, id ex ſanguine parentum ipſorum propinquorúmque exactum iri. Fateor nihilominùs militibus debere Principem ſui pectoris primitias, præ omnibus amandos hos donandoſque, numquam non faciendos magni. Dion Chryſoſtomus ait: *Quiſquis enim contemnit milites, aut nuſquam aut rarò inuiſit periclitantes laborantesque pro tuendo Principatu, ſtultamque & inermem turbam colit aſſiduè; perindè facit, ac ſi paſtor ignoret eos qui gregem vnà cuſtodiunt, & neque cibum illis porrigat, neque cogitet vt ſimul aliquando vigilet cum cuſtodientibus. hic enim non ſolum beſtiis, ſed & canibus perſuaſerit, vt ne abſtineant à grege.* Milites ſunt canes rationalis gregis ſeu Reipublicæ.

Caſſiod. lib. 3. Ep. 29.

Dion. Nicæus in Marc. Aurelio.

Orat. 1. de Regno.

Capvt XV.

Pauperum cura.

Hæc quæ de merentibus ſolùm munerandis dixi, intelligo præter miſeros, quibus pro magno merito ſit ſua miſeria, ſit & natura noſtra, licet aliis careant meritis. Idem de inopibus cenſeo: nam & paupertas inuita, iam miſeria eſt. In omnes egenos liberalis ſit Princeps, & credat hunc maiorem Regiis titulis eſſe *pauperum patrem.* Elogium dignum Deo. In hos effuſus ſit, in hos beneuolentior, non ſine quæſtu. Diſertiſſimè Clemens Alexandr. Oratione nuper inuentâ de diuitibus: Σεαυτῷ κατάλεξον στρατὸν ἄοπλον, ἀπόλεμον, ἀναίμακτον, ἀόργητον, ἀμίαντον. γέροντας θεοσεβεῖς, ὀρφανοὺς θεοφιλεῖς, χήρας πραότητι ὡπλισμένας. ἄνδρας ἀγάπῃ κεκοσμημένους. Τοιούτους κτῆσαι τῷ σῷ πλούτῳ, καὶ τῷ σώματι, καὶ τῇ ψυχῇ δορυφόρους. ὧν στρατηγεῖ θεὸς, δι' οὓς καὶ ναῦς βαπτιζομένη κουφίζεται μόναις ἁγίων εὐχαῖς κυβερνωμένη, καὶ νόσος ἀκμάζουσα δαμάζεται χειρῶν ἐπιβολαῖς διωκομένη, καὶ προσβολὴ λῃστῶν ἀφοπλίζεται δι' εὐχαῖς δι' εὐσεβῶν σκυλευομένη, καὶ δαιμόνων βία θραύεται προστάγμασι συντόνοις ἐλεγχομένη ἐν ἔργοις. οὗτοι πάντες οἱ στρατιῶται, καὶ φύλακες βέβαιοι. οὐδεὶς ἀργὸς, οὐδεὶς ἀχρεῖος. ὁ μὲν ἐξαιτήσασθαί σε δύναται παρὰ θεοῦ, ὁ δὲ παραμυθήσασθαι κάμνοντα, ὁ δὲ δακρύσαι, καὶ στενάξαι συμπαθῶς ὑπὲρ σε πρὸς τὸν Κύριον τῶν ὅλων, ὁ δὲ διδάξαι τι τῶν πρὸς τὴν σωτηρίαν χρησίμων, ὁ δὲ νουθετῆσαι μετὰ παρρησίας, ὁ δὲ συμβουλεῦσαι μετ' εὐνοίας. πάντες δὲ φιλεῖν ἀληθῶς, ἀδόλως, ἀφόβως, ἀνυποκρίτως, ἀκολακεύτως, ἀπλάστως. ὢ γλυκεῖα θεραπεία φιλούντων; ὢ μακάριοι διακονίαι θαρρούντων; ὢ πίστις εἰλικρινὴς θεὸν μόνον δεδιότων; *Coge tibi exercitũ inermem, ad bella ineptum, fundendi ſanguinis neſcium, ſine iracundiâ, ſine ſordibus; ſenes pietate præſtantes, pupillos Deo charos, viduas manſuetudine armatas, viros charitate ornatos. Tales compara tuis diuitiis & corpori & animæ ſatellites; quorũ dux eſt Deus, propter quos & nauis ſubmergenda fit leuior, ſolis gubernata ſanctorum orationibus, & morbus feruens edomatur, manuum impoſitione fugatus, & latronum aggreſſio dearmatur, piis precibus ſpoliata, & vis dæmonum frangitur rigidis iuſſionibus, agnoſcens re ipſâ quid valeat. Omnes hi milites, & tuti cuſtodes, nemo otioſus, nemo inutilis. Hic quidem te poteſt impetrare à Deo, ille verò laborantem ſolari, alius fundere lacrymas, & gemitus affectu plenos pro te edere ad vniuerſorum Dominum: alius docere poteſt aliquid, quod conferat ad ſalutem: erit etiam qui te cum libertate moneat, & qui cum beneuolentiâ conſilium det. amare verò poſſunt omnes verè, purè, ingenuè, non ſimulatè, non aſſentatoriè, non fictè. ô dulcia amantium obſequia! ô beata fidentium miniſteria! ô ſinceram fidem ſolum Deum timentium!*

Diſcat Rex ex officio capitis miſereri. S. Chryſoſtomus ait: *Corporis & membrorũ exemplo mutuò compactiſummus. In corpore autem tametſi pes vulnus accipiat, humi caput inclinari videmus: & eo nihil venerabilius, ſed tamen dignitatem ſuam non nouit calamitatis tempore.* Ad idem Rex caput gentium tenetur. omnium artuũ plagas ſolum caput luget. Claram Leonis primi Cæſaris vocem, quam ſemper ipſe in ore ferebat. omnes ferant in corde Principes: *Quemadmodum ſol cunctis quæ illuſtrat nonnihil impertit caloris: ſic princeps debet eos ſuâ dignari miſericordiâ quos tuetur.* Principes Romani in hoc imitandi, quibus magni, perpetui & certi in populum erant ſumptus, & præſertim alimenta: nam plebem egenam aut tenuem perpetuâ frumentatione paſcebant, atque eâ magno labore partâ & aduectâ, & tum gratis diſtributâ. Vetus quidem frumentatio Romæ fuit. in rebus & annonâ arctâ Senatus plebis miſertus frumentum diuiſit modico ære poſteà gratis datum. Tempore Cæſaris, in Præturâ ſumptus frumentationis vltra ſeptingenta quinquaginta millia Phippicorum fuit. qui deinde creuit, & claſſes inſtitutæ ad tranſuehendum. Auguſti tempore ex Ægypto Vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur id eſt modiorum. Africa duplum ad Ægyptum dedit. ita frumentum annuum fuerit ſexcenties centena millia modiorum. ſint in dies circiter centum ſexaginta quatuor millia octoginta tres. Aliquando ad trecenta viginti millia numerus capientium fuit & pleriquе patresfamilias vxorem, liberos & ſeruulos habuere. itaque largiùs valdè quàm in vnum caput capiebant: & videtur teſſera ſiue donatio ordinaria fuiſſe in ſingulos decem modiorum. Obſonium etiam & caro porcina populo diſtributa. Oleum quoque perpetuum populo dedit Senatus. Ad minus hanc

publicam

Digitized by Google

publicam eleëmoſynam faciat Rex procurationem annonæ, cuius vbertate & facilitate recreabit ſuos. Quare in meritos & in miſeros ſit, quod Nicetas dixit, liberalitatis mare, abyſſus miſericordiæ. hoc intelligo, dum non depleatur ærarium; quod, aliquando venit vſu, per ſcelera ſuppleri neceſſum eſſe. Credo tamen numquam exhauriendum quamlibet largiſſimâ miſerorum ope. Nam in hoc largitatis genere veriſſimum, quod Theodoſius & Valentinianus reſcripſere: *Nulla profeſſione virtutis, nullâque re aliâ potius homines Deo, quàm pronâ libertate iunguntur: nam cùm beneficiorum fontibus genus amplificetur humanum, diuinam beneuolentiam nobis credimus obligari; vnde ſpes tota viciſſitudinis exſpectetur.* Neque ſolùm ditabit Regnum pia hæc liberalitas, ſed ipſum eripiet Regem periclis, humanis inſidiis, diuinis iudiciis. Zeno Imperator mulierem quamdam (ſic ſcribit Moſchus) in filiâ ſuâ iniurioſè tractauerat. Hæc autem vacabat in templo Dominæ noſtræ Dei genitricis, orans & deprecans, & cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hæc faceret, apparuit ei ſancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, vltionem tuam ſæpe facere volui, ſed eius manus prohibet me. Erat enim valdè miſericors, & eleëmoſynarum largitor. Pro his piis ſumptibus aurea eſt breuis illa ſententia Iuſtiniani: *Principi aurum contemnere, præſtat fortunæ faſtigium. licet Principem diuinis effigiandum typis bonitas, prudentia, poteſtas deceant; vltra has duas bonitas ſit. benè velit vltra quàm ſit, vltra quàm poteſt; ipſam potentiam & omnes Regias dotes miſericordiâ ſupergreſſus.* Hanc vltra vires beneuolentiam, conatuſque benefaciendi, requirebat Chriſtus Rex Iudææ, Rex cæli, quod non poterant, diſcipulos iubens, turbis tot millium hominum eſurientibus cibum præbere. Eleganter Druthmarus inquit: *Prouocat Dominus diſcipulos ſuos ad largitatem, vt benè faciant omnibus & vt velint vltra vires ſuccurrere proximis.*

In Manuele.

In II. nouell. de bono Decur.

Collat 4.

Luc 9.

Hom 10. de pœnit.

Grata liberalitas Principi.

Alias leges liberalis animi ſeruet Princeps. Sine morâ det. immaturum beneficium iucundius, ſapidiuſque ſubit animum. In ſummâ, gratius & dulcius magno Principi eſt dare quàm accipere. Cum Dione Chryſoſtomo dico: *Regnare ſe putat non ſui vnius magis quàm omnium hominum gratiâ: hinc eſt quod beneficia conferens magis lætatur quam quibus collata ſunt, & vnius huius voluptatis eſt inſatiabilis. Nam cetera quidem Regni officia exiſtimat neceſſaria, vnum verò beneficencia facinus eſſe voluntarium & felix.* Placet quoque illud Iſocratis ad Nicoclem Regem: *Inter aduenas eos maximi facito, non qui dona tibi aduehunt, ſed qui à te expectant.* Animoſiùs & nobiliùs Magnes Gregorius Aſclepiodoto dixit: *Hanc ſibi nobilitas legem imponit, vt debere ſe, quod ſponte tribuit, exiſtimet: & niſi in beneficiis ſuis creuerit, nihil ſe præſtitiſſe putet.* Accedit gloſſema: *Parum eſt donare, niſi datum augeatur.* Semiplenum donum videtur, quod ſine adiectione relinquitur. Impleat Princeps plures ſpes quas vnâ liberalitate fecit. Hoc ſenſu veriſſimè Planudes ait: Τὸ δὲ ποιεῖν ἀγαθῶν ἐςι πλῆρες ἐλπίδων. *Benè facere plenum eſt bonarum exſpectationum.* Sic fulciet beneuolentiâ poteſtatem, quâ nullâ valentiorem dixit ad Arcadiū Syneſius. nulla ſecurior erit quàm illa quam beneficentia adſtruxit. Quis enim è priuatis hominibus ſecurior eo Principe erit, quem ſubditi non metuunt, ſed pro quo metuunt, deliniti æquitate eius, capti beneficentiâ: Ideò Theodoricus Rex dixit: *Illud amplius noſtris vtilitatibus applicamus, quod miſericordi humanitate concedimus. Regnantis enim facultas tunc fit ditior cùm remittit; & acquirit nobiles theſauros famæ, neglectâ vtilitate pecuniæ.*

Orat 1. de Regno.

Caſſiod. lib 1. ep. 16.

CAPUT XVI.

Indulgentiæ commendatio.

IN hac parte æquitas excedat, & brachio iuris prolixius gratiæ brachium habeat; ſed competens illud ſit, & integrum. pulcherrima hæc deformitas Regij animi erit: Oportet quoque, vt iuris lacertum contrahat interdum indulgentia: quæ ſicut frequens noceret Regno, decet quandoque Reges. Egregiè quidam: *Quamuis nomen ipſum Iudicis dicatum videatur eſſe iuſtitiæ, totius anni orbitam æquitatis iubeamur ambulare veſtigiis: his tamen diebus in domicilium pietatis iure deflectimus: vt ad Redemptorem omnium remiſſionis itinere peruenire poſſimus. Ex hac enim virtute ſuauiſſimos fructus legimus; & remittendo aliis, nobis parcimus. Nam qui periculosè iuſti ſumus, ſub ſecuritate ſemper ignoſcimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc veri iudices ſumus. Macte Indulgentia, quæ ſoluis, & præſul es. Tu patrona humani generis: tu afflictis rebus medicina ſingularis. Quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune? Ab vniuerſis neceſſariò peteris; quando ſub te ſpes vitæ ſumitur, quæ ſub iuſtitiâ non habetur. Nam dum tribus aliis ſororibus cæleſti gratiâ perfrueris, & amabili amplexatione nectamini, omnes tibi (quamuis & ipſæ virtutes ſint) honorabiliter cedunt; quando te humani generis ſalutiferam eſſe cognoſcunt. Sed quid tantum de terrenâ conuerſatione dicamus? Pietas eſt, quæ regit & cælos. O ſi tecum liceret longis temporibus habitare, totus excluderetur reatus, & parcendo fieret, vt parcè tolleretur! Sed prouidentiſſimè tanta res ſacris ſolùm videretur eſſe conceſſa; vt gratius mundus acciperet, vnde pro rerum nouitate gauderet. Quapropter abſtine noxiam lictor ſecurim, cui licet impune facere, quod in aliis cognoſceris vindicare: ama paulisper ferrum ſplendidum, nō cruentum. Catenas tuas lacrymis madidas felicior rubigo ſuſcipiat. Illud potius reconde, quod ſolebas includere. Auditoria feralium vocum meliore ſorte muteſcant. Sit reuerà nomen cuſtodis ſine mortibus alienis. quid ſemper inferis laboras? aliquando & Superis milita. Otium tibi clemens actus incidit. Qui iuſtitiæ inexorabili excubat, neceſſe eſt vt eum pietas benigna diſcingat.*

Caſſiod. lib. 11. Var. Ep. 40.

Opportunitas indulgendi poteſt interdum inſolentia exempli cauſſari. Setam aliquando Ioannis tertij Portugalenſis Principis audientiam ſub noctem femina inſtanter poſtulauit: quod vbi reſciuit, inſolitum quid meritò ſuſpicatus admitti iuſſit. Illa, vt coràm data fandi copia; Vnum, ait, à te Rex ſeueriſſime ſcire aueo: Si me, ſpretâ ſacri coniungij fide, in ſcele-

ſcelere meus coniux deprehenderet deprehenſamque letali ferro transfigeret, hanc interfectori noxam facilè condonares? Quidni? ait Rex. Benè eſt, inquit femina; optimum mihi arbitrum elegi vt enim meum coniugem trans Tagum in meâ dotali villâ cum pellice immorari cognoui, illicò ſtatim mihi inferri iniuriam ægrè ferens, duobus meis mancipiis promiſſo libertatis pileo ſtipata, cymbâ fluuium traieci; tanti dux femina facti! & euerſis magna vi à cardine villæ foribus, iuuantibus mancipiis perfidum coniugem pellicemque pugione transfodi; clauſiſque iterùm foribus, te ipſum quam ille impetraret veniam petitura conuenio. Cur enim me in adulterio ſine iudicio impunè occideret, illum ego adulterantem ne digito attingerem; Ioannes rei nouitate defixus, virilemque feminæ animum ac prudentiam miratus, illam abire iuſſit liberam.

In cauſſis propriis clementior Princeps.

At in dimittendis propriis iniuriis liberaliùs agi decet. Clementiæ Regiæ exemplum Marcus Aurelius, optimus Romanorum Imperatorum, præſtabit dictis factiſque. Pugnaturus aduerſus Caſſium qui à bono Principe defecerat, ſic exercitum allocutus: Tantùm vereor, commilitones, ne aut Caſſius ſibi manus inferat, quòd pudore ſcilicet adductus, non audebit in conſpectum noſtrum venire; aut alius, cognito aduentu meo, quòd contra illum proficiſcor, id faciat. Mihi enim permagnum præmium belli atque victoriæ, quantum vmquam quis accepit, nemo auferet. Quod verò præmium? dicet aliquis. Homini qui iniuriã fecit ignoſcere, eique qui amicitam fidemque violauerit, amicum & fidelem permanere. mortẽ Fauſtinæ cõiungis vehementer luxit: ſcripſit ad Se tum, ne quis eorum qui opem Caſſio tuliſſent morte afficeretur, tamquam in eo dolore quem ceperat ex interitu Fauſtinæ, hoc vno ſolatio vti poſſet. Abſit, inquit, vt me tenente principatum, veſtrûm quiſquam, meo veſtróve decreto, capite damnetur. Ad extremum addidit: Quòd ſi id à vobis non impetrabo, ad mortem ibo celeriter. Litteras de proditione ſuſpectas interceperat, ſed antequam legeret reſcidit; ne cogeretur quemquam vel inuitus odiſſe. Aureis ſcriptum clementis fixum vellem pectoribus Regiis: nihil felicius, nihil pulchrius Maieſtatem, decere, quàm nullius rei veniam poſcere, multarum dare, & famam liberrimum rigidumque Principum iudicem demereri clementiâ ſui iudicii.

Clementia commendatur.

Orat. 5 ad Theodoſ.

Denique ad clementiæ amores omittere nolo Regiam ſententiam, quàm ex noſtris ſacris libris pro lenitate Principum extorſit Euphrades orator: Ἀλλ' οὐδὲ δύο πίθοι κατακείαται ἐν τῷ βασιλέως οὔδει, ὥσπερ αὖ Ὅμηρος λέγει ἐν τῷ τοῦ Διὸς οὔδει κατακεῖσθαι δύο πίθους, κηρῶν ἐμπλείους, τὸν μὲν ἐσθλῶν, τὸν δὲ ἕτερον ἐναντίων. Βασιλεῖ δὲ οὐκ ἔστιν ὁ πίθος τοῦ θανάτου, ἀλλ' ὁ τῆς ζωῆς μόνος μεστὸς ἀεὶ καὶ ὑπερχειλὴς, ἐξ οὗ ἀκράτου αὐτὴν ἀρύεται καὶ χορηγεῖ τοῖς ἀνθρώποις. πεπίστευκε γὰρ σὺ ποιῶν τῷ λόγῳ τῷ Ἀσσυρίῳ, ὃς τὴν καρδίαν τοῦ βασιλέως λέγει, σὺ λέγων, ἐν τῇ τοῦ θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖσθαι, ἣν οὐχ οἷόν τε γράμμασι θανατηφόροις ἑαυτὴν συνεπιδοῦναι, ἀλλ' ἀνάγκη τὸν ἐκεῖνα τὰ γράμματα γράφοντα δυσχερῶς ἐξολισθαίνειν τῆς χειρὸς τῆς ἀεὶ χορηγούσης ζωήν. ἄνωθέν τι, βασιλεῦ, ἡ πολιτεία τὸ τῶν θειότητος ὄνομα ὑμῖν ἐπεφήμισεν. οὐχ ὅτι πολὺς χρυσὸς ὑμῖν ἐν ἐξουσίᾳ, οὐδ' ὅτι στέφανοι καὶ ἁλουργίδες ἐν ἀφθονίᾳ, οὐδ' ὅτι πλούσιον ἐκ πένητος παραχρῆμα ποιῆσαι ῥᾳδίως ὑμῖν (ταῦτα γὰρ πάντα χθαμαλώτερα τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς πρὸς ἐκεῖνον εἰκόνος.) ἀλλ' ὅτι μόνῳ θεῷ καὶ βασιλεῖ ἐν ἐξουσίᾳ ἐστὶ ζωῆς ἐπιδοῦναι. οὐδεὶς γὰρ ἐν ταῖς ἐπικλήσεσι τοῦ θεοῦ τὸν νικητὴν, ἤτοι θριαμβευτὴν ἀνακαλεῖται, ἢ τὸν Γερμανικὸν, ἢ τὸν Σκυθικὸν, ἀλλὰ τὸν φιλάνθρωπον, καὶ τὸν εὐσεβῆ, καὶ τὸν σωτῆρα. ταύτης ἂν δεκτέον σοι τῆς ἀρετῆς, καὶ σε οὐδέποτε ἐκείνη ἡ χεὶρ ἀφ' ἑαυτῆς ἀποσείσεται. *Sed neque in Imperatoris pauimento duo poſita ſunt dolia, cuiuſmodi duo Iouis in ſolio collocata eſſe Homerus aſſerit; eadémque fatorum plena, alterum bonorum, contrariorum alterum. At Imperatori noſtro nullum mortis dolium eſt, ſed vitæ dumtaxat, plenum ſemper atque exuberans, quam ex eo meram ac ſinceram haurit, atque in homines effundit. Præclarè ſiquidem huic Aſſyriorum ſententiæ fidem adhibet, quæ cor regis meritò dicit in Dei manu cuſtodiri, quod quidem in condemnationis litteras minimè propendere poteſt. Neceſſe eſt enim, vt qui haſce litteras facilè ſcribit, ex ea manu excidat, quæ vitam omnibus perpetuò largitur. Olim quidem vobis, Imperator, diuinitatis appellationem Reip. conſenſus tribuit, non quòd immenſa auri copia veſtra in poteſtate ſit, non quòd abundè corona vobis ac purpureæ veſtes ſuppetant, non quòd diuitem ex paupere ſubitò faciendi magna vobis facultas ſit (hæc enim longè cælo cæliq imagine ſunt inferiora;) ſed quòd in vnius Dei Principiſque poteſtate ſit vitam alteri concedere: ſiquidem nemo cùm Deum inuocat, victorem aut triumphatorem aut Germanicum atque Scythicum, ſed amantem hominum, pium, atque ſaluatorem appellat. Proinde ea tibi amplectenda virtus eſt; ita numquam te à ſe illa manus excutiet.*

Quare cùm iuris ſeueritas clementiæ locum permittit, in huius partes totus tranſeat, & exorabilis ſit. hæc ſola facilitas, imò leuitas indulgendi, Principem decet; neque à primis Regentium dotibus abiecit Nazianzenus, ſic ad Olympium ſcribens: *Hoc pietatis præmium accepiſti, vt res tibi ex animi ſententiâ fluant, ſoluſque ea aſſequi poſſis quæ omnibus alijs negata ſunt. Prudentiæ enim & fortitudinis ductu atque auſpicijs imperium adminiſtras: quarum altera, quæ facienda ſunt, excogitat; altera, quod eſt excogitatum, facilè exequitur. Huc, quod maximum eſt, accedit, manus puritas & integritas quæ omnia reguntur. Vbinam tibi aurum iniuſtè collectum? Ne fuit quidem vmquam, vt pote ante omnia damnatum & eiectum, tamquam tectus & obſcurus tyrannus. Vbi inimicitia? damnata eſt. Vbi fauor? hic nonnihil labas & flecteris (paulùm enim te accuſabo) verùm Dei benignitatem imitans.* Et ſanè non ita neceſſarium conſilium & maturitas, vt Princeps indulgeat, benefaciatque. Eleganter Seneca ſcitatur, quare id fulmen quod Iupiter ſolus mittit, placabile eſt; pernicioſum id de quo deliberauit, & quod alijs quoque Dijs auctoribus miſit; quia Iouem, id eſt Regem, prodeſſe etiam ſolum oportet: nocere non niſi cùm pluribus viſum eſt. Diſcant hoc ij quicumque magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio nec fulmen quidem mitti: aduocent, conſiderent multorum ſententias, placita temperent; & hoc ſibi proponant, vbi aliquid percuti

Digitized by Google

percuti debet, ne Ioui quidem ſuum ſatis eſſe conſilium.

catum. Ego adulationes ſanctè intelligo, laudes non vltra verum.

Capvt XVII.

Lenitas linguæ.

CVm autem clementiam aut liberalitatem re & opere oſtentare Principi non licet, verbis monſtret mitiſſimam & beneficam indolem, & velut expectoret ore pandatque ſaniſſima præcordia. caueat ab omni acerbitate. Etiam optimi Regis Chriſti gratia in labiis diffuſa ſcribitur. Hac beneuolendi arte plura dabit, plura dimittet quàm poterit. Diuinus Ambroſ. ait: *Magna beneuolentia, quæ etiamſi nihil conferat plus exhibet: & cùm in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus. idque facit ſine vllo ſuo diſpendio, & lucro omnium: & ideo præſtat beneuolentia ſupra ipſam liberalitatem. Ditior hæc moribus, quàm illa muneribus.* Nec tamen perfuſam linguam Regis delibutamque gratia volo, vt profuſus ſermone ſit. gratius erit parcè loqui; ſed cum ſenſu omnia verba impleat, cum ſpe condiat, cum fide ſeruet. Hoc ſtudium Theodoſij Auguſti; quem ſic Latinus allòquitur: *Velim dicas, vnde, cùm tantis promiſſa perſoluas, quid cui promiſeris ſcias, nec te vel illa tuorum beneficentiorum turba confundat, vt parcior tardiórve tempore quem modóve decipias? Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, vt tu, quod promittis, appendis? Nec imponi negligentibus arbitreris: Quotidie in beneficia tua quærimus, & memoriam conuenimus, & ne ſingulis inſidietur obliuio, cum altero quiſque conferimus; vnum inuenire non poſſumus, cuius ſpem atque expectationem, non dicam feſelleris, ſed (quæ delicatior eſt querela) diſtuleris.... Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promiſſo fidem ſubdas, & verba re ſancias. Nemo iam beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda quo dederis; quia tam ſunt certa quæ ſpondes, vt tum videantur accepta, cùm ſpõdes.* Ad minus ſeruandũ eſt illud Guilielmi Aquitaniæ Principis Leoni Vercellenſi dictum: *Meum eſt, aut numquam promittere, aut promiſſa implere.* Hæc dico de explicatâ verbis promiſſione: nam eſt Regibus alia promittendi cærimonia: quos licèt ſermone non ſemper deceat promittere, niſi cùm falſuri non ſunt; animo poſſunt ſæpiùs polliceri, imò ſemper debent. quæ nec manu nec ore dederint, dent vultu, dent comitate, dent corde, à quo multa ſibi promittant ſubditi. Sed & verborum lenitate, laudibus interdum, & quaſi adulantis imagine, multa prodigere poſſunt, auerſos venaturi animos. *Noli*, inquit Moyſes ad Hobab filium Raguelis, *nos relinquere; tu enim noſti in quibus locis caſtra ponere debeamus: & eris ductor noſter.* S. Bruno addit: *Quid eſt quòd Moyſes Gentilem hominem ductorem exercitus ponere vult, cuius ipſe Dominus ductor erat? Sciendum autem, quòd homo vanus & ſuperbus, niſi quibuſdam laudibus & blanditiis, ſuæ ſalutis conſilijs non acquieſceret. vnde & nobis regula datur, potentes homines & ſuperbos etiam adulationibus ad iuſtitiam & veritatem conuertere, non eſſe peccatum.* Ego adulationes ſanctè intelligo, laudes non vltra verum.

1 de Offic.

Ep.116.Fulberti.

Capvt XVIII.

Iracundiæ frenum.

FEruorem iracundiæ & furorem neſciat Princeps; nec oſtendat ſermone, nec condat animo: nihil alienius Maieſtati, nihil incommodius emendaturo peccantes, quàm iraſci. Iratus, præterquam quòd ineptus ſit aliis corrigendis, ipſe corrigendum ſe præbet. Peccat, ne alij peccent. inimico iuſtitiæ amore delinquit. Miſerrima conditio iraſcentis Principis, non niſi culpâ ſuâ emendare alienas, atque in eo ad quod tenetur ſceleſtè agere, interdictus ſuo ſanctiſſimo munere. Hugo Victorinus ait: *Quod ſine culpa fieri non poteſt, faciendum non eſt. Arguere vis fratrem tuum? vide ſi potes ſine culpa. Quid eſt ſine culpa? Purè, pacificè, ſine malitia, ſine ira: alioquin, ſi iraſceris, cùm iraſcentem reprehendis, cadis in vitium quod damnas, & teſtis contra te efficeris. ſi talis eſt, dimitte, noli tangere, ne tibi dicatur: Medice cura te ipſum. ille quidem increpandus eſt, ſed à te non eſt.*

Quare muniat ſe Rex manſuetudine aut patientiâ, id eſt, magno animo, qui magna voret & digerat. Non vacat hic vtiliſſimæ patientiæ dicere vſus, & miſeris & felicibus neceſſarios. Obiter quod nunc occurrit ex Gilberto, ſatis ſit non contemnere. *Patientia eſt velut quidam impaſſibilitatis odor: illuc ſiquidem mala nulla inferuntur, hìc verò patientiæ beneficio, ac ſi vnguento quodam mitigatorio, etiam quæ illata ſunt non ſentiuntur. Efficax & vtile omnino vnguentum, quod etiam inter carnis vexationes animum ab iniuriâ tuetur, & continet ne fatiſcat, ne deficiat, ne laboret. Verùm adhuc excellentiorem vobis vnctionem demonſtro: Omne gaudium exiſtimate fratres, &c. An non tibi videtur excellentiori perfuſus vnguento, qui nouit in aduerſis gaudere, quàm qui didicit in ipſis non contriſtari? Minus eſt enim quo excluditur dolor quàm quo lætitia ſuadetur. Denique & inimicos non modò tolerare, ſed etiam amare iubemur. Odor ergo dilectionis ſuper omnia aromata.*

Longanimitas neceſſaria.

Capvt XIX.

Noxiæ deliciæ.

VOluptatum quoque temperantia quæſtuoſa Principi erit, ad liberalitatis alimentum: nam præmio, quod vna voluptas exhauſtura erat, mille poſſent munerari milites, mille recreari inopes, mille ſeruari virgines; neque pauci ſiccarentur oculi, excuſatis tributis. Ideò ad æquitatis cultum, & Principatus lenitatem, Princeps tolerabilis erit, per poteſtatis atque licentiæ ſuæ modum. Minimâ licentiâ vtatur, qui maximam poteſt ſumere. Magnificum eſt, cui licent multa, libêre pauca: quantum poteſtatis excedit, detrahatur voluntati: non decent meliorem, quæ non bonis vetantur, ne mali ſint. Virtutem à vitio non dignitas, ſed

ratio

Digitized by Google

ratio ſola diſtinguit. Mores ſiquidem non opes ſed vſus opum æſtimat.

Ceterùm, vt lenocinio aliquo Principum euincam temperantiam, placet Regio documento duplam huius virtutis vtilitatem, ſcilicet de corpore & animâ benè merentis, commendare. Rex Sanctius Craſſus Caſtellæ aliquot vtiles ſcripſit libros: apud me vnum habeo: ex altero, quem de Suppliciis in Regiâ Eſcurialenſi bibliothecâ reperi; hanc legi dignam ſententiam, quam ſuis ipſis verbis antiquitatis merito venerabilioribus hîc edam: *Para mientes à todas aquellas coſas, que ſon malas y feas, y lixoſas, y dañonſas para la carne, y fallaras que todas ſon malas para el alma. Mala coſtumbre para el cuerpo es comer è beuer lixoſamente, è mas de lo que debes. ca aſſi como eſto es malo para el cuerpo, bien aſſi es malo peccado para el ama. Otroſi es malo paro el cuerpo dormir mas de lo que debes, y de aquelle que cumple para el gouierno de tu cuerpo; è el tiempo que debes velar y meter mientes en tu facienda, no lo debes dexar por el ſueño ſobejo. Otroſi en el tiempo que debes loar à Dios, no lo debes dexar por tu ſueño. E todo eſto aſſi como es malo para el cuerpo, aſſi es peccado para el alma. Vida mala è lixoſa, buelta en todas malas coſtumbres y en peccado, es aborrecimiento de todos los dias de la vida deſte mundo, y es engañador que trahe las almas à perdicion. Que te dirè mas? todas aquellas coſas, en que home es bien acoſtumbrado, y por que faça buena vida al mundo, todas ſon ſaluamiento del alma, y todas las coſas, que ſon malas para la vida deſte mundo, que el home toma mala coſtumbre, todas ſon de perdicion del alma.* Latinis hoc verbis ſonat: Animum aduerte: ad ea omnia quæ corpori aduerſa, fœda, indecora & noxia ſunt; omnia etiam inuenies contraria & mala animæ. Peſſimus corpori mos eſt vorare & potare intemperanter, & vltra neceſſitatem: Hoc autem quemadmodum noxium eſt corpori, ſic eſt animæ malum, & peccatum. Item noxius quoque eſt corpori immodicus ſomnus, & vltra id quod iuuat corporis functiones. atque tempus vigiliis & curis neceſſarium, & in quo animum in res tuas & familiam intendere oporteret, non eſt nimij ſomni cauſsâ omittendum. Tum tempus quo Deum laudare debebas, non eſt commutandum pro ſomno. Hoc omne ſicut eſt corpori incommodum, ita animæ malum eſt, & crimen. Vita mala, indecens, peſſimis confuſa moribus & ſceleribus, odium eſt omnium dierum vitæ huius ſæculi; eſt fraus quæ in exitium & præceps animas agit. Quid amplius tibi dicam? omnia illa quibus homo benè moratus eſt, quæque iuuant commoditatem vitæ temporalis, ſunt quoque ſaluti animæ: ſicut & omnia quæ corporali vitæ noxia ſunt, quibus homo peſſimè aſſueſcit, ſunt quoque exitio animæ.

Sanctij Regis ſententia.

Caput XX.

Cupiditas coërcenda.

Auaritiam præcipuè premat, & à ſe auferat, qui omnibus daturus eſt, non dico, ne extorqueat, ne ſumat, ſed ne petat. Multum in hoc dico: multis enim modis petere poteſt, qui multum poteſt. Petit laudando, petit aſpiciendo, ipſo obtutu eripiet inuitis. Monſtrum nuper mirata eſt Hiſpania, cum quo auarum Regem componere licet: agnus erat cui tantùm vnicus, ſed magnus oculus eminebat; ſub illo vnguis aquilinus exertus. Licet manu innocens & candens Rex ſit; poteſt nihilominùs rapax eſſe, & faſcinare oculis. Quidquid attentus Regis intuitus, aut immodica commendatio placitum ſibi explicet, negabit nemo, dabit etiam nolens. Sileo alia auaritiæ damna, vnde alia ſuſpenduntur. numquam vitia ſolitaria ſunt. hoc præcipuè multam malorum ſupellectilem conuehit, & damnorum trahit pompam. Eleganter Hugo de Foilleto cupiditatem dixit malorum caput, ex quo pendet vitiorum cæſaries. Hæc eſt cæſaries quam nutriebat Abſalom, & grauabat eum. Quo pacto caput hominum ſalutare ipſis erit, ſi caput omnium malorum ſinu ſuo mulceat, pectore foueat? fugiat Rex reginam vitiorum auaritiam. quo pacto ſcelerum vindex erit, ſi ſceleratiſſimæ fraudum matri adulatur, & ſeruit? Cui cuncta (Caſſiodorus ait) crimina deteſtabili deuotione famulantur: quæ dum pectus hominis ingreſſa fuerit, gregatim quoque malè fidas cohortes admittit. Ferri non poteſt recepta, quæ neſcit eſſe ſolitaria. Agmen habet blandiſſimum, arma, ſuſcipit ex talentis, & per dulcedinem ſuperat, quos amarâ deceptione captiuat. Breuiſſimâ finitione, teſtem malorum, quàm auaritia trahit ad Adrianum Epictetus: aurum definit mancipium mortis, argentum inuidiæ locum.

In Alleg. 2. Reg.

Nolo propterea Principem pauperem, periculoſiſſimum animal, ſed qui ex ſuâ parcimoniâ locupletiſſima vectigalia capiat. Magnæ opes non tam accipiendo colliguntur, quàm non prodigendo. Innocentiſſimè enim augetur fiſcus detractione ſumptum. hac negotiatione, & iuſtitiæ mercaturâ Regiâ amplas comparauit opes noſter Henricus tertius, de quo Rodericus Sanctius: *Quod non parum admirationi fuit, paruo tempore ampliſſimum aggregauit theſaurum, non ſibi, ſed bello contra Arabes diſfundendum quamquam ad fiſci ſui commoda non admodum eſſet affectus, dicens illud Conſtantij Imperatoris, longè meliùs publicas opes à priuatis poſſideri, quàm intra vnum clauſtrum reſeruari: addens, ditiſſimi Regni Regem inopem eſſe non poſſe. Cùm enim miles quidam ab Henrico iocandi gratia quæreret, quanam cauſſa diues euaſiſſet; reſpondit nulla re ærarium cuiuſuis Principis cumulatiùs augeri, quàm ſi iuſtitiæ ſit cupidus, non pecunia.* Annecto ſalutaria conſilia Aurelij Senatoris clariſſimi: *Age ne vllis cupiditatibus accuſeris; vt ſi dare non preuales, certè te moderari velle feſtines. Proximus enim habetur donanti, de quo poteſt dici, Abſtinens eſt iugiter alieni. Certè fœdiſſima contrarietatis vitium eſt, ſtudere furtis, & habere vocabulum largitatis. Erigat ad laudem tuos animos quòd vocaris. Non te profectò meritis imparem facis, ſi turpiſſima ambitionis delicta calcaueris.*

Iuſtitia & parcimonia vectigal locuplet.

Digitized by Google

Capvt XXI.

Facilè diues Princeps beneuolus.

SEd demus pauperum numo Principem; ſi beneuolentiâ opulentus ſit, locupletiſſimus eſt. Ditior profectò, quàm ſi multam auri vim in ærariis damnaret otio & carcere. Si Regnum opulentum, viride, vegetum habet opulentiſſimi patrimonij dominus non erit inops. Præterea facilè diues erit, & momento, ſcilicet pro opportunitate, pro neceſſitate: qui vt beneuolus ſit, non vult otioſè ditari. Hanc de Conſtantio hiſtoriam narrat Euſebius in Conſtantini Vitâ. Diocletianus illi per legatos ſuos paupertatem exprobat, eique obiiciebat, quòd, cum ſubditis parceret, nihil in theſauris conditum haberet. Quibus intellectis, dum, legatos apud ſe commorari iuſſiſſet, conuocauit Conſtantius locupletiores ditionis ſuæ, ciues, ipſiſque inopiæ ſuæ cauſſam expoſuit, quòd maluerit beneuolentiam benignitate ſuâ collectam & firmatam, quàm ipſorum theſauros imperio ſeueriore extortos poſſidere, nunc verò illorum ſibi opus eſſe ſtudio, gratiâ, opibus & fide. Tum illi ſine cunctatione lætis animis, hilarique vultu ærarium eius auro & argento compleuerunt; & amore erga Principem clementiſſimum mirifico magnoque inter ſe ardore certauerunt. Conſtantius itaque cùm legatis ſuas opes conſpiciendas oſtendiſſet, Diocletiano renuntiari quid vidiſſent, iuſſit, & quâ ratione tantus theſaurus tam ſubitò collectus eſſet; ſubindicans, Principis ærarium tutiſſimum eſſe & firmiſſimum, ſubditorum animos beneuolos; & Regi numquam defuturos eorum theſauros, modò ei ſtudium, amor & fides populi ſui non deſint. Benignus Imperator poſt diſceſſum legatorum pecunias allatas ciuibus ſuis reſtituit, obſequio illorum multis verbis collaudato. Hactenus Euſebius. Eutropius addit dicere ſolitum Conſtantium, meliùs à priuatis publicas opes haberi, quàm intra vnum clauſtrum collectas obſeruari. Pergo ad alia.

Capvt XXII.

Exemplum Regium.

AMpliabit æquitatem Regis exemplum. Marcus Aurelius Cæſar, Ariſtide auctore, ſeſe temperantiæ exhibuit exemplar, adeò vt ij qui antè proterui & iniurioſi, conſpectâ eius modeſtiâ, mores ſuos mutarint; ac tam opum cupiditatem reliquerint, quàm ſeipſos ad temperantiam compoſuerint. Bellè Baſilius Imperator regis exemplum boni, dixit pharmacum aduerſus omnia mala. Sceptra mihi videntur ſicut Iacobi virgæ: pro ipſarum colore induent mores ſubditi. Potentiſſima exempli vis eſt, in vtramque partem flexura. Regis facta leges viuendi ſunt; neque tantumdem valet iubere voce, aut edicto, quantum opere. leges contemnuntur paſſim, edicta fruſtrantur. Nullæ aliæ leges tam felices ſunt, tam venerabiles, quàm quæ Rex geſtu promulgauit: eminet enim ſuper omnes tamquam idea exemplar ceteris imitandum, conſecrat Maieſtas quod facit. Præterea non tantùm immunitatem ſcelerum præſumunt ſubditi, ſperant quoque præmium, cùm non vindicem ſed patronum & magiſtrum Principem habeant. Credunt non auſurum punire quod ipſe probat, quod docet, quod facit; imò ſocietate & plauſu morum gauiſurum: nam genus gratiſſimum adulationis eſt imitatio. Quare lenonem publicum Regem faciet laſciuia, carnificem iracundia, furem auaritia. Ecquod expectabit è cælo tot ſcelerum, quot patrauit, præmium? S. Nilus ait: *Neminem manent certiora ſupplicia, quàm illum qui multos vitiorum ſuorum diſcipulos facit: imitantium enim interitus pœnarum cumulum facit præceptori.* Emiſſenus virilius dixit: *Quando aliquis peccat ſub conſcientiâ ac deſtructione plurimorum, de pluribus incurrit reatum, & quantum per vnius membri vitium ſerpit latè diffuſum reliqua per membra contagium, tantum in auctorem ſuum multiplicis mali recurrit augmentum: & quantos deſtruxerit, de tantis ſibi damnationis materiam congregabit: commiſſo enim peſſimo opere contriſtantur boni, ſubuertuntur mali; vtinam non etiam boni! Nimis enim penetrabile telum eſt imitatio deteriorum.* Similis ad bonum vis. Idem ait: *De tantis acquiruntur bonorum operum fructus, quantorum velut balſami ſuauitate condiuntur affectus.* Pulchrè Cæſarius Arelatenſis: *Numquam tibi deficit quidquid alter de te proficit. Numquam enim ſentit damnum luminis ſui plurimus ignis acceſſu, nec minuit ſolis lucem conſiderantium multitudo. quanti ad eum perſpexerint, tantis munera ſua commodat, & ipſe tamen integer perſeuerat. Grandius eſt boni exemplum, & lucroſius, cuius bona, dum multis communicantur, adduntur: quantumque ex ſe bonum proximis commodat, tantum in ſe lucra aliorum conuertit.* Hæc ille. Hom. 14.

Ad hoc ſpectat exquiſita quædam innocentia. Optimè Xiphilinus in Cæſare Auguſto ait: *Oportet Principem non ſolùm nihil facere per iniuriam, ſed nec omnino videri. Nam priuatis quidem hominibus ſatis eſt non delinquere: Principem verò decet nec ſuſpectum eſſe delicti.*

Vt legum quoque cuſtos eximius ſit Princeps, eaſdem ipſe colat eximiè; exemplum capiat à Deo ſuarum legum obſeruatore: *Leges ſeruat Rex.*

Finxit in æternum cauſſas, quâ cuncta coërcet
Se quoque lege tenens. ——

Ex Stoico cenſu eſt: *Non externa Deum cogunt, ſed ſua illi in legem æterna voluntas eſt.* Item: *Ille ipſe omnium Conditor ac Rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. ſemper paret, ſemel iuſſit.* Hic quoque Iſraëlitici Regis ritus ſcribendæ prius legis, cuſtodire arctiùs ipſam. De huius ſcriptionis vſu argutè diſſeruit Philo: *Mox poſt acceptam poteſtatem iubetur Rex Deuteronomium id eſt legum compendium; deſcribere manu propriâ, quo magis ea præcepta inhæreant animo: nam legentibus elabuntur ſententiæ, quòd lectio moras non patitur; qui autem ſcribit, per otium imprimis & infigit menti ſingula fideliter: non in tranſcurſu animaduerſa, ſed cunctanter; non priùs cogitatione tranſeunte ad ſequentia, quàm benè penſitata.* Senec. 5. de Prouid. De Creat. Princ.

Digitized by Google

penſitatis quæ præceſſerant. Abſoluto autem hoc ſcripto, relegendum eſt quotidie. Nam vt omnia in promptu habeat, id ita fiet, ſi Princeps euoluat à ſe non ab aliis ſcriptos commentarios: nam libentiùs quodammodo agnoſcet propria. Præſentat mox Philo Hebræum Principem, gloriatum pientiſſime; *Ergo cùm alij Reges ſceptro vtantur pro geſtamine, mihi pro ſceptro erit hoc legum compendium. Hoc inſigni gloriabor: hoc me inuictum reddet & inculpabilem, ſummique Regis imitatorem.* Illa quoque aurea ſententia Theodoſij & Valentiani pudorem exterget Principibus: *Digna vox maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeò de auctoritate iuris noſtra pendet auctoritas & reuerà maius imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum. Penè omne faſtidium Principum vſus potentiæ fecit.* Halicarnaſſeus ſcribit, *A principio omnes Græciæ ciuitates erant ſub Regibus; niſi quòd illi barbaricâ licentia dominabantur, ſed legitimè iuxta patrios mores Regnum exercebant: optimuſque Rex habebatur, qui eſſet iuſtiſſimus & legum ſeruantiſſimus, nuſquam diſcedens ab inſtitutis patriis, id quod ex Homero liquet, appellante Reges iuris redditores, ſiue iuridicos. Sed poſtquam aliqui eorum inceperunt abuti poteſtate, & in rebus adminiſtrandis non tam leges ſequi, quàm ſuam libidinem; Regni tædio magna pars Græciæ mutauit ſtatum publicum.* Itaque ſi humanis & ſuis legibus vltrò adſtringi Principem decet, diuinis attentior ſit; & vt ſanctiſſimus Damaſus ait, *iuſſa Dei ſibi corde ligans.* His Dauid optimus Rex intentus, die ac nocte à reuerentiâ obſeruantiâque diuinæ legis prudentiam requirebat, mandatis Dei affixus corde, mente, ore, manu.

Non ſatis eſt Domini præceptũ voluere linguâ:
Is meminit legis, qui memor eſt operis:

ſanctus Proſper dixit. Fecit vtrique Dauid: nam & ipſe ait: *Anima mea in manibus meis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.* Pſal. 118. Scilicet memoriam legum ſuadet ex manuum animatione, opere, diligentiâ implendæ legis: quam non ore tenus, ſterilibus & mortuis affectabas manibus: has potiùs vitales & animoſas obedientiæ celebrat.

Pertinebit quoque ad æquitatem æqualitas *Conſtantia* ipſius Principis, ſi ſimilis ſemper ſibi ſit. Fa- *bonorum mo-* cillimè fatigatur virtus imperij. Non rarò quan- *rum.* to benè exorditur, tanto infortunatè explicit. Neronis initia æquè optima, ac extrema peſſima. Saulis atque Salomonis infauſtos exitus non excuſarunt clariſſima primordia. Plurimorum Regum vitam ſtatua Aſſyria exponit, degenerante materiâ: aureum caput ceſſit in argenteum pectus, hoc in ærea femora, iſta in tibias ferreas, hæ in limoſos pedes. Luxus & deliciæ, quæ conſuetudine gliſcunt, marcere faciunt pudorem, & neruos virtutis præcidunt. Thomas Morus ait:

Eneruare bonas immenſa licentia mentes,
Idque etiam in magnis aſſolet ingeniis.

Ad hæc negotiorum vis, adulationis ſtrepitus auocant à ſe animum. Facilius priuatis eſt virtutis lucrum, quàm maximè apparant timor legum, amicorum libertas dicendi, deliciarum penuria, quotidiana de parando victu quaſi dimicandi neceſſitas. Exempto his Principi minor ſecuritas eſt, maior cura ſit.

Prolixum eſſet omnia ciuilis ſcientiæ dogmata digere. Guſtaui ea ex quibus alia deducuntur. Satis commendata & inſtructa manebit Regum ars, religionis ſtudio, prudentiæ præſcripto, atque æquitatis cultu, cum ſuis appendicibus.

Digitized by Google

DE ADORATIONE
In Spiritu & Veritate,
LIBER PRIMVS.

Capvt I.
Mendacium ſæcularis Vitæ.

Mors hominum, mendacium ſine honore. Nolite zelare mortem in errore vitæ: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Mendacia perniciosiora ſunt, quatenus ſalubrioris atque pretioſioris rei. Mortales nihil pretioſius quàm vitam habent: quomodo ſuſtinere poſſunt mendacium vitæ? quomodo tolerare falſitatem ſpiritus & obſequij diuini, quod infinities oportet pluris haberi quàm vita ipſa? Mendacium vitæ, eſt omnium malorum perniciosiſſimum. Nimis periculoſum eſt & extimeſcendum, in hac re pretioſiſſimâ ſeduci. Oculos non patiuntur homines falli: quomodo benigni ſibi ſunt, ſi decipiatur mens? In lapidibus non ſuſtinent fruſtrari: quomodo in ſeipſis ferunt illudi? Quàm ſolliciti & induſtrij ſunt, ne pupillæ eorum adulterinus color lapilli imponat loco veri? non emunt gemmam, niſi adiurato & cautionem præſtanti venditore, quòd ille lapis verus ſit. Hæc amentia hominum; quòd gaudeant pretio vitæ ſuæ falſo, non lapidis: qui nolint ſeductos habere oculos, & ament ſeductam habere mentem, ſpiritum, vitam, & cælum denique.

Graue ducimus ab alio decipi, etiam in rebus exiguis: & à nobis, in ipſo noſtri pretio, libentiſſimè volumus ſeduci. Audire, vel dicere mendacium nolumus: & tamen volumus ipſum mendacium eſſe, & viuere. O Miſeri! quia & decepti, & deceptores nobis ſumus: & patienter ſuſtinemus geminum hoc malum, quod maximè fugiunt homines; & duplicem toleramus infamiam in re tantâ, cùm in leuiſſimis neutrum ſuſtineremus. Si nefas iudicas decipere amicum tuum, & ſummam iniuriam putas, decipi ab amico: quod ius & fas erit, vt te decipias, & à temet decipiaris, qui fidelior & charior debes eſſe tibi? At priuilegio quodam patientiæ honoramus damna noſtra aduerſus nos, quæ ſunt omnium maiora, & duplicia; atque quadam non modò immunitate, ſed gratulatione inſtigamus & armamus magis, ad perniciem noſtram. Si aliquis falleret auarum in bonis fortunæ fugitiuis, ægrè ferret; ſi arca & loculos pro pecuniâ oppleret illi cœno & ſordibus, ſummam iniuriam putaret: cur falli à nobis in bonis virtutis & gratiæ, non tantùm ſuſtinemus, ſed affectamus; nec dolemus vitam contaminatam vitiis & defectibus habere, vel fictã virtutẽ, adulterinã charitatẽ, ſuperficialẽ mortificationẽ, & ſpuriam humilitatẽ?

Huius damni præcipua cauſa eſt, quòd latentem amorem noſtrum non perſequimur, nec interimimus hunc hoſtem vernaculum. Non licet tanti facere, & ſeruare vitam inimici, vt vitam noſtram periclitemur, audiendo conſilia hoſtis huius incolumis. Appetitus noſtros auſcultamus vt oracula, cùm ſemper mendacia nobis ſuggerant. Quid audit adulatores ſtudentes placere hominibus, plurima falſa opus eſt credere: ſic qui audit blandientem ſibi ſuum amorem, paſſim decipietur.

Dic mihi, ô anima, ſi in Senatu ſapientiſſimorum & optimorum hominum omnes vnanimi ſuffragio iudicarent cauſam aliquam, & ſolùm reus iam culpam confeſſus ipſe, & conuictus ab aliis, qui idiota & ruſticus, & ſceleratiſſimus erat, repugnaret ſententiæ totius Senatus, velut iniuſtæ; an tu huic magis fidem adhiberes, quàm illis viris ſapientiſſimis & iuſtis? Cur igitur nugas & voces ſequeris amoris tui, & cupiditatis non modò ruſticæ, ſed beſtialis? cur huius vnius dictamen opponere audes Deo, Angelis, Doctoribus Eccleſiæ, Philoſophis antiquis, Rationi ipſi, imò tuimet conſcientiæ, condemnantibus ea quæ bona iudicat affectio propria, iudicium ipſum amoris priuati & cupiditatis? Crede falſum, quod Deus non iudicat verum, quod Angeli condemnant, quod Doctores refellunt, quod Philoſophi refutant, quod Ratio damnat, cui conſcientia tua diſſentit. Omnes peragunt reum mendacij amorem tui verſutum, & technis innumeris armatum. Pleni omnes ſumus fallaciis, quia referti amore proprio; eò perniciosius, quatenus impoſtor non modò domeſticus eſt, ſed concatenatus & radicitus conſitus nobiſcum; vt numquam diſcedat, ſed ſemper adſit abſque induciis erroris. Hinc inueteratum eſt damnum ipſo vſu, & velut præſcriptione mentiendi; vt quod vitium eſt, non modò defendant homines prudenter factum, ſed iuxta Euangelium; & quod eſt contra rationem, ex doctrinâ Chriſti interdum ſanctificent. Sufficeret miſeriæ humanæ ignorantia, quâ laborat, quin opus eſſet ſupperaddi deceptionem. Miſeria ignorantium leuis & facilis eſt, vt quæ decedat diſciplinæ, ſimul ac docêtur; at eorum qui decepti ſunt, dura & pertinax, vt quæ reſiſtat doctrinæ. O, vtinam ſolùm ignorantes eſſemus, & non ſeducti!

Hæc ſtultitia & impoſtura hominum in mundo ferè in omnes graſſatur. Quantumuis ſapientiſſimos ſe putent, & ſint primarij Doctores & Profeſſores Vniuerſitatum; inſipientes

Digitized by Google

tes ſunt, & ſeducti, niſi probi, & ſancti. Elige quemcumqne ſapientem, quem tibi omnes prædicarunt vt ſummum ſcientiarum oraculum: ſi hunc ſemel videres lutum & ſtercora ſeruare in pretioſiſſimis & mundiſſimis thecis, & inde eieciſſe vaſa aurea, & abieciſſe gemmas & vniones; an poſſes perſuaderi, illum hominem eſſe ſapientem, cùm illas ſordes æſtimaret, & depretiaret has diuitias? Quomodo igitur ſapiens erit, qui non ſemel, ſed perpetuò cor ſuum implet ambitione honorum, deſideriis diuitiarum aut voluptatum? contemnit verò amorem Dei, diuitias gratiæ, merita Chriſti, Deum ipſum? quæ multò plus diſtant ab honoribus, diuitiis & voluptatibus mundi, quàm aurum à fæce & cœno, prout ſcilicet diſtat Deus à creaturâ. Quid refert, ſi dicas, non naſci hoc ex ignorantiâ, ſed ſatis fuiſſe cognitum illi homini diſcrimen temporalium ab ſpiritualibus, & neminem hoc ignorare quamuis operetur diuersè? nam nec excuſabitur ab amentiâ, qui diceret, optimè iudicare valorem auri ſuper omnia, & à ſe lutum æſtimari vt viliſſimum, ſi nihilominùs cuſtodiret lutum, ambiret, amplexaretur, oſcularetur illud, & etiam cum periculo vitæ & immenſis laboribus quæreret; aurum verò etiam oblatum abiiceret, nec conſpicere vellet. Plus ſanè miraberis hanc dementiam arcanam, & has tenebras viſibiles; neque planè ſapientem aut ſanum hominem iſtum dicere auderes, ne riſui eſſes omnibus. Quantò inſanior erit, & magis ridiculus, qui dicens maiora eſſe bona ſpiritus & gratiæ, quàm mundana, quærit hæc, & contemnit illa? An doctus homo, aut integer mente, aut fidelis potuit eſſe, qui ex aureo ſacrario, deputato vt aſſeruetur ibi Euchariſtia, abieciſſet Corpus Chriſti, vt loco illius deponeret lutum? Quomodo ſapiens eſt, qui ab animo, diuino ſacrario, expellit ipſam diuinitatem complacentem ibi, & ſubſtituit eius loco non ſtercora, ſed fœdiora vitia, & concupiſcentias ſordidiores? Igitur nulla ſapientia, nulla veritas in mundanâ vitâ. Terribiliora arma, quibus pugnabit Chriſtus aduerſus inſenſatos in tremendo die iudicij; non erunt, conuulſio elementorum, caſus ſtellarum, obtenebratio Solis, incendium mundi, vox Archangeli terribilis, horriſona tuba illa Dei, vultus ſeueri Iudicis; ſed veritas: hoc ſolùm, quòd tunc videbitur manifeſta, quam nunc inuoluimus noſtris cupiditatibus, & contemnimus. In ſpirituali autem vitâ licet ſit veritas, miſcentur quandoque mendacia, ob ſubtilitatem & adulationem intimi amoris noſtri (adulatio enim vbiuis corrumpit & faſcinat veritatem) & artificium & odium dæmonis, qui vbique veritatem creatam euertere conatur, cùm increatam non poſſit. Idcircò commendatur à Chriſto Domino, vt decus Euãgelicæ perfectionis, adorare Deum in ſpiritu & veritate. Deus verus non debet coli falſâ vitâ. Vnigenitus Dei Filius veritas eſt; & qui filius Dei eſſe vult, veritatem amet, & habeat. Quare, qui à præcipitio carnis digreſſi per ſemitam ſpiritus incedunt, nondum extra periculum ſe putare debent, niſi ſimul incedant veritatis viâ. Huic vt ſecurè inſiſtas anima mea, accipe has monitiones, quibus adores Deum, & ſeruias veraciter perfecto ſpiritu cordis, & intelligas quid loquatur veritas, ne ſit in ſpiritu tuo dolus: ſed potiùs veritatem facientes in charitate, creſcamus in Chriſto per omnia.

Caput II.

De Veritate ſpiritus.

NE putes ex conſortio veritatis vitam ſpiritus tetricam & acerbam eſſe: nam calumnia eſt, veritatem amaram dici. Non eſt timenda ob nomen ſolum; iucundiſſima res, veritas ſpiritus. Ne dicas: Si veritas exteriùs audita amara habetur, quàm peracerba erit interiùs percepta, & intima nobis? Si ab aliis dicta moleſtat; quid à nobis facta, & in nobis perfecta? ſi auditui ingrata eſt, quid fiet conſcientiæ, cordi, & toti vitæ; Nam non eſt mellis vitium, ſi amarè ſapiat palato corrupto. Terram ipſam, cùm ſolidè conſiſtat, circummoueri iudicat, qui vertigine laborat. Vitiis noſtris credimus peccare cetera; & humanum morbum imputamus culpam diuinis etiam rebus. Innocens veritas eſt, dulcis, placens, niſi ſolùm carnalibus diſplicens, & iis qui diſplicent Deo. Idem purpuræ regius color mulcet homines, ſed tauros offendit, atque exacerbat: eos qui intelligunt, delectat hæc purpura Dei veritas, hoc decus ſanctimoniæ; parum refert, ſi offendat eos, qui animâ & mente ſunt inanes & indigni: imò eo ipſo magis digna ipſa eſt & commendabilis.

Pulcherrimum quid atque diuinum eſt veritati, eſſe horridam malis: cauſam odij conſidera, & videbis quàm ſit amabilis per ſe. Auſtera videtur hominibus veritas ſuper omnia aduerſa & moleſta; quia ſingulæ aduerſitates ſingulas oppugnant, aut aliquas voluptates: at veritas omnes ſimul, & cuncta vitia. Ideò ſupra omnia iudicant illam grauem; ideò nihil magis libenter quàm veritatem ſtringunt aduerſus inimicos ad vlciſcendum ſe, nec vllum damnum virulentiore corde immittunt: quia quod malum ſibi quiſque maximè formidat, id optat inimico cùm iraſcitur; & quoniam putet ſibi fore maximum malum veritatem, vt ſpicula venenata contorquet veritates in inimicum obiiciendo, & admonendo illum id ipſum quod eſt. At tantæ offenſionis cauſa, amorem & pretium veritatis commendat: omni amore digna eſt, quæ vitia omnia dedignatur & impugnat. Si vnica potio omnes morbos tibi curaret, minimè contemneres, quamuis te acerbaret; imò nihil aliud maiori in pretio haberes: ita veritas vel iſto ſolo titulo per ſe eſt amanda & adoranda, etiam cruci affixa, ſine decore, ſine vultu. At illa honeſta eſt ſpecie, & iucunda ſapore; non deformis, ſed Deiformis: non eſt inſipida, ſed Dei ſapientia: vox veritatis dulcis, & facies ſua decora. Deum pro condimento habet, non poteſt eſſe inſulſa, aut fellea, aut corrupta. Quæ Deum beatum facit, non debet tibi cenſeri moleſta; nec poteſt facere te miſerum. Quid dicam? Deus Veritas eſt ânne Deus erit tibi amarior felle, aut non pulchrior luce? Age, aude reſpicere veritatem, aude amare, aude te committere & confidere illi. Hic præcipuus ſpiritualis vitæ canon eſt: ſicut carnales nihil magis in

Digitized by Google

in odio habent, quàm veritatem; ſic qui per viam ſpiritus incedunt, nihil magis in voto & pretio habeant. Quid magis gratum & neceſſarium ſagittario, quàm oculi? ita hominem rationis compotem nihil optatius oportet habere, quàm veritatem. Sagittarius & animalia, quæ vſui plurimùm ſunt, erutis oculis inutilia redduntur: ſic tota vita noſtra abſque veritate redditur infrugifera. Nullus ſenſus magis iucundus, quàm viſus: reliquas animi dotes excedit veritas; quæ non minùs placeat fulgens, quàm æſtimetur pungens.

Igitur à veritatis iuſtâ opinione incipiamus excludere mendacia, reputans nihil vtilius, nihil ſuauius, nihil præſtantius, quàm veritatem ſpiritus ſinceram. Plerique quia hoc non ſatis credunt, permittunt ſibi aliquam interdum indulgentiam naturæ & amoris proprij, & inclinationis carnis, quamuis in rebus leuibus; commiſcentes ſubtiliſſimâ diſſimulatione & fraude ſui ſolatia aliena, vt emolliant auſteritatem, quam in ſpiritu timent & ſuſpicantur: & non ſatis fidentes illi, & Deo, adhuc reſeruant aliqua pignora carnis & voluntatis, quibus nolunt expoliari, vt illuc ſe recipiant facilè, non auſi omnimodo repudio ſui tradere ſe penitus Deo & ſpiritui nudos, quaſi in penetralibus & interiori eius eſſet aliqua amaritudo. Hi ſe fallunt: nam non eſt hic ſpiritus veritatis. Res ſimpliciſſima & perſpicua eſt ſpiritus: quare non erit verus & genuinus, qui ita permixtus & confuſus eſt. Hæc duo ſunt, caro & ſpiritus, & nequeunt in vnam rem ſimplicem coaleſcere. Adeò ſimplex & pura debet eſſe veritas ſpiritus, vt non ſatis ſit cuncta carnis mendacia, omnes leges mundi, quantaſcumque inſinuationes amoris tui horrere & formidare; ſed etiam opus eſt, te orbare animâ ipſâ tuâ, & quauis eius voluntate & delectatione creatâ, etiam intellectuali & licitâ, vt ſolum Deum quæras & habeas.

Altius quid eſt ſpiritus quàm anima, intellectus, & natura. Audi IESVM tuum dicentem: *Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Ioan. 4. Quare vt adores veraciter, & ſeruias perfectè Deo in ſpiritu vero, oportet vt tranſcendas te, & omnem creaturam, & affectionem creatam; & anheles & ames ſolam diuinam veritatem, & quaſi profecturus ſtatim de hoc mundo, omnibus creaturis, & tibi ipſi valedicas adhærens per charitatem puram Domino vnus ſpiritus (vt dicit S. Paulus) factus cum Deo vno, qui veritas ipſa eſt. Reuelle te à te ipſo; vt cum Deo inſeraris: diuide te à te ipſo, vt cum Creatore tuo vniaris: refige te à te ipſo, vt in cruce cum IESV figaris: extirpa te à te peſſimo, vt in omni bono radiceris. Fuge naturam tuam; in Deo inuenies aſylum tui: abſque diſſimulatione te perde, & lucraberis te verè.

CAPVT III.

De Puritate ſpiritus.

NE in aliquo recenſeas te beſtiarum & iumentorum grege, qui cum Deo vnus ſpiritus potes eſſe, ô coheres Chriſti: in nullo congaudeas de ſocietate pecorum. Omnes carnis & naturæ delectationes contemnas, nullatenus aliquâ reſeruatâ & permiſsâ: vna ſola ſaporem veritatis vitiabit; vna veritatem ſpiritus offuſcabit. Paruis rebus ſæpè maxima cedunt: aceti guttula inficit totum vaſculum meri nobiliſſimi: ſtilla atramenti phialam puriſſimæ atque turbat: cur vis perſpicuitatem veritatis, & nobilitatem ſpiritus, exiguâ & vnicâ delectatiunculâ corrumpere? cur à diuino ſtatu te delicijs? cur à Dei gremio & dulci amplexu te abiungis, vt guſtes minutas fæces rerum, cùm nec à Chriſti cruce deſcendere debueras ob Regna mundi? O auare & puſillanimis, cùm vnionem inæſtimabilis pretij empturus dederis iam talenta plura; demum ne addas vnicum aſſem, conuentionem reſcindis. Imò ſtultior es: nam mercator nihil perderet, ſolùm non lucraretur gemmam; redderetur enim illi ſua pecunia: at tibi non reddentur magnæ delectationes; & quia minimam non vis relinquere, non lucraris genuinum ſpiritum. Cur longiſſimum curſum progreſſus feliciter, iam in metâ ne addas vnicum greſſum, fruſtraris præmio; Non graue & amarum putes abſtinere omnibus: vt potuiſti maioribus carere, poteris minoribus, vt potuiſti multis, poteris aliis; vt potuiſti pluribus, poteris reliquis.

Quid eſt quòd aſpera ſuſtineas plura, corporis macerationes, humiliationes, opprobria, humicubationes, ieiunia; & aliunde edulij alicuius, aut alterius rei delectatione, aut cupiditate, labefias & vincaris; Anne ſi penitus renunties gulæ, miſer eris? quomodo Angeli feliciſſimè viuunt ieiuni? Imò dæmones non triſtantur quòd abſtineant: ſed nec animalia; nam ſunt aliqua quæ abſque cibis & gulâ fruuntur lætâ naturâ, & gaudent ſpiritu dumtaxat. Semper æſtima te in ſuperiori claſſe, quàm ſimiarum aut luporum: ita non ſollicitaberis de earum voluptatibus. An doles quia vt cicada non ſtrides? Minimè. An quia cadauera vt vultures non epularis? Nequaquam: quia ea gaudia alterius ſunt ſpeciei: ſic ſi te hominem cenſes, alienas omnes voluptates, quæ beſtiarum ſunt, contemnes. Quid ſi te conſideras collegam Angelorum? quid ſi adhæres Domino, vnus ſpiritus cum eo factus Deus; Quæ per æternitatem non deſideraturus es, & eris beatus; potes modò non cupere, & non eris miſer. Vt non doluiſti carere ludicris & crepundiis puerorum, factus vir: ſic nec voluptatibus etiam hominum, factus Angelus, & quaſi Deus, dolebis. Si daretur tibi optio, vt tranſires in ſtatum angelicum, nónne eligeres, etiam admiſsâ hac conditione, vt in æternum abſtineres? Ecce nunc ad tempus hæc optio datur. Voluptates & cibos, quos ſatur ventre deſpicis, cur non famelicus virtutis deſpicies? quas æger corpore faſtidis & horres, cur non & mente ſanus? quid impoſſibile iudicas virtuti, renuntiare voluptatibus, quod neceſſarium facit infirmitas? Quod potuit vitium naturæ, nónne poterit robur gratiæ te facere pertæſum delectationes omnes viles? Si tibi faſtidio aliquando fuerunt diuina & ſpiritualia crede poſſe faſtidio eſſe carnalia. Potes viuere in hoc exilio cum periculo inferni ſine immenſis voluptatibus cæli; etiam poteris ad odorem

Digitized by Google

odorem paradiſi ſine his vilibus terræ. Quot hominum millia in laboribus & luctu ſunt, & tamen viuunt? túne ſolus moriturus, quia ſine guſtu? Vixiſti aliquando in dolore: modò viue ſine voluptate. Toties fuiſti dolens, modò tantùm eſto continens. Si pudet ſapere cum vulgo hominum, pudeat guſtare cum vulgo beſtiarum. Imò belluæ abſtinent magis; quæ minoribus, ſimplicioribus, & paucioribus voluptatibus contentæ ſunt, quàm pleriquę hominum. Idem cogita de reliquis voluptatibus ſenſuum & animæ, & qualibet aliâ propriæ voluntatis fruitione.

Oportet repudium æternum renuntiare omnibus rebus; & potes, & ſine periculo tui, imò ſine moleſtia. Sed vt voluptate omni carere queas, care voluntate omni etiam leuiſſimâ, licitâ & iuſtâ. Caue, ſi propriâ voluntate induatis, & non ſis nudus, inde caro aſſueta dominari velut Domina Ioſeph apprehendet laciniam veſtimenti tui manu ſuâ, hoc eſt, appetitu connexo voluntati, & adulterare te coget. Lacinia ſufficit ad tantum facinus, minimâ anſulâ gubernantur ingentia damna: niſi pallium penitus relinquas nudus, periclitaberis. Reiice voluntatem tuam integram, nec te protegas damno tuo, nec periculo tuo te amicias. Elias raptus in cælum, pallium reliquit: neque tutò ad cæleſtem vitam aduolabis, niſi relictâ voluntate. Reſcinde omnem voluptatem & voluntatem; reſcinde te à te in omnibus: cur vis, iam pluribus reciſſis, manere in paruo ligatus, limitatâ libertate ſpiritus. Non eſt liber canis, quòd longam catenam habeat, vt per interuallum ludat. Accidit pleriſque quod paſſeri, quem puer ligatum filo habet: qui emiſſus, putat ſe liberum, & volat alacris vſque ad ſpatium funiculi; mox miſerè cadit. Sic anima velut filo manet ligata, niſi cuncta reſecet: putans ſe expeditam, poſt ſpatium certum, turpiter proruet in cœnum: quin etſi effugias à carne, & te auellas ab illicitis, & voles per cæleſtia; ſi tecum feras voluntatem, adhuc in rebus ſublimibus detineberis, & impedieris. Paſſer ereptus è poteſtate pueri, ſi ſecum ferat filum, in cacuminibus arborum vicinus cælo illaqueabitur, & peribit.

Gen. 39.

Sed forſan triſte putabis adhuc, omni voluntate & delectatione orbari. Quid ſi dicerem non eſſe triſte, omnes dolores & cruciatus optare? Non enim mœſtum erit, omni voluptate priuari, ſi iucunda ſit ipſa priuatio. Huc ſe diffundit vigor ſpiritus, hoc machinatur artificium gratiæ, ludens ſapores rerum, vt omnia dulcia huius mundi faſtidias & horreas, omnia amara concupiſcas. Non mœſtum hoc credas: nam nomine tenus amara erunt, ſi cupiantur. Natura facit, vt quod vni inſipidum, alij ſit ſuaue: ánne hebetior erit gratia? In muliebribus paſſionibus eſt, appetere inſipida & abſurda, carbones, lutum, gypſum, atque faſtidire edulia exquiſitè condita: quod femineæ ægritudini contigit, impoſſibiléne erit ſaluti diuinæ? corruptus ſtomachus appetitum gubernat, & integra mens nihil valebit in voluntate? Ne igitur timeas, ô puſillanimis, quæ de ſpirituali vitâ audis: nam minimè moleſta & grauis eſt, etſi neceſſe ſit amplecti moleſta & grauia omnia. Ne te atterat nomen inane aut opinio: aude, aggredere, terrebis tu ipſas difficultates. Fertur genus theſaurorum ſub magico artificio, quos cuſtodiunt horribiles manes & ſpectra tremenda: at ſi quis audeat, ſolùm contemnens illa ſpectacula, ſubitò faceſſunt omnia & euaneſcunt, vt numquam ampliùs appareant, vt deinde ſecurè & placidè fruatur diuitiis illis. Non maiori labore eſt opus quàm animo. Fortiter aude, vt theſauris ſpiritualibus potiaris: repentè ſpectra difficultatem diſparebunt. Virili corde inuade, fruiturus, ſine aliquâ moleſtiâ, arcanâ dulcedine vitæ ſpirituali. Mella laborant apes, ſub deformi ſubere latentes.

Caput IV.

Quomodo veritas per fidem conſtet. Et de fructu & vſu huius virtutis.

IN mendaciis ambulat, non in veritate nec in ſpiritu, qui non ambulat in fide. Procul à ſenſu habitat veritas. Hæc cæleſtis planta non floret in terra; non alitur ſanguine & carne; non naſcitur inter ſtercora materialium. Paſſim decipimur in bonis corporalibus; & his ipſis, quæ corporis intuemur oculis, & manibus contrectamus. Remus integer, in aquâ videtur fractus: turris quadrata, rotunda videtur diſſitis: lux ipſa ſolis, quæ eſt tota fides oculorum, ſæpè fallit illos, fingens colores qui non ſunt: quomodo non ſeducemur in rebus animæ & ſpiritualibus, quas non videmus, & diuinis, quæ extra humanum ſunt captum? Totum humanum genus mendacij tenebris caligabat, velut in ſpecu, ſine vllâ feneſtrâ aut rimulâ, per quam leuiſſimus radius poſſet illucere: ipſi Philoſophi præclariores, ſolùm ſcire dicebant omnia mendacia eſſe; aut ſcientiam vnicam eſſe, nihil ſcire: adeò laborabant vanitate, vt ſolum de cælis optarent remedium. Quidam illorum putabat magiſtrum veritatis dumtaxat poſſe eſſe aliquem Filium Dei: ecce iam tu Fili Altiſſimi, ecce tu Veritas æterna, ecce tu Sapientia Patris, è cælo deſcendiſti, ô lux mundi, vt illuminares illum, vt nos doceres veritatem; cur homines tantum beneficium non æſtimant, & fidei bonum contemnunt? Quid refert credere verum, ſi ſimus nos falſi? Salutaris veritas eſt bona actio; & verbum verum factum verbi. Verbum Dei caro factum eſt, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta eſt.

Mendacium & vanitas eſt, quod non eſt iuxta doctrinam Iesv: cur vſum huius beneficij negligimus, ſolùm contenti mortuo modo credere? Magnum fructum Fidei haberemus, ſi ſciremus vti, & iuxta illam operaremur vt debemus, plus quàm ſi acie oculorum viderentur ea quæ affirmat. Omnes per fidem credunt vera: ſed oportet credere verè; quod non videntur omnes facere. Si credis, ô proterua anima, quæ Chriſtus dixit, conſequenter operare. Si eſt verum, quòd Ieſum oportuerit pati vt intraret in gloriam ſuam: ſi eſt verum, quod Deus prouideat omnia in bonum iuſtorum: cur affligeris in leuibus laboribus & calamitatibus? cur putas iacturas, quod de Fide eſt, eſſe lucra animæ maxima, dum patiens ſis. Si credis id eſſe

 verum,

Digitized by Google

verum, vt verè eſt, potiùs debes gaudere, & te ſolari. Si oculis carnis Prophetam aliquem ſanctiſſimum, vt Dauidem aut Ioannem Baptiſtam, cerneres reſuſcitatum, vel Angelum de cælo venientem, vt tibi ex parte Dei annunciaret, eſſe voluntatem diuinam vt ferres hanc ærumnam patienter, quoniam tibi futura eſſet magno bono & lucro; nónne hoc ſufficeret, vt compeſceret impatientiam tuam? imò vt excitaret ſimile gaudium, atque Apoſtolis, qui ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Iesv contumeliam pati? cur modò non te ſuſtines? Illud nuntium miraculoſum non deberes putare tam certum, vt eſt documentum fidei: nam liceret interdum dubitare tunc, cùm poſſet te illudere ſpiritus malus; & tu falli in ſenſibus tuis. Igitur ſi veritas hæc ex fide certior ſit, quàm ſi Angelus de cælo euangelizaret tibi, cur minùs te debeat commouere? Cognitionis certitudinem & rei conſcientiam ſequitur modus operandi, & iuxta excellentiam notitiæ debet eſſe præſtantia operis. Quare qui ambulare in veritate vult, ſuæ greſſus vitæ & actiones conformes faciat ſuæ fidei; nec tantùm vera credat, ſed verè, ne ridiculus Angelis ſit, & ſocius dæmonum, qui etiam credunt ſine operibus.

Quid prodeſt ſcire viam cæli, ſi non ambulas? Sciunt meliùs ſpiritus mali; & tamen quia conſiſtunt, ſunt dæmones. Dicito mihi, quid vtilius tibi nolle benè operari, aut dæmonibus non poſſe? Perinde eſt in pleriſque nolens ac impotens: imò tibi eſt damnabilius & turpius, nolle cùm poſſis. Dæmones credunt, & contremiſcunt: vtinam tu, cùm credas, timeres! Cur non contremiſcis ad iudicia Dei, conſiderans certitudinem eorum; & ambiguitatem tuæ ſortis, vel ad ſupplicia æterna, vel ad gaudia? Quid eſt, ſi credimus magnitudinem diuinæ bonitatis in ſe, immenſi amoris erga nos, & ſummorum beneficiorum eius, cùm non reſpondeamus amore noſtro, fidelitate & obſequiis? ſed potiùs audeamus offendere vel venialiter, & non colimus & amamus omnibus noſtris viribus & infatigabiliter Deum, qui omnibus viribus omnipotentiæ ſuæ creauit, & fouet nos, & perfectè ac æternè amat, & dilexit vſque in finem, & vſque ad mortem amauit! Quid eſt quòd ſemper amentes nobis, & inuerecundi in ſuam Maieſtatem ſumus, ſiue credamus, ſiue non verè credamus, dum ſegnes & torpidi manemus? Si non credimus indubitanter, quæ maior ſtultitia, cùm homines omnia credant adulatoribus, quòd ad guſtum ſuum loquantur quæ commoda illis ſint, quàm non credere res fidei, quæ vtiliſſimæ ſunt nobis, ita eſſe, & maximi lucri & honoris noſtri, quòd veræ ſint? Quæ maior irreuerentia, quàm credere homini, cùm omnis homo ſit mendax, & qui falli poſſit; & non credere Deo loquenti nobis vtilia, & ea confirmanti tot miraculis? Si verò credimus hæc, & contrà operamur; quæ maior irriſio Dei, quàm reſpuere bonitatem ſuam amabiliſſimam, nihili facere amorem, ſanguinem, & beneficia ſua, atque non timere infernum vel purgatorij pœnas, aut non ſperare & deſiderare ardentiſſimè gloriam cæli; quæ Deus magna putat, & vt magna nobis minatur, ac pollicetur, vt benè operemur? Quis maior furor, quàm exponere nos per noſtram ſocordiam periculo amittendi gloriam, aut morandi in purgatorij ignibus?

Oportet in omnibus noſtris actibus conuenire rebus quas credimus; & plus affici, quàm ſi viſu aut aliquo ſenſu & experimento conſtarent nobis. Accepiſti corpus Chriſti, aut aſſiſtis tremendo ſacrificio Miſſæ: ſi credis quòd Chriſtus tecum aut præſens eſt, maiori ſummiſſione & reuerentiâ debes adeſſe, quàm ſi oculis tuis patenter conſpiceres; maiori fiduciâ precari, quàm ſi vt S. Stephano tibi panderentur cæli, & videres hierarchias Angelorum comitantes Chriſtum ad te deſcendentem, vt ab eo aliquid peteres: nam certius eſt per fidem veniſſe Chriſtum ad altare, quàm ſi viſu tuo illum intuereris. Hoc modo curet quiſque penetrare veritates fidei, ac in earum certitudine ſe affirmare, conſequenter perinde operando. Quo modo conſequenter procedis, & non tibi ipſi imponis, cùm dicas plus æſtimare minimam gloriæ particulam, quàm vniuerſi orbis imperium; & tamen pro cælo nec vllam voluptatem tuam velis negare, & pro rebus temporalibus ſine fine labores & angaris? Hoc videtur contingere non poſſe, niſi æſtimentur plus terreſtria & caduca, quàm cæleſtia & æterna bona.

Capvt V.

De ſpe veniæ & zelo pœnitentiæ.

Qvi plus bonus eſt, plus odit peccatum: qui plus odit peccatum, magis cupit deſtruere illud: plus igitur deſiderat Deus dimittere peccata, quâm pœnitens ipſe, qui veniam poſtulat. Deus magis bonus, ideò magis odit mala. Si peccator qui malus eſt, odit ſuum delictum, & vult deſtruere; quantò magis Deus qui optimus eſt? Quiſque quæ ſua ſunt, quærit: ſolus Deus quæ tua ſunt, tuamque ſalutem exoptat, ne dubites de veniâ & auxilio diuino. Locupletiſſimum fideiuſſorem habemus Filium Dei, ſi velimus conuerti. Nec deeſt manſuetudo creditori, nec ſors ſufficiens fideiuſſori. Ne diffidas, peccator, ob enormem magnitudinem tui debiti: reſpectu infinitæ miſericordiæ Dei, & meritorum Chriſti, exiguum eſt. Infinitus noſter theſaurus, Iesvs eſt crucifixus. Stultum erit putare, maximum Imperatoris ærarium non ſufficere, ſi tibi concederetur, vt inde ſolueres drachmam quam debebas: ſtultius eſt morari, quo minùs ſatisfacere Deo velis, confidens in Iesv.

Ridiculus eris, ſi tibi iniuſtus es, qui aliis eſſe vtilis & beneficus gauderes. Quantum gratulareris, ſi tuâ occaſione & diligentiâ facta fuiſſet conuerſio S. Auguſtini, aut Magdalenæ, aut Pauli Apoſtoli, aut alterius magni peccatoris, quem adduxiſſes ad Deum; & modò id facere abſque dubio conareris, ſi in tuâ poteſtate eſſet facere aliquem verè pœnitentem & æquè ſanctum, ac Magdalenam: recordare quòd in tuâ poteſtate ſit cum gratiâ Dei facere te pœnitentem, & ſeriò dolentem de peccatis, etiam leuibus, & valdè feruentem & ſanctum: conuerte te, & gloriare de tuâ conuerſione plus

quàm

Digitized by Google

quàm de aliena. Quis, dum non ſit deſperatus, ſi iam moribundus præ fame eſſet, panem vellet dare leuiter eſurienti, nec indigenti illâ miſericordiâ crudeli, & ſe in extremis poſitum pateretur perire? Te mone, te hortare, tibi prædica: nihil deſideratur, vt dimittantur tibi peccata, niſi tuum deſiderium, dolor, & diſpoſitio, ex gratiâ etiam. Ecce Deus expectat paratus; maius auxilium vult dare. Iam habes pignus ſuæ bonæ voluntatis, tuam voluntatem boni quæ à Deo eſt.

Neſcio quomodo, cùm conſtes corpore cognato brutis, & animâ cognatâ Deo, corporis tuendi artem commendes & quæras, at animæ medicinam à vitiis tuis & morbis contemnas. Præcipua ſollicitudo ſit præcipuæ rei. Prima cura animæ ſit, propter quam corpus eſt: & iam ſi prima, hoc modo ſola debet eſſe. Animæ morbi maiores ſunt, & plures, & perniciofiores; eius medicina certa & ſine dubitatione, cùm ſanentur, qui verè volunt ſanari; corporis verò curatio eſt fallax; nam non ſtatim conualeſcunt, qui curantur. Tum medicamenta corporis difficilia, amariora, maioris ſumptus, nec in promptu ſunt; ſed deportari eſt opus ex tranſmarinis, & ferè vltramundanis regionibus, quæ ſunt in alio orbe: animæ verò remedia faciliora, obuia, quæ non modò domi habeas, ſed in te ipſo, nec vltrà tuam voluntatem. Cur igitur tot animæ tuæ malis non mederis, cùm ſolliciteris in quauis corporis affectione malâ?

O ſumma Veritas Dei illumina me, quia ignorantia hoc efficit: nam corporis affectiones iudicat animus, & ſentit; animi verò morbos non ſentit corpus: ſolùm ab animo ſentiri & cognoſci poſſunt; ſed cùm id ipſum langueat, quod deberet iudicare, ideò ſuos morbos non iudicat anima, nec quærit remedium: ſed quò peiùs ſe habet, minùs ſe ſentit malam; quò magis ægrotat, minùs ægritudinem ſuam cognoſcit; velut membra corporis grauiùs laborant, cùm ſenſum amiſerunt. O Domine, quantum languent animæ noſtræ, quæ non dolent tot defectus, diſtractiones, negligentias & irreuerentias erga te, qui habitas in nobis! Da mihi, vt leuiſſimam etiam culpam fluuiis lacrymarum expiem, & toto corde doleam, nec patiar in me vllam offenſionem tui.

Quam excuſationem poteſt dare homo, quòd non conuertatur, adhæreatque Deo ſtatim omnibus ſuis viribus? An quòd non ſentiat ſuum malum, cùm ad oculum non pateat? Sed iam per fidem monemur, quæ certior eſt oculis. An quòd natura noſtra infirma ſit, & prona ad malum? Sed hoc ipſo debet quærere robur, arma & fauorem Dei; ne ſine ope & armis iaceat in imbecillitate ſuâ relictus inimicis ſuis. An quòd plura ſint incitamenta ad peccandum? Fallitur, plura ſunt & fortiora ad iuſtitiam, & repugnandum. Si mundus hortatur, Deus vetat: ſi natura inclinat, gratia compeſcit: ſi dæmones ſuggerunt, Angeli inſpirant. An quod mali proſperantur? O inſania, amare momentaneam proſperitatem, & non timere æternitatem calamitatum! An quòd tempus ſperes in ſenectute reformandi te, nam Deus expectauit multos? O inſenſate, non eſt promiſſa vita, ſed oblata venia. O ingrate, abuteris gratiâ & patientiâ Dei. Caue; non iniuſtè Deus aget, ſi non dederit veniam quando & quomodo vis, cù n nolis modò cùm inuitat. An quòd ſit moleſta via virtutis & ſpiritus? Sed numquid placidior erit inferni aut purgatorij ignis?

Caput VI.

Forma peccatoris proponitur.

O Vos Cherubim & Seraphim, qui tegitis pedes & faciem, quia pudet non ſatis amare bonum meum Deum meum, commodate mihi linguam veſtram, commodate vocem Archangeli, & tubam Dei, vt per vniuerſum tonem euocando mortales: Surgite mortui, etiam dum viuitis, & venite ad iudicium: venite, vt iudicetis quoddam facinus ſtupendum, quod nunc contigit. Venite vt iraſcamini, venite vt rideatis, ſed potiùs venite vt fleatis: hiſtoriam lamentabilem nuntiabo, quam certò mihi conſtat eueniſſe, vt arbitri de illà ſitis. Feminam quamdam, pedibus, manibus, & collo ligatam, trahebant quidam latrones volutando per fœtida loca, eamque in fornacem æſtuantem incendio horribili conniccte volebant: occurrit tunc Rex, cui potentiâ & ceteris dotibus par nullus fuit, imò ille ſolus in ſe vſurpauerat omnes naturæ liberalitates, & humanæ ſpei auaritias. Fortior erat Samſone, prudentior & locupletior Salomone, fœlicior & benignior Dauide. Hic miſertus feminæ illius, vt illam liberaret (ſolus enim erat) expoſuit ſe morti; & acceptis magnis vulneribus, fuſo toto cruore, fugauit latrones, & mundauit illam, quæ horrida ſordibus fuerat, balneo facto de ſuo ſanguine, cùm aqua non ſuppeteret pura: accepit in ſponſam, licet æthiopiſſa & inuenuſta eſſet, atque ſui imperij coronauit Reginam: extruxit illi prætorium magnificum, adornauit mirè, ſculpens vndique imaginem ſui, vt conciliaret amorem & memoriam ſui in feminâ illâ: diſpoſuit familiam, & donauit ei innumeros ſeruos; &, quod plus eſt, adeò extra ſe ferebatur præ amore illius, vt ipſe miniſtraret illi etiam in obſequiis humilibus: deliciæ prætereà ſuæ erant eſſe cum illâ, aut cogitare de illa, nihil aliud quàm redamari deſiderans: inſtituit denique heredem Regni ſui; promiſſis ad hæc multis donis maioribus, ſi ſeruaret fidem. Nihilominùs, quaſi tot beneficia ſolùm negotiarentur perfidiam & odium, contempto ſponſo & Rege, ſollicitabat ſponſa illa ad adulteria mancipia & ſeruos viliores, qui ſtabula curabant: illi tamen fideliſſimi Regi, partim fugiebant, partim præ dolore occidebantur; nam diſperire malebant, quàm videre non ſeruari fidem optimo Principi, & ſponſo. Demum ingemiſcebant cuncti Reginæ iniquitatem; nec propterea deſiſtebat illa cogere, proſtituendo ſe omnibus. Nec ſtetit hîc ſcelus: cùm benignior erga illam eſſet ſponſus, incredibile crimen excogitauit; prodidit illum, tradens hoſtibus ſuis, quos capitali odio proſequebatur Rex: quorum mancipium illum fecit ſceleſtiſſima femina, & ſeruire maioribus inimicis ſuis coëgit; qui excæcarunt illum, & illuſerunt:

Digitized by Google

illuſerunt: at quod mirum magis eſt, manſit illa oblita omnium beneficiorum & donorum, fruens Regno, & imperans præfrictâ fronte ſecurior & lætior, quaſi egregium aliquid patraſſet. Nunc iudicate, homines, nunc ius dicite: quis erit, qui non iratus indignatione
2. Reg. 12. aduerſus feminam illam nimiâ, dicat; Viuit Dominus, quoniam filia mortis eſt femina quæ fecit hoc. Sed necdum finita hiſtoria, nequitiam hactenus dedi, reſtat ſtultitia. Nam cùm odiſſet & contemneret pulchrum ſponſum Regem, imagunculas illius, quæ per angulos aulæ inciſæ fuerant, oſculabatur, & ſummè venerabatur ob pulchritudinem illarum: quæ tamen collatæ ad ſponſum fœdæ erant, nec integrè referebant totam illius pulchritudinem; ſed quædam oculos ſolùm, aliæ manus, aliæ ora repræſentabant: cumque ſponſus coram ſponſâ eſſet, eius amplexus deſiderans; illa terga vertebat, pertæſa Regem, & icones illa quæritabat. Nunc iudicate, ô mortales: Viuit Dominus, quoniam filia riſus eſt femina, quæ hoc facit.

O vtinam te capiam dolis Nathan, & reſipiſcas pœnitentiâ Dauidis! Tu es, ô anima, femina illa. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vnxi te, ô homo, Regem ſuper vniuerſas naturas mundi: tibi creaui omnia: ego erui te de manu Saül & latronum luciferi & dæmonum; de ſordibus vbi iacebas, de inferno ardenti quò ruebas: mundaui te ſanguine meo; & dedi tibi in cælis domum Domini tui Dei, & omnes delicias diuinas in ſinu tuo: dedique tibi domum hunc mundum vt palatium regium, & creaturas omnes, quæ tibi ſeruirent: & ſi parua ſunt iſta, creationis, redemptionis & glorificationis beneficia adiiciam tibi multò maiora: propter quod horum beneficiorum me inſectaris, & contemnis? crimina tibi videntur beneficia mea? in me iraſceris & animaduertis, vt in malefactores, qui puniuntur iis rebus ipſis quibus peccant: tu ipſis donis meis abuteris, velut damnans me in illis, ac ſi benefaciendo deliquiſſem. Quod beneficium meum meretur iniurias tuas? Ego emendabo; ego vltor tuus ero aduerſus me: quia nihil niſi beneuolentiam tuam deſideraui magis, nec deſidero, nec deſiderabo. Paratus ſum, vt me ames, deſtruere mundum, ſi peccatum fuit contra te, illum feciſſe. Si culpa fuit mori pro te, iterùm moriar, vt ſatisfaciam, vt reconcilier tecum. Si ſcelus fuit, parare tibi gloriam meam & cælum; vt parceres mihi, relinquerem illud denuò, iterùm exinanirem me, & orbarem maieſtate & gloriâ. Cur putas, quæ in hominibus facta in alios, virtutes ſunt laude dignæ, à Deo erga te facta eſſe delicta, opprobrio & damnatione digna? At ſi beneficia hæc cenſes, quæ in te vnam omnibus meæ omnipotentiæ viribus & doloribus cruciatuum aceruaui & collegi: cur tu ſeligis in me maiores iniurias? Fortaſſe in eo flagitium fuit, quòd dedi multa & magna; nam in ſingulis non agnoſco culpam; ideò vis me punire magnitudine & multitudine contemptuum, & certare & vincere benefacta mea tuis opprobriis? en, peſſimarum feminarum ſelecta iniquitates in me amantem tuum tu vna collegiſti. Placuit tibi nequitia vxoris Putiphar; & ſtatim in me machinata, vis adulterare cum ſeruis, quos dedi tibi creaturas: & cogis ad hoc, nec diſcis fidelitatem earum, quæ fugiunt à te, vt Ioſeph; & celeriter prætereunt, vel pereunt: omnes ingemiſcunt & dolent præ parturientium dolore; nolentes quòd pecces in illis, nec ames illas, contempto ſponſo tuo, & Domino illarum. At tu addens iniquitatem, criminaris illas, quòd elabantur; & quereris de illis, quòd fugiant. Hæc eſt querela publica mortalium, quòd dij ſui ſint mortales, quòd pereant creaturæ. Accuſas illas, quòd ſint cauſæ vt tu adulteres; cùm illæ innocentes, beneuolæ tibi, & Deo ſuo fideles, fugiant à te, ne adulterium cum illis committas nimis amando. At tu, inquis, ſi eſſem locuples, ſi haberem diuitias, ſi haberem commoditatem iſtam, pacificè ſeruirem Deo, nec deſiderarem plura: at quia omnia perdidi, & fugerunt à me bona, non poſſum non facere hoc: penuria cogit me peccare, paupertas facit me deſiderare res, & iniuſtè cum iacturâ ſpiritus mei. Ceſſa queri, ceſſa criminari; & potiùs audi creaturas, quæ meliùs quàm Ioſeph officij te admonent. Ecce Dominus noſter, omnibus tibi traditis, obliuiſcitur ſui: nec quidquam eſt quod non in tuâ ſit poteſtate, quod non tradiderit tibi, vt quidquid velis faceres de nobis, præter hoc vnum, amare nos; quomodo ergo potes malum hoc facere, & peccare in Deum tuum? Quomodo poſſumus nos ſuſtinere tuum amorem, quem ſibi reſeruauit Creator, & non potiùs fugere? Vt tu dares te illi, dedit nos tibi: vt tu ſeruias illi, nos ſeruimus tibi: diſce à nobis ſeruire vſque ad mortem, non adulterare. Vt tu ſubſiſtas, nos corrumpimur: nec enim malum exemplum aut ſcandalum tibi dedimus: non cupimus amari à te; ſed quòd des Creatori id quod melius habes, amorem tuum. Illum ama, & lauda, quemadmodum nos facimus. Diſce zelum noſtrum: nam vt tu facias idem, corrumpi à te patimur libenter. Diſce perire, vt viuat gloria Dei: nam vt tu viuas, interimus nos. Diſce humilitatem noſtram: nam cùm germanæ tuæ ſimus, pares nobilitate parentis; imò natu maiores, non erubeſcimus in rebus humilibus ſeruire tibi, vt tu regnes cum ſponſo tuo, & illum ames. Vt tu viuas in æternum cum illo, conuertimur nos in ſordes & ſaniem, non dedignamur omnia vilia obſequia cum periculo & interitu noſtro: ſolùm indignamur, in meliore arâ Dei, hoc eſt corde tuo, poſita eſſe ſimulacra noſtri propter nimium affectum erga nos; & de nobis ſæpiùs cogitari quàm de Deo, & immolari nobis non animalia, ſed animam tuam. Pudet, pudet victimam metalli terreni, aut honoris humani, aut voluptatis momentaneæ, eſſe animum cæleſtem, & in hoc gratiam diuinam, & ex hac gloriam æternam.

Placuit præterea tibi, ô anima, perfidia Dalilæ; & mox aduerſum me Deum, amantem tuum, tentaſti ſimilem. Prodidiſti me, quemadmodum Samſonem, maioribus hoſtibus meis captiuum, ſeruum Philiſthæis peccatorum: nam ſeruire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis: neque ego vllum alium inimicum habui, & ita odi, veluti peccatum: tu nihilominus es cauſa, vt ego faciens oriri ſolem, & pluens opportunis temporibus, lactans fructus terræ, coquens poma arborum, condiens paſcua pecoribus, ſeruiam gulæ tuæ:

facit

Digitized by Google

facis, vt conflans metalla in terræ viſceribus, auaritiæ tuæ miniſtrem. O facinus, facere Deum ſeruum facinorum, captiuum iniquitatum, promum condum ſcelerum, œconomum malignitatum! Vitia quoque tua mihi illuſerunt quaſi cæco. Ante iudicem ſeuerum nemo auderet committere furtum, nec pueri ante pædagogum aliquid indecorum facere; at ſi eruas oculos, quiduis etiam, ſi ſit præſens, patrant, motant geſtus ridiculos, & illudunt ei impunè: ſic tu etiam ſi noſcebas me præſentem, flagitia patrabas, quòd me cæcum facere voluiſti. Tua ſcelera, hoſtes mei, id fecerunt; quibus tu excæcata, me quoque cæcum putabas: ſic demum me tradidiſti aduerſariis meis, vt ad illos occidendos opus mihi fuerit mori; nec meliùs quàm morte meâ occidere peccata, inſtar Samſonis, iuſtè potui.

CAPVT VII.

Altera pars parabolæ. Et quomodo creaturis vtendum ſit.

SEd & illud ridiculum proſequendum inconſolabili fletu, ô anima, cùm contemptâ pulchritudine verâ ſponſi tui, in imagunculis creaturarum partiales adumbrationes illius adoras. Si Imperator quidam maximus deſignaret diem & locum, vt inauguraretur adoratione Procerum; & ad hoc coacto iam populo, purpurâ indutus, diademate redimitus, armatus ſceptro, torque aureo, & ceteris inſignibus maieſtatis verendus procederet, ſedenſque in medio fori ſuper ſublimem thronum, iam expectaret ritus venerationis; & ſi tunc omnis populus relinquens illum, verteretur ad ſtatuam rudem eiuſdem Principis, cuius dimidia tantùm facies ſignata vix eſſet, & ferè deleta, ſine diſtinctione lineamentorum, eamque adorarent omnes & obſeruarent, relinquendo ſolitarium Imperatorem, vt nemo illum reſpicere, nec flectere genua vellet, quàm frigidus & erubeſcens maneret! Quid ſi non ad ſtatuam, ſed ad veſtigij eius notam, quam in luto expreſſiſſet, accurrerent cuncti adoraturi; ipſum verò Imperatorem deſererent, vanâ totâ Maieſtate, & ſpe ſuâ irritâ? Hoc facis, ô anima, conciſam & informem bonitatem creaturarum, quæ veſtigium eſt diuinæ, diligens & adorans; auguſtam illam, originalem, integram, & pulcherrimam contemnens. O homines, cur Deum ſolitarium relinquimus in Maieſtate ſuâ? & ad quem veneraturi in vitam conuocamur, terga vertimus, & præoptamus lutum; quale facinus fuit præponi Barabbam Chriſto, vt Chriſtus attolleretur in crucem? quantum erit præferri cœnum diuinitati, vt cœnum attollatur in Deum?

Quid falleris anima? noſce, creatas bonitates ſolùm eſſe offuſcatas & rudes ſimilitudines Dei. Cur litura placet, & limpidum & viuens archetypum non delectabit? Conſtitue coram viatore defeſſo equum viuum, & ſculptum: ànne vt commodè peragat iter, accipiet ſtatuam equi, quâ ipſe onuſtus magis fatigabitur? cur oneraris creatis bonis, vt iter vitæ peragas meliùs? ſimulacra ſunt bonitatis viuæ: cum Deo ſolùm ſine fatigatione itinerabeȓis. Offer famelico edulium verum, aut pictum, ánne ſaturari de picto volet? cur tu imagines & vmbras appetis, non veram bonitatem? Abſurdior eſt homo quàm canis: qui ſi in fruſtum panis inciderit, panem arripit; non in vmbram eius, relicto vero cibo, dentem conabitur figere: tu, relicto Deo, vmbram eius amplecteris. Cur vis partem plus quàm totum? Quis ſitibundus videns duas amphoras, integram vnam, diuiſam in fragmenta alteram, contemptâ integrâ acciperet capulum ſolum conciſæ, aut aliud fragmen inutile, vt hauriret aquam, extincturus ſitim ardentiſſimam? Creaturæ partiales ſunt icones diuinæ bonitatis, cuius perfectiones diuiſæ per creatas naturas: cur tu partem mauis quàm totum; & partem illius totius, quæ non iuuat niſi in toto? Nec creaturæ iuuant ſingulæ, nec omnes ſimul, niſi in Deo: amphoræ conciſæ nec quælibet pars, nec omnes ſimul ad hauriendam aquam proſunt: ſola in integritate diuinæ bonitatis, ſitim ſatiare poteſt appetitus.

Noſce imaginum vſus: non ſunt vt vſurpent voluntatem, ſed vt iuuent memoriam. Tu oblitus Dei occupas voluntatem, ſed non imples: inde quia numquam ſatias, potes agnoſcere abuſum. Quantumuis ames bona mundi, & conſequaris cuncta, eâdem inanitate & fame cupiditas laborabit. Panis pictus non ſatiat, ſed figura eſt eius quod ſatiat: ſic bonitates creatæ non ſatiant appetitum, ſed imagines ſunt eius quod ſatiat, nempe Dei. Perinde ſunt voluntati omnia bona mundi, vt ignis pictus gelidæ manui: accipere, applicare illum poteſt; ſed non foueri & recreari illo. Prunarum pictura oculos afficit, non frigentis hominis ſatisfacit tactui. Creatæ res mentem admonent, non ſatisfaciunt amori. Monitoria diuinorum voluit Deus in fimbriis inſui, manibus appendi, ſcribi in poſtibus & ianuis domorum; ne vmquam Iſraël veri Dei oblitus, Dei oblitus, alienos adoraret. Non minùs diligens in mundanâ domo, quam ipſe homini ædificauit, vbique monitoria ſui inſculpſit, in poſtibus, in ianuis, in pauimento terræ tot naturis, in laquearìis cælorum tot lucibus. Omnia bona rerum phylacteria tua ſunt, vt Deum ames, & nihil aliud adores: vt quid, velut Phariſæi, admonitionem contemnens, dilatas illa, & magnificas fimbrias, plura poſſidens, aut cupiens, aut magna reputans?

Intercipis conſilia Dei, id ipſum adorans; quo prouidit, vt nihil aliud adorares, quàm illum. Age, intercipe cupiditatem tuam, idipſum quod appetit præuertens, obiectâ diuinâ bonitate; vt ex appetitu rerum, nullam rem appetat, niſi Deum. Occurrit aliquid amœnum, aliqnid iucundum? ſtatim validum clypeum oppone Deum. Quale hoc in ſponſo meo erit? nolo occupari in hac micâ venuſtatis, in hoc atomo dulcoris; ſed totam amœnitatem hauriam in Deo, totum ſaporem glutiam: nolo vt Lazarus ſaturari micis. Si potuit delectare paruula litura, exemplàrne limpidiſſimum minus poterit? Tauri diuertuntur & illuduntur obiecto pallio, aut aliâ re quam ſine hominis periculo impetant: tu obiice graſſanti cupiditati Deum, vt à rebus creatis diuertas illam, in quem cum fructu ruat. Hoc pacto, ô imbellis ſpiritus ſalubriter & iuſtiſſimè

Digitized by Google

iuſtiſſimè præuaricaberis appetitus tui veneno, vt ipſa cupiditas rerum, per quam Dei ſolemus obliuiſci, fiat tibi memoriale diuini amoris, & ſtimulus charitatis. Ipſa cupiditas, quâ auarus nummum argenti concupiſcit, ſi offeratur aureus, magis cupiet; quia in aureo valor argenti continetur, & exceditur: ſic tibi concupiſcenti diuitias ac voluptates obiice Deum, in quo valor illarum omnium continetur, & exundant omnes: ita incredibilem fructum experieris. Continuò præſens Deus obtendetur tibi; & acues amorem eius, vt ſine magno impedimento verſeris inter humana & neceſſaria negotia, donec maiores ſponſi tui amplexus guſtes, eleuato & robuſto ſpiritu, cùm iam non inquietabunt te creaturæ; ſed offendent adeò, vt ipſum cælum viſibile tibi ſordeſcat præ Deo meo & Iesv meo. Ei qui videt ſolem, non apparent ſtellarum luces: collatæ ad Creatorem, inſulſæ & fœdæ ſunt creaturæ. Sidera quia accipiunt lumen à ſole, tamquam nihilum ſunt ante ſolem; quia non videntur: ſic omnia quæ ſunt, quia accipiunt eſſentiam à te, ô Deus amator hominum, ſunt tamquam nihilum ante te, ante tuam ſupereſſentialem eſſentiam & bonitatem.

Sed adhuc eſt fructus creaturarum eas faſtidienti. Audis alium amare aut deſiderare illas? erubeſce, & luge hominem ſocium naturæ tuæ, oblitum Dei; at tu attolle te, & reſtaurare ſatage opprobrium communis naturæ amando pro vtroque Creatorem. Omnium amorum, quibus mundus amat bona caduca, reum te puta, & ſatisfac diligendo æternum. Omnium inclinationum, quibus res ad centra ſua proruunt, debitorem te æſtima; nec differas ſoluere, celeriùs mentem & amorem eleuando ad cælum, quàm ſaxum dimitteretur à cælo. Omnia creata propenſionibus ſuis veſtigium bonitatis Dei amant, quærendo benè eſſe: pudeat te, & plores veram ipſam bonitatem propenſiùs non amare, cùm fortior ſit gratia quàm natura. O quale illud erit, cuius vmbram tot conatibus amant creaturæ; ad quod aſpirat & concertat totalis omnium amor! Tu omnes diſperſiones inclinationum, omnes errores cupiditatum in te congregare cura, vt in Deum contendas, & emendes obliuionem hominum.

Capvt VIII.

Affectus veri pœnitentis.

TRansfer, transfer à me peccata mea, ô Pater amantiſſime, qui in cælis es. Sic te inuocare audeo, conſenſu & doctrinâ amantiſſimi Filij tui Iesv, vt te diſtinguam ab eo Patre, quem in inferis elegi ſceleribus meis, quibus malui eſſe filius diaboli, & fui diu. Facio tibi palàm peccata mea immania & innumera: quæ ſi poſſem, illa potiùs occultarem & obliterarem ſanguine cordis mei, ne vultus tuus læderetur horrendis ſpectaculis. Sed quia nec omnium hominum nec animalium ſanguis vnum ſolum occultare & delere poteſt, oſtendo tibi, vt vnâ guttâ ſanguinis dilecti Filij tui Iesv penitus aboleas. Oſtendo tibi quæ peccauerim in te: nam non minuit malitia mea bonitatem tuam. Poſt malignitatem meam, & innumera ſcelera manes, ô Pater, bonus. Si ergo malus & peſſimus ego perhorreſco, & nollem videre crimina mea; tu bonus & optimus quomodo poteris ferre talia ſpectra, quin aboleas & deſtruas? Plùs tu bonus odiſti peccata mea, quàm ego peſſimus nunc odi, & anteà amaui. Tentaui flumine lacrymarum abluere illa; ſed non niſi cruor amati mei Iesv lixiuium peccatorum eſt. In inferno nequitiæ meæ ſum; non guttam aquæ, vt ille diues à patre Abraham, ſed guttam ſanguinis Chriſti poſtulo à Patre miſericordiarum ego diues & locupletiſſimus omni iniquitate. Hac meâ petitione nolo fraudare iuſtitiam tuam, ſed ſolùm nolo offendere bonitatem tuam. Vt abluas culpas magis precor, quàm quòd remittas pœnas.

O Pater cæleſtis, perinde exoſculor & amo iuſtitiam tuam erga me, ſicut miſericordiam tuam: non tam precor indulgentiam pœnæ, quàm culpæ veniam. Opto ſummoperè, & ex toto corde, omnium creaturarum deſideria in vnum cogere; & vellem omnia ſimul deſiderare, vt vindicet iuſtitia tua peccata mea. Omnium dæmonum & hominum pœnas infernales in me vnum ſuſciperem libentiùs, nec terrerent illæ, vt non terreret me facies tua. Maius malum eſt peccatum meum, quàm illæ: imò non eſt comparatio; quia ſolum peccatum meum malum eſt, illæ bonæ ſunt, quia tu infligis. Atque ſi haberem illas, non me facerent ex eo magis malum, temperatâ & immixtâ malitiâ meâ cum bono illarum, nec haberem malitiam meram à me, ſed cum aliquo bono à te ex iuſtitiâ tuâ.

Sed, ô Pater miſericors, vereor, ne dum cupio humiliter deteſtari peccatum, denuò ſuperbè peccem: optarem deſcendere in infernum, ſi fieri poſſet vt ſimul gratiam tuam obtinerem. Quomodo ergo plenus peccatis audeo optare, quod Sancti tui amici optauerunt? Quomodo ego ſolum infernum deſiderabo, qui ſolus peccator peccatorum ſum. Quis locus inferni mihi erit? an in profundiſſimo ad pedes Luciferi? Si hanc iam optauit ſedem aliquis amicus tuus, quomodo auſim ego? Locus eſt ille concupitus à Sanctis tuis, & gradus ad cælum alicui fuit. Seruus tuus ex Dominicanâ familia frater Vrigman cùm nullum ſibi locum congruum reperire putaret, niſi in profundiſſimo inferni ſub ipſo Lucifero, audiuit vocem è ſupremo cælo delapſam, inuitantem, Citò huc aſcende, ad thronum altiſſimum, in cor Dei Patris: quomodo ego illum locum audeo appetere? Quid ergo? erit alius locus infra omnes mihi peccatori ſuper omnes? an ad pedes Iudæ? Sed hunc locum ſibi arrogauit iam alius ſeruus tuus, meus Pater beatus Franciſcus Borgia, qui & deceſſit illo loco, cùm attendiſſet à Domino meo Iesv humillimo occupatum aliquando. Qui locus mihi reſtat? an ſub pedes eius qui alapam Iesv dedit, cùm ſæpiùs ego colaphum impegerim? an ſub pedes Caïphæ, cùm quotidie damnauerim ego Chriſtum, eiuſque doctrinam? an ad ianuam inferi, vt omnes introëuntes me peſſumdent? an expectabo præcipitium Antichriſti in barathrum infernale, vt ſubter eius pedes patiar? O benigniſſime Domine,

peior

Digitized by Google

peior & peſſimus omnium peccatorum ſum ego: non mihi locus eſt in inferno, quia indignus omni loco ſum. Indignum me accuſo etiam ſocietate dæmonum, vt mihi ſoli infernus vilior & atrocior præparandus eſſet. Ego ſum opprobrium naturæ, pudor generis humani. Si in te Pater verecundia cadere poſſet, nullius rei te puderet, niſi quòd tam horrificum & abominabile monſtrum conſerues in mundo, vt meæ culpæ me fecerunt.

Quin & ipſis dæmonibus dedecori ſum, & à ſuâ ſocietate infernali meritò me repellerent. Nónne peior ſum dæmonibus? in naturâ apertum eſt: in moribus etiam fateor: nam video plura in me propter quæ id concedam. Siquidem damnatio dæmonum vnicum peccatum cogitationis fuit: mea verò ſunt infinita peccatorum grauiſſimorum opera. Quæ diſtantia erit à malitiâ illorum ad meam? quæ eſt ab vnitate ad numerum innumerum. Sed mutentur conditiones adhuc: maiorem nequitiam meam agnoſco, & ſi dæmones propter innumera peccata damnati fuiſſent, & ego vnum ſolum haberem: nam dæmones non peccarunt contra Deum, qui propter ipſos Angelus factus fuit; non experti erant tantam bonitatem Dei: non peccarunt contra Deum, qui pro ipſis crucifixus fuit: non peccarunt contra Deum, qui ſe ipſis dedit in cibum: non peccarunt contra Deum, qui tam ſublime ſacerdotium illis reliquit: non peccarunt contra Deum, qui exemplo ſuo eis dedit documenta benè viuendi, qui per triginta & tres annos continuis laboribus eos docuit. At ego peccaui (proh anima mea, quomodo non liqueſis, cùm tale cogitas?) contra Deum, toties optimum mihi, qui pro me mortuus eſt, qui mea peccata in cruce lacrymatus eſt cum clamore valido, & in horto guttis ſanguinis luxerunt ſinguli artus eius meas ſingulas culpas. Ego indignior ſum Lucifero, indignior dæmonibus, indignior Iudâ, qui nondum viderat **Iesvm pro ſe mortuum; indignior Antichriſto, qui non toties experietur tantam miſericordiam** Dei, vt ego: meritò igitur dedignari poſſunt mei contubernium; neque infernus dignus me eſt, nec tantam iniquitatem meam capere volet.

Plus quàm infernum hunc mereor: mereor eſſe extra omnem naturam, ne inhonorem illam, qui dedecoraui decus ſuum: occidi, quoad in me fuit, patrem eius: abſtuli coronam creaturarum de capite ſuo: contemnendo auctorem, ſingulas creaturas inhonoraui: ideò deberem eſſe ſcopus odij omnium, & gaudere meâ annihilatione poſſent. Fortaſſe hoc peterem, ſi ſimul fieri potuiſſet quòd ego dedecus naturæ, iniuria gratiæ, irriſio Diuinæ voluntatis non fuiſſem. tamen, quia mereor torqueri, quem locum inueniam?

Tu, ô Potentia infinita, ô Sapientia incomprehenſibilis, ô Iuſtitia immenſa, quærere potes quid de me agas. Interim dum locus inuenitur, & præparatur, expecto non ſub ſatanâ, non ad pedes Iudæ, nec interim occupabo locum Antichriſti; quibus locis adhuc me indignum fateor: ſed ad pedes Filij Dei, & Matris eius ſtantis & lacrymantis ad pedem crucis mei Iesv; qui maiorem patientiam habent, & tolerabunt me, quem non tolerarent ſatanas, nec Iudas, nec concilium damnatorum. Parcas quæſo, ſi abutar patientiâ Filij tui, & Virginis eius Matris. Ad pedes Iesv & Mariæ iaceam: noſcunt iam hæ plantæ calcare venenata. Ego ſum chimæra illa virulenta & ferina, & quadriformis deformitas, & monſtrum multiplex; oculos baſiliſci habens, caput aſpidis, vngues leonis, & immanitatem draconis. Sed ô Pater miſericordiæ, quia ſuper me aſpidem & baſiliſcum non poteſt modò ambulare Iesvs meus, nec conculcare hunc leonem & draconem; fixos ſuos pedes mea peccata tenent; conterat interim malitiam meam planta beatiſſimæ Mariæ meæ matris, conterat miſericordi interceſſione ſuâ huius ſerpentis caput. Ego ſum cauſa doloris eius, & reus ſuarum lacrymarum: de me conqueri iure poteſt, & in me ſæuire. Aſſueti etiam ſunt monſtra peccatorum tolerare & tollere pedes puriſſimi Iesv. Non quæro illos inter epulas & delicias, vt Magdalena; ſed inter clauos, cruces, dolores: & quia rigare illos lacrymis nequeo, cupio illorum cruore ablui. Non irretiam capillis illos pedes quos video, ne fugiat Dominus meus horrorem & fœtorem mei peccati: implexos ferro acutiſſimo video; officium meum fuit hoc. At ſi gratum fuit his pedibus beneficium à Magdalena factum, etiam iucundum fuit tormentum quod ex meis peccatis occaſionem habuit. Ego, Domine, confixi illos: plus mea valuit in hoc malitia, quàm bonitas omnium creaturarum. Angeli dolent ac ſtupent; creaturæ tremunt ac conqueruntur: repugnat omnis lex, reclamat omne ius: ſolùm peccata mea mortem Vnigeniti Filij tui poſtularunt & patrarunt. Palàm hoc obteſtor, ſi fortè hoc modo includar in oratione Iesv. Ipſe ipſe orauit pro crucifigentibus ſe. Ecce adſum, ego fui crucifixor, & carnifex præcipuus: ego carnificum manũs armaui, & impoſui malleum in dextera, & clauum in ſiniſtra. Ego primus impuli manum, vt transfoderentur tenerrimi pedes. O quantum maius peccatum meum quàm carnificum; qui Pilati ſententiam, & Iudæorum voluntatem impleuerunt! Illi crucifixerunt iuſſi, quem putabant hominem, & malefactorem, & toto vultu deformem ex calamitoſa illa nocte. Ego crucifixi illum denuò iam glorioſum, qui pro me iam crucifixus erat. Quis Iudæorum videns Chriſtum, vt vidit ſanctus Stephanus ad dexteram Dei, auderet tollere illam vocem, Crucifige, crucifige; at ego auſus ſum non dicere modò, ſed plus quàm facere. Ego purgo, & excuſo carnifices Chriſti: illi in die extremo confundentur videntes glorioſum quem confixerunt; ego videns glorioſum crucifixum pro me, non confuſus ſum, ſed iterùm crucifixi: quam ergo excuſationem ego habebo?

O Pater, quoties huius memini, conſiderans tuam infinitam miſericordiam, qua tantam meam ingratitudinem ſuſtinuiſti, non poſſum non optare mihi tuam iuſtitiam, nequeo recuſare inferni pœnas meæ iniquitati debitas, dum tamen culpa deleta eſſet. Eritne infirmior diuinus amor, quàm humanus? debilior charitas, quàm concupiſcentia? leuior amor tui, quàm amor mei? Si amor mei contemnere Deum potuit: amor Dei cur non poterit me

Digitized by Google

penitus contemnere & humiliare vſque ad inferos? Iterùm, iterùm exoſculor iuſtitiam tuam: puni & vlciſcere in me tuas offenſiones: nam qui temeraui omnia attributa, vt deſtruerem quantum in me eſt per peccatum; nunc talem remiſſionem & pœnitentiam vellem, vt reſtituantur omnia, & integra maneant. Manebunt, Domine, ſi per miſericordiam tuam mihi tuam gratiam dederis, & per iuſtitiam pœnam meam. Serui tui Moyſes & Paulus, anathema pro fratribus ſuis voluerunt eſſe: ego pro Deo meo, pro iuſtitiâ Dei mei, anathema & maledictum volo eſſe, vt Chriſtus Ieſus fuit pro me. Coriarius ille Alexandrinus optabat reliquis paradiſum, ſe ſolum dicens inferni cruciatus ingreſſurum; & Magni Antonij ſuperauit perfectionem. Sancta Chriſtiana, potiùs quàm cælum, elegit maximos cruciatus pro animabus. Ego, vt ſalua ſit iuſtitia Dei quam violaui, cruciatus inferni non debeo reiicere. O ſi imitarer Iesvm, qui cùm inſeparabilis à Patre ſit, deſcendit ad miſeriam noſtram, vt maledictum eſſet: ego quoque vellem inſeparabilis charitati tuæ fieri maledictum, fieri anathema vſque ad infernum; etiam ibi amplexarer Iesvm meum. Duo ſunt mihi brachia: vnum eſt humilitatis, quod illi ſupponerem, & ſacratiſſimæ ſuæ humanitati vnirer; alterum dexterum eſt amoris, per quod Diuinitatem circumplecterer. Eia Pater, ad pedes Iesv, per ipſum Iesvm, precor deleas fœditatem mei peccati: per illum ipſum à te impetrabo vt ignoſcas, per quem tu non impetraſti vt non te offenderem. Maior eſt tua bonitas, quàm mea malitia: valet tamen potiùs crucifixus Chriſtus flectere & inclinare bonitatem tuam; & non præualuit apud me flectere & declinare malitiam meam.

Capvt IX.

De ardenti deſiderio ſeruientium Deo.

NOn eſt iuſtum deſideres exiguè ô puſillanimis ſpiritus quod ſummum bonum eſt. Gratia & natura ſorores ſunt: eundem auctorem & patrem Deum habent. Si deſiderare non diſcis à Iesv tuo, qui deſiderio deſiderauit pati pro te, vt te pudeat non deſiderare ardentiſſimè gaudere cum illo; diſce à rebus naturalibus, quomodo concupiſcas cæleſtia. Natura nullum concedit alicui rei bonum, niſi eius præceſſerit magnus appetitus: ita niſi ardens deſiderium ex gratiâ etiam præcedat, non conſequêris donum magnæ virtutis. Res naturales plus optant, quàm conſequuntur: ignis cùm aſcendit ſurſum, nil magis appetit quàm contingere cælum: & tamen illuc non peruenit: ſed cupiditas illa nimia opus fuit, vt in locum perueniret ſublimem. Saxum cùm decidit, deſiderat deſcendere vſque ad cor terræ, & tamen permanet in eius ſuperficie. Quam ardentiſſimam affectionem ingeſſit etiam brutis erga fœtus: vacca, abſente vitulo, mugit & clamat; & illuc, vbi putat eſſe, regreditur vt primùm poteſt. Animalia, quæ timida aut imbecillia ſunt, amor prolis armat, irritat & ferocia reddit: hoc vehemens deſiderium neceſſarium fuit ad vincendam difficultatem procurandæ ſobolis. Res ſummè difficilis eſt, perfecta virtus & vnio cum Deo: quomodo difficultatem poteris vincere, niſi ſummè deſideres? Appetitus naturalis eſt diſpoſitio ad perfectionem naturalem: ſic cupiditas magna & ſupernaturalis præparat ad perfectionem ſupernaturalem, & ad ſuſcipienda plura dona Dei, & maiorem gratiam. Auaris & mercatoribus, qui plurimùm auidi ſunt, comparauit Chriſtus eos qui quærunt Regnum Dei; ac beatos prædicauit, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, duos ardentiſſimos appetitus vni rei copulans. Nullus eſt modus in deſiderio placendi Deo; nullum eſt medium nec modus, niſi ſemper abſque modo & interruptione, & infatigabiliter optare & amplecti crucem, & numquam eſſe ſaturum patiendi. Sic intento & omnimodo animo debes ſeruire Deo: nam alioqui non rectè ſeruies: tota enim illa voluntas requiritur, vt non deficias præ difficultatibus, nec omnes adhuc vires poſſibiles poſſent ſatisfacere particulæ diuinæ infinitatis.

Deus infinitus eſt: vide tu puſillanimis, quomodo audes limitare deſideria tua. Hæc bona caduca deſiderantur centies & millies, pluſquam petunt & merentur deſiderari, & tamen non obtinentur. Deus immenſus & infinitus, cùm deberet deſiderari pluſquàm infinitè? quomodo tam languidè & remiſsè ad illum aſpiras, & ſine æſtu deſideriorum indignè vis poſſidere? Excita te, & pudeat non deſideraſſe illum, plus quàm alius homo deſiderauit bonum creatum; imò pluſquàm alia creatura deſiderauit Deum ipſum. Vehementiſſimum deſiderium, clauis aurea eſt Regni cælorum, & totius profectus. Sicut enim ſine deſiderio nihil fit; ita ſine ardentiſſimo deſiderio difficillimum omnium perfici, & obtineri nequit. Gaudia terrena vt obtineantur, requirunt pro pretio ſui multò maiora deſideria, quàm valeant, vt poſſint comprehendi & haberi vincendo difficultates conſecutionis: quantus pudor eſt ad gaudium æternum infinitatis diuinæ intendere tantò minori affectu, quàm illud valet, & petit, & tu potes?

Da mihi, Domine, qui coarctabaris vſquequò in tuo cruore fuſo baptizareris, præ magnitudine deſiderij patiendi pro me, vt te deſiderem. Quid mihi debet eſſe in cælo & in terrâ niſi tu Deus, & amator mei; & poſt te, niſi ſolùm pati pro te, & tecum? Ardentiſſima pœnitentia, & debitus bonitati infinitæ amor eſt, cùm pro leuiſſimo peccato veniali vellem pati, quantum in me eſt, per infinitos annos inferni ſupplicia, etiámne aliqua creatura illud committeret: quantum, Domine, deberem deſiderare pro meo profectu, & ne committerem ego illud? & tam parum nihilominùs ſollicitor pro gloriâ tuâ. Nihil aliud deberem facere, niſi votis, precibus, ſuſpiriis, lacrymis, ad hoc anhelare; & cùm te nihil magni efficere poſſim, comparatione magnitudinis tuæ, deſideriis curare excedere imbecillitatem meam, & ſupplere paupertatem propriam.

Capvt

Digitized by Google

Capvt X.

De contemptu & receſſu mundi.

Non ſolùm triſtitia mundi, ſed & gaudia luctuoſum & noxium finem habent: at in virtutis viâ non ſolùm lætitia, ſed mœror ipſe & triſtitia gaudium ſummum continent, & obtinent. Quid triſtaris & tepeſis in viâ ſpiritus? Cum magno tuo periculo diligis, ſi quidquam mundi amas: imò tua optas pericula, vbi adhuc ipſa bona quæ pretiat, ſunt mala, & corrupta, & te corrumpentia. Si modicum fermenti totam maſſam corrumpit: quid illi ſanum & azymum erit, qui mundo miſcetur, vbi tota maſſa corrupta, & fermentum eſt; vbi ſolùm boni putantur qui ſunt mali, & mali ſunt plurimi? Qui ſemel mortuus eſt mundo, caueat ne poſteà moriatur Deo, rediuiuus mundo; & aliquid terrenum exoptet, licet non poſſideat nec fruatur. Plus nocere ſolet amor temporalis rei, quàm poſſeſſio & vſus: non res, ſed affectio nocet nobis, quæ vehementior eſt cæteris. Ne ſis, iuxta ſanctum Iudam, arbor bis mortua & infructuoſa. Mundo moritur, qui è mundo egreditur: Deo moritur, qui ad mundum regreditur. Hic poſtquam amiſit fructum & commodum mundanæ vitæ, rurſus amiſit fructum ſpiritualis; ideò omnino inutilis, & ſibi ſine fructu vllo. Eum qui mortuus eſt, mundus non patietur. Pelagus eſt mundana vita: mortuos mare non ſuſtinet, ſed intra triduum eiicit.

Caue ne fallaris, ſi nunc cùm non tractas mundum, putas eſſe bonum: memento fuiſſe malum, cùm illum tractabas, & non à longè noueras; propterea illum fugiſſe. Crede magis experientiæ tuæ certæ, quàm opinioni fallaci: crede magis tibi teſti oculato, quàm abſenti. Scito non eſſe mutatum, poſtquam inde diſceſſiſti; nec meliorem tempore factum, nec ſecuriorem de die in diem fieri, ſed peruerſiorem in dies. Quotidie labitur: ætate plùs delirat; maiorem error auctoritatem ſenectute obtinet: purioris vetuſtate malitiæ vinum propinat: annis magis præſcribunt vitia; excitantur quotidie noua. Quia erat malus mundus, tolerare non potuiſti: nunc cùm deterior eſt, cur vis amplecti? Ipſis mundanis, qui illum conſtanter & fideliter amarunt, intolerabilis eſt & infidus, & de illo queruntur: qualis erit tibi, qui ab eo, & à Deo defeciſti, vtrique infidus. Quare vt fugitiuum mundus te flagellabit, & Deus vt perfidum non te defendet. Maior ratio te conſtringit modò ne regrediaris ad deſideria mundi, quàm fuit egrediendi: at ſaltem eædem ſunt cauſæ, quæ fuerunt recedendi ab illo. Deceptus ſibi eſt & cæcus, tibi fallax, vilis in ſe; deſpiciendus, tametſi alicuius pretij fuiſſet, quia maxima bona impedit, & cruciat amatores ſuos; vndique periculis refertus, non ſolùm ipſarum rerum temporalium, ſed, quod plus eſt, æternorum bonorum. Totus eſt mendacium: nam præter malitiam & inclinationem ad fallendum, ipſe in ſe eſt deceptus; vt etiam cùm non velint homines mundani fallere, te fallent. Ipſa ſapientia mundi, ſtultitia eſt. Quomodo in illo videbitur veritas, vbi etiam ipſum lumen ſunt tenebræ? Quales erunt tenebræ? totus apparatus mundi. & fundamenta eius, ſunt inſtrumenta cæcitatis, & obtundunt aciem iudicij; ſuperbia, gula, libido, inuidia, ambitio, iracundia: quibus accedit perfidia; vt ipſum cui magis fauet, velut Iudas Chriſtum, oſculo ſuo tradat perditioni, & poteſtati tenebrarum.

Fallax mundus eſt: ſuam gloriam, quæ nihil eſt, ſummo pretio vendit. Parum eſſet, ſi nihil ſolùm eſſet, niſi ignominia eſſet: gloriantur homines, quorum oporteret puduiſſe: diuitias cuique mentitur permanſuras contra fidem experientiæ, cùm per tot manus tranſierint, vt ad eas venirent, quibus nunc poſſidentur. Bona ſimulat, quorum ſingula non minùs ſunt quàm trina tormenta: adeò ſuperant in mundo mala & angores, vt ſeſquiduplo ſint cruciatus & tormenta affligendi plura, quàm res ſint in illo, & quæ bona putat. Vnaquæque res antequam habeatur, vt obtineatur, angit ſollicitudine & labore; poſtquam obtenta eſt, timore & curis ne amittatur; at iam amiſſa, dolore & carentiâ eius. O veritas cæleſtis, quid magni agam, ſi non deſiderem hoc mendaciorum & angorum chaos? Si relinquam pro te rem tam vilem; quæ propter ſe aut propter me relinquenda eſſet? Ethnici plures Philoſophi reliquerunt mundum propter pacem ſuam: cur non relinquet fidelis propter gloriam ſuam, & tuam? Illi reliquerunt mundum, quia in ſe contemptibilis: cur Chriſtianus non contemnet, quia tu inæſtimabilis, & gloria, quam ſperat, ſine pretio ſit? Et ſi bonus eſſet mundus, ſtultum eſſet ſi præponeretur illi rei, in qua eſt omne bonum.

Capvt XI.

De modo acquirendæ pacis.

Non potes benè viuere, niſi continuò moriaris, & vincas naturam tuam: non poteris habere pacem, niſi te oppugnes: hæc via lætiſſimæ libertatis. Cura alterius voluntatem facere libentiùs quàm tuam, & numquam infenſus eris: ama potiùs minus habere quàm plus, & de nemine querêris: elige ſemper inferiorem locum, & ſubiici vniuerſis, & vix triſtis eris: exopta pati, & ferre aliquid pro Iesv, & neminem inuenies grauem: in omnis Deum quære, vt in te eius voluntas fiat, & nunquam turbaberis. Si alterius hominis voluntatem debes potiùs facere, quàm tuam; cur non diuinam voluntatem facies, & gaudebis, ſi in te impleatur? Obſerua hæc in corde tuo, vt perpetua pace fruatis. Non poteſt obtineri vera tranquillitas, niſi per contemptionem mundi, & victoriam noſtri. Duplici modo hoc fieri poteſt, ſi vim tibi inferas contra id quod tibi videtur in mundo aut in natura bonum & delectabile; aut ſi cognoſcas non eſſe bonum, & iudices omnes res in veritate: hæc via ſuauior eſt, & permanentior, quamuis con-

Digitized by Google

traditionem tui appetitus debes ſemper cum magno feruore adiungere. Qui tamen in fide & ſpiritu ſibi perſuadet rerum veritatem & vanitatem; facillimè ſe vincet, & contemnet mundum.

Nihil magis oportet ad profectum, quàm rectum iudicium de rebus ferre, & ſenſum habere iuxta doctrinam Iesv. Quid audis de ore ſanctiſſimo ipſius veritatis? Beati pauperes ſpiritu, beati qui lugent; beati qui perſecutionem patiuntur. Cur ea, quæ Veritas Dei cenſuit beatitudines, tu cenſebis grauia & moleſta? quomodo non deciperis, ſi ea putes mala, quæ de fide conſtat eſſe bona, & facere beatos? Credimus myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quia Chriſtus illud reuelauit nobis. Idem Iesvs etiam reuelauit non eſſe mala, ſed bona, quæ mundus fugit, paupertatem, dolores, iniurias: neque minùs debet credere, iſta eſſe bona patienribus, quàm Deum eſſe Trinum & Vnum, qui cognoſcit ſic docuiſſe Chriſtum. Æſtimemus ergo veritatem, & contraria mundo iudicia habeamus. O Veritas æterna, da mihi, vt omnia temporalia iudicem mendacia; & quæ multùm nocent, ne iudicem magna bona, iuxta doctrinam tuam! Da mihi, ne deceptus viuam, ea magni faciendo, quæ odiſſe debebam. Si de fide eſt, paupertatem, humiliationem, afflictionem, eſſe non ſolùm bona, ſed beatitudines: quomodo non eligo habere minus quàm plus, deſpici quàm laudari, affligi quàm deliciari?

Qui in fide & veritate ambulat, æſtimans ea bona quæ Chriſtus iudicauit, tantoperè debet abeſſe à triſtitiâ propter inopiam ſuam & moleſtiam, vt ſummis has votis deberet deſiderare, & lætari in illis, atque omnino & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & complectitur; & admittere, & concupiſcere ex toto corde ſuo, & ex totâ animâ ſuâ, & ex omnibus viribus ſuis, & ex omni mente ſuâ, quidquid Iesvs amauit & amplexus eſt. Quemamodum mundani, qui ea quæ mundi ſunt, ſequuntur, diligunt & quærunt magnâ cum diligentiâ honores, famam, magni nominis æſtimationem in terrâ, ſicut mundus eos docet, & fallit: ſic qui procedunt in ſpiritu & veritate, & ſeriò Chriſtum Dominum ſequuntur, amant, & ardentiſſimè exoptant, quæ his omnino contraria ſunt; indui nimirum eâdem veſte, ac inſignibus contemptibilibus, quibus Dominus gloriæ indutus eſt. Adeò vt, ſi ſine offenſione vllâ diuinæ Maieſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, iniurias pati, ac ſtulti haberi & exiſtimari (nullâ tamen ad id per eos datâ occaſione) eò quòd exoptant aſſimilari ac imitari aliquo modo Filium Dei. Ad hoc maius & impenſius ſtudium tuum ſit, quærere maiorem tui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem. Cur vis deceptus viuere, non æſtimando quæ æſtimauit Deus, & ita honorauit, vt Filio dilectiſſimo & vnigenito dederit?

Profectò quamuis bona non eſſent, hoc ſolo titulo quòd Iesvs ea elegerit ſibi, honoratiſſima manebant, & digna vt toto corde concupiſcerentur à nobis: & hoc ſolo quòd mundana bona reiecit, infamia & vilia ſunt, omnia quæ homines magnifaciunt, & digna vt plus quàm mortem horribilia formidemus. Iesv victus amore noſtri elegit quæ mundus odit: cur nos pro amore Iesv non admittemus illa? Quid dico, pro amore Iesv? pro amore noſtro id deberemus facere. Qui amant animam & vitam ſuam, amet mori in vitâ. Cur, ſi amas vitam, non amabis potiùs æternam & beatam, quàm iſtam miſeram & momentaneam? Quicumque amat ſibi aliquid, illud vult quod præſtantius eſt: quare qui amat vitam, debet amare non temporalem, ſed æternam: qui amat bona, non debet amare mundana, ſed cæleſtia: ideò per ipſum rerum amorem cogi debemus, vt omnia mundi bona contemnamus: nemo eſt qui amet aliquod bonum, qui non malit illud perpetuum. Abſurdum eſt & contrarium, quod experimur: nam per ipſum rerum, & vitæ amorem, iacturam magnam facimus eiuſdem quod optamus. Dic mihi, ô miſer mundi amator, qui æternæ vitæ obliuiſceris, verùm iſta temporaria contemnas, an diligas? Si contemnis, ideò debes facere vt meliora appetas: ſi diligis, tantò magis diligenda ſunt maiora. Quomodolibet conuincimur amare æterna: quæ tantò maiora conſequemur, quantò magis hîc denudamur, vilipendimur, & affligimur pro Deo. Non tamen ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: nam quod momentaneum eſt & leue, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Commeatus æternitatis facillimè præparari poteſt, & diligentiſſimè curari debet. Quicumque locum aut agrum, in quo diutiùs cōmoraturū ſe putat, locupletiſſimè præparat; & vbi paruo futurus eſt tempore, parum & contemptim curat: reſtat nobis æternitas in aliâ vitâ; præparanda merita ſunt, ne peruersâ prouiſione impendamus breui tempori curam maximam, & maximo tempori curam breuem.

Verùm non ſolùm pro vita æterna, ſed pro temporali debemus temporalia odiſſe: inquietant nos, & angunt mille curis, vt conſequamur; mille timoribus, ne omittamus: ægrè ferimus quamlibet iacturam; quæ cùm frequentiſſimè accidat, in continuis mœroribus, iracundiis, & infinitis perturbationibus voluimur. Solùm qui contraria mundo voluerit, ſine contrarietate & cum pace ſanctâ viuet. Vnde igitur merentur nomen bonorum iſta, quæ nos affligunt, & nocent? Oppoſita potiùs ſunt iudicanda bona: quæ citiùs bonos nos faciunt commemoratione conditionis noſtræ, recordatione Dei, occaſione merendi, & imitatione vnigeniti Filij Dei. Veriſſimè dilector hominum Iesvs ea dixit, non tantùm bona, ſed beatitudines. Philoſophi quoque Gentium præſtantiſſimi non iudicarunt bona quæ mundus magnifaciebat, ſed contraria. Aliqui oderunt & recuſarunt omnia bona temporalia, vt ſaltem in hac vitâ temporalem beatitudinem conſequerentur, ſepoſitis curis & timoribus, & omni animi perturbatione. Pudor noſter eſt, quòd ſine exemplo Filij Dei illa præſtiterint Ethnici, & ſine ſpe maiorum bonorum, & cùm mundus adoleſcentior & ſpecioſior erat, & locupletior bonis ſuis, licet fucatis. Nos autem habemus gloriam imitandi Iesvm,

& merce

Digitized by Google

& mercedem in cælo : mundus prætereà nunc deterior & deformior eſt, qui non ſolummodò caret ſolidis bonis, ſed etiam caducis : vix iam habet vt fallat : ſplendor eius fucatus jam deeſt; vt nos decipere non poſſit, niſi noſmetipſi decipiamus.

CAPVT XII.

De excellentiâ eius qui eſt in gratiâ.

QVid de mundo quæris, ſi es ſupra mundum ? quid de terrâ amas, ſi amaris à Deo ? Quomodo in naturâ hæret, qui aſcendit ad gratiam ? O bonum numquam intellectum, & paſſim neglectum! maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit Deus, vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ. Quid quærit præter Deum, qui inuenit gratiam Dei, quæ hominem attollit ſuper omnem naturam, etiam altiſſimorum Thronorum, Cherubim & Seraphim, ſi horum ſubſtantiâ per ſe, licet eminentiſſima ſuper omnem aliam creatam, ſpectetur; & Deum facit patrem noſtrum, amicum & ſocium inſeparabilem. Præcedere alium loco aut gradu aliquo inter homines magni fit: quale erit omnes naturæ gradus excedere ? Quamuis mundus pretioſiſſimus eſſet, & res humanæ æſtimabiles, deberent contemni ab eo qui eſt in gratiâ. Dæmon ſuperbiſſimus eſt; non tamen æſtimat opinionem hominum, nec amittere aliquid putat, licet maledicatur : non captat applauſus humanos, non æſtimat res materiales, dedignatur guſtus hominum, ridet res noſtras, hoc ſolùm quòd altioris ſit naturæ : quomodo qui euectus eſt ad conſortium naturæ Dei, qui in ſupremo rerum gradu poſitus eſt, ſollicitatur pro rebus vilibus ? Planè ſi homo intelligeret celſitudinem, ad quam peruenit, poſtquam benè confeſſus eſt, & accepit gratiam; non erat neceſſe aliud, vt vniuerſa penitus deſpiceret & rideret : neque vt ad contemptum mundi induceretur, opus erat virtute magnâ; ſed vel vitio id faceret, niſi impoſſibile eſſet, quòd gratia eſſet cauſa culpæ. Mali ſpiritus ſine vllâ virtute non magnifaciunt has res materiales, quia ipſi ſunt in ſuperiore naturâ : quid debet facere cum virtute, qui ſtatuitur ſuper omnem naturam ? Rex ſupremus purpurâ indutus, non magni faceret ligonem neque falcem; quam è viâ, ſi inueniſſet ante pedes, non tolleret, quia excellentioris dignitatis eſt quàm ruſticus: cur homo, ſi ſemel ad gratiam Dei venit, deiicitur pro rebus terrenis, cùm eius dignitas ſupra cælos ſit ?

O quanta excellentia gratiæ! latet ſæpè in veſtitu humili, in corpore debili, languente, & horrido interdum. Vide quantum diſtat natura altiſſima Seraphim à naturâ fœdiſſimâ vermiculi; plus excedit vile mancipium, & fœdus leproſus, ſi in gratiâ ſit, naturam ſublimioris Angeli. Si Deus crearet aliquam naturam ſelectam, quâ reliquæ omnes inferiores eſſent, plantæ, animalia, homines, & Angeli; vt eam agnoſcerent mentes illæ ſublimes mundi, Principatus, Dominationes, Seraphim, ſuâ naturâ ſuperiorem, veluti pecora campi agnouerunt Adam; quàm ſublimis putaretur ? An decorum eſſet, ſi inter bruta ſe miſceret, & animalium mores imitaretur ? O homo, ad altiorem ſtatum eleuatis dum gratiam retines, ſuperas omnem naturam, non ſolùm creatam, ſed quæ creari poteſt. Quantum mirareris, ſi vermiculum, quem videras in cane mortuo, vidiſſes factum ſupremum ſpiritum, & æqualis naturæ cum Seraphim? cur non miraris euectionem tuam maiorem à peccato ad diuinum ſtatum ? Anne vermiculus factus ſpiritus, appeteret cadauera fœtida ? cur tu amas caduca, mirabili modo & priuilegio Deus factus, & filius Excelſi Dei non facti, qui te fecit hominem, & refecit diuinum? Licet non videas dignitatem tuam, debes credere, & certiore quàm oculorum cognitione magnum quid de te æſtimare. Si omnis naturarum exiſtentium & poſſibilium perfectio, excellentia, pulchritudo, in vnâ naturâ conglomeraretur, nihil eſſet hæc præſtantia præ minima particula gratiæ, præbentis animæ excellentiam ſuper omnem excellentiam, & pulchritudinem ſuper omnem pulchritudinem naturæ. Nulla eſt comparatio Dei ad omnem perfectionem naturalem : ſic ille qui eſt in gratia, excedit omne bonum rerum; nam eſt in diuino gradu.

Finge, cùm nihil eras, & Deus te creare voluit, te interrogaſſe in quem gradum rerum creari velles, an ſolum eſſe elementum purum, an rupem, an metallum, an lignum, an brutum, an hominem, an Angelum, an vnum ex Seraphinis ? nónne hoc putares magnum beneficium ? ánne eligeres eſſe inſenſibilem creaturam, aut potiùs malles adſcribi inter intellectuales ? an fortè auderes ſperare & præſumere cenſeri in eodem ordine diuino cum Deo ſuperiorem omnibus dictis naturis ? ecce quomodo quod nec in mentem tuam auderet venire, Deus tibi concedit. Non te deiecit inter animata, non inter inſenſibilia, non inter irrationalia; ſed ſublimauit non ſolùm ad gradum rationis & immaterialem, ſed ad quemdam diuinum. Plus debet Deo vnus ſolus homo pro minutiſſimo gradu gratiæ, quàm vniuerſæ creaturæ, à Seraphinis vſque ad arenas maris, pro creatione naturarum omnium. Plus debes Deo, quia per gratiam communicauit tibi ſuam naturam, quàm ſi ſub tuam poteſtatem omnem creatam naturam ſubdidiſſet, omnes Angelos cæli vſque ad pecora campi.

Omnes res per ſuas claſſes diſtributæ ſunt: inferiores non attingunt eas quæ ſuperioris ſunt ordinis: res inanimatæ non poſſunt attingere perfectionem viuentium: res viuentes non perueniunt ad ſenſitiua: res ſenſu ſolùm præditæ non poſſunt percipere intellectualia, nec corporales res ſpiritualia. Oculus non poteſt cognoſcere Angelum, quia ſunt diuerſi ordinis: ſic natura non poteſt attingere Deum in ſe; qui plus excedit omnem creatam ſubſtantiam, quàm quod ſpirituale eſt omnem ſenſum. Nemo poteſt operari diuina, niſi in ſtatu ſit diuino: quare vt noſceremus in ſe & tractaremus Deum, neceſſe erat eleuari in gradu ſublimiori ſuper totam naturam, & conſtitui in diuina ſerie; quod facit gratia, efferens hominem extra naturæ clauſtra, conſtituens illum in deifico

ſtatu & ordine, conſortem eum faciens diuinæ naturæ, & Deum mirabili modo & priuilegio reddens. Per gratiam enim participat homo Deum ſecundùm gradum ſupremum diuinæ naturæ, in quantum excedit omnem naturam; non ſolùm quatenus eſt exiſtens, viuens, cognoſcens, ſed quatenus Deus eſt, & ſuper omnem exiſtentiam, vitam, ſenſum, & intellectum. Participat diuinam eſſentiam, quatenus ſuper eſſentiam eſt: participat diuinam ſubſtantiam, quatenus ſuperſubſtantialis & ſupereſſentialis eſt: ideò homo in gratiâ eſt ſuper naturam, eſſentiam, ſubſtantiamque omnem. Si inter omnes animas & ſpiritus Angelicos vni ſoli fieret tantus fauor, vt ille vnus in mundo fuiſſet & nunc ſolus eſſet in gratiâ, licet minori quàm nunc habet infans poſt Baptiſmum mortuus; ſtupendum miraculum haberetur, omnis creatura veneraretur illam. O anima quomodo non te putas venerabilem, ſi humiliter ſuſpicaris in gratiâ eſſe? Ne te ſollicites pro rebus te inferioribus; & ſunt omnes te inferiores.

Nihilominus non eſt ſola maior excellentia gratiæ excellere omnem naturam, ſi ſpectemus quod faciat hominem filium Dei charum. O qualem charitatem dediſti, Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus! Accipimus ſpiritum adoptionis filiorum, vt iuſtificati gratiâ Chriſti, coheredes IESV ſimus, & heredes tui. O quis poſſet intelligere qu nta dignitas ſit fieri filium Dei! Magni æſtimant homines, eſſe coniunctos & famulos terreni Regis; cur non æſtimamus eſſe filios & heredes Dei? Gloriantur mortales de proſapiâ hominum mortuorum, de genere carnis morituræ, de naturâ ſuâ terrenâ: cur non gloriantur de gratiâ, de naturâ Dei, de filiatione diuinâ? Qui ducit ſanguinem Regium etiam poſt multas generationes, in magno mundi honore habetur: quanti debet fieri cognatum eſſe Deo, & conſortem eiuſdem naturæ.

Plus afficitur pater erga filium, quia particeps ſuæ naturæ eſt, quàm erga illum qui ſimilis coloris eſt, aut eodem modo loquitur, aut eamdem figuram habet: ita Deus dulciùs afficitur erga illum qui habet gratiam, quia particeps ſuæ naturæ eſt, licet minimus & contemptibilis in mundo ſit, quàm erga naturam Angelorum. Maior differentia eſt inter ſubſtantiam Cherubicam per ſe, & eum qui eſt in gratiâ, quàm inter illud quod eſt pictum & viuum: licet omnis creatura participet quodammodò Deum, incomparabilis differentia eſt. Per naturam participat, quemadmodum imago: cùm pictor ſe pingit, participat pictorem in ſimilitudine, colore, lineamentis, & ſuperficie tenus, non in gradu vitæ & animæ rationalis. Sunt omnes naturæ rudes adumbrationes alicuius perfectionis diuinæ, ſed ſine parte diuini ſpiritus. Solùm, qui eſt in gratiâ, eſt imago viua Dei cum ſpiritu ſuo, & velut filius & imago ſui Patris per conſortium & communicationem naturæ. Quantum diſtat tabula & lignum, quæ repræſentat aliquem Regem, à dilecto filio ipſius Regis? plus diſtat, qui eſt in gratia, ab excellentiore eſſentia & perfectione naturali ſupremi Archangeli: omnis enim ſubſtantia & natura mortuo modo repræſentat Deum; vt lignum, aut tabula, aut ſaxum aliquem Imperatorem. Inter eos in quibus eſt participatio naturæ, non tam dicitur ſimilitudo, quàm identitas: ideò qui eſt in gratia, dicitur etiam idem cum Deo à ſanctis Patribus: & vt pater & filius in humanis eadem perſona cenſentur. Ipſe Filius naturalis Dei dicit: *Omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quamvis enim omnis iuſtus, præter Iuſtum Iuſtorum IESVM, ſolùm fiat filius Dei per adoptionem: maior eſt vnio & vnitas inter illum & Deum, quàm inter alios patres & filios naturales. Filij hominum ſolùm habent particulam exiguam materiæ vilis & carnis paternæ: at qui eſt in gradu gratiæ, integrum ſpiritum diuinum in ſe habet, Excellentior filiationis modus eſt filiatio Dei adoptiua, quàm naturalis hominum.

O homo, gaude de tua dignitate, & ne degeneres à conditione diuina: cura honorem Dei: ſollicita cauſam eius, ſi non quia Deus tuus eſt, ſaltem quia Pater tuus, quia omnia ſua erunt tua. Filij, quia ſperant hereditare ſubſtantias patrum, eorum negotia agunt: tu heres Dei es, ne putes te alienum. Licet Deus non creauiſſet nos; ex eo quòd accepit in filios, deberemus cordialem amorem erga illum habere, & omnem curam in rebus diuinis adhibere. O Pater amantiſſime, quomodo non æſtimo eſſe tuæ familiæ, & ſpecialiſſimè mihi prouidere? Feræ pro catulis exponunt ſe periculo vitæ: quid facies tu, qui etiam nos, qui contempſimus Filium tuum naturalem, adeò dilexiſti, vt acciperes in filios? Quantam fiduciam poteſt habere anima in hac filiatione? Licet Deus nihil prouideret, attentiſſimam curam & dulcem ſibi ſollicitudinem haberet erga illum qui eſt in gratia. Quantoperè mater vidua ſollicitat filium vnicum deſideratum? maior & tenerior affectus Dei & attentio eſt in iuſtos.

Accedit quòd per gratiam amici Dei fiamus. Ipſe IESVS dulci ſupra mel voce inquit: *Vos amici mei eſtis.* Per gratiam enim eſt inter hominem & Deum dignitas quædam non diſparis ordinis, in diuinam claſſem eleuando mortalem, vt immortalis Regis ſit amicus. Licet filij Dei non efficeremur; ex hoc ſolùm quòd gratia reddat nos amatos illi, inæſtimabilis excellentiæ eſt. Amicitia præfertur cognationi, & fidelior quàm natura ipſa habetur: conſanguinei ſæpè negliguntur, aut odio habentur; amici ſemper diliguntur: plus faciunt homines pro amicis quàm pro fratribus: qualis erit amicitia diuina? Duo maximi tituli ſunt, cognatio & amor: vterque in gratia inuenitur. Amari à Deo, eſt locuples vena auri cæleſtis, & diuinorum bonorum: amor Dei non ſocors & ignauus eſt, ſed efficaciſſimus & diligens. Amare eſt, velle alicui bonum: in Deo idem eſt velle & facere; quare quem amat, diuitiis cæli implet. Amari à Deo, perpetuum eſt ſtillicidium, imò flumẽ donorũ. Si pro inimicis dedit vitá, quid pro amicis faciet? Nihil in Deo eſt inordinatum: quare ſi pro aduerſariis talia facit, pro dilectis incredibilia aget; maxima attentione & ſumma fidelitate prouidebit illis. Si tantam curam habet inimicorum noſtrorum, vt iubeat diligi; quantam ſollicitudinem habebit ſuorum amicorum? Adeò nos dilexit cùm inimici eramus, vt videretur nos diligere plus quàm ſe: anne cùm nos

amicos

Digitized by Google

amicos dicit, & habet, diliget minùs quàm inimicos?

Gaudentes habere amicum tantæ fidelitatis, ac Dauidis & Ionathæ: ſed res ridicula eſt, & tamquam perfidia omnis humana fides, reſpectu eius quam Deus habet erga te. Reſpici à Rege terreno, pro fauore habetur: qualis erit, amari à Deo & zelari? Vis noſcere, ô anima, amicitiam & fidelitatem Dei? tantoperè amat ſuos amicos, vt neſciat ſeparari ab illis. Si in cælo ſolùm eſſet Deus, ſtatim veniret, & non ſeiungeret ſe ab eo qui habet gratiam; ſed manſionem apud eum faceret, vt ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Iesv Christo per Spiritum Sanctum, quid diffuſus eſt in cordibus noſtris. Cerui, oues, agni & columbæ gregales ſunt; iis iunguntur, & amant, in quibus agnoſcunt ſuum genus. Deus ſocialis eſt, Filius Dei agnus eſt, Spiritus diuinus cicur & affabilis eſt, amat eos qui diuini fiunt, obtinentes conſortium ſuæ naturæ, quaſi gregales Do facti. Si ſacratiſſima humanitas Chriſti adeò fauiſſet alicui, vt ab eo numquam vellet ſeparari, quid diceremus de tam eximio priuilegio? cur non admiramur quòd diuinitas non diſcedat, quòd indiuidius ſocius iuſti Deus ſit; Nec tantùm contubernalis illius habitat cum eo, ſed in eo; in quo iucundiùs quàm in Sole ponit tabernaculum ſuum.

Quis pater ita diligit filium, vt nolit ſeparari ab eo, & ſemper ambulet cum eo? quin potiùs pædagogo committit, vt illi aſſiſtat: at Deus Pater & amicus noſter nobiſcum ſemper vult incedere. Quæ mater ita diligit filium, vt ſemper in vlnis ferens amplectatur tenerrimè? Deus hoc facit. Gratia eſt nodus Dei & hominis, eſt dulcis amplexus diuini Spiritus & humani. Inter mortales pater poteſt non eſſe vbi adeſt filius: at Deus neſcit abeſſe ab eo, qui eſt in gratiâ. Licet ſit Deus in creaturis eſſentia ſua, præſentia, & potentia; hoc fit quia Deus: aliter eſſe non poteſt; non ex dignitate & meritis creaturarum, ſed ex immenſitate & infinitate Dei. At gratia hanc vim habet, non natura, vt ſi alioqui Deus abſens eſſet, non fuiſſet immenſus, illum præſentem faceret, & ad hominem exiſtentem in gratia veniret, manſionem apud eum faciens, factus vnus Spiritus cum illo: & licet poſſet obliuiſci rerum, præſentem ſemper haberet dulci memoria, & proſpiceret habenti gratiam: & quamuis poſſet relinquere creaturas, & non operari, ſuſtentare, & tueri illas, in iuſto ſemper aliquid boni operaretur: ſicut enim amor acris eſt, non vult honum quin efficiat.

Quantus fauor & dignitas eſt, Deum ſemper comitem habere? Certè obſtupeſceremus, ſi aliqua creatura eſſet tam amata à Deo, & excellens, vt iuberet omnes ſpiritus cæleſtes, millia millium quæ aſſiſtunt ſibi, comitari illam; vt quocumque abiiſſet, cum illâ eſſet tota iſta pompa & maieſtas: quid erit hoc præ ſocietate & comitatu Dei, niſi ſolitudo? Quid omnia ante te, Domine, niſi tamquam nihilum? Si illam creaturam miraremur; quomodo non admiramur animam in gratiâ, cùm Deum pro comitatu habeat, non lateri adhærentem, ſe in eſſentiâ ſuâ velut animantem illam? O fortunatiſſimam dignitatem hominis, & dignationem Dei, quòd ſumma illa Maieſtas comitetur ſemper puſillos homines! nam minimè otioſus & inutilis animæ ſocius Deus erit, vt non prouideat illi. Anne torpens aut cæcus aſſiſtet, vt non videat neceſſitates eius & miſerias? Profectò non in vanum Deus ſe aſſociat iuſtis. Poſſunt & ſe & ſua negligere, ſi ſolùm curent quæ Dei ſunt: Deus ſatagit illorum. O Pater mi, ô amice, ô ſodalis, precor Maieſtatem tuam, vt reuerentiam, fidelitatem, & affabilitatem erga te habeam: tecum me geram vt filius cum patre, zelans omnia tua, reputans eadem mea; vt filij boni curant res parentum, quia reſpiciunt vt propria. Precor, vt amicus fidelis ſim tibi, in omni euentu honorem tuum quærens, partes tuas agens, & te amans plùs quàm me. Da, vt bonam ſocietatem tecum conſeruem, ne continuis defectibus contriſtem Spiritum ſanctum tuum.

At ſi gratia omnis in ſe tanta ſit, vt nos cognatos & gratiſſimos & neceſſarios Deo, veluti que Deos facit, ex eo quòd detur per Chriſtum; felicior, venerabilior, & magis priuilegiata eſt illa quâ fiuntur homines, quàm ea quâ donati ſunt Angeli, & Adam in primo innocentiæ ſtatu. Ij filij quos maioribus doloribus mater peperit, plus dilecti habentur: quid mirum, cùm gratia noſtra tot doloribus ſteterit Chriſto ſi iucundior ſit; & amabiliſſimè propter eam maioribus priuilegiis fauerit Deus, plura auxilia tribuendo, diutiùs nos ſuſtinendo, magno efferendo honore, vt ipſi Angeli venerentur homines, quòd habeant gratiam per Chriſtum, & pertimeſcant iam naturam noſtram conſpicere proſtratam coram ſe, quam antè incarnationem contempſerant: quia ſpecialis dignitas accedit gratiæ, quam nunc habemus; quia facti ſumus membra viua Chriſti, & computamur idem cum illo. A capite in membra redundat veneratio: quomodo deſpicient Angeli naturam noſtram, quam ſuſpiciunt exaltatam ſupra ſuam vſque ad thronum Diuinitatis, & conſortium Dei? Quid mirum, non tractent vt inferiores ſuos, quos Dei Filius primogenitus in multis fratribus æqualitatis nomine ſuper ipſos cæleſtes ſpiritus exaltauit, vocans homines fratres ſuos, pluris nos faciens quàm Angelos? Nullum ex Seraphim & Cherubim ita honorauit, vt fratrem ſuum vocauerit. Hæc eſt maxima excellentia gratiæ, vt honorabilior ſit, & eleuetur ſuper omnem naturam. Sed per gratiam Chriſti ipſa etiam natura noſtra honorabilior ſit, & ſublimatur ſuper omnem aliam naturam, quatenus ipſe Dominus gloriæ communicat ſuam gloriam in membra ſua coniuncta & viua cognatorum ſuorum: Fundata præterea noſtra gratia in Ieſu meritis, & vnione eius, quaſi maiori iuſtitiâ & modo profectiori mereri nos facit de Deo. Quia ſumus filij doloris, ſumus & Beniamin Deo, & filij dexteræ ſuæ, dilectiſſimi. O Pater amantiſſime, qui tradidiſti morti vnigenitum Filium tuum, vt ego viuerem factus filius tuus; da mihi, vt magni habeam, & cognoſcam hoc beneficium. Vnus Angelus pro minimo gratiæ gradu, quam accepit, plus debet tibi, quàm cunctæ creaturæ ſimul pro omnibus bonis naturalibus, & creatione vniuerſi. At ego homo miſer plus debeo tibi pro minimâ gratiâ datâ mihi,

Digitized by Google

mihi, quàm omnes Hierarchiæ Angelorum pro vniuerſâ gratiâ & donis ſupernaturalibus, quæ conceſſa ſunt cunctis. Nam vt ego viuerem per gratiam vitam diuinam, voluiſti Filium tuum pati mortem per naturam humanam. Plus feciſti pro me, quàm pro omnibus Angelis. Plus me deuinxiſti, quàm obligaſti Seraphim & Cherubim.

Duæ ſunt cauſæ, quibus homines tenemur ſeruare & magnifacere gratiam. Vna eſt inæſtimabile pretium, & inexplicabilis excellentia eius. Altera eſt pretioſiſſimus tuus Sanguis, ô IESV, quem fudiſti, vt gratiam nobis mereretis. Si non credimus valori eius in ſe, pretioſiſſimam putemus, cùm tanto pretio nobis illam comparaueris. Maxima & ſtupenda res eſt, quam Deus, qui falli non poteſt, maluit vt haberemus nos, quam ſeruare vitam illam pretioſiſſimam ſui Filij.

Capvt XIII.

Quomodo pœnitentiæ & afflictiones corporis iuuent.

SPinæ conſeruant plantas in horto, & gratiam aſperitates in iuſto. In quaſſato & marcido corpore floret vis integra mentis. Vt ſanum corpus reddant medici, magis affligunt illud amariſſimis potionibus, inediâ, effuſione ſanguinis, aduſtionibus & maioribus tormentis: non nimis à te petitur, vt moleſtes te quodam modo pro ſalute animæ. Qui languet, inter angores euomet nociua: ſic & animæ vitia in vitâ iucundâ non purgantur, cùm nec corporis vitia ſine moleſtiâ curentur. Silex afflictus luces emittit: caro macerata illuminat mentem. Illa anima beſtia eſt, quæ corpus ſuum non tractat vt beſtiam. Quemadmodum labores & calamites immiſſæ à Domino, faciunt homines reſipere & meminiſſe Dei, magis erudiunt, incendunt feruorem, augent Dei familiaritatem, eleuant cor. ſic aſperitates vltrò aſſumptæ, parem fructum habent, faciunt, vt homo ſæpiùs in illis reminiſcatur Dei, & diuinis illuſtrationibus aptior fiat, vacuus guſtu ſenſibili.

Idonea diſpoſitio maioris gratiæ, ſit afflictio naturæ: hoc opus & labor gratiæ ſeiungere nos à temporalibus rebus, corporeis & viſibilibus, quare dimidium factum inuenit in auſteritate vitæ: quæ tamen etiam ex gratia eſt, ſine quâ nihil ex nobis eſt bonum, nihil vtile. Thronus & regnum gratiæ, & gradus ad gloriam, eſt profunditas humiliationis noſtræ, cum afflictione corporis: & exaltatio mentis, crucifixio carnis. Inſtruis te quoque aſperitatibus voluntariis ad neceſſarias, vt ex diſciplinâ patientiæ ſcias ferre quæ Deus miſerit: aſſueſcis etiam & diſcis te vincere, & debilitas aduerſarium tuum præcipuum, per quem ceteri te impugnant: impetras à Deo faciliùs, quæ exoptas. Licet ſufficiens titulus pœnitentiis noſtris ſit Chriſtus crucifixus: abundant prætereà alij; & præcipuè culpæ ipſæ noſtræ innumeræ, & pœnæ pro illis, vt ſatisfaciamus commiſſis, & committendas minuamus. Sit anima carnifex carnis: ad hoc ex magnâ Dei indulgentia non eſt in inferno damnata. Nonnumquam contingit, vt ex duobus delinquentibus capite damnatis alter complex abſoluatur, hac lege, vt in ſocium exequatur ſententiam mortis, fungens in illum munere carnificis, cùm alius deeſt. Complices peccatorum ſunt anima & corpus: in illud anima ſit miniſtra iuſtitiæ diuinæ, & torqueat conuenienti ſupplicio, ſiquidem non eſt præcipitata ad inferos, cùm primùm peccauit.

Nihil tibi tranſeat impunitum: te ipſum timeas, crudelis tibi, iuſtiſſimus & ſeueriſſimus in omnes iniuſtitias & blanditias carnis: omnia punire oportet. Nulla eſt vrbs optimè gubernata ſine curâ ſuppliciorum: nec conſcientia ordinata erit ſine tribunali & gladio, vbi tot ſunt facinoroſi affectus. Vindicta quam à te ſumis, reſpondeat culpæ: cauæ ne à te Deus rationem petat contemptæ & corruptæ iuſtitiæ. Vltionem à te ſume, & quia reus culpæ, & quia iudex iniquus, cùm tibi parcens toties te abſoluiſti. Supplicia in vrbibus fiunt, potiùs vt vitentur exemplo vnius aliorum ſcelera, quàm vt minuantur damnati culpæ & pœnæ: at cùm in te animaduertis, maior tibi fructus eſt; non aliena ſed tua ipſa peccata deinceps compeſces, ne committas & commiſſorum pœnas tibi minuas. Non eſt iuſtitia, ſed indulgentia ſeueritas tua: vltio hominis eſt venia Dei. In omnibus tamen memento laudis ex obedientiâ, & vtilitatis ex prudentiâ; ne inconſulto, cum damno profectus tui, & minore gloriâ ſeruitij Dei & vtilitate aliorum, ſumas aſperitates: nam vbique fallacia eſt dæmonis. Cura tamen præcipuè & ſemper ſupplicium voluntatis propriæ, magis quàm corporis. At quouſque circumſpectio omni proprio amore nuda, atque iudicium Superioris pro cuiuſque ætate, ſtatu, viribus, inclinatione, occupatione, neceſſitate permiſerit aſperitates; ſine miſericordiâ, ſine adulatione tui, in te ſæuiendum eſt.

O Veritas miſericors, quomodo mihi adulabor & mulcebo, ſi in mentem reuoco rigores & tormenta innocentiſſimi IESV, quæ pro peccatis meis tulit, & cruciatus animarum in Purgatorio? Ingens priuilegium eſſet, ſi animæ in pœnis illis terribilibus exiſtenti Deus concederet poſſe ſatisfacere; vt hîc poſſumus, aſſumptis voluntariis afflictionibus. Fruamur nunc hac indulgentia Dei. Debitor centum talentorum, ſi creditor indulgeret illi debitum, contentus hac lege, ſi intra aliquod tempus ſolueret vnum ſolum, anne recuſaret pactum tanti lucri? Quæ amentia noſtra eſt, quòd malimus ſoluere centum in altera vita, quàm vnum in iſta? Sed quid opus erat remitti tremendas illas pœnas? ſufficit decus carnis in ventura vita.

Recordare quàm glorioſa & pulchra ſint futura corpora in reſurrectione; quibus venuſtas & ſplendor addetur, prout in hac vitâ afflicta fuerunt: mundus ex quo compta erunt in æternitate, eſt afflictio ſordida & temporalis in hoc mundo. Nonnulli ne deformes hominibus appareant per breue tempus dimidiæ ſuæ vitæ, paſſi ſunt cædi & torqueri membra & oſſa: minoris ſtat pulchritudo æterna; non opus eſt ſcindi membra, ſed non mulceri, & paululùm affligi. Rectiſſimè hoc ſupputauit ſanctus Ignatius noſter Pater: qui cùm nondum conuerſus ad Deum omnino eſſet, os iuſſit ſecari, ne informis

formis videretur, ſine lacrymâ, ſine gemitu, ſine oſtenſione doloris & tormenti tolerans; at poſt conuerſionem, magis dignum cenſuit pro pulchritudine futurâ in reſurrectione aſperitates ferre, ieiunia per integras hebdomadas, trinam flagellationem quotidie, genuflexiones prolixas, humicubationes, aſperum cilicium, & ſaccum, nudipedalia, horridam totius corporis amictu & geſtu tractationem. Pudor ſit noſtræ tepiditatis, etiam Ethnicorum barbarorum rigor ſine ſpe quam nos habemus; qui ciliciis ferreis ſectum corpus cruentum ferebant, ſuſpendebant ſe vncis, interim canentes laudes Deo ſuo: ſub currus ſimulacrorum ſubdebant ſe, & proſcindebantur in fruſta: abſtinebant plurium ieiunio dierum. Pudeat nos, quòd poſſit magis ſuperſtitio quàm Religio; & furor, quàm Amor Dei.

Capvt XIV.

Quòd nimius amor carnis impediat ſpiritum.

SI caro, etiamſi nata nobiſcum, & ſanguis qui viuificat nos, tam infenſus eſt nobis, vt impediat vitam ſpiritus; caro cognata ſolùm & conſanguinitas ânne prodeſſe poterit? Erubeſcat ſpiritus cognationis nomine: quantò magis debet pudere cognatorum nimij amoris? Si pudet carnem alterius carnis cognationis, ſi progenitores atque conſanguineos obſcuros negat; quantò magis ſpiritum oportet pudere totius carnis, & conſanguinitatis & proſapiæ? Carnem propriam, quam animat, abnegare debet anima: cur nimis amabit alienam & exanimem, quæ aliis deſeruiit, & fortaſſe iam non niſi vermibus pro ſtabulo & cibo ſeruit. Satis eſſet nobilitas gratiæ & coniunctionis cum Chriſto, vt naturæ obliuiſceremur & erubeſceremus, quin opus eſſet moneri ex vilitate & fœtore ipſius, & damnis conſanguineorum.

O Veritas Dei, odiſſe cognatos iubes, vt tuus fiam diſcipulus: quomodo, ſi nimis amem illos pluſquàm te, tuus ſpiritus fiam, adhærens tibi vnus ſpiritus tecum? Da mihi per ſanguinem tuum, vt non amem ſanguinem meum, niſi in ſanguine tuo: impetret à nobis ſanguis Chriſti, vt non diligamus nimùm ſanguinem hominum peccatorum. Chriſtus per ſanguinem ſuum voluit nos redimere, & conſanguineus noſter fieri, nouit enim damna ſanguinis noſtri, & conſanguineorum, vt repararet illa.

Iura carnis non tenetur obſeruare ſpiritus; fac ergo, ô animà, vt ſanguinis coniunctio amorem tuum non corrumpat. Iubet Deus temetipſum odiſſe, carnem & ſanguinem tuum proprium: quomodo tibi amor vacat, vt diligas propinquum & conſanguineum, & non propter Deum, & cum modo virtutis? æquè & cucurbitas conſanguineas tibi amare poſſes, aut pulices, cùm tamen occidas. Æquè fratres tui ac vermes à carnalibus parentibus producti ſunt: cur vermes fœtidos horres ſtomacho inimico ſuper omnia, cognatos diligis corde nimis amico ſuper Deum? Si cauſa amoris tui nimij; & vltra virtutis præſcriptum, eſt, à parentibus iiſdem generatos eſſe: plus habent ab illis vermes, quàm germani: nam fratribus tuis non dederunt animam parentes tui, nec toti ſunt ab illis producti. Hinc cognati & patres corpora dumtaxat propinquorum amant, & curant; bona autem animæ omnino contemnunt, vt quæ ſit à Deo ſolùm, non ab illis. Imò corpus quoque non accepiſti à parentibus, ſed per illos à Deo. Quid? amâſne cognatos immoderatè, quòd partes ſint communium progenitorum? eâdem ratione membrum illorum abſciſſum, quamuis cancro înfectum, amare poteras: ſi propter ſimilitudinem ames, pari iure ſtatuam aut alium quemlibet hominem debes amare.

Quid eſt originem ducere ab iiſdem gentilibus, niſi modicum fœtoris & putredinis ab eodem fonte fœtido habuiſſe? &, quod peius eſt, habuiſſe peccatum? Anne iure gloriari poſſunt duo, quòd ſimul in eodem cœno caderent, & ſordibus repleti eſſent? Puriores genuit pater tuus fœtidos vermes, quàm te: nam illos ſine peccato, te verò maculatum originali culpâ; & non antè fuiſti compos vitæ, quàm reus mortis. Qui nimis gloriatur de carnis nobilitate, opprobrium naturæ communis nobilitat, & iactat. Quid aliud eſt inordinatus cognatorum amor, quàm arrogantia de vilitate communi, cuius maximè pudere oporteret, & gratulatio de ignominiâ peccati? Per carnem & ſanguinem auſpicatur malitia naturæ, & fortunatur miſeria noſtra: inde diſcit caro malè mereri de ſpiritu. A principio vitæ inficitur per carnem anima peccato; ſic continuans deinde iniurias, cauſa eſt potiſſima peccatorum. Abnegare oportet ſanguinem & conſanguinitatem noſtram, vt liberemur à peccatis per crucem Chriſti quam debemus tollere. Non tam difficilia nobis occurrent, vt multis pueris & adoleſcentibus, qui omnem carnem pro Chriſti cruce contempſerunt. Ex Societate noſtrâ ſanctus Ioannes Goto, inter flebiles vultus patris ſui, & riuos lacrymantis matris, atque dulces vtriuſque amplexus, poſitus in loco martyrij medius, atque inter horrida patibula & crudeliſſimos carnifices, nullâ atrocitate perterrefactus, prælegit brachia crucis quàm ſuorum: quorum amore & blanditiis heroicè refutatis, cucurrit ad deſtinatam ſibi crucem; vbi moriens obtinuit Regnum Dei, quod caro & ſanguis non poſſident.

Capvt XV.

De iacturâ temporalium.

NOn moleſtè fert ſpiritus iacturam temporalium, de quâ gratulari ſibi debet. Quis ploraret ſub magnâ mole oppreſſus, ſi amicus pondus ſubtraxiſſet? Quod auferet mors, melius eſt vt auferat Deus. Si nudus ſufficis Deo & places, quid quereris compendio rerum & curarum gratum Deo fieri? Nudus etiam ſufficiat tibi Deus, ſine ſuis muneribus & arrhis temporalium. Non tua amat Deus, ſed te; tu nec tam ames quæ ſunt Dei, ſed Deum. Nudus Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus aſcendit in crucem, nudus de ſepulchro exiuit; ibi veſtimenta reliquit: qui & nudus expugnauit cælum,& intrauit triumphans. Propter te nudum mortuus eſt nudus,non propter fortunas & bona tua: ideò te quærit, non illa; & quia te quærit, perdit tibi illa, nudum te expectans in cælo. Te componit ad nuptias, dum diſponit de tuis,& denudat te.Quid times pauperem fieri, ſi in corde integrum Regnum portare potes?Regnum Dei intra vos eſt.

O ridicula lacrymarum cauſa, quòd auferantur cauſæ peccatorum; O amentia, putare damna, quæ ſunt remedia! Summa eſt imprudentia aduerſus Deum, dolere & deplorare periiſſe temporalia, quæ odiſſe debebas. Dolorem & lacrymas quas pro iniuriis & iacturâ adulteri fundit femina, quatumuis obſcœna & impudens eſſet, occultat ſponſo; gaudium etiam de præſentiâ adulteri celat: tu coram Deo gaudes de bonorum proſperitate, quibuſcum adulteras, luges de iacturâ: audes rogare Deum, vt ea non auferat, aut quòd reddat. Quæ mulier in adulterio ipſo comperta virum rogaret, ne impediret voluptatem adulterij, cùm potius veniam deprecari oporteret; miſericorditer puniret ſponſus, ſi tantum modò auferret adulteræ illum cum quo fornicabatur: quomodo tu tam impudens es, vt iniuriam reputes; Quæ tam inuerecunda vxor maritum precaretur, Affer mihi illum Æ hiopem,cum quo dormiam; qui plus quàm tu mihi placet?& tu audes lenonem Deum facere cupiditatis tuæ, petendo temporalia? Cùm illud à Deo præter Deum petis, ipsâ oratione adulterium tuum manifeſtas, perinde eſt ac ſi poſtules, Da mihi Domine, in quo te offendam. Satis eſt à Deo fornicari, quin eum ſollicites, vt quibus fruendo te corrumpis,cumulet;& ſeruet opes,honores,ſapores,colores,& formas corporum.

Qui cancro corrumperetur, non iraſceretur chirurgo, ſi vellet infectam partem laniare, ſed vltrò exhiberet membra abſcindenda cum horrore & dolore: at ſi fortè ſine operâ & ſenſu ſui ex ſomno expergiſceretur,abſciſſam partem inueniens, miraculum putaret, & Deo gratias ageret. Non tibi euelluntur artus, ſed damna & tela cor tuum corrumpentia: age Deo gratias, quòd ſine patientiâ & ſenſu tui erepta ſunt. Quia omnia relinquere debes, ne doleas ſi auferantur aliqua. Deberes dare hæc pauperibus, vt mereris: cur ſi Deus ſuſtulit, non patienter tolerabis? Piè dixit Gerſon:

Quæ commodaſti, ſi repetis, Pater;
Gratus libenter reſtituo, cape.
Vis per latrones, enſe, vel ignibus
Auferre? linquo; gratius accipis
Si fortè, quàm ſi pauperibus darem.

Si nihi habens habebis totum, quid fatigaris? O veritas amabilis inuerte cor meum peruerſum, vt iam deinceps doleam habere aliquid niſi te Deus, & me exonerem ab omni mole terrenâ & à me ipſo primùm, qui grauior ſarcina ſum mihi: non me, Domine, habere volo, vt te habeam. Si Philoſophi plures alacriter ſe priuarunt omnibus bonis propter ſe, quia vilia & impedimenta iudicarunt; quid facio, ſi propter te priuari aliquibus à te, non patienter feram?

O ſpiritus infirme, quid doles circumcidi pauca ſuperflua, cùm tibi pauca ſint neceſſaria? Quid dico pauca? nihil mihi niſi Deus eſt neceſſe. Gratulor, gratulor; Deus, qui non deficit, eſt qui mihi ſufficit.Neſciebam,ô dulcis Veritas, quanta conſolatio eſt nihil habere; imò cognoſcere luce clariùs, impoſſibile mihi eſſe, quamuis ego id conarer cunctis meis viribus, quidquam præter Deum poſſe habere, & eſſe meum, ſed ſolius Dei. At quia omnia ſunt Dei, & Deus eſt meus, omnia ſunt mea: & tunc plus mea, quando non habeo; quia tunc minùs me habent, & meliùs in Deo habeo, quàm in ſe haberem. Si fuiſſem verè humilis, nihil dolerem pro omni iacturâ rerum. Qui debet æſtimare ſe nihil eſſe, quomodo poteſt æſtimare alias res eſſe aliquid, quæ ſunt viliores homine? Cùm quis moritur, omnia ſibi moriuntur: ſic qui ſe credit nihil, totum mundum putat nihil. Omnia mortua ſunt mortuo, & omnia vilia humili.

Capvt XII.

De vtilitate tentationum.

Qvomodo vis coronari, ſi non certas? quomodo certabis, ſi non impugnaris & tentaris? Abſque hoſte non eſt certamen, abſque certamine non eſt victoria. Imò inhoneſtum & turpiſſimum foret, ſine bello coronari, ſine victoriâ triumphum agere, & vſurpare palmam non meritam: ne igitur moleſtè feras tentatione vexari; nam ibi eſt officina meritorum, & cauſa tuæ humilitatis. Multos, vt humiles eſſent, permiſit Deus labi in grauiſſima peccata: tecum miſericorditer ſe habet, permittens ſolùm quòd tenteris. Reſiſte viriliter in cauſâ Dei: quamuis in ipſo tentationis conflictu moleſtum ſit pugnare, iucundior eſt victoria ex tentatione, quàm voluptas ex peccato, ad quod tentatio inclinat. Noli comparare cum moleſtiâ tentationis dulcedinem peccati, ſed confer illud cum gaudio ex victoriâ: non compares pugnam cum voluptate, ſed victoriæ fructum cum vſu vitij: experire aliquantò quid ſit vincere tentationem, qui toties expertus es ſuccumbere.

Cùm vincis,exiſtima iterùm te pugnaturum: cùm pugnas, reputa in illâ victoriâ penitus abolendum inimicum in perpetuum, & æternâ pace fruendum. Fortaſſe ita partim eueniet: nam diabolus confuſus, & victus, non audebit iterùm adoriri; & Deus aliquam quietem concedet, prout nouerit expedire tibi. Deus ſcit, quo tempore te liberare oporteat à tentatione, qui permiſit illam pro bono tuo. Artifex non extrahit aurum de fornace, donec ſatis purgatum eſt: nondum ſatis emendatus & purificatus es, ſi non te liberat hac moleſtiâ. In victoriâ memento pugnæ, in pugnâ victoriæ. Gaudebis perpetuò ſi vincas; pudebit, ſi vincaris: quare vilipendis conſcientiæ ſecuram lætitiam & pudorem, pro futiliſſimâ & momentaneâ oblectatione? Amittimus tempus in hac vitâ, dum non patimur. Non recuſes moleſtiam repugnandi, cùm moleſta aliqua nequeas in hac vitâ fugere. Quemcumque viuendi modum elegeris, in aliquo affligêris: melius eſt affligi pro

virtute.

Digitized by Google

virtute. Triſte aliquid & aduerſum vbique eſt; ſed felix triſtitia, & facilis, in cauſâ æternæ felicitatis. Pro humanis rebus longiori tempore, maiori labore, minori fructu pugnatur. Temporalium laborum terminus, alius labor eſt; ſæpiùs pœna æterna: ſed hic leuis & momentaneus labor æternum gloriæ pondus operatur in te, cuius non ſunt condignæ paſſiones huius temporis. Fer ſaltem non ægrè hanc tribulationem, quam optare deberes propter auaritiam gloriæ maioris, quæ creſcet rigata igne iſto. Quin etſi nullum præmium eſſet, ſufficit quòd conformareris Chriſto. Magna neceſſitate teneris ad renitendum & pugnandum: in conſpectu Iudicis es; & cauſam diuini honoris defendis coram Angelis, & Sanctis. Potiùs velis millies mori, quàm ſemel vinci, & pudorem pati ſuccumbendi. Coram Sponſo tuo, & teſtibus Hierarchiis Spirituum beatorum, ac cœtibus Sanctorum, quomodo audebis adulterium committere?

Non poteſt eſſe quin in hac vitâ ſæpiùs turberis & tenteris; quare attentus tibi ſis, & cautus: licet fortiſſimum caſtellum virtutum in te ædificaueris; expecta tentationem, quia eſt fundatum in naturâ tuâ, cum imbecilli & caducâ infirmitate carnis. Quid intereſt, ſi fortiſſimi muri, & lapidea domus ſtruatur, ſi ruinoſum fundamentum habeat, aut in arenâ ſolùm ſit fundata, quò minùs timeatur de ſecuritate eius? Quid intereſt, quòd armatus ſis, ſi in loco es lubrico, aut veharis vmbratico aut effreni & indomito equo? Benè potes muniri virtutibus; ſed in carne es, quæ periculoſior eſt quàm equus præceps & indocilis, & magis fluxa quàm arena, niſi gratia Dei te adiuuet. Quare generalius & præſtantiſſimum remedium aduerſus tentationem præſeruatiuum eſt, deponere naturam, cum omnibus ſuis appetitibus, quoad poſſis; eradicare à te omne tuum velle, & fieri ſimplicem, & purum omni voluntatis propriæ ſorde, ſicut ſpiritum qui aſtat coram Deo: vnuſquiſque enim tentatur à concupiſcentiâ ſuâ. Quando nos quærimus, inueniemus tentationem. Qui ſe quærit, inueniet ſe: & quid in te inuenies, qui miſer es, niſi miſeriam, turbationem, afflictionem?

CAPVT XVII.

Quòd oporteat timere Deum, & ſperare in illo.

VNdique laqueis inſidiatur inimicus; vndique pericula ſunt in totâ vitâ: ſed maius omnium periculum eſt ſecuritas noſtra; nam eſt omnia pericula. Quis poteſt eſſe ſecurus in medio hoſtium, & vicino aut domeſtico inimico? quomodo tu ſecurus potes eſſe, cùm tibi ipſi aduerſarius ſis, cùm caro tua hoſtis tibi ſit, cùm totum mundum habeas contra te, & omnes dæmones te oderint? Si contra vnum hominem venirent decem, ſi contra aliquem Ducem veniret duplo maior exercitus, timeret, licet fortiſſimus eſſet: quomodo tu non formidas, cùm non minùs quàm mundus totus ſit inimicus tuus, & contra te pugnet?

Debes etiam timere Deum, quia peccaſti, & quia potes peccare. Quæ mulier in adulterio deprehenſa, ſi maritus nullum verbum ei locutus fuiſſet de venia, poſſet non timere? tu quoque time: nam euidenter ſcis peccaſſe, & tamen nullam euidentiam nec reuelationem de remiſſione habuiſti; nec velis habere, quia plus potiùs proderit tibi humilis timor & ſollicitudo, quàm fauor ille cæleſtis. Nam velut hi qui timent, ſolent ſitire; ſic ſanctus timor Dei ſitim & deſiderium feruidiùs placendi, & plus ſeruiendi Deo, excitabit. At ſi non peccaſti, vel poſt peccatum certiſſimus eſſes de veniâ aliquâ reuelatione Dei, ne deſinas timere: nonnulli poſt multa miracula facta, & ſanctiſſimam vitam per multos annos in pœnitentiâ & in eremo exactam, miſerabiliter peccauerunt. Angelus in cælo, Adam in Paradiſo, Iudas & Saul, qui præ aliis electi à Deo fuerunt, non fuerunt ſecuri, ſed miſerè tandem perierunt. Heron, poſt vitam ad ſummum perfectam, & immodicæ virtutis, poſt labores, ſudores, abſtinentias, & mirabilia multa (nam non niſi poſt tres menſes cibum herbarum ſilueſtrium guſtabat, contentus interim & ſaginatus ſanctiſſimo Chriſti Corpore) grauiter tandem lapſus frequentabat tabernas, ebrietati deditus, & poſtmodum es; nec te dices à Deo electum eſſe, nec eſt tibi conſcientia tam ſanctæ vitæ, ſed experientia peccatorum: quomodo non tibi formidas? quomodo non times Deum? Angeli & Seraphim contremiſcunt, cùm ſint certi non poſſe damnari, nec peccare, quia vident poſſibilem eſſe alicuius creaturæ damnationem: cur tu non tremis, cùm tua damnatio poſſibilis ſit?

Deus plurium Sanctorum caſus permittit vt diſcas omnia à Deo venire, nec in noſtris meritis & diligentiâ poſſe ſperare ſeu præſumere, ſed ſolo in Deo. De te, quamuis habeas merita ſancti Ioannis Baptiſtæ, non eſt quid confidas; de Deo potes, quamuis habuiſſes ſcelera Antichriſti: & quò plus offendis & laberis, non eſt cur deſperes aut deiiciaris; ſed eò plus de Deo ſpera, cùm minus te eſſe expertus es. Hæc diuina ſpes, cùm nihil homo de ſe credit: cùm plus timebit Deum, eò plus in ipſo ſperabit. Rectè dixit S. Proſper.

Vnum profugium totum eſt Deus ipſe timenti.

Quò quis etiam iuſtior eſt & quò plus amat Deum, plus ſolet timere: nam nouit quantum meretur amari, & coli; vt deberet homo anxiè optare atque precari tormenta per totam æternitatem, vt gratias illi ageret pro bonitate ſuâ: quia tamen longè eſt, ob multos defectus, ab hoc feruore, valdè timet; quia non facit, quod poteſt & debet: ob id tremit amittere Deum; quod eò plus ipſi moleſtum eſt, quo magis dignum amore cognoſcit.

Nihilominùs debet, in eo qui creauit ipſum, tam in paruis quàm in magnis ſperare. Fiducia noſtra in hoc plerumque peccat, quòd in maioribus rebus ſperat in Deo, quaſi in minoribus nonnihil poſſimus nos. Æquè in exiguis ac in maximis ſolùm de Deo ſperare oportet, quia in nullis bonis ex nobis poſſimus aliquid. Alij deficiunt, quia moderata ex Deo ſperant, & non audent ſperare maiora; vel quia indignos his ſe putant, vel minùs excellenter de Deo, & meritis IESV cogitant. Quid dubitas aut

Digitized by Google

aut deſpondes animum ad virtutem & ſanctitatem maximam, quaſi tuis viribus & meritis fuiſſes adeptutus gratiam, aut Deus inuidus vel auarus eſſet, vel pauper. Dei brachium, non tuæ vires, te roborat ad virturem capeſſendam. Deus beneuolus tibi eſt, non inuidet, bono tuo. Eius priuilegij ſunt diuitiæ diuinæ, vt nō eſſet opus, fuiſſet Deus bonus & amator noſter, quò eſſet liberalis: nihil amittit cùm dat, ne minuit ſuas facultates & cenſum: nihil defraudat de ſuis rebus, potiùs addit. Si theſauros ſimilis conditionis haberet aliquis homo, quantumus peſſimus & miſer, non negaret petita; & quò magis auarus, fieret liberalior, & iniuriam putaret non peti magna. Quis tam malignus eſt vt neget lucem, licet numquam anteà vidiſſet petentem? quare? quia nihil amittit dando lumen, manendo etiam cum integro ſuo lumine, Cur non præſumemus ſimilem liberalitatem de Patre luminum, vnde omne datum optimum deſcendit: Iniuria diuinitati fit, non ſperando de Deo bono & Patre noſtro, quod de homine peſſimo, barbaro & ignoto ſperares. Ne dubites de petitione tuâ, maiora promiſit Deus quàm petis. Ne diffidas de promiſſione ſuâ; incredibiliora iam fecit, quàm ſi quod promiſit. Regnum ſuum promiſit; ſed pro te ſeruus eſt factus: quòd viues cum illo promiſit; ſed pro te mortuus eſt: admirabilius eſt quòd Deus ſit mortuus & ſeruiat, quàm quòd homo viuat & regnet. Iam habemus pignus, quod eſt maius. Quare interdum non tam confidis purè de Deo, quàm tacitè præſumis de te, cùm ſperas aliqua, ſi non ſint magna, ſi non ſint omnia. Tam imbellis ex te es ad exigua, quàm ad magna: at ex Deo æquè validus ad vtraque.

O Domine, quàm ſtulte agit, qui non de te magna ſperet! nam quod homini erit ſpes, eſt tibi votum & deſiderium. Si quis optaret, anima mea, vt faceres aliquid, & à te peteret ſæpiſſimè, & offerret auxilium ſuum, & propteres ſe exponeret ad diſcrimina certa vitæ ob ardorem ſui deſiderij: ſi tu demum id velles facere, & ad id iam nihil reſtaret niſi vt ille adiuuaret, qui diu & tantopere id exoptauerat, & negotiatus fuerat; nónne cum magnâ certitudine gratiæ recipiendæ accederes ad illum, poſtulares auxilium, præcipuè ſi ipſe pollicitus prius fuiſſet? Hic deus eſt, cui adulaberis importunis petitionibus, & omnimodâ confidentiâ eius. Ex parte ſuâ non eſt timendum, quin te exaudiat: quâ ratione quod vult peti, volet negare? Expecta exaudiri, Deus expectat clare. Solum time illum, quia de re numqum es ſecura, in hac vitâ ſeminatá periculis. Quantumuis ſpiritualiter & ſanctè quis viuat, non caret inſidiis: nam in eos qui ſic viuunt, fortiùs inſurgit & ardet dæmon, quia inæſtimabilis eſt eorum vita: fur magis vult gemmas aut vniones ſurripere, quàm furfurem. Deus verò permittit hæc pericula ad humilitatem noſtram; quia cum pretioſiſſima ſit hæc vita, vult eſſe humillimam. Vt ſemper ab eo pendeamus, permittit tot modis impugnari, vt ſi numquam ſecuros nos putemus, tutiſſimi ſimus; atque ſi numquam præſumamus, incolumes permaneamus ſperando in eo. Sic ipſa pericula reddunt illam tutam: ſic ſolum timendo Deum, nihil eſt quòd timeas: & ſi times ſolum Deum, meliùs ſperabis omnia de illo. Spes & timor Dei, admirabiles ſunt ſocij, optimè ſe adiuuant: quos numquam tu deſerere debes; maximè te iuuabunt, ſi in te ſe adiunent: nam vnus ſine altero & tibi & ſibi parum proficiet, ſæpè nocebit.

Capvt XVIII.

Quòd non poſſimus non pati aliquid. Et de bono patientiæ.

QVi non poteſt fugere pati, debet quærere patientiam. Cur non armamur hac potentiſſimâ virtute, cùm impoſſibile ſit non pati aliquid moleſtum in hoc ſæculo, Deo ita mirabiliter diſponente. Qui ſperat poſſe fugere moleſtias huius vitæ, præſumit eludere prouidentiam diuinam: ita prouiſum, ita decretum eſt, propter bonum noſtrum. Non poteſt Deus falli in iis quæ ſtatuit, nec fruſtrari in his quæ diſponit. Nobiſcum naſcitur cauſa patiendi, quia cum peccato ſumus nati; nec tolletur donec extra locum peccandi ſimus. Poterat Deus ſine labore ſuo, & noſtro, nos in cælo locare ex primo iactu, vt inquiunt, ſine ambagibus huius miſeræ vitæ: poterat eâdem facilitate producere panem, quâ producit ſpicam & triticum: ſed vt laboraret & pateretur aliquid homo, voluit neceſſarium eſſe ex frumento fieri panem: voluit ad gloriam præcedere labores, vt nos plùs honoraret & cumularet ſuâ liberalitate, cùm velit debere illam. O magna Dei gratia, quòd debitor noſtri eſſe velit! Qui cenſeri inter prædeſtinatos cupit, non recuſet pati; quod eſt character electorum, ſi cum patientiâ ſit. Verè dictum eſt, mirandum eſſe quòd ſub pedibus damnandorum omnes lapides non mutentur in roſas, in ſolatium eorum quæ perpeſſuri ſunt malorum. E contrario multò magis mirandum, quòd ſub pedibus ſaluandorum non vertantur in ſpinas, atque à pedibus in capita eorum inſilientes, pro peccatis illos puniant: adeò ineffabilia bona breuiſſimo ſuo labore conſequentur.

Quæ cauſa eſt, cùm copioſiſſima ſit redemptio Chriſti, quòd abſtulerit peccatum, & noluerit tollere moleſta, quæ ex peccato naſcuntur in hac vitâ, niſi quòd ſalutares ſint ærumnæ? Quomodo aſpiraremus ad vitam æternam, ſi hæc vita iucunda eſſet, & ſine labore vllo, cùm modò amemus illam, licèt ſit tam plena miſeriis, & non dignè deſideramus beatitudinem alterius? Rectè dicebat eleuatus & benedictus Pater Balthaſar Aluarez, tribulationes eſſe pegaſos, vt properemus in cælum. Quantò magis ſenſibus negantur ſuæ iucunditates tribulatione, dolore, morbo, eò cogimur ad Deum confugere, & quærere vera bona in cælis. Cacumen arborum, ſi præcidantur ſurculi inferiores, eò ſurgit ſublimius: oppreſſis & afflictis ſenſibus, mens attollitur & viget. Poſt peccatum Adami excogitatum eſt à Deo mirabile ærumnarum inuentum, & diuinum conſilium contra peccata. Inuentio digna Deo fuit labor & tribulatio, vt in ipſo corpore quaſi extra corpus ſimus; & ſic plus ſapiamus, non affectâ mente ſenſui & oblectationi carnis, vt patiendo

non

non inficiatur paſſionibus ſuis & cupiditatibus. Eſt artificium diuinum ad ſupplendum. commoditatem & prærogatiuam mortis, ne afficiamur his rebus fluxis & ſenſibilibus. Commendata à Philoſophis patientia fuit, quia pari putabatur malum, quod illa mitificat: at quia pati optimum eſt, ideò patientiam dico bonam, quia non refugit, ſed permanere facit in eo quod eſt bonum.

Deus non eſt ignorans aut amens, (abſit hæc blaſphemia) ſed ſumma Sapientia eſt, dilectiſſimo tamen Filio ſuo Vnigenito eligit labores, elegit matri ipſius, elegit ſociis Filij ſui Apoſtolis, & amicis ſuis. Dicebat feruidus & deuotiſſimus Pater Chriſtophorus Rodericus, in ſuis ærumis & doloribus nolle compatiendum; ſed gratulandum ſibi fore, & ſimul ſecum gratificandum Deo: nam velut amici amicorum ſtringunt & premunt dextras vſquequò doleant in amicitiæ indicium; ſic Deus manu ſuâ amicos ſuos premit & vrget, quod eſt amoris ſignum. Maius ſæpè argumentum beneuolentiæ ſunt ſupplicia quàm beneficia ſiue dona, quoniam ipſa ſupplicia iam ſint maiora beneficia. Maius argumentum charitatis eſt correptio & punitio, quàm indulgentia & largitio. In extraneos faciliùs inuenietur benefactor, quàm correptor & reprehenſor: at animaduerſio ſolùm erga charos & domeſticos fit. Indulgentia & liberalitas etiam ad inimicos ſe extendit, caſtigatio ad filios & familiares dumtaxat: quare certiora pignora amoris ſunt ſupplicia huius vitæ, quàm beneficia fortunæ.

Non ſemper in pœnam culparum ſolùm tribulationes ſunt: licet non eſſet culpa, ſunt bonæ; & patienter ferro, ſiue à Deo immediatè, ſiue ab hominibus affligatis: & eò plus gaude, quò ſine minori cauſâ moleſtaris. Quemadmodum debemus gaudere magis, ſi tribulatemur à Deo, non propter peccata noſtra: ſic magis patientes & gaudentes debemus eſſe, cùm ab hominibus opprimimur & affligimur conuitiis & iniuriis, ſi cauſam nullam habent nos perſequendi, ſed innocentes patimur. Quam crucem eligeres aut cum quo malles mori, cum latronibus, an cum Chriſto in ſuâ cruce? Latronum cruces merita ſua habuerunt, propter peccata ſua afflicti ſunt: at crux Chriſti innocentiæ fuit; non propter peccata, abſit: itaque tibi gloriandum niſi in cruce Domini noſtri Iesv Christi. Natura noſtra cecidit, & in caſu rectitudinem ſuam perdidit: oportet vt reparetur, reſtituatur, dirigaturque duris iſtis rebus & grauibus. Malleus durus eſt & grauis, ſed format vaſa argentea, ſpecioſa quæ reddit, ac dirigit quæ obliqua & obtuſa erant.

Quædam diuina auctoritas tribulationi ineſt, vt efficaciùs ſæpè per illam ſpiret Spiritus ſanctus quàm per Prophetas, & ſacras Scripturas: interdum verbis ſacris non rarò reſiſtimus, & monitionibus ſanctorum Patrum & Doctorum; at tribulationes neſcio quomodo plauſum concilient Deo loquenti, vt ſtatim cedamus & pareamus. Quid audiri vult percuſſione alicuius rei, ſono manu edito ſilentium & auditorium ſibi conciliat: ſic Deus manu ſuâ percutiens, nos reddit ſibi attentos. Reſiſtit Pharao Deo, loquenti in ſeruo ſuo Moyſe: cedebat & parebat affligenti in animali quouis minimo. Ieremiæ non obtemperabat populus donec in captiuitate reſipuit. Nemo ſurdus eſt nec durus tribulationi: Dei eloquentia eſt, & cathedra Spiritus ſancti: res ſacra eſt & velut ara & thronus Dei, licet terribile ſit tribulari. O quàm tremendus & terribilis eſt locus iſte! ſed verè non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli, virtutum aſylum, quò fugimus à vitiis, tamquàm in ſacrum locum.

Age; anima dilecta Chriſti, ne fugias tribulationinem vt venenum: non poteſt nocere tibi; iam guſtauit illam Iesvs tuus: nihil mali habet, imò nihil acerbi, vbi Deus eſt qui condiet illam: quomodo amator guttæ fellis ſentiri poſſet in pelago mellis? Hac conſolatione numquam carebo, quidquid mihi Deus largiri, aut de me facere velit, placitum illi eſſe. Hoc ſolatium æternum habe: etſi adhuc ſine conſolatione patiaris, non refugias. Pudeat nos minùs amare Deum, quàm canes dominos ſuos. Quamuis canis fugetur, obiurgetur, cædatur, lapidetur à domino; non poteſt repelli, ſed magis accedit, ſequitur illum, & blanditur: ita debemus ſeruire, & accedere magis ad Deum, quò magis cædimur & tribulamur; quia ſi labores deficerent, præcipua occaſio merendi deeſſet, nec congruum poſſemus exhibere teſtimonium quòd diligamus Deum, & quòd non propter mercedem ſolùm colamus.

Digitized by Google

DE ADORATIONE
In Spiritu & Veritate,
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De diligenti curâ orandi.

NOn ſum dignus, ô humaniſſime Deus, qui cùm ineffabilis ſis, es ſuper omnes affabilis, non ſum dignus vt me reſpicias; quomodo vis vt tibi aſſiſtam & alloquar? O humilis Maieſtas, quæ non dedignaris colloquia & orationes hominis, imò cupis & hortaris, vt ſine intermiſſione orēmus! Et tanta eſt ruſticitas humana, vt te tuámque conuerſationem faſtidiat: perinde ac amatorem animarum æſtimat, ac hoſtem capitalem. Quid priùs facit infenſus homo cum inimico ſuo, niſi ſermonem negare? Tecum quoque, Veritas dulciſſima, ſermocinari nolumus homines; quia non amamus veritatem: nam quid aliud facerent, ſi odiſſes homines, ac faciunt cùm tenerrimè ames? Vt aduerſarij aduerſarios non conſultant de rebus ſuis & periculis, etiam ſapientiſſimos: ſic mortales periclitantes paſſim, & indigni conſilio, nolûnt à te illud petere, nec doceri, non audiendo oracula tua & doctrinam, quâ in oratione nos inſtruis. Homines irati malunt perire, quàm remedium indigentiæ ſuæ à capitali aduerſario poſtulent, ne illum alloquantur: pari proteruiâ ſunt erga te, ô affabiliſſima Ineffabilitas: ſæpè egent, affliguntur, pereunt, quia à te non petunt auxilium, nec loquuntur: quod maius odij ſignum, quàm duos degere in eâdem domo, & nolle vnum colloqui cum altero? Mentitur homo, ſi Deum diligere dicit, & intra ſe morantem numquam alloquitur. Amicitia muta non diſtinguitur ab odio.

Deus ab æterno cogitauit te, & tua, ô ingrate ſpiritus: ius eſt, vt etiam breui ſpatio vitæ diuinam pulchritudinem conſideremus, & accedamus ad eum, qui tam propinquus nobis voluit eſſe, vt naturæ noſtræ ſe vniret: & intra pectus noſtrum toties venit; & ne diſcederet à nobis, cùm aſcendit ad Patrem, inuenit artificium diuini ſui Sacramenti, vt nobiſcum quoque maneret præſens. Noſtra verò impudentia & deſidia inuenit quoque modum, vt cùm ad Deum vt venimus in loco orationis, etiam tunc abeamus, & ſimus abſentes alia cogitando, & diſtrahendo nos: tam longinqui à Deo eſſe curamus, vt cùm ad nos ipſe veniat in amabiliſſimo ſuo Sacramento, fugiamus ad vanas aliorum negotiorum cogitationes; & accepto tanto hoſpite, ſtatim exeamus foras.

Sed ſi Deum non reuereris, ô homo, miſerearis ſaltem tui: amorem orationis vt neceſſitas tua ſuadeat, ſi non neceſſitat amor Dei. Totus es homo ignorantia, totus indigentia: ſolùm in oratione ſapies & diteſces: in oratione aperiet Deus oculos tuos, vt ſapias; & manus, vt capias tuæ egentiæ remedia. Æquè placent Deo orationes noſtræ; vt placet illi dare, quod ſummè placet, fructus naturæ ſuæ beneficæ. Non creauit Deus mundum ex auaritiâ, vt haberet plura; ſed ex liberalitate, vt haberet quibus daret: propter hoc creauit omnia, vt haberet, & quibus & quæ daret. At quia per peccata noſtra indigni facti ſumus liberalitate ſuâ, fruſtrato fine Vniuerſi, gratiſſimæ ſunt Deo orationes noſtræ; quia inſtaurant indignitatem ex peccato, exhibitâ Deo occaſione faciendi per eas illud propter quod fecit omnia, quod eſt benefacere: vt perinde quodammodò ſit Deum precari, ac ſi reſtitueretur mundus. Non poteſt Deus abſtinere, nec ſe continere à largitione ſuâ; perpetuò cupit benefacere: ideò nos exhortatur, vt oremus ſine intermiſſione, quia ſine intermiſſione cupit dare: quomodo irritum facimus vocum Dei, & bonum noſtrum? Mendica importunè: nam grata erit Deo hæc importuna impudentia petendi.

Differt aliquando Deus concedere poſtulata, quamuis cupiat donare; quia indignè petimus. aut non dolentes de peccatis, aut in noſtris meritis confiſi, aut non reuerentes, aut temporalia nimiùm optantes, aut ſpiritualia parum: & plerumque talia petimus, & taliter, vt ipſa conceſſio petitionis meritò aliquando ſit ſupplicium illius. Anne conueniens petendi modus eſſet à patre quodam, ſi homicida vnigeniti ſui mucronem, quo confodit filium, ferens in manibus adhuc cruentis, à patre peteret hereditatem filij? quæ maior impudentia? dignus hic erat vt auferrentur conceſſa, non vt darentur noua. Hoc faciunt ſæpè homines, culpas non horrentes, aut impœnitentes. Peccata ſunt, quæ occiderunt Chriſtum: oportet puros & mundos accedere ad orationem, inſuper nullis propriis præſumentes meritis, ſed propriam indignitatem agnoſcentes ornare nos veſtibus fratris noſtri IESV, ex aſtutia Iacob, quò accipiamus benedictionem à Deo. Induamus nos meritis IESV, quæ noſtra ſunt: nam illa nobis commodauit, non quòd nos formaliter iuſtos & gratos Deo faciant. ſed quia ſunt cauſſa noſtræ ſanctificationes. Ita ornati

Digitized by Google

nati apparemus in oratione per Vnigenitum ſuum, precantes Deum, quod negare non poteſt tunc non tibi ſed Chriſto petis, & Chriſto ſit gratia. Si quæ tu concedis pauperi petenti in nomine Chriſti, Chriſto putas concedere, idem faciet Pater æternus. Si tu moueris, quando per Chriſtum aliquando petitur; quanto promptiùs Deus mouebitur ad eleëmoſynam? anne minùs miſericors eſt Deus, quàm tu miſer?

Sæpè tamen non ſuades Patri, etiam ſi alleges merita Filij; quia tibi non ſuadent merita ipſa & dolores Chriſti. Vt orator perſuadeat, dicunt debere eſſe perſuaſum. Queri de Deo non potes, ſi non concedat tibi gratias, quas petis ob paſſionem Filij: cùm tu ob illius mortem non velis deponere culpas & defectus quotidianos. quomodo vis inclinare Patris voluntatem ad te, ob ſanguinem Filij ſui ſi ob eumdem ſanguinem nondum relinquere vis tuam totam voluntatem? Si irreuerenter petis, cur te putas exaudiendum eſſe, ipsâ petitione dignum ſupplicio? Homines volunt non tantùm vrbanè ſed humiliter rogari: & tu Deum præſumis exorare elatus, immodeſtus, diſtractus? Diſce à Chriſto orare in horto, proſtratus in terrâ, & velut tremens totus, ſanguineum ſudorem fundens. Si te ſecum ſepararet, vt ſimul cum illo orares coram Patre æterno, ſpirituum Hierarchiis ſtupentibus, ac Ordinibus comitantibus Angelum illum, qui ipſum IESVM confortauit, etiamne tunc dormire velles, vt tres Apoſtoli, quos ſemotos reliquit; aut interim cogitares de ridiculis rebus temporalibus, videns tam nouum angorem Chriſti pro peccatis tuis, & attonitam reuerentiam Angelorum? Qui pro peccatis propriis cum lacrymis oraturus es, cur cogitationibus ludricris delectaris? Quantâ diligentiâ aduocatus orat coram homine pro causâ alieni capitis? tu ne ſis deſes coram Deo pro criminibus tuis.

Conſidera quoque quæ poſtules: quis pater petenti filio ſcorpionem aut lapidem, non daret potiùs ouum aut panem? Quid quereris de de Deo, ſi dum temporalia petis, quæ ſunt venena quibus te occidas, & aduerſus Deum inſanias, concedat ſpiritualia? Furioſo petenti gladium ſuum proprium, vt noceat alij, non licet dare: quantò minùs, ſi vt lædere ipſum concedentem? quomodo Deum tam ſceleſtum aut ſtultum putas, vt tibi petenti quæ non ſunt tua, velis arma à Deo dari, vt te & Deum ipſum offendas? Diſce iterùm à Chriſto orare. Non fiat, ô veritas amabiliſſima & amantiſſima, ſicut ego volo, ſed ſicut tu: fiat voluntas tua in omnibus: tu ſcis quæ mihi expediant. Ipſa quoque bona ſpiritualia interdum differuntur, quia nondum debitâ æſtimatione petimus; nec pari ardore & deſiderio appetuntur, quo temporalia quæruntur. Ferè indignè petit, qui remiſsè petit magna: vult Deus dignè peti, quæ digna ſunt à Deo obtineri; & ipsâ dilatione deſideria noſtra accendit, & digniores nos facit. Putant homines Deum trahere quali quali honore in vota ſua futilia, & quibuſuis obſequiis adulari, & velut puerum crepundiis delinire. Ideò oportet non ſemper ſe facilem reddat; ſed dignè dare dona digna ſuâ manu, aut præueniendo omnes preces noſtras, aut, ſi expectat illas, expectando dignas. Nam cùm vltrò non vult largiri munera, ſed obſecratus; non facit ob defectum liberalitatis, ſed ex deſiderio noſtri profectus, & probatione ac exercitio noſtri affectus. ideò decet expectare iuſtas preces & digna deſideria, nec contemptibilem facere gratiam, dando ei qui illam iam contemnit, dum tepide cupit: quæ enim ægriùs conſequimur, non vilis pretij putamus, & ſpes producta gratiorem fructum facit. Plerumque petitiones noſtras Deum commutat in alias gratias magis occultas nobis, aut expectat occaſionem commodiorem: nam ſi modò daret, fortaſſe ſuperbiremus, aut ingrati citiùs eſſemus.

Oportet quoque orare pro aliis: qui pro alio precatur, priùs participat & libat ipſe gratiam: qui alium oleo perungere vult, priùs manum ſuam vngit. Sed mendicitatis quoque tuæ ſemper ſis memor: velut Lazarus, à Deo, & Sanctis, & Angelis eleëmoſenam petas, cupiens ſatiari de micis bonorum cæleſtium. Vagare & luſtra velut per vicos ordines Angelorum & choros Sanctorum; & vbique ſtipem gratiæ mendica; præcipuè à beatiſſimâ Virgine Mariâ cui magnum conceſſum eſt ius diſpenſandi illam; quæ velut materfamilias in domo Dei, miſericordiæ claues habet. Clama, oſtende vlcera tua, nuditatem & egeſtatem. Pudeat te, aliquem mendicum remedium ſuæ neceſſitatis temporalis poſtulaſſe ardentiùs, quàm tu remedium ſpiritualis indigentiæ poſtulas, omnium mendicorum affectus tu ſolus velis habere erga exiguum gratiæ gradum. Maiori affectu debet deſiderari auxilium minimæ neceſſitatis ſpiritualis, quàm remedium omnium temporalium, ſi in te vno eſſent. Erubeſce quòd indigi calamitatem tecum ſentiant, & humiliter opem depoſcant cum lacrymis, & tu ſiccus ſis; gaudent in tantâ inopiâ ſpiritus, & grauiſſimis neceſſitatibus. Humilia te, vt faciunt mendici, animos concilia, expecta patienter, & importunè inſta; & ferè impudenter moleſta precibus Deum, vt propter importunitatem ſaltem extorqueas eleëmoſynam.

CAPVT II.

Quòd non oporteat intermitti ſtudium orationis.

QVantò pretioſior eſt anima quàm corpus, tantò magis oportet curare orationem, quàm cetera corporalia commoda. Quantus apparatus neceſſarius eſt, conſeruando vitam & ſalutem corporalem, in domo, lecto, veſtitu, victu quotidiano? multò plus neceſſarium erit vitæ & ſaluti animæ, quæ plures & maiores inimicos habet quàm corpus. Corpus habet inclementias cæli & famem; anima habet aduerſarios etiam ipſos inimicos corporis, inſuper ipſas incommoditates corporis, ipſum prætereà corpus: deinde mundum totum, & infernum cum omni militiâ ſuâ; imò interdum ipſos fauores Dei, & virtutes ſuas, ſi neſciat illis vti, & cum humilitate ſeruare. Aduerſus hæc omnia vnicum auxilium habet & refugium orationis. quomodo poterit contemni aut intermitti aliquando, cùm corpus plu-

Digitized by Google

ra arma aduerſus pauciores & minores aduerſarios habens, ferè totum diem in ſui curâ velit impendi, & numquam ſui ſtudium intermitti. Plerique qui ſe vident firmos & conſtantes in propoſito ſancto, non putant detrimentum intermittere exercitium orationis ob aliquàm occupationem laudabilem. Caueant, caueant, ne decipiantur: fortaſſe deficient, etiamſi ſe fortes ſentiant. Qui robuſtum ſe videret, ſi nollet commedere, vt interim magis laboraret, abſque dubio tandem deficeret, & ſe imbecillem experiretur: ita qui ſe conſtantem ſentit in obſequio diuino, ſi vt exerceat plura opera exteriora, etiam pia, detrahat tempus orationi, demum tabeſcet, & ſe imbecillem experietur. Numquam eſt prætermittenda oratio; quia numquam prætermittitur victus corporalis, & ſi aliquando intermittitur, reſtauratur poſtmodum. Si quis vt multum laboraret, per triduum aut quatriduum nollet ſomnum capere, breuî inſaniret: opus eſt quinque horas vel plures quietem capere ſingulis diebus. Animæ quies oratio eſt: plerique inſaniunt ſanctis propoſitis remiſſis, quia ad eam ſerò accedunt.

Sic oratio, quæ eſt victus & requies animæ, quieta & tranquilla: nam cibum corrumpendum, qui ſimul nobiſcum futurus eſt cibus vermium, quieti & ſedentes ſumimus. Commodum orationis non eſt tantùm horæ & temporis cum Deo benè exacti, ſed totius diei. Modicum fermenti totam maſſam corrumpit: modicum orationis totum diem condiet & ſeruabit. Non tanti refert oratio pro eo ſpatio temporis quo oramus, quòd non perdamus illud, & præclarè conſumamus: maximi refert pro toto die, ne integrum perdamus. Ex breui pendet vtilitas longi temporis: ſi totum diem vis lucrari, vnam ſaltem horam, poſtquam expergiſceris, impende in oratione. Poſt debitam & feruentem orationem obſeruantur ſanctæ illuſtrationes, inter ipſas occupationes dei. Ex magno ſonitu iam tranſacto adhuc reſtant tinnitus quidam? & ex diurnis actionibus manent in ſomniis veſtigia quædam & repetitiones: ſic ex quiete orationis refunduntur inter diurna negotia imagines quædam; & cogitationes miſcentur diuinæ: qui conſpicit ſolem fixo obtutu, deinde in omnibus quæ videt, repræſentatur ei ſpecies ſolis. Iuuat etiam oratio, etſi ſatis cognoſcas quæ ad officia iuſta requirantur, vt fortiùs tibi hæreant. Ipſæ veritates, prudentiâ, experientia, doctrinâ & lectione acquiſitæ penetrant magis in oratione cùm de alto veniunt, magis iuuantur arua, cùm de cælo, quàm cùm è fonte & riuo rigantur: lapis quantò de eminentori ruit, fortiùs cadit & tundit terram. Eadem veritas de cælo lapſa, plus penetrat & tundit corda; feruorem & deuotionem magis excitat. Inclinationes noſtræ, prauæ, ſunt quæ nos à Virtutis tramite abducunt: orationis beneficium hoc impedimentum tollit, generat per deuotionem inclinationes ad bonum; & eſt fomes quidam benè operandi, præuertens peccati fomitem. Sed quid commendo vtilitates orationis? ſufficiat mihi, ô Veritas diuina, quòd in ortaione humaniſſima oſtendaris, & benigniſſima mihi fias: ibi te tetegis, ibi te amplector, & tecum in hoc laborum tumultu quieſco. In oratione, velut in throno tuo, manifeſtaris Veritas clariſſima caliganti ſpiritui meo, ne ſi in eo dolus.

Oportet quoque prolixiùs orare, dum per valetudinem & ætatem licet, vt compenſemus tempus ægritudinis, cùm non poſſimus: & ſemper reputandum eſt, parum oraſſe. Eleuatiſſimus & zelator Dei pater Didacus Martinius vſque ad quatuor mille actus amoris Dei quotidiè faciebat, cum ſummâ diligentiâ & ratione; ſuaſque rationes ſeorſim habebat, vt ſatisfaceret pro tempore extremi morbi, ſi fortè tunc non poſſet vacare Deo vt deſiderabat: prætereà decem horas quotidie cum Deo ſuo ex otio agebat. Deuotus pater Michaël Soſa, cùm ſenium & acrimonia dolorum intenſorum vltimæ & prolixæ ægritudinis interrumperent ſtudium orationis, cohortabatur fratres noſtros, & de ſe querebatur, dicens: Vlciſcimi, vlciſcimini fratres in conatu orandi, dum per vigorem & valetudinem poteſtis, reſtaurando futuras naturæ iniurias, cùm orare cupietis, nec anni morbi concedent. Doleo nunc non poſſe orare, cùm velim; doleo non oraſſe, cùm potui. Sic ſe accuſabat ille, qui adeò occupauerat animum in Deo orationis ſtudio, vt raptus extra ſe incederet: ablutūrus manus, ſæpiùs fricabat illas ſiccas clauſo orificio fonticuli, & ipſe putabat madefieri; poſteà tergebat linteo quaſi lotæ eſſent: nonnumquam exceſſu ſpiritus rapiebatur vſque ad octo horas; & ad ſe reuerſus, dumtaxat quadrantem horæ exiſtimabat. O pudor, & torpor noſter! cùm plus egeamus oratione, ſtatim fatigamur; & longum putamus exiguum tempus quod cum Deo impendimus, ſiue potiùs lucramur: at cùm perditur confabulationibus hominum, breue arbitramur: &, ſi tamdiu duramus in oratione, quamdiu ſæcuares in vno conuiuio, nimium exiſtimamus?

CAPVT III.

Quàm efficax ſit Chriſti gratia & fauor.

VTinam quis ſemel noſſet & explicaret, quod geſtit mens intelligere, & nondum valet! O quantum in corde meo molior percipere, & non ſatis concipere poſſum! Da mihi, Veritas æterna, vt claris oculis intelligam aliquid quod in Chriſto habeo, & immenſas, quæ in IESV mihi ſeruantur, diuitias. Neſcimus, neſcimus ô mortales, quantum in Chriſto poſſidemus. Fratres Ioſeph affligebantur fame, quia neſciebant fratrem ſuum regnare in Ægypto: quid affligimur homines? frater noſter regnat in cælo. Peccatores, mendici, miſeri afflicti lætamini; quia ille frater veſter, qui vos plus quàm omnes alij homines diligit, qui ſolus fidelis vobis manet, gratiſſimus Deo eſt, locupletiſſimus eſt, Deus eſt, afflictus pro vobis fuit. Gratulor, gratulor peccatoribus; quia Chriſtus eſt perfectiſſima ſatisfactio diuinæ iuſtitiæ, omni ſpe & prædâ ſuâ de vobis illam fruſtrans, ſine dolo vllo, & cum magno iure. Chriſtus eſt ſolatium diuinæ miſericordiæ, & opulentia clementiæ Dei. Gratulor mendicis, gratulor miſeris, gratulor afflictis; quia frater veſter

Digitized by Google

veſter amantiſſimus eſt, qui diſtribuit diuitias diuinas pro libito ſuo qui concedit beatudinem, qui gaudia vera largitur: non extraneum vobis, non Angelum, ſed fratrem ipſum veſtrum Deus conſtituit Dominum domus ſuæ.

Chriſtus fideliſſimus amicus noſter eſt: nam cùm non poteramus (quoniam nudi & miſeri fueramus) comparere ante Regem; adhuc vt impetraremus miſericordiam, ipſe nobis dedit pretioſiſſimam purpuram ſuo Sanguine tinctam, gratiam ſuâ paſſione meritam & nobis inhærentem, vt coram Rege Deo & Patre ſuo non tantùm non indignè, ſed honoratiſſimè appareremus. Ipſe famelicos nos alit ſuo Corpore, ipſe ſitibundos nos recreat ſuo Sanguine: ipſe locupletiſſimos nos fecit, donans theſauros meritorum ſuorum. Si vis ſcire quàm ſint tua merita Chriſti, vt poſſis per illa impetrare gratiam, & offerre Deo, vt miſericordia tecum vtatur; inde collige, quòd ſua reputauit Criſtus peccata tua. Verba delictorum meorum, in perſonâ innocentiſſimi Iesv dicitur. Non tamen proinde putemus, ita eſſe noſtra merita Chriſti, vt non habeamus opus mereri ampliùs, ſed deſides & ignauos ſaluandos eſſe: nam non fuit mortuus Iesvs, vt negligentes eſſemus, ſed vt feruidi & ardentes in obſequio diuino. Quemadmodum Chriſti anima non damnaretur propter peccata tua, niſi feciſſet ipſa aliquod peccatum, quod impoſſibile fuit: ita nec tu ſaluaberis propter ſola merita Chriſti, niſi etiam facias bona opera, & habeas gratiam in te inhærentem; quod tamen etiam eſt per ipſum Chriſtum. Dedit igitur nobis merita ſua, vt illis tamquam propriis vteremur ad placandum Deum; quemadmodum ipſe peccata noſtra vt propria accepit ad ſatisfaciendum, eaque velut propria luxit, doluit, & ſatisfecit pro illis. Non ſimpliciter opera mera dedit, ſed cum dignitate ſuâ, vt facta à perſonâ diuinâ: vt ſicut ipſe peccata noſtra ſupra ſe accepit tamquam facta à viliſſimis & ſeruis creaturis; ſic nos eius merita habeamus noſtra, vt facta à Filio Dei æquali Patri.

Imitemur Chriſtum, quomodo accepit culpas noſtras, & vt proprias habuit; vt ſciamus vti meritis eius, & vt propria habere. Æſtima peccator tua Chriſti merita, & ſic confidentiſſimè pete: hoc erit petere in nomine Chriſti. Multò magis ad hoc proſunt merita Chriſti data nobis, quàm ſi nos ea opera feciſſemus, & crucifixi eſſemus pro gloria Dei: nam tunc non eſſent opera Dei, ſed hominis peccatoris. Vide quantum debes Chriſto, qui tua peccata ſuſcepit, & ſua donauit merita; qui tanta mala à te abſtulit, & tanta bona eſt largitus. Duæ ſunt iſtæ oblationes infinitæ, ex quibus hanc ſatisfactionem à te cupit: vt quemadmodum ipſe ſatisfecit pro peccatis tuis, ac ſi ipſe patraſſet; ſic tu non aliter offeras Deo merita Chriſti, ac cures lucrari illis gratiam & merita tua, quàm ſi tu feciſſes.

O Iesv ſuauiſſime, vtinam noſſem quantum commodum & vtilitas nobis miſeris fuiſti, & es! Horrenda monſtra eramus; iam per te ſumus gratiſſimum ſpectaculum Deo: in limo & fundo inferni eramus, iam ſumus in ſinu, non dicam Abrahæ Patris gentium, ſed Dei Patris tui: in gutture draconis tartarei eramus; iam per te ſumus in corde Dei: indigni eramus diuinis oculis; iam ſumus digni amplexibus: ſerui damnandi in ergaſtulo tartari eramus; iam per te erimus Reges coronati in cælo. Quis nouit quò præcipitati fuimus, & quò nos exaltaſti? Satis eſſet contenta miſeria noſtra, ſi extraxiſſes nos ab inferno; ſed non miſericordia tua, niſi eleuaſſes ſupra cælos, & tot Angelos: nimium feciſſes, cùm nos eramus deiecti in miſeriam irreparabilem, & deſperatam omnino vt impoſſibile eſſet nobis remedium, ſi impetraſſes à Patre ſuſpenſionem iræ; ſed tu impetraſti veniam: nimium feciſſes, ſi impetraſſes veniam; ſed inſuper conciliaſti beneuolentiam, amorem & gratiam eius: nimium & ſtupendum feciſſes, ſi impetraſſes ſolùm beneuolentiam eius; ſed impetraſti etiam munera & dona: nimium & admirandum feciſſes, ſi impetraſſes minimum munus Dei; ſed impetraſti nobis Regnum, & ipſam hereditatem tuam: nimium feciſſes, ſi impetraſſes hoc ſemel; ſed impetraſti vt infinities nobis daretur, ſi toties perdidiſſemus, dum poſteà ad te pœnitentes confugeremus: denique quidquid Dei eſt, nobis impetraſti; & dignatus fuiſti admittere nos pridem fœtidiſſimos & abominabiles, vt tecum coheredes eſſemus. Vide homo, vnde Chriſtus te eripuit, & quò te introduxit. Si alium hominem tu fortuitò ſine conſilio tuo & ſtudio liberares, non à morte, ſed vel moleſtiâ qualibet, quas gratias expectares ab illo? Feræ ob leuia beneficia gratæ ſunt: atrociſſimus leo ob vnam ſpinam erutam è pede ſeruauit gratiam poſt multum tempus, & rependit: cur immenſa Chriſti beneficia deterioris conditionis ſunt facta nobis, quàm quæ fiunt feris; & non potiùs ſtupemus, & præ gratitudine deficimus? Sed fortaſſe obligatus nobis erat Chriſtus, aut facile fuit & ſine ſumptu ſuo, quod fecit? Imò inimici eramus: negotium fuit deſperatum & difficillimum: ſumptus non minoris ſtetit, quàm pretio ſui Sanguinis & vitæ.

O charitas Dei immenſa quanta pro odibilibus hominibus feciſti! cùm eramus in ſalute impoſſibili, & non habebamus conſilium, excogitaſti miſericordiſſime Deus remedium, conſilium, ac machinam ſtupendæ miſericordiæ; & cùm nobis impoſſibilis eſſet executio poſt inuentum remedium vnicum, ipſe voluiſti exequi. Sed quale remedium? Quis captiuus auderet optare, nedum petere, quòd Rex ſuus, vt ipſe liberaretur, fieret pro illo captiuus? Tibi, Iesv mi, placuit pro nobis plus exequi, quàm nos auderemus ſperare aut optare. Tu Rex gloriæ factus pro nobis vinctus, reus; imò & damnatus, & mortuus pro nobis inimicis tuis, qui crimine læſæ Maieſtatis te offendimus. Mirandum foret, ſi Imperator ſupremus viſitaret in carcere malefactorem aliquem ruſticum: quid ſi proditorem ſuum? quid ſi ob illum relinqueret thronum ſuum, & mutatâ veſte maneret loco illius in carcere, vt foras eiiceret malefactorem? Tu feciſti hoc, amantiſſime Iesv. Numquam ſatis celebratur gloria illius, qui pro amico ſe ſubſtituit in vinculis, vt eum liberaret; & illius ſerui, qui pro Rege ſe obiecit hoſti, & morti; & illius patris, qui pro filio dedit vnum oculum. Sed non mirum,

Digitized by Google

ſi amicus pro amico, ſi ſeruus pro Rege, ſi pater pro filio chariſſimo id fecerint. At meus Iesvs quantò plus fecit pro me, non amico ſuo, ſed inimico; non Rege ſuo, ſed vili mancipio diaboli; non filio ſuo, ſed perditionis? Si dimiſiſſet ſcelus meum, ſatis eſſet; ſed reliquit ſolum ſuum, amiſit vitam, & inſuper tranſtulit in me Regnum ſuum. Si ſolùm opprobrium & infamiam peccati mei abrogaſſet, immenſa clementia eſſet, licet pœnam non indulgeret; ſed & indulſit pœnam, & cumulauit gaudio & gloriâ. Fortaſſéne fabula hæc, an fides infallibilis? ſi veritas, quomodo tantùm narramus hæc ore, & corde non afficimur erga perſonam Chriſti, qui ſuum cor nobis tribuit, & inclinauit, & inclinat in nos cor Dei? O quàm gratiſſimus Iesvs nobis debet eſſe, per quem grati Deo ſumus! quàm amatus nobis, per quem à Deo amamur!

Conſidera, quanta bona in Chriſto frueris: abſque dubio Deus non ferret nos, nec toleraſſet impudentiam noſtram, niſi Chriſtus medius eſſet ipſe nos deformes coram Deo comit & venuſtat: ipſe pauperrimos nos & nudos, vt ante Deum comparere non poſſemus, induit gratiâ, exornauit veſtibus ſuis, & donauit meritis, vt comparere valeamus. Quantâ gratitudine fuit affectus Chriſtus erga Martinum, quia dimidium pallij dedit illi? Iactabar, & quaſi præſumebat Iesvs coram Angelis cum fruſto illo lacero, & nos ſumus Chriſto ingrati, qui purpuram & diuinam veſtem dedit nobis nudis, indignis, leproſis, non quò tegeret horrorem lepræ ſolùm, ſed radicitus auferret morbum horrificum, velut in Iordane lotos, vt Naamam pulchros nos verè faceret & ſanos: nec æſtimamus veſtem & gratiam, & merita ſua, propter quæ nos tolerat Pater, nos reſpicit &, quod ſummum eſt, nos amat. O mortales ingrati! quomodo non euellitur cor veſtrum poſt Chriſtum, qui eſt theſaurus noſter, & diuitiæ, & pulchritudo? Sine illo deformes ſumus, & inuiſibiles coram Deo, per illum pulchri & viſibiles.

Perinde ſe habet Deus erga genus humanum & Chriſtum, vt oculus erga obiectum ſuum, quod eſt colores & lux. Sine luce omnes colores inuiſibiles ſunt, nulla eſt pulchritudo; ipſa ſolùm reuelans colores venuſtate donat: ſic Chriſtus lumen ad reuelationem Gentium, facit vt Deus reſpiciat homines, viſibiles iam & gratos illi, qui pridem in tenebris & in vmbrâ mortis iacebamus. Lumen eſt primum & maximè viſibile, valdè conſentaneum ſanis oculis: per illud reliqua videntur, & ſolùm videntur quatenus participant illud: nam cum luce, aut in luce, aut per lucem colores videntur in colore lux, cum oculo lux, per medium aërem lux eſt. Ita Chriſtus eſt quòd oculis diuinis primum & maximè viſibile eſt, magis gratum & acceptum viſui Patris; ceteri homines ſolùm, quatenus participant Chriſtum. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo videntur: ipſe reddit nos aptos, & dignos reſpectione diuinâ. Tota gloria & gratia colorum, lux eſt, lucis beneficium eſt: tota gloria, honor, gratia hominum, Chriſtus eſt, Chriſti beneficium eſt. Vide, quomodo iacent pretioſiſſimæ & pulcherrimæ res noctu; perinde ſunt ac ſi non eſſent: ita ſublimes naturæ, ſubtilia ingenia, ſine Chriſto in tenebris ſunt, nihil ſunt. Quid tu gloriaris, niſi in Chriſto? Sine luce pulchra & deformia æqualia ſunt, perinde ac ſi non fuiſſent: ſine gratiâ Chriſti, perinde eſt ſublime & acre ingenium, ac rude & hebes; reliquæ naturæ, artis, diligentiæ dotes, tantumdem ſunt ac ſi nihil eſſent. Cælum quoque & Sol beneficus eſt per lucem dumtaxat, per quam omnia operatur: ſic Deus ſolùm per Chriſtum beneficia ſua præſtat. Cælum non admittit aliam qualitatem ſimplicem ex noſtris niſi lucem: ita neque in cælum aſcendet homo, niſi in quem Chriſtus ſplendeat; neque oratio benè admittetur, in quâ Chriſtus non ſonet.

O Iesv lux hominum, lux vera quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina me, vt reſpiciat me Pater tuus: qui ſi in me aliquid tui viderit, non poterit me reiicere; ſi à me nomen tuum audierit, non poterit me non exaudire. O vis gratiæ Vnigeniti Chriſti, per quam tot grati & gnati Deo ſunt! Vbi Chriſtus eſt aut ſonat, illuc miſericordia aduolat; ibi miſericordia eſt. O efficax vox per Chriſtum, quâ delinimus Patrem & vrgemus! Quomodo obſequia Filij Vnigeniti, obedientiſſimi, ſanctiſſimi, officioſiſſimi, amantiſſimi, non commouebunt tenerrimè ipſum Genitorem, præſertim cùm ab illo ſolo ſe videat amari pro dignitate diuinâ, inter tot iniurias hominum? Nomen Filij, ſine vllo obſequio, gratum eſt etiam ſceleſtiſſimis & auaris hominibus: quid erit titulus Filij, & tot ſeruitia facta, Deo beneficentiſſimo etiam erga inimicos & ingratos? Qui conſiderat officia Chriſti erga Patrem, omnia præmia pluſquàm debita iudicabit illi. Amiſit Pater mundum per peccatum hominis; ſed tam officioſus fuit Filius, vt recuperaret illum & reſtitueret Parenti ſuo; ánne parum eſt hoc obſequium? Omnes homines, & innumeri Angeli, rebelles & inobedientes erant aduerſus Patrem; ipſe Filius voluit reſarcire omnem contumaciam, & docere obedientiam, etiam cum diſpendio vitæ ſuæ: omnes mortales contemnebant Patrem; Filius voluit honorare pro omnibus: tot denique ſeruos reſtituit Patri, tot adoratores lucratus, tot amatores, tot laudatores; cælum vacuum repleuit habitatoribus: ánne ſunt exigua hæc officia? Sed quali affectu, quali ſedulitate, quali amore, quali dignitate? Infinita hæc fuit, & talia, vt non reſtet Patri potentia nec ſcientia quò poſſit præmiis ſuperare obſequia Filij.

Si igitur Deus tam beneficus eſt, vt peccatoribus vltrò benefaciat; ſi tam iuſtus, vt iuſtis vltra merita ſatisfaciat; & extra ſe fiat, vt liberalis omnibus ſit, nullo expectato titulo iuſto benefaciendi; ánne cum ſolo Filio iniquus erit, & non attendet titulum cuius nomine conuenitur, & hactenus victa eſt liberalitas diuina? Quid faciet, cùm videat ſe non poſſe ſuperare merita Filij; ſed omnia præmia, quæ Filio dedit, & hominibus reſpectu Filij, minora eſſe infinitè, quàm officia Filij ipſius? An Deus, qui cum peccatoribus fuit liberalis, cum Filio erit iniuſtus? an negabit dare quod ille petit, aut per illum petimus; ſi quidem non poteſt illum nimis præmiari, nec hactenus ſatis remunerauit?

Digitized by Google

rauit? Si Deus magnificus eſt vltra exſpectationem, cùm ſcilicet iudicant homines non debere gratiam fieri, ſed potiùs ſupplicium; ánne miſer & auarus erit, cùm homines iudicabunt deberi, non tantùm gratiam dari, ſed velut debitum reddi? Si aliis benefecit Deus propter ſeruos miſellos, quia non iniquè ſeruierunt; quid faciet propter Filium vnigenitum, in cuius obſequio ſolo benè ac plenè ſuper omnes ſibi complacuit? Si tanti æſtimat Deus homines, vt iactet, Propter ſeruum meum Iacob, & Iſraël electum meum, & propter Dauid ſeruum meum, cùm indulgentiâ vſurus erat; ánne depretiabit dilectum Filium obſequentiſſimum, & durus erit, & immiſericors illi, in quo gratificauit nos? O homines, ſecuri, & ſecuriſſimi petamus per Chriſtum: accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ eius; quia quibuſuis donis quæ petimus, ſemper debitor manebit Deus: & quoniam ſemper manere debitorem non excuſat, numquam manere ingratus aut iniquus vult: ſed dabit ſemper quæ petimus; ſiquidem numquam dabit, nec dedit omnia, quæ meretur Filius. Ecce, ecce, iam video Sole ipſo clariùs, impoſſibile eſſe, vt quidquid per Chriſtum petatur, negetur à Deo; ſi petitio, vt par eſt, fiat: nam ſæpè videmur petere, ſed fortaſſe tam tepidè & ſtultè, vt perinde ſit ac illudere. At qui verè petit in nomine Chriſti, non tantùm precatur Deum, ſed iam quaſi adiurat & exigit.

Chriſtus eſt obiectum & voluptas omnium ſenſuum diuinorum: nihil honeſtum videt Deus, niſi per Chriſtum: nihil conſonum audit, niſi per Chriſtum: nihil fragrans & ſuaue illi, niſi bonus odor Chriſti: nihil inungit miſericordiâ ſuâ & ſanat, niſi medio oleo nominis Chriſti: nihil denique placitum guſtat Pater, niſi in Chriſti paſſione & felle condiatur & dulceſcat. Quidquid ſentit, per Chriſtum omnia ſentit grata, ita reſpiciendo nos per Chriſtum: quia Chriſto ſimiles ſumus, grati ſumus: vt qui videt per vitrum viride, reliqua videt viridia & iucundiora viſui, licet anteà moleſta eſſent: ille color omnium gratior oculis, temperat moleſtiam. O quomodo horrorem & fœtorem noſtrum non toleraret Deus, niſi per Chriſtum! O quoties non ferret nos Deus, etiam poſt gratiam ſemel ſuſceptam, quam amittere merebamur ob ingratitudinem & torporem, & plures culpas veniales, niſi recordaretur Chriſti, qui ſuſtentat nos, & ſupplet defectus noſtros! Ille vnus eſt Patri ſolatium omnium noſtrûm impudẽtiæ & ingratitudinis. Iam periiſſet mundus millies, niſi per Chriſtum ſuſtineretur, qui ſacrificio quotidiano infinitè placente Patri ſuſtentat orbem, & homines impudentiſſimos. Obiicit ſe Chriſtus Patri: qui dum noſtra per Filium reſpicit, horror noſtri minùs prouocat; vt qui in ſpeculo canem mortuum aſpicit, fœtorem inde non percipit: nociua per vitrum conſpecta, non lædunt oculos. Pari modo ſe habet Deus, vt Imperator ille, qui in ingenti ſmaragdo in ſpeculi modo referente viſa, conſpiciebat tetra & inhumana, pugnas gladiatorum, flagitia & cædes, quò horrorem minùs cauſarent ex placiditate petræ. Sic Deum minùs exacerbant flagitia noſtra, ſi Chriſtus repræſentet ea. Chriſtus lapis eſt & pretioſiſſimus ſmaragdus: nihil gratius eſt viſui, quàm ille lapis, qui lætitiam cauſare conſpectus dicitur, & colorem ſuum gratiſſimum non in ſe ſolùm retinet, ſed profundit, & tingit circumfluum aërem, vacuum alioqui colore: ita Chriſtus lætitiam cauſat Deo, & in nos vacuos meritis refundit ſua; vt imbutis gratiâ eius & viriditate ſpei, in illo confidamus, gratos Deo fore. Omnia bona & gratiæ noſtræ ſunt exundantia, & velut ſuperflua, & fimbriæ meritorum Chriſti.

Capvt IV.

Quantùm oporteat deuotè affici erga beatiſſimam Mariam Virginem.

QVanta eſt miſeria & malitia noſtra, vt cùm immenſa fuerit miſericordia & bonitas Dei, opus etiam fuerit iuuari induſtriis & artificiis diuinis! Mirum artificium fuit ad ſatisfaciendum diuinæ iuſtitiæ, ipſa Veritas incarnata Chriſtus. At quia & hoc inſtrumentum miſericordiæ etiam oportebat vt Iudex foret; prouidit amor Dei erga ipſum Chriſtum, aliud organum puræ miſericordiæ ſacratiſſimam Matrem ſuam, pro quo debemus gratias agere inter alia beneficia immenſa diuinæ bonitatis. Quid fuiſſemus, ſi non fuiſſet miſericordiſſima Maria? cuius precibus, quamuis malignitas & inuerecundia noſtra, quâ ſemper erga Deum impudentes ſumus, digna ſit perpetuo flagello, ſuſpenditur tamen manus Dei irata, & flagrum commutatur in donum: Chriſti reuerentia erga ſuam matrem, plus poteſt quàm noſtra irreuerentia erga ipſum. Si Chriſtus pro inimicis ſuis, & iis ipſis qui crucifigendo auferebant illi vitam, obtulit vitam ſuam; quid non faciet pro matre ſua mantiſſima, à qua accepit vitam? Si Deus pro creaturis, quibus dedit eſſe, tot tantaque vltrò & ſine precibus vllis fecit; quid faciet pro illa à qua accepit ſubſtantiam, & eſſe hominem; maximè deprecante & vrgente interceſſionibus ſuis, & veluti impetrante ex iure materno? Bonis filiis preces matris pro imperio ſunt: quis melior filius, quàm Chriſtus? quæ melior mater, quàm Maria? quæ obligatio maior, quàm huius optimi filij erga optimam ſuam matrem? Non eſt obligatio Chriſti, vt ſunt obligationes aliorum filiorum erga parentes; ſed eſt ſimilis obligationi creaturarum erga Deum. Non tantùm eſt obligatio naturalis, quæ inter genitum & genitorem intercedit, (quamuis & hæc etiam maior in Chriſto ſit, cùm non ſit diuiſa inter duos, ſicut reliqui filij patri & matri debent ſuum eſſe: nam à ſola matre accepit naturam humanam, cùm nullum patrem iuxta hanc naturam habuerit, ideoque integrè vni matri debet eſſe hominem) ſed etiam eſt obligatio moralis.

Filij debent reuerentiam patribus, etiamſi noluerint generare filium illum, ſed quemlibet alium: imò etiamſi inuiti genuerint, & neminem voluerint procreare; nihilominùs tanta eſt hæc obligatio naturæ, vt ipſi Barbari & Ethnici dicerent, reuerendos eſſe patres vt Deos ſecundos, & quæ iis debentur, eſſe impoſſibile ſolui.

O Iesv, cuius doctrina exceſſit omnem captum philoſophiæ, cuius exemplum præceſſit humanam omnem opinionem; ſi Ethnici hæc docuerunt de honorandis parentibus, quid facies honorando matrem tuam Fili Dei? Illa fuit Gentilium obſeruantia; qualis erit perfectio tua, ô Iesv? Qui ſuperædificaſti virtutibus antiquis, & addidiſti præceptis priſtinis; qui in amoris lege adieciſti inimicorum amorem, & in caſtitatis præcepto etiam concupiſcentiam vetitam dixiſti: ſic in præcepto venerationis patrum excelluiſti reuerendo matrem; in quâ præter debitum naturæ, debes aliud debitum voluntatis. Alij parentes non habent electionem generandi filium, ſed habuit mater tua ſanctiſſima: quæ non tantùm te genuit, ſed voluit te tantùm generare, & non alium filium. Voluntas eius expectata fuit & deſiderata à Deo Patre, & Angelis: ideò quia debes voluntatem matri tuæ, rependis illam, nihil eius voluntati negando. Maiorem obligationem agnoſcis erga matrem, quàm eſt aliorum filiorum erga parentes; & ſimilem illi obligationi, quam habent creaturæ erga Deum, habes erga matrem tuam. Hoc eſt ſummum debitum creationis, quòd non ſolùm Deus creauerit nos, ſed ſelegerit nos, & voluerit creare potiùs quàm alios, quos reliquit in rerum poſſibilium maſsâ, & ſuo nihilo.

O ſtupenda excellentia Mariæ, cùm ſimilem obligationem habeat illi Deus, ac habent creaturæ Deo; quæ eſt infinita! Tum ſicut ab eſſe ad non eſſe eſt diſtantia infinita; ita obligatio eius qui accipit eſſe & naturam, infinitè ſuperat alias obligationes ex beneficiis aliis communibus, quæ ſupponunt ſubſtantiam & vitam. Si in illos qui infinitè tibi debent, ô amande Deus, liberaliſſimus es, & erga eos qui te offendunt indulgentiſſimus; quomodo auarus aut crudelis eris erga matrem tuam, cui ſoli propter diuitias miſericordiæ & bonitatis tuæ debes, & tali modo debes? quomodo negabis gratiam aliquam, vbi agnoſcis debitum tantum? Omnia meritò vis dare per illam, quæ tibi dedit vitam humanam: nam ſicut de dono vitæ nullis bonis filij poſſunt ſatisfacere patribus, quia eſt fundamentum omnium donorum; & omnes actiones & dona filiorum videntur propria parentum, quia principium illis dederunt; ſic nihil negare vis illi, quæ tibi dedit eſſe hominem: vt dando cuncta per matrem, videaris dare omnia matri; & prætereà cogeres nos venerari illam neceſſariò, cùm per illam ſit neceſſe impetrare cuncta à te: & quia accepiſti ab illâ eſſe naturale, hoc eſt, humanam naturam; vis vt per illam accipiamus nos eſſe ſupernaturale, & gratiam: vt ita filios Mariæ faciendo nos ſupernaturaliter, ſatisfacias pro filiatione tuâ humanâ naturali.

Verum eſt quòd omnia ſint à Deo, & hoc ipſum quòd debeat Deus matri ſuæ, eſt beneficium Dei: ſed vt reuerà penſemus, quanta faciet pro beatiſſimâ Virgine, nihil intereſt: nam hic eſt ritus & mos diuinus, ita ſe habere erga beneficia ſua, perinde ac ſi nullam partem habuiſſet Deus in meritis noſtris, licet orta ſint ex eius gratiâ; ſed eodem modo remunerat, ac ſi à nobis ſolùm eſſent. Æquè integrum gloriæ præmium dabit operibus bonis, ac ſi ea ipſa bona opera non fuiſſent munera ſua; nec vllâ gratia nos adiuuiſſet, ſed ex propriis viribus illi ſeruiſſemus, & dignitatem illam ad gloriam ex nobis habuiſſemus. Eodem modo reſpondebit officiis matris ſuæ, ac ſi nullum beneficium Dei eſſet in illa; ſed perinde ac ſi omnino accepiſſet ipſe eſſentiam, naturam, vitam ab ea, independenter ab vllo beneficio & gratia diuina, qua præuenta, præiuta, & prælecta fuit ad hoc admirandum opus diuinæ conceptionis.

Si hoc modo obligatum ſe agnoſcit & habet Chriſtus, fortaſſe violabat præceptum de honorandis parentibus, an potiùs coagmentatâ menſurâ curabit ſatisfacere? Si obligatio quam habent in parentis alij filij, tanta eſt, vt Philoſophi dicerent impoſſibile eſſe ſolui; cùm Chriſtus maiorem obligationem agnoſcat, poſſibiléne erit, vt non velit gratificari? Si Deus alia obſequia hominum minuta remuneret in gloriâ vltra merita; hoc debitum matris, quod eſt vltra gratiam & remunerationem, non negliget omnibus modis compenſare & ſatisfacere. Quis dubitat, Chriſti gratitudinem erga matrem, excedere omnem amorem & gratitudinem hominum? Si igitur putarunt Ethnici, non poſſe filios cunctis officiis eſſe ſatis gratos erga genitores; amittétne Chriſtus occaſionem gratiæ? Planè tam gratus erga parentum optimam eſt, vt non contentus reuerentiâ, quâ illam coluit in vitâ obſequiis ſuis operationum infinitarum & theandricarum, quibus illam honorauit ſubditus illi, voluerit omnes non reuereri genitricem ſuam, quaſi coadiuuando ipſum ad venerandum & honorandum illam. Sic voluit nos omnes eius filios eſſe, vt pro ſe honoraremus & amaremus vt matrem: nam ſicut obligatio fuit matri, ſatisfactionem & gratificationem voluit eſſe filiorum. Quam filiationem dedicauit in cruce pendens, cùm omnes ſuos illi tradidit in perſonâ dilecti diſcipuli, dicens: Ecce filius tuus. Scilicet cùm moriturus erat, quaſi ſolùm optaret vitam, vt matri obſequeretur; voluit vicarium obedientiæ & curæ filialis in Ioanne, & obſeruantiæ in reliquis fidelibus relinquere, ſiquidem mortem euitare non expediebat: vt hoc pacto & redimeret nos moriendo, & gratus eſſet matri relinquendo vicarios exhibendæ venerationis, quaſi ipſe non ſe fateretur ſatisfeciſſe matri pro deſiderio ſuo. Ibi ad pedem crucis accepit nos Maria in filios: ibi peperit nos, non ex vtero, ſed ex corde; nam eſt pretioſius membrum, & efficacior filiatio: non enim omnis filius vteri amatur, at filius cordis nequit non amari. Ibi nos cum Chriſto parturiit cum doloribus, quos non eſt paſſa in partu carnali. Conuenienter eo tempore accepit nos in filios, cùm tota compaſſionis affectu erga Filium plena erat, vt illum in nos transferret & ſeruaret ad excellentiam miſericordiæ ſuæ: quaſi commendaſſet Iesvs matri, quod dixit mulieribus; Nolite flere ſuper me, ſed ſuper filios veſtros. Ideò crucifixus, plenus doloribus & cruciatibus, velut in alios remittens compaſſionem ſui, dixit matri lacrymanti; Mulier, ecce Filius tuus: ecce filius tuus eſt quiſque fidelis & diſcipulus meus; noli tam compati & flere ſuper me, quàm ſuper iſtos filios tuos, quos tibi commendo, miſeros homines & peccatores. Sciebat Chriſtus maius ob-

iectum

Digitized by Google

iectum miſericordiæ eſſe miſeriam peccati, quàm quodcumque corporale tormentum: nam plus docuit anima Chriſti compatiens in culpis noſtris, quàm corpus eius patiens in pœnis ſuis. Ideò voluit vt transferret mater compaſſionem, & miſericordiam ad noſtros defectus, culpas, & miſerias animæ, vt nos in illis præcipuè adiuuaret. Et quia Chriſtus patiendo benemeritus fuit de Iuſtitiâ diuinâ, ſuperabundanter illi ſatisfaciendo, propterea dignus vt ei committeretur hoc attributum & eſſet Iudex hominum, vt prædixit Dauid; *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis:* Mater Chriſti, compatiendo & miſereſcendo Chriſti, benemeruit quoque compaſſionis & miſericordiæ attributum, quod illi eſt commiſſum; vt dicere poſſimus: Deus miſericordiam tuam Reginæ dediſti, & pietatem tuam matri Regis: ideò nulla gratia & miſericordia Dei ad nos peruenit, niſi per MARIAM. Iam hinc, pientiſſima mater, te accipio in mea; & iſtud primum pignus accipiam tuæ pietatis, vt imiteris filium tuum primogenitum: qui non tantùm te dedit Ioanni, ſed Ioannem etiam dedit tibi: ita me des Deo, ſiquidem Deum dediſti nobis.

Igitur cùm noſtra miſeria nullum habeat remedium niſi Dei miſericordiam, & diſpenſatio eius ſit penes MARIAM, cui Filius nihil negat, & illa plena ſit miſeratione; quid pigreſcimùs in officiis & pietate erga illam? Quatuor de cauſis debemus officioſi eſſe in obſequio erga Virginem. Vna eſt vtilitas & neceſſitas interceſſionis eius: nam ſine negotiatione & petitione Virginis nihil deſcendit de cælo. Plus quàm ab Eliâ dependebat pluuia cæli, ex MARIA pendet gratia. Altera eſt voluntas Chriſti, qui vult Matrem ſuam coli à nobis, ipſique adulamur Chriſto Domino cultu ſuæ Genitricis, nam ad omne quod illi debemus delegat Matrem ſuam creditricem. Si ea quæ facimus pauperibus, accepta ipſe habet, eoſque Vicarios deſignauit obligationis quam habemus; quantò magis grata habebit, quæ præſtantur Matri, cuius ſe debitorem agnoſcit ille cui omnia debent?

Tertia cauſa eſt, excellentia ſanctiſſimæ Virginis: cuius cultus licet nullius nobis neceſſitatis eſſet, nec tam explicatæ voluntatis Filij ſui IESV, propter præſtantiam ſuam ſummoperè deberemus affici erga illam. Ipſa eſt honos totius creaturæ, maximè generis noſtri: & ſecunda poſt Deum, cui conceſſum eſt vt habeat illud priuilegium, quo Deus ſolùm propter infinitatem ſuæ naturæ fruitur, vt ſit parens & virgo ſimul, & parens Dei. Deus eſt pater & virgo ſimul: Maria eſt etiam mater & virgo. Quemadmodum Chriſtus ſecundùm diuinitatem genitus eſt caſtiſſimè in ſplendoribus Sanctorum à virgine Patre ſine matre, ita ſecundùm humanitatem genitus eſt caſtiſſimè à virgine matre ſine patre in ſplendoribus ſanctitatum ſuper omnes Sanctos. O geminum miraculum, quòd virgo pariat, & quòd pariat Deum! Sed quid debebat parere virgo niſi Deum? Gratia & natura ſorores ſunt, & ambæ ſapiunt manu eiuſdem artificis: ideò ſimilem quamdam methodum ſuorum operum ſeruant. Quemadmodum in compendium collegit Deus in Adamo & Euâ vniuerſam naturam, poſtquàm cuncta creaſſet; atque in homine ſunt omnes naturarum & vitarum gradus eminentiori modo quàm in ipſis naturis, cælis, plantis & animalibus, vt vnus homo plus valeat quàm vniuerſus orbis, & ſit alter mundus, eique omnia ſeruiant, & propter illum ſint omnia: ita quoniam non eſt negligentior & minùs curioſus artifex Deus in rebus gratiæ, in vnum quoque redegit in nouo Adam & Euâ vniuerſam gratiam datam & dandam hominibus & Angelis. Vnâque in MARIA ſunt omnia genera chariſmatum & donorum ſupernaturalium & gratiarum gradus eminentiori modo, quàm in cunctis reliquis Hierarchiis ſpirituum beatorum, & ordinibus Sanctorum, vt ea ſola pluſquam æquiualeat vniuerſorum ſanctitati. Non eſt ſolùm pietas iſtud exiſtimare, ſed ratio; & ſatis iam conſtat ex reuelatione benedicti patris Martini Gutierrez martyris Chriſti, quem vidit ſancta Tereſia in cælo cum inſigni martyrij, quòd in carcere obiiſſet ab hæreticis vinctus & vexatus. Huic ſeruo ſuo gratias egit ipſa virgo MARIA, quòd huiuſmodi defenderit ſuam ſanctitatem. MARIÆ enim ſeruiunt, & colunt tamquam Reginam omnium ipſa beata Seraphim, & ceteri Angeli ac beati; veluti bruta animalia parebant Adamo in ſtatu naturæ non corruptæ. Homo eminentior brutis creatus fuit; Maria ſublimior Seraphinis & Angelicis mentibus glorificata, excellens beatos ſpiritus, vt Adam pecora campi & irrationalia. Illa ſola duplo maior videtur eſſe apud Deum & æſtimabilior quàm totus mundus: in quem etſi indulgentiſſimus fuerit deſcendendo de cælo Filius Dei pro eius ſalute; nihilominùs vt acciperet Spiritum ſanctum, opus fuit recipi priùs Chriſtum in cælum: at beata Maria & Filium Dei in ſe ſuſcepit, & ſimul Spiritum ſanctum in ſe ſuperuenientem.

Itaque duobus titulis audiuntur preces Mariæ à Chriſto, & ob reuerentiam debitam matri, & ob eminentiam ſanctitatis eius & merita ſingularia: exauditur enim pro ſua & filij ſui reuerentia & dignitate; pro reuerentia maternitatis, & pro dignitate ſanctitatis: & nos per illam audimur: cuius interceſſio non ſolùm vtilis, ſed neceſſaria eſt nobis. Ad MARIAM igitur in cunctis afflictionibus confugias, velut filius plagis ab extraneo cæſus ad matrem accurrit: nouit illa portare & ſuſtinere mundum ſuis precibus, nec graue onus tu illi putes adiici.

Quarta cauſa poteſt eſſe velut affinitas & neceſſitudo quædam cum beata Maria, non tantùm ſecundùm ſpiritum & myſtica ſolùm, ſed realis ſecundùm corpus etiam & naturam. Nullus enim homo propinquior eſt affinitate alteri, quàm eſt tibi coniuncta beata Virgo. Qui corpus Chriſti ſuſcipit in Euchariſtia, vnione quadam reali fit vna caro cum Chriſto; vt non ſit vnio alia & coniunctio tam propinqua & ſimilis inter homines, etiam inter virum & vxorem: quare etiam debes te putare affinem matri ipſius Chriſti, & reputare habere eamdem carnem. Maior item eſt coniunctio phyſica, & realis inter Deum & te, quàm inter

te

te & patrem tuum: qualis ergo erit affinitas, quam contrahis cum matre ipſius Dei? Quæ maior vnio creata & realis poteſt eſſe, quàm eſt inter Verbum diuinum & ſacratiſſimam humanitatem Chriſti, acceptam ex viſceribus ſanctiſſimæ Virginis? & quæ vnio conſanguinitatis poteſt eſſe maior, quàm fuit inter Chriſtum & Mariam? Igitur affinitas & coniunctio ſecundùm naturam noſtram, quam habemus cum beatiſſimâ Virgine, excedit affinitates hominum. Si homines ſolo titulo conſanguinitatis & propinquitatis ſe iuuant, & ad ſe inuicem accurrunt pro auxilio; cur non accedemus ad MARIAM, cum quâ habemus neceſſitudinem maximam?

Quid dicam de coniunctione & quaſi cognatione ſpirituali, quam cum Mariâ contraximus? Is per quem accepiſti gratiam Baptiſmi, aut aſtitit tibi & ſuſcepit in illo Sacramento, cognatus tuus fit, illumque teneris venerari vt patrem: quantam reuerentiam, proximitatem, & filiationem contrahemus cum Virgine, per quam toties gratiam ſuſcipimus, quæ toties ſuis precibus peperit nos Deo, & in lucem & in veritatem vitæ ſpiritualis edidit?

Agnoſco te matrem meam, ô Mater Dei & Mater gratiæ & miſericordiæ, obſecro ne obliuiſcaris nominis tui, de quo tu ipſa gloriaris. Mater gratiæ & miſericordiæ dicens: ſed hunc titulum quid tibi dedit niſi noſtra miſeria, quia tuâ miſeratione & gratiâ egemus? Quare quia ego miſerrimus omnium ſum, maius ius præſumo habere in tua materna viſcera. Dignitas tua ex meâ indignitate accidit, ſanctitas tua ex meis peccatis: ideò præſumo primum locum me habere in tuâ miſericordiâ, quia primus & maximus omnium peccator ſum, & plus miſer. Mater Dei, te fecerunt peccata hominum: & peccata mea ſolùm ſufficerent, vt te facerent Matrem miſericordiæ: ne proiicias me à te & protectione tuâ, ſub cuius pallio proteguntur omnes Religioſi noſtræ Societatis; vt mirabili viſione vidit deuotiſſimus tuus filius Pater Martinus Gutierrez. Quem enim debet magis recipere miſericordia, quàm magis miſellum? Recordare, quòd hunc honorificum titulum, de quo, poſt titulum matris Dei & virginis, ſupra ceteros gloriaris, ego ſolus poſſim ſuſtentare ob innumera mea peccata. Spero Mater in miſericordiâ tuâ ego miſerrimus: nam potiùs cælum & terra peribunt, quàm tua deficiat miſeratio & gratia iis qui verè & ſeriò implorant fauorem tuum, & ſerui tui ſunt. Admitte me inter illos, vt cum exultatione & lacrymis in te colendâ occuper: at quia tepiditas mea frigidum & ſiccum, vt qui ſim totus terreſtris, me teneat; inuideo feruorem tuis deuotis: vellemque, vt faciebat deuotiſſimus Pater Ioannes Trexus, ſacella tua ore meo verrere, & lacrymis rigare. Ad hoc faciendum aliquot milliaria pedibus ibat ille feruidus Pater & filius deuotus Virginis.

CAPVT V.

Quòd imitari Chriſtum debemus; & de ſanctiſſimi cordis ſui dolore & paſſione.

QVomodo poteſt homo cogitare de aliquo guſtu, qui pro hominis guſtu recordatur afflicti IESV? vna gutta ſanguinis ſufficiebat redemptioni noſtræ: quomodo totus pro nobis fuſus, & immenſitas dolorum, laborum, opprobriorum, non ſufficit exemplo? ánne vanè & incaſsùm tot tantaque paſſus eſt Filius Dei, cùm minima oratio eius plus quàm abundaret ad ſatisfaciendum pro mille mundis, & obtinendum vniuerſis gratiam? Sed adhuc non ſufficit tantus exceſſus cruciatuum, vt vnus ego imiter illum. Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. Non minoris ſteterunt Deo minimæ noſtræ voluntates, quàm noſtra peccata grauia facta. O ſi conſiderarem opera tua hæc, Domine; quomodo expauerem? Mirabilia opera tua, vtinam anima mea cognoſceret nimis! mirabilia prodigia quæ poſuiſti ſuper terram, mirabilia teſtimonia amoris tui, & ingratitudinis & duritiæ meæ! Vtinam fieret cor meum tamquam cera liqueſcens, & ponerem te vt ſignaculum ſuper illud, vt nullum vitæ huius guſtum admitterem, ſed imitarer dolores & afflictiones tuas! Ponam vt ſignaculum ſuper cor meum illud cor mœſtum amantiſſimi IESV, quod perpetuò crucifixum fuit: ſic in memoriâ habebo, & tabeſcet in me anima mea. Quid efficacius ad extinguendum omnem voluntatis guſtum, quàm recordatio IESV guſtantis fel, & totius paſſionis eius? Tam efficax eſt eius conſideratio, vt ipſum Chriſtum fecerit tædere & pauere, & ſudare guttas ſanguinis. Quid efficacius, ne patiamur guſtum, quàm compati dolenti IESV? Non ſine causâ, hi qui fideliter Chriſto aſtiterunt in Caluariæ monte, & compaſſi ſunt, non ſunt poſteà paſſi martyrium in exitu ſuo, cùm reliqui Apoſtoli, & alij diſcipuli, à tyrannis ſint cæſi. Nam beatiſſima Virgo mater IESV, ſanctus Ioannes Euangeliſta, & Magdalena, non fuerunt per martyrium ſublati: dolor maior omni morte & omni cruciatu, excruciauit illos ſolâ compaſſione, & ſufficit pro morte martyrij. Compatiamur igitur IESV, & patiamur libenter.

IESVS eſt via, veritas, & vita. Quam viam volumus habere ad verè beatam vitam, niſi vitam IESV, quæ tota fuit mors continua, & crucifixio perpetua? Sufficeret, vt nos æternè haberet IESVS dolentes & compatientes, atque omnem guſtum noſtrum abominantes, ob eam quam paſſus eſt in vltimâ nocte & die vitæ ſuæ omnium membrorum cruciationem, in quo à plantâ pedis vſque ad verticem capitis non fuit ſanitas. Lingua, quam non attigerant carnifices, ne ſine tormento maneret, videtur non minùs torta quàm alia omnia membra: ſiquidem de nullo artuum ſuorum dolore conqueſtus eſt patientiſſimus IESVS, niſi de ſiti; vt monſtraret etiam ea membra, quæ videbatur immunia, excruciata

Digitized by Google

excruciata habuiſſe. Neque magnitudine doloris inſenſibilia & ſtupida fiebant, ſed omnia valida, viuida, vegeta ad patiendum ſeruauit; ideò expiraturus clamauit voce magnâ: in quo etiam oſtendit feruorem numquam deficientem, quo negotium noſtrum egit in tam acerbis cruciatibus; & humilitatem, qua excepit mortem inclinatione ſui capitis; atque ſumma in reuerentiam, qua adimpleuit arduum Patris præceptum.

Plus tamen debent nos commouere quæ paſſus eſt per totam vitam in vno membro ſanctiſſimo ſuo corde: cuius dolor immenſus fuit à primo inſtanti ſuæ conceptionis, & durauit quàm diu vixit. Cor eſt, quo primò excruciatum fuit, & quod vltimò. Tantò magis doluit cor eius, quantò omnium reliquorum membrorum intolerabiles dolores in vno illo paſſus eſt, quod eſt omnibus membris delicatius. Non minor afflictio latuit in corde Iesv ab illo inſtanti, quàm habuit in horto, cùm ſudauit ſanguinem per omnia membra. Quemadmodum illic ex viuida apprehenſione dolorum & cruciatuum paſſionis ſuæ inſolitæ & terribili modo afflictus fuit: ſic etiam æquè intensè apprehendit eoſdem dolores in vtero amantiſſimæ matris. Cognitio enim Christi non fuit imperfecta, eo maximè tempore cùm negotium noſtræ redemptionis acceptauit; & propoſita fuit illius intellectui, ſine vlla diſſimulatione, omnis difficultas toleranda & vincenda. Apprehendit ibi intenſiſſimè ſuam paſſionem, labores innumeros ſuæ vitæ, opprobria & contemptus: ita afflixit illum ab eo tempore hæc cognitio ſuæ paſſionis, & plus fortaſſe quàm in horto, ſi inæqualitas fuit: nam in Gethſemani erupit exteriùs ſenſus doloris, diffuſuſque fuit per omnes artus, vt communicatus in toto corpore angor, minor remaneret in corde: at in vtero glorioſiſſimæ virginis Mariæ retentus eſt totus dolor intrinſecus in vno membro tenerrimo corculo infantis Iesv. Cùm quis lacrymatur, minùs ſentit afflictionem, quàm cùm recluditur angor in corde ſiccis oculis: ſic Chriſtus, dum non ſudauit & ſanguinem fudit, plus fortaſſe doluit, quia nulla particula angoris euaporata fuit: oportuit tamen ad noſtrum documentum monſtrari ſemel exteriùs, quantum paſſus eſt ſemper interiùs. Continuatus deinde fuit iſte mœror per omnem vitam. Perfectiſſimè & perſpicaciſſimè, vt in ſe erant, cognoſcebat ſemper omnia Iesvs. Niſi diuina diſpenſatione adiutus fuiſſet illo ipſo inſtanti quo cœpit viuere, mortuus fuiſſet præ doloris magnitudine: ideò maximum & continuum miraculum fuit vita Iesv. Nec ſolùm paſſio ſua eum afflixit, ſed multò plus compaſſio: habuit compaſſionem, conſiderans anguſtias ſuæ amantiſſimæ & innocentiſſimæ matris; habuit quoque compaſſionem noſtri: plus doluit omnia tormenta Martyrum, pœnitentias Confeſſorum, morbos & ægritudines Sanctorum, quàm ij ipſi qui paſſi illa ſunt. Si mater pia plus dolet ægritudinem filij, quàm ipſe filius: quis poteſt negare, Chriſtum dilexiſſe ſuos, plus quàm vlla mater vnicum filium. Verè labores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Quantus igitur erit dolor, ſi eſt maior quàm omnium Martyrum, Pœnitentium, & ægrotantium ſimul? Habuit prætereà ſuper omnia compaſſionem noſtri, & dolorem, ob omnia & ſingula peccata omnium & ſingulorum hominum, qui fuerunt, & futuri erant. Deficit mens, cùm quis conſiderat quàm immenſus hic dolor fuit, ſufficiens, niſi per miraculum impediretur, ad auferendam millies vitam. Si aliqui homines præ dolore peccatorum mortui fuerunt; quomodo non extingueret vitam Iesv dolor ſolius vnius & minimi peccati venialis vnius hominis, cùm omnem deformitatem culpæ perfectè conſideraſſet, tum Maieſtatem Dei Patris, contra quem eſt, atque vilitatem hominis à quo eſt commiſſa, & ipſe tantoperè amaret Patrem offenſum, & hominem offendentem? Sicut hanc charitatem nemo menſurare poteſt, ſic nec dolorem. Si tantum dolorem habuit de vno peccato veniali; quantum de omnibus & ſingulis peccatis venialibus & mortalibus adeò horribilibus & immanibus? Importabile pondus peccatorum tulit ille, qui ſuaue iugum & onus leue nobis impoſuit: nos autem oneramus Iesvm immenſo pondere iniquitatum; quod ſanguineum ſudorem ex corpore Iesv expreſſit, ſicut torcular ex racemo vinum. Si ab ipſo die quo peccauit Adam, vſquequò deſcendat Chriſtus iudicaturus homines, fuiſſet aliquis qui pateretur omnia ſupplicia Martyrum, morbos & dolores cunctos omnium hominum, non æquiualeret totum hoc huic dolori Chriſti: qui etiam ex eo quòd fuit angor ſpiritualis, acerbior ex ſuo genere erat, quàm corporales cruciatus. Habitabat in Chriſto plenitudo diuinitatis, & clara viſio Dei illum illuſtrabat: quæ tamen aliquibus effectibus non obſtitit; ſed diſpoſitum miraculosè fuit, ne per illam affluentia gaudij totum corpus & inferiores animi portiones occuparet, vt daret locum dolori, ſicut accidit in paſſione. At in corde Iesv dolenti pro peccatis noſtris, non tantùm dedit locum ſummæ triſtitiæ; ſed auxit ſummoperè propter altiſſimam cognitionem Dei offenſi: quò enim maior fuit cognitio Dei, maiorem dolorem cauſabat; & Chriſtus ſolus multò maiorem cognitionem intuitiuam Dei habuit, quàm omnia Cherubim & Seraphim, & reliqui omnes Spiritus, ac ſimul omnes homines beati. Amor quoque Chriſti erga Deum offenſum æqualis fuit viſioni diuinæ Maieſtatis; quare dolor eius nec explicari nec cogitari poteſt: nam non amiſit occaſionem patiendi quantum potuit, & decebat: imò miracula fiebant ſtupenda in ſuâ ſacratiſſimâ animâ, ne impedirentur dolores. Quomodo nos ſoliciti ſumus vt gaudeamus, & excogitemus artes voluptatum; ſi totum hoc patiebatur Iesvs in ſuo corde, cuius nemo debet recordari ſine lacrymis, & debet Chriſtianus recordari ſemper?

Quomodo, cor meum, audes gaudere? conſidera, quare Iesvs tuus paſſus eſt? pro peccatis tuis, vt te ſaluet. Quia ego offendi, ille ita me amat, ita cumulat beneficiis. Quomodo hic amator meus, & benefactor inimicorum, carbones ignis non cógerit ſuper caput meum, & erubeſcere me facit? quomodo carbones ignis non congerit ſuper cor meum, vt ardeam amore eius & deſiderio imitandi illum? Ponam

nam cor mœſtum Iesv vt ſignaculum ſuper durum cor meum, vt aliquando me inueniat ſecundùm cor ſuum amicum & cupidum patiendi. Compatere cor meum patienti Iesv, & conſolare illum patiendo. Quomodo vis conſequi miſericordiam per paſſionem Chriſti, ſi non habes miſericordiam Chriſti patientis? Tantam gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris. Sanctus Didacus Quiſay ne obliuiſceretur, præter frequentem commemorationem & pium affectum, ſcriptam in libello ſecum continuò geſtabat paſſionem Chriſti, in teſtimonium quòd inciſam in corde haberet, eamque ſingulis diebus legebat. Tam grata fuit Deo hæc memoria crucis Saluatoris, vt concederet, poſtquàm Societatem Iesv ingreſſus fuit, penitus conformari illi, & crucifigi pro nomine eius, ſuâque paſſione repræſentare mortem Filij ſui: rependitque Chriſtus iſtam memoriam ſancto Didaco; nam ſuper locum, vbi ille & alij plures Sancti pro Chriſto crucifixi fuerunt, ſingulis ſextis Feriis luces mirabiles in cælo apparebant; conformitatem paſſionis Chriſti & ipſorum approbantes & commemorantes. Iucundum eſt Chriſto recordari paſſionis ſuæ: ſiquidem vt eius memoriam haberemus, inſtituit admirandum ſui Corporis Sacramentum.

At ſi memor es Chriſti patientis; quomodo non es impatiens aduerſum te, tibique iraſceris? Rex Moab cùm nullam iam ſpem haberet, oppreſſus obſidione Iſraëlis; arripiens filium primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt. Ecce holocauſtum filij primogeniti & Vnigeniti Dei ſuper Crucem; cur non indignaris in te, & recedis ab omni voluptate & voluntate tuâ? Extraneis, imò animalibus compatimur: cur non Deo noſtro, Patri noſtro, Fratri noſtro? Proh inuerecunda pertinacia noſtra, qui loco compaſſionis rurſus crucifigimus Iesvm nouis peccatis! Recordare quòd Deus eſt, Pater tuus eſt, non inimicus tuus; qui patitur pro te inimico, non pro pecoribus campi, aut pro ſuâ ſalute, loco tui, non pro ſe, acerbiſſimum omnium ſupplicium crucis, in omnibus membris vulneratus, non dolorem tantùm aliquem capitis, aut ſtomachi; quia tibi & mundo benefaciebat, non quia vrbes incendit; publicitus in die feſto, & in monte, cum duobus latronibus, quaſi dux eorum; non recluſus, & clanculùm; omnium odio, opprobrio & plauſu, vt illi ſoli, qui eſt miſericordia ipſa, defecerit miſericordia hominum. Libenter nihilominùs & amanter patitur, non inuitus, non iratus, non querulus, quia pro te; à ſuo populo, non à Barbaris & Scythis; per triginta & tres annos, non per vnam horam. Compatere ergo Iesv, nec irrita hæc omnia facias: ceſſa peccare, incipe Iesvm imitari: vt multùm proficiat tibi paſſio ſua, fiat imitatio tua.

Reg. 3.

Capvt VI.

Quantum oporteat ſequi Chriſtum.

Non tentat nos Deus, cùm in difficilibus poſuerit ſalutem noſtram. Charum illi eſſet, ſiquidem tanta fecit & pertulit, vt eum imitaremur. Dicta hominis in poteſtate conſtituti habentur pro lege, & adimpleri debent: facta Dei cur non ſunt obſeruanda? Qui ponit cor Chriſti doloroſiſſimũ & humile vt ſignaculum ſuper cor ſuum, ponat etiam ſuper brachium ſuum, vt imitetur eum cui condolet. Dilectio non eſt mollis, ſed fortis; & amantem Dei, mors Chriſti excruciabit per compaſſionem, & æmulationem. Dura eſt imitatio Iesv: aliqui perinde vt infernum odio habent; ſed non poſſumus meliora chariſmata æmulari. Ne timeas falli, cùm crucem pro deliciis, opprobria pro honoribus, nuditatem pro opibus ſuadet; ſumma veritas eſt. Sapientia æterna & intellectus diuinus ita conſuluit, ita iudicauit expedire. Ne diffidas, ſumma Bonitas, ſumma Potentia eſt; his tamen rebus te redemit: iiſdem opus eſt perficias ſaluationem tuam: iiſdem inſtrumentis opus iſtud incipitur, & perficitur: per hæc Chriſtus aſcendit in cælum: & membra non decet aliâ viâ ire, niſi quâ it & ducit caput. Non ſunt venena: ipſe Chriſtus ſanctificauit & libauit priùs: imò vt parum tranſiret ad nos, totum ferè calicem laborum & dolorum hauſit; & tamen viuit in æternum, & ad dexteram Dei ſedet. Quomodo non operiet confuſio faciem tuam, dum videns Chriſtum maledictum ab omnibus, tu velis laudari? videns genuflexum ad pedes Iudæ, tu extollaris ſuper maiores? videns ſitientem, & carentem aqua, tu cupias abundare & deliciari?

Magna gloria eſt ſerui, ſequi Dominum ſuum. Imitatio Chriſti non ſolùm neceſſitas eſt, ſed dignitas: iam in hoc maxima pars difficultatis tollitur, & aliarum ſufficiens pretium datur. Si gloria eſt imitari Chriſtum, iam non erit arduum ferre contemptus & opprobria hominum. Siquidem iſtud honos erit ſummus: non eſt contemptus, vbi contemni eſt dignitas. Pro gloria quoque vera carere voluptatibus & ſuperfluis diuitiis, non eſt difficile: nam mundani & Ethnici plus fecerunt, & abſtinuerunt neceſſariis pro gloria falſa. Pudeat nos, quòd fuerint quidam Barbari tam fidi & amantes Regis ſui, vt ſi Regi deeſſent oculi, ipſi ſe excæcarent; ſi deeſſet manus, ipſi pariter ſibi abſcinderent dexteram; & hac fide in reliquis imitatores Regis ſui eſſent: cur in minoribus non imitamur Regem gloriæ qui vocamur fideles? Si Chriſtus ſolùm dixiſſet quid faciendum eſſet, licet ipſe non feciſſet, deberemus exequi: quantò magis, cùm ipſe primus fecerit, & fecerit vt nos faciamus; & non tantùm dixit, ſed laudauit & beatas prædicauit afflictiones? Si Propheta aliquis ſimpliciter dixiſſet, non haberemus excuſationem: quantò minùs, cùm ipſa Sapientia Prophetarum & os Dei exaggerauerit, & in ſe perfecerit? Non dixit Iesvs verbum otioſum; quantò minùs tot laudes & beatificationes pauperum & afflictorum? quantò minùs tot opera

otioſa

Digitized by Google

otioſa fecit? Si non oporteret nos pati, exemplaris vita Iesv otioſa fuiſſet, & ſuperuacaneus eius rigor nobis, qui charitate illius, qui ſuperabundanti pretio redemit nos, non moueremur, & tanto exemplo non doceremur ad amandum eius imitationem, & odio habendum peccatum & guſtus ſenſuum. Anne vanè voluiſſet Deus affligi ſuum Vnigenitum, ſi nihil referret facere quæ ipſe fecit, vt quos præſciuit & prædeſtinauit, fierent conformes imaginis Filij ſui, vt ſit ille primogenitus in multis fratribus? Non eſt Deus impius, vt ſiue causâ gauderet tam atrociter ſæuire in Vnigenitum dilectum. Animalia fera & crudelia, ſunt erga fœtus pientiſſima: quomodo Deus clemétiſſimus & miſericordiſſimus in Filium fuiſſet crudelis & tyrannus, ſi neceſſe nobis non eſſet pati? Peccata noſtra non requirebant tantos cruciatus, vt redimeremur? ſuperabundabat vna gutta, non dicam cruoris, ſed ſudoris Iesv: requiſiuit ergo illam tormentorum atrocitatem, vitæque auſteritatem, neceſſitas noſtra imitandi Chriſtum, & patiendi, quæ eſt regia cæli via. Aut Deus atrox & impius eſt; aut ſummè neceſſarium eſt nobis, humiles, afflictos, inopes eſſe, habere æſtimationem diuinæ charitatis & contemptum noſtrum,

Nemo iter cæli nouit, qui non ambulauit: nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Christvs Iesvs; & qui per viam, quam ille monſtrauit, incedit. Incognita via erat, nec potuit alius indicare meliùs quàm Iesvs qui nouerat illam & ambulauerat. Non fecit Iesvs, vt aliqui ruſtici ſolent; qui digito aut narratione oſtendunt viatoribus iter, ipſi tamen ſedent & manent domi quieti, nec ſoliciti ſunt deinceps, an errent rurſus viatores: nam prætterquam verbo docuiſſet ſemitam cæli, ipſe præit & præducit nos ne erremus. Dic mihi; ſi certi fuiſſemus, vt modò ſumus, de gaudiis cæleſtibus, pedibúſque foret opus peruenire ad illa, nec aliud requireretur ad conſequendũ, niſi ſcire viam omnino ignoratam, & aliquis illam annuntiaret nobis; quis eſſet qui non ſe accingeret ad iter, quantumuis ſalebroſum & difficile eſſet, præcipuè ſi ille qui demonſtraret ſemitam, vellet comitari nos & præcedere? Cur igitur Chriſto non credimus, & ſequimur? ánne putamus erraturos nos ſapientiâ Dei duce? anne putamus perituros præeunte Saluatore? Minime. Securam nobis viam monſtrauit Chriſtus, & præceſſit ipſe: tam certa eſt, vt etiam ſi moriamur in illâ, ipſum periculum & interitus ſit certior ſemita: quin ſi amares Chriſtum, non dubitares mori cum illo. Non amat Chriſtum, qui non imitatur: nam virtus amoris eſt aſſimilatio. O quis verè diceret, Viuo ego, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus; mortificationem Iesv in corpore meo circumferens, & in corde inferens!

Si igitur amas Filium Mariæ, & vis tabernaculum Dei fieri vt illa fuit; inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte Caluariæ monſtratum eſt, totámque vitam Iesv reſpice: ipſe elegit contemptus viuere, & mori: deriſus fuit, reputatus cum iniquis, non ſolùm vt idiota, ſed vt fatuus habitus: vt ſeruus vilis verberatus, vt ſceleſtiſſimus omni crudelitate punitus: ipſe honorem temporalem, ſi deferebatur vltrò, fugiebat: nullum non conuitium ſuſtinuit: Samaritanus, idololatra vocatus fuit, dæmoniacus, pſeudopropheta, ſeductor, guloſus, vorator, & potator vini, blaſphemator, tranſgreſſor legis: creditus conſpirator & proditor patriæ, peccatorum amicus. Quæ creatura poteſt dici, cui non ſe humiliauerit? Humiliauit ſe Angelis: quid opus erat vt veniret Angelus ad confortandum illum qui Deus erat, cùm verbo ſuo poſſet deſtruere Vniuerſum? quid opus fuit dicere, Angelorum legiones poſſe illum vindicare, & reſiſtere comprehenſoribus ſuis, quaſi ipſe non poſſet? ieiunus & famelicus quid opus erat vt acciperet cibum & velut eleëmoſynam ab Angelis, cùm ipſe poſſet lapides in panes conuertere? Humiliauit ſe hominibus, Matri & Ioſepho obediens. Humiliauit ſe impiiſſimis Principibus, Herodi, Cæſari, Cáiphæ, Pilato, iniuſta mandata adimplendo, oneribus & iudiciis eorum parendo. Humiliauit ſe hominibus vilibus & ſeruis, vt Malcho, carnificibus, & aliis. Humiliauit ſe creaturis omnibus, patiens in ſe ſæuire frigus, æſtum, ferrum, crucem, ſpinas, arundines, ſputa. Subiecit ſe denique dæmonibus: traditus eſt in horâ paſſionis poteſtati tenebrarum, & paſſus eſt duci ſe à diabolo ſuper pinnaculum templi. Nulla eſt creatura, à ſublimori vſque ad viliorem, ab optimâ vſque ad peſſimam, cui non ſe ſubiecerit Creator pro me: & qui omnia fecerat, & Dominus vniuerſorum fuit, nihil voluit habere vt me haberet, nullum prædium poſſedit, nullos redditus habuit: de eleëmoſynis tantùm accipiebat minora neceſſitate: vt mendicus veſtitus incedit, non vt Philoſophus, aut Doctor, aut Nobilis: inops etiam à veris amicis fuit, vt nullius fauore vna alapa dimiſſa illi fuerit: ſuo Regno & Principatu ſe expoliauit, ſeipſo ſuam maieſtatem occultans.

In quantum Deus quoque, ſimilia documenta humilitatis dedit. Humillima eſt tremenda illa infinitudo & omnipotentia Dei: elegit enim Diuinitas, propter hominem, quæ magis laborioſa videntur, & minùs honorifica. In creatione noluit facere hominem, ſicut fecit cetera, iubendo voce vnicâ tamquam Dominus, ſed velut ſeruiendo & laborando manibus ſuis, ac ſi ſeruus & figulus eſſet. In Redemptione quoque noluit redimere nos, vt poterat, aſſumendo aliquam honoratam & ſublimem naturam vt Seraphim; ſed viliorem omnium naturam rationalium qui infamati & ignobiles erant ob ſcelus primi Parentis, in ſe ruinoſam & caducam. In glorificatione, cùm nos ſatiabit gloriâ maieſtatis ſuæ, & vt ſummus Dominus remunerabit, miniſtrare vt ſeruus dicitur. Verè enim Filius Dei eſt Chriſtus, qui mores Dei imitatus eſt & docuit. Agnoſcens ſuum humilitatis ſpiritum in Chriſto, meritò dicit Pater: Ecce ſeruus meus, ſuſpiciam eum, dedi ſpiritum meum ſuper eum. Nihilominùs nos qui Chriſtiano nomine gloriamur, & filij Dei volumus eſſe, fugimus hæc quæ amauit Chriſtus Filius Dei. Quo alio maiori odio proſequeremur paupertatem, humiliationem, crucem, ſi Chriſtus præciperet nobis ſub interminatione inferni odiſſe illas, quàm modò horremus, cum promiſerit pro illis gloriam? Ita audimus mendacia verba mundi, ita

obedimus ſuggeſtionibus diaboli, ac ſi pro nobis crucifixus Satanas fuiſſet: ita auerſamur vitam, & conſilia Chriſti negligimus, ac ſi fatuus quidam & ridiculus amens in foro effutiiſſet.

Si Rex terrenus multò minora offerret militibus ſuis, eum omnes, etiam pro paruo ſtipendio, ſequerentur per rupes & niues; præſertim ſi parem habitum, victum, habitationem illis concederet, ac ipſe Rex vteretur, iam etiam ſine ſtipendio ſequerentur Regem ob ſolum pudorem: & nos nec ob amorem, nec pudorem, nec timorem, nec lucrum, concitamur ad ſequendum Regem Regum & Dominum Dominantium. O ſi tam fidelis Chriſto eſſem, vt Ionathæ fuit adoleſcens armiger ſuus! fac omnia, dixit, quæ placent animo tuo; perge quò cupis, & ero tecum vbicumque volueris. per ſcopulos, per mucrones, per hoſtium arma irruit, ne iret ſolus filius Regis. Aſcendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum. Quomodo Chriſtum relinquimus torcular calcare ſolum, & nemo eſt qui cum eo ſocietur in paſſionibus & laboribus? non eſt tam formidabile quod pro Chriſto pati communiter cõtinget, ac fuit quod armiger ille aggreſſus eſt pro Ionathâ. Quis miles relinqueret Regem ſuum in medio hoſtium exercitu, & ſanus & lætus auderet redire domum, & non potiùs mallet cùm illo cadere? cur nos relinquimus Chriſtum ſolum? Ipſe iure queritur: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Etiamſi nullius auxilij futurus miles eſſet, nullaque ex ſocietate illius vtilitas ſequeretur, non debet deſerere Regem: quid erit, cùm tanta vtilitas tibi ſit, & Regi Regum Christo Iesv conſolatio paſſionis ſuæ, & finis eius intentus, qui eſt imitatio ſua? Aut opus eſt deponere nomen Chriſtiani, aut aſſumere quæ Chriſtianum faciunt. Si ſequi Chriſtum nolis, dic quem ſecuturus es? neceſſe eſt, vt ſequaris diabolum principem huius mundi. Talem ducem fugit, qui inſiſtit veſtigiis Iesv; vt deberet id facere ſolùm vt fugeret: talem ducem ſequitur, vt deberet ſequi, etiamſi alium malum non fugeret; quantò potiùs cùm hæc duo copulantur, ſequi optimum, fugere peſſimum; ſequi Deum, fugere Satanam?

Malitia noſtra ſolùm eſt, quòd non faciamus quæ Chriſtus docuit & fecit: nemo poteſt ſe excuſare quod non poſſit: iis rebus poſita eſt noſtra ſaluatio & perfectio quas quiuis poſſet habere: pauper quiſque poteſt eſſe: patientes omnibus licet eſſe: non ambire honores in manu eſt cuiuſque. Hæc eſt ſapientia & amor Dei, vt ea elegerit, quæ omnibus paterent, & ſine labore poſſent obtinere. Neminem excludit à ſuo Regno; & nemini voluit deeſſe, quæ ad conſequendum illud opus eſſent. Si in diuitiis, honoribus, voluptatibus conſtitueret ſalutem noſtram, plures quàm modò damnarentur: nam pauperum, ignobilium & afflictorum numerus eſt innumerus, & tunc eſſet maior; nam quò plures vellent eſſe diuites & felices, pauciores forent. Quid iam dicam tibi, ſi non vis amplecti paupertatem, humilitatem & crucem Iesv, nec vides immenſum bonum quod eſt in imitatione eius, niſi quòd hoc eſt quod dicit ipſe, Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris? Tu illud non vides, quia ambulas in tenebris, dum non ſequeris Iesvm.

Capvt VII.

Quòd patienter ferendæ ſint neceſſitates & ærumnæ à Deo immiſſæ.

SI non vis ſequi Chriſtum, ſaltem ne fugias illum: ſi non audes imitari, cur audes repugnare, & contemnere eius ſimilitudinem? intolerabilis inuerecundia eſt & miſerabilis cæcitas, cùm ſuperabundans charitas Dei adeò beneficentiſſima aliquibus ſit, vt illos etiam reluctantes faciat conformes Filio ſuo, non expectans quòd ipſi in hoc laborent, ne fortè deficiant in pugnâ & difficultatibus vltrò ſe aſſimilandi vitæ Chriſti; ſed ipſe Deus propriâ manu id dignetur facere, concedendo paupertatem, occaſiones humiliandi ſe, & labores; ipſi tamen renuant, & tam abſint vt velint ſimiles eſſe Vnigenito Dei, vt pudeat illos paupertatis, & omnium de quibus gloriatus eſt Dominus gloriæ, omnibuſque viribus & artibus fugiant Iesvm, quem ſequi tenentur. Gratias deberent agere Deo, quòd ſine labore ſuo & ſine vllo periculo (non enim tunc vana præſumptio aut inanis gloria locum habet) ſimilitudinem Vnigeniti ſui dederit quæ tantoperè illi placet; & præ ſummâ indulgentiâ erga ipſos cùm alios vocet ad imitationem Chriſti, illos locet in illâ. Sed ingrati reluctantur, vt euadant ſimiles ſuperbo Lucifero; imò ſuperbiores: nunquam Lucifer ſe putauit meliorem Deo; illi verò tamquam ſi eſſent maiores, cùm Iesvm afflictum ſine culpâ videant, ipſi ob infinitas culpas ſuas nolunt tangi: & ſe, qui peccatores ſunt, volunt haberi velut meliores, & minùs dignos ſupplicio, quàm innocentiſſimum Iesvm. Cur indignamur cùm aliquid aduerſum accidat? nam ſi culpa noſtra præceſſit; inſolentia ſumma eſt, nolle ſe peccantem & nocentem affligi, qui videt Chriſtum innocentem punitum. Si nulla culpa præceſſit, magis gaudeat, quia magis conformis eſt Chriſto, qui ſine culpâ crucifixus fuit. Culpam, quam non commiſiſti in causâ, ne committas in labore ob impatientiam; quando gratias dupliciter acturus eras, & quia affligeris, & quia ſine causâ innocenter. Quando tribulatur aliquis propter culpam, patientiam ſaltem debet habere: quando ſine culpâ, lætitiam quoque: maius eſt tunc augmentum gratiæ, maior ſimilitudo Iesv inculpati, & ſpes melioris profectus, cùm non tam ſit hæc afflictio ad emendandum præterita peccata, quàm ad augenda etiam merita futura & præſeruandas culpas: agnoſcat in ſe ſummam indulgentiam Dei, qua vſus eſt cum Matre ſua, præſeruando illam. Chriſtus paſſus eſt cruci pro te affigi à ſceleſtiſſimis hominibus: cur tu à Deo tangi non feres patienter? melior & beneuola manus te moleſtat.

Filius cùm verberatur à patre, ſi nimiùm clamet & ploret, plus ſolet verberari; &, iam non percutitur ob culpam antiquam, quantum ob nouam clamoris impatientis: ita quando ægrè fers laborem à Deo immiſſum, flagellum diuinum;

Digitized by Google

diuinum; accidit vt plus aggrauetur, quia murmuras, quia queris, quia ſine patientia es. Sufficiens culpa eſt, vt te puniat Deus, contemnere ſimilitudinem filij ſui, non agnoſcere culpas tuas, impatientem eſſe. O Rex gloriæ, in quem deſiderant Angeli reſpicere! faciem tuam non auertiſti ab increpantibus & conſpuentibus in te; genas tuas dediſti vellentibus, corpus tuum percutientibus, improperium expectaſti & miſeriam pro me: cur ego miſer fugiam & auertam me à Deo & Patre meo correptore & benefactore meo? Gaude anima, conformando te ad exemplum Filij Dei in neceſſaria paupertate, tribulatione, humiliatione, opprobriis. Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quia digni habiti erant pro nomine Iesv contumeliam pati ſanctus Paulus Miqui, noſtræ Societatis, ibat gaudens ad conſpectum populorum; præciſa aure, vt maior ignominia eſſet, miſſus per vrbes ad contumeliam popularem, & publicam infamiam: deridendus cunctis, ipſe tamen prior ridebat, frontem feſtiuam oſtentabat, patentem, erectam, iucundam, quaſi triumpharet ſolùm ob ſimilitudinem Filij Dei; eámque metuit in ſe vſque ad crucem perfici, quam alacris amplexus eſt. Tu ſi non vis ſolari Chriſtum, eius crucem ſuſcipiens; ne contriſtes Spiritum ſanctum, illam reiiciens: quam non quæris vltrò, inuentam & oblatam ne recuſes fruſtrà. Si Iesvs, cùm in itinere ad mortem Caluariæ cecidit cruce onuſtus, vellet vt tu pro eo ferres illam, ánne illud excuſares? quid ſi manibus propriis impoſuiſſet humeris tuis, ánne reſiſteres & repelleres? an potiùs oſculareris horridum illud lignum, & manus illas ſacroſanctas adorares? imò non tantùm ferre crucem, ſed crucifigi loco Chriſti exoptares & peteres. Ecce crucem huius doloris, huius humiliationis, huius neceſſitatis, impoſuit tibi Deus: cur reiicis? leuior eſt quàm Crux Chriſti. Si compatiens non vis conſolari Iesvm, conſolare te compatienti Iesv.

O conſolator animarum, quid mihi accidere poteſt, cuius non inueniam abundans remedium in tuis neceſſitatibus? Si langueo, in te à planta pedis ad verticem capitis non fuit corporis ſanitas: vir dolorum, & ſciens infirmitatem, verè languores noſtros tuliſti, & dolores portaſti. Eſurio? tu famelicus fuiſti poſt quadraginta dies ieiunij, & tantoperè eſuriiſti, vt propter famem exiſtimaret diabolus te poſſe inclinari ad peccandum. Sitio? & tu ſitiiſti in cruce, nec fuit qui daret potum: ego nec in cruce ſum, & inueniam qui præbeat potum. Frigeo? tu algebas in præſepio. Quiete priuor? etiam te dormientem in naui excitauerunt Diſcipuli. Iniuria mihi fit? tu ad mortem innocenter fuiſti condemnatus. Patior contumeliam? tu publicè à Pilato productus ad populum fuiſti, dicentem, Ecce homo. Defeſſus ſum; tu defatigatus ex itinere ſuper fontem ſedebas. Falsò inſimulor? tu in domo Caiphæ falſiſſimè accuſatus fuiſti. Reprehendor ob bona opera? tu quòd in ſabbato benefaceres. Detrahor? de te murmurabant quòd in principe dæmoniorum eiiceres dæmonia. Irrideor? tu ſubſannabaris à dicentibus, Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Aſperè mihi reſpondetur? & tibi aſperiùs? inſuper & colaphum impegit impius miniſter. Deſeror à familiaribus? tu à Diſcipulis fuiſti deſtitutus. Diſcedo à cognatis? tu à Matre ad patiendum profectus. Contemnor in meis conſiliis? tua quoque doctrina ſpreta fuit, & eſt. Premor tentationibus? tu quoque tuliſti eas in deſerto. Doleo ob lapſum fratris mei? tu doluiſti diſcipulum apoſtatam, & deſerentem veritatis ſemitam. Doleo ob defectus proprios? tu vidiſti eos priùs, & doluiſti. Defectum deuotionis ſentio? tu clamaſti, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me? Quis igitur labor eſt, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, cuius non habeamus refrigerium in Chriſto priùs laborante pro nobis? Hoc eſt quod dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O dulciſſima promiſſio, quæ ſolùm audita recreat! Si Chriſti labor aufert noſtrum laborem, quantò magis eius gloria auferet? ſi ita neceſſitates Chriſti auxiliantur nobis, quid faciet potentia eius & diuitiæ? Sed auxilium iſtud, clementiſſime Domine, ſolùm exopto, vt patiar tecum; non vt me conſoleris in hac vitâ, in quâ nec corporale nec ſpirituale gaudium cupere debet anima, niſi ſolùm pati tecum, & pro te.

CAPVT VIII.

Qualiter puritas corporis iuuet ſpiritum.

QVi cœnoſam & inſalubrem regionem incolit, non eſt mirum, ſi langueat ſæpè; qui propitiam & puram, valebit: ſic anima in puro corpore benè ſe habet; in immundo & cœnoſo ægrotabit. Velut in prato florido & fragranti, eſt mens in carne mundâ. Corpora caſta ſunt deliciæ Dei; quid mirum, ſi ſint animabus ſalubria? mentem liberam relinquunt vacare Deo, ſine vllâ rerum temporalium curâ: lætificant conſcientiam, ſpreta ſenſibili voluptate, & amato Deo ſine impedimentis. O amor meus, ô veritas ſinceriſſima & puriſſima, ſi quidem non ſolùm debeo tibi ô Deus cordis humani dimidium mei, ſed me totum; non tantùm mentem purificabo, ſed corpus ſanctificabo. Membra Chriſti ſumus; ne deformitatem in pulcherrimo corpore efficiat vnus artus corruptus & fœdus. Quæ pulchritudo eſſet ſponſæ formoſiſſimæ, ſi putridum naſum haberet, aut ora & genas vermibus ſcatentes? Corpus Chriſti glorioſum, millies eſt ſole purius & fulgentius. Membrum Chriſti immortalis es, ô homo mortalis: conſidera, quantum corporis ſanctitatem curare debeas, &, quoad poſſis, imitari immortalitatem & incorruptionem, ne diſſones illius puritati. Vnus ſpiritus cum Chriſto & vna caro fis cum illo per ſanctiſſimæ eius carnis communionem: ne macules tuam carnem, quæ iam per quamdam mirificam realem vnionem eſt Chriſti caro. Veſte maculata & turpi ſi indueres imaginem alicuius Sancti, ſacrilegum putares: cur ſaltem non erubeſcis, carnem quæ eſt Chriſti viuentis fœdare, & membrum & maculatum & obſcœnum ei adiungere: Regiam ipſam purpuram, ſi cœno

& luto immerſa maderet, nolles tu induere: cur carnem tuam luto & fœtore infectâ geſtare deſideras, & vis eſſe partem Corporis Chriſti?

Quemadmodum in vitâ æternâ & animæ & & corpora noſtra in maximâ puritate Deum glorificabunt: ſic in hac vitâ & animæ & corporis puritate debemus illum colere. Non ſolùm per ſanctitatem animæ quæras beatitudinem eius; ſed etiam per ſanctitatem carnis tuæ merere beatitudinem & reſurrectionem corporis, ne voluptate aliquâ pellectus, concedens te mortali tuæ parti, te ad mortem condemnes. Sed diſce iam in carne eſſe vt ſpiritus Angelorum, vbi nec nubent nec nubentur. Diſce iam incorruptibilitatem, & eſſe ſingularis naturæ & vitæ abſtractæ à ſenſibus. Puritatem cæleſtium thronorum, in quibus Deus conſidet, debet æmulari corpus tuum, cùm ſit templum Spiritus ſancti, electum vt ſit vas honoris. Chriſti bonus odor ſumus: Chriſtus vndique puritatem ſpirat, virginitate ſtipatur, caſtitate delectatur. Ferè in mundi calamitatibus, caſtitas fuit quaſi ſolatium Dei, & compenſatio illius damni: ruinam Angelorum prouidit præcipuè & excellenter reſtaurare ex Virginibus & caſtis, & per virgines & caſtos; matrem & præcurſores virgines ſeligens, diſcipulos & Eccleſiæ principes & excellentiores Sanctos pleroſque virgines etiam, vel continentes, aut iam ſine coniuge, aut ſeparatos ab illâ, & omnes caſtiſſimos: lapſum Adami ſubleuauit ſpe Virginis contrituræ caput ſerpentis: ex naufrago mundo quos ſeruauit, ſeruauerunt in arcâ caſtitatem: in cruce ſe conſolatus Chriſtus eſt matre & dilecto diſcipulo virgine. Quomodo non amaret caſtitatem & virginitatem, qui vtrumque parentem virginem habuit, & totum ſuum eſſe à virginitate communicatum? Patrem virginem Chriſtus habet ſecundùm naturam diuinam, & matrem virginem ſecundùm naturâ humanam: adhuc figuram patris ſui voluit eſſe virginem ſanctum Ioſeph, vt ſuſtineret ſolum nomen & titulum parentis. Figuras etiam ſuæ innocentiæ & obedientiæ virgines Abel & Iſaac elegit. Primitiæ emptæ ex ſanguine Agni virgines fuerunt: ſic Agnum ſequuntur quocumque ierit, quidquid agunt, quidquid dicunt, imitando Chriſtum, & modeſtiam eius; quæ tanta fuit, vt nullâ notaretur infamiâ pudoris: & cùm multa falſa aduerſus Iesvm excogitarent & multis modis calumniarentur Iudæi, ſine ſpecie aut probabilitate aliqua; numquam illum accuſarunt impudicitiæ, licet ſcirent eum mulieribus collocutum fuiſſe, ob ſummam modeſtiam & pudorem vultus ſui, quæ ſola refellebat omnem ſuſpicionem & calumniam minoris caſtitatis. Præcipuè in viſu ſeruandus eſt modus: nam, vt S. Orentius monet,

—— amor, vt lacryma quas fundi iniuria cogit,
Ex oculis ſurgit, pectoris ima petit.

Ex oculis facilis & decliuis via ad cor eſt. Venerabilis ille ſeruus Dei frater noſter Alphonſus Rodericus, per quadraginta & ſeptem annos nullum feminæ vultum aſpexit, nullaque alia iucunda videre volebat: infixa cordi eius manſit per omnem vitam ſumma modeſtia oculorum Chriſti, ex quo ſemel illi apparuit, vt ex illorum dumtaxat memoria mirè componeretur: ſic conſeruauit ſuum cor puriſſimum, & intrinſecus cum Deo lætabatur. Fuge tu quoque exteriorem dilatationem, ſi internam & externam puritatem deſideras.

Capvt IX.

Studium mortificationis continuum.

Non prætereat te occaſio faciendi bona, & patiendi mala: qui mutuò acceptum aſellum habet, non conſentit otiari. Dubitare poſſet quis, vtrum ſit pretioſius, malum tolerare, an bonum operari? Sed certò ſcio, nihil mihi poſt Deum eſſe pretioſius, ſine quo nec Deo nec Sanctis poſſum eſſe pretioſus. Illud quidem pretioſiſſimum eſt, cùm vtrumque coniungens aliquis benè operatur malè ſe habendo. Ne nimiùm, ſpiritus afflicte, te contriſtet difficultas virtutum, & importunitas paſſionum: potiùs gaude de materiâ meritorû. Aggredere, & vince: non tanti ſit meritum in pace vitæ, quàm in patientiâ vitæ, in oppugnatione inclinationis ſiniſtræ, in ſtrenuitate obſequij, in violentiâ atque patientia tui, & cruce Chriſti. Ne ægre feras, te locupletioribus & pluribus inſtrumentis promerendi ditatum à Deo eſſe præ Angelis: corpus tibi copulauit, vt quot ſenſus habet & diuiſiones potentiarum animæ, tot organa meritorum haberes, tot ſcilicet cruces: iſta corporis ſupellectili ſupra Angelos locupletaris: plus voluit de te confidere Deus, vt inueheres in cælum grauiſſimum fimum terræ. Angelis ſolùm cura fuit impoſita, vnicum & ſincerum ſpiritum ſuum ſeruare: at humanæ animæ, cùm debilioris naturæ ſit, duplicata ſunt onera impoſita; & ſe, & carnem moleſtam, euehere ad æqualitatem Angelorum & gloriam cæleſtem. Angelos in procinctu, expeditos, ſine vlla ſarcina; homines impeditos & oneratos mole corporis, & mille crucibus onuſtos, ad iter cæli idem & æqualem dignitatem vocari iniquum videbatur, cùm ſit præterea imperfectior & infirmior anima quàm Angelus: ſed cum gratia Dei ex ſociæ carnis moleſtiis fieri compenſatio poteſt ad merita, vt æquet aut ſuperet dignitatem angelicam. Si ſcias grauitate tua vti, magis te attollet: ſaltatores vt ſe magis alleuent, ſumunt pondus aliquod prehenſis in manibus petris: corpus tuum te iuuabit, ſi vim inferas. Non leue hoc negotium, ſed magnæ contentionis eſt: ne difficultati parcat lucrum ex conatu. Vt ſaxum aliquod in turrim euehatur, quanta machina & conatu indiget? vt molem terræ tuam ſupra aſtra attollas, non fiet ſine violentia & machina ſanctæ crucis.

In hoc mortalitatis ſtatu non minores Sancti ſunt, poſtquam redemit nos Filius Dei, quàm in ſtatu innocentiæ forent: quare æqualiter fiunt ſancti in breuiſſima vita, ac fuiſſent per plura ſæcula annorum, ſi immortales homines permanſiſſent. Compenſat multitudinem annorum multitudo ærumnarum, cum gratia Iesv. Copioſior fuit Chriſti redemptio, quàm præuaricationis damnum: & tamen noluit Chriſtus neceſſitates carniſque moleſtias auferre, nec affectuum rebellionem penitus tollere, ne materiam merendi compendioſam

præ

prædeſtinatis ſuis ſubtraheret ; vt illo citiùs Redemptor præſentaret ante faciem Patris æquis aut maioribus meritis, ac per multa alioqui ſæcula acquirerentur. Qui per crucem vicit mundum , vult vt per crucem te vincas. Vber gratia Chriſti geſtit in ineptâ reluctantique naturâ : ſe iuuat ex ipsâ repugnantiâ ad magnitudinem meritorum. Maior triumphus eſt, vbi hoſtis fortior. Igitur ne graue putes, tibi ipſi eſſe granem : ſed violentiâ & patientiâ tuâ fruere, occaſione merendi, vincendo, ſacrificando, crucigendo te in omnibus. Chriſti gratia ne vacet tibi Pugna & crux eſt neceſſaria, vt quadam neceſſitate bonus ſis. Quidam duces poſtquam in terram hoſtium appulere, combuſſerunt aut fregerunt rates, vt abſque ſpe fugæ certarent milites inuincibiles : ſic Deus nobis alligauit hoſtem. Quid ſperamus poſſe fugere bellum ? neceſſitas pugnæ ad victoriam & merita nos neceſſitet. Per crucem nos redimit Chriſtus · per crucem nos ſaluari oportet, moriendo vbique, vt vincamus & viuamus per patientiam noſtram. Via ſaluationis rectà dicitur via perditionis : perde & ſigna ſenſus cum cruce Chriſti, & ſalui erunt : eſto cæcus, & erue oculos tuos, ſic videbis benè : eſto ſurdus, ſic audies benè : eſto mutus, ſic benè loquêris : eſto ieiunus, ſic benè guſtabis : eſto ſine manibus, & negotiis, ſic benè operaberis : eſto tibi odioſus, ſic benè amabis : eſto mortuus mundo , ſic benè viues: eſto timidus, ſic ſecurus eris : eſto tibi vilis, ſic honoraberis: eſto laborioſus, ſic eris in quiete: ſuſtine omne malum, ſit habebis omne bonum, quod eſt in cruce.

O Deritas , ô Ieſu amantiſſime, ſi te amo, quomodo poſſum odiſſe crucem quam tu amaſti ? quomodo fugiam crucem , quam ſolùm fugiunt dæmones qui te oderunt ? opus diaboli eſt fugere crucem , opus Chriſti mori in cruce : quémnam imitetur Chriſtianus, videat: victoriam ſui atque abrenuntiationem amplectatur, nec pro voluptate futili, aut impatientiâ leuis incommodi, ſe reuellat à Chriſto, & priuet merito & ſatisfactione. Ne velis excuſare quod inexcuſabile eſt : etiamſi ſalueris pati opus eſt, ſiue in hac vitâ , ſiue in purgatorio , vbi ſteriliſſima eſt patientia, Si neceſſarium eſt pati ; vtrúmne commodius erit, in hac vitâ, vbi leuiſſimis afflictionibus ſantisfacis pro grauiſſimis cruciatibus & peccatis , & prætereà lucraris gloriam augendo merita ? an in purgatorio, vbi ſummis cruciatibus parum ſatisfacies, & prætereà nihil mereberis ? Meritum nullum ſatisfactio exigua, cruciatus ingens in purgatorio eſt : in hac verò vitâ leuiſſimus cruciatus , ſatisfactio ingens & meritum plurimum. Quis mercatoreo tempore vellet emere res, cùm deteriores ſunt, & pretia maiora; & nollet tunc mercari, cùm ferè gratis dantur?

Præcipuè tamen ama pati ob amorem Chriſti. Quis amplexatus IESVM, relinqueret illum ob calicem aquæ , quem effudit Dauid ? Dic mihi, ô amator ſiue deſiderator IESV : ſi in alterâ crucis parte ad tergus Chriſti cum dilecto tuo crucifixus eſſes in Caluariæ monte pariter pro gloriâ Dei ? & Chriſto promittentibus aliis, credituros ſe in eum & agnituros pro Filio Dei, ſi deſcenderet, nihilominùs nollet te deſerere, nec deſcendere ; efferretur etiam tibi velut puerulo buccella aut pomum, vt oblatum Adamo fuit, dummodò deſcenderes de cruce , & relinqueres ſocietatem IESV dilecti ; an illam deſereres ? O pudor noſter ! quàm ſæpè, ob leuiſſimam voluptatem aut voluntatem noſtram, deſerimus crucem, & relinquimus IESVM ſolitariè patientem ſine ſolatio noſtræ ſocietatis?

Age anima à Chriſto in cruce redempta, ſequere IESVM tollens crucem tuam, & abnegans te ipſam, diſce, quid ſit negare ſe, ex eo quod eſt negare alterum : qui alium negat , ſiue cognatum ſiue amicum , licet eum percuti videat, ſiue in paupertate eſſe, ſiue in carcere, non adeſt illi, nec opem fert, nec dolet in eius afflictionibus : ſic oportet cum corpore noſtro agere, & ſic affici ; ac ſi alter homo, aut inimicus noſter, pateretur laborem illum. Non ſufficit tollere crucem ; ſed abnega te moriendo in cruce, in quâ crucifigaris cum IESV tuo. in nullo voto cordis, aut motu corporis , arbitrium habeas proprium ; quemadmodum qui in cruce confixus eſt , non habet iam poteſtatem mouendi pro voluntate membra ſua , nec faciendi quod vellet. Qui crucifixus eſſet, nec præſentes res iam conſideraret, nec prouideret in futurum, nec concupiſceret nouas diuitias, nec delicias quæreret; ſed ſolùm intuitum dirigeret in aliam vitam , & adhuc viuens ſe computaret inter mortuos : ſic qui crucifixus cum Chriſto vult eſſe, iam inter defunctos ſe exiſtimet; non ſolùm mortuum voluptatibus & vitiis, ſed huic luci Solis.

CAPVT X.

De ſufficientiâ & bono paupertatis.

QVi habet Deum, quid ampliùs opus habet ? aut quomodo non pudebit habere aut cupere alia ? In ſumptuoſo apparatu, & aureâ ſupellectili & abaco, luteum vas , immundum, & informe nemo non potiùs concideret in mille fruſta, quàm haberet, ne abſonaret & offenderet videntes illud inter tot res pretioſiſſimas & gazas, & riderent ruſticitatem domini. O infinita Maieſtas, & pulchritudo pretioſiſſima ! quomodo ad latus tuum audeo aliquid terrenum congregare , & tecum vnà poſſidere ? omnia corda hominum qui fuerunt, ſunt, & erunt, & omnes voluntates Seraphinorum & reliquorum Spirituum, non ſufficiunt vt occupentur in Deo : cur ego puſillus homo vnicum cor meum occupabo in aliis rebus, & non expediam vt tradatur Deo meo ? Si habeo aliud præter Deum ; nec aliud plenè poſſideo, nec Deum : ſi nihil habeam niſi Deum ; non tantùm poſſideo Deum, ſed fruor Deo, & omnibus. Quis tam amens eſt, qui, ſi pro centum aureis lucraretur mille, non daret pauciores ? An fortaſſe minùs valet Deus, quàm mille aurei ? cur non dant homines pro Deo, non dicam centum, ſed res minimas, quæ adhærentes cordi noſtro extinguunt deuotionem, & aliquando vel abiiciunt Deum, ſi intus eſt, vel vt fortiſſimi muri reſiſtunt, ne ingrediatur? O pretium inæſtimabile paupertatis ! quæ vectes cor-

dis frangis, vt in hominem intret Deus; & ianuas cæli reſeratas, vt homo illuc ingrediatur.

Si cuidam Ethnico ſine fide, ſtupenti tamen pulchritudinem viſibilem aſtrorum & magnitudinem cælorum, diceretur; Quid dabis, vt proximè videres ſtellas vno die, & contrectares manu materiam illam ex quâ conſtant? nónne daret quidquid haberet, ſaltem curioſitate motus, vt breui ſpatio illuc eueheretur, aut ſaltem fruſtum alicuius ſideris in terrâ oſtenderetur? quantò plura debent fieri, & dari pro aſcenſu in cælum, non vnâ die videndum, ſed per totam æternitatem poſſidendam, & ibi dominandum? Quantò pluris debet fieri, habere in terra Deum ad te deſcendentem, & intra te manentem, quàm ſi detractum fragmen de ſole tibi ſemel monſtraretur? Si hoc ita eſt, quæ cauſa eſt amentiæ noſtræ, vt contemptis ſpiritualibus amemus temporalia, niſi quia languet fides noſtra? quæ ſi viuida eſſet, prima vice qua audiſſemus dictum Chriſti, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum; vix vltima ſyllaba fuiſſet pronuntiata, cùm iam renuntiauiſſemus omnibus quæ poſſidemus.

O pudor noſter! Philoſophi fuerunt, qui vt iſtud cælum materiale ſolummodò expeditè conſiderarent, reliquerunt omnia ſua bona, aurum, argentum, & quidquid habebant: & nos vt ſimus Domini cælorum, recuſamus dare minima. Ethnici, qui immortalem animam negabant, conſulebant & eligebant paupertatem, pro breui commoditate huius vitæ, vt ſine curis illam ducerent: & nos pro iſtius vitæ commodo, & æternæ ſpe, nec volumus cupere hanc virtutem. Plus valet tibi pax temporalis & lætitia cordis tui, quàm omnia Regna mundi: quanti pluris faciendum eſt gaudium æternum, & ſuper omnia quanti faciendus eſt Deus? Viliſſimum eſſet pretium omnes theſauri Crœſi, & diuitiæ Salomonis, & Monarchia Auguſti aut Traiani, vt vnam alapam acciperes pro Deo: cur minoris non emis à Deo accipere oſculum amicitiæ, amplecti & poſſidere illum, & facie ad faciem videre? Adam cùm eiectus è paradiſo fuit, poſitâ cuſtodia cum gladio flammeo & verſatili, ſi non habuiſſet redemptorem Chriſtum, ſed poſſet pecuniis corrumpere Cherubim, vt permitteretur iterùm intrare ad priſtinum & felicem illum ſtatum, vbi tam pauper vixit vt non haberet veſtitum, nonne daret omnia quæ poſſideret in terra iſta fecunda tribulis, & irrigua ſudore ſuo? quantò magis debemus nunc facere, vt ad amplexus & gloriam Dei veniamus, vt lucremur ipſum Deum? An fortè excuſabimur, quòd habeamus redemptorem, cùm potiùs proinde magis obſtringamur, ſi gratitudo aliqua eſt in nobis, ad imitandum illum, & parendum eius monitis, & credendum eius verbis, qui difficilius dixit eſſe, intrare diuitem in cælos, quàm camelum per foramen acus?

O amabiliſſime Domine, ſi tu es pretium paupertatis, accipe mea, & me primum. Vtinam tam pauper eſſem, vt nec me haberem! nam ſatis diues eſt, qui ſe habet, cùm poſſideat hominem. Qui alia reliquit, & non ſe, nihil magnum facit contemnendo ea quæ ex ſe terra & puluis ſunt; quæ mali quid plerumque habent, & quibus mali ſimus, quibus acquirendis angimur, acquiſitis timemus, ablatis dolemus. Nihil magnum eſt, relinquere quæ nos relictura ſunt, & interim multis modis lædunt. Te ipſum, Domine, pro homine dediſti homini, factus homo, vt iſto commercio hominem comparares, non diuitias hominis: ſe ipſum reddere debet homo, nec ſe credat pretioſiorem Deo. Iniuſtiſſimum eſt, ſi ſe homo deneget Deo, qui tanto pretio ipſum emit. Æſtimet Deum homo, & vindicet iniuriam Iudæ, æſtimantis IESVM triginta argenteis dumtaxat. Æſtimet Chriſtum Chriſtianus pluris quàm mundum, & creatura pluris taxet Deum quàm ſe ipſam. Qui alia reliquit, & non ſe, non minuit cupiditatem, ſed auget ſæpè. Priuatio eſt cauſa appetitus, & defectus rerum excitat cupiditatem: pro eo qui omnia eſt, iuſtum ſolum pretium ſunt omnia. Omnia relinquenda ſunt, in quibus ipſe homo continetur: nam retento appetitu, etſi cetera relinquantur, inſtaurabitur cupiditas, quæ eſt quod ſolum nocet: non enim rerum ſubſtantia eſt mala, ſed concupiſcentia.

Non tantùm poſſeſſiones ſunt relinquendæ, ſed cupiditates. Non ſufficit relinquere quæ habes, ſed opus eſt non quærere alia, nec oblata & data admittere; nec mutuata quoad poſſis ad vſum accipere. Non eſt quod nocet proprietas rerum, ſed vſus, gaude minùs quàm reliquos habere, fugiens ſingularitatem, quæ in perniciem ceterorum exemplum mali præſtat. Singularis fera eſt, quæ depaſcitur vineam Domini: plerique viri Religioſi minùs in hoc cauent; putant non inquietari ſpiritum, dum non ſint ſoliciti & cupidi: at quando abſque ſolicitudine ſuá & cupiditate aliqua res offertur & datur, putant abeſſe periculum, cùm maximè ipſi non ſint ampliùs de aliis rebus ſoliciti. Verùm non abeſt: quia etſi non ſit periculum in acquiſitione rei, eſt in poſſeſſione & vſu. Sunt ipſæ res famelicæ aliarum: quare etſi homo non habet in ſe cupiditatem aliarum rerum, ipſæ res habent, à quibus auget ſibi poſſidens cupiditatem: aliæ enim res indigent aliis. Præterea ſi reliquiſti tua, cur vis vt factum tuum reſcindat alius? quod iuxta conſilium Chriſti tu probaſti, cur conſentis quòd improbat alius? an quia putas poſſe quoque ea data rurſus te dimittere & relinquere? huius compendium melius eſt, ſi non acciperes. Non eſt laus paupertatis relinquere plura, ſed nihil habere, & ſibi nullam rem ſeruare. Cur laus & gloria Apoſtolorum tanta fuit? fortè quia vilia retia dimiſerunt? an fortè quia nihil habere voluerunt? hoc eſt, relinquere omnia. Si inſtat alter vt accipias; nobile ſit certamen liberalitatis illius, & paupertatis tuæ: deſes eris ſi vinceris. Paupertas tua vicit liberalitatem tuam: cur non vincet alienam? Maluiſti eſſe pauper & indigus, quàm tua retinere, quibus eſſes liberalis: cur mauis alium eſſe liberalem quàm te pauperem? Anne bonum conſilium eſſet alicuius, qui diceret, Retine hoc, ne relinquas omnia? Minimè: nec acquieſcendum eſſet contra conſilium Chriſti. Idem puta dicere qui dat: Caue, ne aſſentiaris. Sed poſtquam tua reliquiſti, noli accipere aliena: ſed ea etiam quæ

non

Digitized by Google

non habes, nec potes habere, contemne propter Deum. Talis amor paupertatis ſolet generari ſeruis Chriſti, vt vel ſi ipſe Iesvs, propter quem reliquerunt omnia, reſtitueret aliquid, vel iuberet poſſidere nonnihil ex hoc mundo, replicarent, & appellarent ad thronum miſericordiæ ſuæ, reputantes id ſupplicium eſſe.

O quàm locuples ita erit pauper ſpiritu, ſolo animo ſuo, ſi nihil cupit! nam ſimul ac in corde non vult habere theſauros mundi, ſtatim transfert illos in cælum, factus eorum Dominus, vendens illos Chriſto ſine iniuriâ poſſidentis & vtentis. Ex diuitiis, quæ nec ſuæ ſunt, nec eſſe poterunt, mirabili modo ditatur habens diuitias in cælis, & in terris non habens inopiam: nam non eſt grauis paupertas amanti, ſed pacifica & ſuauis; iis ſolis acerba eſt, qui oderint illam & inſectentur: nec mirum eſt, quòd moleſta ſit perſecutoribus & inimicis ſuis; nullis tamen eſt mala, ſed omnibus bona: nam iis qui omnia ex corde contemnunt propter Deum, minimè officit; iis qui terrena cupiunt, nimiùm prodeſt: vt vel coacti minuant peccata, ad quæ facultates præberent facultatem aut audaciam. Quare illis quamuis amara & ingrata videatur, magnam de illis gratiam meretur.

Capvt XI.

Patientiam in cunctis neceſſariam eſſe.

Patientia opus deſideratiſſimum eſt: plus debes deſiderare patientiam, quàm curare vitam: nam plus eſt neceſſe pati, quàm continget viuere. Non natus es vt placidè ad tempus viuas, ſed viuis vt patiaris ad tempus; & pateris ad tempus, vt in æternum viuas. Natus es ad vitam, quæ non intermittetur; opus eſt vt interim ſine intermiſſione patiaris. Vita hæc non ſui cauſa eſt: nam nec viatores vadunt, dumtaxat vt eant: viuimus propter aliquod excellentius. Vita iſta, quid niſi labor ad quem homo natus vt inde beatus fiat: Poterat Deus nos creare in gloriâ: quid opus erant circuitus & ambages huius vitæ, niſi conueniret priùs pati? Habe fidem huius verbi, & conſerua in corde tuo: Nihil magis ad vitam neceſſarium eſt, quàm patientia; quia nihil magis eſt contingens, quàm pati. In moleſtiis inexcuſabilibus excuſat, & fallit dolorem, quem impatientia auget. Impatiens eſſe cum aliquâ excuſatione poſſes, ſi impatientia excuſaret laborem: at inexcuſabile eſt, ſine fructu aliquo ingentes fructus patientiæ amittere, quos ex omni ferè opere & labore tuo mereri poſſes. Ne propter vitæ aut hominum moleſtias, exercitia bona dimittas, aut remiſsè facias: nam cum iniuſtitiâ magnâ lueret Deus illatam tibi ab hominibus iniuriam: Deus innocens non debet ſoluere noxam tibi nocentis.

Si aſſueſcas patienter pati ipſas tribulationes, fies quodammodò impaſſibilis & laborum amator. Cinerem iam non vrit ignis, nec iniuriam ipſe cinis ab illo accipit; potiùs amat ignem, fouet, & conſeruat: ita qui magis patiens eſt, ſæpè pluribus laboribus diuino quodam priuilegio magis gaudet. Patientia non excuſat laborem, ſed dolorem; quod ſatis eſt: tam benè merita de nobis eſt, vt materiâ meritorum nolit defraudare nos, ſed ſolùm laborum moleſtias mitigare: inuenit modum quo frueremur meritis, nec triſtaremur laboribus. Nihil ferè Deus promptiùs & libentiùs facit, quàm verè patienti mittere aduerſitates, confuſiones, humiliationes; quia hunc verè mortificatum chariſſimum habet, & ſuos amicos vult Deus ditare meritis, quæ in laboribus & aduerſis officinam ſuam habent. Quare non ſolùm opus deſideratiſſimum eſt patientia, ſed ipſum pati. Nihil Deus ex maiori dilectione & dulciori corde immittit, quàm labores, & amaram crucem Filij ſui: nihil tu deberes magis optare. Cor Chriſti amantiſſimum, improperium expectauit & miſeriam: quomodo tu diſcipulus eius eris, ſi oderis & fugias? Nolis à Deo aliter amari, quàm amatus fuit Vnigenitus; nec velis aliud amare, quàm quod ipſe Filius Dei amauit.

Non eris ſatis patiens, niſi deſideres pati: non eris niſi dimidiatè patiens, ſi tantùm moleſtiam illatam feras, niſi deſideres inferendam, ſed ſine culpâ alicuius. Quid conquereris? verus patiens numquam dicit iniuriam ſuam, nec moleſtiam ſuam alteri narrat; quia non conſolatur querelis & excuſatione, & minimè vult curare alleuiationem ſui doloris. Qui ægrè fers adimplere quæ deſunt paſſionibus Chriſti? Chriſtus pro gloriâ Dei non tantùm voluit pati flagella & crucem, ſed omnes cruciatus hominum optauit, & hunc ipſum laborem, qui modò te moleſtat, voluit ſentiret qui defuit paſſioni eius, hoc eſt, deſiderio ardentiſſimo paſſionis maioris, & totius cruciatus. Gaude pro Chriſto illum ferre, qui deberes immenſum fauorem æſtimare, vnum flagellum ſuſcipere, vt Chriſto non infligeretur: at ſi toleras patienter hunc leuem laborem, qui defuit voto Chriſti, erit contentus Chriſtus, & conſolaberis illum. O Iesv amantiſſime, quid affligor in tribulationibus meis, ſi habeo hoc ſolatium, vt te conſoler in illis? Quæſiuiſti Domine qui ſimul contriſtaretur tecum, & non erat: ecce adſum libenter, affligar & contriſtabor tecum, vt ſocius tuus ſim laborum & mortis. Quis mihi daret, vt morerer pro te, Fili Dei? etſi das ſolùm tribulationem hanc, cur reiiciam tribulari leuiter pro te? Solantur ſe alij, ſi ſimul alij homines patiantur: cur me non conſolabor ego, ſi ſimul cum Deo meo patiar? Sat mihi hoc, nec compaſſiones hominum quæro. Non ampliùs Domine dolebo, quòd videam mihi ſoli iniuriam fieri, me ſolum contemni: imò hoc ſolatium mihi erit, præter ſocietatem Iesv patientis, quòd ſolus patiar, nec alium fratrem meum videam in ſimili labore. O Iesv, nihil in hac tribulatione habeo, de quo conqueri poſſim: cur putabo contemptum, quod mihi fit, ſi apud te eſt dignitas? cur putabo iniuriam mihi fieri, ſi eſt magna gratia tua?

Quis ob crimen Maieſtatis læſæ expectans ſententiam capitis & acerbiſſimæ mortis, ſi pœnâ leui pecuniariâ aut priuatione ſolùm bonorum condemnaretur, non ſummè gauderet?

Digitized by Google

ânne impatienter ferret aut iniuriam putaret, & non potiùs gratulationes ab omnibus acciperet? Reus Maieſtatis diuinæ es ô peccator, mereris pœnam ignis in inferno aut purgatorio: cur non feras, quòd loco illius ſolum damneris leui pœnâ pecuniariâ in hac iacturâ rei familiaris, aut ſplendoris tui, aut alterius commodi & honoris temporalis? Qui damnandus eſſet capite in publico patibulo, ſi differretur ſupplicum quia ægrotaret, gauderet, etiamſi morbus grauiſſimus eſſet, & vellet diuturniorem fieri; cùm tamen non dimitteretur pœna, ſed differretur. Cur tu moleſtè fers hanc leuem ægritudinem, ſi pro eâ dimittetur tibi pœna aut æterna, quia ex eâ compunctus es, aut purgatorij

Memento paſſim patientiæ & ſocietatis Iesv patientis, vt feras iniurias, & te contemnas. Si non ſufficiat, memento patientiæ diuinitatis in peccatis hominum. Coram facie ſuâ Deum contemnimus, & coram ſua Maieſtate peccamus. Quin in gremio & amplexu brachiorum ſuorum dum nos ſuſtentat & mulcet, offendimus, nec proinde abiicit nos è ſuis vlnis & annihilat, ſed ſolem oriri facit ſuper bonos & malos. Quis inimico inſidianti ſibi, & offendenti, interim teneret lychnum accenſum, cuius luce vteretur ad iniuriam eius, & non extingueret ſtatim? O magna patientia & humilitas Diuinitatis! quæ & contemptoribus ſuis ſeruit vt famulus; & dum contemnimus, præparat nobis alimenta, & delicatos fructus terræ coquit & condit, vt ſuauiter & abundanter nos alat.

Capvt XII.

Quantum bonum ſit ſubditum eſſe alteri.

O Sapientia inſcrutabilis! quas gratias tibi referam, quòd communicetis mihi ignorantiſſimoo per ſanctum & humile obſequium, quod eſt ſumma hominum prouidentia & ſcientia. Diuinæ ſapientiæ eſt, in nullis poſſe errare: obediens etiam in nullis errat, ſi pareat humiliter iubenti Superiori. O quàm magna & diſcreta prudentia, ſimplicium eſt obedientia, nihil diſcernens. Quantum beneficium, inter caligines quas offundunt paſſiones, & errores quos efficiunt cupiditates, & ignorantias, in quas hominum deprauata conuerſatio & mundi leges ac mores impellunt, erit ſapere & gubernari prudentiſſimè abſque vllo errore, perinde ac ſi ſapientiam & diuinam prudentiam haberemus? Hoc facit inuentum ſanctæ obedientiæ, quæ vicaria eſt Sapientiæ diuinæ, & vtiliſſimum compendium prudentiæ. Quid ſapientius, quàm non poſſe errare, quæcumque fiant? Virtutes alias debet præcedere prudentia, quæ difficillimè ab hominibus habetur: ſed facillima prudentia eſt ſincera obedientia. Hanc anteceſſionem habet inferior ſupra Superiorem, quòd non poſſit in ſuo munere errare. Superior iubendo errare poteſt & delinquere ſed inferior obediendo nequit errare. Benè poteſt imprudenter iubere Superior, ſed ſubditus nequit imprudenter facere cùm obedit, niſi cùm manifeſtum peccatum iubetur. quod iam non eſſet præceptum, ſed tentatio. Poteſt deficere Prælatus præcipiendo; ſed non obediens, quia nequit non facere voluntatem Dei, parendo. Eſt vndique curata & munita obedienti ſecuritas voluntatis diuinæ: etſi dum præcipitur, fiat contra voluntatem Dei nolentis ita præcipi; qui paret tamen, iuxta voluntatem Dei operabitur, interdum cum maiori merito Malus Superior poteſt eſſe, & malè poteſt iubere: at quia benè obedire ſemper poſſumus, dum non præcipiantur mala, amandus eſt omnis Superior, & inſuper tolerandus malus: vbi duplex eſt meritum, charitatis & patientiæ. Aliquando poterit ſubditus putare meliora aut vtiliora animæ ſuæ, quàm quod Prælatus iubet; non tamen propterea debet relinquere iuſſa: nam nihil prouidebit vtilis, quàm cum charitate relinquere & abnegare voluntatem propriam & iudicium.

Obedire tutiſſimum eſt ideò clauſis mentis oculis & celeriter debemus id facere, ſupplendo & addendo voluntate & affectu erga iuſſa, quod intellectus noſter conſiderare haud tenetur. Tam gratum & locuples bonum eſt obedientiæ, vt ratiocinatione non egeat ad obtemperandum. Obedientia eſt patientiſſima inſpiratio Dei, & tutiſſima reuelatio, in quâ nequit dubitari an ſit à Deo. Si angelum videres ad te venire, & nunciaret Dei voluntatem eſſe vt aliquid faceres; nequaquam torperes dum exequereris illud, licet moleſtiſſimum opus eſſet: celeriùs debes exequi quod Superior præcipit; quia ſecurius & certius eſt eſſe Dei voluntatem, vt facias quod tibi præcipit homo, quàm quod Angelus videretur mandare. Ideò poſt mandatum hominis non debes conſiderare plura, nec morari, ſed exequi: at poſt locutionem Angeli deberes conſiderare, quis tecum fuiſſet collocutus, an dæmon, an Dei ſpiritus, an bonum, vel melius eſſet, quod præcepiſſet? Magnus fauor fieret, ſi ad ſingula opera moneretur quis ab aliquo Seraphim deſcendente à latere Dei mittentis illum, vt diceret in nomine ſuo, Hoc vel illud facito: non minùs vtile eſt obedire in Deo homini Superiori, qui eſt oraculum domeſticum & ſecurum, quaſi doceretis à Spiritu ſancto. Duæ ſunt præcipuæ cauſæ peccatorum, inconſideratio mentis, & deprauatio voluntatis, vtramque tollit obedientia; nam ſequitur iudicium alienum, quo conſiderationis propriæ & prudentiæ bonum ſupplet & excedit; & ne prauè velit, ſequimur voluntatem Dei placens illi ſemper.

O quantum ſolatium eſt amatori tuo, Iesv, non ſolùm operari vt placeat tibi, ſed quia tibi placet! Hoc eſt priuilegium obedientiæ, vt aliquâ mercede non fruſtretur; quam non ſolùm ex opere ſperat, ſed in opere habet, & finem ſuum in principio obtinet, nempe beneplacitum Dei: quod non in futurum pendet, cùm anticipetur obediendo. O deſideratiſſimum obedientiæ opus! quomodo aliqui queri poſſunt aut excuſari ab illâ, quòd ſi humiliter & promptè obediant, præcipiantur plura; quòd ſoleant Superiores plus iubere eos, qui ſunt obedientores? Stultiſſima eſt hæc querimonia, cùm queramur de iis quæ debemus optare: Fauor Regum putatur quòd alicui commit

committantur aliqua; & maior fauor quò plura mandantur: cur ſi Deus nobis ſimiliter faueat, licebit queri? Domini plerumque iis ſeruis præcipiunt, quos magis familiares & charos habent, & putant fideliores: cur querimur quod Deus nos vt fidos habeat? O Deus cordis mei, ſi Filio tuo hoc modo fauiſti in hoc mundo, qui factus fuit obediens vſque ad mortem crucis; an fortaſſe audebo præſumere mihi maius genus gratiæ? O Ieſu, qui in omnibus factus es obediens, da mihi vt nullam obedientiam recuſem. Omnia feciſti obediendo, à natiuitate vſque ad mortem; Cæſari & Pilato ſubiectus non minùs quàm ad moriendum. Fuit quoque hora in quâ ſubiectus voluiſti eſſe poteſtati tenebrarum, nolens reſiſtere dæmonibus, ſed ſummâ obedientiâ infernali furori ceſſiſti, in carnificibus & inuidiâ Iudæorum: & quia incarnari non potuiſti obediendo, nondum enim erat humana tua natura, ſuppleuit hanc obedientiam mater tua concipiens te, cum magna illa obedientiâ & mentis ſummiſſione.

O deſideratiſſimum obedientiæ opus! cùm certiſſimum ſit, eſſe gratum Deo, & optimum. Adam cùm non obediuit, ſciuit bonum & malum: obedientia innocentiſſima eſt; non tantùm neſcit bonum & malum, ſed ignorat bonum & melius: nam cuncta obedientiæ opera optima ſunt; quorum comparatione, alia ceterarum moralium virtutum non habent comparationem in hoc quòd nulla ſint antehabenda iuſſis: nam qui reliqua fecerit, ſed contra obedientiam, mala facit: at ſi omittat propter obedientiam, cunctarum virtutum meritum habet. Neſcit obediens, Melius eſt facere hoc quàm illud; ſed optimum eſt facere quod præcipitur. Qui habet obedientiam, habet in compendio alias virtutes: qui obediens eſt, & caſtus erit, & pauper. Adam poſtquam non obediuit, ſtatim ſenſit ſtimulos carnis, & quæſiuit veſtitum; dum fuit obediens, caſtiſſimus & virgo, manſit, & ſuâ nuditate contentus pauperrimus. O deſideratiſſima obedientia ſtudioſo virtutum & amatori Dei!

Conſolare ô anima, cupida & deſiderans videre faciem eius, in quem deſiderant Angeli proſpicere: conſolare interim; & reuerere Superiorem quemcumque, vt euidentem Chriſtum, Deum viſibilem: non in ſe ſolùm, ſed in Prælato etiam colitur Deus. Crede, diuinam Bonitatem tibi prouidiſſe & decreuiſſe hunc Prælatum in æterno ſuo amore & ſapientiâ, vt per illum, & non per alium ſuam gratiam tibi largiretur & prædeſtinaret. Auctoritas Dei eſt in illo, ne ſcruteris cur hoc præcipiat. Deo eſt pro ratione voluntas: ita ab eo qui vicem Dei agit, nullam aliam rationem requiras. Cur expoſcis rationem, vt te tradas Deo? Dic mihi, quæ ratio fuit, cur Deus non alium hominem, fortaſſe futurum meliorem, ſed te creauit, & te dedit tibi? Si non aſſignabis, cur quæris rationem, vt te reddas Deo per omnem reſignationem voluntatis? Magna gloria & iucunditas cæleſtium ſpirituum eſt celebrare Deum; ſed maius eſſe proprium Dei, quàm ſi laudares illum ore.

Capvt XIII.

Defectus leues & quotidiani quantum damnum efficiant.

Cvr contemnis in animâ, quod deſiderant homines in corpore? cuius non ſolùm vitam curant, ſed & formam & valetudinem. Intolerabile malum eſſet, ſemper ægrotare; & horribile, artus brutorum inter humanos habere. Non ſolùm peccata magna extimeſcas, ſed ipſas concupiſcentias & cogitationes culpabiles, & imperfectiones horreas. Quanta deformitas eſſet, ſi os ſerpentinum in facie tuâ haberes? Maior eſt, verbum quo vel leuiter detrahas, aut offendas aliquem ſiue otioſè dictum: O veritas! ô Bonitas immenſa! precor per merita Chriſti, vt tollas velum mentis meæ, quo poſſim noſcere quàm ſtupendum malum ſit in minimæ culpæ malitiâ: ô homo, quàm horrendus coram hominibus eſſes, ſi appareres quodam die caput bouis aut equi habens in tuo corpore humano! Peius eſt, ſi coram Deo & Angelis, in animâ tuâ, diuinâ factâ per gratiam, tractes cogitationes deſipientes & otioſas rerum terrenarum, & brutalem ſenſum commodi tui: imò maior proportio eſt inter corpus humanum & brutum, quæ in eodem gradu rerum ſunt, quàm inter gratiam, & peccatum etiam leuiſſimum. Quare deformitas minimi defectus venialis excedit omnem horrorem & deformitatem corporalem, non modò quæ ſit, ſed quæ cogitari poſſit, aut ſit poſſibilis. Quæſo, ô ſpiritus deſiderator Chriſti, per eius cruorem ſanctiſſimum, vt hîc ſiſtas, & perpendas iſtud iuſto iudicio: & qui næuum in corpore nolis habere, in animâ, ſponſa Iesv, quantum poſſis, ne permittas hæc monſtra. Dilata facultatem mentis omnem, & artem cogitationum tuarum, & confinge horridiorem quàm poſſis deformitatem, & tortuoſitatem, vt eius ſolùm cogitatione ſtupeas & formides: parua erit præ deformitate culpæ leuis! Pretioſioris rei peior corruptio eſt; & eius quæ rectiſſima debet eſſe, magis offendit obliquitas: quid pretioſius mente & arbitrio, quod ſuper omnem aliam creaturam eſt? quare minimum eius vitium deformiſſimum eſt; nec eſt mens humana & Angelica, quæ adæquatè malum noſcat, quod in animâ cauſet. Quale prodigium eſſet, ſi in ventre tuo geſtares cor, non in pectore? Maius monſtrum eſt animam ad amandum Deum factam concupiſcere voluptates; & intemperantiâ gulæ, aut alterius praui affectus negligentiâ deformari.

Non ſolùm peccata magna horreas, ſed iſta, & omnia venialia, quæ putantur leuia, & falsâ voce parua dicuntur. Non iuſte diceretur leue & paruum aliquid, quod ſolùm ſupra ſe habeat aliud magnum. Non eſt paruum culpa venialis, quòd ſupra ſe ſolùm habeat aliud maius, id eſt mortale peccatum: imò proinde magnum cenſenda, quòd ſupra ſe non habeat, niſi vnum malum quod ſit maius. Non ſolùm homines cenſent mortem malam & timent, ſed & febrim & letale vulnus. Ingens malum eſt, quod vno tantùm malo eſt minus: ingens malum, quod

Digitized by Google

ceteris cunctis malis eſt maius, penuriis, opprobriis, iniuriis, ægritudinibus, tormentis, & ipſo inferno: ingens malum eſt, quo maius, aut æquale Deus tibi immittere nequit, nec ſciet, etſi omnes damnatorum cruciatus in te ſolum aggereret.

Grauiſſimum putares, cancro laborare, exuri & paſci membra tua: quid ſi ad hæc iungerentur ceteræ ægritudines maiores, lepra, aſthma, paralyſis, hydropiſis, abominatio ſtomachi, podagra, cæcitas, phreneſis, ſtupor linguæ, extinctio caloris natiui? vna ſola culpa venialis magis nocet quàm cuncta illa. Peccatum veniale eſt cancer; ſerpit paulatim vſque ad interitum, inducens in alia plurima, & demum in mortale, niſi priùs reſecetur prauus affectus: eſt lepra, maculatam & fœtidam animam ſeiungit à complexu Sponſi: eſt aſthma, cauſans difficultatem aſpirandi ad cæleſtia, & excipiendi diuinas inſpirationes, moleſtans & contriſtans Spiritum ſanctum: eſt paralyſis, impediens agilem motum ad Deum, torpere faciens in diuino ſeruitio: eſt hydropiſis, gignens ſitim & æſtimationem rerum temporalium, negligens diuina & ſalutaria: eſt abominatio ſtomachi, faſtidium efficiens rerum ſpiritualium: eſt podagra, impediens nos ne procedamus in profectu noſtro: eſt cæcitas, faciens cæcutire ad cognitionem veritatis, & cæleſtium bonorum, amentiam mundanam inducens, velut denſa nubes obtenta oculis: eſt phreneſis, faciens inſanire animam. Quæ maior inſania, quàm ſi quis purpuram regiam, quâ honoris causâ à Rege fuiſſet donatus, vt coram ſe adſtaret, & loco filij haberetur, immergeret in locis cœnoſis, & deinde appareret ridiculè coram Rege; ſic gratiâ indutus, & purpurâ Dei, per peccatum veniale ſe maculat, & luto ſe inficit, licet non exuat illam; & deinde coram Angelis audet apparere & aſſiſtere Deo. Eſt quoque ſtupor linguæ peccatum veniale, orationes noſtras inefficaciores reddens, vt non mereamur audiri, nec exaudiri à Deo: eſt tabes, labefactans animum ad reſiſtendum diabolo: eſt extinctio caloris, feruorem charitatis minuens. Anne paruum eſt, quod eſt cauſa tantorum malorum; Quomodo ſic affecta anima, petet quieſcere in ſinu Sponſi? Fœtor oris ſolùm ſufficiens cauſa diuortij in thoro eſt: quomodo leproſa, paralytica, hydropica, lippiens, audebit petere, vt oſculetur illam Sponſus oſculo oris ſui? Veſtem noſtram, ſi ſputis aut cœno inquinaretur, imò ſi ſolùm madefieret aquâ purâ, ſtatim à nobis abiiceremus & exueremus, nec cum illâ coràm hominibus compareremus: quomodo non veſtitum, ſed nos ipſos fœtidos, ſordidos, maculatos, ægros patimur, & Deum amplecti volumus, nec priùs tergi & ſanari ſatagimus? Si vt liberareris à quolibet dictorum morborum in corpore, nempe cancro ſolo, imò vt ſperares liberari, licet incertum eſſet, libenter permitteres ſecari membra; quid faceres, vt ab omnibus ſanus fieres? O inſenſibilitas humana! quæ tot mala animæ non dolet, & pro certâ & inæſtimabili meliori animæ valetudine à tot grauiſſimis morbis facile & leue remedium quoad poſſit, non curat; cùm pro incertâ ſalute corporis non parcat membris ſuis, nec tormentis omnibus.

Age ſtulte, cura animam; & præcaue, quantum poſſis, ne in tot morbos incidat, vitando veniales culpas: proptereà ne parcas exiguo labori & diligentiæ. Magnitudinem morbi ex magnitudine curationis cognoſce. Vide quomodo medicetur illis purgatorium, quod eſt noſocomium culparum: anne paruum eſt, quod curari opus eſt igni illo & acerbiſſimis cruciatibus? Anne parum ſuſpicaretur aliquis, ſi videret vnâ horâ puniri feminam delicatam in fornace ignis ardenti, & id iuſſu clementiſſimi & dilecti ſponſi? Planè aut ſponſus eſſet furens, aut culpa nimiùm diſplicuit. Cur parum reputantur culpæ veniales, ob quas miſericors & amans hominum Deus vult animas gratas ſibi detineri per dies, & annos, in purgatorio abſque vllâ compaſſionis benignitate? aut Deus iniuſtiſſimus & atrociſſimus eſt, aut culpa venialis terribile & ſtupendum malum eſt; aut Deus crudelis tyrannus eſt, aut culpa minima tremenda irreuerentia & ingratitudo eſt. O Domine, non tyrannus es, ſed humilis animarum amator: & miſericordia tua ſuper omnia opera tua; imprudentia mea eſt ſtupenda, & enormis? quam tu æquiſſimus, mitiſſimus, & humillimus corde, qui potiùs minori gauderes punire ſuplicio, ſeueriſſimè corrigere opus habes, ne violetur iuſtitia tua.

Canem ſi quis videret cum flammis luctantem, pereuntem in medio rogi, compateretur? quid eſſet, ſi videret filium ſuum charum ibi aduri? O miſericordiſſime Pater, quomodo dici poteſt parum culpa venialis, pro quâ non decet vt compatiaris, videns aduri & torqueri in purgatorij ignibus filios in gratiâ tuos, quos tantoperè amaſti? ſiquidem pro illis ſanguinem tuum & vitam dediſti. Non defecerunt tibi pientiſſima viſcera paterna, nec ſapientia infinita: non es Deus ignorans, qui falli poſſis in iudicio culpæ; nec crudelis, qui gaudeas niſi inuitus cruciare: quare, ſi quem amas, ita punis; ingens malum eſt, propter quod ita ſæuit ipſa miſericordia.

Proponamus aliquem hominem, ſine vllâ notitiâ inferni, aut purgatorij; ſed ſolùm per reuelationem oſtenſam fuiſſe illi vnam animam terribiliter cruciari in illo igne pro peccato veniali, ſed illum neſcire occaſionem talis ſupplicij: quam quæſo cogitaret fuiſſe cauſam eius tormenti? anne paruam putaret? vel maximum aliquod malum, quod à benigniſſimo Deo tantoperè puniebatur?

An etiam parum dicetur, quod in hac vitâ punit Deus maximo omnium ſupplicio mortis? Deus infligendo pœnam non poteſt falli, cùm infligat tantam; quantum erit propter quod infligit? Ecce, ſeruos ſuos Moyſen & Aaron pro culpâ veniali morte mulctauit. Oza & vxor Lot pro culpâ etiam veniali, vt putatur, tremendo ſupplicio interempti repentè ſunt. Abbas Moyſes pro vno peccato veniali traditus fuit & occupatus à dæmone; & quidem minus malum eſſet habere in corpore mille dæmonum legiones, & vexari ab illis, quàm habere in anima vnum peccatum leuiſſimum, & delectari illo. Dæmon quadraginta annis anxius fuit, vt quidam ſeruus Dei incideret in quamdam culpam venialem. Anne ſtultus eſt dæmon, qui pro re leuis momenti ita vigilaret,

Digitized by Google

& tamdiu expectaret? cur nos vt tantum malum vitemus, vno die non erimus diligentes? O puriſſima Veritas, purifica ſpiritum meum impurum à tanto malo: & illumina me, ne parum credam id, quia parum curo, cùm dæmones tantoperè curent; ſed magnum credam, quot fit contra Deum tam magnum: nec puſillum & leue putem, quod ego puſillus, leuis, & inconſtans committo paſſim & conſtanter peccando; ſed ideò credam magnum, quòd ego puſillus & vilis audeam id facere contra Deum Maximum & Optimum.

Quantum eſt, quod priùs debeo eligere, vitare ſemel ne committam, quàm millies mori, quàm terram & cælum redigi in nihilum, quàm damnari totum genus humanum? Si beatæ Virgini, lacrymanti ad pedem Crucis cruciatus & mortem Filij dilectiſſimi, daretur optio, an vellet Chriſtum ſuum liberari ab opprobriis & cruciatibus illis, & videre ſtatim ſedentem à dexterâ Patris, ſimulque ſaluari mille mundos; aut aſſentire in vnum peccatum veniale; potiùs vellet non facere illud, conſuleretque id mihi, & mallet iterùm videre crucifixum ſine culpâ aliquâ ſuum dilectum Filium & Dei, ac grauiora pati, atque ſi opus eſſet, & liceret, ipsâ manu ſuâ pientiſſimâ clauos figeret, & maiori charitate quàm Abraham ſacrificaret. Quæſo etiam, parúmne obſequij & ſolatij fieret Virgini & IESV, ſi homo aliquis fuiſſet qui tunc ſe ſubſtituiſſet in monte Caluariæ loco Chriſti, vt pro illo cruci imponeretur & pateretur? Crede tamen quòd maius ſolatium à te potiùs requirerent, vt vitares peccata venialia. Computa modò, an parum ſit quod præponderaret tanto obſequio; neque deneges hoc ſolatium Chriſto patienti, & Matri compatienti. Deleatur à noſtrâ opinione paruum aut leue eſſe hoc malum, quod Virgo, Chriſtus Deus Pater tanti iudicat, & punit.

Non eſt parum, quod ad magnum finem ordinatum impendit; quod in hac vitâ minuit amorem Dei, & eius viſionem in alterâ retardat. Non eſt parua moles, quâ celerrima & potentiſſima Dei miſericordia & deſideria velut impediuntur & morantur. Anne parua violentia eſſet, quæ maximum ſaxum à cælo cædens in aëre ſuſpenderet, iam iam proximum terræ & centro ſuo? Non igitur paruum eſt peccatum, quod ſuſpendit munificentiam diuinam, & deſideria ardentia ſanctæ animæ ne contingat centrum ſuum Deum, & terram ſanctam beatitudinis promiſſam, ſed in purgatorio detineat. Non parum diſplicet Deo, quo cogitur non ſtatim dare, quod tantum placet illi largiri, & placebit nobis frui. Non eſt pârum, quod impedit magna dona Dei, etiam in hac vitâ reſiſtens potentiſſimæ liberalitati eius: Trepidemus ad tantum malum, & omnibus viribus quoad poſſimus, vitemus diligentiſſimè; nec pudorem culpæ ſuſtineamus.

Quomodo ſerui Dei aut filij aut ſponſæ nomine gaudebit anima, quæ negligit placere Deo, & in omnibus obſequi cùm omni voluntate? Quàm ſceleſtus eſſet ſeruus, qui nihil vellet facere benè, niſi cùm gladio ſtricto minaretur herus mortem; nec aliter, ſiue flagellis, ſiue blanditiis, moueretur vt bona obſequia præſtaret? Quàm peruerſus filius, qui nollet aliquid gratum patri facere, ſed diſpliceret ſemper, niſi quatenus non mereretur hereditate priuari; alioqui nihil curaret obſequi illius voluntati & deſiderio, ſed in omnibus reſiſteret? Quàm perfida ſponſa, quæ fidem & amorem ſponſo ſolùm ſeruaret, quatenus non prouocaret illum vt occideret ipſam, in reliquis verò aduerſaretur ac diſpliceret; & tametſi puniretur, numquam emendaretur? Quale ſignum amoris filius aut ſponſa præſtarent, ſi dicerent, Verè diligo patrem meum aut ſponſum; ſed præter mortem aut vulnus mortale, quidquid ei iniuriæ inferam, non curabo multum; faciam omnia liberè prout mihi placet, nec prætereà ſolicitus ero placere illi dummodò me non occidat, aut patrimonio priuet? quis ferret hæc dicentes & facientes? Similis eſt qui peccata venialia contemnit, & ſolùm ſeruit Deo quatenus non occidatur anima, aut cælo priuetur, per peccatum mortale. An fortè eſſet paterfamilias, qui talem ſeruum aut filium aut coniugem domi vellet habere? Hæc patientia Dei, quæ non tolerat abutentes tolerationes eius.

Ne igitur putemus paruum eſſe has culpas; quæ etſi parum quid eſſent, ſunt plures, & Deus eſt magnus & vnus. Arenulæ paruæ ſunt, ſed tot poſſunt eſſe, vt obruant citiùs quàm ſaxum ingens. Infirma res eſt vna locuſta: ſed quæ plaga maior agris eſt quàm multitudo illarum? Ex paruulis guttis pluuiarum, inundatio vrbium magnarum fit. Si tot paruula vulnera ſeu punctiones in corpore haberemus, ſit tot puſtulas in facie, ſi tot ſciſſuras in veſtitu, vt ſiunt peccata venialia, ſemimortui eſſemus horribiles, & pænè nudi: cur in animâ illa patimur, niſi quòd plus amamus cutem & veſtem, quàm animam? O quantâ confuſione ſic affecti coram Deo audemus apparere! Sed quid numerum accuſo? vna ſola culpa formidanda eſt; quam paruum quid eſſe nõ poterit cogitare, qui Deum cogitat infinitum; nec parum eſſe dicet, qui multùm amat: qualis amor Dei erit illi, qui parui facit diſplicere Deo? Qui in paruo diſplicet, iam diſplicet, qui diſplicet: iam contra legem ardentis amoris facit.

CAPVT XIV.

De ſolertiâ circa res exiguas.

DEus maximus eſt: in eius obſequio nihil putes minimum: non ſatis magnus eſſet, niſi vinceret omnem paruitatem. Si amas illum, in minimis officiis probatur vera amicitia. Peritia artis in paruis oſtenditur: virtutis perfectio non eſt rudior, ideóque non expectat ſolùm magna. Natura in minimis admirabilior eſt: minutiſſima animalia maximè curat. Gratia non eſt obtuſior, nec debet eſſe ſegnior. Quæ minutiora videntur, diligentiùs curanda ſunt. Cùm Deus tantus ſit, nihil eſt paruum, quod ei diſplicet, aut quod ei placet. In bono & malo non eſt minutum. Quidquid bonum eſt ſtatim eſt magnum; quidquid malum eſt, ſtatim non eſt paruum. Infinita bonitas omnes noſtras vires exigit: iniuriam faciet, qui debet omnia, ſi neget aliquid. Ne dicas, Hoc quid præſtat.

hoc

Digitized by Google

hoc parum intereſt, hoc nihil eſt. Imò multum eſt hoc quod putas nihil; quia quod putas multum aliquod magnum opus, nihil eſt præ magnitudine Dei, & obligatione tuâ. O immenſa Veritas, quomodo poteſt putari inimimum, aut magnum, ſi menſura obligationis & diligentiæ meæ eſt immenſitas tua, vbi non eſt parum, nec magnum duntaxat, ſed exceſſus totius modi? quomodo poſſum dicere, Hoc parum eſt; ſi quidquid fecero pro te, nihil eſt?

Non eſt paruum quod cenſetur minimum, cùm in minimis ſtet perfectio. Non ſunt contemnenda minima, quia contempta ſunt magna. In ſtrue aridorum palmitum, quam domi habes, ſi ſcintillam ignis permittas, incendium magnum fiet, & tota domus conflagrabit. Corruptio naturæ noſtræ aptior eſt malitiæ, quàm ſtupa ſicca igni. Si leue aliquid negligas, fies paulatim peruerſus. Non attendas paruitatem quæ eſt in initio, ſed ex principio conſidera finem. Semina ſemper exigua nimis ſunt; ſed in nullâ parte plantarum maior efficacia & vis eſt. Primum diuortium duarum viarum ſenſim protractum in maximum interuallum definit; & in infinitum procedere poteſt, cùm priùs nec vno gradu diſtarent. Si in paruo deuies à propoſito tuo & rigore mentis, paulatim te inuenies longinquum à feruore. Magna ſumunt initium à paruis: quare paruum non eſt minimum, ſi eſt initium. Cuiuſque rei præcipua pars principium eſt: imò non pars quælibet, ſed dimidium totius dicitur.

Rectè putabat ſanctus Ignatius Pater noſter, plus latere periculi in minutis contemnendis, quàm in maximis: horum damnum apparet, & curari ſtatim poteſt; at minimarum rerum iniuria niſi progrediente tempore non percipitur, cùm vix reſtaurari poteſt roborata conſuetudine. Peccata magna, ipſa natura peccati & enormitas facit, vt auerſemur: minimi defectus, quia parui videntur, hoc ipſo negliguntur; iiſque contemptis, non excitatur mens aduerſus illa. Concupiſcentia noſtra in minimis acuitur, & ardet, quòd ſine magno periculo putet poſſe in his vagari, cùm in magnis ſe compeſcat terrore damni patentis: at irritata & erudita ſemel cupiditas, in quæ non audebit & ardebit? Inde aliquando multò ſolicitiores aduerſus parua debemus agere, quàm contra magna. Ex minimis conſuetudo naſcitur, quæ præſcribit vitia; non ex magnis, quia ſunt rariora: nec minùs violentum erit reſiſtere conſuetudini, quàm naturæ. Facile ius & actio citiùs datur aduerſus capientem per vim noſtra, & palàm, quàm in vſucapientem. Quæ leuia videntur, auferunt à nobis pudorem peccandi: ſed amiſsâ ſemel verecundiâ erga Deum, quid boni ex nobis promittimus?

Erubeſce te continere à magnis, & vinci à paruis: nam ab hoſte exili & pumilione ſterni, turpiſſimum & ignaui ſignum eſt. Non contemnendum eſt paruum, in quo magnum pretium poteſt eſſe. Margarita quòd ſit exigua, non putatur vilis; imò proinde pretioſior eſt, quòd in paruo corpore magnum pretium habeat: cur paruum contemnis, vbi plus fortaſſe placere, Deo potes, quàm in maioribus? Pretioſius eſt obſequium & diligentia in minimis. Quemadmodum enim peritia artis eſt, includere in paruo magnum artificium; & naturam miramur, quòd in exiguis animantibus omnes officinas vitæ claudat: ſic excellentia amoris eſt, ponere animum totum etiam in minimis, & magnum & ardentem effectum concludere in paruis: & pretioſior eſt diligentia minutorum, nam magnitudinis defectus ex affectu inſtauratur, qui eſt rerum pretium. Nihil rectè æſtimatur, niſi ex animo: magnum eſt minimum obſequium, vbi eſt animus magnus. At non rarò maior eſt animus in paruis: quare non minùs gratum ſæpè erit officium & ſolertia illorum. Magna per ſe excitant attentionem, & non moleſtant, quia rariùs contingunt: minima verò minùs admonent animum, nec expergefaciunt; & quia crebriora, fatigant: quare animus curator minimorum, magis eſt in illis, quia magis vigil, magis conſtans, & pertinax ad obtemperandum eſſe videtur. Non igitur magnus deſiderator Chriſti erit, qui ſolùm magna curat: non erit ardens amator Dei, qui mundum & ſe reliquit in magnis, niſi etiam in minimis. Sculptoris ars perfecta non eſt, cortice ſpoliare truncum, & deuaſtare per magna fruſta; quilibet hoc faciet: ſed poſteà feſtucas minutiſſimas ſcitè recidere, ſubtiliſſimas cauitates euacuare, & minimis manum imponere, ſolus magiſter artis poteſt. In tabula vmbras & primos colores tyro artis ducere poteſt; ſed ad perfectionem picturæ, ſubtilitate periti manus & penicilli eſt opus, & in minimis lineis magnum opus conſummatur: ita in minutiſſimis officiis virtutum abſoluitur ſimilitudo Dei. Non eſt imago perfecta, quæ caput, ventrem & pedes habet; ſed in qua omnia affabrè ſunt laborata: cur rudem & informem imaginem vis te Deo præſentare ob defectum minimæ rei?

O infinite & perfectiſſime Domine, quid minimum poſſum putare, quod à te me amouere quàm minimum poteſt, aut magis aſſimilare? quid minimum reputabo, quod tu deſideras me vitare, aut facere? cur minimum prætereire poſſum pro maieſtate tua & gloria, quin faciam, omnia, cùm nihil pro vilitate & peccato meo prætermiſeris, quod non faceres? O ſpiritus remiſſe, ſi Angelus è cælo tibi nuntiaret quòd Deus vellet te pati tormenta ſancti Laurentij pro gloriâ ſuâ, & gratiarum actione ob beneficia à Chriſto collata in genus humanum, quàm ingratus eſſes, ſi fortè non haberes id pro magno fauore, & minimum id putares? Ecce, quid dices? non ignes, non equuleos, non carceres, non cruciatus Deus à te modò exigit, ſed vt attendas in hac te minima, & non negligas: magnum hoc puta: hæc eſt voluntas Dei vt hæc cures; & ſufficit. Martyres per magnarum pœnarum patientiam ſancti habiti ſunt: Confeſſores, per minimarum culparum impatientiam & fugam, ſanctitatem conſequuntur. Illi pœnas omnes tolerantes, vitarunt culpas: iſti nullas culpas tolerantes, vitant maiores pœnas purgatorij.

Capvt

CAPVT XV.

Laudem propriam vitandam eſſe.

QVi amat laudari, vult quid impoſſibile. Laus bonum aliquem publicat: ſed hoc ipſo quòd laudari velis, non modò vacuus es omni bono, ſed plenus maximo malo, nempe diabolico, ſuperbiâ, & ambitione. Licet audias laudari; non tu laudaberis, ſed alius. Laus boni eſt: ſed tu peſſimus eris, qui laudis es cupidus. Nequit bonus eſſe, aut laude dignus, qui tam vanus eſt, vt laudari quærat. Quare deſinit eſſe laudabilis, qui vult laudari: at ſi non eſt laudabilis, non poteſt fieri, vt laudetur, nam non erit, quod non potuit priùs eſſe. Si arrideas laudatoria, applaudis vituperatori tuo veriſſimo: quia iniuſtiſſimus es, ſiue iuſtum te putes, ſiue non: nam ſi iuſtum non te æſtimas, gaudes quòd mentiatur ille; ſi iuſtum te cenſes, ſatis hoc iniuſtum eſt præferri aliis, cùm nihil ſis. Cùm audis, Valdè iuſtus es, valdè bonus ei; qui talis eſt, laudatur: non tu, qui nec iuſtus, nec bonus es; ſed potiùs vituperaris. Laus iuſti, vituperium eſt iniuſti. Hoc ipſo indignus eſt laude, & contemnendus, qui de contemptu ſuo & conuitio dolet, aut in commendatione ſuâ tumidè afficitur: qui ſe non putat contemptibilem, excuſat contemptores ſuos.

Laus tua, mendacij filia eſt, & amator ignorantiæ, confuſionis, pudoris, & periculi: improbatio tua, veritatis filia, & mater meriti & doctrinæ: vtrum præſtabit, confundi & falli, an mereri & doceri? Ama ſolùm laudabilem eſſe, non laudatum, & ſat hoc eſt. Laudabilis ſolùm eris, ſi ſolùm laudem Dei & gloriam deſideres, & tui contemptum. Cur mauis videri bonus quàm eſſe; cùm deſinas omnino eſſe bonus hoc ipſo quòd optes videri, & æſtimari vanè? Cur æſtimas, alio falli, aut fallere, pluſquam æſtimare verè te ipſum? Cur te viliorem quàm lapidem facis, cuius non tantùm ſplendorem curas, ſed ne adulterinus ſit in ſe, vt pudeat geſtare in ornatu gemmas fictitias?

O Veritas laudabiliſſima, ô gloria rerum, quâ fronte laudem & honorem meum auſus fui ſemel quærere, qui te toties contempſi? Quâ fronte ſemper quæro æſtimari, qui licet ſemel tantùm negligenter tui gloriam procuraſſem, in æternum mereor contemni? Quàm impudentiſſimus, vel inſaniens eſſet, qui optaret laudem & honorem eius qui te inhonorauit infligendo alapam, aut te blaſphemare dixit, aut arundine te illuſit in paſſione tuâ? Peior ſum ego illis, & mentior ſi vlli eorum me præferam: quomodo de meâ laude & honore audeo cogitare; quanta inſania & ſcelus eſt quærere illum; imò quanta impudentia, ô ſpiritus infirme, non te putare dignum omni opprobrio, nec optare contemni ab omnibus?

Non ideò bonus eris, quòd te alij prædicent aut putent bonum. Ægrotus non ſanatur, quòd dicatur ſanus eſſe. Quid magis eligeres, eſſe ſanum & robuſtum, quamuis & reliquis putareris ægrotus? an eſſe ægrotum, & ab aliis putari & dici ſanum; cur eligis, te dici bonum, cùm ſis peſſimus? Imò moleſtiſſimum eſſet ægroto & dolenti, pluſquam ipſe morbus, ſi reliqui dicerent nullam ægritudinem habere, nullum dolorem, & immeritò queri: cur te gaudes ab aliis probum prædicari, cùm improbus ſis? Ægri tam abſunt, velint ſe dici ſanos, ſi non ſint, vt ipſi interdum ſoleant exaggerare morbum, & id gaudeant reliquos facere: ſic verus humilis exaggerat ſuam vilitatem, & gaudet quòd alij exagerent, & augeant contumelias & opprobria: igitur qui amat laudari, dat operam non tantùm rei impoſſibili, ſed ridiculæ.

Iniuſtus eris, laudes appetens & non opprobria, cùm plura ſuffragia ſint, quæ poſtulent contemptum tuum. Si libres te, præponderabunt mala tua, & defectus innumeri, pauciſſimis bonis, & iis alienis. Vis ſcire palàm, impoſſibile eſſe te laudari? impoſſibile eſt, habere ex te vnde lauderis. Collige exiguitatem humanam quòd velint æſtimari homines ob bona aliena: quæ ſi propria haberent, numquam gloriarentur de alieno; vt ſæculares præſumunt, quòd ingenuos equos habeant, fideles famulos, ſplendidas veſtes, cùm generoſitas potiùs ſit equi virtus, & cum generoſo equo poſſit eſſe dominus ignobilis & vitioſus. Fides gloria famuli eſt; cum bonis ſeruis iniquiſſimus herus poteſt eſſe. Splendor veſtis, laus potiùs ſartoris aut textoris eſt, & tunica decora poteſt tegere turpiſſimum pectus & fœdam conſcientiam. Eodem vitio, quod Dei eſt, ſibi tribuunt, etiam qui ſeculo renuntiarunt, dum non ſe penitus abnegant.

CAPVT XVI.

De vilitate hominis.

SI cum Deo pacem deſideras, ſuper omnes & omnia te humilia. Deus reſiſtit ſuperbis, terribilis vox: non minùs horribile eſt, quòd ſuperbus reſiſtat Deo. Deus reſiſtit ſuperbis, ne malè agant: ſuperbus reſiſtit Deo, ne beneficiat. Deus reſiſtit ſuperbis, ne mali ſint, & peſſimi per ſuam ſuperbiam, quos ideò curat humiliare: ſuperbus reſiſtit Deo, ne bonus ſit & beneficus, impediendo dona diuina. Euidentiſſimè coniice, te eſſe viliſſimum, hoc eſt, ſuperbiſſimum, cùm reſiſtas Deo: alioqui innumera alia beneficia, gratias virtutes in te contuliſſet. Euidens eſt, ſupra te nubem eleuatam eſſe, quæ reſiſtat ſoli, ſi in medio campo & die non te tangat expeditè radius eius: totus tunc in vmbrâ eris, quamuis vmbram nullam tunc videas: nemo magis vilis & refertus defectibus, quàm qui nullam vtilitatem aut defectum in ſe videt, quia ſupra ſe elata mens opponatur Deo & claritati. Nullum eſt patentius incidium ſuperbiæ noſtræ, quàm cohibitio beneficentiæ diuinæ; quia reſiſtit deſiderio Dei ardentiſſimo ſe profundendi, infinitæ paſſioni Chriſti, interceſſioni Virginis, orationibus Sanctorum. Magna eſt mea malitia, & profundiſſima miſeria, cùm vnus ſolus tot reſiſtam; obſtruens, quatenus in me eſt, quinque fontes Sanguinis Chriſti, & obſtans torrenti liberalitatis diuinæ. Licet tam amentes eſſemus, vt in nobis nullum peccatum noſceremus nec defe-

ctum, ex hoc ſolo iudicio nos debemus firmiſſimè credere ſuperbiſſimos & viliſſimos; nec,ſi peccata non ſufficiunt, aliud magis nos in humilitate continere oporteret: non vermes, in quos ituri ſumus; non cœnum fœtidum, ex quo geniti ſumus; non ſtercus,quo,dum viuimus, referti ſumus; non miſeriæ corporis,quibus ludimur; non ignorantiæ animæ, quibus noſtro conſilio illudimur. Plus quàm ſatis eſt ad nos humiliandum infra omnia,videre Deum non magis communicari nobis, & defectus noſtros permittere.

O humilis Maieſtas Dei,quàm chara & deſiderabilis eſt tibi humilitas noſtra! Mortuus Chriſtus fuit pro peccatis:ſed peccata permittit pro humilitate. Anne maioris ſtetit humilitas hominis, quàm vita Dei? Anne pluris fecit IESVS humilitatem noſtram, quàm ſuum redemptionis beneficium, cùm peccata,pro quibus vitandis vitam & ſanguinem fudit, & humiliatus fuit deſcendens de cælo,permittat, vt vitet ſuperbiam noſtram; & qui peccata redemit ſuâ humilitate & morte, ipſis peccatis noſtram humilitatem velut redimit. Quid eſt hoc ferè incredibile, quod ferè incredibilia fecerit Deus, vt humiles ſimus? cùm alioqui incredibile videatur, quòd ſuperbire poſſimus: nam impoſſibile eſt,vt inueniatur vnde.

Nihil noſtrum eſt, & nihil ſumus. Imò ſi multa haberemus, & magnum aliquid eſſemus; ob ea quæ fecimus, neſcio quomodo audemus aſpicere cælum. Vndique viliſſimi ſumus, ob id quod ſumus, & ob id quod non ſumus; ob ea quæ fecimus, & ob ea quæ non fecimus; ob ea quæ fecit Deus pro nobis, & ob ea quæ non fecit in nobis. Et quia ipſe tantus eſt, & quia nos nihil ſumus; quis non ob peccata, quæ fecit,ſe humiliabit? Sed non minùs deiici debet ob peccata quæ non fecit: nam nullam ex nobis partem in hoc habemus, & minus noſtrum eſt non peccaſſe; & quantum ex nobis eſt peccaremus. Ita debes maiorem obligationem Deo, cui non reſpondes, & parem rationem humiliandi, ac ſi peccaſſes. Res non debent æſtimari ob exercitium, ſed ob virtutem. Non magis venditur gladius,qui occidit multos,quàm qui potuit plures occidere,& meliùs trucidare: tua malitia tot illa peccata patraret; quòd non fecerit, non eſt in te,ſed in Deo. Æquè etiam te debent humilem tenere peccata aliena, vt tua: nam licet commiſiſſe propria, non ſit ſupra te; non commiſiſſe aliena, eſt gratia Dei, quæ eſt ſuper omnem naturam, & maiores gratias Deo debes; quia maius eſt,Deum præſeruaſſe ab illis,quàm remiſiſſe: quare ſi non es reus pœnæ, es reus maioris gratitudinis, & humiliationis. Quæcumque peccata audieris ab aliis patrata, ſtatim te reum illorum cenſe. Maior occaſio ſe humiliandi fuit beatiſſimæ Virgini,eſſe præſeruatam à peccatis; quàm Magdalenæ, feciſſe tot & tanta remiſſa, & ipſam ſeptem dæmoniis fuiſſe liberatam. Ob bona etiam quæ non fecimus propter negligentiam noſtram, debemus humiliari,& etiam ob bona quæ fecimus: nam illud noſtrum eſt,hoc Dei. De alieno nemo gloriari iuſtè poteſt, ſed pudere ob ingratitudinem, & ſatagere ex obligatione. Ipſa prætereà bona corrumpimus, & malè facimus, & exigua & pauca ſunt.

Sed quis cogitans, quæ humilis IESV pro nobis feciſti,audebit ſe extollere de factis ſuis? Confer, ô ingrate ſpiritus, leue & ridiculum opus tuum, ob quod gloriâ inani ſolicitaris, cum infinito opere Incarnationis, Euchariſtiæ & Paſſionis: nónne præ verecundiâ tibi frons decidet? Deus, qui eſt totum,ſe exinaniuit pro te: & tu, qui es nihil, te putas aliquid contra Deum, cùm pro Deo tam amanti & feruenti nihil facias feruidè. Quis cogitans, quæ non fecit Deus,non ſe humiliet,quòd non te ad inferos detruſerit poſt primum peccatum, vt fecit cum Angelis?

O homo, infamia creaturarum, quid tuum putas honorabile,& vſurpas,& non potiùs ſtatim offers Deo, cui tot beneficiis obnoxius es? Si multa, quæ verè noſtra eſſent, haberemus; deberemus offerre & tribuere Deo, ob ea quæ pro nobis fecit: quomodo tam amentes, ingrati,& iniuſti ſumus, vt ea, quæ ſunt Dei, faciamus noſtra; quæ etſi verè noſtra facere potuiſſemus, intolerabilis inuerecundia fuiſſet non feciſſe potiùs Dei. Quid mirum, ſi aliqua Deo dares, cùm omnia & ſe ipſe dederit tibi? Vtinam haberes multum, vt offerres Deo! ſed cùm non habeas, plus gaude; & de paupertate tuâ gloriare, qui omnia vides Dei eſſe: quæ ſi tua fuiſſent, illi dares: gaude, votum tuum eſſe naturam eius.

Pudendum magis eſt,quòd interdum gloriamur de malefactis velut bonis: & corrupta opera Deo obiicimus, quaſi qui obligauerimus eum. Quæ inſania maior, quàm putare obligare cui ſoluere nequis,& iis rebus quibus magis ad pœnam obligaris? Quin ſi bonum aliquod opus eſſet integrum & perfectum,non eſt à te:nec proinde tuum dicere debes: de alienis quomodo Dominum potes obligare, & creditori ſoluere? Imò ſi noſtrum fuiſſet bonum opus, in quo Deus partem non haberet; cur Deo ſatisfeciſſe putas in illo, & oſtentas illud, cùm eâdem menſurâ, quâ menſus fueris, remetietur tibi? Si hoc cum hominibus ſeruandum, cur non cum Deo? Miſerè metiris dona Dei: tam parum putas feciſſe Deum pro te, vt paruulo hoc obſequio putes ſatis compenſari? Metiamur Deum magnâ menſurâ,exiſtimemus illum magnum, nec noſtra obſequia poſſe æqua eſſe eius humilitati, & paſſioni,ne dicam eius Maieſtati & beneficentiæ.

Qui non putat ſe parum ſeu nihil facere, iniuriâ Deum afficit, æſtimans illum dignum duntaxat paucis. Diſce à Deo humilitatem, qui poſt omnia beneficia in te collata nihil feciſſe reputat; perinde tecum ſe gerens, & remunerans tua merita, quæ ſine illo non faceres, ac ſi ipſe nihil in illis profuiſſet: cur tu ita vſurpabis obſequia, & bona opera, ac ſi ſolus feciſſes, & nullam partem Deus haberet, cùm totum ille præcipuè faciat? Cur item potes te iactare meliorem aliis,cùm contriſtari deberes potiùs quòd alij minus bonitatis haberent, & id computare deeſſe tibi? Non eſt multa claritas Dei in te, nec charitas, ſi attendere potes excellentiam tuam potiùs quàm tuum nihil. Stellæ cùm remotiores ſunt à ſole, cùm minus lucis habent, vna videtur aliam excedere, & tunc lucent; ſed hoc fit, quia nox eſt,& tenebræ:at cùm dies venit,& propinquiores

res

Digitized by Google

res ſunt ſoli, quia ſunt in eodem hemiſphærio cum illo, tunc quamuis vna excedat aliam, & plus lucis participent, non videtur vera luceat magis, imò nulla videtur lucere; perinde ſunt, ac ſi nulla ſtella in cælo eſſet & merè nihilum. Imperfectus eſt, & non illuminatus, cui parua lux cæli affulget. Qui in nocte propriæ quæſitionis & amoris eſt, audet putare ſe eſſe aliquid, & meliorem aliis: Sancti verò qui adhærent Deo, licet pleni meritis ſint, putant ſe excellere nemini, ſed merè nihil eſſe, adimplentes cum Iesv ſuo omnem iuſtitiam, id eſt humilitatem. Iuſtus eſt humilis, quia à ſe reiicit totum quod eſt alienum, nec retinere vult. Qui nihil putat ſe eſſe, quomodo contra conſcientiam fiet iniuſtus tum aliis, dum ſe præſumit meliorem, tum Deo, dum credit ſe bonum? Nam nemo bonus, niſi vnus Deus: ſi nemo bonus, nemo melior.

Ob fortunæ quoque bona non eſt cur te præfeſtas iis, quos pauperes vides, humiles, ignobiles: ſed potiùs venerare iſtos ob ſimilitudinem Chriſti in illis ſplendentem. Inops fuit Iesvs, humilis, à Iudæis maledictus, inglorius, ſubiectus peſſimis Principibus: quod Chriſtus elegit, & æſtimauit, tu ne contemnas.

Capvt XVII.

Quæ contineant hominem in humilitate, & quòd nihil poteſt habere, niſi ſolum Deum.

Dvo te poſſunt humilem continere; & vilitas tua, & vilitas rerum & honorum. Licet magnus eſſes, dignitates omnes mundi, vt paruas, viles, & indignas contemnere deberes; & quamuis magnæ eſſent, deberes recuſare, quia tu vilis, indignus. Nihil es niſi mendacium & peccatum: ne te decipias, nec velis excuſari; iniquitates tuæ id clamabunt. Cur inter tot peccata ob vnum opus apparenter bonum te attollis? vnâ ſolâ plumâ aquila non ſe in ſublime efferret. Pauo cùm totus pulcher ſit ob vnum pedum defectum ſe humiliat: tu totus defectibus plenus, ob vnam fictam virtutem ſuperbire audes: Recordare infamem te eſſe ab ortu tuo originali culpâ: perinde vt homo notatus infamiâ coram nobilibus adeſt, ſic te habe coram Angelis puris. Parricida es ob peccata tua Filij Dei; & fratris tui Iesv: peſſimo Cain concidit vultus, & tu erigis ceruicem? Reputa te ſemper talem, nec audeas ſine pudore & timore aſpicere Patrem dilectiſſimum.

Qui contempſiſti Verbum Dei & Filium; cur æſtimas dictum hominis? Quid præſumis, cùm nihil hactenus feceris; cùm poſtquam feceris omnia, eris ſeruus inutilis? Imò hic eſt magnus & indebitus titulus, cùm non poſſis habere vnde Deo ſeruias, cùm eius ſint omnia, & ipſe ſeruiat potiùs nobis. Tam vilis & pauper es, vt nihil habeas, nec poſſis habere: quod fortè ſi intelligas, primùm triſtaberis, intuens luce clariùs paupertatem tuam, deſperans aliquid tuum habere poſſe; ſed citò ingentem lætitiam habebis, intuens diuitias Dei, quòd omnia habeat. Gaudeo, Domine, impoſſibile eſſe mihi habere aliquid, quia impoſſibile tibi eſt non habere omnia. Quid contriſtor omnia aliena mihi eſſe, ſi Deus poteſt meus eſſe? Quàm ineffabile gaudium eſt, nihil poſſe eſſe meum, nec me ipſum, niſi ſolum Deum! cuius patens indicium eſt, quod nullâ re licitum ſit mihi frui, niſi ſolo Deo. Reliquis rebus, & me ipſo, vt alienis, ſolum licet vti, non frui. Non eſt dominus rei, cui ſolùm vſus eſt conceſſus ad tempus: illa potiùs res haberi dicitur, quâ frui in æternum licet. Qui mundi ſolum habet vſum, habebit vſumfructum Domini ipſius mundi.

Gratulor mihi nihil ex me habere, quod poſſim, Domine offerre Maieſtati tuæ: quid enim valeret quod ex me haberem, vt coram te compareret? At quia à te ſunt, quæ poſſum offerre, aliquid bonum habebunt, quod ſit à te; & inde poſſum placere. Ex me quomodo poſſum habere aliquid, cùm nihil ſim? imò hoc ipſo quòd putas aliquid eſſe, ô ſpiritus elate, coniice te minorem eſſe, magis vilem. Aeger dum adhuc ægrotat in lecto, non ſentit imbecillitatem ſuam: at dum meliùs ſe habet, & conualeſcens ſurgit, tunc cognoſcit debilitatem, cùm non poſſit per ſe conſiſtere. Dum magis ſeruis Deo, proficis & ambulas in viâ Domini, magis humilis debes eſſe & timere; tunc te cognoſces viliorem. Aeger dum eſt in lecto, non eſt cur timeat ne cadat: at dum ſurgit, & incipit ambulare, tunc noſcens infirmitatem propriam, non de ſe confidit, ſed alij connititur & adiuuatur, timens cadere.

Quid igitur extolleris, cùm, hoc ipſo quod extolleris, vilior ſis. Quodammodò magis es ridiculus, quàm Lucifer, cùm de minoribus te effetas. Quid eſt natura tua comparata cum naturâ Cherubim? Quid eſt ſanctitas tua, collata cum ſanctitate gratiæ quæ placuit Deo primus ille Angelus? Quid videri vis & haberi apud alios? nihil poteſt tuum habere; & quod minus poteſt habere, eſt honos. Tota gloria ſolius eſt Dei, qui cùm cetera det hominibus, gloriam ſuam alteri non dabit. Si benè operans, ſat eſt quòd ſciat Deus, videat & approbet, qui remuneraturus eſt, & cui placere intendis. Sanè ſi ardenter amares Deum, & ſeruus fidus eſſes; optares, niſi impoſſibile foret, facere aliquid pro Deo, quod Deus non eſſet remuneraturus, aut non videret; & dumtaxat ſtuderes eſſe fidelis illi, de præmio nihil curans. Inter fideles amicos vnus alteri proſpicit, & bona officia præſtat, etiamſi alter non ſciat, imò ſæpè occultat: nam non quærit aliam mercedem, quàm fidelitatem & obſequium erga amatum: ſic qui ſincerè amat Deum, non aliam remunerationem magis deſiderat, quàm ſeruire illi, & ſeruare fidem. Imiter, Domine, fidelitatem tuam erga me perfidum, qui innumera mihi officia præſtas, beneficia confers ignaro, & cùm ſcias me numquam agere gratias pro illis. Cùm mala agunt homines, cupiunt vt tu non videres: ego, Domine, iam reſipiſcere volo, & mutare meos mores. Quare cùm mala egero, quod frequenter erit, volo vt tu videas, vt caſtiges & me adiuues, ne iterùm faciam: at cùm bona egero, te adiuuante, potiùs vellem vt tu non videres, quàm quòd videant homines. Si

Digitized by Google

eximius Dei amator non agit bona propter teſtimonium Dei; quàm mendaciter amabit, qui quærit homines teſtes?

Capvt XVIII.

Quantum debeamus gratiæ Dei & Chriſti.

SVperbus adhuc eris, ſi te putes puluerem & cinerem, cùm nihil ſis, niſi mendacium & peccatum. Nihil boni habes; cur extolleris contra Deum? multa mala habes; cur non erubeſcis etiam coram hominibus? Omnia mala habere potes, cur non contremiſcis vbique & ſemper? Omnia mala facere potes; cur non formidas te? Ipſa eſſentia tui non eſt tua, niſi Dei. Imò id quod habebas, antequam eſſes, tuum non erat: habebas tunc merum nihilum quod poterat eſſe; hoc ipſum non ex te habebas, ſed ex Deo: qui ſi non eſſet tu, non poſſes eſſe. Quid re magnum putas, cùm ipſum quod nihil eras antequam createris, non eſſet ex te? ideò pluſquam te debes Deo; nam debes etiam, cùm nihil eras, poſſe eſſe.

Creatus fuiſti: dic, quod membrum arbitrio tuo fuit factum, aut cui articulo alicuius digiti lutum profuiſti, aut miniſtraſti materiam ad eum formandum; aut quâ prece tuâ impetraſti creari à Deo, & eligi inter infinitas naturas & indiuidua meliora, quæ in ſuo nihilo relicta ſunt? Quâ diligentiâ tuâ effeciſti, ne formareris cæcus, mutilus, amens, barbarus? Gloriaris de ingenio de integritate corporis, de nobilitate generis; vtique id licet, ſi monitus Deus à te id fecit. Dices: Non glorior me creatum eſſe, ſed talem eſſe, induſtrium, ingenioſum, morigerum. Dic quæſo, ſi conſilium non dediſti Deo, vt te crearet, an conſuluiſti vt te crearet ingenioſum & talem? Si non monuiſti Deum, vt tibi daret meliorem mentem; cur gloriaris de ſublimitate illius? An tu elegiſti mentem, & aſtutiâ tuâ ſcrutinia feciſti inter illam, infinitarum rerum multitudinem quæ creari poſſent, vt extraheres animum præſtantiorem? Non, inquies, glorior de naturæ dotibus, ſed de officiis virtutis, quam ſecutus ſum, cùm alij peſſimi contemnant. glorior meliorem me illis eſſe, & virum bonum, glorior ſatisfeciſſe muneri meo. Imò pudeat vix ſemel ſatisfeciſſe, & millies corrupiſſe. O inique diſtributor, deteriorem partem tribuis Deo. Te eſſe tribuis Deo, & arrogas tibi bonum eſſe: plus eſt bonum eſſe, quàm eſſe: cur illud tibi vſurpas, cùm in eo quod eſt minus, nullam potueris partem ponere? Plus diſtat inter bonum eſſe, & hominem eſſe, quàm inter hominem & nihilum. Ex nihilo te potuit Deus facere hominem, imperando, agendo, & viuendo; ſed ex homine non fecit bonum, niſi ſeruiendo, patiendo, & moriendo. Iniuſtiſſimè partiris, tribuens Deo naturam, & tibi gratiam.

Neminem vidi ſuperbire, ex eo quòd ſit; & ferè omnes, quòd boni & meliores ſint; cùm potiùs liceret arrogantia illa: nam plus habuiſſes (ſi habuiſſes aliquid) cùm nihil eras, vt eſſes; quàm poſtquam fuiſti, vt eſſes bonus & iuſtus: nam ad creationem, ſolùm non adiuuimus; ſed ad iuſtificationem inſuper impediuimus. O patientiſſima Veritas Dei, quomodo toleras mendacem arrogantiam noſtram, niſi quòd ridicula ſit, dum eius rei auctores nos præſumimus, cui maximè reſiſtimus & deſtruimus? Si tam modeſti ſumus contra ea quæ ſunt in ſuo nihilo relicta, vt aduerſus illa non gloriemur, quòd ſimus: cur inuerecundi aduerſus Deum gloriabimur, quòd boni ſimus; & aduerſus alios homines, quòd meliores ſimus? Cur ſuperbis, ô anima, de eo, in quo maximè verecundari deberes? Quòd nihil fuiſti, nihil eſt quòd pudeas; ſufficit non ſuperbias; non eſt enim vlla ignominia: at quòd impedimento fuiſti Deo peccatis tuis, multum abundat, vt profundiſſimâ confuſione erubeſcas.

A quo accepiſti eſſe, accipies benè eſſe. Quemadmodum nihil fuiſti, vt eſſes: ita creatus, nihil fuiſti vt eſſes bonus. Si nihil ad naturam, ita nihil ad gratiam, ex te ipſo ſolùm, & à te ipſo habes. Imò licèt nihil feciſti vt eſſes, nihil malefeciſti ne eſſes: at vt eſſes bonus nihil ex te feciſti; & ne eſſes bonus, multa malefeciſti.

Natura humana, etiamſi illâ integritate & excellentiâ, in quâ creata eſt, maneret, non ſeruaret ſe ex ſe, niſi ex Deo. Quare ſi gratiam, quam accepit, non poſſet ex ſe ſeruare; quomodo quàm perdidit, poterit reparare, & de acquiſitione gloriari? Memento infamiæ & corruptionis naturæ noſtræ poſt peccatum: ſi cùm ſana & honorabilis erat, nihil ex ſe poterat; languens & contemptibilis quid poterit? Vas non gloriatur ante artificem de formâ & vſu, cùm poſſet de materiâ, quam non fecit ille: tu ante Deum nihil habes, quòd glorieris, adhuc ex nihilo factus; cur de formâ & bono vſu gloriaris, qui de abuſu erubeſcere potes, & de materiâ nequis gloriari, quia ex nihilo es? Non habes vnde bonum aliquid habeas, quia ex nihilo nihil fit, vt ex causâ. Si nihil ex te es, nihil ex te potes, nihil ex te operaberis: nam operari ſequitur eſſe. Si nihil ex te es, nihil potes, nihil operaris; quantò minùs aliquid bonum? Si quod nihil ex ſe eſt, nihil ex ſe habet, aut poteſt ſolum ex ſe poteſt, & habebit peccatum, quod defectus & nihil eſt, & nihilo ipſo deterius & minus. Oculus ex ſe potens eſt ad tenebras, & ad non videndum; ſed ad viſionem nihil poteſt ſine adiutorio lucis.

Quod eſt ſupra naturam, & ſupra te, nempe abnegare ipſam naturam, & te ipſum; non poteſt eſſe ex te, & naturâ, ſed à Deo, qui eſt ſuperior te & naturâ. Si non credis rationi, crede fidei; nihil es niſi mendacium & peccatum: perditio tua ex te tantummodò. Non idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Si non poſſumus cogitare aliquid, quomodo exequi bona opera? Ferri poteſt, quòd videaris ſtultus; ſed non ſuaderi poſſum, quòd velis eſſe hæreticus: quæſo cur deſpicis mundum, & aliquem æternorum amorem iam habes? quia expertus es inconſtantiam temporalium, & vidiſti inopinabiles calamitates, & mortes locupletum & potentium, & ſimilia; an tu fuiſti qui ita prouidiſti res, vel Deus? an prouidiſti Regis illius aut potentis hominis mortem, & tu commo-

ueteris

Digitized by Google

ueteris perſpectâ inſtabilitate rerum? Præterea hæc eadem publica & nota aliis ſunt: cur ceteri non vt tu commouentur ad contemptum mundi; cur cùm alius eſt motus, alius in peccatis perſiſtit? Aliquam ſimul cauſam diuinam huius differentiæ debes fateri, quæ ſolùm in nobis & ex nobis non ſit. Fortoſitan perinde quaſi ex te eſſet, gloriaris quòd tu mouearis, non alij. Dic quæſo, quoties ſimiles caſus, & efficaciores contigerunt, & non commotus fuiſti? Igitur, quòd modò conuertaris, non venit ſolùm ex te, ſed ab arcana aliquâ & prouidâ virtute, ſolicitudine & amore eius qui noluit, vt amplùs morareris in tuo errore, & ad agnitionem veritatis ſuauiter te excitauit; & taliter diſpoſuit omnia, vt noueras te inde commouendum. Reſpondebis, ideò nunc te commotum eſſe, non anteà, quia abfuit, aut mortuus fuit peſſimus amicus, cuius ſocietate pertrahebaris ad vetuſtos & peſſimos mores, aut præteriit occaſio peccato opportuna. An fortè ex hoc præſumes? Fuitne in manu tuâ mors vel abſentia iniqui ſocij, vel opportunitas hæc? ânne potiùs Deus fuit qui ita diſpoſuit, & inſuper præparauit tibi bonorum ſocietatem & exemplum, vt eius imitatione promoueretis?

Similiter quidquid boni habes & facis, aut ſi quo malo cares & abſtines, eſt quia Deus pro tuâ vtilitate res diſponens impedimenta remouit, & incitamenta boni opportunè propoſuit; & inſuper ad plurima ſupernaturales habitus aut auxilia infudit, quæ excedunt omnem facultatem naturæ. Quam partem ad hæc tu habes? ſi non inuenis; quanta inſolentia eſt tibi tribuere totum? Aut gratiam Dei debes agnoſcere & nihilitatem tuam, aut Deum cum Epicuro relegare, & priuare mundi gubernatione, nullam illi prouidentiam tui relinquendo. O ſapientiſſima Dei Veritas, miſerere, miſerere mei amentiſſimi; qui magis & magis delirabo, quàm ille Philoſophus, numquam tantoperè ineptiens vt diceret ſe prouidere res, nam faceret ſe meliorem Deo: verùm qui præſumit de ſe in opere honeſto, prætterquam quod Deo tollit prouidentiam rerum, ſibi eſt neceſſe vt illam vſurpet; quoniam ſi aliter occurerent res, non opus honeſtum, ſed vitioſum faceret: licet caſu aut fato res acciderent, non eſſet cur ſibi aliquid attribueret?

Qui in bono naturæ ſibi plaudit ſolùm, negat ſe à Deo creatum: at qui in bono virtutis gloriatur, negat omnem mundum, & vniuerſas res à Deo creatas, diſpoſitas, prouiſas in bonum noſtrum: in illo adimit Deo dominium vnius dumtaxat naturæ, ſuæ nimirum; in hoc adimit dominium totius vniuerſi: in illo adimit omnipotentiam Deo; in hoc etiam ſapientiam & bonitatem, negans ſapientiſſimè ita prouiſum à beneuolo & amantiſſimo Patre pro noſtrâ ſalute & bono. Qid dicam in iis virtutibus quæ ſuper omnem naturam ſunt, & in altiſſimo ordine proportionem quamdam cum Deo habent, & velut in gradu diuino Deos, vt ſic dicam, nos faciunt, aut ſupponunt per participationem altiſſimam naturæ diuinæ; & in iis quæ Deum proximè contingunt, fide, ſpe, charitate? de quibus ſi quis præſumat, opus eſt vt neget Deum eſſe ſuperiorem naturæ, aut ex ſe putet ſe eſſe æqualem vel ſuperiorem Deo.

Caput XIX.

Quòd ſe debeat homo non tantùm ſentire nihil eſſe, ſed maximum Peccatorem.

Magna portio humilitatis deeſt tibi, ſi putes ſolùm nihil boni ex te habere; oportet vt iudices etiam peſſimum te eſſe. Primum peccatorum ſe dixit ſanctus Paulus; nec potuit mentiri os illud Spiritus ſancti: an tu fortaſſe meliorem te putabis tanto Apoſtolo; & eſſe exaggerationem aut modeſtiam, te appellare maximum ſceleratorum? Seriò te iudica primum inter peccatores, & vltimam creaturarum, quia nulli te debes præferre. Nullus minus quàm tu habuit, miſericordiam Dei flecteret: ne putes eſſe modeſtiam ſentire hoc; nam nihil tui bonum præceſſiſſe, eſt fides diuina. Non eſt fundamentum vt alium putes fore minùs gratum, ſemel adhuc conſecutum miſericordiam, & beneficia Dei, quibus tecum eſt vſus: nec tam temerè de alio iudicare licet, qui ferè debes cenſere impoſſibilem eſſe maiorem ingratitudinem, quam in te parentiſſimè agnoſcis. Si verè doleres de peccatis, id ſeriò putares. Qui acutiſſimo dolore torquetur, non putat ſimilem alium dolorem eſſe, nec putat alios ita cruciari: affectio ad ſe inclinat iudicium. Si aliquis amor humilitatis eſſet, facilè iudicares te omnium peſſimum. Superbus meliorem omnibus ſe præſumit, ex amore exaltationis; & quia aliorum eminentias non conſiderat, ſed defectus: tu ſi humilis eſſes, peiorem cunctis te putares; tuos defectus videres, non alienos, niſi ſolas virtutes.

O Maieſtas ſummæ Veritatis, quid opus eſt interpretatione; fateor coram Angelis tuis, hominibus, & ſpiritibus malignis, ſine vllâ tergiuerſatione, me eſſe omnium creaturarum viliorem. Dignitas moralis rationalis creaturæ, quæ eſt verè eius laus, pretium, & valor, conſtat ex cognitione & aduertentiâ obligationis ſuæ, & operatione iuxta illam: hæc in nemine maiori ſunt vitiata abuſu, quàm in me. Licet plures viri ſancti maiorem lucem habuerint, & aliqui homines in numero exteriorum peccatorum re ipſâ fortè exceſſiſſent; ſed hæc copula, plus peccaſſe, & neglexiſſe maiores obligationes ſuas, cum cognitione illarum, admonitione conſcientiæ, & inſpirationibus cæli, in nullo, vt in me, inuenitur. Si aliquis plura quàm ego peccata forſan fecerit, minores inſpirationes accepit, & obligationes pauciores habuit: ſi aliquis magis admonitus & obligatus à Deo fuit, minùs peccauit, & magis reſpondit: ſi fortè, quod non poſſum credere, aliqua creatura fuit, quæ plus peccauerit, & maiorem cognitionem officij ſui habuerit, adhuc non puto eam deteriorem me fore; quia non eſt cognitura, nec habitura maiores obligationes: & quamuis alius maiores obligationes haberet re ipſâ, ego id non puto: officia autem virtutis ex conſcientiâ ponderanda ſunt; cumque ego putem me plus omnibus teneri ad ſeruiendum Deo, & minùs ſeruiam, omnium ingratiſſimus & viliſſimus ero. Antichriſti peccata licet exceſſiſſent numero, non

excedet eius cognitio, illuſtratio, & obligatio: nam non toties remiſſionem peccatorum conſequetur, vt ego, nec tam efficacibus & inſtantibus beneficiis & inſpirationibus ſolicitabitur, nec ab occaſionibus peccandi præſeruabitur. Lucifer licet maiorem à Deo lucem habuerit, non niſi propter vnicum peccatum damnatus fuit; nec habui obligationes quas ego: non pro illo factus eſt Filius Dei Angelus, non fudit ſanguinem ſuum. Iudam quoque necdum Chriſtus obligauerat, vt obligauit me; nondum mortuus erat. O humilis & mitis immenſitas Dei, quomodo me toleras, quia non confundor & abſorbeor in profunditate ignominiæ meæ! Ne quæſo alicui me præferam, cùm non inueniam fundamentum ad ſuſpicandum alium eſſe deteriorem.

Maioris peccatoris ſcelera numero finita ſunt: quomodo ergo non illi ſubiicior, qui in infinitum peccare poſſum, & efficaciam in me habeo, vt totum mundum inficiam? Nam iniquiſſimus ſum poſt tot beneficia, exceſſum Dei amoris, inſpirationes diuinas: quid ſi Deus meam malitiam non cohibuiſſet ſuâ gratiâ in me & in aliis? Singulis peccatis aptior factus ſum in dies, vt peiùs corrumpam me, & vniuerſos. Si vnum peccatum Adami tot infecit innocentes poſteros, ſi vnum peccatum Achan totũ Iſraël reum fecit vindictæ diuinæ; quid faciẽt mihi peccatori infinita ſcelera? Neſcio, ſpiritus infirme, quomodo non deficis, conſiderans exiguitatem tuam, & deinde magnam multitudinem culparum tuarum, ſi componas hæc cum immenſitate Dei, cum multitudine beneficiorum eius, cum magnitudine operum redemptionis Chriſti, cum indicibili dilectione & fidelitate eius erga te; præ quâ parua videbuntur opera ſtupenda quæ pro te fecit, & à quâ ſolùm quaſi coactus eſt illa facere. Sed adhuc nihil eſt, quidquid de vilitate & infamiâ tuâ comprehendi poteſt, & longè infra rei veritatem manet: imò puta nihil; nam in infinitum viliorem te inuenies, ſi à Deo illuſtraretis. O pretioſiſſima Veritas, ſi ita eſt, quomodo non me deſpicio, dedignor, aſpernor, vt neſciam quid de me cogitare & facere poſſim? Miror me non ſtudere reuereri plus Deum, ſtupeo non magis me contemni deſiderare.

Vnum ſolum delictum, eum, qui committit, facit infamem, etiam apud homines peccatores, qui neſciunt penetrare malitiam peccati, nec odium dignum illius habent: quomodo tot mea peccata & negligentiæ coram ſanctitate Dei, Angelis puris, & Beatis glorioſis, me deformabunt; & dehoneſtabunt? nam licet ſperem plura dimiſſa eſſe per miſericordiam Dei; quod ſemel fui, ex me ſemper ſum, nec magis ex me ero. Si ſemel in me fuit, vnde vilem ſemel me putarem; cur non ſemper? nam ex me numquam plus boni habeo: potiùs pudor debet creſcere, & humilitas de peccatis præteritis, quò magis acceperim miſericordias diuinas, cùm experientiâ didicerim, me contempſiſſe tam bonum erga me Dominum, & modò ingratum permanere. O ſpiritus viliſſime, quomodo cum tantâ ingratitudine non te putas indignum omni gratiâ Dei? quomodo audes vllam gratiam petere? quomodo, ſi tibi à Deo vltrò conceſſa eſt ſine poſtulatione tuâ, non contremiſcis, vt ferè dubites quid melius foret carere Dei dono, quàm exponi iterùm periculo abutendi quod toties contempſiſti? Sed in ſpe, Domine, miſericordiæ tuæ, volo eſſe audax & temerarius, imò importunus toti Curiæ cæleſti, oſtentans vilitatem & vlcera mea; nec ceſſabo clamare ad omnes & ſingulos Beatos, donec moleſtiſſimus ſim, & ſaltem propter improbitatem, cùm alium titulum bonum ex me non habeam, conſequar maiorem gratiam & miſericordiam IESV, ne me deſerat, quòd deſeram gratias eius.

CAPVT XX.

Quid ſit, nihilum ſe dicere & maximum peccatorem.

ALios ſeduces, dicendo te nihil eſſe, & maximum peccatorum, ſi non ſentias: ſed te decipies, ſi id ſentias, & non conformiter opereris, & conſequenter te tractes & habeas. Quid putas eſt, nihilum eſſe? perinde nihil de te ſolicitari, vt gloriam Dei quæras, ac ſolicitaris de iis, quæ non ſunt de relinquendo ſe penitus, & exinaniendo in omni patientiâ. An fortè impatiens eſſes contra eum qui aërem verberaret, aut iracundus aduerſus illum, qui extra mundum in vacuo ſpatij imaginarij poſitus, in nihilum illud inane ictus mitteret & obiurgaret? Sic tu, ſi nihilum te putas, & vacuus tui es; in quantum potes, non debes commoueri ob quaſcumque iniurias: alioqui iam aliquid te eſſe æſtimabis. Tuam reputationem & commoditatem quærere, cùm te dicas nihil eſſe, perinde erit ridiculum & otioſum, ac ſi nimiùm anxius eſſes, quomodo honoraretur & fortunaretur homo qui nondum creatus eſt, nec eſſet creandus. Quare ita debes affici erga te & tua, ac ſi non eſſes creatus.

At dum te nihil verè & ſeriò æſtimas, mirificè te purgabis, ad munera Dei & ipſum Deum ſine impedimento ſuſcipiendum. Natura non ſuffert vacuum; nec Deus patitur manere humilem vacuum, quin ſtatim ipſe impleat. Deus vt fieret homo exinaniuit ſe: nónne vt homo fiat Deus, vnus ſpiritus cum Deo: debet exinaniri? Exinanitio tui erit, te ſemper æſtimare & curare tua, ac ſi merum nihil eſſes, nullam circa te cogitationem inſultare, quæ ſapiat aliquid tui, & terrenum; denudare te prauis affectibus & habitibus, vt nihil tui habeas, velut ſi recens à Deo creatus eſſes è nihilo. Deus ſe exinaniuit pro te, gerendo ſe ac ſi non eſſet, tuam ſalutem dumtaxat curans, velut ſi tu eſſes: tu ita cura diuina, quoad poſſis, quaſi Deus eſſes. Debes exinaniri ſummo modo, & diſtare à te ferè infinito modo, pluſquam ſi non eſſes: quot fiet, ſi fias aliud per gratiam & amorem, tranſiens à te ad Deum, qui infinitè diſtat à nihilo, & ab omni eſſentiâ. Duæ ſunt gloriæ diuinæ voluntatis, amor & potentia: ſed potentior videtur quodammodò amor, quàm ipſa omnipotentia, quæ te poteſt reducere in nihilum, non verò quomodolibet te facere vt ſis aliud, neque vt natura hominis ſit natura Angeli;

Digitized by Google

gel; in quo magis diſtares à te, quàm ſi fieres nihilum:ſed amatus à Deo, & redamans Deum, abſumpto omni affectu proprio, humiliatâ voluntate ſua & annihilata, velut ſit Deus indutus beneplacito diuino;nam licet in ſua eſſentia maneat, non manet in affectu erga ſe, ſed conformis voluntati Dei; tam longinquus à ſe diſſidens, ac ſi aliud eſſet. Homines non capiunt dolorem de alienis vulneribus, nec ſentiunt contumeliam de conuitiis coniectis in alios:ſic erga te, velut alienum, quoad poſſis, pro gloria diuina, non afficiaris ægrè tua contemptione.

Tum ſi te putas maximum peccatorem, conſequenter omnia aduerſa & infortunia, quæ aliis etiam accidunt, debes credere fuiſſe ob tua peccata & negligentias. Quidquid afflictionis Deus immittit, eſt pro peccatis in pœnam illorum & remedium; atque in hac vita, aliorum peccata in aliis quoque curat & punit. Igitur pro culpis meis,cùm ſim maximus peccatorum, omnia mala accident: cùm pro peccatis accidant, cur pro peccatis aliorum, & non pro illis quæ ſunt iniquioris? Prælia, peſtes, fames, pœnæ ſunt meorum ſcelerum, & remedia: omnia ſunt beneficia tua, & ſupplicia mea:in cunctis exercetur circa me miſericordia diuina atque iuſtitia: vbique pro me iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; vt vbique, Domine, & in omnibus te timeam, amem,confundar de mea malitia, & ſperem de tua bonitate. Non miror tot calamitatibus aſflictari mundum, ſiquidem me alit: ego velut Ionas ſum cauſa huius naufragij, & ærumnæ multorum. Propter vnum peccatum Achan, percuſſus fuit populus Dei innocens: peior ſum ego;cur non præſumam propter me affligi multos innocentes communibus plagis? Ego anathema in medio tui ſum, Iſraël; ego ſufficio prophanare mundum. Ego tam impudens ſum, vt cùm ſim maior peccator omnium, non faciam maiorem omnium ſatisfactionem pro me, & pro aliis quos audio affligi, cùm eorum ærumnæ me credam eſſe cauſam. Omnibus iniuriam feci meis peccatis, omnibus debitor ſum, & omnium pœnarū & humiliationis reus.

Capvt XXI.

Gloria Dei quærenda eſt ſemper.

MVltum debes gloriæ Dei; ius eſt vt illi ſis gratus, & ſtudioſus. Gloriæ Dei debemus noſtram eſſentiam, noſtram redemptionem, noſtram beatitudinem, & omne bonum. Propter gloriam ſuam omnia operatus eſt Deus: propter quam ita benefecit nobis & ſtuduit, ius eſt vt illi ſolùm ſtudeamus. O Deus Maieſtatis, in omnibus rebus honorem noſtrum curas: nónne ius eſt, vt honorem tuum in omnibus quærat homo? Tu honoraſti hominem creando, volens illum ſuper omnes alias creaturas manibus tuis ipſis formare: nec contentus fuiſti creare illum,vt cælos,& reliquas creaturas, iubendo, ſed velut laborando id voluiſti facere, obſequioſus homini antequam fuiſſet. Honoraſti hominem prouidendo, præparans illi magnificam domum huius mundi, ſubiiciens illi omnes creaturas, vt ei ſeruirent. Honoraſti hominem conſeruando, aſſignans illi cuſtodem Angelum, excellentiſſimam creaturam, quæ te vidit facie ad faciem, tuaque beatitudine fruitur; vt omnimodò nos honorares, eligens ad cuſtodiam noſtram non tantùm illum qui naturæ & gratiæ, ſed etiam qui gloriæ dotibus honorabilis eſt. Honoraſti hominem redimendo, extollens humanam naturam ad conſortium gloriæ, & throni tui. Honoraſti illum retribuendo, concedens pro leuibus & momentaneis laboribus non minorem palmam quàm Regnum tuum, & honorem domus tuæ. In cunctis maiori hominum gloriæ ſtudes.

Pudeat te, ſpiritus ingrate, non quærere maiorem Dei tui gloriam. Gloriam eius quære contemptione tua: exaltabitur Deus in te, quò magis humiliaberis. Deus & homo ſe habent, vt quantitates continua & diſcreta. Numerus in infinitum augeri poteſt; lignum in infinitum minui: quò magis diminuitur & deciditur à ligno, magis augmentatur numerus: quò magis te viliorem exiſtimes, maiorem Deum cognoſces. Dei cognitio poteſt augeri in infinitum:tui aſpernatio & notitia indignitatis poteſt in infinitum creſcere; quia in infinitum deſpicabilis es. Occupa te in ignominia tua, & quo modo ſis lutum & cinis: ita videbis gloriam Dei, ad quam factus es. Inutiliùs in aliis ſubtilitatibus tempus conſumes, quæ impediēt potiùs notitiam Dei. Experientia mirabili compertum eſt, quòd vas occupatum & plenum cinere,eodem modo tantumdem aquæ capiat, ac ſi nihil contineret;cùm tamen, ſi qualibet aliâ re ſit occupatum, eo minùs excipiet aquam, ad quam ſuſcipiendam factum eſt. Notitia tui non impedit notitiam Dei: rectè vtraque cohæret, altera alteram imbibit, vt cinis & aqua. Videndo ignominiam tuam, veſtigabis gloriam Dei, ad quam creatus es, nec audebis vſurpare. Arbor ſimul mittit deorſum radices, & ſurſum ramos; eatenus in ſublime erigitur, quatenus profundiùs ſerpit: eleuabitur mens tua, ſi te depreſſeris. Vis palàm ſcire laudem & gloriam non eſſe rem tuam, nec ad te pertinere? Conſidera quòd nihil in te ponat nec perficiat laus, etiamſi mendicus & imperfectus ſis: magis eges remedio, quo perficiaris, quàm quo prædiceris, dum manes miſer & egenus. Solùm igitur laus & gloria eſt eius, qui nullius rei eget: eo ipſo quòd laus ei cui exhibetur nihil prodeſt, conijcitur debere dari ei qui nihilo indiget. Da gloriam ei cui nihil poteſt eſſe vtile; & vtiliſſimum erit tibi. Deus omnem vtilitatem tibi quærit, nullam ſibi: tu omnem honorem Deo deſidera, nullum tibi. Quemadmodum Deo nulla res eſt vtilis, ita tui nullus eſt honos, qui quæri à te poſſit. Dei ſit tota gloria operum tuorum, quemadmodum tota vtilitas diuinorum operum tua eſt. Gloria Dei & vtilitas hominis ſorores ſunt, & amplexantur ſe inuicem. Nihil Deus facit ad gloriam ſuam, quod non ſit etiam ad vtilitatem humanam. Non eſt amens Deus, qui operetur inconſultè ſine fine; non eſt vanus, qui operetur inutiliter ſine commodo: ſummè perfectus eſt, ſummè bonus eſt. Ob perfectionem ſuam nullius rei indiget; ideò ſolùm reſtat vt opere-

Digitized by Google

tur propter gloriam ſuam & laudem à creaturis exhibendam, quæ eſt res extrinſeca: ob bonitatem verò ſuam omnia vtiliter facit; ſed quia nullâ re caret, omnis vtilitas eſt creaturarum. Sicut nihil poteſt facere contra honorem ſuum, ſic nihil facit contra vtilitatem noſtram. Tu homo imperfectus & peſſimus nihil debes facere pro honore tuo. Prius eſt perfici in ſe, quam ab aliis laudari: gloria exterior ſequitur interiorem bonitatem in ſe perfectam: ſed faciendo omnia pro honore Dei, omnia facies pro tuâ vtilitate.

Illud ſolùm eſt homini vtile, quod Deo eſt glorioſum. Si vis vtilia tibi quærere, non quæras quod tibi eſt vtile, ſed quod Deo eſt honorificum: imò ſi vis non inutilis mundo & in mundo eſſe, ſolùm gloriam Dei quæras, ad quam creatus es. Omnes qui hinc declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Ille ſuperfluit & otioſus eſt in mundo, qui honorem Dei non quærit. Omnia vtilitatem ſumunt ex fine: ſi à fine ſuo declinent, inutilia fiunt. Si ſumas dolabram ad calefaciendum te, non ſolùm inutilis erit ad hoc, ſed tu inſipiens: ſoſumas ignem ad læuigandum tabulam, vtilis iam non erit res præ omnibus vtiliſſima, quam non ſolùm habebis inutilem, ſed pernicioſam; comburet & deſtruet quod volebas perficere: omnia artium inſtrumenta, præter ſuum finem, vana & ſuperflua ſunt: ſic homo, qui non dedicatur ad gloriam Dei, ad quem finem factus eſt, inutiliſſimus eſt, & ſuperuacaneus. A vite, quam plantaſti, vis aliquem fructum; ab omnibus, quæ habes, vis aliquam vtilitatem: cur tu ſolùm vis inutilis manere? Ficus illa ſine fructu maledicta fuit, etiam maledicetur homo ſine vtilitate. Qualem putas, ô homo, amentiam tuam, cùm non quæris honorem Dei? maior eſt, quàm ſi quæreres niuem ad calefaciendum te, aut pictor vſurparet ad pingendum ſerram fabri. Nihil tam præter rem, tam extra propoſitum, tam abſurdum, quàm cùm quæris, non dico honorem tuum, ſed vtilitatem ſolam, ſi non quæras per virtutem gloriam Dei.

Scito & propone tibi finem tuæ vitæ, ne ſis velut ſagittarius cæcus. Omnium rerum fines vis noſcere, vt ſcias illis vti: ſic, vt te non abutaris, ante oculos ſemper tuum finem habeas. Te perdis, ſi quæras quod non cedat in honorem Dei: nihil aliud attendas, & hoc vnum in omnibus rebus attendas. Siue iucunda, ſiue moleſta ſint, non aduertas; ſed an ſint Deo honorifica & grata. Aeger quærens ſanitatem, non reiicit potionem, quia amara ſit; non ſumit poculum aquæ frigidæ, quia delectabile, ſed ſolùm attendit, an ſit ſalubre: ideò ſumit quod eſt amarum, reiicit quod eſt ſuaue. Indifferens ad omnia ſis. Viator cùm interrogat viam, ſiue dirigatur dextrorſum, ſiue ſiniſtrorſum, nihil pertinere ad ſe putat, dum dirigatur illuc quò pergit: qui ludit tabulâ, non proponit hunc vel illum calculum mouere, ſed illum quo pro opportunitate vincat: ita debemus in vitâ eſſe; nec ad ſanitatem magis quàm ad ægritudinem, nec ad abundantiam plus quàm ad inopiam, nec ad honorationem potiùs quàm ad ignominiam inclinari. Vtendum rebus eſt, prout conferunt gloriæ diuinæ: media ſolùm ſunt; non habent vſum propter ſe. Nihil ſumas, quod ad ſuum finem non dirigat, licet pretioſum ſit, quia inutile erit: nihil relinquas, quod ad illum faciat, licet acerbum ſit, quia pernicioſum erit. inutilia & vana ſunt tibi, quæ ad gloriam Dei non fuerint. Numquid vtile erit arbori, quod illam non iuuat ad fructum? quid iuuabit? ſi inaurentur folia, ſericis inuoluatur truncus, ſuſpendantur è ramis gemmæ? omnia hæc inutilia illi ſunt & inania; & pretioſius illi erit parum ſtercoris. Nullam vtilitatem tibi præſtabunt omnes theſauri & diuitiæ mundi, niſi te faciant Deum glorificare.

O Domine, omnia mihi ſtercora ſint, vt te lucrifaciam: hoc vnum in omnibus putem pretioſum, ſi vilia præ te cognoſcam; ſi te vnum in illis & in me quæram. In conſpectu tuo nihil omnia ſunt: cur ob aliud quàm te, qui omnia es, operabor? nónne vanè agam & omnia vana mihi erunt? O lumen Veritatis, concede mihi vt oculus mentis meæ ſimplex ſit, te vnum ſimpliciter & vnicè in Vniuerſis reſpiciens, vt totum corpus meum lucidum ſit, & omnia opera mea grata tibi. Ne te fallas, ſpiritus ignorans: is qui in intentione errat, errat in omnibus; & quò præſtantius opus fecerit, ſi bona intentio diuini honoris deſit, infructuoſiùs aget: nam qui in viâ errat, quò magis prouehitur, magis errat. Qui poſt longam peregrinationem ac nauigationem magnâ ſpe quietis fruſtratur, & noſcit ſe erraſſe à viâ, videns ſe in regione oppoſita, quàm moleſtè fert! O quoties, poſt ſpatium huius vitæ, plures ſe vident erraſſe, fruſtrati bona ſpe ſua, & pauperes inuenti ſine vllis operibus, quia defuit in illis zelus diuinæ gloriæ. Si vis non decipi, non tibi, ſed nomini Dei quære gloriam.

Soli Regi ſæculorum immortali & inuiſibili honor & gloria: mihi ſatis honorificum ſit quòd velis, Domine, à me honorari; magnus honos ſit videre te honoratum. Honos exhibitus patri, etiam eſt honos filij: reuerenda præſtita Capiti & Rectori alicuius Vniuerſitatis & Collegij, redundat ad ſingulos. Tu caput es rerum, tu Rector huius Vniuerſi, tu Pater meus: omnis honor tuus, eſt honor meus. Non aliter verè honorem poteſt habere creatura, niſi honorem ſui Creatoris participans. Videam te, Domine, honoratum, & ero honoratus: quæram ſemper gloriam tuam, & ero glorioſus. In honore tuo, Domine, concatenata eſt non ſolùm vtilitas mea, ſed honor meus. Da Domine, vt qui in operibus tuis quæſiiſti honorẽ meum ſimul & vtilitatem meam ſolùm, vt ego & omnes creaturæ quæramus ſolum honorem tuum: inde ſolùm redundabit in nos vtilitas & honos noſter. Quidquid egero, dixero, cogitauero, gloriæ tuæ dedico. Si aliter propter inaduertentiam & negligentiam fecero, iamnunc retracto & erubeſco. Angeli intendunt affectu ad laudes tuas, extollunt voces, & nihilominùs erubeſcunt: quomodo non me pudebit tepiditatis & negligentiæ meæ?

O homo, vide dignitatem, ad quam eleuatus es; è profundiſſimo puteo non entium, è barathro nihili, è cœno & luto tuo, ad gloriam Dei infinitæ excellentiæ & puritatis. Eleua intentionem tuam, purifica illam: ne te decipias; aliquando putabis quærere puram glo-

tiam

tiam Dei, & tacitè deſiderabis vilem guſtum aut commoditatem tuam. Quid eſt quòd triſteris & ægrè feras, ſi hoc non eueniat vt cogitabas, niſi quod te quærebas? Gloria Dei pacifica eſt, læta eſt, ſemper eſt cum effectu in quærente illam. Licet res non cadant vt iuſtus putabat, cadant vt volebat; nempe vt voluntas Dei diſpoſuit, & ſufficit. Si amarem omni affectu Deum, in omnibus & per omnia amarem; illius ſolùm bonitatem deſiderarem, laudem quærerem, zelum haberem, gloriam ſpirarem. Qui ſine reſpiratione eſt, mortuus eſt: perinde fit ac ſi non viueret, qui aliquid facit niſi propter Deum. Perdimus tempus, dum non quærimus æternitatem. Quomodo non amittemus æternitatem futuram, quæ non eſt noſtra, ſi ipſum tempus præſens & noſtrum amittimus, dum purâ intentione non operamur?

DE ADORATIONE
In Spiritu & Veritate,
LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De curâ benè operandi.

TOTA opera diei ſit opus bonum & patientia malorum: totum tuum negotium ſit mala pati, & bona facere. Nec ſufficit, alacris & acer ad bona ſis, & patiens ad mala: ſed opus eſt etiam alacritate ad mala atque dura, ne magnitudine & moleſtiâ terrearis; atque patientiâ ad bona & honeſta, ne multitudine & frequentiâ numquam intermittendâ fatigeris. Neceſſitas patientiæ tranſcendit omnes functiones & caſus vitæ. Vbique neceſſarium eſt pati; ſed pati, vt benè opereris, ſit tibi iucundum & optandum: ibi duplex meritum, & patientiæ & operis. Numquam poteris fugere laborem aliquem; & nihil præclarum ſine labore fiet. Sæpè corrumpit propoſita virtutis, ſpes aliqua non patiendi; quæ fallit nos, vt interim ſuſpendamus ſubire laborem & difficultatem ſancti propoſiti, quaſi in alio tempore forſan lenior futurus eſſet aditus virtutis. Deciperis, niſi perſuadeas tibi, plus patiendum eſſe, quàm viuendum; nec modum nec partem vitæ eſſe expertem laboris. Vnus labor eſt heres alterius: ſi hunc fugis, non carebis alio ſuccedenti: hoc tibi perſuade, & ſpes falſa non laxabit conatum ſanctum præſumptione opportunioris temporis, in quo putes ſine tanto labore adimpleri poſſe perfectè exercitia ſancta. Impoſſibile eſt ſine labore aliquo viuere: ne reiicias laborem fructuoſum victuris: ſi hunc declines, in moleſtiorem incides. Solùm commutare laborem poſſumus, non vitare. Potes tamen vitare plures defectus & culpas, ſi non vanè cures vitare laborem, quod non poteris. Certus labor eſt, aut labor patientiâ ſubeundus, aut pœnitentiâ, aut pœnâ & ſupplicio. Non eſt ſatis perfectus amor aut pœnitentia, prout te decet, & meretur infinita bonitas & miſericordia Dei, niſi pro leuiſſimo peccato veniali velles pati plures annos, & quantum in te eſt cruciatus inferni. Imò vt infectum redderes peccatum veniale, eligere oporteret pati damnatorum ſupplicia omnia. Si igitur poſtquam eſt factum, vt non factum redderes, tanta tolerare deceret; quantò magis antequam fiat, vt numquam ſit factum? O miſer ſpiritus! ah pudeat te, pudeat te: non tanti erit tibi peccatum vitare; ſufficiet, vt excutias deſidiam.

Plerique torpent, quia putant ad ſaluandum ſe non eſſe neceſſarium tantum conatum ad perfectionem. O ingrate & puſillanimis, quid curas de beatitudine tuâ tam miſerè? de ſalute tuâ tam periculosè? de gloriâ Dei tam ignobiliter & limitatè, quæ eſt immenſa? Quæſo, ſi ſalus tua non ſolùm penderet de cuſtodiâ mandatorum, ſed à conſiliis, & ſimul in tua perfectione ſtaret ſalus omnium hominum, Angelorum, ac beatiſſimæ Virginis, & liberatio Chriſti à cruce; nónne conareris ad illam? faceres profectò: attende igitur, quoniam maximum aliquid tuam perfectionem exigit, hoc eſt gloria Dei, & beneplacitum diuinum, quod pluris eſt, quàm ſalus & vtilitas mundi per ſe conſiderata, & quàm vita humanitatis Chriſti. Cura igitur, ſi tanti refert, ſingula opera tua etiam minima exquiſitè facere exemplo Dei, qui mirabilior eſt opifex in rebus minimis, in formica, pulice, ape, quorum admirationem vincit cælorum & ſiderum artificium.

Hoc animo quodlibet opus aggredior, vt velis facere, quantum vnquam feciſti, meliùs cum gratia Chriſti, ad vtilitatem militantis Eccleſiæ, ad gloriam triumphantis, ad honorem Dei; quaſi non expectaſſet alium fructum de creatione mundi, redemptione, & præparatione cæli, vt glorificaretur ab omnibus Beatis, niſi hoc opuſculum tuum; perinde ac ſi tota ſaluatio tua & ſalus vniuerſi, & gloria Diuinitatis penderet de minimo tuo opere; quaſi illud rurſus non ſis repetiturus, nec denuò aliud opus deinceps facturus, ſed exſpiraturus ſtatim.

Digitized by Google

ſtatim. Ne igitur parcas labori leui, cum iacturâ tanti commodi. Deus deſiderat, vt perfectiſſimè hoc opus facias: ſi conſideras Deum deſiderantem, peruerſiſſimus eris ſi non ſatiſfacias, aut cogitare audeas de moleſtiâ tuâ. In ſe eſt optabile pati, ſine coniunctione alterius boni operis, vt Chriſtum imiteris: neque minùs acceptabile erit, vt vites culpam aliquam, & opereris perfectiſſimè ad gloriam Dei.

Vſus hominis, bonum opus eſt: ad hoc natus es, vt bona opera facias: ſed recordare, quòd homo natus ſit ad laborem, quia ſine illo bona operatio durare non poteſt. Ne fruſtres finem tuum, ſed conare imitari cum gratiâ Dei pulcherrimos conatus naturæ, ſemper curantis fructus ſuos meliores, quoad poſſit, producere tibi; vt tu meliori modo, quo poſſis, ſeruias Deo. Memento ſemper, obſequia tua omnibus modis diminuta eſſe, nec poſſe fieri æqualia gloriæ quæ tibi promiſſa eſt, nec pœnæ inferni quam pro peccatis meruiſti, nec laboribus Redemptoris tui quos pro te paſſus eſt, nec beneficiis diuinis quibus te onerauit, nec bonitati Dei immenſæ cui ſeruis.

Capvt II.

Quòd excutienda ſit omnis negligentia.

PVdeat te ſedere in loco & tempore curſus, ô frigide ſpiritus. Vide ſtagnantia & torpida quomodo putreſcant, & ferrum otioſum obducatur rubigine: age, via ſpiritus contentio curſorum eſt; non licet tardari, quomodo licebit ſtare? quomodo licebit ſedere, in quo nec vacat fatigari aut cadere? Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium: ſic curre vt comprehendas. Si Deus creauiſſet cunctos homines ſimul vſu rationis præditos, & gratiæ dotibus æquales, ac oſtenderet omnibus magnitudinem gloriæ cæleſtis, & aliunde opponeret patefactum infernum horrendâ ſuâ immanitate, & omnibus reuelaret ex cunctis vnum ſolum ſaluandum eſſe, illum qui feruidiùs & diligentiùs Deum amaret, & ſeruiret, qui ceteros antecelleret ſanctitate & charitate; reliquos verò damnandos: quis tunc hominum contuens ſupplicia & tenebras horribiles inferni, non niteretur ſummis conatibus eſſe ſanctior, vt effugeret illas, & conſequeretur cælum, atque eſſet vnus ille, qui ſaluandus eſſet; quantâ æmulatione ardentes ſeruirent omnes Deo; ſinguli excellere reliquos flagrarent: nemo eſſet qui totis viribus, & intento affectu melior omnibus non concertaret eſſe: nullus tunc negligentiæ, nullus tepori locus. At quantò maiori ſtimulo nunc deberes ardentiùs æmulari & impelli, vt feruidior fias cunctis Sanctis, qui in mundo hactenus vixerunt? Maior titulus & ſtimulus ſine comparatione deberet eſſe, vt ſeruires Deo, gloria ipſius Dei & placitum diuinum, quàm illa anguſtia ſaluationis. O Veritas æterna, cur me magis moueret vtilitas mea, quàm voluntas tua? cur magis poſſet amor meus, quàm amor tuus? maius beneficium eſt quòd multos cælum capiat, & pro hoc debeo magis tibi; cur modò tepidus & deſes es ſpiritus infirme? Memento laborum Chriſti: vide tot pueros, qui palmam tibi præripiunt, & teneras virgines præcurrentes: vide feruorem antiquorum Patrum, pœnitentiam, humilitatem, charitatem, & Martyrum cruciatus; quomodo tu pigreſcis, cùm tot tibi præcurrant?

Quin ſi tuum commodum quæras magis, quàm gloriam Dei, non deberes adhuc modò tepidiùs te habere: non eſt timendum quòd minùs nunc luctaberis, ac ſi habuiſſes illum feruoré quo antecelleres alios, & fuiſſes ille vnus, qui ſaluandus erat, imò feruidior adhuc debes nunc eſſe, & ardentiùs inhiare gloriæ Dei. Nulla nunc obſequia irrita erunt; & quò melior ſis, maiorem gloriam præripies. Non eſſet hoc, ſi vnus tantùm ſaluandus eſſet; cùm fructus laborum ingentium tunc non eſſet, nec maius præmium pro maioribus obſequiis: quæ tunc magis periclitarentur incerta & caſſa, etiamſi magna eſſent, ſi non forent omnium maxima: imò etſi excederes ferè omnes, ſi ſolum vnum non excederes, perinde eſſent ac nihil. Nunc ſecuriora & fructuoſiora ſunt merita, nunc nulla opera noſtra peribunt, nunc omnia officia remunerationem accipient iuxta feruorem ſuum: cur nunc miſerè torpebis, cum iacturâ ſecuri præmij? Quid? ſi certum eſſet nullum hominem damnandum, ſed omnes ſaluandos; non propterea tibi negligendum eſſet, potiùs feruentiſſimè conandum, pluribus meritis ſaluari, ac maiori gloriâ perfrui.

Age, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: ne in te permittas lentitudinem, quæ tinea meritorum eſt, & ſcabies virtutum; maculata opera, ſemiuacua, & inſulſa Deo reddens, vt euomat ab ore ſuo. Si deſidia vinceris, triſtitia moleſtaberis, coactus portare pondus diei & æſtus ſine ſolatio, cùm conſcientia te vrgeat: at promptitudo & alacritas te inſenſibilem reddet moleſtiis vitæ, & ſummè Deo placebit. Quis herus eſt, qui non gaudeat ſeruos hilares habere, & lætos famulari? Si homo vult videre vultum alacrem, Deus quoque animos hilares. Ne Deum offendat triſtitia tuæ negligentiæ, nec vitæ iſti amaræ addas abſinthium torporis: nec gaudia Dei, nec mundi participat piger. In pluribus deterioris conditionis redditur tepidus Religioſus, quàm ſæcularis. Hic ſi non gaudet ſpirituali conſolatione, gaudet temporali: ille tepidus vtrâque non rarò priuabitur. Qui in peccatis eſt, non amittit ſpem conuerſionis, & ſanctitatis: at qui poſt conuerſionem tepuit, ſubſtraxit etiam partem fiduciæ; quæ potiùs de peccatore poteſt eſſe. Sæpiſſimè ex magnis peccatoribus multi fiunt magni Sancti; ſed miraculum, ſi ex tepidis fiat vnus ſanctus. Difficilius experimur, fieri ex tepido feruidum, quàm ex peccatore ſanctum: tepidus enim non ſe putat malum; & quia ſe cenſet ſecurum, & ſufficere ſaluationi mediocrem vitam, quieſcit: caueat tamen & formidet ſuam ſecuritatem; nam maximum periculum erit. At, quod tremendum eſt, Deus vocat, & quærit peccatores; cum illis manducauit Chriſtus; ſed nauſeat, & vomit frigidos ab ore ſuo. Vis aliud æquè terribile? Miſericordiam,

&

Digitized by Google

& proſuſam liberalitatem Dei compeſcit tepidus:in maximos peccatores liberalis eſt Deus; at erga negligentes quaſi auarus & parcus, non dat illis, quod ſæpè potiùs dabit peccatoribus. Adhuc terribilius addam, ex quo oſſa cogitantis id tremeſcunt. Deus qui omnibus dat, à tepidis rapit: talenta quæ dederat, auferet à pigro. Quid magis damnoſum, quàm quod non ſinit, quatenus in nobis eſt, Deum beneficum eſſe; quid magis malum, quàm quod Deum non ſinit eſſe nobis bonum, exercitium bonitatis & liberalitatis eius maximè impediendo? Nónne maledictus qui tantum malum habet? quàm meritò maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter?

Plura quæ mala ſunt; aliquem ſaltem vſum commodum habent: deſidia tam peſſima nobis eſt, vt ad nihil iuuet. Quid peius quàm peccata grauia? hæc ſæpè ob admirabilem miſericordiam & Sapientiam Dei, ex malis extorquentis bona, iuuant ad conuerſionem & ſanctitatem, cum poſt illa humiliùs & feruentiùs Deum quæramus: deſidia impedit; tam mala & nocens eſt, vt partim minùs ſe exhibeat bonam & vtilem, quàm ipſa malitia maiorum peccatorum. Deſidia eſt caries temporis, corrumpens rem pretioſiſſimam: imò æternitatem lædit, minuens vitam æternam diminutione meritorum, & perdit temporalem otio ſuo mortali. Si quæras, cuius vita breuior; abſque dubio reſpondebo, negligentis eſſe, etſi centum annos viuat: ſi quæras, cuius vita longior; dicam diligentis eſſe, etſi parum viuat: tantumdem ac mors deſidia eſt. Quis mercator, ſi lucrum mille dierum in vno conſequi poſſet, deſidebit; Tu ne contemnas tempus; plus valet vnus dies feruoris, quàm mille remiſſionis & teporis. Breuis vita ardens æquiualet, imò præualet longiſſimæ, ſi frigida eſt. Si vis diu viuere, viue diligenter.

At quantus pudor torporis, quàm ridiculus & infamis, qui ad duellum pro cauſâ Regis ſubeundum electus inter omnes optimates Regni, cùm plura priùs iactauiſſet, iam in ipſo pugnæ campo, ſpectantibus Rege, Proceribus, & totâ Curiâ trepidaret non audens ſtringere enſem, nec mouere lacertos, ſolùm tentaret fugam & aduerſario manus daret incruentas? O piger, cauſam Dei defendis, videntibus & inuidentibus pluribus Angelis, qui lucrum putarent pro gloriâ Dei pati aliquid & concertare, vt tu potes: tibi factum hoc beneficium, vt pro Dei honore pugnes: theatrum Deo es, beatæ Virgini, Angelis & Beatis: ſæpiùs promiſiſti ſtrenuum te exhibere; cur modò in occaſione laboris timidis torpes? O infamia naturæ! ne infames gratiam Dei, nec fruſtres, quæ præſto eſt ſubſidio tuo: quid pigraris in hoc opere? conſidera, quòd Deus deſiderat feruenter, vt illud facias feruenter.

CAPVT III.

Quàm incommoda ſit ſomnolentia.

QVid dignius primâ diei cogitatione, quàm antiquus dierum Deus meus, vt inde auſpicetur & conſecretur mens? Non debet intermitti cogitatio & amor Dei, quantò minùs negari opportuno tempore? Primitias vitæ primo Auctori vitæ pende, manè aſtans illi. Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorare, Domine: cùm medio ſomno & adhuc noctu clamor campanæ vel inſpirationis ad ſurgendum factus eſt, & ecce ſponſus venit, & exire obuiàm tibi neceſſe eſt.

Iuuat ad diligentiſſimum ac vtilem occurſum præparare à nocte oleum, ne, anima mea, ceſſet ardere amor tuus, & vt virgo fatua excludaris; quod tremendum eſt. Præpara, quomodo primo manè alloquaris Sponſum, & quæ ſunt cum illo tractanda in oratione: deinde, ſi ad ſomnum cum dolore accedas, ſurges cum alacritate; ſi cum faſtidio dormias, vigilias cum ingenti promptitudine deſiderabis. Quomodo non dolebit anima Dei amans ceſſare amare illum, laudare & mereri, & ſuſpendi lucrum augmentandi gloriam, & diligendi deſideratiſſimum Sponſum? quomodo ferendum, ſuſtentari à Deo, & innumeris interim beneficiis amantiſſimè donari, & amari, & nullas gratias tunc poſſe ſoluere, nec redamare? Quare opus eſt, ante & poſt ſomnum, ſuſpenſionem illam amoris & meritorum reſarcire ardentioribus affectibus & deſideriis in Deum, ſupplendo iacturam illam vitæ, quâ non poſſumus Deum toto corde amare, & in eo occupari. Curandum eſt, ex ipsâ ceſſatione merendi & amandi mereri tantumdem, ſi poſſes, ac ſi vigilares. Fœneratores dormiendo etiam augent pecunias: facies idem, ſi conformis diuinæ diſpoſitioni, cum obedientiâ & reſignatione magnâ, te offeras ardenter, & feras patienter hanc miſeriam & neceſſitatem humanæ vitæ. Qui mortem neceſſariam, ſiue morbo, ſiue malè ab homine illatam, patienter tolerat, meretur: etiam mereberis, ſi quieſcere & dormire acerbum & moleſtum ſit tibi, vt eſt feruenter ſeruientibus & diligentibus Deum, ſi patienter te habeas erga ſomnum neceſſarium, ſapienter ita diſpoſitum à Deo. Fortaſſe, ſi res in ſe conſideres, & quàm ægrè amatori vero Dei ſit ferendus ſomnus ſupra mortem, mereri poterit dormiendo patienter pro Deo, ſicut moriendo pro patientiâ. Ibi meritum, vbi magna patientia; ibi maior patientia, vbi maior moleſtia magis patienter ſubſtineatur.

Inter omnia grauia humanæ vitæ, & innumeras ærumnas, nulla maior quàm ſumnus miſeria, & dignè deploranda præter peccatum videtur. Ceteræ calamitates affligunt tantùm vitam, ſomnus interim penitus vitam aufert: aliæ calamitates tantùm opponuntur commoditati vitæ, ſomnus eius ſubſtantiæ ad tempus: ceteræ calamitates ita moleſtæ ſunt vitæ corporali, vt iuuent ad æternam, meritorum materiam ſuppeditantes, & afflictione ſuâ excitantes mentem & trahentes ad Deum: ſomnus in ſe & corporali vitæ & æternæ interim aduerſatur, quatenus tempus merendi, & memoriam cæleſtium intermittit: ceteræ calamitates amanti Deum deſideratiſſimæ ſunt, quia iis meretur, probatur amor, glorificatur Deus; ſomnus nihil deſiderabile habet, cùm interim ceſſet amor, & animus glorificandi Deum: quare & ſomnus moleſtior, & dupliciter

Digitized by Google

pliciter grauior, imò multipliciter quàm ipſa mors videtur feruentiſſimo amatori Dei. Mors graſſatur in corpus, ſomnus in corpus & animam: tantò peior videtur ex hac parte ſomnus, quàm mors, quantò melior anima, quàm corpus; imò plus, quantò ſcilicet melior totus homo, anima & corpus, quàm ſolum corpus: nam mors te ſolùm priuat corpore, ſomnus animâ æquè ac corpore: mors ſolùm priuat vitâ carnem, rem mortalem & caducam; ſomnus animam, rem immortalem & æternam, quæ tribuit vitam corpori, non ſentienti, niſi per ipſam: mors corrumpit hominem, ſomnus tantumdem eſt, ac ſi annihilet per ſpatium. Mors non eſt formidanda; nam relinquit partem præſtantiſſimam hominis liberam, ſcilicet animam, quâ homo eſt, quâ amat Deum, eiúſque miſericordias & bonitatem intelligit; quod eſt decus hominis, & ſummum votum & gaudium debet eſſe: imò & puriorem animam relinquit, ſine impedimento, vt expeditiùs amet Deum & noſcat: ſomnus hanc partem nobiliſſimam hominis obruit & ſepelit, exanimem ipſam animam faciens. Dic quæſo. quid ægriùs ferres, mori, an annihilari? Si dares gloriam Deo moriendo, quia eius eſt voluntas; nónne gloriam dabis, ſi pro eius beneplacito velis annihilari? ergo ſi mereberis cum patientiâ mortis, mereberis cum patientiâ ſomni, ſi moleſtus tibi ſit. Si mereris ferendo patienter quiduis moleſtum vitæ; quomodo non mereberis ferendo, ſi tibi ſit omnium moleſtiſſimus ſomnus? imò quem ſolum debes cēſere moleſtum in vitâ & in morte: nam nec in vitâ, nec poſt mortem erit, poſt peccatum, aliud amanti Deum magis moleſtum. In vitâ quid graue dices, niſi labores & ærumnas illius? at minimè debet putari graue, pati pro Deo, ſed optandum maximè: nec poſt Deum debemus aliud nobis magis deſiderare, quàm pati pro Deo, ob amorem eius; nam vnitis magis dilecto tuo, glorificas illum, & mereris gloriam. Nemo ſatis cognoſcit quàm grauis nobis ſit ſomnus, niſi qui æſtimat in veritate, quàm immenſa res ſit gloria Dei, quàm inæſtimabilis eius amor, & minimus gradus gratiæ & gloriæ, ad quam interim ſuſpenduntur nouæ actiones meritorum. Poſt mortem verò quid graue iuſto, niſi purgatorium? Sed ſi tunc etiam pateris, non putandum graue dum purificaris, & te comit & adornat Sponſus, vt introducat in thalamum ſuum. Si integrum tibi relinquit amare Deum, quid refugiendum eſt, dum tibi relinquit indemne quod optas & voles? Vbi potes pati & amare, non eſt, de quo conqueri poſſis. Si daretur optio vtrùm malles mori, an per dimidiam horam dormire; anima æſtuans vero charitatis incendio, ex ſe mortem eligeret, ne ceſſaret amare Deum: imò non plus deſideraret reſurrectionem corporis, quàm ſomni exceſſum vltra neceſſitatem & debitum per quadrantem adhuc horæ omnino vitare, & quantum abſque incommodo vigoris poſſet. Diſcretio enim vbique eſt ſeruanda, & debemus ſaltem compulſi accedere ad ſomnum neceſſarium, vt mentis functiones vegetæ ſint & viriles ad obſequia neceſſaria diuinæ gloriæ, & ad orandum: ne ſi indiſcretè priueris neceſſariâ quiete, in oratione graueris, & nimis dormites & langueas, malè deinde torpeas, vt nihil cum fructu fiat. Sed plus dormire quàm decet, conuenit mortuis potiùs quàm viuentibus: & anima ſecundùm ſe ponderans res, æſtimánſque rigidè, & flagrans æſtu amoris diuini, vt vitaret dormire, quo tempore ſuſpenditur amor Dei & laus illius, fortaſſe potiùs eligeret perpetuam mortem corporis; quia abſque corpore frui & amare poſſet Deum, quod ſufficit & eſt deſiderium potiſſimum æſtuantis animæ, ſed ſopita non poſſet: licet hoc non facilè credet, qui auaritiam diuini amoris vt amet perpetuò Deum, ardentiſſimáque deſideria & ſuſpiria non eſt expertus, nec quantum verus amator omnem commoditatem ſuam aſpernetur. Sed non debemus tepore noſtro metiri ardorem ſancti affectus & veri amoris: potiùs ex iis, in quibus videbus inſanire amatores fugacis formæ, poſſumus ſuſpicari quantum ſapiant & ardeant amatores æternæ & immutabilis pulchritudinis. At ſi non ſentis hunc feruorem, ſaltem fuge, quoad poſſis, ſomnolentiam & pigritiam.

Si tibi annuntiaretur annihilandum te fore, contremiſceres, id audiens; cur gaudebis ſomno, cùm perinde ſit, ac ſi intereà annihilatus eſſes? Cognoſce incommoda ſoporis, qui peſſima & multiplex mors eſt, quadruplici vitæ maximè iniquus: ſomnus enim adimit vitam præcipuam corporis, in quo æquatur morti; ſomnus adimit vitam animæ, quæ perinde tunc eſt ac ſi non eſſet, in quo excedit mortem; ſomnus quoque iniurius quodammodo eſt vitæ gratæ & æternæ, intermittens merendi ſtudium; quid igitur iniquius nobis? Quare qui æſtuat vero Dei amore, & deſiderio laudandi tantum bonum, nimis auarus eſt temporis, & minimum diſpendium eius maximam iacturam cenſet: ita ad ſomnum cum dolore accedit, hanc neceſſitatem vitæ à Deo ordinatam patienter fert, & offert; ſuſtinens benignè, vt eius ſanctiſſima voluntas fiat, interim priuari eo quod magis deſiderat, amore & laude Dei, ac ſedulitate in ſeruitio eius; & quantum in ſe eſt, vult non dormire, ſed amare & laudare Deum, cupiens quàm primùm redire ad ſalutandum, ſeruiendum & amandum illum. Tu quoque hānc voluntatem habens, offer illam Deo, & velut moriturus cuba, dicens cum Chriſto, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Sic mereberis quodammodo cum morte & otio ſomni ingrati tibi & moleſti.

Flagra quoque deſideriis illius iugis vitæ. cùm ſine interruptione frueris Deo; & lamentare huius vitæ ærumnas, quòd opus ſit in te omnium moleſtiſſimâ tibi, & iniquâ hominibus, ſcilicet ſomno, quieſcere & recreare functiones ipſas vitæ. Quomodo non erit ipſa vita moleſta, cuius quies tam moleſta eſt & incommoda? dignum fletu eſt, in ipſo incommodo & diſpendio vitæ reparari vitam: cùm maius diſpendium ſomnum breuem aliquando æſtimet amator Dei, quàm longæuæ vitæ iacturam. Conare noctu, feruentiori actu quàm feciſti in totâ vitâ, te committere quieti, & amare Deum; & deſidera ſurgere quàm ocyùs, ſtatuens, vt primùm expergiſcaris, fundere ardentiſſimam orationem præ omnibus quas vnquam habuiſti, & conſequi in illâ horâ nouam gratiam. Iuuabit ad hæc implorare auxilium

Angeli

Digitized by Google

Angeli cuſtodis ; & leuis cibus & parcus. Contractum hunc cum corpore tuo paciſcere ; interim quieſce, accipe ſtipendium : ſed vt primum pulſabitur ad laborem, ſurgas. Quemadmodum anima pro quiete corporis velut moritur noctu & ſepelitur ; ita ipſum corpus pro ſalute animæ moriatur interdiu : dum vigilat, corpus ſit mortuum huic mundo ; ſicut anima dum dormit, moritur interim cælo, hoc eſt meritoriis operibus & cogitationibus diuinis. Cura interim, vt ſuppleat corpus, quoad fieri poſſit, eleuationem & orationes animæ ; quæ cùm interim non oret, ipſum corpus oret habitu ſuo modeſtè cubans, nec ſupinum propter maiorem munditiam. Cadauera componimus, & aduerſus corruptionem medicamur, quæ tandem futura ſunt eſca vermium aut temporis: ita etiam componamus & curemus nos ſopore mortuos ad amplexus puros Christi. Iace formato ſigno crucis brachiis vel digitis : has opes tuas tecum mortuo vſque ad manè interim conde ; cum mortuis enim ſepeliebantur diuitiæ ſuæ. Numquam te à cruce auellas ; ſed quamdiu animus crucem non poteſt amplecti, amplectatur corpus, ſemper mortificationem IESV in ſe ipſo circũferens. Chriſtus mortuus, arrhas amoris dare voluit accepto vulnere lanceæ : tu quoque ad breue mortuus, offer pignus illud amoris tui. Ita ſicut Chriſtus in morte dormiens meritus adhuc de te fuit, fundens è cordis vulnere ſanguinem & aquam, maximum pignus amoris ; tu quoque mortuus in ſomno, adhuc mereberis de Chriſto ob præcedens deſiderium. Hoc ſignum ſit vigilantis cordis tui dum dormis ; velut grues, dum dormiunt, vigilare dicuntur apprehenſo lapide.

CAPVT IV.

Feruidè ad orationem matutinam ſurgendum.

SI cum tædio ad quietem veniſſes, cum lætitiâ & feſtinatione manè exurgeres ad laborem ; nec opus eſſet venire Patremfamilias primo manè conducere operarios ſuos. Imbellis nimiùm eris, ſi infirmior ſis ſomno, & te omnium molliſſimâ vincaris, & ſine vinculis ligeris, velut captiuus, vt nec alios nec te iuuare poſſis, ſed in vmbrâ mortis ſedeas. Non opus erat vt te vocaret vox Dilecti tui pulſantis : cogita clamorem & pulſum ad ſurgendum eſſe pulſum Sponſi clamantis, & requirentis te amabiliſſimis & dulcibus compellationibus, vt aperias ; ſororem, amicam, columbam, & immaculatam ſuam te vocat. Quem non mouebit tam comis & melliflua vox pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea? toties ſuam te vocat præ amore, nec ſatiatur te dicere ſuam. O Domine, quid eſt in me, quòd ſic tibi placeam? annè erit iuſtum, vt tibi diſpliceam ob leuem deſidiam? At ſi non acceleras aperire, quia ſua es, ô anima, propter amorem ſuum ; ſaltem ob compaſſionem feſtina. Vt te moueat, ſubdit: Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Extraneo & inimico apertres tam malè affecto ; cur non Deo & amatori tuo, & propter te ita affecto? Caue ne abeat, ſi pigreris. Quid placidius, & maioris ſolatij, quàm hæc vox Dilecti tam dulciter pulſantis, vt animæ piæ excutiat omnem torporem? Quem non pudebit, pluſquam Vriam, eſſe in lecto, ſtante Chriſto, & expectante non ſub papilione, ſed ſub dio & inclementiâ noctis?

Latrones noctu ſurgunt ad furandum, & iugulandum homines ; & tu, pro bono animæ tuæ, & ad glorificandum Deum, pigraberis? Angelus vocans Petrum dormientem, inquit; Surge velociter. Pluſquam mortuus es dum dormis; exurge ſaltem, vt mortui. In ictu oculi, in momento, cadauera ſurgent ad iuſſum Angeli : non te ſegniorem vult IESVS cùm vocat, quàm Angelus. Aegrè ferunt Spiritus cæleſtes, qui a celerrimi naturâ ſuâ ſunt, aliquantulum pigere corpore graui & oſcitanti eos, quos à ſomno vocant, qui & libentiſſimè vocant, quod offendant ſe ſpecie ſolum corporis agilitati ſuæ contrarij. Seruus quidam Chriſti ex Societate noſtrâ, cui nomen Ioannes Carrera, quotidie ad orationem ab Angelo Dei excitabatur ex ſomno antelucanis horis; ſed ſemel occultauit ſe Angelus, donec precibus aſſiduis, ieiuniis multis, poſt plurimos dies placatus ad antiqua officia rediens, monuit Ioannem, propterea ſe intermiſiſſe præſentiam ſuam, quod ad orationem minus ocyùs acceſſiſſet, cum ſemel languore & laſſitudine laborum victus nonnihil moraretur. Tam grauiter offendit Angelum tam leuis culpa (ſi culpa fuit) vt ab ipsâ conſcientiâ delicatâ non ſentiretur. Tanti faciunt feruorem & orationes miſellorum hominum, vt ſeruitio ſuo non exæquent pretium earum; & animaduerſione ſolicitent, vt nec falſa ſpecies inertiæ ſit, vbi interſunt vera bona.

Igitur horâ ſurgendi non deſideas; præcurrere priorem ſatage ſummâ cum feſtinatione, & eſſe primum cui occurrat Dominus onuſtus donis adueniens, vt deflores gratias eius, exonerans illum qui in obuium primum onus deponet. Accurrere deberes ad Chriſtum cruce onuſtum, vt exonerares illum, & loco eius crucifigereris ; accurre ad illum gratiâ onuſtum, vt diteris ab eo, Quæ anima tam amens eſt, & prodiga, vt non aſſurgat velociſſimè ad capiendum tot munera, & libandum oſcula ſponſi? qualis amor Dei eſt, ſi non redire velit celeriùs fulmine ad amandum Dilectum ſuum, quem à nocte deſiderauerat? Oportet ſurgere concitatiùs, quàm ſi in ſtragulis & lecto ignis accenderetur. Velociùs ſurgendum eſt, ſi in corde accenſus ſit ignis amoris.

Cura tunc otium ſomni, in quo non potuiſti amare Deum, reſtaurare ferventiſſimâ eleuatione animi, amore flagrantiſſimo & totali holocauſto tui, pluſquam in vitâ aliquando feciſti. Perinde te puta, ac ſi in momento expergefactionis creatus à Deo eſſes, vt eo dumtaxat die ſeruires illi, & amares : ad hoc tantùm tibi concedit Deus vitam præſentis diei. Si beatus aliquis annihilaretur à Deo, & denuo crearetur cum omnibus priſtinis dotibus, quàm rapidiſſimo impetu in ipſo momento recreationis prorueret voluntate totâ in pulchritudinem Dei? Annitere tu ſimilem feruorem habere in ſomno annihilatus, rurſuſque

vigiliâ creatus. Adamus & Angeli, in primo inſtanti quo creatos ſe nouerunt, quantâ vi & reuerentiâ afficiebantur erga Creatorem ſuum: Imitare beatam Virginem, in primo momento conceptionis ſuæ creatam in gratiâ, & expedito rationis vſu:quo conatu in Deum prorupit? Chriſtus Dominus in primo puncto vnionis hypoſtaticæ,quas gratias Patri egit? imò quanto amore tunc ſingulatim etiam recordatus tui? Cùm in capite libri ſcriptum eſſet, vt faceret voluntatem Dei, dixit: Deus meus, volo etiam pro illo homuncione Ioanne flagella, ſpinas, crucem, opprobria,mortem tolerare; totum me impendo,offero,ſacrifico pro illius ſalute. Nónne te oportebit recordari quoq; Chriſti, & dicere; Deus meus volo pro Chriſto hodie labores corporis, angores animi, vt ardentiſſimè ſeruiam illi, amem, & dem gloriam?

Nónne tu etiam deberes ad Deum conuerti, ſi te creauiſſet in gratiâ, cum arbitrij vſu,& factâ tunc reuelatione omnium myſteriorum fidei; & inuenires te amatum à Deo, Filium Dei pro te factum hominem, & crucifixum ineffabili amore? Tantumdem eſt, ac ſi modò te creauiſſet: confide, in gratiâ Dei expergiſceris: ecce inuenis redemptionem tuam factam cruciatibus Dei tui tam matutino amore, vt antequam naſceteris, iam Chriſtus mille & tot annis anteà pro te mortuus fuerit, vt tibi diligentiſſimè præpararet gratiam cumulatam. Hanc diligentiam & facinus amoris, ſcilicet mortem Dei pro ſe iam factam, non inuenit Adam, non ſanctus Michaël, aut Gabriel, aut alius Angelus; imò nec ipſa Regina Angelorum beata Virgo. Arde igitur vt primùm amore & deſideriis ignitis in tam beneficum Deum, feſtinum & prouidum tui; nec contemnas tantam præuentionem ad ſaluandum te. Adam expectauit circiter quatuor millia annorum tantum beneficium. At te expectat beneficium ipſum, iam mille & ſexcentis annis, non eſt ius, tantam vt ſedulitatem & celeritatem morâ & ſocordiâ velis compenſare, Ne differas conuerti ad Deum, expectantem tamdiu.

Finge, animabus poſſibilibus offerri ingreſſum in hanc vitâ, iis conditionibus, auxiliis,& fauoribus Dei, quibus te inuenis donatum hoc die; quantum lætarentur, & lucrum putarent, & quàm officioſiſſimè diem agerent? quomodo in primo aditu vitæ ſe Deo ſacrificarent? Quid ſi iis quos in inferno hac nocte Deus præcipitauit, dum te dormientem amanter cuſtodiebat; quàm incredibili feruore, vt primùm ad vitam redirent, ſe Deo traderent, & reliquum diem & vitam ordinarent, ſi ſemel viderent ſe cum gratiâ Dei, habitibus ſupernaturalibus, & opportunitatibus ſeruiendi tam benefico Deo? Pudeat te non feruentiùs Deo immolari beneficentiori erga te: maius eſt præſeruaſſe à damnatione, quàm eruiſſe. Exſtimula te, ſi poſſes vincere feruorem multorum Iuſtorum hoc ſaltem die; & age gratias, quòd non te reperias in inferno hoc manè, ſed ſeruatum ab illo, atque tot periculis & peccatis, in quæ hac nocte innumeri inciderunt. Opta dare, ſi poſſes, tu ſolus gloriam, quam omnes Sancti per æternitatem dabunt: quod deſiderium paſſim interdiu ſine fictione gemina, & geme in illo; nec ſolùm manè, ſed ſæpiùs,quaſi nuper incipiens & creatus, incipe ſeruire Deo recentibus ſemper viribus.

Caput V.

Feruor quotidianus debet retineri.

Stultè prouidebis, victurus hodie, ſeu fortè non victurus, ſi differas viuere in craſtinum: ſi hodie viuis, hodie benè & perfectiſſimè viue, quoniam ſolùm viuit, qui benè viuit. Peſſimè moreris in ipſâ vitâ, ſi non viuis bonam. Quotidie cùm expergiſceris, decerne viuere hunc diem meliori modo quo poſſis, tamquam ſi in nocte certiſſimè moriturus eſſes, Non differas defectum emendare altero die, quem forſitan non videbis:dies deficiet tibi, aut voluntas. Benè tibi futurus dies habebit, ſi præſentem benè habeas. Numquam eſt periclitandum de vitâ bona, ſed ſemper te tam bona fruendum. Vitæ pericula fugis: cur vitæ bonæ periculum paras cunctando? Viue hodie; nec expectes viuere meliùs poſt hanc hebdomadam, aut menſem, aut hoc negotium, Hodie Deus eſt Dominus,& hodie oportet te eſſe ſeruum Dei: nam & hodie Deus ſeruit tibi, cùm hodie faciat ſolem oriri tibi. Non differt in craſtinum ſua munera; tu nec differas obſequia tua. Hodie te Deus cumulat indebitis beneficiis: hodie tu reſponde officiis debitis. Alterius diei obſequia non ſufficient beneficentiæ ſui diei: cur vis vt ſatisfaciant etiam diei iam præterito, & beneficiis quibus hodie frueris? Non ſufficit diei bonitas ſua, vt ſoluat debitum ſuum: quomodo vis vt ſoluat etiam pro malitia alterius, duplicatis debitis & gratiis Dei? Hodie Deus eſt Deus, & hodie tu es creaturą: hodie Chriſtus redemptor tuus eſt, & hodie tu redemptus. Ieſus Chriſtus hèri & hodie: tu hodie es, & fortè cras non eris. Hodie & ſingulis momentis debitor Deo es, qui in te impendit continuò ſuam omnipotentiam: tu quoque debes ſingulis inſtantibus amore impendere omnes tuas vires. Cur vnius horæ audes iacturam facere, cùm per æternitatem non poteris Deo ſatisfacere pro beneficio minimo, quod hoc momento accipis, ex infinito Dei amore procedens? Cur vnius diei aut horæ interuallo audes ſuſpendere obligationem tuam? nam ſi Deus ſuſpendiſſet vnâ horâ beneficentiam ſuam, in mundo non eſſes; aut ſi ſuſpendiſſet indulgentiam ſuam, in inferno eſſes. Æterna ſtipendia tibi promiſſa ſunt, non decet mereri interruptis ſeruitiis. Si vis verè viuere, numquam intermittas bonam vitam. Veritas æterna eſt. O Veritas, da mihi æternè tibi ſeruire veraciter: vt æternè tecum conuiuam, doce me quomodo hodie verè viuam.

Oportet, ſpiritus remiſſe, ſingulis diebus te armare ad prælium, & expergiſci alacriter, vt ad pugnam; audito velut lituo & ſigno bellico, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc præceptum tibi manè promulga, & perſuade tibi, diem vitæ eſſe diem non tantùm militiæ, ſed in quo prælium committi eſt deſignatum. Quomodo ſurgent milites eo die, quo publicatum

Digitized by Google

tum eſt & præceptum, confligere cum hoſte, Miles eo die quo præliaturus eſt, non eſt inermis: tu quotidie præliaturus es; manè te arma in oratione, feruentiſſimâ charitate, profundiſſimo contemptu tui, patientiâ, mortificatione, & diligentiſſimâ ſolertiâ. Suſpicio ſolùm prælij armat milites, & ſeruat per plures dies armatos, vt pugnent vno die: quid tibi facere debet certitudo & fides pugnæ quotidianæ? Omnes tuas actiones manè diſpone & depone apud Deum, & propone eſſe duplo meliorem hoc die quàm præterito, ne dæmon tibi interdiu imponat, aut interponas feruorem.

Surge alacriter aduerſus omnes difficultates vitæ; & ſi in aliquam incidas, aut in acediam, non deficias, ſed gaude. Materia adeſt victoriæ maioris: inuade animosè, vt ſtrenuus miles occurrens in contrarium fortem, qui non deficit, nec fugit ad præſentiam eius; ſed gaudet occurriſſe, quem quæſiturus erat. Pugna interdiu viriliter, & in nocte expecta mortem. Vita hominis militia eſt; in quâ vita ſemper dubia eſt, & labor certus. Quoties cecideris vel leuiter, dimica ardentiùs: & perſuade tibi ſæpiùs caſurum; nam & iuſtus ſepties cadit; ſed ſtatim animoſiùs aſſurge, irritatus magis, vt miles accepto vulnere plus in aduerſarium ardet. Reſtaura ſimul ac aduerteris defectum, maiori feruore reuocatis in mentem rationibus, quæ præſtò ſint tibi, ex meditatione matutinâ aut aliunde probatæ & familiares, pœnitendo & humiliando te coram Deo: nec differas emendare negligentiam illam; nam paulatim diffluet vigor ſpiritus. Qui vulneratur etiam leuiſſimè, niſi ſtatim reſtinguat fluorem ſanguinis, deficiet; & letale ex morâ, fiet, ridiculum alioqui vulnus. E veſtigio cura te, nec remittas ad noctem, aut alium diem: nam etſi nihil videatur, impediet actiones reliquas. Cui clauus aut ſpina figitur in pede aut manu, ſtatim eruit; non differt ad noctem, aut poſt tertium diem, alioqui nec ambulare aut operari poterit: & tanta mora poteſt eſſe, vt cancro laboret, nec curari ſine ſectione poſſit.

Ne tamen adeò triſteris ex defectu leui, vt ſuperbia magis ſit, quàm pœnitentia; & impediaris ipſâ triſtitiâ ad alia exercitia, quibus alacritate eſt opus. Meritò dicebat beatus Ludouicus Gonzaga, eos qui nimiùm contriſtarentur de ſuis defectibus, non ſatis ſe cognoſcere. Miſer es, ſed te eſſe beatum ſperas: minùs te contriſta, & magis te humilia. Si agnoſcas miſeriam tuam, bona ſpes in Deo tibi minuet mœrorem; & deſperatio cuiuſuis boni, in te augebit humilitatem. Multi idcircò nimiùm triſtantur, quia non tam de offenſâ Dei dolent, quàm de ſuâ infirmitate & vilitate, conſiderantes ſe tam imbelles & languentes; & quia hic affectus ſæpè ex naturâ eſt iuxta amorem proprium, ſenſibilior eſt, & interdum non leuis incommodi. Solùm dole de offenſâ Dei, ſed ſtatim gaude ſperando in Iesv: & de tuâ ipſâ vilitate tibi gratulare, quòd nihil poſſis ex te niſi à Deo, quod melius eſt tibi. Ita ipſe defectus magis animabit te, & audacem faciet, fiduciam in Deo præſtando, cùm te ipſâ experiaris & manu quaſi palpes, nihil te poſſe tuâ virtute, ſed ſolùm à Deo, & cum Deo; in quo ſecuriùs præſumere licet: nam maior eſt bonitas Dei, quàm tua bona voluntas conſtans eſſe poſſet.

Perſuade tibi, centies fortaſſe ſingulis horis te eſſe lapſurum; ſed ſtatue, millies tecum gratiâ Dei ſurrecturum. Quò ſæpiùs cecideris, confidentiùs ſurge, quia te cognoſcis minùs habere. Sincerior & purior ſpes in Deo eſt, cùm de te deſperas omnino: & tunc experientiâ ipſâ deſperabis, cùm infinities deficere à tuo propoſito te vides. Deus id permittit, quia non ſatis te humiliaſti. Si humilis verè eſſes, multis damnis medereris, & loquereris victorias. Humilia te coram Deo: time de te, ſpera in illo; in cuius fiduciâ tali circumſpectione, ſedulitate, deſiderio viue hunc diem, perinde ac ſi omnes homines ſimul hodie eſſent creati, quorum vnus ſolùm foret ſaluandus, is qui ad feruentiorem charitatem & reſignationem propriæ voluntatis perueniret: ad quod cùm reliquis datum eſſet ſpatium centum annorum vitæ, tibi tantùm concederetur iſti dies vnicus. Plus pro Dei honore & beneplacito nunc debes facere, quàm in quacumque contingentiâ & ſuppoſitione pro alio reſpectu tuo, etiam ſaluationis.

CAPVT VI.

De cuſtodiâ feruoris.

NOn minùs pendet vita ſpiritualis à corde, quàm corporalis: cuſtodito & intemerato corde, ſeruabitur ſpiritus. Sacroſancta Dei ara, & thronus Spiritus ſancti, cor humanum eſt. Summâ ſolicitudine curare debes, vt mundum ab iſto mundo illud ſerues, nec maculetur imaginibus rerum mundanarum, & impertinentium, quibus per feneſtras ſenſuum velut machinis te quatit mundus, & dæmon. Plus curare cor tuum oportet, quàm altare, ſacrarium, & vaſa ſacra, vbi ſacrificatur, colitur, & ſeruatur Corpus ipſum Chriſti in Sacramento. Quantâ diligentiâ & ſub quot clauibus cuſtodiunt auari nummum & ſuum interitum? Studioſi rerum exquiſitarum, quantâ curioſitate ſingularem aliquam gemmam aut artificium aliquod peregrinum ſeruant, conficiuntque ſtatim capſam quâ aſſeruetur, ne vel puluiſculus illud attingat? & tu gemmam Diuinitatis, & Spiritum ſanctum, ſine cuſtodiâ exquiſitiſſima & mundiſſima putas decenter ſeruari poſſe? Si portares in manibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, attenderes ne excideret: cur ſi Deum portas in corde, non benè ſeruabis? Delicatiſſimum membrum cor eſt, leuis paſſio eius moleſtiſſima eſt, leuis vulneratio letifera eſt corpori: ſic ſpiritum quælibet negligentia in cordis cuſtodia nimium lædit.

Regnum Dei intra nos eſt: quid extra nos mendicamus miſerias per ſenſus? Dei oraculum eſt cor tuum: Deus intus loquitur: quomodo attendere & audire poſſumus, ſi foris & extra nos ſumus? Dum loqueris cum hominibus, alium hominem te alloquentem interim non audies: quomodo audies Deum, diſtractus omnibus rebus? Quid foris optas videre pulchrum, quid iucundum audire, quid noſ-

ſe nouum, cùm intra te habeas Deum, vbi tota pulchritudo ſimul, tota iucunditas eſt ſimul, & ſemper eſt nouum aliquid ipſis etiam Angelis beatis; tametſi ab origine mundi? Antequam Adam peccaſſet, viderunt illum: ſemper nouus ipſis eſt Deus. Quis Beatorum relinqueret conſpectum & conuerſationem Dei, ſeque ab illo ſeiungeret, vt conſpiceret aliquid in terrâ curioſum; aut quis propterea poſitus iuxta portas cæli, inde regredi vellet? O quàm deflendus quoque eſt, qui vt expectet has terrenas ſordes, impedit profectum ſuum in ſpiritu, deſerens veſtibulum cæli, quod eſt cor cuſtoditum; ac relinquit Deum ſolum, & interdum cor ſuum ſolum, fugans ab illo Deum; vt deinde nec Deum tam perſpicuè noſſe valeat, nec expeditè audire! Vt te videas in ſpeculo, priùs abſtergis puluerem: quomodo in corde tuo vis videre Deum, ſi illinis illud luto rerum terrenarum?

Si diceretur tibi, eſſe in plateis concionantem altiſſima myſteria ſanctum Paulum Apoſtolum, qui denuò è tertio cælo deſcendiſſet; relinqueres omnia etiamſi iucundiſſima & vtilia eſſent, & ſtatim accurreres, licet longinquus eſſes, vt audires & videres illum. Ecce non eſt opus vno greſſu, vt audias Deum tibi ſalutaria monentem, & altiſſima docentem, dum in te venerit, & manſionem apud te fecerit, cur non relinquis exteriora hæc, moleſta & ſine fructu, & omnem nouitatem & curioſitatem inanem vincis, quâ euaporatur feruor? Tanti hoc fieri debet, vt ſeruus Dei Pater Franciſcus de Villanoua diceret, etiamſi annuntiaretur ſibi quòd Angelus de cælo veniſſet, & in foro eſſet, prædicans admiranda & ſtupenda, illucque confluerent omnes, ſe minimè moturum, vt ſolùm vinceret curioſitatem. Et planè melius eſſet non videre Angelum, quàm vinci curioſitate, ſi propter illam ſolùm videri deſideraretur. Quid nunc habes ex omnibus quæ vanè vidiſti, niſi fortè impedimenta contemplandi Deum, onuſtâ mente tuâ variis ſpeciebus & imaginationibus rerum vanarum & falſarum? Quantò minùs videtis, eò minues cupiditates & occaſiones erroris. Cor clauſum mundo, eſt aperta veritatis ianua; quæ clauditur, apertis & liberis ſenſibus exterioribus: occludunt illam res iſtæ materiales. Quare oportet ſemper intra te eſſe, nec niſi cum veniâ petitâ à Deo ad exteriora exire pro gloriâ Dei, & obedientiâ. Tunc non impedient te: ſed ſtatim, vbi primùm abſolueris, intrò te verte, reſalutans & alloquens Deum ibi te expectantem. Imò furtim in ipſis adhuc negotiis te collige aliquoties: te ſurripe ab occupationibus, & ſiſte te ante Deum. Quidquid facturus es, perpende priùs, & offer Deo; & quoad poſſis, ſæpiſſimè recurre ad illum: viſita in corde tuo, conſule & humiliter implora eius auxilium.

Præcipua tamen ianua hominis, quam oportet ſeruare, os eſt; ne per verba effluat deuotio. O quoties viliùs vendunt multi Deum quàm Iudas, cùm vendant pro vno verbo! Simon Magus damnatus fuit, quia argento voluit acquirere ſpiritum; alij perdunt Spiritum ſanctum non pro argento, ſed pro ſpiritu oris & vento. O ſanctiſſime Spiritus, qui loqueris veritates, quomodo relinquam te, vt audiam mendacia hominum, aut loquar ego vanitates? Duc me cum IESV meo in deſertum cordis mei, vt ibi doceas me, illumines, & robores ad portandam crucem. O Deus, ô Chriſte cordis mei, concede mihi, vt te ſequar exiens è mundo & cœtibus mundanis, vt tecum extra ciuitatem moriar. Extra curiam Ieroſolymorum prodiiſti ſuſtinens crucis pondus, vt morereris pro me, & ſaluares me in ſolitudine; admonens me extra mundum abire, & te in me quærere, ac ferre crucem, & crucifigi mundo in ſolitudine cordis. Vtinam vt militia eſſet vita mea ſuper terram! Miles deſerit parentes, cognatos, amicos, patriam, facultates, & exulat voluntariè in regionibus exteris, corpus & animam exponens euidentiſſimis periculis pro vili nummo: cur anima deſiderans Chriſtum, vt lucrifaciat ſummum bonum in ſuo corde, nolet à turbâ hominum exire, atque exulare ab hac miſeriâ rerum, vt euadat maiora pericula animæ & corporis, diuiniſque conſolationibus recreetur?

CAPVT VII.

Quàm oporteat conſtanter ſe habere in operibus bonis.

MVltos annos laborant homines & conſtãtes ſunt ſunt pro rebus mundi inconſtantibus & fugitiuis: quomodo inconſtantes ſumus pro æternâ & conſtanti gloriâ, permanſurâ ſemper? Homines conſtanter ſe angentes & laborantes totâ vitâ non conſequuntur bona temporalia, quæ ſine quiete ſemper quærunt: quomodo præſumimus conſequi æternitatem, cùm ſic mutemur quotidie? Quanta pro ſuis ſceleribus patiuntur latrones, laſciui, auari, dum ignota & incerta quærunt? cur pro virtute & Deo nil conſtanter ſuſtinemus? Qui ſperat continuum & æternum bonum, iniuſtè interrumpit in conſecutione laborem: qui futurus eſt ſemper beatus, oportet vt ſit ſemper bonus; nam

Nulla dies actus hominis nō damnat iniquos:
Omnia conueniunt tempora iuſtitiæ.

vt ſanctiſſimus Proſper ait. Summa eſt gratia, cuſtodire gratiam ſibi datam: ſummum opus eſt, non ceſſare à bono opere. Vt animal ſine capite deforme eſſet, & ſine vitâ; tale monſtrum eſt vita bona ſine fine ſimili. Accepimus gratiam ſine labore, ſed oportet cum gratiâ & cum labore conſeruare. Dimidium facti eſt principium; ſed ſi non habet finem, nihil eſt. In hac perſeuerantiæ materiâ finis totum eſt: nam nihil eſt factum, ſi reſtat aliquid faciendum. Parum iuuat totâ vitâ laboraſſe, ſi in fine deficiat. Plus prodeſt vnum momentum vltimum perſeuerantiæ, quàm omnes anni præcedentes: nam cunctos quis perdidiſſet, ſi in illo inſtanti defeciſſet.

Difficile putabis perſeuerare: at difficilius eſt, iterùm incipere; & multò moleſtius, inceptare ſæpè. Quare facilius & vtilius eſt ſemel perſeuerare quàm crebrò inchoare. Equi minorem vim faciunt, cùm continuant iter trahentes currum, quàm cùm repetere volunt

poſtquam

Digitized by Google

poſtquam ſteterunt ſemel, aut cùm primò inceperunt. Aqua quæ ſemel caluit, poſteà remota ab igne, frigidior quàm anteà redditur. Si deſit feruor, peior fortaſſe fies, quàm anteà. Deſinunt plures perſeuerare, quia difficile bonum opus putant: ſed non fugiunt difficultatem; nam perſeuerando facilius fiet. Si potuiſti incipere quod difficilius eſt poteris continuare facilius. Camdiu experimentum operis habuiſti, non eſſe vſque adhuc impar tuis viribus & gratiæ: cur contra longam experientiam modò diffidis, & putas non poſſe ſuſtinere illud? Quod præteritum, & quod futurum eſt, non grauat in tempore præſenti: ne ſimul conſideres totam difficultatem, nam non venit tota ſimul, ſed pars parti temporis reſpondet. Vt potuiſti anteà ſuſtinere, poteris modò; poteris & deinceps. Non grauior erit quàm fuit, ſed potiùs languet difficultas decurſu temporis & conſuetudine. Conſueſce benè agere, ſic malè agere dediſces; ſic gaudebis in opere quod putabas terribile Conſuetudo vincit difficultatem, quia vincit naturam: quid faciet gratia Dei? Si conſuetudo ſuperat naturam, multò magis ordinata charitas in te ſuperabit inordinationes naturæ.

Melius ſæpè eſt implere propoſitum tuum, aut perficere opus bonum inchoatum, quàm inchoare aliud quod ſit melius; quia aſſuetus facilitati animi, etiam iſtud non perficies Rarò poteſt occurrere opus melius, quàm conſtantia, & propoſiti boni conſummatio. Propoſita bona ſunt adimplenda, etiamſi iam non putentur tanti momenti fore; quia licet in ſe fieri, aut non fieri parum referret, plurimum refert conſtantem eſſe & non mutari. Quis faciliùs proponit, quàm qui minùs implet, quod propoſuit? Si firmiter perſeuerare diſcas in bono contra aliud bonum, firmiùs perſeuerabis contra malum, & non paſſim mutaberis temporaliter ſeruiens Deo. O Veritas æterna, da mihi vt æternè tibi ſeruiam: adiuua Chriſte infirmitatem meam, qui infirmitates noſtras conſtanti amore portaſti, qui numquam deſiſtis tolerando impudentias & negligentias meas; da mihi vt non ſim negligens, nec deſiſtam impudenter in obſequio tuo; ſed tolerem moleſtias omnes. Diſcam, Domine, perſeuerantiam amoris tui; qui cùm dilexiſſes tuos, vſque in finem dilexiſti eos: qui perſeueraſti in cruce pendens, & noluiſti deſcendere, quamuis promiſiſſent Iudæi credere in te Filium Dei: qui in tædio, angore, & ſudore cruento, prolixiùs orando perſtitiſti.

Age ſpiritus remiſſe, dicito, quid debes operare & facere pro IESV, qui cruce & doloribus pro te perſeuerauit; qui cùm dilexiſſet te, dilexit vſque ad mortem, niſi bona facere, & mala pati? Hæc ſunt præcipua vota animæ diligentis IESVM, quæ maximè ſeruiunt perſeuerantiæ. Opus bonum adeſt; quò minùs illud perficias, quid facit niſi moleſtia laboris? Attende, aliud bonum hoc eſſe pati malum, attende iam duplicatum bonum: coniunguntur in hoc opere, malum pati & bonum operari. Non poteris excuſari, ſi non perſeueras; quia ſolùm te impedit, quod per ſe optare deberes, pati pro Dilecto tuo. Si amor IESV in te arderet omnes acediæ, tribulationes, impedimenta extrinſeca, non magis te opprimerent, quàm cum ignis obruitur lignis, quibus magis mox incenditur. At ſi tam infirmus & gelidus es, vt non te vrgeat amor Dei, incitet te lucrum tuum, & ſpes gaudij futuri. Deſperatio ſalutis & vitæ temporalis fortiores ſolet facere milites, & ſaluare: ſpes diuina æternæ vitæ fortior eſt, & fortem te faciet & ſaluabit. Cum hac ſpe aggredere & perſeuera hilariter. Quod iucunde fit, fallit labores & moleſtias, etiamſi laborioſum ſit. Qui ludo militari aut pilæ exercetur, plus laborare ſolet, quàm qui pro mercede diurnam operam locat; & tamen non ſentit, quia iucundè id accipit.

Si vis benè finire in vltimâ horâ, ſingulis horis incipe: ſi vis perſeuerare, ſemper de nouo inchoa. Ne excuſes negligentiam tuam diſpoſitione corporis. Plerumque fallit te amor proprius, quo remiſſa opera facias. Plus poſſet corpus, quàm putas, ſi feruor animi eſſet: cuius vis etiam in infirmis creat vires corporales. Phreneticus cùm infirmus ſit & debilis morbo, plus poteſt quàm quatuor ſani. Vis animi aliquando ſe communicat corpori. Si infirmitas morbi fortes facit; quantò magis robur gratiæ, & ſanitas animæ, cùm diligit Deum, & ſperat in eo?

CAPVT VIII.

De ſolicitudine augendi gratiam.

VAde ad auarum, ô ſpiritus remiſſe, & diſce ſolicitudinem & artes. Non magnum petitur à te, vt ſis optimus, quod imiteris hominem peſſimum: non maior diligentia à te exoptatur ſi placere vis Deo, niſi quam multi habent vt nemini placeant, imò vt diſpliceant omnibus. Pudeat pro Regno Dei non facere, quæ fiunt pro aſſe vno. Non plus à te poſcitur pro magnâ gratiâ & gloriâ, quàm quod vltrò peccator molitur pro vitio & inferno. Eſto cum laude auarus gratiæ, & nimiùm minutus & attentus lucris cæleſtibus, Studioſi habitus ad actionem inclinant: quare virtutis eſt proprium, non quid actum ſit, ſed quid agendum; non quid acquiſitum, ſed quid reſtet cogitare: nec proinde vmquam eſt in gloriâ ſui, ſed in ſolicitudine. Non placent illa præterita, ſed futura prouocant. Auara eſt, ſitit, ardet; eò ſibi pauperior viſa, quò plus acquiſiuit.

Auari temporalium, in odio omnium ſunt; quia nec ſibi nec aliis proſunt: imò nocent aliis, aut vſurpando, aut impediendo, aut negando bona temporalia; ſibi cæleſtia auferendo. Contrà auari rerum ſpiritualium, innocentes ſunt, in gratiâ & laude cunctorum, quia ſe ditant ſine damno alterius. Bona vera huius conditionis ſunt, vt ſufficiant omnibus, ſine timore nonſumptionis & detrimento opulentiæ alienæ. In bonis ſpiritualibus auaritia laudabilis eſt, in temporalibus deteſtabilis: nam bona ſpiritualia ſunt, vt ſeruentur; bona temporalia, vt erogentur: hæc enim non ſunt bona, niſi diſpenſentur benè: bona verò ſpiritualia non proſunt, niſi ſeruentur; quæ tamen communicatione non minuuntur, ſeu potiùs augentur. Ne igitur dedigneris lauda-

bilitet & fructioſè facere, quod alij non deſinunt facere cum vituperio & damno ſui & omnium. Auatus vnum obolum tanti æſtimat, ac vitam; quem ſi amittat, ſummè dolet: tu quoque quamlibet gratiæ iacturam, aut occaſionem augendi, luge, ſi neglexeris. Auati excogitant machinas, vt commententur modum quo lucri aliquid augeant: tu non minùs occuperis, & mediteris ſemper creſcere in gratiâ. Nihil paruum putes, ſed omnia maxima quæ in cæleſtibus bonis ſunt quemadmodum oculum videntem parua ſtellas ratio corrigit, & docet eſſe ſingulas multò maiores quàm eſt totus terræ globus. Sic opinionem tuam, cùm putas aliquid parum eſſe, corrige; & exiſtima minutiſſimæ occaſionem lucrandæ gratiæ pluris æſtimandam, quàm Vniuerſi Imperium. Semper palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos, vt paruulos vniones meritorum inter ſtercora humanarum occupationum diſtinguas, & ſeligas.

Hæc cura præcipuè ſit, præter opera bona, in Sacramentorum vſu feruenti & frequenti. O immenſa liberalitas Dei, quæ reſeratos theſauros tuos Eccleſiæ reliquiſti, vt quiſque pro vt vellet caperet! Aeſtimemus Sacramentorum diuitias: & prima cura auaritiæ ſanctæ ſit circa illa; nam ſunt fodinæ gratiæ. Auarus qui pro vno aſſe integras noctes vigilat, tentat tot dolos, ſuſtinet tot labores; ànne patentes theſauros opulentiſſimi Regis videns, & à Rege rogatus, vt ſæpiùs acciperet inde quidquid liberet, & inſtaret vt plures & maiores quos poſſet ſacculos afferret, ànne inquam contemneret hanc occaſionem lucri? Hoc facit Chriſtus tecum in inſtitutione Sacramentorum. Non tantùm te diſponi ad illa oportet, quatenus non fruſtreris; ſed amanda ſunt & crebrò frequentanda, vt maiorem gratiam conſequatis, diligentiſſimè te præparando. Diſpoſitio eſt vaſculum gratiæ: pro maiore diſpoſitione & affectu tuo, maiorem reportabis: cuius minima particula, pluſquàm omnia Regna, & vniuerſa natura, valet. Fluit in his vaſculis Sanguis Chriſti; nec ſiſtet, niſi cùm deficiant vaſcula.

Habe hanc ſanctæ auaritiæ aſtutiam; & ſingulis operibus curaduplicem, ſi poſſes, lucrari gratiam: ea offeras, vt dignè ad Sacramenta accedas; tunc gratiam ob meritum operis habebis, & aliam proptereà potes ſperare conſecuturum ob diſpoſitionem meliorem, quam Deus tibi concedet, videns affectum tuum & curam vt benè diſponaris. Similiter omnia opera tua roga à confeſſario tibi imponi in ſatiſfactionem peccatorum. Habe quoque affectum erga omnia ſacrificia Corporis & Sanguinis Domini quæ fiunt in mundo, vt velis omnibus aſſiſtere ſi poſſes; offer omnia illa Deo; ſic diſpoſitus maiorem fructum ex illis conſequeris. Pari deuotione afficiaris erga omnes preces Eccleſiæ generales pro filiis ſuis, & ardentes fidelium orationes, vt ita deuotè affectus, fias illarum magis dignus & particeps. Imò qui eſt in peccato mortali, quod cogitare eſt horribile, non deſinat hæc facere in reuerentiam dignæ ſuſceptionis Sacramentorum, cum ſalutari propoſito & diligenti ſtudio & deſiderio confitendi peccata. Hac arte opera ſua bona, quæ alioqui ſterilia ſunt gratiæ ratione meriti, fructuoſa quodammodò poſteà erunt in Sacramento ratione diſpoſitionis, quam iuuabunt: nam licet propter illa non dabitur gratia, dabitur propter bonam diſpoſitionem, quam poteſt ſperare ex diligenti præparatione. Iam ab hoc puncto cùm ſanus es, velis affectum habere & diſpoſitionem dignam etiam circa extremæ Vnctionis Sacramentum, quando tibi fortè miniſtrari continget.

Attendat has minutias ſeruus Dei, nec gratiæ micam cadere permittat, quam lucrari poſſit; hoc ſtudio totius vitæ congregabit ingentes theſauros: nec otioſum ſinat inſtrumentum lucri, voluntatem deſiderantem; cupiat facere quod exequi nequit. Votis locupletiſſimus fiat: cùm videt, audit, legit opus eximium virtutis, optet illud feciſſe; inuideat ſanctè & ardenter; ſimilem gratiam fortaſſe conſequetur. Qui approbat peccatum, perinde eſt ac ſi patraſſet: ſic qui deſiderat verè opus virtutis, non erit ſine præmio. Facilior Deus remunerat, quàm punit. Auarus nihil relinquit, quod non cupiat, cùm deſideria tantùm ſeruiant maiori torturæ: quid faceret, ſi ſimul ac concupiſceret, res poſſideret? Hæc felicitas & facilitas fœnoris eſt in auaritiâ ſanctâ & ſpirituali. Vota non tormento erunt ſeruo Dei, ſed conſolationi & fructui: ſtatim compos fiet ſimilis meriti. Deſideremus cum fructu æterna bona, ſiquidem temporalia deſiderant homines cum dolore, & fruſtratione. Quàm facile lucrum eſt ſolius voti ſumptu! Conſidera vberem cenſum deſiderij, & quàm diues ſis ſolâ voluntate; nec vacare ſinas penſionem facilem rei tantæ. Omnium Angelorum & Sanctorum merita, imò & poſſibilia omnia, opta paſſim habere, vt Deo magis placeas; & locupletiſſimus fies de aliorum laboribus & obſequiis. Opta pariter, quoad poſſis, & ſine fictione, pati quidquid creaturæ pati poſſunt: & cùm pauca ſint omnia opera voluntaria quæ pro Deo facere potes, conſideratâ magnitudine obligationis tuæ, collige hinc inde plura: ipſaque opera neceſſaria vitæ, ſomnum, victum, & alia lucrare, & offer Deo. Cura quoque opera ex ſe exigua ſtatuere in altiſſimâ virtute: maiorem inde gratiam habebis. Fac omnia ob amorem Dei. Quæ maior felicitas, quàm ſimul cum lucro tanto non ſeparari à diligendo illum, quem diligere ſuper omnia deſideras, & debes deſiderare? Ipſa lucra gratiæ, & Sacramentorum vſum ambies, vt magis placeas Deo, & fias magis pulcher & gratus illi: nec minùs ſollicitus ſis de incremento gratiæ, quàm timidus de iacturâ aut otio ex leuibus culpis & deſidiâ. Omnia tua opera & labores coniunge & offer cum operibus & laboribus Chriſti: ita gratiùs à Deo reſpicientur. Moneta minùs probata, admixta inter copiam legitimæ, admittitur, & tantumdem valere ſolet: gutta aquæ in dolio vini ſaporem vini accipit. Et vt omni munditiâ Deo ſeruias, indulgentiarum curam habe. Propone quotidie, cùm ſurgis lucrari omnia iſta & facere quod poſſis; offer illa & dedica Deo, poſtquam te & cetera omnia tua ſoli gloriæ eius dedicaueris: & in die repete ſæpiùs hanc intentionem tuam: nondum te reddes, & ſatisfacies Deo, ſi conſideres qualis erga te, qualis in ſe ſit.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt IX.

Quomodo laudandus ſit Deus.

SI eſt maledictus qui quodlibet opus Dei negligenter facit; qualis erit, qui Deo benedicit negligenter? qui hoc opus diuinarum laudum in quo Dei negotium præcipuè fit, deſes & impudens agit. Turbari ſolent præ reuerentia homines, ſi Reges alloquantur in cauſâ propriâ: anne in cauſâ ipſius Regis, & teſte ipſo Rege & auditore, impudentiores & ignaui erimus? Maledictus erit meritò, qui Deo non benedicit, vt decet, diligenter. Angelos intuere, & omnes creaturas laudantes, & honorantes Dominum, pudeat te, deſidendo, tacendo, aut offendendo contemnere. Quàm damnandi & peruerſi guſtus eſt, qui non ſemper gaudet laudare omnium optimum & ab omnibus celebrandum? O Domine, ne permittas, vt diſtractione & negligentiâ meâ orationem, & benedictionem tui, quâ omnia mala ſanantur, faciam malum & peccatum. Quomodo locum aliquem diſtractioni poſſum dare, cùm oporteret tot hominum oblitorum tui reſtaurare vnâ hac horâ omnes diſtractiones? Quantâ reuerentiâ debeo aſſiſtere, cùm pro peccatoribus omnibus qui te inhonorant, & infantibus qui te ignorant, & creaturis quæ mutæ ſunt, velis vt te laudem? Sed cur, Domine, tanti facis hominis viliſſimi laudes? Quæ gloria maior patris familias, quòd à filiis laudetur, aut à viliſſimis ſeruis etiam? Fortaſſe iſta, quia oſtendunt gaudium quod in ſeruitio & domo ſuâ habent, quòd vniuerſi & vltimi etiam ſeruuli læti ſint cum tali Domino. Gloria Dauidis fuit, vt eius victoriam non ſolùm aulici laudarent, ſed ancillæ. Gloria Dei eſt laudari ab Angelis, quos glorificat; & aliquando maior laudari ab hominibus, quos humiliat, mortificat. Quàm bonus es, Domine, etiam iis quibus acerba & mala iſta immittis, bonum te acclament! Per ſingulos dies benedicam tibi, & omni tempore, ſine diſcrimine diei afflictionis aut lætitiæ.

Cognoſce homo, quàm gratum ſit Deo verè laudari, ex gaudio quod ſumis, cùm laudaris etiam falsò. Simile eſt Deum laudare, ac ſi dares diuinitatem. Affectum ſolet appendere Deus pro effectu, quando hic eſt impoſſibilis. Quòd reſpiciat Deum deuotè anima aliqua ſancta, tantoperè geſtit, vt poſtulet ipſam auertere oculos à ſe, quia auolare & ſuperbire faciunt: quantum placebit, cùm illum admiratur, ſtupet, & requirit canticis amatoriis & laudibus affectu plenis? Offendimus te Domine linguâ, vt vniuerſitate iniquitatum; purgem illam vniuerſitate bonitatum & perfectionum tuarum. Purgem infamiam illam linguæ humanæ, quæ acclamauit vt attolleteris in crucem, & attollam te ſuper Cherubim & Seraphim. Perdidiſti Domine plures Angelos qui te laudarent: gratias tibi ago, quòd me miſerum eligis, & ſubſtituis in alicuius locum, vt ſuppleam officium Angelicum etiam inter blaſphemias offendentium te. O quàm gratiſſima tibi laus animæ piæ inter tot infidelium maledicta, vt qui luſciniam audit inter abſonantes & tetricas aues. Sonet vox tua in auribus meis, poſtulas Domine: quomodo negare vocem poſſum Deo me alloquenti, & concedenti Verbum ſuum? O immenſe Pater, qui dediſti mihi Filium tuum Verbum tuum, vt opprobrium eſſet cunctis pro me; debitor tibi ſum verborum meorum, vt lauderis in cunctis rebus à me. Verbo tuo feciſti omnia: ius eſt, vt Verbi facta ſaltem verbis agnoſcamus & gratificemur.

Si iumentum eſſem, ferrem onus; ſi pecus, irem ad mactationem; ſi bos, ſubirem iugum; fungerer iumenti, pecoris & bouis munere: at quia rationalis ſum, fungar officio meo, Deum laudabo: hoc officium hominis, hoc penſum rationis creaturæ, & ad ſimilem cantionem omnes creaturas hortabor vbique & ſemper. Non oneris, non laboris opus meum eſt, ſed linguæ & cantûs, & eius rei quæ tollit labores. Agricolæ artifices vt fallant moleſtiam operarum, ſolent canere: cur tam facile & lætum munus negligam?

Si forem luſcinia, gauderem canendo, & perfungerer officio meo: homo ſum, cur non gaudebo celebrando Deum, fungens naturâ meâ? In hoc officio beatorum Angelorum erudiat inter miſerias humanas, quod per æternitatem exercebo; & nunc velut in præludio, gloriæ ſpecimen exhibeo. Intrudam me inter Angelicos choros, vt abſurditas mei cantûs harmoniâ cæleſti abſorbeatur. Si inter homines, dum Religioſi concinunt in Choro, ſe inſerere Angeli ſunt viſi: ego me inſeram in choris Angelorum, & illic me præſentem faciam, dum laudes diuinas cano; aut inter diſcipulos & Chriſtum, cùm hymnum cœnâ factâ dixerunt. O IESV dulciſſime, quis imitabitur affectum tuum, quo hymnum dicebas? Similis illi fuit, licet non prodiret, quem paulò pòſt cruore fuſo oſtendiſti, cùm opus fuit vt Angelus te confortaret, laudando ſiue compatiendo. Da Domine, vt dignè laudando impleam officium Angeli. Da Domine, vt in memoriâ paſſionis tuæ per omnes horas compatiar tibi, & te confortem. Magis cuperes hoc afflictionis tuæ aliquod ſolatium, me videre aliquando attentum, humilem, feruidum, amantem in perſoluendis laudibus tuis, maximè per horas Canonicas, ſi non feſtinanter id agam, ſed congruo & opportuno tempore.

Oportet ſemper orare, laudare, & benedicere tibi omni tempore: quid eſt, quòd negotio omne tempus poſtulanti nullum aptum tempus concedatur? Omnia tempus habent: ſola oratio & laus tua, quæ omne tempus habere debet, nullum ſolet inuenire tempus. Non quòd priuatè dicantur Horæ, debent licentiùs & remiſſiùs peragi; ſed obſeruantiâ & affectu coneris ſupplere fructum communis orationis, vt etiam reuerentia priuata trahat Angelos: vt ſeruus Dei deuotus ille Pater Societatis noſtræ Ioannes Fernandius fecit, qui cum Angelo Dei recitabat pariter Horas ſingulari cæli fauore: tu ſaltem Angelum cogita tecum aſſiſtere, & recitare ſimul, vt reuerentiam ab eo diſcas, vt dignè & vtiliter laudes Dei perſoluas.

O anima, quàm es inutilis Deo, dum laus eius & gloria in ore tuo & corde non ſit! Negat

Digitized by Google

ſe opus Dei , qui laudem Deo negat, quibenedicere Deo negligit ; cui ſterilis eſt creatura, ſi non ferat hanc meſſem laudis. Fructus hominis, laus & gloria diuina eſt;hanc vſuram & vtilitatem beneficiorum ſuorum poteſt Deus , ſeu potiùs dignatur ex creaturâ capere. O immenſa bonitas, laudanda ab omnibus : ſi tibi debet creatura laudes , quia opus eſt manuum tuarum, quantas debebit , quia tu laudaſti prior ? Res omnes creaſti, Domine , æquè ac laudaſti, approbando illas bonas , & benedicendo illis : cur non benedicam ego tibi , & prædicabo & videbo quàm ſis bonus ? Quanta dignitas eſt, ô homo, vt velit Deus tuam approbationem & laudem ! Tam ſeriò debes laudare Deum , ac ſi tota reputatio Dei penderet à laudatione & approbatione tuâ. Cura eſſe bonus & iuſtus : nam laus ab iniquo , vituperatio eſt apud ſapientes ? & idem reputant , laudari à turpibus, atque ob turpia. Quidam dixit meritò, peiùs de famâ noſtrâ mereri lentos & ſteriles laudatores , quàm acerrimos detractores. Anne non poterit eſſe, vt aliquando exaltationem Chriſti & gloriam Dei minùs offendat Ethnicus cæcus & ignorans , blaſphemans, quàm Religioſus oſcitanter, immodeſtè, diſtractè & irreuerenter laudans Dominum ? Conuitium apud homines, putatur frigida commendatio : & fortaſſe aliquando dicenda eſt proxima blaphemiæ, laus Dei nimis irreuerenter facta.

Primus inuentor laudis Deus fuit ; & prima doctrina quam me docuit,fuit laudare : primum beneficium , quo donauit creaturas recentes, laus fuit, & commendatio bonitatis earum. O dignitas laudis quam , inuenire ſolus Deus fuit dignus ! Aliarum rerum inuenta homini deberi voluit Deus ; laudis inuentionem præripuit ipſe. Non tantùm creaſti nos , ſed erudiſti & inſtituiſti in officio noſtro, quod eſt laudare opera tua , & te ex illis. Pater amantiſſimus non tantùm filium generat, ſed inſtitutionem eius curat. Laudaſti Domine creaturas ſtatim atque feciſti ; & quia illæ te laudare nequeunt, quia mutæ ſunt, mihi hoc onus pro ſeruitio ſuo imponunt, vt te pro illis laudem : nullum aliud ſtipendium à me petunt obſequij ſui, niſi vt ſuppleam linguâ meâ earum infantiam. Laus mea , laus elementorum & cælorum erit ; vt cùm pro infante gratias quis agit benefactori illius , gratificatio infantis eſt. Præmium , Domine , operum tuorum, laudem meam petis : ne permittas tam iniuſtum me eſſe , vt fraudem te palmâ tuâ de me. Age Domine mirabilia & magna ; ego puſillus curabo celebrare illa. Exaltare Domine in virtute tuâ ; cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

CAPVT X.

Quanta dignitas ſit offerre ſacrificium Chriſti.

SVmma gloria ſeruorum Dei eſt imitari Chriſtum : quanti fiet , Sacerdotem æquiualere Chriſto ? Omne gaudium eſt pati pro Deo:at quantum foret, mori loco Dei ? O quàm magnus fauor eſſet, ſi cùm Chriſtus ſpinis coronatus, ſudore & ſanguine madefactus , cruce onuſtus, funibus implexus, viribus defeſſus cecidit, deficiens præ pondere ligni & debilitate tormentorum præteritorum , audires tunc de cælo vocem Patris amantiſſimè tibi dicentis; Volo vt loco Vnigeniti mei moriaris pro humano genere, & finias officium , ad quod elegi filium meum dilectum ? O deſiderium meum, vnde hoc mihi?quis mihi hoc concederet,quod plus exoptarem quàm gloriæ gaudium præſens ſtatim habere ? Quàm incredibile beneficium putarem, ſi ſolùm vt Cyrenæus poſſem iuuare Chriſtum deportans crucem? Haberem pro immensâ gratiâ , ſi ſolum vnum flagellum pro illo ſuſtinerem; qualis eſſet totam crucem ferre , & me exhibere crucifigendum loco Dei mei?Profuſis præ gaudio lacrymis accederem ad IESVM , & poſtularem coronam ſpineam ſuam, & meo capiti arctiſſimè infigerem ; poſtularem funes ſuos, & me circumuoluerem;poſtularem crucem ſuam , & me onerarem , & alacriter ad montem Caluariæ irem. O quomodo inuiderent mihi cuncti Angeli, & ipſa Regina Angelorum , quomodo celeſtes ſpiritus circumſtiparent me, comitarentur, & venerarentur propter redemptionis honorem ? Si hoc concederetur ſancto Michaëli ſummo Angelo , vt pro Chriſto Domino pateretur; quàm ardentiſſimè acceptaret etiam inferni pœnas , exardens zelo gloriæ Dei clamaret ardentiùs , quàm anteà, Quis ſicut Deus ? ceteri Angeli reputarent id gloriam ſummam ſuæ naturæ, & comitarentur delegatum illum pro Chriſto. Multò maior fauor & gratia felicior Sacerdoti conceſſa eſt.

Conſidera interim , quando ad Sacrificium accedis, præceptum tibi eſſe à Patre æterno, vt ſubſtitutus ad mortem ſis pro Chriſto;quando ſacris veſtibus indueris, nihil aliud agis, quàm coronam ſpineam de manu Chriſti traducere in caput tuum , veſtem eius induere , funibus eius ligari,& onerari cruce.Conſidera quid agas; & tam deuotè accipe veſtimenta ſacra , quàm acciperes ab ipsâ manu Chriſti inſignia paſſionis ſuæ, quæ ille plus quàm cælos quos vides æſtimabat. Iam dum exit Sacerdos veſtitus, quàm innumerabiles Angeli comitantur illum! Si pauciores fuiſſent creati,potiùs poſſes putare defuturos aliquos cælo & cuſtodiæ hominum, quàm comitatui & aſſiſtentiæ Sacerdotis celebrantis. Cùm Rex vices ſuas alicui tribuit & delegat ad negotium proprium Regis, & auctoritatis publicæ , Optimates & Equites comitantur Legatum , etiam ſi relinquant Regem ipſum & curiam : ſic Angeli ad vicarium Chriſti honorandum , & aſſiſtendum, accurrunt; præcipuè cùm ibi etiam honorent ipſam perſonam Regis ſui & Domini gloriæ , qui præſens fit admirabili modo in Miſſâ. Quàm humilis, quàm verecundus debet prodire Sacerdos ! Sed iam cùm ad Sacrificij tempus accedit , opret ſupra modum moti loco Chriſti pro toto mundo. Attendat totum mundum à ſe pendentem, lamenta animarum purgatorij , immenſa pecata hominum, innumera pericula iuſtorum, neceſſitates afflictorum, ardentiſſima deſideria Beatorum , ingentia gaudia Angelorum , omnia ſpectan

Digitized by Google

ſpectantia Sacrificium: & cognoſcens tunc Sacerdos morte ſuâ non poſſe ſatisfacere omnibus, vehementer gaudeat rurſus Chriſtum ſupponi ad Sacrificium, qui, ſolus potuit omnibus facere ſatis; & Deum contentum voluntate Sacerdotis, vt olim voluntate Abrahami & Iſaac, ſubſtituiſſe iterùm Sacrificio innocentem arietem, & Agnum tollentem peccata mundi: qui abundantiſſimè pro omnibus ſufficiet, liberans Sacerdotem, ne fiat hoſtia & moriatur, eique impertiens dignitatem & honorem officij & legationis tantæ. Victima offerenda pro peccatis mundi, ſine peccato debet eſſe: at quoniam nemo ſine peccato eſt niſi Chriſtus; opus fuit, vt ſe ipſum offerat ſummus iſte Antiſtes, qui non habet neceſſitatem priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.

Neſcio quomodo hîc, ô Sacerdos Vicarie Chriſti non liqueſcis & exſpiras præ gaudio & amore. Si quis ære alieno & crimine proprio obnoxius in carcere detineretur, quòd non poſſet ſatisfacere; & accederet quis & liberaliter & inopinatò concederet, quo cumulatiſſimè ſatisfaceret, quantum gauderet? Ecce tibi impoſſibile eſt, vt pro minimo beneficio Dei, aut maleficio tuo, Deo ſatisfacias, cui es infinitis titulis obligatus, nec ex te eſt ſpes ſatisfactionis: & ſi amas ſincerè Deum, deſideriis inſtantiſſimis deberes pro hoc affligi: quantum debes exultare, cùm tibi ad manus venit Chriſtus, vt cumulatiſſimè ſatisfacias Patri? Planè hanc horam per totum diem & noctem, ſemper debet expectare, qui diligit Deum, in quâ homo viliſſimus infinito Deo offert quod infinitè placebit illi, vt iam non timeat debitum peccatorum propter inopiam vnde ſatisfaciat. Satisfac Domine Maieſtati tuæ de peccatis meis; & quod ſupereſt, mihi reſtitue, & ditiſſimus ero, nam reſtabit infinitum. Sed & illud tibi offero pro omnibus quibus ſe obtulit Chriſtus in cruce, pro gloriâ tuâ, pro gratiarum actione, pro vniuerſi orbis miſericordiâ; pro aduentu Spiritus ſancti, vt me viſitet & incendat.

At quantâ charitate & obedientiâ debeo offerre Chriſtum? tantò maiori quàm Abraham cùm mactare volebat filium chariſſimum, quantum Chriſtus diſtat ab Iſaac, & cauſa totius humani generis à cauſâ vnius hominis. Si beatiſſimæ Virgini præciperet Deus, quemadmodum iuſſit Abraham, vt Iesvm vnigenitum dilectiſſimum ſacrificaret pro humano genere, & ipſa maternâ manu affigeret clauis manus & pedes filij ſui, quàm ardentiſſimo æſtu amoris inter riuos lacrymarum, quantâ feſtinatione, promptitudine, & obedientiâ id exequeretur, & ob hoc etiam beatam ſe prædicaret? O Sacerdos, vide quid tibi commiſſum, vt tu ipſe ſacrifices Filium Virginis, Filium Dei. Sed maior fauor tibi fit, quàm tunc in illo caſu fieret Matri Dei ſanctiſſimæ: nam debitas nullas gratias potes Deo agere, quòd inuenerit modum, vt ſine dolore Chriſti, ſine iacturâ ſanguinis, ſine acerbitate mortis Filium Dei immoles, ac dolores omnes, cruorem totum & acerbiſſimam mortem Iesv Patri offeras, perinde ac ſi illa omnia repeterentur.

Obſtupeſce Sacerdos munus tuum, vide mundum ſuſpenſum de te. Quàm horrendum eſt, cùm aſſiſtere deberes ſtupore plenus, quòd aſſiſtas attentione vacuus? & fungens officio quod à Diuinitate ſecundum eſt, in fæcibus rerum occuperis? Omnes Beatos, & oculos & genua Angelorum (vt credo) ad te trahis & inclinas, cùm eleuas Corpus Chriſti; & tamen poteris te diſtrahere? Ipſi mortui venerantur in manibus tuis Deum; vt ſeruus Dei deuotus Pater Petrus Saauedra videbat corpus ſancti Didaci aſſurgere & adorare Chriſtum in manibus Sacerdotis: & tu qui illum ſuſtentas, obliuiſci tantiſper potes tremendæ Maieſtatis, & non adoras profundiſſimo corde? Conſidera circa te Hierarchias beatorum ſpirituum incuruatas, & dæmonum turbas humiliatas: nam ſi in nomine Iesv omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; ad præſentiam Iesv quomodo inclinabuntur?

Vide quanta puritas tibi neceſſaria ſit, qui pro Chriſto, & ad mundi peccata per ipſum Chiſtum abluenda, delegatis. Non homo, ſed Angelus & purior cælis debes eſſe. Quid dixi? ô quàm diſpar & exigua comparatio Angeli & Sacerdotis eſt! cum Sacerdotalis dignitatis poteſtas multò maior ſit ſupra facultatem Angelicæ naturæ, quàm ſit Angelus in ſuâ ſpecie ſupra vermem. Deus bonus ſuas creaturas voluit honorare, partem prouidentiæ & officij ſui committens illis: Angelos potiùs deputauit coadiutores & vicarios ſuos in rebus naturalibus, miniſtroſque ſolemnes naturæ fecit, non diſpenſatores gratiæ, & ſubſtituos ſuos in redemptione. Præſident partibus terræ & membris præcipuis mundi, curant ſpecies & naturas rerum: attamen ad efficiendum in aliis donum gratiæ ſupernaturale, non habent legitimam, imò nec vllam ordinariam auctoritatem, ſicut Sacerdotes, quos fecit coadiutores immediatos in ſtupendis iuſtificationis operibus & redemptione: concedunt vt vicarij Chriſti gratiam, faciunt filios Dei. In ipſo Filio Dei naturali Iesv exercent poteſtatem ſuam: conficiunt corpus Chriſti, & ſacrificant. Stupenda miracula patrant. Lætantur Angeli ſeruire Sacerdotibus: ſancto Euſebio celebranti miniſtrabant, dignitatem putantes hoc ſeruitium. Quantum diſtat gratia à naturâ? plus ſcilicet quàm ſublimior Angeli natura ab ſtercore ſine comparatione. Quantum diſtabit cuſtodire hominem, ab eo quod eſt facere hominem Deum, ad diuinum ſtatum eleuando? Quid maius eſt, curare vnum, an vniuerſos? prouidere vnico, an proſpicere cunctis? tegere aliquem, an placare Deum pro omnibus? Hinc collige, quantum poteſtatis dignitas in Sacerdotio excedat Angelicam. Sola dignitas Chriſti digna Sacerdotio eſt. Iesvs ſolus, quia primogenitus Dei, dignam dignitatem iure ſuo obtinet. Nihilominùs, ô mater amantiſſima Maria, mater Chriſti & peccatorum, indue me veſtimentis Primogeniti tui per illius vitæ perfectam imitationem, velut Rebecca induit Iacobum, vt ſaltem minùs indignè Agnum iſtum, quem tu mihi dediſti, offeram æterno Patri in cibum ſuauiſſimum, quo libentiſſimè eum nouiſti veſci.

Capvt

Digitized by Google

Capvt XI.

Quòd deſiderandus ſit Deus, & cupidè in Euchariſtiâ ſuſcipiendus.

O Deſiderabilis Veritas, quid audio de ore tuo veriſſimo? Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. Quomodo vir deſideriorum impetrat à Deo, quidquid cupit; & deus deſideriorum non impetrabit à vili homuncione, quod depoſcit? Daniel ieiunator obtinuit gratiam apud Deum deſiderando; & tu Domine ſaturator animarum, & diſtributor cæleſtis panis, tot deſideriis, & machinis amotis non inuenies gratiam apud me, vt tibi concedam, quod tot inuentionibus & officiis procuras, cor meum? O ſpiritus torpide, quid deſideras, niſi quod Deus deſiderio deſiderat? Sed Domine, quid deſideras intrando corpus meum? an deſideras idem eſſe mecum, dum vniri mihi vis? Quid decet tuam Maieſtatem deſiderare præter te? Deſideras Domine mecum eſſe; ſed taliter vt ego fiam tu ipſe, factus vnum corpus tecum, vt ſint membra cum ſuo capite: & fiam ſimul vnus ſpiritus adhærens Deo, vt Deus ſit mecum & ego in Deo. Mirabili charitatis ſapientiâ ita diſpoſitum eſt, vt manſionem in me facias, ac in te maneam, & tu in me; & ego propter te viuam, ſicut tu propter Patrem; nec iam aliud deſideres in me, nec mihi, quàm te ipſum; nec deſinas iuſto titulo me deſiderare, cùm ſine te nihil in me deſideres.

Veni Domine, veni, occupa poſſeſſionem mei cordis, quod iuſtiſſimè merentur deſideria tua. O quantum deficio, nec reſiſtere poſſum huic titulo deſideriorum! Nónne ſatis erat, ô Veritas benefica, me obligaſſe tot operibus & donis: cur opus erat etiam me obſtringere deſideriis tuis? Conſolationem meę miſeriæ abſtuliſti: nam cùm beneficiis tuis ſatisfacere non poſſent mea opera, votis id conari & optare me conſolabatur; ſed cùm iam vota & deſideria tibi debeo quid reſtat mihi? O Domine, quantum deſiderabilis cunctis deſideriis es, quia deſiderio deſideraſti! quomodo vacat mihi aliud deſiderare, niſi te Deum deſiderantem? quomodo concupiſcentia & cogitatio mea intermitti poteſt à deſiderio ſanctiſſimi tui Corporis vbi totus homo fit Chriſtus? In aliis Sacramentis & gratiis vnus ſpiritus fit cum Deo; in hoc etiam vna caro cum Iesv, tantâ vnione, vt ſubſtantialis, naturalis & realis, à Patribus & Doctoribus dicatur: vt iam ſim totus tuus, & vnus tecum, & me reſpiciam & venerer vt carnem participem carnis tuæ, quam venerabatur & tractabat deuotè ſanctiſſima Virgo; ſimuſque duo in carne vnâ; & glorier ego, dicens, Ego nunc caro ex carne Chriſti, & os ex oſſibus Iesv. Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & Eccleſiâ, per iſtud myſterium quo concorporei ſimus cum Domino gloriæ Filio Dei & Mariæ. Iam Domine te diligens, me diligam: nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit: & tu diligens te, me dilexiſti, ſimili fauore donans carnem meam ac tuam, tractans oſſa mea vt tua, priuilegio reſurrectionis: nam etiamſi alij Iuſti & Patriarchæ & Prophetæ antiqui non eſſent reſurrecturi, reſurgerent qui moriuntur participes huius Sacramenti Dominici corporis; nec tantùm reſurgent ex vi meritorum animæ, ſed etiam ex carnis ſuæ dignitate. O Domine; deſideratus fuiſti cunctis gentibus, vt communicateris communi naturæ nobiſcum: quomodo non te deſidero, vt fias indiuiduus mihi & vnus admirabili iſtâ coniunctione inconfusâ, cum meâ ſingulari carne, & ſpiritu?

Ideò Domine, quia non deſideramus vt debemus, voluiſti tu deſiderare, ne tantum beneficium priuaretur debito amore & æſtimatione. Alia beneficia feciſti deſiderari, & præcipuè Incarnationem tuam? at inſtitutionem venerandi myſterij Corporis & Sanguinis tui omnino gratuitò voluiſti fieri, abſque ſumptu deſiderij cunctarum gentium. Fuit iſtud Sacramentum inopinabilis liberalitas & inſperata claritas, vt omnia deberentur & reſeruarentur deſideria erga perceptionem illius: & nihilominùs non ardemus. Adeò tibi placet deſiderium huius myſterij, vt mirabiliter accurras, & acquieſcas animæ te cupienti. Beatus Staniſlaus tyro noſtræ Societatis, non ſemel cùm compos huius cæleſtis panis non eſſet, deſiderauit ardenter illum, & ſtatim Angeli attulerunt illi & miniſtrarunt Euchariſtiam. Quia rariùs recipitur Corpus Chriſti debito deſiderio, non voluit Deus omittere occaſionem dignioris ſumptionis, & fruſtrare illam, cùm vidit animam famelicam, & æſtuantem.

Docuiſti nos, ô Iesv doctor Veritatis, ſumere deuotè hoc Sacramentum; nec imitamur deuotionem tuam, quam ipſe habuiſti erga illud, deſiderando. Neſcio quomodo, ſi Chriſtum diligimus ſine fletu & deſiderio illius iſtud myſterium aſpicere poſſimus: nam ſine deſiderio ſponſi non poſſet ſponſa videre pignus, quod reliquit illi in ſui memoriam peregrè profecturus. Non tantùm ſatagendum eſt vt dignè ſumamus illud, ſed quàm digniſſimè poſſimus: nam præter quàm omnem reuerentiam meretur infinita Maieſtas, & omnem puritatem infinita ſanctitas Iesv, maiorem inde gratiæ quæſtum habebimus. Tria documenta Domine dediſti, vt digniùs ad illud accederemus, feruentem amorem deſiderando, exquiſitam munditiam & humilitatem, quas oſtendidiſti lauando pedes Diſcipulorum. Quid dicam de munditiâ? tanta decet & conuenit, ô amator Chriſti huic myſterio, vt magis deceat curare puritatem, quàm ſi ſtatim moriturus eſſes. Plus optes, plus te ſolicites præparare ad Euchariſtiam, quàm ad mortem: imò quadam fructuosâ ratione plus quàm ſi in gloriam Dei ingreſſurus eſſes. Iesvs lauit pedes Diſcipulorum, etiamſi mundi iam eſſent, Cùm Corpus ſuum conceſſurus erat illis: & tamen cùm eos miſis ſicut agnos in medio luporum, inſtantibus mortis periculis, & cùm aſſumpſit in Thabor ad gloriam transfigurationis, non ita curauit lauari; nec cùm manducauit cum illis poſt reſurrectionem glorioſus. Ad mortem conueniens præparatio eſſet, ſi fores in gratiâ Dei: nam etſi omnino non purificatus eſſes à pœnis aut culpis venialibus, priuſquam coram Deo appareres, in purgatorio mundareris penitus. Vtinam ante hoc Sacramentum ſuſcipiendum

præ

præceſſiſſet purgatorium! Sed quia non antecedit, oportet me diligentiſſimè diſpicere, præparare, & mundare omni culpâ leuiſſimâ, & debito cuiuſuis pœnæ, & diligentiâ & amore ardenti ſupplere, quoad poſſim, purgatorij ignes: & quamuis ad intrandum in gloriam omnis purificatio requiratur pœnæ & culpæ, tamen non niſi operum & præcedentis gratiæ ratio habetur; nec duplicatur diuina indulgentia ad diſpoſitionem, diſtinctam à ratione meriti: at in Euchariſtiâ datur maius ius ad gloriam, etiam pro cuiuſque diſpoſitione, vltra id quod pro meritis habetur, & qui magis diſpoſitus & purior ſtudet accedere, tantò maiorem fructum reportabit, præter præmium operum bonorum: plus debes deſiderare, eſſe magis gratum Deo & placere illi, quod fit per maiorem gratiam, quàm gaudere quieſcendo in gloriâ, ſi magnitudo beatitudinis cum beneplacito Dei & gratiâ non commenſuraretur. Sacramenta, quæ diſponerent nos ad gloriam, vno dumtaxat modo conſequetur gratiam: at præparatio ad Euchariſtiam, duplici viâ gratiam lucratur, & duplicatum beatitudinis gradum poſtea.

Adeò decet puritas ad hoc Sacramentum, vt diuinitus ſit diſpoſitum, quòd præcedens Sacrificium Chriſti ſit pro peccatis noſtris, quod vim habet remittendi ipſam culparum pœnam; ipſe Chriſtus, quem ſuſcipimus vult priùs nos mundare, vt ipſe mundauit & lauit priùs pedes Diſcipulorum, antequam ſe nobis daret, & pro nobis traderet. Oſtendit illâ lauatione, non quamlibet munditiam decere, ſed exquiſitam: nam non tantùm voluit manus Diſcipulorum mundas eſſe, quod ordinarius communis ſufficit; ſed vt pedes etiam, quod magis extraordinaria diligentia eſt. Non tantùm manibus, hoc eſt operibus, mundos, ſine vllâ culpâ, indicauit Deus oportere nos ad Euchariſtiam accedere; ſed & pedibus mundos, hoc eſt ipſis veſtigiis culparum, id eſt pœnis ex remiſſis iam peccatis & operibus tepidis: ſic Sacrificij gratia eſt in remiſſionem pœnæ ex peccatis.

O Domine, quomodo dignè accedam ad te ſuſcipiendum? Quantus apparatus ſanctitatis fuit Ioanni Baptiſtæ, vt in ore ſuo non te, ſed nomen tuum figuratum ſumeret, dicens, Ecce Agnus Dei; & vt miniſtraret figuram vnius Sacramenti tui? at ego, vt te ipſum verè & realiter in ore meo ſumam, & ſuſpiciam tremendum iſtud Sacramentum, quàm purus debeo accedere? O vtinam poſſem te excipere illâ reuerentiâ quâ beatiſſima Mater tua te excepit vtero ſuo in ſtupendâ illâ horâ incarnationis; aut quomodo corpus tuum ſanctiſſimum de cruce refixum accepit in ſuo gremio; & Pater tuus immenſus excepit ſpiritum tuum, in manus ſuas commendatum, cùm exſpiraſti. Quod diuiſiſti Domine in morte tuâ, inter Patrem & Matrem diſtribuens; vtrumque veneror iam in hoc Sacramento poſt reſurrectionem tuam: non enim anima eſt ſine corpore. Corpus quod reliquiſti Matri, mihi concedis ſimul cum ſpiritu, quem commendaſti Patri. O quis exſpiranti IESV appoſuiſſet os, vt hauriret ſpiritum eius dignum diuinis manibus, vt corpus meum regeret! O quis ſquallens cadauer IESV poſſet ſanguine proprio fuſo tergere, & in ſe recipere ſanguinem Chriſti pro me effuſum, vt mundaret animam meam ſqualidam! O quis apponeret os, vt ſanguinem & aquam è latere Chriſti fluentem guſtaret & reciperet, ne gutta decideret! Sed tu Domine, deſiderans & deſiderabilis, imples vota mea in hoc tremendo beneficio. Quale gaudium fuit Angelorum in aſcenſione tuâ, cùm cælum intraſti: qualia deſideria præceſſerunt reditus tui in cælum! O deſiderate cunctis Angelorum Hierarchiis: quantâ exultatione debeo geſtire, cùm in meum pectus intras?

Totam reuerentiam, quam omnes Angeli habuerunt cum te exceperunt, redeuntem à mundo & viâ paſſibili ego vnus tibi debeo multis modis: nam intras in me ſæpiùs, vt me vnum ſolum delectes, qui ſemel in cælos intraſti, delectaturus omnes Angelos. Sæpius pro me vno facis, quod ſemel pro vniuerſis ſpirituum Hierarchiis feciſti. Si hoc beneficium vni dumtaxat ex omnibus hominibus fieret, vt ſemel in æternitate tota intraret Chriſtus in illius ſolius pectus hoc amabiliſſimo modo, quàm ſtupendum beneficium cenſeretur? qui audirent, vix crederent attoniti hoc benignitatis miraculo: ipſe qui ſuſcepiſſet, quam extra ſe admiratus, ſine voce, ſine motu, imò ſine vitâ maneret, niſi miraculosè iuuaretur præ ſtupore, timore, gaudio, & amore, ex tantâ beneuolentiâ. cui ego dignè non vereor & admiror maius beneficium, cùm non ſemel dumtaxat, ſed frequentiſſimè non mihi ſolum hoc fiat, ſed omnibus; in quo maius beneficium meum agnoſco. O quis te reciperet IESV amabilis in me intrantem, vt Pater tuus te excepit in cælum introeuntem, poſt tot cruciatus & mortem! nam omnium Angelorum ſanctitas, deuotio, gaudium, pompa, celebritas adhuc non fuit digna, non dicam tuâ Maieſtate, ſed nec tuâ humilitate, quâ vis in caſâ mei cordis te arctare: & da mihi tanto tuo exemplo, vt infra nihilum me humiliem. Qui non poſſum ſatis me humiliare præ tuâ humilitate, quomodo poſſum præ tua Maieſtate & gloriâ? O quàm felix anima, quæ ſe humiliabit coram hoc Sacramento; quam honorata erit! quomodo Angeli illam reuerebuntur & honorabunt, vt honorificè Dominum ſuum recipiat! Sancta Thereſia non ſemel in Eccleſiâ noſtrâ vidit fratres noſtræ Societatis, cùm ad Euchariſtiam accederent, ſociati ab Angelis, pallium interim pulcherrimum & locupletiſſimum obtendentibus ſuper capita ipſorum, vt honorificentiùs tamquam regiæ & ſacræ animæ exciperent Chriſtum: cùm verò alij accedebant ad communicandum, non vidit illud obſequium Angelorum: cauſa fuit minor humilitas deuotionis. Curemus itaque omni humilitate, deuotione, feruore, charitate, iſtum panem ſuperſubſtantialem quotidianum accipere. Si quotidie illũ ſumamus, quaſi nullo alio die ſumeremus: ſic frequentiſſimè ad illum accedamus, ac ſi ſemel in vitâ accederemus: ſic fiat quotidiana communio, quemadmodum debet fieri prima die vitæ, & vltimâ in hora mortis.

CAPVT

Capvt XII.

Non vltra neceſſitatem indulgendum refectioni corporali

ANgeli te expectant ad cœnam ſuam, ne ſatieris vt pecora cibis corruptis. Qui conuiua vocatus eſt nihil domi ſuæ comedit: conuiua ad cælum inuitaris, ſaltem ne ſatureris in terrâ. Si ſatur cibis terreſtribus, non poteſt eſſe bonus conuiua etiam epuli terreſtris; quomodo poteſt eſſe cæleſtis menſæ? Saturitas impedit ſaporem materialium dapum; quantò plus impediet diuinorum guſtum? Lazarus ieiunus, qui nec de micis ſatiatus fuit, in cœnâ cæleſti accumbit; ſed excluſus epulo ille ſaginatus. Homines in conuiuiis continentur, à cibis aliis ſe reſeruantes edulio placidiori, quò inde ſaturentur: ô Domine, ſi ſatiabor cùm apparuerit gloria tua, illi me reſeruo, & abſtineo agreſtibus terræ eſcis. Spe opipari prandij vt meliùs fruatur, ieiunat interim conuiua: ius eſt, vt ſpe diuinæ cœnæ ſaltem abſtineamus. Memento, quòd te Chriſtus æquauit cum Angelis; & erit pudor comparem beſtiis te facere. Qui omnino non poteſt ſuam tollere infamiam, minuit quantum poteſt, & diſſimulat: pudeat nos opprobrium caſus noſtri à felici ſtatu per gulam commemorare quotidie, & quidem cum gaudio & appetitu. Si famem cæli haberes & honorem aliquem, faſtidires terrena: circa quorum delectationem cùm neceſſe ſit ſumere cibum, perinde oportet te habeas ac ſi non adeſſet.

Conuiua Dei ad cœnam gloriæ es inuitatus: interim ad menſam accumbens Chriſtus ſit conuiua tuus, & abſtinebis, ſi cogites opus eſſe vt diuidas cum illo. Quidquid detraxeris victui, offer Iesv. Phariſæi & Publicani inuitabant Chriſtum: tu Chriſtianus, nimium non erit, ſi facias idem. Qui alium inuitat, non ſuum guſtum curat ſed conuiuæ placere, cui meliorem partem tribuit: ſic cùm ad menſam accedis, non attideas palato tuo, ſed tantùm ſtude placere Chriſti voluntati: cui magnum guſtum facies, ſi tu nolis ſumere guſtum. Conſidera illum tribus diebus, quibus Mater ſua ipſum amiſit, vbi comederit: para illi conuiuium cum ſancto Matthæo. Vide Chriſtum & Diſcipulos, cùm præ victûs indigentiâ ſpicas vellebant: voca, & de tuo cibo diuidens, epulum fac cum Zachæo. Intuere quadraginta diebus ieiunantem pro te; & ſi cum Angelis non vis miniſtrare, inuita cum Simone; & de abſtinentiâ tuâ recreabitur, velut de menſâ præparatâ ab Angelis. Potum petiit à Samaritanâ tu porrige de calice tuo. Sitio, clamat de cruce: poculum tuum illi miniſtra. O quis mihi daret fel & acetum, & commutarem calicem cum Chriſto, ſuccurrens ſitienti de potu meo! quomodo in tam extremâ neceſſitate non tibi ſubuenirem ô Domine? nunc poſſum, & ſine dubio plus guſtabis hac meâ voluntate, & abſtinendi ſtudio, quàm ſi iucundiſſimum poculum oblatum tibi guſtaſſes, quàm inhumanus eſſet qui tibi non ſuccurriſſet? nunc poſſum, ſi non bibam vltra neceſſitatem. Quomodo ſitienti non ſubueniam! Intuere, anima, deſiderantem Iesvm paſcha manducare nobiſcum: comitare Apoſtolos, vt particeps ſis deſideratiſſimæ menſæ. Modeſtè & humiliter illic eſto: quære poſtremum locum nec locum adhuc Iudæ eligas. Indignus es accumbere tali menſæ: ſede ad pedes ſocij tui proditoris; ibi etiam te inueniet humillimus Iesvs. Recogita, quomodo manducaret tot annis cum ſanctiſſimâ Genitrice, & ſancto Ioſeph: interdum fortaſſe nollet multa comedere beatiſſima Virgo, & ab ore ſuo detraheret buccellas, vt daret amantiſſimo filio, cùm præ paupertate vtrique non ſufficeret: te priua aliquâ bucellâ, & da hanc eleëmoſynam Virgini, vt filium alere poſſit. Recordorare, quomodo lactaret infantem Iesvm amantiſſima Mater; adhuc pro te tunc ieiunaret Filius Dei, & dulciſſimis vberibus aliquoties abſtineret: tu pro illo particulâ victûs ſaltem abſtine, & offer Chriſto ardentiſſimâ charitate, quemadmodum lactabat illum beatiſſima Virgo. imitare, quantum potes, eius amorem. Hoc modo ſanctis meditationibus ſuffocabis, & affectione erga diuina præoccupabis appetitum tuum. Deſiderium deſiderio expelletur, & guſtus guſtu. Plus forſitan extirpabitur gula, & tua expurgabitur mens meditatione lectionis, & ſanctâ occupatione, quàm ieiuniis ipſis.

Si non te mouerit Chriſto placere, dignitas & vtilitas abſtinentiæ deberet conuincere. Nihil magis ſpiritui auerſum quàm immortificatio gulæ. Comede, vt alleues corpus, non vt oneres. Plerique cùm comedunt, magis grauant ſe, quàm alunt; cibum, qui leuamen vitæ deberet eſſe faciunt pondus. Nonne turpiſſimum eſt, onerare & infarcire ventrem, vt aſelli ſarcinam, cùm noſtra caro ſuper Cherubim eleuata ſit? Intra quem Regnum Dei, & ſacrarius Spiritus ſancti poteſt eſſe; quomodò tam vilis eſt, vt de ſtomacho ſuo faciat manticam, & mortuorum animalium tumbam? Qui templum Dei viui debet eſſe, qui ad diuinam vitam vocatus eſt; ſe diiciet ad omnium abiectiſſimam plantarum? ſcilicet ad vitam mortuam, & cœnum vitarum. Plantæ, cùm tantùm ſit illis vita nutriri, omni ſenſu vacant. Tantumdem mentis perditur, quantum cibis afficimur. Quid indignus, quàm iactura vitæ Angelicæ & mentis? Si præcupidè edas, timor ſit tibi ne degeneres, non tam in pecus, ſed in arborem & truncum. Adam gulâ victus, ſtatim inſtar arborum foliis veſtitus eſt? quaſi vellet fieri arbor; in quam intromiſit ſe, fugiens Deum. Gula & nutritio non eſt vita propria irrationalium ſolùm, ſed inſenſibilium plantarum, quibus peculiaris vita eſt nutritio. Ideò plenus venter obturat ſenſus, inanit mentem, ad inſenſibilitatem traducens, impedimento vſum rationis, quæ poſt prandium nimiùm torpet; & contrahendo ſtatim ſomnum, in quo nihil omnino diſtat homo ab vlmo & platano: niſi quòd ſtatu ſuo ferat fructum vmbræ; vita verò comedentium eſt vita dormientium & vita dormientium, vita cucurbitarum iacentium. Inde qui minùs abſtinet, minùs rationi obediet, quippe inſenſibilior eſt, ſola vita arborum incapax imperij eſt. Nutritio ipſa non

eſt

eſt in poteſtate animalis. Cùm increpamus cupiditates, & feras nonnullas, manſueſiunt & cedunt magiſtris: at plantæ quæ tantùm curant ali, neminem audiunt, nec rationi parent. Eſt fæx vitarum hæc vita, & remotiſſima ab animâ rationis participe; quantò magis ab ſpiritu Dei compote? Canis audiet dominum ſuum; ſed non audiet quercus nec ficus agricolam, neque ſatur benè audiet Deum. Adamo, vt contineret eum Deus in obedientiâ ſuâ, promulgauit primogenitam ieiunij legem, & vnigenitam illius feliciſſimi ſtatus; vt magis commendaret nobis amabilem abſtinentiam, quaſi quæ ſufficiens eſſet innocentiam cuſtodire, & reliquas dotes & virtutes; & quæ aptum redderet hominem ad audiendum Deum, eique adhærendum. Non alij nutrici confidit Dominus filium ſuum Adamum dilectum, & Beniaminum creaturarum, niſi ieiunio; in cuius manus fideliſſimas commiſit illum, vt nutritius hominis eſſet, & pædagogus obdientiæ. At fracto ieiunio, ſtatim Adam fugit vocem Dei, tam procul ab adhæſione diuinâ, vt non ſolùm ad Deum non vellet excedere, & quærere, ſed Deum quærentem ſe fugeret. Ineptus fit, qui abſtinere non curat: diuinæ familiaritati reſiſtet, & inſpirationibus ſanctis, abiunctus ab vberibus diuinis.

Quid Deo & ventri? quomodo Deus charum habebit eum, cuius Deus venter eſt charus? Quomodo, ô diuina Veritas, in eo habitabis, qui amentiſſimus idololatra eſt; Stultiſſimum fuit olim, quòd genu inclinarent iis quæ ipſi homines faciebant: quàm etiam ſtultum eſt, quòd tu intemperans homo inclines cor tuum his, quos deſtruis, ſaporibus & cibis, & qui te deſtruent? Quomodo cum Deo epulaberis, quomodo vitam cæleſtem ages, & volabis cum Deo ſuper pennas ventorum ad vitam immortalem, ſi gaudes earum rerum vitâ quæ hærent terræ, & fixæ ſunt radicibus ſuis ſolo, & ſunt ſemiſepultæ? Mortaliſſima eſt vita nutrientium ſe: vita enim plantarum eſt, quæ partim humatæ ſunt. Nutritores ventris augent mortalitatem ſuam, impinguando quod in ſe mortale eſt, facti mortaliores impediendo vitam æternam, contaminando mentem, & contrahendo animam, vt corporea ſolùm fiat. Adam violato ieiunio ſtatim mortalis eſt factus: tu mortalior quotidie fis, dum mortibus ſaginaris, & auidè nutriris mortuis animalibus, & conditis, vt in te humentur: at eò felicior eris, quò immortalior; eò immortalior, ſi minimo alimento indigere aſſueſcas, & acerbo veſci. Tota noſtra vita in hoc mundo acerba eſt, amaritudinibus & laboribus plena: quare diſſonè reparatur & ſarcitur ſuauibus rebus? Comede ſolùm vt viuas: talis ſit cibus, qualis vita reliqua. Non viuis vt comedas; ſed viuis vt moriaris, & comedis ne citò moriaris. Celeriùs mors venit nimio cibo & delicato: cibus tantùm ſit medicina vitæ, non venenum & corruptio.

Satis ſit tibi condimentum fames tua, & fel & acetum Christi; qui propterea illud in cruce potauit, quoniam qui aduerſus peccatum præliatur, non debet vti rebus iucundis: coniunctio quoque hyſſopi cum ſpongiâ vim detergendi ſignificat, vt purgationis animæ forma daretur. Abſtinentiâ & acerbitate tergitur character diuinus, & purgatur ſancta animi puritas, vt Deo copuletur, & capax diuinorum fiat: nam ſi ieiunium pellit dæmones pertinaciores ab alieno corpore; quantò magis alliciet Deum facilem & benignum in corpus proprium; Si tanta ieiunij eſt gratia, vt illo purifices alios, te ipſum magis ſanctificabit. Quid diuinum ſpirat, qui ſpirat abſtinentiam & famem: ipſum corpus quodammodò eleuatur vi ſpiritus expediti. Ferrum graue eſt, ſed euadit leue ſpiritu magnetis: tu quoque ſi à Deo te ſuſpendas, alleuabit corpus tuum vigore ſpiritus, intellectuale & quaſi incorporeum reddens. rareſit quoque contextus noſtri corporis per abſtinentiam, vt animæ iam traluceant diuina; ipſaque commodiùs gubernabit illud, iam proportione ſibi conuenienti deuaſtatum & ſine cortice pingui magis politum; nec enim magnum pondus idoneè ſe ſinit tractari.

Denique abſtinentia tantum bonum eſt, vt nulli rei non ſit optima. Aliæ virtutes animam honeſtant; abſtinentia & corpori & animæ ſalutaris eſt. Sancti, & Philoſophi abſtinentiores diu vixerunt. Homines cùm immortales futuri eramus, ſolùm oleribus & fructibus terræ in illo feliciſſimo innocentiæ ſtatu contenti fuiſſemus: nunc quoque temperantia reſtituit homini aureum ſæculum. Iuuat inedia ſalutem corporis; ipſa eſt medicina naturalis, ipſa medicina vniuerſalis omnibus morbis idonea. Peritiſſimi Medici primum pharmacum cuiuis morbo inediam porrigi iubent: nam oppletio metropolis eſt morborum, & præcipuus mortis ſatelles. Omnes ferè iuuenum immaturas mortes ingluuies patrat. At ſi omnibus affectionibus corporis medetur inedia, animæ quoque vniuerſos affectus ſanabit. Elatas ceruices fames frangit, auaros cogit ad impenſas, otioſos & deſides ad operas inſtigat, luxurioſos caſtificat, iracundos manſuefacit. Si ergo omnibus vitiis reſiſtit frugalitas, cùm eſt inuita; ſi cùm non eſt virtus, generat virtutes; quid reſtat, cùm virtus vera & ſincera eſt, niſi quod Deum animæ ſociet & in eâ ſtabiliat? Cum ieiuno Eliâ & Moyſe Deus gauiſus eſt confabulari.

Verùm perinde vt ieiunium auerruncat & fugat dæmones, ita ſaturitas Deum. Niſi hoc vitium ablegas, & virtutem temperantiæ in animo ſtabilias, in reliquis potes deſperare. Perinde erit, ac ſi canes moleſtos volens abigere pro lapide conicias panem. Prior inteſtinus & ciuilis hoſtis ſuperari debet, quàm poſſint externi.

CAPVT XIII.

Quòd vitæ ratio ſit ſumenda frequenti diſcuſſione ſui.

RArò reſpiciunt homines vitam ſuam; ideò frequenter peſſima conſpicitur: plerumque nihil conſulunt de actibus ſuis, ad ſummum aliquando quid facturi ſint, ſed rarò quid fecerint; cùm vix ſciant quomodo ſit benè faciendum, niſi conſiderent quid ſit malefactum, Ex præteritis damnis futura proſperantur. Mer-

Digitized by Google

catores noctu computant lucrum diurnum ; & ſi detrimentum inueniant , alio die aliiſque rebus ſtatuunt reſtaurare. Domini rationem viliſſimarum rerum exigunt à ſeruis : quomodo anima humana , quæ cælum & terram ſuperat, ſine rationibus relinquitur ? In diſpendio minuti æris ſcrupuloſi ſunt , & damna æterni lucri non curant. Reſpublica ſine Magiſtratu, vulgus ſceleratorum erit : incultus ager, ſeges tribulorum. Plus peccatum Adami cor noſtrum corrupit , quàm terram. Si conſcientiam non colas , per innumera vitia fructificabit.

Oportet , ô ſpiritus remiſſe , rationem tui exigere immiſericorditer , vt miſericordiam Dei conſequaris. Multi periclitati ſunt ob peccata occulta. Tenebris inuolutus eſt mundus : vix te noſces cùm te diſquiras ; quid erit ſi nec te aſpicias ? At ſi te ignoras , quid curas ſcire alia , imò & habere alia ? nam etſi mundum poſſideas , & calleas vniuerſas ſcientias, fatuus & pauper eris, & viliſſimus ; quia te non poſſidebis , qui præſtas rebus omnibus , & per quem poſſidebis omnia:& te non poſſidens, nil poſſidebis , nec ſcies niſi abuti omnibus, & errare. Solus ſapiens , diues : pretioſus eſt qui ſe tenet , vilem agnoſcens , & inuenit & contrectat vilitatem ſuam. Equum , quo quis vtitur, vult noſſe ; armenta & pecora vult numerata habere ; & ſe ſolum ignorare , & ſine numero peccare. Cur tam hoſtis ſui eſt homo vt nec reſpicere ſe velit? At ſi te odiſſe vis cum fructu ; quæſo, te oderis, horrendo te, non obliuiſcendo. Ex reſectione tui te horrebis, ex horrore te corriges , ex correctione gratus Deo eris

Tametſi nolimus diſcutere nos , nihil inultum Deus permittet. At ſi noſmetipſos diiudicaremus , non vtique iudicaremur : dum iudicamur autem , à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, O Veritas miſericors, quæ nos reos in te noſtrimet delegas iudices , quid clementius ? O magna miſericordia, quòd humano noſtro iudicio contenta ſit iuſtitia diuina. Si quis accuſatus ob facinus patratum , expectaret iudicem à Principe deſignandum, qui cauſam noſſet ; quàm cupidus & ſolicitus eſſet, vt aliquis propinquus ſibi , aut patriâ , aut familiaritate , iudex deputaretur : quantoperè gauderet ſi conſanguineus aliquis eſſet aut amiciſſimus? Vide ſortem tuam,& benignitatem diuinam, qui te ipſum iudicem tuimet vult eſſe. Si duo tribunalia alicui reo proponerentur , vnum ſeueriſſimi hominis & extranei , & in quo inclementiſſimarum legum praxis eſſet , alterum mitioris & cognati ſui, & in quo leges vigerent minùs pœnales;ſi iudicari & damnari vellet in illo rigidiſſimo , quid ab amentiâ aut deſperatione talis electio diſtaret? O quanta deſperatio & amentia hominis , qui in tribunali,non dicam vbi cognatus & amicus ſed ipſemet homo reus eſt Iudex, nolit ſe conuenire ; ſed in iuſtiſſimo & acerbiſſimo velit condemnari , vbi Deus ſeuerus actor , & offenſus erit iudex ! Si criminis tui alterutrer arbiter ad optionem tuam deſignaretur , aut complex tecum in eâdem culpâ , aut accuſator tuus & pars offenſa, an eligeres huius iudicium ? non complex tuus , ſed tu ipſe , aut Deus offenſus iudex tuus poteſt eſſe , & neceſſe eſt vt ſit punitor. Impoſſibile eſt vitare condemnationem & iudicium aliquod : aut te diiudica , aut Dominus te ad pœnam iudicabit ſeueriſſimè. Ne igitur contemnas iudicium tuum : nam ſic fugies diuinum, ne ibi damneris.

Nullius rei temporalis maior ratio tibi ſit, quàm vt à te rationem exigas ; nec eſt aliud magis rationabile. Si alios reformare volumus; cur nos volumus relinquere deformes & iniquos ? Saltem bis in die voca te in ius , & rigidiſſimè te iudica , velut ſi in tremendo die vltimi iudicij eſſes. Si tunc , cùm omnes homines trepidi , expauentes & horrentes ante tribunal Chriſti, eſſent iudicandi, ſolùm tecum tam miſericorditer iudex ſe haberet vt te ſepararet à turbâ totius generis , & nollet te iudicare & damnare ; ſed contentus eſſet , vt te diſcuteres hoc pacto, vt ſi tu ipſe temet iudicares & punires ſeriò , ſtaret tuo iudicio ; ſed ſi negligenter, iterùm reſtituendus eſſes ad maſſam ceterorum, vt ad ſupplicium rigidiſſimè iudicareris;quibus gratiis æſtimares hunc fauorem Chriſti?quantâ ſolicitudine inſpiceres & ſcrutareris te , nec vllo modo tibi benignus eſſes ? Tantumdem tibi modò eſt conceſſum:age in examinibus quotidianis & confeſſione cauſam Dei , gloriam eius ſeriò quærens , & confuſionem tui procurans. Conſidera inde Chriſtum terribiliter iudicantem reliquos homines , intimantem extremam damnationis ſententiam, & aliunde crucifixum pro te, & te ſolum qui diſcutias te ipſum ante pedes Chriſti in monte Caluariæ , cum matre IESV , Ioanne & Magdalenâ lacrymantibus, clamante & lacrymante quoque ipſo dilecto IESV , Pater ignoſce illi , quia neſcit quid fecerit. Iſtâ quoque cogitatione ad Confeſſorem accede, cum ſpe veniæ , ſi tibi non parcas;conſiderans Ieſum , cùm nihil tuo ſupplicio , & peccatis attentus erat , niſi ſolicitus de eorum veniâ , de tuorum peccatorum numero & magnitudine curam deponens , ſolùm indulgere optans , quia commiſit tuæ fidei examen & diſcuſſionem eorum & vindictam. Eſto fidelis Chriſto,& nihil inultum tibi tranſeas;ſic Chriſtus fideliſſimus tibi in omnibus tibi parcet.

Statue primùm coram te ſortem , cuius rationem reddere teneris ; omnia ſcilicet beneficia diuina : deinde diſcute abuſum eorum , & ingratitudinem : demum humiliare , dole , lacrymare exiguos etiam defectus ; & viriliter cum gratiâ Dei propone non relabi in æternum. Firma hoc pactum tuum, vt humani contractus firmari ſolent , primò coram teſtibus; renoua propoſitum coram Angelis , & Sanctis; deinde præſtitâ cautione vel vadimonio , beatam Virginem , & Sanctos deuotos voca & deſigna fideiuſſores , item adiiciendo pœnam. Statuas tibi , ſi relabaris , ſpontaneum aliquod quod tibi moleſtum ſit ; contende ſemper in melius : nam ſi gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente ; cur non erit lætitia ſuper iuſto in melius quotidie contendente ? Ne intepeſcas in hac diſcuſſione tui, quæ clauis eſt totius feruoris. Tepiditas multorum Religioſorum ex huius exercitij tepore venit : hinc plures parum feruidi, hinc viri diu pij, miſerè poſtea defecerunt , quia ſuperficiali quodam dolore & examine contenti manebant ; & quod hac horâ plangebant , ſequenti optabant.

Digitized by Google

Quotidie bis renouas & iuuas vires corporis refectione corporali: non decet minùs renouare vires animæ & propoſita tua, diſcutiendo te; imò non bis, ſed paſſim ad ſingula opera conſidera, an benè vel ſecus feceris. Deus qui non poteſt errare, ſingula opera ſua ſtatim ac fecerat, conſiderabat & examinabat. Fecit lucem, ſtatim examinans vidit quòd eſſet bona. Fecit luminaria, ſtatim ſcrutatus eſt, & vidit quòd eſſent bona. Quotidie operum ſingulorum examina fecit, deinde vniuerſale omnium, cuncta perpendens, & vidit, quod eſſent valdè bona. Sic tu ſingula tua opera examina, deinde omnia ſimul. Si non feciſti benè, in diſcuſſione tuæ conſcientiæ emendabis, vt deinceps facias meliùs. Moyſes in ſinu ſui pectoris manum mundauit, quam inuenit leproſam. Hæc diſcuſſio ſeria officina eſt virtutum: ibi timor Dei, ibi humilitas, ibi cognitio ſui, ibi compunctio, ibi perſeuerantia, ibi feruor, ibi prudentia cuditur: Inſidiare præcipuè alicui vitio, cui moleſtus & importunus ſis, donec penitus extirpes: hac arte paulatim omnia euellere cura.

Capvt XIV.

Quomodo erga alios debeamus affici.

HAec ſit interdiu occupatio tua, in omnibus operibus tuis etiam bonis te accuſare, & in operibus alienis etiam malis excuſare alios. Non eſt conſcientia vt vultus; alienas facies videmus, non noſtram; ſed conſcientiam noſtram videmus, non alienas: quare ſolùm nos diiudicare & damnare debemus, & poſſumus. Si cùm tuam conſcientiam tu ſolus cernere valeas, nihilominùs non potes diſcernere plura opera tua, an benè vel malè facta ſint, an conſenſum præſtitiſti, vel ſecùs; cur audes iudicare alios, quorum corda abſcondita ſunt, niſi ſoli Deo? Si tuam mentem non vides, quomodo iudicas alienam? Si tua non potes diſcernere, quomodo audes decernere de aliis? Si tibi non attendis, quare appendis reliquos? Sed plerumque qui in foro otioſi ſunt, murmurant, & detrahunt aliis; ſic qui ſuæ animæ non habet curam, iudicat alios. Experientiâ iam oportebat didiciſſe, quàm ſæpè fallantur iudicia noſtra. In rebus corporalibus, & iis quæ tantùm habent extrinſecam ſpeciem & colorem, ſæpiſſimè decipiuntur ſenſus; quantò faciliùs fruſtrabuntur in iudicandis humanis cordibus, quæ non percipiunt, quæ à libero gubernantur arbitrio, & in quibus tot miracula paſſim operatur ſecretò gratia Dei? Quamuis conſpicua videantur argumenta ſiniſtræ ſuſpicionis, non oportet iudicare ſiniſtrè quia potes falli. Socij ſancti Bonifacij non irrationabiliter, ſed ſufficientibus indiciis ex vitâ præteritâ, ſuſpicati ſunt fuiſſe occupatum cum meretrice, dum quærebant illum; at ipſe interim æſtuans amore Dei, patiebatur atrociſſima tormenta pro Chriſti nomine. Tam fallax fuit iudicium veriſimile; quantum decipieris improbabilibus tuis ſuſpicionibus? Is qui poteſtatem habet ſuper alios, & tenetur iudicare, non debet damnare niſi conſtet culpa euidenter; & in dubiis reus abſoluitur: cur tu ſolâ opinione tuâ incertâ audebis damnare eum qui melior te eſt, & à quo iudicandus es?

Si diligeres alios, vt Chriſtus iubet, non iudicarès illos: charitas operit multitudinem peccatorum. Ideò non te iudicas, quia amor proprius te inclinat, vt excuſes tua: quare ſi amor tibi eſſet fratrum, non iudicares, ſed excuſares illos. Chriſtus iudicaturus hominem, factus eſt ipſe homo, & induit humanitatem: tu quoque ſi iudicare aut reprehendere alium vis, indue illum, & ita cum illo facias, vt velles tecum fieri. Hoc ſit primum charitatis opus, vt non offendatis in fratre tuo: alterum eſt, vt non offendas illum; tertium, vt iuues in omnibus: tamen quia non diligis, ſæpè deficis in primo officio, & iniuſtè offenderis adhuc innocentibus, & faſtidis plerumque eos qui grati ſunt Deo. Vbi eſt charitas Dei, vbi eſt amor Iesv, ſi poſſunt tibi diſplicere ij, qui placent Iesv, & amici Dei ſunt, & placent pluſquam tu peccator. Si amares Deum, & eius immenſam bonitatem, omnes propter bonitatem amares; amares bonos, quia boni ſunt; amares malos, quia boni eſſe poſſunt. Non tantùm in pretio eſt admirandum aliquod artificium, ſed & materia ex quo fieri poteſt. Ex malis fiunt boni, oportet non faſtidire illos: hoc eſt amare omnes propter bonitatem, hoc eſt amare omnes in Deo, cùm amamus propter illud quod non poteſt amari ſine Deo, vt bonitas, iuſtitia, virtus.

Si bonitatem Dei amares, omnes amares in Deo, & velles vt omnes Deum amarent, & ad hoc iuuares & ſolicitareris. Diuerſus eſt zelus amoris humani & diuini: bonitas humana finita & exigua eſt, & non ſufficit omnibus; nec poteſt ſatisfacere multis, quin ſingulis minùs reſpondeat; ideò zelus hominum eſt, ne alij ament, quod quiſque diligit: at quia bonitas Dei eſt infinita, & plus quàm ſufficiens omnibus, & amor noſter limitatus vt tantæ bonitati nequeat ſatisfacere; idcircò zelus diuinus eſt, vt ceteri etiam ament illam, & approbent noſtrum amorem, & coadiutores ſint, vt ſoluant, & magis ſatisfaciant bonitati, quam æquare non poſſumus vllo amore. Impudenter amas Deum, niſi velis vt illum ament omnes: nam debes amare plus quàm te: te autem, cum peſſimus ſis, vis vt omnes ament; cur optimo Deo minùs deſideras?

O infinita Dei bonitas, qui me peſſimum & vltimum peccatorem tantoperè amaſti, vt non contentus quòd me amares, etiam volueris, vt me amarent omnes, & hoc præceperis; cur non deſiderabo ego, vt omnes te ament, & illud vbique curabo? imò obligaſti omnes tuo præcepto & ſanguine, vt non minori modo me diligerent, quàm quemadmodum tu dilexiſti me, & quiſque diligit ſe ipſum. Da mihi vt etiam hæc exempla amandi ſeruem, vt ego amem omnes. Tu dixiſti: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. & iterùm: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Tu Domine amaſti me, antequam te diligerem: tu Domine amaſti me, non propter vtilitatem tuam, ſed meam: tu amaſti me ſummo amore; nam maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro inimicis ſuis: tu

Digitized by Google

amaſti me amore perſeueranti: tu es ille, qui cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Hæ ſunt leges, quibus me amaſti; & debent eſſe regula, quibus amem alios. O anima, diſce amorem ab amore Chriſti, & dilige velut vitam tuam quos dilexit Chriſtus pluſquam vitam ſuam; & in illis vult à te diligi, & coli.

Si Chriſtus æger in lecto (non reputabit indecentiam cogitari languentem pro bono noſtro, ille qui verè langnores noſtros tulit pro ſalute noſtrâ) aut famelicus eſſet, & alius pauper eſſet in alio lecto ægrotans etiam, & labotans fame, & conſuleres ipſum Chriſtum, vtri priùs ſubueniri vellet an ſibi, an pauperi; credo piè reſponſurum, quòd pauperi: nam & ipſe Chriſtus auferret cibum ab ore ſuo, vt pauperem aleret. Chriſto igitur in paupere ſerui & cole: ſi operâ tuâ non potes, ſaltem oratione, & compaſſione; non tantùm in neceſſitatibus corporalibus, ſed multò magis in ſpiritualibus. Eleëmoſynam factam corpori, quod illudet affligere Deus, tantoperè æſtimat, vt pro illâ promittat cælum, nec aliam cauſam abſoluendi in tremendo die iudicij aſſignet; quantò maioris faciet eleemoſynam factam animæ, pro quâ mortuus eſt? O charitas Dei infinita, ô amantiſſime IESV, qui poſuiſti animam tuam pro peccatoribus, concede mihi, vt diligam animas eorum, quemadmodum tu dilexiſti. Exemplum amoris tui ſumam, vt amem quos tu amaſti, non exemplum amoris mei; nec diligam proximum, ſicut me ipſum amaui, nam malè diligam. Me neſciui diligere; quomodo diligam alios; Quomodo me potui diligere, qui dilexi voluntatem meam, qui dilexi iniquitatem? Sed diligam proximum, ſicut me debeo diligere, deſiderando illi voluntatem tuam, & maiorem gratiam; vt omnes ardentiſſimè ſeruiant tibi, & adorent in ſpiritu & veritate.

DE ADORATIONE
In Spiritu & Veritate,
LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Quàm ingrati ſimus Deo.

QVAM infeliciter noſtrum cor ſolicitant beneficia tua, ô Felicitas Beatorum, vt commoueat nos ad beneuolentiam paruula beneficentia etiam peſſimorum hominum, imò ferarum, & non ſtupeamus & deficiamus amantes immenſam beneficentiam naturæ tuæ beneficæ? Quomodo hoc fit; quòd ſi homo feciſſet, putaremus ingens beneficium, & eo ipſo quòd Deus fecerit incomparabiliter plus multo, non æſtimamus benefeciſſe, nec gratos eſſe curamus? An naturam ſuam perdit aqua quòd in mari ſit, non in exiguo poculo? an amittet naturam beneficij, quòd Deus ſit auctor, cuius natura eſt benefacere? Potiùs credendum eſt, aquam eſſe quod hauritur è pelago. Calórne, propterea quòd ſit in igne, putandus eſt non calefacere; ſed ſolùm ille quòd ſit in alienâ & violentâ materiâ? efficacior eſt ardor ignis, & magis fouet quàm calor ligni: ſic munera Dei beneficentiora ſunt, quàm hominum, quia Dei ſunt. Bonitatis natura eſt benefacere, ſicut ignis calefacere. In hominibus languidior eſt beneficentia, quia ab eorum naturâ aliena, ſicut & eorum propria ſolùm eſt indigentia. Purior eſt aqua in fonte, quàm in riuis: puriora ſunt beneficia Dei, quàm hominum, qui plerumque corrumpunt naturam beneficij. Cur igitur muneta amittent priuilegium & reuerentiam ſuam, quòd fiant à Deo; quæ ſi facta eſſent ab vili quolibet homine multò minora, niſi grati eſſemus, non auderemus ſecurâ fronte eſſe coram hominibus, ſed erubeſceremus confuſi, vt adhuc noſtrimet nos puderet, nobiſque videremur eſſe ſine honore infames; & tamen quia ſunt facta à Deo, impunè ſumus ingrati, atque coram Deo & Angelis audemus ſine pudore comparere. Cur dona, quia à Deo veniant, infeliciora ſint & deterioris conditionis, cùm ea ſolùm ſeruent omnes cõditiones benefaciẽdi, & feliciſſimè nobis ſubueniant? Eſtne iſta beneficij infelicitas, factum fuiſſe à felicitate ſummâ?

Cur non amamus te Domine, qui creaſti penitus nos; & grato animo ſumus erga latrones, quia non penitus ſpoliarunt nos, & erga canes adhuc, quia cuſtodiunt noſtra? eum, qui in neceſſitate aliquâ ſubuenit, amamus; & non liqueſimus præ amore tui, qui dediſti eſſentiam & vitam creando nos, cùm nihil fuimus. Quæ maior neceſſitas & penuria, quàm cùm nihil habebamus, imò nihil eramus? Si Deus tunc ſubuenit nobis, donando vitam & eſſe; cur non meminimus tantæ eleemoſynæ, cùm gratificemur ei, qui exiguum ſubſidium vitæ præſtitit? Anne maior miſericordia cenſebitur opitulari quo viuamus, quàm dare ipſum viuere? Eò maiora cenſentur beneficia, quò opportuniùs conferuntur pro indigentiâ maiori, & quæ vltrò dantur

Digitized by Google

dantur ſine poſtulationis aut deſiderij pretio. Quæ maior indigentia, quàm nihili, quæ ſumma egeſtas eſt? Summum igitur beneficium Deus fecit, ſummo amore dignum, qui occurrit tantæ egentiæ: ſummum beneficium eſt quod tam vltrò conceſſit, cùm ex nobis nihilum præceſſit. Quantò quis magis eget, etiamſi parum donetur, pluris æſtimatur, quàm cùm plus donatur minùs indigenti: tu Domine, cùm ſummè egebamus in nihilo, non parum dediſti, ſed totum ipſum quod ſumus.

Ad calculos veniant omnia hominum beneficia; & quia longum eſſet recenſere ſingula, conſideremus illud, quod omnium gentium iudicio maximum celebratur, & vltra omnem gratiam eſſe, atque conferamus cum minimo beneficio diuino creationis. Clamat & docet natura, nullam gratiam parem reddi poſſe parentibus: at hi quid dederunt? fœtidum corpus, obnoxium peccato, morbis, & omnibus miſeriis vitæ huius, vt iam quodammodò meliùs ſe gerant parentes erga vermes fœtidos, quàm erga filios: nam illos creant non contaminatos culpâ, nec obnoxios iræ diuinæ; filios vero gignunt maledictos, iam peccatores, dignos morte & carcere. Quomodo, Domine, immemores tui ſumus, & erga te impudentes, cùm totum noſtrum eſſe dediſti, corpus in principio idoneum, purum, & innumeris dotibus decorum, animam excellentiſſimæ naturæ, puram, ſpiritualem? Parentum beneficium non magni illis ſtetit; nam de ſuperfluis ſibi tantùm impertierunt nobis non totum corpus, ſed particulam ſpurciſſimi ſtercoris, & ſaniem: tu Domine totos nos dediſti, totum corpus, totam animam puram: quod beneficium non minoris tibi ſtetit quàm omnipotētiæ tuæ viribus. Illud adhuc quod à parentibus habemus, id nobis non dederunt, ſed tu per illos: illi ſolùm de ſe dederunt obligationem culpæ & auſpicium miſeriarum. Quod parentes dederunt, non fuit propter purum amorem noſtri, ſed propter turpem voluptatem ſuam: tu Domine raptus amore noſtri, nos creaſti. Parentes fortaſſe inuiti nos produxerunt, qui ſæpè nolunt generare: non fuit officium amoris ipſorum, vt nos gignerent, & non alios, quia nec in poteſtate nec in electione eorum fuit: tuus Domine amor me creauit, & non alios; electio tua fuit: tu Domine conſpiciens innumeros homines quos creare poſſes, & tibi meliùs ſeruirent, me miſerum nullis meis meritis elegiſti; nec impediuit amorem tuum, præuidiſſe me peccaturum aduerſus te pluſquam omnes, & futurum omnium peccatorum ſceleſtiſſimum & maximum, & magis ingratum, quàm Lucifer primogenitus peccati, & Iudas venditor Filij tui, & Antichriſtus eius aduerſarius.

En Domine, in vno beneficio tuo non tantùm me totum debeo ſemel, ſed multipliciter me debeo: quomodo alia ſoluam? Me totum debeo tibi, quia me dediſti totum: me totum debeo, quia in me impendiſti tuam omnipotentiam: me totum debeo, quia non dediſti inuitè: me totum debeo, quia dediſti vltrò: me totum debeo, quia dediſti amando: me totum debeo, quia dediſti eligendo me inter infinitos: me totum debeo, quia dediſti præuidendo me ingratiſſimum ſuper omnes peccatores. O Domine, cui toties totum me debeo ob vnicum beneficium, præſta vt ſaltem partem meam tibi ſemel reddam ob infinita beneficia: præſta, vt cor meum tibi offeram: cumque non ſemel hoc beneficium vnicum & multiplex feceris, ſed continues ſemper, & augeas quotidie conſeruando, totum me quotidie infinities debeo: infinities cor meum accipe, non propter bonum quod in me efficit beneficium tuum, ſed propter bonum quod in te efficit vt facias beneficium mihi, & colligo ex beneficio tuo. Si igitur tantum eſt minimum hoc beneficium tuum, vt toties propter illud me debeam; quid propter redemptionem, quæ tantò excedit creationem, quantò Deus excedit hominem? In creatione me dediſti mihi, in redemptione te dediſti, & me te reſtituiſti.

Capvt II.

Quòd ſint ſine numero beneficia Dei.

Benedic adhuc anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, ſiue in inimicos tuos, ſiue in amicos; ſiue in Angelos, ſiue in pecora campi; ſiue in Beatos remunerando, ſiue in dæmones puniendo; omnes retributiones Domini, propria tua beneficia ſunt. O Deus, quàm immerſus ſum beneficentiâ tuâ! Quidquid agis, beneficium eſt, & illud meum beneficium eſt. Quod agit lumen, lumen eſt; & lumen quod vnius causâ accenditur, non ſolùm illum, ſed omnes illuminat aſtantes: ſic tu, ô lumen Veritatis, ô natura bonitatis; & ideò benefica, nihil potes agere, quod non ſit beneficium; & beneficium quod vni confers, non ſolùm illi, ſed omnibus conferre eſt neceſſe. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum; quia velut lumina, tua dona diffundis; quia ſine diminutione tui communicaris omnibus, & pro omnibus. Lumen integrum diſtribuit cunctis lucem: ſine facis iacturâ accendi poteſt alia. Quidquid iaculatur ſol, lux eſt; omnes per illam videre poſſunt, niſi claudant oculos. Quidquid efficit Deus, beneficium eſt, per illud omnes ſibi prodeſſe & iuuare poſſunt, niſi ſint inſipientes & maligni. Semper munera tua, Domine, comitatur ardens amor tuus, ſicut lucem calor: hoc eſt immenſum pretium tuorum donorum, quòd ſint obſides & pignora amoris tui: licet lateat viſum, patet tamen in effectu benefico. Nam lucem etiam, quam ſpargit ſol, quamuis ſolùm videamus, & non calorem; ſemper tamen calor cum luce eſt.

O Pater luminum, quantas tibi gratias agere debeo pro vniuerſis vniuerſorum beneficiis, teſtibus amoris tui, quem præcipuè exoſculor & adoro in operibus tuis! Quis non ſtupeat ingenium tuæ bonitatis, vt omnium ſit vnum beneficium & vnius ſint omnia beneficia; vt priuata ſint communia, & communia priuata? Omnia naturæ opera, omnia mirabilia gratiæ, omnes præſciti, omnes beati, beneficia mea ſunt; Omnes proſperitates, omnes calamitates hominum, munera tua ſunt, quibus me donas & amas. O homo ingrate, nonne dili-

geres Deum toto impetu cordis, ſi te reum inferni, mortuum in peccato graui, non damnaret; ſed alium hominem meliorem te crearet, & loco tui ſufficeret, vt pœnas inferorum pateretur pro te? Plus fecit Deus: taceo quòd ipſe in ſe culpas noſtras ſuſcepit, moriens pro nobis; illud nunc ſtupeo, licet minus ſit ſine comparatione, quòd plures voluerit damnare & non miſereri vt te ſaluaret: nam ſi pauciores damnari videres, minùs timeres, & fortaſſe damnareris: ſi vnus aut alter ſolùm damnaretur, nihil ferè tu timeres; & quod certiùs de te potes præſumere, tu damnareris: ſi nullus damnaretur, nihil timeres; & potes putare quòd tu ſolus damnareris, aut, quod peius eſſet, multò plus peccares, & nihil Deum vereteris. Igitur cruciatus & infernus tot hominum, beneficium meum eſt. O lumen cordis, quantus lucet amor electorum tuorum? Animalia feciſti propter homines, & homines damnas propter alios homines, quos ad ſalutem elegiſti. Angeli ſeruiunt hominibus, imò tu ipſe factus homo: quid mirum, ſi velis etiam vt homo ſeruiat homini? Si ad commoditatem vitæ temporalis permittis, vt homo ſeruiat homini, mancipium hero: ad conſecutionem vitæ æternæ, & augmentum gloriæ, præſcitum oportet ſeruire electo. Ecce ſpiritus ingrate, ſi tantum malum pœnæ in aliis, bonum tuum eſt; bona quoque aliena, beneficia tua etiam erunt.

Tali arte architectatur Deus opera ſua, vt ſingula ſint vniuerſorum bona; & ipſa pœna damnatorum tam bona cunctis eſt, vt ipſis damnatis bona ſit: nam cum illâ non habent malitiam ſuam, meram, ſed ſentiunt iuſtitiam diuinam, quæ optima eſt. Tam beneficus Deus eſt, vt ipſa damna vertat in beneficia; & quod plus eſt, ex ipſis malis culpæ quæ ſola mala eſt, extorqueat bona, & interdum maiora bona. Tam potenter, ô Domine, mihi facis beneficia, vt ex peccatis, vbi non potes, nec facis, (nam non potes facere illa, nec iuuare vt fiant) maiora beneficia inde facis & potes. Ex peccatis calles bona immenſa elicere, & virtutes. Lumen in corpus obſcurum & denſum impingens, in quod nequit agere, ibi reflexione augetur duplicatum, non deperditur lumen; nec vmquam deperditur, & vacat beneficentia tua. Ex peccato, vbi nihil eſt benefactum, maius meum beneficium effeciſti, incarnationem Filij tui decernens. Tam ex peccatis meis quàm ex alienis ſcis Domine peritè benefaçere mihi: quando audio ſcelus ab aliquo patratum, doleo fratris malum; ſed inde tibi gratias ago, quia ſpero maiorem miſericordiam tuam, aut illi, aut mihi. Gratias tibi ago, quia inde præparabis magnum beneficium mihi, niſi ego fiam cæcus nolens lumen videre.

Benedic iterùm anima mea Patri luminum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: nam omnes ſunt illius munera; etiam illa beneficia, quæ ab hominibus tibi videntur venire, & accipis ab illis: nam ſi mala & dura, quæ tibi infligunt homines, debes putare venire à Deo; cur bona non putabis ab illo venire, cuius natura bonitatis eſt, & ad benefaciendum prona? Omne lumen cæli, licet iaculetur illud ſtella paruula, & luna cùm noctu illuminat, quamuis Sol non videatur, lumen Solis eſt: ſic quodlibet bonum, & beneficium etiam factum ab homine, bonum illud à Deo eſt, & beneficium illud fulgur bonitatis eius. Hoc vnicum eſt ſolatium humanæ vitæ inter tot miſerias, quòd nihil poſſit fieri niſi à Deo; & quidquid facit Deus aut permittit, non poteſt non eſſe beneficium iuxta naturam bonitatis: & quodcumque beneficium fit, id à Deo fit; & quidquid à Deo fit, illud eſt beneficium meum factum mihi. Dolores corporis, & miſeriæ vitæ, cùm patior ego aut alius, fames communis, morbi, peſtes, omnia ſunt mea beneficia, ô Domine, qui propter bonum meum affligis alios. O Deus, quantum tibi debeo, qui vt ego pauperculus acciperem ſanctam aliquam inſpirationem, non dubitas ipſos Reges & mundi Monarchas occidere; nec attendis tot Regnorum lacrymas & calamitates, vt ego inde aliquid addiſcam? Pluris æſtimas quòd ſanctum quid ruſticus contritus cogitet, & ſapiat, quàm vitam & capita Regum aliquorum coronata, ac populos interdum integros. Da Domine, vt pro omnibus tibi gratus ſim, & amem pro me, & pro aliis, in omnibus operibus tuis, vt tu in omnibus beneficiis tuis me amas.

Capvt III.

Dei amor patet infinitus in Redemptione.

O Amor infinite, quomodo exhauriris in benemerendo de me, cùm nec tibi, ô Deus omnipotens, reſtet potentia quâ maiora opera pro me poſſes facere, nec ſapientia ſit reliqua quâ poſſes excogitare, nec voluntas poſſibilis quâ poſſes optare! Nullum enim præſtantius remedium noſtri generis excogitari aut eſſe potuit, quàm incarnatio Filij Dei, quod fuit infinita miſericordia. O immenſa beneficentia & amoris exceſſus, cui ceſſit omnipotentia diuina! viciſti Dei artes, & vota illa ſacroſancta & infinita quaſi limitaſti; quomodo non vincis infirmitatem meam, ſuſpendis cogitationes meas, & limitas deſideria mea, vt nihil coner, cogitem, velim, niſi te? Filij, quos enutriſti Domine per creationem, te ſpreuimus: quomodo quos inſuper honoraſti, & exaltaſti vſque ad conſortium tuæ Maieſtatis, te ſpernere poſſumus, & non amare; qui nos amando, ſpreuiſti te vſque ad conſortium vilitatis noſtræ? O Domine, quantum ſolatium habeo in hoc redemptionis beneficio, cùm te video afflictum & noſtræ miſeriæ ſocium, & amatorem! nónne alio modo redimere nos poſſes, quamuis minore iuſtitiæ rigore? nónne poteras creare excellentiſſimum Angelum, excellenti gratiâ præditum, qui pateretur ſaltem inferni dolores? nónne poteras ipſe, ſeruato ſtricto iuſtitiæ tuæ iure, ſine tot cruciatibus? At vt totum noſtrum occupares amorem, id feciſti. Fortaſſe ſi noſter Redemptor non fuiſſet, qui Creator noſter? ſed alius Redemptor, alius Creator eſſet; plus amaremus Redemptorem noſtrum quàm Creatorem: propterea tu qui noſter Creator es, voluiſti Redemptor noſter eſſe & Saluator, & totum noſtrum amorem in tuo corpore pati: atque

Digitized by Google

atque vt euidenter pateret tuus amor, non ſufficientiam redemptionis & æqualitatem attendiſti, ſed refusè & exundanter, vt in eo videremus amorem, qui modum neſcit.

Qui omnia feciſti in numero, pondere, & menſurâ; cur tu auctor naturæ, in quâ nihil ſuperfluum & ſuperabundans feciſti, in redemptione quaſi turbaſti omnia? Extra te & morem tuum abſtractus, nullum numerum obſeruaſti cruciatuum, nullum pondus pretioſi Sanguinis tui attendiſti, nullam menſuram ſatiſfactionis neceſſariæ, ſed ſuperfluente Cruore tuo ſuperabundanter redemiſti, ſine menſurâ omnia faciens. Certè quia arbiter tanti operis immenſus erat amor, & in hoc opere voluiſti velut viſibilem amorem tuum facere, cùm nos increduli non crederemus ex aliis operibus & beneficiis. Sed iam quoniam hoc voluiſti, non es alius atque anteà eras: ordinem ſeruas in omnibus operibus tuis; menſuram quoque hîc ſeruaſti, ſed in eo quòd feciſti omnia ſine menſurâ, quia amor tuus ſine menſurâ eſt, nec aliter adæquatio eſſet. Sic video hîc infinitatem tuam, cùm ſine modo & proportione te hîc geras. Hoc beneficium euincit meum amorem, quia conuincit te amantem eſſe: ex ceteris beneficiis coniicio te amare, in hoc video. Cetera beneficia non obſtant, quin aliquis putet ſine minimo adhuc amore facta; de hoc nemo poteſt ſuſpicari, niſi cum amore immenſo effectum. Cetera etiamſi fierent non amando, indemnis Maieſtas eſſet tua, & ſaluum decus diuinum: iſtud non cenſetur conſentaneum, ſeruatâ auctoritate diuinitas factum ſine amore fuiſſe. Cetera facta abſque dilectione, digna etiam eſſent laude & reuerentiâ: at iſtud, ſi non fuiſſet amoris cauſa, indecorum videretur, non dicam Deo, ſed homini, dignum vituperio & contemptus. At quia impoſſibile eſt, facere indignum aliquid, euidentiſſimè me cognoſco amari. Regium eſſet, etiam eos qui non amarentur alere, ſeruare, locupletare, & quiduis benefacere; dignum eſſet id Maieſtate ſupremâ: at ſi Rex ſummus ſe ad vilia deiiceret, cum lixis, coquis, & ſeruis ſtabulariis conuerſaretur, conueſceretur eodem habitu indutus; quis non contemneret, & inſanire putaret? ſolùm illum excuſaret vulnus amoris, ſi corde perculſus ad tempus id feciſſet, vt artificio illo amatæ perſonæ amorem conciliaret, aut aliquid iſto ſtratagemate in obſequium dilectionis tentaſſet. Hoc priuilegium amor habet, quod ipſi Philoſophi fatentur, vt infamiam numquam contrahat, & omnem notam aboleat eorum, quæ ſi facta ſine amore eſſent, turpia & indecentia putarentur; amor tamen vertit in merita, & infamiam transformat in gloriam. Nihil Domine indecorum tuæ Diuinitati facere potes: quare omnia feciſti me amando, cùm exinanitus auctoritate tuâ ad viliſſimæ creaturæ conſortium te demiſiſti.

Hoc euidentiſſimum pignus amoris diuini ſerua anima in corde tuo, humilitatem diuinam; quæ ſumma gloria eſt ex prærogatiuâ amoris. Amor excuſat Maieſtatem Dei; amor exaltat humilitatem Dei. Amor hic extorquet amorem meum: ignis ignem accendit, amor amorem ſulcitat: amor tuus, ô Domine, me accendat ad amandum te, ignem veniſti mittere: ſed numquid Domine non poteras abſque aduentu tuo & incarnatione mittere? quid opus erat, vt fieres homo, vt accenderes homines? an quia ignis non efficit niſi inconiunctam materiam? Ignis enim in ſuæ naturæ puritate, & ſphærâ circa cælum dicitur non vrere, nec vllam materiam ſolidam accendere; neceſſe eſt, vt in alienâ materiâ ſit, & fiat viſibilis: ſic tu Domine in ſinceritate puriſſimæ tuæ naturæ tametſi amor es, & ignis comburens, non ita accendebas homines, niſi factus homo; vt ignis cæli non accendet lignum, niſi cùm ignis factus eſt in ligno, aut aliâ craſſiori materiâ quàm ætheris: alia ligna tunc accendet conſpicua iam &. viſibilis flamma. Tuus amor viſibilis, cùm factus es homo, non poteſt non accendere, & vrere homines.

Magnum beneficium creditur, quod præuenit preces, cùm abſque illarum pretio indulgeatur: maius, ſi careat ſpe; placidiùs enim inſperata bona accidunt: maximum, ſi præoccupet vota: nihil enim gratius & magis vltrò, quàm quod ſine impendio deſiderij datur; iam quale erit quod præuertit opinionem? quale erit, de quo opinio diffideret? Tale hoc tuum beneficium, & inopinabile Sacramentum redemptionis; quam ſi quis poſtularet, antequam manifeſtaretur hominibus hoc modo quo facta eſt, preces blaſphemiæ crederentur, ſpes inſana temeritas, votum ſacrilega voluntas, opinio impietas. Donum inopinatum gratiſſimum eſt: quantum erit, quod eſt inopinabile? conceſſit beneficentia tua, quod opinio indigentis negaret.

Sed ſupra omnia me mouet in hoc beneficio frons & titulus amoris, qui eſt munerum valor & pretium: omnia dona teſtimonia & auctoramenta amoris ſunt. Quid magis fide dignum quàm hoc? non ex quantitate, ſed ex argumento dilectionis capiunt quantitatem munera. Immenſa hæc gratia, quæ vt ſit beneficium & non dedecus, in fronte geſtat amorem Dei immenſum. O Domine, ſi tibi debeo me totum propter creationem; quantum debeo huic amori tuo? Fateor debere pluſquam me ipſum; quantò me maior tu es, qui pro me dediſti teipſum, & toties dediſti naſcendo, viuendo, moriendo, reſurgendo, & per ſanctiſſimum tuum Corpus alendo. Fac, vt totum quod tuum fuit creatione, & reſtauras redemptione, faciam ego totum tuum amore. Pro minimo beneficio tuo, ſi per totam æternitatem, vt referam gratias, paterer vniuerſos inferni cruciatus, nihil ſatisfacerem; quia ab amore tuo infinito procedit, omnem infinitatem creatæ retributionis excedenti infinitè: quid faciam pro tot & tantis, & præcipuè pro iſto, in quo obiicis mihi luce clariùs amorem tuum infinitum?

CAPVT VI.

Quàm meritò ſit amandus Deus, præcipuè propter ſe.

DInumerabo iura quibus amorem meum iuſtiſſimè exigis, & iniuſtitias teporis & ingra

Digitized by Google

guli, exactores ſeueri ſint mei amoris: multo magis te debeo amare ob ſolam beneuolentiam tuam, quâ me amas, quàm ob beneficia tua tot & tanta: nam illa eſt horum cauſa, ideò æſtimabilior: & reſtat amor tibi, vt ſi opus eſſet, duplicaret beneficia, & ſine numero multiplicaret, ſi ad meam ſalutem non ſufficerent quæ redundant modò. Amor tuus non tantùm æquiualet beneficiis factis, ſed poſſibilibus, ſi alia poſſibilia maiora eſſent; & in ſe claudit omnia illa; imò, ſi dici fas eſt, beneficia impoſſibilia: nec enim terminos ſuos ſtringit facultate verus amor, ſed confictis votis: quæ quamuis in Deo non ſint ob perfectionem & omnipotentiam ſuæ naturæ, non eſt proinde diminutus exceſſus ſui amoris; ſed æquè debemus illi, ac ſi eſſent. Maior itaque titulus vnus amoris eſt amor Dei, quàm innumera ſua beneficentia: continet enim ille beneficia omnia & facta, & poſſibilia, & impoſſibilia, ſi aliqua Deo eſſent.

Adhuc tamen alia eſt cauſa maior amandi Deum: nam ſi ob amorem Dei plus debemus illum amare quàm ob beneficia, quia hæc ſunt effectus illius, & ſcintillæ magni incendij diuinæ charitatis; multò magis debemus amare ob bonitatem eius, quia hæc eſt cauſa amoris. Quanta bonitas eſt, tam immenſi amoris mater, & ſtirps tot beneficiorum! imò Bonitati diuinæ debemus non tantùm amorem incredibilem, niſi ſolùm fide, quo nunc nos amat; ſed etiam amorem maiorem, quantum ad nos, quo nos amaret, ſi nos meliores fuiſſemus, & minùs ingrati, atque capaciores proinde maioris dilectionis. Non tantùm debetur bonitati Dei vnus infinitus amor Dei, ſed quaſi infiniti amores infiniti Dei. Quare quia bonus eſt in ſe Deus, plus debemus amare quàm quia nos amat & benefacit. O Domine, amo te ob tua beneficia, quia in eis video, exoſculor, & amplector amorem tuum: & ob amorem tuum te amo, quia in illo intueor, adoro, & diligo bonitatem tuam. Amor Dei: vna perfectio Dei eſt: reſtant aliæ, ob quas amabilis eſt, quas omnes continet bonitas & perfectio diuina infinita, infinitis titulis amabilis. Neſcio, Domine, quomodo intermitti & deſinere poteſt amor tui in corde meo cùm tu infinitus ab æterno ita nos inceſſanter amaueris ſolâ bonitate tuâ.

Capvt V.

Quomodo bonitati Dei non poſſimus ſatisfacere.

QVantum deficio, Domine, conſiderans bonitatem tuam, quæ nec poteſt ſcribi, nec dici, nec cogitari? Si omnes ſpiritus cæli & inferni, & animæ creatæ & creandæ, de eâ ſcribere vellent, & ſi ſingulis atramentum eſſet mare, atque membrana cælum antequam minimam eius partem commemorarent, maria exſiccarentur, & cæli nec vnum apicem ampliùs accipere poſſent. Si cunctæ ſtellæ & imbrium guttæ forent linguæ, antequam aliquid congruum de eâ dicerent, deſtituerentur ſpiritu, & obmuteſcerent: ſi omnes arenulæ maris in mentes mutarentur, non poſſent particulam eius digne concipere. Sed quid ago, cùm audeo his comparationibus bonitatem tuam declarare? Fateor, ô Deus infinite, ridiculas eſſe has omnes exaggerationes, quamuis ſint grauiſſimorum Doctorum: ridiculæ ſunt omnes ad explicandum illam, & in ſe ipſas peccant; & ridiculus erit, ſi quis eis ſperat explicari quidquam competens poſſe. Timeo, Domine, dum laudare volo magnitudinem bonitatis tuæ, ne inſultem. Nónne qui vellet ſapientiam Salomonis exaggerare, illuderet potiùs, ſi diceret; Tanta eſt Salomonis ſapientia, vt de ea non poſſet ſcribere mancus, nec narrare mutus, nec ſatis iudicare amens? Si hæc commodatio eſſet irriſio, minùs ſunt ad rem illæ comparationes reſpectu bonitatis tuæ, ad quam manca eſt omnis creatura, muta & inſipiens. Ego, Domine, in ſimplicitate ignorantiæ meæ te velim amare; & patienter feram, non intelligere clarè, quomodo ſis, quod in hac vitâ non poſſum: & quamuis nihil pro dignitate de bonitate tuâ capiam, in eo quòd de illa præſentio obſcurè & ruditer, me conſolor, te eſſe magis bonum, quàm vt vmquam poſſis æquè amari: conſolor me, Domine, quòd etſi nos non creaſſes, nec nobis benefeciſſes, nec amaſſes, ſed odiſſes, vt ſaltem ego mereor; imò etſi impoſſibile eſſet, quòd benefaceres nobis, & repugnaret, quòd ita amares nos; nihilominùs ob vnicam perfectionem & bonitatem tuam, & inæſtimabilem perfectionem, non poſſes ſatis diligi. Quamuis omnia folia arborum & herbarum, ſtellæ cæli, arenæ maris, atomi ſolis eſſent corda, imò etſi eſſent ardentiſſimorum Seraphinorum voluntates, imò etſi omnes illæ & cunctæ reliquæ creaturæ poſſibiles eſſent ſingulæ Seraphinorum Hierarchia, cuius amor in ſingulis inſtantibus duplicando ſemper multiplicaretur per totam æternitatem, nihil eſſet cunctorum amor, vt ſatisfaceret bonitati tuæ, imò pudor eſſet; nec dico, ob totam tuam bonitatem congruè te amaret, verùm nec ob ſolam patientiam, quâ me ſuffers non modò peccantem grauiter, ſed languidè & cum defectibus amantem tantum bonum!

Sed in hoc me conſolor, quòd licet non ſatis ameris, non etiam ſatis amari poſſis à creaturis. Accipe, Domine, pro parte meâ vilem ſtipem amoris in votis: amorem creaturarum omnium etiam poſſibilium collectum tibi offero: ego ipſe ſolus vniuerſarum amorem, quem cunctæ per æternitatem habituræ erunt, vellem habere in ſingulis inſtantibus, & adhuc verecundari & erubeſcere deberem. Parce, parce, humillimè precor, magne Domine; nec iniuriæ vertas hæc mea puſilla vota & deſideria; ſed ea excuſet coram te infirmitas mea, & magnitudo tua. Accipe hoc deſiderium meum, quod dignè nequit dici amor te dignus: accipe & cruciatū meum, quo doleo non omnia te amare: doleo tot animas ſponſas tuas per fidei arrhas, tot filia hominum corda idonea ad diligendum te ardentiſſimè, qui Reges mundi cælóque ſubli miores poſſent eſſe, iacere in fimo ſuo, & petire in ſe diligendo ſe, & hæc caduca & horribilia bobona terræ, & non te, ô pulchritudo rerum, & amor vniuerſi.

Capvt

Digitized by Google

CAPVT VI.

Quàm magnum beneficium gloriæ ſperemus.

VSquè eo eſt Deus bonus & beneficus, vt patitur nos non æſtimare ſua beneficia & bona noſtra. Anguntur & laborant homines per totam vitam, vt obtineant bonum aliquod temporale, ac demum fruſtrantur, nihil aut parum conſecuti: quomodo cùm minimè ſint ſoliciti, imò nec memores vitæ æternæ, putant ſe illam conſecuturos? Bona quæ habent præ manibus, ſummis conatibus non adipiſcuntur; & bona recluſa & diſtantia in cælo putant è terrâ ſine labore comprehendere: pro leuibus bonis ingenter affliguntur; & pro ingenti bono, leuiter afficiuntur dignè. Qui fieri poteſt, vt tam ridiculè & ſtupidè agatur cum ſe-tio ſolùm gaudio & ſtupendo illo bono? O humillima Maieſtas Dei, cùm hoc vltimum amoris tui miraculum conſidero, deficio & ſtupeo; quando in cœnâ gloriæ tranſiens miniſtrabis nobis.

Quale iſtud bonum, cuius non decebat ob magnitudinem Deum liberalem omnino eſſe, ſed expectare pretium virtutis, & obſequia noſtra, quamuis iſta ſint etiam beneficia diuina. In creatione & redemptione inopinatò benefeciſti præueniens vota & cogitationem humanam; ſed ad gloriam conatus & officia noſtra cum tuâ gratiâ expectas. Proh quantæ magnitudinis erit bonum, quod retardat plenam beneficentiam diuinam præ magnitudine ſuâ, & operam noſtram expectat & laborem! quod & carè vendit Deus, cùm amicus ſit dandi omnia alia gratis: vendidit Laurentio pro aduſtione, Paulo pro capite, Felicitati pro filiis, Petro pro morte crucis. Imò vt tam carè poſſet vendere nobis, cariſſimè emit ipſe: crucis nempe ignominiâ, & ſuâ morte. Cetera beneficia contulit Deus & impendit, vt hoc bonum vellemus, & conſequeremur; quantum erit, pro cuius voluntate tanta Deus dedit & fecit? & tamen cor noſtrum non ſatis attollitur, vt deſideret illud. Si Deus tam varia molitus eſt, vt gloriam cuperemus; quantoperè nòs debemus conari, vt illâ fruamur? Si tanta fecit Deus & paſſus eſt vt gloriam legitime daret; quid debemus facere, & pati, vt accipiamus? Stultiſſimum eſt, putare poſſe nos ſine labore conſequi gloriam, cùm Deus tantoperè laborauerit vt daret. Nihilominùs duplicato peccamus in hoc dono, quàm in aliis, ingratitudine, &, quod peius eſt, contemptu; quod nolumus conſequi, propter quod, vt conſequamur, tot ſumptus, imò omnia fecit Deus. De reliquis beneficiis ingrati ſumus, huius etiam contemptores, dum totis viribus, & ſpiritu non anhelamus ad illud: ſed momentaneam voluptatem præferimus negotio ſæculorum.

Quid concupiſcimus? cuius ſatagimus, niſi auariſſimi ſumus gloriæ? Nundinæ æternitatis momentum ſit. Si terra capaciſſima reſpectu cæli finiti punctum eſt; quid erit anguſta vita hominis reſpectu æternitatis infinitæ? & nihilominùs poſſibile eſt vt vacet tempus conſecutioni & deſiderio gloriæ. Si Deus pauperrimo alicui, demonſtratis theſauris auro plenis, ita loqueretur: Mille anni vitæ reſtant tibi, nihil habebis ad ſuſtentationem & victum commodum tanto tempore, niſi quantum ex his theſauris extraxeris per vnius horæ ſpatium; forſanne pigeret, aut moraretur in ludo, aliquo, aut dormiret interim in illâ hora? Quid torpemus? æternitas reſtat nobis, nec licet commeatum æui parare niſi in tempore vitæ huius breuiſſimo: cur ſuſpendimus ſanctam hanc ambitionem, & otioſi ſumus? Minus ſunt mille anni ad æternitatem, quàm momentum ad mille annos: quid erunt decem aut viginti anni, qui ad ſummum reliqui ſunt tuæ vitæ, reſpectu æternæ durationis? Quid ceſſas bene operari? à te vita fugit, ad te mors currit, manet æternitas: & nihilominùs negligis congregare diuitias æternas.

Quam moleſtum iter fecit Regina Saba, vt videret ſemel Salomonem, non vt maneret cum eo, ſed rediret ſtatim? E longè diſſitis regionibus veniunt aliqui, vt hominem inſignem videant: quantò magis, vt Deum in ſuâ Maieſtate vel ſemel videremus, longos conatus permittere deberemus? Si daretur vt abſque aliâ diligentiâ pedibus veneriмus ad gloriam poſt mille annos, & cæli iter pedibus peruium eſſet, nemo eſt qui recuſaret profectionem. Commodius tibi reſtat iter ad cælum; non vltra domum, imò nec lectum, opus eſt pedem emittere: cur non audemus omni conatu aſpirare ad vicinum bonum? Superatur mare ob ſolum fulgorem vnius lapidis aut metalli; & torpemus ad claritatem Dei, nec infinitum bonum pretio adhuc laboris ſolius taxamus. Sed quid iacto æternitatem? etſi gloria non eſſet æterna, ſed momentanea? tanta ſuperfluit eius boni magnitudo, vt æternitas patiendi, non deberet nimium æſtimari, ſi vel per vnicum momentum illâ frueremur videntes in vno inſtanti Deum.

O quale erit quod Deus parauit amicis ſuis, ſi hoſtibus ſuis ſe ipſum præparauit & dedit crucifigendum? Quale erit quod tanti Deo ſtetit, quod tanti ſumptus fuit illi, non minoris, quàm vitæ, auctoritatis, paſſionis, omnipotentiæ ſuæ Si admiramur ea quæ fecit Deus in vſum hominis cælum, ſiderum motus, animalium naturam; quale erit quod fecit Deus ad oſtentationem ſuæ Maieſtatis? Si vnius oculi artificium, etiam fœdiſſimi peccoris aut iumenti, ſtupemus; quid erit quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit: Si hunc mundum, tuguriolum Adami, ergaſtulum peccatorum, caueam brutorum, tam admirabilem fecit Deus, vt ad eius conſiderationem extra ſe aliqui Ethnici in ecſtaſin raperentur; quid erit domus propria & aula Dei? Quantum diſtat ſtabulum fœtidiſſimum à palatio maximi Regis ornato lacunaribus aureis, pauimentis ex lapidibus pretioſis, parietibus locupletiſſimè bracteatis? imò quantum diſtat pulchritudo cælorum ab horrido & tetro carcere? Plus crede diſtare ſedes Beatorum ab elegantiâ huius vniuerſi, quæ honor erit reſpectu illius. Plus diſtat tota hæc pulchritudo huius orbis à ſede Beatorum, vt tota hæc venuſtas, ad quam præ admiratione ſtupuerunt Philoſophi, horror ſit & deformitas. Si cælum & natura, quam Deus

Digitized by Google

Deus velut repentè fecit, & tam facilè ac eſt dici, talia ſunt quale erit, quod præparauit ab æterno diligentibus ſe? in naturæ donis, vt dominus ſe habuit Deus: imperando mundum fecit: at in gloriâ vt ſeruus tranſiens & diligens miniſtrando, quaſi placere cupiens. Si pulchritudo mundi viſibilis, in quâ non adeo ſtuduit Deus placere, tantoperè placet; quomodo placebit in quo Deus affectauit placere & obſequi? vniuerſus orbis nullius ſumptus Deo fuit, niſi vnius vocis; verbo fecit illum: at gloria ſeruitio & obſequio ſuo diligentiſſimum & ſolicitum habuit; imò opprobriis, paſſione, & morte patientiſſimum.

Si centum annos vacares cognitioni magnitudinis gloriæ, & magnum aliquid conciperes illius, poſſes reputare nihil te inueniſſe, ſed tam longè abeſſe eius intellectu, vt nec de illâ putes coniecturâ ſuſpicatum fuiſſe quidquam dignum. Sed adhuc in leui ſuſpicione gloriæ attolle te ad ianuam cælorum; intuere, quàm proximè poſſis, apertum cælum, & inde ſimul deſpice in terrâ quæ excellentiora & pretioſiora ſunt: confer inde vtriuſque bona ſi fortè apparebunt terrena. Mirare tot ſtudia hominum infelicia, vt ſordes terreas ſeu nihil conſequantur; & otium ac torporem, vt vero bono fruantur. Vide inde è faſtigio ſiderum vacuos labores mortalium, certa pericula vt incertum bonum obtineant. Tu verò Dominum audi inuitantem; veni, poſſide Regnum meum & diuitias diuinas. donum certiſſimum ſub fide diuinâ promiſſum, & commendatum diligentiâ & morte Chriſti, & votis diuinis. Vbi eſt ambitio noſtra, vbi cupiditas, niſi ſe explicet & profundant in hunc gaudiorum campum, & verarum diuitiarum theſauros?

Glorioſum me putarem, ſi conſors fuiſſem ignominiarum Chriſti: qualem me putabo cùm gloriæ eius fiam particeps? Si ignominia Iesv eſt gloria; qualis erit gloria Dei? Si opprobrium crucis ita magnificit, vt ſuper Imperatorum capita extulerit; ſi tormenta ſua ita honorauit; quantum honorabit & efferet fideles ſuos, amicos? Si oſſibus Sanctorum concedit inter nos maiorem gloriam, quàm habent omnes Imperatores, quantam concedet apud ſe animabus? Vis ſuſpicari rudirer magnitudinem gloriæ, quantum excedat noſtros labores? metire quantum cæleſtes globi excedant terram: punctum hæc eſt eſt reſpectu primi cæli: primum cælum, reſpectu vltimi, aliud punctum, ſeu potiùs nihil: in cuius ambitu vni digito ſpatij terræ reſpondēt in cælo millia millium milliarium. Idem eſt auctor gratiæ & naturæ, qui plus voluit excellere munera ſua in cælo laboribus noſtris in terrâ.

Impleat te ſemper huius expectatio tanti boni. Quæcumque bona videris in terrâ, deſpice, cogitans ſtatim alia infinitè maiora te habiturum in cælo. Quæcumque mala conſpexeris, non timeas, ſperans te his omnibus in æternum cariturum. Quæcumque tibi eripiantur, ne doleas, credens per patientiam æternis theſauris concludenda tibi in depoſito. Quæcumque contemnas & relinquas Dei amore, ne te arbitreris perdere, æſtimans ea non ſolùm ſeruanda, ſed centuplum reddenda. Ne laborem tranſitorium fugias, qui ſperas immobile bonum. Qui deberes deſiderare pati, vt conformateris Chriſto in Caluariæ monte, ſine ſpe deſcenſus à cruce; ne reiicias patientiam, vt conformetis Deo in gloriâ, cùm certâ ſpe aſcenſus ad tantum gaudium. Quomodo torpemus, ſi hoc ita eſſe putamus?

Quomodo æſtimamus terreſtria, ſi credimus eſſe cæleſtia? Fortaſſe non benè credimus. Vis ſcire, quomodo corde & ſenſu intimo non ita credas, quemadmodum ore dicis credere, maxima eſſe bona cæli? Si res tuæ & fortunæ mille auri pondo conſtarent; nónne dares omnia, ſi crederes poſſe inde lucrari & augere centum milia? at quomodo credimus eſſe maiora bona cæleſtia, cum pro eis adhuc moniti non daremus libenter, quæ vltrò & cum gaudio dantur pro terreſtribus? Pro vili mercede operarius per totum diem laborat; miles millies expectat mortem pro Regno alieno; & nos pro Regno cælorum, vt fiat noſtrum, & pro gloriâ Dei, vnâ horâ aliquando non poſſumus vigilare & orare benè cùm Chriſto. Spernamus vilia & exigua, vt accipiamus immenſa. Non eſt tanti accipere parua quàm expectare maxima. O amator & deſiderator Dei, deſidera & anhela ad tantum bonum. Sed ne quietem tuam & commodum tam reſpicias, quàm quòd ibi ſecurè amabis Deum; & quò plus gloriæ habebis, plus diliges. Gratias ago tibi Deus veritatis, quòd præmium laborum noſtrorum copulaſti cum amore tui & voto voluntatis meæ, quod eſt amor tuus.

Capvt VII.

De mortis tolerantiâ.

QVantum vincit beneficentia tua, Domine, ſpem & opinionem humanam, cùm ea ipſa quæ putant homines ſummum malum & pœnam naturæ, ſint fidelibus ingens beneficium? Horribile malum putant mori, quod eſt magnum bonum, ſine quo veniemus ad omne bonum. Stultè refugis, ô mortalis, mortem, quam vitare nequis; & non times torporem & culpas tuas, quas vitare potes. Nam nihil mali mors habet, niſi quod dedit vita: peccatum Adami fecit mortem nec tantum potuit vt eam faceret malam: hoc damnum dumtaxat eſt peccati tui. Fuge peccata, & negligentias; & deſiderabile erit mori.

Mortem animæ, cùm mala ſit, & vitari poſſit, non timent, nec curant homines vitare; mortem carnis, cùm non ſit mala, & vitari nequear, curant effugere mortales, quam debent deſiderare, nec huic inimico mundo hærere. O inſania hominum; qui in præceptum Chriſti de inimicis diligendis colludunt, non alium amando niſi mundum qui nos odit, & inimicus eſt. Cur amamus vitam iſtam currentem, quæ fugit nos, & non amamus vitam permanentem quæ expectat nos? Cur ſolicitamur vitâ temporali, quam retinere nequimus; & negligimus vitam æternam, quam obtinere valemus? Vitam æternam ſi volumus habere, poſſumus; vitam temporalem etiamſi nolimus amittemus: & tamen non faciunt vtiliter homines pro vitâ æternâ, quod inutiliter pro temporali

porali laborant: illam non deſiderant, & huius mortem formidant, quaſi malam.

Magnum inuentum etiam miſericordiæ Dei eſt mors: nam aufert omnes noſtræ vitæ ærumnas; tollit æternitatem miſeriarum. Quàm miſerabile eſſet, ſi æternùm has neceſſitates haberemus ſurgendi quotidie, accumbendi, manducandi, tolerandi frigus & calorem, laborandi, ægrotandi, quærendi victum, angendi nos curis, patiendi iniurias, occupandi nos ſemper in muniis vilibus & laborioſis; Quàm miſerum eſſet, ſi hic baiulus, alter agricola, ille faber, iſte ſubditus per totam æternitatem foret? Plerique peſſime deſiderarunt, & conſciuerunt ſibi mortem, vt fugerent miſerias iſtas: ſaltem non formidetur, vt veniamus ad felicitatem futuram, & ob vtrumque non moleſtè feratur. Clementiſſima indulgentia Dei poſtquam vidit per peccatum Adami caſuros nos in hanc moleſtiam vitam, excogitauit pro bono noſtro conſilium moriendi, ne perpetuæ calamitates forent, copulans in eàdem re ſupplicium & beneficium, iuſtitiam & miſericordiam. Ideò quia tantum bonum eſt mori, proprium & ſecurum beneficium bonitatis ſuæ, voluit eſſe indepedenter ab vllo arbitrio humano aut inimici odio. Nam quamuis vitam quiuis poſſit tibi auferre, nemo, nec omnis violentia Regum auferet tibi mortem. Hoc proprium eſt rerum optimarum, eſſe extra humanam potentiam, nec alieno arbitrio poſſe eripi. Si in vno periculo & labore quis eſſet, gauderet, ſi inueniret modum euadendi illum: cur dolemus & timemus mortem, quæ ianua eſt, qua effugimus omnia pericula & labores vitæ. Pro gloriâ mundanâ plures appetierunt mortem; pro gloriâ cæleſti ne timeamus.

O Deus immortalis, qui natus es non ad viuendum; nam vita æterna eras, vt modò es; ſed ad moriendum mortem mortaliſſimam & acerbiſſimam pro me: cur ego mortalis ægrè moriar ad viuendum vitam vitalem æternam & iucundiſſimam tecum, & pro voluntate tuâ? Neſcio cùm deſiderare debeat Chriſtianus Iesvm; cur mortem non deſideret, cùm niſi per mortem frui Deo nequeat? Quid mali poteſt afferre mors, aut quid tollere poteſt ab eo qui mundum non amat, & omnia ſua in cælo habet poſita? Tum præter gaudium ex conſpectu amati habet mors hoc bonum, quòd non ampliùs offendemus Deum. Non igitur mala eſt mors, quæ tollit malitiam omnem.

Ac ſi mala eſt mors, & inimica humano generi; cur non tractant homines vt malam, & inimicam? Vtinam hoc modo nos haberemus cum illâ, & ageremus, vt cum hoſte, prouidendo ne à nobis obtineat ſpolia, & triumphet de rebus noſtris! milites annonam, & commeatum, aliò comportant, vel corrumpunt, ne illis fruantur hoſtes. Nullam prædam morti debemus relinquere; ſed quidquid huiuſmodi eſt quod illa eripere poſſit, relinquendum omnino eſt, aut præmittendum in cælum, vbi ſecura omnia erunt. Nulla ſpolia ſeruanda ſunt quibus glorietur, niſi de hac ſarcinulâ carnis; quam tamen extenuemus ieiuniis, laboribus, & pœnitentiis, ne integram rapiat. Si mala eſt mors & aduerſaria, reſiſtamus illi, & opponamus clypeum relinquendo res & affectus, vt minùs nos vulneret: ſi mala mors eſt curemus facere bonam faciendo bona. Cur magis timebimus mortem, quàm noſmetipſos, cùm illa non poſſit eſſe peior quàm nos mali ſimus? Imò illam nos facimus malam, quia non ſumus boni. Faciamus nunc, cùm adeſt tempus, & poſſumus, quod in eius horâ volemus feciſſe, & non poterimus. Parum reſtat in quo laboremus; & comparatione æternitatis, nec inſtans. Ecce iam tot vitæ anni ſunt præteriti; & qui reſtant, non ſunt longiores.

Verùm mors non eſt mala in ſe ſed potiùs bona: & nos eſſemus optimi, ſi illam imitaremur; & faceremus quod illa facit, ſpoliando nos rebus omnibus: ita ſi nihil gratum & iucundum in mundo haberemus, ipſa eſſet iucunda nobis & placida. Solùm poteſt timere mortem, qui amat alia & non Chriſtum. Non eſt ſeruus fidelis, qui recuſat ire ad præſentiam Domini. Si te amarem Domine, non timerem mori: nam gauderem facie ad faciem te videre & amplecti, & quòd in me adimpleta eſſet voluntas tua, alioqui mentior, cùm quotidie poſtulo fieri voluntatem tuam ſicut in cælo & in terrâ. Voluntas tua fuit mori, non vt immortales eſſemus in hac vitâ, ſed vt benè moreremur viuendo meliùs. Da mihi, vt ſicut ádimplenda eſt voluntas tua, quamuis ego nolim in morte meâ, vt ego velim & impleam in morte bonâ per meliorem vitam.

Gratias tibi ago, benigniſſime Domine, pro hoc mortis beneficio, ſicut tua ſapientia diſpoſuit: gratias tibi ago, quòd moriturus ſim; & quòd neſciam, quando, & vbi & quomodo moriturus ſim. Bonum mihi & ſolatium eſt certitudo mortis, quòd ſit ſecura ianua, vt te videam, & effugiam huius vitæ miſerias, & deſpiciam fallacia hæc bona. Quis ſi ſapiat, etiamſi certus eſſet numquam ſe experturum triſtitiam aliquam, ſed feliciſſimum in cunctis futurum in hac vitâ, non contemneret illam, & omnia eius bona, cum videat deſerenda ſibi cuncta in morte ſuâ certiſſimâ? in cuius momento omnia præterita gaudia, omnia præſentia bona, iam dimittenda, tantundem ſunt ac ſi fuiſſent nihil; imò minùs iuuant, nam torquebunt relinquenda. Solum quod homo non amat nec poſſidet, non affliget illum in illa afflictionis horâ. Incertitudo quoque modi, loci, & temporis moriendi, grata mihi eſt, vt certiùs tibi, ô Deus, ſeruiam omni tempore, loco ac modis omnibus, vt dignus es. Hoc diuinum eſt conſilium, certam ſolicitudinem melioris vitæ generare in nobis ex incertâ conditione mortis.

Verè ſcio, Domine, neſcire me, vtrùm odio an amore dignus ſim, & qualiter poſt hanc vitam excipiar; nec volo ſcire, quia id mihi expedit ignorare iuxta beneplacitum tuæ ſapientiæ. Sed non propterea magis formidabo mortem, quàm deſiderabo te, atque in te ſperabo. Libentiſſimè fero omnia incerta eſſe mihi, quia certiſſimum eſt, quòd ſufficit mihi te eſſe miſericordiſſimum & amatorem meum, & velle & poſſe ſaluare me, ſi humiliter in te confidam. Quid intereſt, quòd ignorem, quomodo, & quando, & vbi moriar ego, ſi certus ſum te pro me iam mortuum eſſe, & morte crucis, & ſub meridiem & inter duos latrones in monte

Caluariæ,

Digitized by Google

Caluariæ, ne mihi vllo modo dubius eſſet amor tuus, vt in te ſperarem? Ex me, Domine, nihil poſſum, nec benè viuere, nec benè mori; ex te vtrumque poſſum, vtrumque ſpero, vtrumque habebo: & ſi benè non vixi, ex te Domine habui velle benè pœnitere, & ſpero à te vt meliùs viuam; cur non ſperabo benè mori? Non eſt integra ſpes, nec ſufficiens fiducia, ſi vnum à te ſpero, & aliud deſperem. Maximus peccator fui, & ſum. Sed fortaſſe non eſt licitum tibi facere de tuâ creaturâ quidquid velis? Vis Domine ſaluare me, vis miſereri.

Capvt VIII.

Se debet homo tradere Deo pro beneficijs ſuis.

NOn eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundùm opera tua. Sufficiebat tua bonitas, vt te amarem: quid me vrges operibus, & beneficiis? Tu creaſti me, quando non eram: tu quæſiſti, quando perij: inueni, cùm perditus fui: redemiſti, cùm in peccatis maledictus fui: ſaluaſti, cùm damnatus fui; ſuſtinuiſti, cùm obſtinatus contra te fui: corripis, cùm delinquo: indulges, cùm reus ſum: doces, cùm erro: paſcis, cùm eſurio: potas, cùm ſitio: foues, cùm frigeo: refrigeras, cùm caleo: ſaluas, cùm vigilo: conſeruas, cùm dormio: leuas, cùm ſurgo: reparas, cùm cado: ſuſtines, cùm ſedeo: tenes, cùm ſto: vehis, cùm ambulo: excipis, cùm ad te venio: reducis, cùm à te recedo: reuocas, cùm deuio: vndique inundant me & exundant extra me beneficia tua. Id ipſum, quod non habeo, beneficium meum puto, quia tu Domine donas, prout cuique expedit, & negas vt proſit. Ipſum quoque quod aliis dediſti, beneficium meum iudico. Tot beneficiis me conſtringis, vt nequeam non te amare, ô bonitatis fons, etiamſi non bonus eſſes, imò etſi malus eſſes. Quamuis tu Domine tam bonus es, vt licet pro beneficiis, quæ in me contuliſti, feciſſes iniurias, non poſſem non te amare. Non eſt opus, vt te amem, benefeciſſe mihi, non eſt opus me amaſſe: tam bonus es, vt etiam ſi me odiſſes, te amarem & deberem amare plus quàm omnes amatores meos & benefactores, etiam ſi tu mihi malefeciſſes.

Cur opus fuit, quem eruiſti è nihilo vno beneficio, obruere innumeris? A me nihil amplius deſideras, quàm me ſolum. Iam totum me tibi debeo primo beneficio, quia totum me dediſti mihi: vt quid tot alia ſuperaddis? vt quid, poſtquam me dediſti mihi, inſuper donas mihi temetipſum? Non paruum debitum tui ſum ego ipſe, & tota ſubſtantia mea: nec aliud habeo vltra me; hoc quod habeo, libentiſſimè reddo, me ipſum. Sed quare cumulare vis debitum, quod ſoluere non poſſum, donans temetipſum? O ſpiritus infirme, euge euge, ſoluere etiam hoc debitum cura. Deo potes reddere Deum, ſi habeas Deum. Te quærit Deus, & omnia quæ legitimè habes; nec potes legitimè habere aliquid niſi Deum. Habe Deum, & habebis te legitimè, Vt ſoluas vtrumque beneficium. Se dedit tibi Deus; nam Deo non te potes dare, niſi ſis tuus: tuus verò non eris, niſi Deus ſit tuus; nam habendo Deum, te habes: ita cùm te das Deo, Deum quoque, qui tuus eſt, dare quoque potes. Sed neque te neque Deum habebis, niſi ames Deum: nam amore Dei illum poſſides, & illum alienas, non reddendo debitum quo te debes Deo. Dedit ſe Chriſtus, vt coneris fieri Chriſtus, ſi velis ſoluere debita tua, te dando. Nam ſimul tunc dabis Chriſtum, millis quotidie crucifixum, dum mortuus ſis mundo, & omnibus voluptatibus eius.

Capvt IX.

Quòd Deus dumtaxat ſit amandus.

INiuſtus tibi es, ô miſer homo, ſi ames bona, quæ non poſſunt te amare, aut homines, qui poſſunt non amare; & quamuis ament, tu potes id dubitare, aut illi deſinere amare. melius eſt amare Deum, qui quantum potuit amat, & infinitè amat, & qui nequit non te amare ſi ames. O immenſa Bonitas, quid eſt quòd me ames, cùm me odiſſe deberent omnes creaturæ? quid eſt quòd amari cupias à me, inter amatores tuos me ſeligens? qui indignus ſum adhuc, vt ſim inter dæmones, quorum ſeruus fui factus; & ſingularis & atrocior infernus mihi debetur, quia ſingulariter & inuerecundiùs te contempſi, qui pro me mortuus es, non pro Angelis.

Ius eſt, vt aliquando incipiam amare eum, qui ab initio ſine initio me amat, & in finem ſine fine me amat, & ab æterno expectat vt amem. Amaui aliquos, qui me non amabant: iam amabo illum, qui antequam eum nouiſſem, me amauit; qui amatus numquam non amauit, & amando cogit ſe amari: quem amare virtus ſumma eſt; à quo amari felicitas. Quid hæſitas, ô anima, amare eum qui neceſſariò te amat fideliter, vt ames eum qui perfidè forſitan te amabit? Infeliciter amabis bona, quæ ſi amet alius, iraſceris; aut homines, qui ſi ament alium, combureris. Amor Dei immunis eſt dolore & curis: qui quòd amet alios, gaudebis; & quòd eum ament omnes, optabis. Hæc Dei ſufficientiſſima bonitas eſt, vt amet omnes, & ametur ab omnibus cum nullius iacturâ, vel amantis vel amati, ſed cum omnium maiori gaudio. Reliqua imbecilla & mendica ſunt, quæ non ſufficiunt amare duos, vel amari à duobus, ſine alterius fraude,

Ne ames ea quæ aliquando pereunt: nam quotidie millies peribis. Ama bonum æternum, vt in æternum beatè viuas, & interim benè viuas. Aufer amorem corruptibilium rerum, & auferes totam miſeriam humanam. Qui amando quæris benè eſſe; cur amas ea, quæ hoc ipſo quòd ames, miſer eris? ama illum, qui etiam inter has miſerias vitæ felicem te faciet. Vt quid amas bona, quæ te faciunt malum fruendo, & optando miſerum? Vt quid amas homines, qui non te amando faciunt te iratum, & amando ridiculum & mollem? ama Deum, quem optando te facit bonum, & fruendo beatum. Ne ames formas, quæ te deforment; ſed

ama eum, quem amando te faciet formoſum. Stultum eſt amare bona, quibus hoc ipſo quòd amas, dignus es illis carere, imò cares; & non amare bonum, quo hoc ipſo quòd amas frueris. Bona amata non ſunt tua, ſed tu illorum; quare cares illis. Deus amatus tuus eſt, quem amando carere eo nequis; & ſolùm cares, cùm non amas: cetera cùm non amas, in Deo habes.

Cur amas bonum, quod indiget bono, & non quod affluit bonis? Quando amatur bonum, quod aliquo bono eget, miſeria augetur, non minuitur indigentia. Omnia bona mundi egena ſunt: nullum per ſe ſufficit, & requirit aliud. Ama bonum quod alio bono non indiget. Omnia ſunt bonitate bona, quare omnia bonitate indigent, vt ſint bona. Bonitas per ſe ſufficit, & nullius eget: hanc ſi ames, bonus & beatus eris. Solùm ama eum, qui ſolus eſt omnia. Minime ames bona, quæ nolunt à te amari: ſed ama, quem omnia volunt amare, Creatorem tuum; qui & à te vult amari, & te amat, & creauit tibi omnia bona. Abſurda ſtoliditas eſt non amare Deum, qui à te deſiderat amari, & quòd ames lutum, quod non vult à te amari. Cur oculis pulchrius, & palato iucundius quæris, & non voluntati melius?

Ad normam ſolùm Dei factus eſt amor: ideò nulli alij rei coaptatur, nec quieſcit. Calceus Goliath minimè adæquaretur pedi Zachæi. Amor eſt primum donum: cui niſi primo bono debetur & primo benefactori? Amor eſt donum per ſe, cui niſi bono per ſe dandum? Amor eſt donum naturâ ſuâ, cui niſi bono naturâ ſuâ offerendum? Amor eſt donum principium reliquorum donorum, cui magis donandum, niſi illi Bonitati eſſentiæ quæ principium eſſentiarum eſt? Amor per ſe eſt acceptabilis ſine aliis donis, & reliqua dona ſine amore diſplicent; cui conformior quam Deo, qui per ſe eſt amabilis & placens, & ſine illo nulla debent placere? O Domine, quomodo poſſum te dignè amare, cùm nec dignè poſſim ſeruire tibi, qui non habeo vnde tibi ſeruiam? Tua ſunt omnia; quia tu donaſti mihi cuncta, potiùs ſeruiendo mihi. Da, qui me amas quantum potuiſti, vt te amem pluſquam poſſum.

Capvt X.

Extirpandum eſſe amorem ſui.

VT ames & honores Deum vt decet, non ſatis eſt non amare te, & mundum; ſed oportet te odiſſe, & viliſſimum putare ſuper omnia, & dignum odio omnium creaturarum. Vergente naui in vnum latus, in contrarium tranſeuntes nautæ inclinant. Nimiùm te amaſti, opus eſt nunc te odiſſe. Vt maiori impetu proſilias antrorſum, oportet retrocedas, & curſum ex diſtantiori arripias. Vt Deo vehementiùs appropinques amando, imò vt te ames verè & rationabiliter, à faſtidio tui impetum collige. Tantò eſt curſor proximior metæ, quantò diſtat à primâ lineâ: eò vicinior Deo fies, quò à te remotior. A te debes exire, vt ad Deum finem omnium venias. Nullum magis aduerſarium, quàm te habes: pluſquam capitales inimicitias tecum debes gerere, quia pluſquam capitalis hoſtis tibi es: enormiùs te offendis, quàm nemo alius. Ab amico lædi acerbiùs ferimus, quàm ab extraneo, quia præterquam ſperabatur contingit: turpius & odioſius erit à te lædi, qui nullo modo læſiſſe debueras. Moleſtè ferimus lædi corpus ab hoſte, moleſtiùs ab amico, à quo ſalutem expectabamus: cur patienter ſuſtinemus lædi à nobis animam? Corpus noſtrum tradi ſummo Principi ægrè haberemus; & mentem tradi cuiuis homini vulgari & vili ſtercori non pudet, cùm perturbamur ob quodlibet conuitium, & iniuriam, aut iacturam. O quantus pudor & moleſtia nobiſipſis ſumus! Pudor & erubeſcentia eſt facientium mala, moleſtia & onus patientium: vtraque miſeria conditio noſtra eſt: nobis facimus mala, & à nobis patimur: miſeri nobis ſumus, & immiſericordes; violenti, & violati; ſuperbi, & viles. O quàm truces & immiſericordes ſumus, cùm noſtri miſeremur, & non iraſcimur! Perinde eſt miſericordia & amor proprius, ac compaſſio quâ quis colubrum gelu rigentem in ſinu foueret, qui refocillatus peſtifero morſu occidet benefactorem.

Euidentiſſimum eſt, plus debere te iratum tibi & peroſum eſſe, quàm cunctis hoſtibus tuis: & quantum ad affectum erga te, quò minùs reſpicis gloriam Dei, impediris quærere ſolùm voluntatem eius & honorem, iuſtiùs quàm in hoſtem & totum infernum debes in te ſæuire ſine modo, quamuis in effectu, & macerationibus externis, prudens moderatio requiratur, iuxta ſuperiores tuos & confeſſarios, & rectam rationem; vt in hoc etiam quæras gloriam Dei, propter quam expedit etiam tibi parcere in cruciatibus aliquibus immodicis; ſicuti propter gloriam Dei & noſtram ſalutem cogimur ignoſcere aliis inimicis, & conſulere illis: Nam quod Deus à nobis in primis exigit, & in quo vindictam præcipuam debemus ſumere, eſt mors voluntatis propriæ, non corporis. Iuxta hæc euidentiſſimum dico eſſe, plus oportere te iraſci tibi, quàm cunctis hoſtibus & malefactoribus tuis. Excogita hominem, cui plures æmuli capitali odio inſidiabantur, traditum eſſe in munitam & tutam arcem, vt ſeruaretur & defenderetur à cognato vnico amico ſuo, ſtrictiſſimâ neceſſitudine & omnibus vinculis & obligationibus coniuncto, qui ſolus fidus credebatur & debebat eſſe; nec aliud aſylum reſtare homini illi, nec ſpem nec fidem alibi eſſe: in cuius amici poteſtate fuit poſitum, vt nullo modo poſſet illum aliquis inimicus lædere, nec capillum eius contingere, niſi ipſe inimicum introduceret illuc, & claues arcis traderet, dato ſuo conſenſu manus ſuæ litteris ſubſcripto. Si iſte qui debebat fidelis & amicus eſſe, perfidus inueniretur, vt omnibus aduerſariis reſeraret ianuam, & introduceret, vt læderent hominem illum, contemnerent, omnem in eum ſæuitiam exercerent prout libitum eſſet; & prætereà ipſe quoque, qui debebat defendere, pernicioſiùs ſæuiret, oſtendens præ omnibus illum; imò ſi aliquis benefacere vellet, impediret, vt nullum bonum nec munus ſanum ad illum accederet, ſed ſi aliquod veniret

ipſe

ipſe corrumperet, aut venenum aut abſinthium miſcens: cui igitur infenſior eſſet homo iſte miſerrimus? an alicui hoſtium, an illi amico conſanguineo, perfidiſſimo, qui ſolus ceteris cunctis inimicis æquiualebat? quippe nihil vniuerſi valebant ſine illo. Quàm incredibilis infidelitas, crudelitas, inhumanitas eius hoſpitis eſſet! omnium odium in illum conuerteretur, quòd plus cunctis noceret. O beneficentiſſima Veritas! quæ incolumitatem meam meæ ſolùm confidentiæ commendaſti, vt qui charior mihi debebam eſſe; ſed ſum atrociſſimus contra me. Dæmones, homines, infernus, mundus, aduerſus me ſunt; ſed omnes manent inermes, niſi ego arma miniſtrem: omnes innocentes erunt, niſi ego mihi noceam. In meo arbitrio eſt meum damnum: nec vllus me verè lædet, niſi ex licentiâ meâ, niſi voluntas mea ſit, niſi poſtquam ego me prodiderim. Ego vnus fabrico mihi omnium iniurias omnes, quas immeritò imputo aliis: ego reſiſto beneficentiæ Dei, impedio effectum donorum ſuorum, inficio gratias, corrumpo virtutes ipſas abutens omnibus; quomodo mihi adulabor moleſtiſſimo, quomodo mulcebo & fauebo nocentiſſimo? Non eſt ſufficiens odium iniuriis mihi illatis à memet. Quoties mihi impoſui? quot culpas contraxi? cælo me fraudaui, gratiam neglexi: & ne numerem ſpiritualia damna, quæ ſunt ſine numero & modo; quot triſtitias cordis, quot afflictiones mentis, quot infortunia rerum, quot iacturas temporalium, quot morbos corporis, quot contemptiones, quot conuitia, quot irriſiones conciliaui mihi, per inordinationem paſſionum mearum, paruam circumſpectionem, & guſtum appetitus! Si vnus ex iuſta causâ me contriſtet, offendor; cur aduerſus me non iraſcor, cùm me iniuſtiſſimè paſſim lædam? Si ſemel deprehendiſſes, ô homo mendax, aliquem mentiri, numquam fideres; & à te deceptus & læſus toties, adhuc tibi confidis, nec te habes in omnibus ſuſpectum.

Verùm quid recenſeo iniurias meas? Sufficit, vt me horream, & mea omnia ſanctè oderim, quæ impedimento fuere vt expeditè amarem Deum. O Veritas ſanctiſſima, & fidelis, quia in me ipſum ſceleſtus & infidus fui, deberem me abominari, & non quærere me; quantò magis, quia ſceleſtiſſimus & perfidus fui tibi? Propter memet oportebat me odiſſe; quantò magis, Domine, propter te? Quia non me iuſtè amaui, decebat me horrere; quantò magis, quia nullo modo amaui te, qui ſolus debes amari. Non amaui te, quia nec me amare noui: imò non me amaui, quia non amaui, quod ego eram reuerà, ſed aliud minus. Non amaui animam, quod præcipuè ſum; ſed ſolùm corpus, quaſi ſolùm & omnino corpus eſſem, quod non ſum: nam habeo etiam animam, pro quâ poſuit ſuam Filius Dei. Vt amarem partem meam, non amaui me totum; & quod plus doleo, non amaui id quod mihi eſt totum, Deum Saluatorem meum.

Si zelum Dei habes, perfide homo, non poteris non habere odium tui. Do vt parcas tibi in iis quibus tibi nocuiſti, & in te peccaſti; ſatis reſtat cauſa odij proprij, non amaſſe Deum & in eum peccaſſe. Iraſceris cùm audis malignitatem Caiphæ, & proditionem Iudæ, & ad ipſum ſolum nomen excandeſcis: cur in te blandus eris? Dic, ô ſpiritus ſuperbe, ſi particulam veræ humilitatis habes, hoc eſt veritatis, nónne te iudicas primum & maximum peccatorem omnium? imò nihil facies, cùm ſanctus Paulus id de ſe putauit: quare & peruerſiſſimum omnium creaturarum te debes putare, & adhuc ſuperbè tibi locum aſſignas. Nihilominùs nunc rogo, ſi peſſimam creaturam te putas, ergo peiorem quàm Iudam & Caipham, & quemuis alium: ſi igitur peiorem te iudicas, conſequenter age, ne ridearis ab Angelis; & vt in peiorem, amore aut odio & zelo in te animaduerte. Vide nunc, ſic peccatum Iudæ, aut peccata Antichriſti me entur amorem. Si Deus tuæ diſpoſitioni commiſiſſet ſupplicium eius qui alapam impegit IESV, aut primùm qui ſpuit in faciem illam, quam deſiderant Angeli videre, aut maledicti Arij & Neſtorij, aut peruerſiſſimi Antichriſti, aut mendaciſſimi Luciferi, vt punires peccata horum prout iuſtè tibi videretur; quomodo te haberes erga illos? an fortaſſe illo mulceres, & adulateris, & curares in omnibus delectare? an potiùs curares oſtendere in conſpectu omnium creaturarum, quantum apud te valeret gloria & honor Dei violatus? Non minùs ſeuero animo debes ardere contra te: nam peiorem te debes putare, ſi non eſt ficta æſtimatio tuæ vilitatis; nec te, nec Deum vis fallere. Seueriùs & fructioſius apud te in te ipſum oporteret moueri, quàm erga peruerſiorem dæmonem. Dæmon vnum peccatum fecit cogitationis, ob quod damnatus fuit: tu innumera etiam operis. Ille peccauit in Deum, cui minùs obligatus erat: nec enim Angelus fuit factus Deus, nec tormenta pro Angelis eſt paſſus; nec illis aliquando pepercit, quemadmodum pro te homo factus Sanguinem ſuum effudit; & plusquam ſeptuagies ſepties pepercit tibi, & parcet. Attende nunc; eſſétne laudabile familiaritatem contrahere cum magno illo principe dæmoniorum, & eius honorem aut voluntatem curare; cur tecum amicitiam nimiam habes, & tuum honorem deſideras, quietem ſolicitas voluptates & voluntates tuas facis? Iterùm rogo, ſi illum ſpiritum malignum, qui ſæpiùs te decepit, tentauit, & induxit in peccata, & à ſalutis viâ te amouit, traderet Deus in tuam poteſtatem, & deinde alium, qui minùs tibi nocuit; & iuberet Deus vt vtrumque punires iuxta damna, quæ tibi fecerunt, in quem atrociùs ſæuires? in eum qui tibi plus nocuit, ánne in iſtum benignus eſſes? At quomodo tibi pacificus es, qui tibi inſolentior es, & magis noxius, non dico illo ſpiritu infenſiori, ſed vtroque, cùm neuter te lædere poſſet, niſi tu velles, & conſenſu tuo? Sæpiùs ſeduxiſti & læſiſti te, ſæpiùs tentaſti, & ſcandalum tibi paraſti: nunc neſcio quomodo te benignè aſpicies, qui te debes aſpicere peiorem, & nocentiorem tibi, quàm Caipham, Arium, Antichriſtum, Luciferum. O anima, per IESVM obteſtor, vt conſideres hæc, ſi ita ſint; ſi verum ſit, quòd te plus lædas, quàm Lucifer maledictus lædere potuit: & ne te ames inordinatè, ſi habes zelum honoris diuini & exaltandi gloriam Dei: quantum enim per priuatum amorem

rem te erigis & curas, tantò Deus, quod gratiam & virtutes, in te minuitur, & humiliatur: at quantum per odium humile tui te aſpernaris, tantò Deus in te augmentatur, & exaltatur. Quis maior inimicus tibi quàm tu, qui in te non permittit exaltari Deum?

At ſi te, ô homo nequam, non oderis pluſquam alios inimicos, te ſaltem ante oculos habe, tanquam aliquem inimicum, & pariter inuideas; nec in illâ tui proſperitate, & delectatione corporali gaudeas. Cùm illi, quem odiſti, aduerſi quid accidit, gaudes; ita tecum debes affici: cùm inimicus contemnitur, & ridetur, lætaris; ſic cùm tu irrideris, & deſpiceris. Inimicum non mulcebis, non inuitabis ad delicias; pariter nec te. Inimicum ſemper velles affligere, inſidiaris ſemper, captas occaſionem vindictæ: ſic tecum age, ſi in te odium armas; hoc enim odiſſe eſt. Si hæc non feceris, ſeduceris, putans te amore tui non ægrotare. Vbi non interuenit beneplacitum Dei, affectum omnem erga te oportet trucidare viriliter pro gloriâ diuinâ. Pro eâdem tamen, in effectu aſperitatum exteriorum, oportet ſubiectum eſſe alicui prudenti viro & zelatori maioris gloriæ Dei; vt ſic quoque ſacrifices voluntatem & iudicium proprium.

Non tamen exiſtimes, vitam ſe abnegantis, faſtidientis, & perſequentis, intolerabilem & tetricam eſſe: imò lætior erit. Plus hilaris amor Dei eſt, quàm proprius. Satis lucri eſt in odio tui, Amor Dei. Præſtat quòd Deus ardentiſſimè te amet, quàm quòd tu ipſe te ames. Vtilior tibi Deus poteſt eſſe; & geſtit exhibere gaudia, ad experimentum ſuæ iucunditatis potentiſſimæ ad beatificandum, in ipſis moleſtiis vitæ & iniuriis hominum conſolans, & delectans, probationem ſuæ dulcedinis exhibens. Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Memento admirandi, ſed veriſſimi dicti: Omne gaudium exiſtimate, cùm in varias tentationes incideritis. Potuit Deus pueros Babylonici fornacis ipſis flammis recreare, & ex igni refrigerium præbere: potens eſt & in aduerſitatibus non contriſtare. Prætereà ſi de malis eorum, quo, oderimus, lætamur; de iis, quæ tibi grauia contingent, gaudebis: cumque plura aduerſa eueniant quàm commoda, ſæpiùs lætari neceſſe eſt, quàm cùm te amabas. Incommoda ſunt præſtò & obuia; commoda rara & extra vſum: quare neceſſariò ſæpiùs gaudebit, qui de aduerſis ſuis gaudet; quia neceſſe eſt ſemper aliquid pati in hac vitâ. Non ſunt ita ſub caſu mala, vt ſunt bona. Fruitio bonorum dicitur fortuna, quia fortuitò & rarò eueniant: non ita malorum frequentia; quare minori interruptione gaudebit, qui ſedes lætitiæ mutauit. O quantum gaudium eſt, eſſe exoneratum ſe ipſo, & exemptum importunâ & moleſtâ curâ ſui! Credo, eum qui ſe depoſuit, reliquit, euaſiſſe huius vitæ miſerias & angores.

Neque leuis fructus ſerij & ſinceri odij proprij, eſt amare alios. Vide quàm inſolens & quàm potens hoſtis ſit, amor ſui: tam robuſtus eſt tyrannus, vt æquiualeat & occupet locum charitatis erga omne genus humanum, & Deum ipſum, quorum dilectiones vnus amor proprius ſæpè deuorat & conſumit. Qui ſe nimiùm diligit, nec Deum nec alios nouit diligere: qui ſe verè odit, etiam affligentes ſe ipſum amabit; gaudebit, ſi oppreſſione alicuius moleſtetur, conſiderans illud in ſe deprimi & pati, quod ſibi præcipuè obſtat & aduerſatur, & à ſe meritò odio haberi & moleſtari debet: cumque nemo ægrè habeat, ſi aliquis inſectetur ſecum pariter & affligat hoſtem capitalem ſuum, potiùs adiutori gratiam habet; ſic qui ſe odit, eum qui ipſum perſequitur & adiuuat, amabit potiùs.

Non leuis quoque fructus odij ſui eſt non amare peccata: omnia procedunt ab amore proprio, qui eſt metropolis omnium cupiditatum & vitiorum, à quo cetera deducuntur. Irâ non peccabit, qui gaudet læſus; nec ſuperbiâ, qui cupit contemni; nec impatientiâ, qui omni ſupplicio ſe dignum putat. Non leuis fructus eſt, tollere omne impedimentum vt ames Deum; non leuis vtilitas, ſubdere te tibi, & eſſe verè & pacificè dominum tui. Denique ſi vis ſcire, quàm vtilius ſit odiſſe ſe, opus eſt vt cognoſcas quantum diſtet gratia à peccato & virtus à vitio: tantò fructuoſius eſt odiſſe ſe ex virtute, quàm ſe amare ex vitio. Si homines oderunt cum pernicie propriâ eos qui nocuerunt ſibi, minùs quàm tu te læſiſti; tu cum virtute, laude, & præmio, te habeas odio, qui plus omnibus tibi nocuiſti.

CAPVT XI.

Quâ ratione diligendi ſint proximi.

O Veritas amabilis, da mihi vt amem te ſuper omnia, & omnes propter te: da te amicis meis, & omnibus iis quibus benè volo, non diuitias, & bona falſa atque indigna amore: Diſce ſpiritus infirme ſine iniuriâ amare. Sæpè dilectionis modus adæquatur odio aut contumeliæ. Magnam irrogabis iniuriam amico, quem amas, ſi opes illi diuitias tamquam verum bonum: excellentiùs enim, quàm ipſum, illas diliges: nam eas amas vt ſufficientiam, illum vt egentem; quare libentiùs carebis illo, quàm iſtis. Hinc fortuna, arbitra amicitiarum; & mutatio eius, eſt mors amoris, & natiuitas perfidiæ. Hinc æquale periculum ſinceræ fidei, ſiue ames amicum propter diuitias, aut diuitias amico, Sicut veræ amicitiæ ſimilis eſt ratio, cùm amas omnes propter Deum, & cùm Deum ſolum illis amas, quia Deum ſolum diligis. Nihil aliud quàm Deum deſiderares omnibus, ſi propter nullam aliam rem amares. Hoc examen tui amoris erit, an vera charitas ſit. Qualia vota, talia beneficia. Non poteſt alteri amare diuitias, qui non amet etiam diuitias. Sit Deus beneficium commune à te donandum omnibus: quem ſi dederis, ſatis diuites relinques. Et plus cures beneficia quibus omnes ames, quàm quibus amaberis ab omnibus: nam qui omnes verè amat vt oportet, ſaluabitur; ſed non propterea erit ſaluus, quòd ab omnibus ametur.

Nullâ mercede vendendus & vilipendendus eſt amor: gratis ſemper prodigatur. Deum vendit, qui charitatem impendit alicui, niſi

propter

Digitized by Google

propter ipſam : nam Deus charitas eſt. Nulli obiicias beneficia tua : ſed quemamodum putas Dei munus eſſe quidquid boni tibi fit ab aliis, & Deo totam gratiam refers; ita beneficium Dei æſtima, non tuum, quidquid aliis exhibueris : imò reputa maius beneficium tibi factum à Deo, quòd te elegerit, vt inſtrumentum & vicarium ſuum ad benefaciendũ. Amorem ab aliis non concilies de temporalibus, ſed in ſpiritu : nã quod diffunditur per temporalia, & non per Spiritum ſanctum, cupiditas eſt, non charitas; non amor hominis, ſed auaritia rerum. Simili modo benefac aliis, vt vis quòd Deus benefaciat tibi. Omnia eadem lege fac cum aliis, ac Deus tecum. Concede, ô Amor amorum, vt omnes amem, ſicut tu amaſti me, & amaſti illos : concede vt omnes amem propter te, & nullus me amet propter me. Mallem, ſi fieri ſine peccato poſſet, vt omnes me odiſſent, quàm quòd me amarent, ſi propter me amarent : nam ſi omnes odiſſent, haberem quod eſt meum; ſi propter me amarent, vſurparem quod eſt tuum. Impurus eſt omnis amor, qui non ſit propter Deum. Solùm amor Dei ſincerus eſt & defæcatus, cùm non permiſceat, nec compatiatur ſecum mixtionem contrarij affectus. Ceteri amores, aut inuidiæ aut iræ aut odij cauſæ ſolent eſſe, vel aduerſus ipſum amatum, vel aduerſus alios. Amor Dei conſtans, & æternus eſt; ceteri fugaces & alati. Dictum igitur erit, vt amet propter te Deus mi, & non propter me.

CAPVT XII.

Nihil deſiderandum eſſe niſi quod Deus vult.

QVid eſt magis conſentaneum, vt te diuinæ voluntati ſubiicias conformando, aut quòd diuina voluntas tuæ ſeruiendo conformetur tibi? An fortè præſumes de te, quòd velis meliora, quàm Deus, vel ſcias ſalubrióra? Memento quoties tibi mala placuerunt, quoties damna tibi paraſti; & econtrà quàm magnum experimentum bonæ voluntatis exhibitum ſit à Deo. An fortaſſe mala voluntas fuit incarnari pro te? an mala voluntas fuit manere in Sacramento tecum? an mala voluntas fuit mori ob amorem tui? Ecce eadem eſt voluntas eius qui pro te hæc fecit, ac qui modò vult, vt patiaris hanc afflictionem, moleſtiam, dolorem, aut iniuriam. Eodem amore, eodem fine vtraque vult, attendens ſolicitudine maximâ quod tibi bonum erit. At ſi bonum tibi fuit, vt Deus vellet pro te pati dolores, neceſſitates & ignominias, ne tu patereris; debes etiam credere, cùm aliqua permittit te quoque pati, plurimùm id tibi expedire, & valdè bonum ac ſalutare fore. Satis meruit de nobis voluntas illa excellentiſſima incarnandi, vt ſuſtineremus aliquid graue ſi vellet; cur non meretur, vt illi conformemur, cùm omnia ſalutaria nobis deſideret? Deberemus pati multa, vt in aliquo faceremus voluntatem Dei; cur cùm in multis videmus iam factam, non patiemur libenter aliquid? Quid melius debes optare, quàm velle, & habere quod eſt melius. Hoc ſolum eſt quod vult, & amat is qui in ſe & tibi eſt melior, Deus tuus. Deus eſt infinitè potens, infinitè ſapiens, infinitè bonus & beneuolus: plus te diligit, quàm tu te ipſum : plus deſiderat & quærit bónum tuum : meliùs ſcit quomodo illud conſequi poſſis: vires habet vt omne obſtaculum tollat, & efficiat quod ad id expediat. Quid igitur putas, cùm lamentaris & defles hunc euentum, cùm ægrè fers hunc morbum, dolorem, iniuriam, moleſtiam, infortunium, ſiue proprium ſiue alienum, ſiue priuatum ſiue publicum? Anne Deus errat & fallitur? an nos affligit ex inuidiâ aut malaâ aliâ voluntate? An defecit hîc omnipotentia eius, nec ampliùs potuit facere, vt euitaret hoc quod putas damnum. Non accidit hoc ex imbecillitate Dei, aut malitiâ, aut deceptione; ſed ex potentiâ, ſapientiâ & bonitate ſummâ. Cur tu te probas & reſiſtis, quod approbant & in quo occupantur attributa diuina?

Permitte te Deo, vt regat te, qui te creauit ad gloriam ſuam : in hunc finem diſponit omnia, & abſque dubio illuc te perducet, niſi tu reſiſtas ordinationi eius. Ne velis arbitrio tuo regi. Qui vehitur in naui; non vult regere nauim iuſſu & arbitrio ſuo, ſed munus integrum permittit nauclero, & cum inſurgit tempeſtas, maximè obedientiſſimus eſt illi, nec contra eius voluntatem quidquam audet mouere aut moueri. Anne imperitiùs ſciet Deus regere mundum ſuum, quàm nauclerus nauim? cur quod cum homine faceres, vt te in terram, quò tendis, deponat; cum Deo non facies, vt te in cælum ducat? Deus optimè nouit gubernare ſuam domum, ſuum inquam mundum : non opus habet tuo conſilio; relinque omnem curam illi: ipſe te portabit ad terram ſalutis.

Hæc mala tibi immittit contra guſtum tuum, aut propitius Deus, aut iratus. Si propitius; cur non conſenties tuo bono, & addes ſuffragium tuum iis quæ ſunt pro tuâ vtilitate? ſi iratus, etiam vt mitigetur cedere debes. Homines irati, ſi quis reſiſtat, magis iraſcuntur; ſi nemo contradicat, ſtatim manſueſiunt: ſic Deus mitigabitur, ſi non ſolùm taceas & feras, ſed conſentias, & gratias referas. O inſane homo, quomodo audes dicere, Hoc nolo, aut volo iſtud, cùm neſcias quid tibi in bonum accidet? cur recuſas pati moleſtias, iniurias, humiliationem? fortaſſe non recordaris te peccatorem eſſe, aut non poterunt moleſta & humilia fieri à Deo inſtrumenta gloriæ? Odium fratrum, & inhumana illa venditio chariſſimi ſui filij, Iacob parenti fuit cauſa ſalutis ipſi Ioſepho vendito gloriæ & Regni: quamuis enim

— coniuratos germanum vendere fratres
Cogit liuor edax, proſunt contraria Iuſtis.
hoc opus eſt gratiæ.

vt deuotè loquitur magnus Alchuuinus. Nouit ars diuinæ beneficentiæ ex malis maiora bona exprimere; hoc eſt, ſummum opus gratiæ. Quid doles iacturam valetudinis, aut rerum tuarum, aut tuorum? nam vel laudabiliter expendendæ erant, & Deus accipiet voluntatem pro facto, & inſuper accreſcet meritum patientiæ; vel nequiter tractandæ & conſumendæ erant, & tunc gratulari tibi deberes, quòd materia culpæ ſit ſublata.

Digitized by Google

Aeſtima te maiorem tuâ voluntate & gaudio ad maiora creatum. Non es creatus ad tuam gloriam, non ad tuam voluntatem, non ad tuam voluptatem, non ad tuam ſolùm ſalutem, non ad tuam opulentiam, non ad tuam fortunam, imò nec ad fruendum ſolùm Deo, in cælis: maius aliud eſt tuus finis; factus es ad gloriam Dei, propter quam omnia Deus voluit & fecit. O magnum finem! quem etiam, dum pateris, conſequi potes, ſiue in laboribus, ſiue tormentis. Non tuus es, ſed Dei; non natus tibi es ſed Deo: ſic non debes quærere in omnibus niſi gloriam Dei, & placere illi magis; & quòd in te fiat voluntas ſua. Solum illud erit alimentum ignis purgatorij, quidquid hîc ſit pabulum voluntatis tuæ. Nihil deſideres, ſiue conſolationes ſpirituales, ſiue alia dona ſancta, niſi quod Deus vult ſuper omnia; qui plura dona & maiorem ſanctitatem tibi deſiderat, quàm ipſe tibi cupis; ita habebis, licet non debeas quærere, continuam conſolationem. Omnes afflictiones & pœnæ, quibus in mundo contriſtantur homines, conſiſtunt in voluntate, quia non fiunt conformes diuinæ. Excruciantur humana corda, aut non habendo quod vellent habere, aut habendo quod non vellent: quare qui non habet ex ſe velle & nolle, nullam moleſtiam ſentiet. Qui habet cum Deo velle & nolle, perpetuam lætitiam poſſidebit, qua habebit perpetuò quod vult habere: ſemper enim fit vt Deus vult, prout ordinauit, aut permiſit.

Capvt XIII.

Quòd non oporteat voluntati noſtræ attendere.

NOn ſatis triumphator ſui erit, qui vicerit voluptatem, niſi vicerit voluntatem: non ſatis eſt ſæuire in ſenſus corporis, ſed in animam & proprium arbitrium: non ſolùm illicitas voluptates negare nobis debemus, ſed licitas voluntates; nec ſolùm mortificare carnem, ſed perdere animam, quam denique lucrabimur. Tam caro noſtra quàm anima aduerſus Deum peccarunt. Iniquum eſt, damnare vnum complicem, & abſoluere alterum; miniſtrum flagitij punire, & auctorem liberare. In carnem & animam oportet animaduertere: non vt plerique, exterioribus aſperitatibus contenti, intrinſecus pœnitentiam non aſſumunt. Cùm principalis rea & delinquens ſit anima, præcipuè debet coërceri; nec aliter poteſt niſi in voluntate, ſi deneges quæcumque ex ſe poſtulet & guſtet: Digna eſt morte anima, quæ Deum contempſit: ita debet mori omni voluntati ſuæ, & in ipſo quo deliquit plecti. In nullâ re magnâ vel paruâ ſibi proſpiciat, & reſpiciat: aloqui non erit mortua, ſi ita aperit oculos, In nullâ te voluntatis tuæ recorderis. Fac voluntatem Dei, fac voluntatem fratris, fac voluntatem iniuriantis & inimici, ſi ſine peccato potes, potiùs quàm tuam. Non ſatis mortificatus eris, niſi voluntatem tuam non modò in Deum, ſed etiam reſignes & transfundas in omnium hominum etiam inimicorum voluntatem.

Illis ad quæ propendet impetu vehementi voluntas tua ſine præcedenti rationis regulâ, ne fidas ſtatim, ſed ſuſpecta habe, etſi ſpeciem boni obtendant: ſunt plerumque officia ſenſualitatis, quibus latitat dæmonis aſtus. Gloriam Dei quærat, non contemptum hominis doleat; placitum diuinum, non afflictionem tuam humanam attendat voluntas tua & ſentiat; in Deo tota occupetur, & ſatis negotij habebit: gaudium & guſtum tuum etiam ſpiritualem contemnat. Licet à Deo relinquaris in omni preſſurâ cordis, derelictione ſpiritus, & ipſâ poteſtate tenebrarum, tribulationibus & tentationibus laceſſitus vndique debes permanere fidelis, non quærens ſolatium, paratus ſuſtinere iſtam & omnem aliam animæ inculpabilem calamitatem, quamdiu Deo placuerit, etiam vſque ad diem Iudicij, vel in æternum. Qui in veritate ſtudet placere Deo, oportet vt ſeruiat gratis; & potiùs optat & petit nullâ conſolatione alleuiari: huc ſibi putans affatim ſufficere, ſi locum, vbi ſedet in animâ Deus, conſeruet mundum; non permittens, vt illuc velut in Sancta ſanctorum intret & appareat aliud. Solus ingrediatur Iesvs ſummus ſacerdos. Nonnulli famuli Dei magnis conſolationibus exundantes, precibus impetrarunt deſtitui & priuari omni dulcedine: nec poſteà admittebant ſolatium etiam de cælo: non enim defuit qui Angelos conſolatores recuſauit. Nam quid magni facis, ſi guſtum corporalem deſpicias, qui potiùs afflictio erit? Nimis affligens eſt ſolatium corporis, quod impedit diuinum gaudium & ſpiritus lætitiam: plus meretur Deus. Pro Deo etiam contemnas omne iubilum animæ, atque quodcumque arridet naturæ & voluntati propriæ. Non eſt conſtans, nec fidele obſequium mercenarij. Si ſpe aut ſubſidio conſolationis Deo ſeruias, etiamſi ſit ſpiritualis; non propter ſe amas in hoc Deum, & deficiente conſolatione ſegniùs ſæpè torpebis. Hinc fit quòd mutemur toties, deſides ſimus, tepidi, & parum proficiamus, quia vt nautæ ventum, ſperamus ſpiritum deuotionis & conſolationis; ſine quâ detinemur, & qualibet aduerſitate, velut contrario flatu, retrocedimus. Inertiores etiam ſumus nautis, qui callent etiam obliquo & aduerſo vento progredi. Sciamus ipſis aduerſitatibus, tædiis, & tribulationibus procedere. Non refert obſequaris Deo propter gaudium interioris conſolationis, aut corporalis commodi, niſi quòd minùs gratis famuleris; quia maiori pretio obſequia tua vendis, ſi guſtum ſpiritus requiras. Plus eſt Deus, quàm guſtus tuus. Melius eſt habere Deum, quàm gaudium: tametſi, vbinam, ô iucundiſſima Veritas, ô Deus ſuauiſſime, potes eſſe, & non exultabit ſpiritus, ſi te retegis? vbinam aderit benignitas tua, & non replebis gaudio animam? Sed concede mihi, vt numquam gaudium meum optem, niſi vt tu ſcis meus; numquam voluntatis meæ guſtum quæram, niſi voluntatis tuæ beneplacitum.

O Spiritus tribulare, ſi numquam recreationem tuam & gaudium quæreres; quantum gauderes! Qui relinquit domum aut agrum propter Deum, centuplum accipiet. Non eſt ius, vt qui plus reliquit, minus accipiat. Qui reliquit voluntatem ſuam & guſtum eius, centuplum

Digitized by Google

tuplum dulcedinis accipiet negando ſuam voluntatem, plus quàm ſi feciſſet: nam facit voluntatem Dei & maius, præmium capiet. Quantò magis voluntatem & guſtum tuum abnegares, tantò plus guſtares in voluntate diuinâ: diuinus quidem ſapor & lætitia tibi ſtillaretur. Si vnum hominem tam felicém Deus feciſſet, vt quidquid vellet, ſtatim adimpleretur; & tam potentem, vt poſſet exequi quodcumque libêret illi, & id licirè; & ſecurus certuſque eſſet de hac potentiâ & fortunâ ſuâ: exiſtimo, minùs gauiſurum eſſe, quàm cum qui in nullo verè vellet impleri voluntatem propriam, ſed in omnibus ſeriò abnegaret propter Deum. Omnem adimpletionem voluntatis ſequitur quidam guſtus eiuſdem voluntatis: nec vllius guſtus & delectatio maior, quàm illa quam Deus habet in voluntatis ſuæ executione. Si Deus infundat tibi guttam delectationis voluntatis ſuæ, quam communicat cum his qui voluntatem eius ſolùm faciunt & volunt, ſine comparatione plus gaudebis abnegando tuam voluntatem totam, quàm ſi faceres ſemper illam. Nam qui impleret voluntatem ſuam, gaudium voluntatis humanæ ſolùm haberet: ſi verò neget, vt voluntatem Dei faciat, guſtum diuinæ voluntatis participabit, per gratiam diuinæ bonitatis. Facere voluntatem propriam eſt ingens hominum gaudium; quid erit facere diuinam? Voluntas humana impura eſt, locum dat triſtitiæ; & corrumpitur mœroribus: voluntas diuina puriſſima eſt, in poſſeſſione gaudij continua. Idem eſt Deo voluntas ac voluptas, quare debet voluptatem habere, qui diuinam voluntatem ſolùm habet. In Deo non diſtinguitur appetitus à lætitiâ, in creaturis plurimùm diſtat. In elementis aliud eſt motus ad locum, aliud quies in loco; in cælo idem eſt: lux & calor in igne duo ſunt, in ſole & ſtellis idem. ſic voluntas humana & gaudium duo ſunt; in Deo vnum. Nec alibi gaudium tutò erit, niſi in adimpletione diuinæ voluntatis, & ſpoliatione propriæ: tunc habens & volens homo diuinam ſolùm voluntatem, eius priuilegio gaudet, vt inſeparabiliter gaudium habeat; nam cuncta eueniunt pro voto. Non eſt igitur triſte, abominari ſuam voluntatem, exuere ſe omni proprietate, & penitus abnegare ſe. Nulli magis abnegatam & ſibi mortuam habent voluntatem, & renuntiarunt omni proprietati ſuæ, quàm Beati in cælo, qui ſine vllo ſunt veſtigio proprij velle aut nolle: & tamen in tantâ mortificatione propriæ voluntatis ſummum guſtum habent, & lætiſſimi ſunt. Cur tu refugis abnegare te, qui vis ſaluari in cælo, vbi ſumma abnegatio ſui eſt? Inſtrue te ad gloriam, & relinque te. Non putes te poſſe eſſe beatum, quin facias ibi, quod nunc putas triſte. Eia incipe, quod ſi ſalueris nunquam deſiturus es facere. Fac aliquando, quod ſi feliciſſimus fueris facturus es in æternum. In perpetuâ illâ felicitate numquam quæres voluntatem tuam, per ſæcula ſæculorum non ſolùm diuinæ conformis, ſed transformatus per ardentem charitatem.

Quis ſitibundus, habens vaſculum fictile & vacuum, non mallet habere aureum, plenum ſuauiſſimâ potione & refrigerio? quis languens, habens morbidum membrum, non mallet habere ſanum & robuſtum? quis hebes, obtuſum intellectum habens, non mallet habere mentem Angeli, & intelligere vt Cherubim; O homò, cur non vis commutare tuam voluntatem infelicem, caducam votis, morbidam, ſtultam, cum voluntate Dei compote, lætâ, feliciſſimâ? Si velles intelligere vt Angelus, quod non potes; cur non vis velle, vt Deus vult, quod potes? Qui vult ſemper gaudere, numquam in ſe, nec ſibi quærat gaudium: opus eſt, vt reuellat omnem priuatum & creatum amorem; alioqui, quocumque fugiat, quodcumque peragat, impedimentum & turbationem ſecum deportat, imò auget; vt quò longiùs fugiat, & plura peragat, magis impediatur & minus inueniat gaudium quod quærit. Qui à rectâ viâ aberrauit, quò magis incedit, magis errat & diſtat: quantò magis homo hoc aut illud eligit, vt gaudeat & quieſcat; minùs gaudebit; quia eò plus exercet voluntatem propriam, quæ cauſa eſt inquietudinis & triſtitiæ, & à viâ pacis & gaudij aberrat. Paſſer in rete incidens, quò plus liberari conatur, magis ſe illaqueat & ligat.

Deus tam bonus eſt, vt ſuperfluat illi bonitas ad maiorem voluntatem, quàm tuam & omnium Seraphinorum: cur tuam vnam humanam voluntatem coarctas, occupans illam te ipſo, quaſi in dimidio ſui poſſet ſatisfacere, ac ſufficere infinitati diuinæ? Non vacat diligere aliud, nec ſe, ſi Deus diligendus eſt. Accipe, Domine, amorem meum totum; accipe voluntatem totam meam: nec amittam hanc felicem commutationem, vt pro peſſimâ voluntate meâ fruar optimâ voluntate tuâ.

Caput XIV.

Quòd oporteat iugiter meminiſſe Dei.

QVomodo potes, ô ingrate ſpiritus, aliquando obliuiſci Dei, qui ſemper meminit tui, quaſi reliquorum oblitus eſſet, & tu vnica res ſua; qui ſemper tibi attendit & tua, & in dulci memoriâ ſcribit, quidquid boni feceris, Magnus fauor putatur, ſi terrenus Rex meminerit alicuius, aut admittat ad ſuam præſentiam: & ego non æſtimo quòd cæleſtis Rex numquam obliuiſcatur mei, nec abſit? Aeger ſolatium ſumit, ſi aliquis inuiſat: cur anima ægra & miſella non exultat, quòd Deus perpetuò illam videat, & conſideret? ſi ſemel Princeps oculos iniiciat beneuolè in famulum, lætatur; & ego, Domine, non exulto, quod numquam oculos tuos auertas à me, nec manus ſepares, in miſericordiâ erga me occupatus & intentus. Properant & currunt homines, vt Regem temporalem in tranſitu conſpiciant; & ego te Regem æternum præſentem, & manentem, non conſidero. Vt videant monſtrum, ſoliciti ſunt homines, & impendunt pretium; & ego gratis non attendo pulchritudinem cæli & terræ, in quam deſiderant Angeli aſpicere. Regina Siba tot itinera peregrinata eſt, Vt Salomonem ſemel videret; & ego te Deum tam vicinum, vt in me habites, non ſpecto. Si mancipium mihi miniſtraret poculum aquæ, reſpicerem in faciem; & te Dominum Angelorum perpetuò ſeruientem mihi in cunctis, & pro me

implentem omnia benedictione, nolo aſpicere, & ceſſo benedicere. O Domine, qui operaris omnia in omnibus pro me, quomodo pro te non operor modò, ſed nec recordor tui? O amantiſſime Deus, quid aliud cum hoſte capitali facerem quàm tecum ſoleo facere, nolens te reſpicere obuium mihi, & toties obuium; amorem meum exigentem tot beneficiis & obſequiis?

O quoties mihi Deus ades, & te nolo ſemper videre! Eſſentia tua me penetrat, pluſquam punctum cryſtalli penetrat radius ſolis, pluſquam anima imbibita eſt in corpore. Præſentia tuæ ſapientiæ mihi proſpicit & attendit per ſe, ne quid mihi deſit; & ſi quid boni faciam, vt remuneres: nec hoc confidis dumtaxat Angelis internuntiis, & relationi; ſed per te ipſum me totum circumſpicis. Potentia tua me ſuſtinet in vlnis, vt nutrix aut mater filium dilectum: & quia hæc officia, eſſe in me, videre me, ſuſtinere me cùm ſum, neceſſaria ſunt, & annexa immenſæ diuinitati tuæ, voluiſti bone Iesv, vt præſentiam voluntariam tibi deberem; ac in vno modo quo abeſſe poteras, & erat neceſſe abeſſe, inueniſti modum, vt etiam mihi præſens eſſe in Corpore tuo ſanctiſſimo, vt corporaliter & ſpiritualiter adeſſes mihi. O anima ingrata, cur non referes gratiam tam amantiſſimo Domino? & ſi quidem corpore non potes ſemper aſſiſtere huic diuino Sacramento, ſpiritu ſaltem & cogitatione ne obliuiſcaris tam benefici Domini in te habitantis.

Reuerere, ô anima, te ipſam, & ſacrarium mentis tuæ; vbi habitat Deus per gratiam, cuius nunc conſors fortaſſe es, & væ tibi ſi non es, vbi diuinitas participatur. Materias inanimes, quas Chriſti Sanguis contingit, veneramur, & meritò: ſed cur non etiam ſpiritus & animæ tuæ partem, vbi Spiritus ſanctus diffuſus eſt? Ante aram, vbi eſt Corpus Chriſti Domini deſideratiſſimum, nihil indecorum audemus facere: nec ante audeas, quia mens tua, vt potes ſperare, per gratiam eſt altare & thronus Dei, ibi reſidentis maiori cum voluptate quàm in ſacrariis aureis. Quàm compoſitus & attentus curas eſſe cùm ſuſcipis Corpus Chriſti; ſimilem modeſtiam, ſimilem decorem ſemper ſerua, cùm Deus hoſpes tuus ſit, non intra corpus tuum tantùm, ſed intra animam. Si cùm Chriſti Corpus hoſpes eſt corporis tui, tam decenter te habes; non debes amittere grauitatem, cùm Spiritus Dei incola ſit ſpiritus tui, cùm Pater & Filius ad te venerunt, & manſionem apud te fecerunt.

Siue palàm, ſiue clàm, idem ſis: Deus te videt, Deus iuxtà eſt, Deus intra te eſt, Deus tecum eſt. Si Chriſtus de cælo veniret ad te viſibiliter, cùm ſolus in cubiculo eſſes, ánne coram illo immodeſtè ſederes aut iaceres? an potiùs reuerens, humilis, compoſitus, contremiſcens eſſes? Ecce Diuinitas tecum eſt, non minora officia illi ſunt debita. Diuinitas præſens eſt, non vno modo, ſed pluribus, te implendo & circumambiendo infinitâ ſuâ eſſentiâ, velut oceanus ſpongiam; videndo præſentiâ ſua, te ſuſtentando potentiâ ſuâ, te mulcendo, te amplexando, te adoptando in filium gratiâ ſuâ. O anima, cur longa vota facis, cùm Deus tam propè ſit? quid ſpetas gaudia alia, cùm Deus adeſt; ſolatium vicinum habes tuarum afflictionum, quid triſtaris? perfugium & aſylum propinquum eſt tuarum calamitatum, quid times? Amet affectus tuus, amplectatur & oſculetur Patrem amantiſſimum, in cuius gremio ſuſtentaris & foueris: cuius memoriâ & deliciis obliuiſcere omnium. Conſidera te coniunctiorem Deo quàm fratri tuo, quàm matri, quàm patri: cognatio enim & proximitas inter te & Deum, maior eſt quàm inter filium & parentem. Habe ſemper præſentem eum, quia tot modis præſens eſt. Vt ſpeculum id fit, cui præſens fit: ſic ſancta anima quodammodò diuina fiet, ſi Deum præſentem habeat.

Hæc præſentia Dei eſt vitalis actio gratiæ: tamdiu viuit actu & expergefacta anima ſancta, quamdiu diligit & recordatur Dei, ſiue cùm in conſideratione eius occupatur, ſiue in opere pro gloriâ eius. Quemadmodum enim Deus non tantùm præſens eſt nobis per eſſentiam ſuam & cognitionem, ſed etiam per potentiam & operationem: ita optimum genus præſentiæ Dei eſt, per operationem bona opera faciendo. Quis non operabitur pro Deo, qui pro nobis omnia in omnibus operatur? Non tamen, ſi ceſſet anima, mortua erit peccato; ſed perinde erit ac qui dormit, qui non eſt mortuus, ſed vitâ non fruitur: ſic anima oblita Dei, licet non mortua ſit, tamen velut ſopita non gaudet fructu ſpiritualis vitæ. O quantum viuet, ô quot tempora implebit memor Dei, quæ paſſim amittunt etiam ſpirituales? Hæc præſentia Dei eſt etiam ſenſus gratiæ; alioqui velut paralytica iacet anima. paralyſis morbus eſt, non mors, ſed ſenſu artus priuat & functione vitæ: otioſa eſt tunc vita & gratia, cui non eſt memoria Dei, ſiue in opere, ſiue oratione.

Vna palma ad præſentiam ſolùm alterius fructificat, & anima ad præſentiam Dei omnes fructus facit. Sine præſentiâ Solis omnia ſunt obſcura, & nihil pulchrum: præſentiâ Dei venuſtiſſima & illuſtrata eſt anima. Elementa non poſſunt ferre abſentiam ſui centri: parem impetum anima in Deum habeat. Sicut lapis, ſi in aëre ſuſpendatur, ſemper ſeruat propenſionem ad terram; & cùm relinquitur, ſtatim ruit: ſic anima amans Dei, etiam cùm ſeparatur à quiete ſuâ ob occurrentia officia vitæ neceſſaria aut ſtatûs ſui, etiam ibi anhelat ad Deum tacito affectu & velut connaturali; & ſtatim relicta ſibi finitis occupationibus confugit ad centrum ſuum, in ſeſe colligens in intimis receſſibus cum Deo, vt quod poſſit ſimilis ſit anima Angelis Dei, qui ſemper vident faciem Patris, & in quam deſiderant reſpicere: quo deſiderio plus & crebriùs recreari oportet, quàm reſpiratione cor.

CAPVT XV.

Quod amanda ſit incomprehenſibilis bonitas Dei.

QVid tibi & mihi, qui ſum abyſſus malitiæ, ô Bonitatis pelagus, vt me ames? Similis ſimilem amat: quomodo tu optimus diligis me peſſimum? Ab omnibus pulchriora diliguntur:

Digitized by Google

diliguntur tu pulcherrimus optas à me viliſſimo & horribili amari. O amor mundi, quid tibi & mihi, qui debeo eſſe odium & horror mundi? Quid eſt, quòd mihi præcipias te amare? cur opus erat hoc mandare? quid eſt, quòd roges & ſolicites tot artibus? O ſolicitatio & vox dulciſſima, Fili præbe mihi cor tuum! ô petitio ſurdis hominibus repetita! in ſingulis creaturis temet exhibes, proſpiciendus paſſim per naturæ tranſennam, hac amabiliſſimâ poſtulatione liqueſcens, dum requiris me. In omni creaturâ occurris mihi, vt per omnes id petas; toties amorem tuum erogans, & amorem meum rogans. Quamcumque feneſtrâ aperiam, ades amator, ſtans poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Si videam, ſi audiam, ſi odorer, ſi ſapiam; ecce adeſt facies tua decora, vox tua dulcis, & odor Dei mei, & fauus cum melle tuo: vbique conuenior de amore. Si quatuor aut quinque viri graues aſſeuerarent aliquid & hortarentur ad opus aliquod, nemo non faceret, aut crederet: quomodo non audio omnes creaturas adhortantes me ad amorem Dei mei? cùm tot aſſeuerent venuſtatem eius, quare non credam? Si ſpecie rerum illecti homines deos illas putauerunt; quantò his Dominator omnium ſpecioſior es: ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituis.

Omnia amorem tuum & pulchritudinem mutis clamoribus, & inuiſibilibus coloribus, obiectant. Sed quæ vox aut imago, notitiam tui dabit? Non poſſunt creaturæ te pingere: ex omni earum perfectione lituram tantùm cognoſco. Quis ergo es, aut vbi, Pulcher mi; qui cùm vbique mihi adſis, nullibi te inuenio; & cùm omnia ſis, nihil omnium te puto? Pro imagine tuâ ſe obiectant mihi creaturæ, ſed ego ænigma exiſtimo. Non es, Domine mi, id quod deſignant te eſſe: quæ licet non mentiantur, taliter te indicant, vt non ſis id quod prædicant verè. Ita quæſiui quem diligit anima mea; quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo mundum per vicos naturarum & plateas cælorum. Interrogaui formas rerum, concentus melodiarum, odores aromatum, ſapores mellitorum, amplexus charorum? & dixerunt, Non ſumus dilectus tuus: ille fulget, vt non capiat locus; ſonat, vt non ferat ventus; olet, vt non ſpargat flatus; ſapit, vt non noceat fames; hæret, vt non ſeparet faſtidium. Interrogaui terram, & reſpondit, Non ſum ego: ſi cæli cælorum non capiunt illum, quid me rogas? Interrogaui mare, & contremuit dicens, Non ſum; maior abyſſus eſt, & pertranſiri nequit. Interrogaui cælum, & dixit, Non ſum Deus tuus: aſcendit vltrà. Si vos non eſtis creaturæ, dicite mihi aliquid de illo. Reſponderunt mihi vigiles mentes, & cuſtodes ſpiritus mundi, Ipſe fecit nos, quære illum ſuper nos. Paululum cùm pertranſiſſent eos, inueni quem diligit anima mea, non inueniens illum increaturis. In hoc ſolo video & inuenio te, ô lumen in medio poſitum, quòd non poſſum te inuenire nec videre: nam quomodo aſſequar quod incomprehenſibile eſt? Fuge, Fuge Dilecte mi: in hoc te conſequar, quia fugis me: plus noſco de te, quantum noui non te poſſe noſcere; plus accedo ad tui notitiam, quantum recedis à meo captu. In lectulo & quiete anguli mei, per noctes quæſiui quem diligit anima mea. Nox eſt, reſpectu tui, ſplendor rerum venuſtarum: nox eſt decor cælorum; nox eſt ipſa ſolis pulchritudo, claritas, & quæuis alia, non dicam creata, ſed falsò excogitata venuſtas. Si ſingulæ ſtellæ fulgerent pluſquam ſol, quot atomi illuminantur à ſole, & arenæ ſunt maris, & ipſe ſol toties excederet ſtellas pluſquam modò, ſorderet præ te, nec appareret, velut ſidera nunc in præſentiâ ſolis non videntur.

Sed quid affero defoimes has pulchritudines viſibilium, & ruſticas formas etiam ſolis, & æthiopes luces? Conferamus illas ſpirituales & candidas, cuius talis eſt decor, vt cùm deuotiſſimo Patri Ioanni Fernandio noſtræ Societatis affuiſſet Angelus Dei; eum intuitus præ lætitiâ deficiebat, & ſe ipſum capere non potuit; atque affirmauit quæcumque pulchra in mundo eſſent, huius comparatione deformia & tetra fore. Finge igitur pulchritudinem eius Angeli toties maiorem, quot atomi in aëre, & ſingulos Angelos eâdem pulchritudinem præditos; & cùm ſint millia millium, ſeu pænè non ſit numerus illorum, totam hanc pulchritudinem omnium conglomera in vnum ſolum: turpis & obſcura eſſet coram pulchritudine Dei; nec dico videretur vnus tomus, ſed nihil. O cor meum, quomodo non te euellis poſt tantum decorem, & ardes ad immenſam illam lucem? O duritia & grauitas cordis mei plus quàm ferrei, ſi non te eleuat & trahit immenſus hic magnes amoris!

Sed fortène tu Domine es illa claritas, & decus quod confingo, ad quod tanta infinities illuminati ſolis & Angeli lux tenebræ eſſent? Minimè; ſed infinities pulcher: nec poſt tantam lucem te video, licèt ſplendiſſimus ſis. Tantùm ſcio illam claritatem te non eſſe quia caligo ad te collata eſſet: qualis autem ſis, ignoro; tuum lumen me excæcat: dum magis fulget, relinquit me caligantem. Sed numquam te video clariùs, quàm in hac caligne; nec niſi in hac nocte meridionali vmquam inuenio diem verum, antiquum dierum; clarum mihi, quia in totâ obſcuritate, & mediâ nocte. O amor æterne, accipe iam cor & amorem meum Sed quid inquam accipe, ſi tu rapuſti: quid iubes, vt cor meum tibi præbeam, ſi iam exordaſti me; non in vno crine aut oculo tuo, ſed in nullo lumine meo, & multo crimine. Excordaſti me, quia tantus es, vt te non videam: excordaſti me, quia cùm te puſillus offendiſſem, vis à me quantus es amari. Sed tu Domine, qui vulneraſti cor meum bonitate tuâ, eâdem infundes oleum miſericordiæ tuæ, vt ſanes vulnera peccatorum meorum.

O Deus abſcondite, ſi ignoratus places mihi ſupra omnia quæ ſcio, quid facies cùm te coràm & palàm ſciam? eripe, euelle cor meum, accipe omne velle meum, nec mihi vmquam reſtituas; nec permittas cultrum in manu amentis, ſed retine cor amantis. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Gaudeo quòd defecit mihi cor meum, quia tu eripuiſti illud. In te ſit cor meum, quia iam es Dominus illius! Sed quia tu meus, quamuis defecit cor meum, non defecit cor melius: tu ſupplebis eius vices; tu es Deus cor meum, Deus pars mea, quæ defecit mihi. Cor ſcilicet meum

eris

eris in æternum: officia cordis mei imple. Ipſe poteris velle pro me, & ſolicitus eſſe, quæ mihi expediant; ego tantùm diligam te. Tu amabis me pro me, vt ego penitus amem te; vt nec amor mei impediat me. O felix iactura cordis, ſi Deus pro corde eſt!

Capvt XIV.

De ſupereſſentiali lumine ſanctiſſimæ Trinitatis.

O Lux clariſſima diuinæ vnitatis, ſi tanta es, vt vmbrâ tuâ in creaturis lucens præſtringas omnem intellectum, & caligare facias plus quàm ſol oculos noctuæ; quantum lumen apud te erit in Trinitate tuâ, cuius vmbram natura creata non potuit ſuſtinere, ſed oportuit reuelari à Iesv? Si tantoperè radias apud nos; quantum in te lucebunt illi ſplendores ſanctitatis, qui extra te non exeunt? Si tantoperè vnitatis vmbra lucet, quantum lucebit lux Trinitatis, quæ non habet vmbram? O lumínoſiſſimæ tenebræ, cùm animæ communicatur aliqua claritas tanti arcani! Obſcuritas eſt illa lux, quia anima non ſe videt, & ibi ſe amittit. Velut qui in tenebris ambulat, & neſcit vbi ſit; ſic mens in illo lumine de ſe neſcit: & cùm in illâ luce ſe lucretur, cùm ſit in Deo; ibi ſe perdit, quia inuenit Deum, quando abrepta ab omni occupatione inferiorum, & facta conformis Chriſto crucifixo per conſtantiſſimam mortificationem & crucifixionem ſuæ voluntatis, in ſtupenda Trinitatis arcana intentam aciem & humilem mentem figit, ſeu potiùs figitur: ibi vitam in legitimâ ſuâ puritate, vt in fonte guſtat: ibi bonitatis diuinæ primitias libat: ibi ſimpliciſſimæ ſimplicitatis naturam concordis cum Trinitate miratur.

Quidquid admirabile eſt, cùm cognoſcimus, iucundum eſt ſpectare. Quid admirabilius, ac proinde quid iucundius, quàm noſſe illam ſimpliciſſimam vnitatem, in quam perſonarum Trinitas ſe immergit; & illam Trinitatem, quam non ſummergit vnitiſſima ſimplicitas? Vnitas in Trinitate diſtinctè coruſcat; Trinitas, quatenus fertur introrſus, lucet in vnitate. Pater Filij origo: Filius manat è Patre ſecundùm diſtinctionem perſonæ, & manet in Patre ſecundùm eſſentiæ vnitatem: à Patre & Filio Spiritus ſanctus procedit, & in Patre & Filio Spiritus ſancti ſubſtantia relinquitur: vbi Trinitas non obeſt vnitati, vbi vnitas non officit Trinitati: imò vbi Trinitas proficit vnitati, & vnitas fauet Trinitati. Ideò Deus eſt magis vnus, quia trinus ſimul eſt.

Quid tam iucundum, quàm hæc quæ videntur repugnantia, videre ſe adiuuantia? Non eſſet ſimplicitas ſumma in Deo, ſi non eſſet efficacitas ſumma: non eſſet efficacitas ſumma, ſi non eſſet Trinitas perſonarum: non eſſet Trinitas perſonarum, ſi non eſſet vnitas eſſentiæ. Tam abeſt, vt ſimplicitas diuina obſit Trinitati, vt Trinitas iuuet vnitatem, & vnitas vnitiſſima requirat Trinitatem. Ideò, quò Deus eſt magis ſimplex in naturâ, eſt magis tribus in perſonis: & quemadmodum non poteſt concipi maior ſimplicitas, quàm ſimplicitas naturæ diuinæ; non poteſt eſſe verior diſtinctio, quàm diſtinctio perſonarum in illâ vnitate. Res quò ſimpliciores & puriores ſunt efficaciores ſunt, vt Philoſophi fatentur. Ignis quia ſimplicior & purior, inter omnia elementa efficacior eſt; & cæli quàm ſublunares naturæ, & ſpiritus quàm corpora. Virtus vnita maior eſt: & quod ſimplcius eſt, plus habet de formâ, quæ actus & actiuitas eſt: quare in ſimplicitate infinitâ, quæ puriſſimus actus eſt, & forma ſimpliciſſima formarum, remotiſſima ab omni materiâ, infinita efficacitas debet eſſe infinitæ perſonæ productione, infinitæ ſubſtantiæ communicatione ab æterno. Stupet anima hanc ſimplicitatem contemplans, & extra ſe rapta diuinam ſimplicitatis perfectionem adorat in æqualitate & æternitate perſonarum: nam quò res ſunt ſimpliciores, quemadmodum ſunt efficaciores, ſic in ſe perfectiores. Perfectio non ſumitur à materiâ, ſed à formâ: quare quantò aliquid plus habet de formâ, perfectius eſt; & cùm ſimpliciora plus habeant de formâ, perfectiora ſunt: ideò Angeli perfectiores ſunt rebus ſenſibilibus. Cùm igitur ſumma ſimplicitas, ſit ſumma, ſola, & tota forma, ſeu actus, perfectiſſima eſt: quare Filius Dei æqualis & coæternus eſt Patri ob ſummam ſimplicitatem naturæ diuinæ. Inter homines, maior eſt pater quàm filius, quia ad hoc vt creatura generet, requiritur, vt perueniat ad ſtatum perfectum: ſed cùm Deus ab æterno ſit ſummè ſimplex, eſt ab æterno perfectus, ideò ab æterno generans, & non eſt maior Pater Filio. Inter homines nullus naſcitur pater: Deus ab æterno eſt Pater, nec priùs fuit Deus quàm Pater. Inter homines magnum quid eſt, in lineamentis & ſuperficie oris ſimilem produci filium patri & filius ſimilior magis diligitur: Quanta fecunditas eſt, vbi non in accidentibus producitur ſimilis filius, ſed in ſuſtantiâ idem; quanta dilectio, vbi Filius tam ſimilis eſt Patri, vt nec ipſe Pater ſimilior ſibi ſit, nec magis idem & poſt tantam ſimilitudinem Filius ſit vnicus, & ab vnico genitus puriſſimè; vbi Pater virgo eſt, & virgo generat, & natus non eſt infans, & ſine matre editur? Quare Filius non minuit diuiſum amorem cum matre, quæ non eſt; nec Pater cum ſponsâ. Sed Pater vnicè vnicum Filium, & Filius vnicè vnicum Parentem amat. Vbi Filius, non ex particulâ Patris genitus eſt, ſed ex totâ ſubſtantiâ paternâ: & totum quod conſpicit in Filio Pater, ſuum eſt, & à ſe eſt; & totum quod videt Filius in Patre, noſcit ſibi communicaſſe ſine inuidiâ. Quomodo poſſunt non ſe ſummè diligere, qui tam ſummè vnum ſunt? Hæc & alia, perſpicaci & indicibili modo, dum per altiſſimum ſilentium intonantur animæ, & in arcanâ caligine illuceſcunt; quomodo non ardebit, cùm tantâ luce, & omnibus viribus ſuis, ſupereſſentialem & ſuperexcellentem ſimplicitatis & Trinitatis perfectionem diliget, prouocans omnes ſpiritus & Seraphim in illo fumo replente domum ex incendio charitatis ardentis, & clamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus, expanſis alis cordis ſubuolans & refrigerans partim æſtum amoris, partim excitans flammam?

Ibi tamen præcipuè quaſi exanimis manet, tota

Digitized by Google

tota delibuta dilectione diuinâ, cùm conſiderat pelagus illud bonitatis, quâ communicatur infinita natura Filio, & incendium illud amoris quo procedit Spiritus ſanctus. Hic deficit ſpiritus creatus, & præ dilectione quaſi perit in ſe velut aquâ & igni extinctus: ſummergitur in oceano tantæ bonitatis, ardet in pyrâ ſtupendi illius amoris. Nihil efficacius eſt in ſe, vt nos conuincat & trahat ad amandum legitimè & purè Deum, quàm bonitas illa inexcogitabilis quâ ſe communicat Pater Filio, & vterque Spiritui ſancto. Nihil deuotius, nihil tenerius, nihil ſuauius conſiderari poteſt, quàm illa eruptio, & exceſſus bonitatis in æternis emanationibus. Nihil alacrius & feſtiuius & ſolemnius animæ, quàm natiuitas æterni Verbi. Nam ſi bonitas in ſe eſt, quæ placet, & præda amoris legitimi, & in quam ruit toto pondere voluntas: vbi poteſt maior bonitas lucere, quàm cùm pro boni naturâ, quod eſt diffuſiuum ſui, non partem ſed totam ſe diffundit, & communicat, infinitudo bonitatis; vbi non tantùm datur quod habetur, ſed quod eſt? Mirabilior apparet hæc liberalitas communicationis, quàm quæuis infinita alia perfectio diuinæ naturæ. Si aliquis homo haberet aliquam peregrinam & admirandam gemmam, aut aliam rem pretioſiſſimam, quâ felix haberetur, & nihil aliud haberet; certè licet mirabilis tibi videretur ille vnio, mirabilius iudicares ſi ſtatim illum gratis largiretur, ſine vllâ ſpe lucri. Mirabile quidem eſt diuina natura; ſed mirabilius videbitur alicui, donari gratis Filio per communicationem illam admirandam; & mirabilius donari tali modo, quòd maneat etiam in donante. Tum ſi argumentum bonitatis eſt amor; nam diffuſio & communicatio ſine amore non eſt; vbi maior amor; quàm vbi totum quod eſt, eſt amor; & amor eſt æqualis amanti, & amato; & tantus eſt amor, vt non ſolùm ſint ſimiles amati, ſed ſint idem inter ſe, & idem amor ſit vtriuſque? Vnde neceſſaria eſt ſumma fidelitas & gaudium, quia non poſſunt non diligere, nec poſſunt non diligi æqualiter. Adeò efficax & legitimus eſt ille amor, vt ſi per æternam generationem non fuiſſent eadem vna natura Pater & Filius, faceret Spiritus ſanctus eſſe idem. Huc tendit charitas hoc officium eſt amoris, vnire amantes & amatos: & cùm ille amor ſit Dei infinitè perfectiſſimus erga illum qui etiam eſt Deus, intentiſſimus & omnino efficaciſſimus eſt. At ſi non faceret vnum, non plenè perfectus eſſet, ſed velut amor rei finitæ, & erga rem finitam, non erga infinitum Vnigenitum æqualem Patri infinito; vbi vterque, amans & amatus, infinitus eſt. Vbi eſt tam excellens & genuinus amor, quanta bonitas erit? Ita Trinitas eſt præſtantius indicium infinitæ bonitatis, & proinde diuinæ perfectionis, (quia id eſt bonum, quod perfectum) & denique ſimplicitatis Dei: quare Trinitas perſonarum, eſt authenticum teſtimonium diuinæ vnitatis. Quantoperè arridet mens, cùm hæc noſcit! non prout explicui ignoranter, aut explicari poteſt; nam ſolùm ſentitur modo inenarrabili: ſicut enim non ſunt naturales ſpecies, quibus cognoſcitur; ſic nec verba, quibus manifeſtari queat aliquid quod de verbo æterno manifeſtatur piis aliquibus animabus. Adeò igitur gaudet mens creaturæ, cùm communicatur illi conſenſio & mutua conuenientia increatæ Trinitatis & vnitatis, & vtriuſque neceſſitas ad perfectionem diuinam vt exultet anima toto corde, impotens ſui, & exhauſta præ deſideriis & ſuſpiriis puræ charitatis, & videndi clariùs in alterâ vitâ admirandam Trinitatis bonitatem.

Quid cupis anima mea videre aliud, niſi iſtud ſpectaculum mundi, ad quod videndum dumtaxat introducti ſunt in cælum & creari Seraphim & omnes ſpirituum ordines atque hominum ſanctorum. Vbi eſt curioſitas noſtra? vbi ſtudium ſciendi, ſi non cupis diſſolui, & intueri iſtud arcanum, & ſcire hoc ſecretum? Sed curioſitas te debet remittere ad alteram vitam, non ad ſcrutandum in iſtâ ratione, quo pacto trinus & vnus eſt. Non debes quærere cauſam, quomodo ita ſit; cùm non poſſis dare cauſam, ex quâ ſit. Fruſtrà cauſam quæris in eo, qui nullam habet cauſam. Non eſſet magnus Deus, ſi non eſſet maior captu noſtro. Non debes ſcrutari, quo modo ita poteſt eſſe, qui numquam potuit eſſe antequam eſſet. Vermiculorum plurium naturam non ſatis cognouerunt Philoſophi, & nemo ſeipſum benè noſcit: quomodo naturam diuinam & auctorem tui vis dignoſcere per omnia? Quare ſimplici fide debes captiuare rationem tuam in ſupernaturali hoc myſterio: nam illa claritas, quam inſinuare interdum dignatur indulgentia diuina, non eſt omnium, ſed quorum Deus vult, ex iis qui cum Filio ſuo ſunt in Caluariæ monte, & omnimodâ ſui eieratione: qui abnegantes ſe ſuſtulerunt crucem ſuam, & ſecuti ſunt IESVM vſque ad Caluariam, & deinde vult vt ſequantur vſque ad Oliuetum & gloriam; hos exaltat, vt quandoque participent Maieſtatem ſuam, Vbi ego ſum, dicit IESVS, ibi & miniſter meus erit. Qui habuerit cum Chriſto idem Vbi paſſionis, habebit quoque Vbi tanti luminis & gaudij. Sic ſancto Patriarchæ noſtro Ignatio, dum magis afflictus fuit & exhauſtus pœnitentiis, copioſiùs manifeſtatum eſt & clariùs, quàm dici poteſt. Sic feruentiſſimus Pater Didacus Martinius ferè ſemper ſe videbat circumfuſum quadam luce ſplendidiſſimâ Trinitatis, aut alicuius ex tribus Perſonis. Omnium tamen eſt, ardentiſſimis deſideriis exoptare, videre hanc nouitatem antiquam & æternam in alterâ vitâ. Sancto viro Patri Ioanni Ferdinandio reuelatum eſt, quemdam noſtræ Societatis Religioſum diu detineri in purgatorio, quia non deſiderauerat ardenter videre ſanctiſſimam Trinitatem. O anima, quomodo non plus deſideras videre hoc theatrum Beatorum, ad quod conſpiciendum conuocatæ ſunt omnes mentes, inuitatæ ſunt cunctæ rationales naturæ?

Quantum gaudium erit, videre quod nunc cogitando, ſeu ignorando, præ iubilo & amore ſuſtinere nos non poſſumus? quomodo non exultabimus, contemplantes illas primitias diuinæ perfectionis, illud proludium & recens facinus bonitatis diuinæ, cùm ſe dat Filio, & primogenitam illam liberalitatem Dei! Quantum pignus ſibi accipiet anima diuinæ benignitatis, cùm videat infinitam beneuolentiæ indolem?

Digitized by Google

lem ; Si ſine deliberatione dedit Deus totum quod eſt, nónne cum conſilio & ſuffragio eiuſdem bonitatis dabit, vt ſaltem videamus quod eſt ? & ſi quidem non dat eſſe, dabit ſuſpicere; ſi non dat poſſidere, dabit frui; ſi non dat viuere eadem vitâ, dabit viuere ſimili vitâ æterna, cuius pignus tam habet anima, videns generationem vbi non eſt mors. Quomodo non amabimus totâ mente & viribus Deum, conſiderantes illam auroram charitatis ardentis, cum illibatus & primus ros donorum ſuorum quem dat, ſit ipſum incendium charitatis, ipſe amor in eâdem ſubſtantiâ, vt tantùs ſit amor quantus eſt Deus, & in eadem donatione amoris det eſſentiam ſuam infinitam? Nam primum donum eſt amor ipſe, & totum illud infinitum eſſe quidquid eſt Dei. Quas arrhas beneuolentiæ ex hoc ſumet anima, cognoſcens tam auſpicato quaſi initiati beneuolentiam Dei, & tam felix exordium bonitatis diuinæ ? vt gaudeat etiam amari eximio illo amore, ſéque accendat ad amandum illum, & imitandum tantam bonitatem, dando ſeipſam Deo, nihil ſibi relinquendo; cùm nihil ſibi relinquat; ſuæ ſubſtantiæ Pater, quod non communicet Filio, & vterque Spiritui ſancto. In exceſſu huius conſiderationis, & conſideratione huius exceſſus, per luculentam caliginem fit ineffabilis animæ & Dei communicatio, & vnio intima. Anima tranſit in Deum per gratiam & amorem : quæ licet maneat in ſe naturâ ſuâ, nen manet affectu, & Deus tranſit in animam per indulgentiam & charitatem, quamuis maneat in ſe Maieſtas ſua

O ſuma Patris bonitas, ſumma Verbi ſapientia, ſumma Spiritus ſancti ſuauitas, concede, vt te vnum Deum reuerear, trinum colam, bonum admirer, amantem imiter, ſuperexcellenti humilier, viſo fruar, adhærens tibi per æternitatem, factus vnus ſpiritus tecum, & interim adorans tuam Maieſtatem. In ſpiritu & veritate deſiderem veritatem, ſpiritum, & ſuperueriſſimam, ſuperſpiritualiſſimam, ſupereſſentialemque tuæ Trinitatis & vnitatis excellentiam palàm intueri.

INDEX

Digitized by Google

INDEX IN QVO BIBLIORVM Sententiæ explicantur.

Prior numerus Paginam, Poſterior Columnam deſignat.

Geneſeos.

Cap.1. v.2. TERRA autem erat inanis & vacua. pag.24. col.1
v.21. Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſupra terram. pag.59. col.1
v.31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. p.111. col.1
3.v.14. Terram comedes. p.171.c.1
4.v.4. Obtulit adipem cum primogenitis, p.109. col.1
v.10. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. p.130. col.2
v.11. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram. p.122.c.1
6.v.11. Omnis caro corruperat viam ſuam ſupra terram, pag.171.c.2
9.v.4. Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis, p.123.c.2
13.v.1. Aſcendit ergo Abraham de Ægypto ipſe & vxor eius; erat autem diues valde in poſſeſſione argenti & auri. p.35.c.2
15.v.1. Noli timere Abraham; ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, p 8.1
v.10. Diuiſit ea per medium. p.112.c.2
18.v.2. Cum vidiſſet Abraham tres viros cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in terram, & dixit, Domine, &c. p.31.c.2
19.v.1. Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, &c. p.136.c.1
v.16. Apprehenderunt manum eius, p.191.c.2
21.v.8. Fecit Abraham grande conuiuium. p.61 col.1
23.v.4. Aduena ſum & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum. p.32.c.1
25.v.6. Deditque Abraham cuncta, quæ poſſederat filio ſuo Iſaac, filiis autem concubinarum, largitus eſt munera, p.7.c.2
27.v.27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, p.67.c.2
28.v.12. Angelos aſcendentes & deſcendentes, p.62.c 2
31.v.5. Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes. p.181.c.2
32.v.20. Placabo illum muneribus, p 83.c.2
v.25. Tetigit Angelus femoris eius neruum, qui ſtatim emarcuit, & manſit claudus. p.65.c.2
37.v.4. Fratres oderant Ioſeph, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. p 82 c.1
49.v.22. Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens. p.59 c.2

Exodi.

Exod.1. v.22. ÆDificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithon, & Rameſſes. p.36 col.2
3.v.2. Apparuit ei Dominus de medio rubi. p.186.c.1
v.5. Solue calceamenta de pedibus tuis. p.195. col 1
v.18. Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro. p 10.c.2
8.v.26. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. p.146.c.1
9.v.16. Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. 134.c.1
15.v.6. Dextera manus Domini confregit inimicum. p. 8.c.1
v.17. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ. p. 3. c.1
v.19. Ambulauerunt per ſiccum in medio eius. p. 183. c.1
23.v.4. Si occurreris boui inimici tui, reduc ad eum, ſi videris aſinum odientis te ſub onere iacere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. p. 122.c.1
c.20. Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua, p.350.c.2
25.v.3. Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis, aurum & argumentum, & æs, & hya-

cinthum & purpuram, coccumque biſtinctum, & byſſum, & filos caprarum col.2
26.v.2.Latitudo quatuot cubitorum erit p.124 col.1
28.v.9.Sumeſque duos lapides onychinos,& ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, & incluſos auro p.106 col.2
v.22.Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo p.105.c.2
v.30.Pones in rationali iudicij doctrinam,& veritatem, quæ erunt in pectore Aaron,&c. p.170.c.2
v.33.Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies mixtis in medio tintinnabulis p.194.c.1
32.v.32.Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro vitæ p.183.c.2 & p.183.c.1
33. Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor pag.370 col.2

Leuitici.

C.2.v.4. CVm autem obtulerit ſacrificium coctum de clibano,de ſimila, lagana, azyma oleo lita offerat p.145.c.2
v.11.Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies p.171.c.2
v.15.Ne auferas ſal fœderis Dei de omni ſacrificio tuo, nec non, & in omni ſacrificio ſal offeres p.169
17.v.10.Homo quilibet, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo p.123.col.2
19.v.18.Non quæras vltionem, nec memoreris iniuriæ ciuium tuorum p.122.col 1
v.19.Diliges amicum, ſiue proximum ſicut teipſum p.122.col.1
v.23.Quando ingreſſi fueritis terram,& plantaueritis in ea ligna pomifera,auferetis præputia eorum p.61.col.1
25.v.23.Terra quoque non vendetur in perpetuum;quia mea eſt,& vos aduenæ, & coloni mei eſtis p.39.col.1

Numeri.

C.11.v.31. & 32. VOlabant in aëre duobus cubitis in altitudine ſuper terram. Surgens ergo populus congregauit &c. p.95.c2
12.v.3.Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines,qui morabantur in terra p.46.c.1
21.v.5.Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo p.35.c.1
v.5. Cur eduxit nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine, deeſt panis, non ſunt aquæ p.12.c.1
21. Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. ibidem
v.22.Obſecro vt tranſire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis p.27 col.2

Deuteronomij.

C.16. v.21. NOn plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei p.158 col.2
21.v.18.Si genuerit homo filium contumacem,& proteruum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit p.179.col.1
32.v.35.Mea eſt vltio, & ego retribuam p.141 col.1
33.v.2.Et in dextera eius ignea lex pag.150.c.2 & 190.2
v.18.& 19 Lætare Iſachar in tabernaculis tuis, populos ad mentem vocabunt,ibi immolabunt victimas iuſtitiæ, qui inundationem maris quaſi lac ſugent p.64.col.2

Ioſue.

Cap.10. v.12.& 13 SOl contra Gabaon ne mouearis, luna contra vallem Aialon; ſteteruntque ſol,& luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis p.123.c.1
15.v.19.Dedit Caleb irriguum ſuperius & inferius p.97.c.2

Iudicum.

3.v.31. POſt hunc fuit Sangar, qui percuſſit de Philiſtim ſexcentos viros vomere p.280. col.2
Si Dominus voluiſſet nos occidere, non ſuſcepiſſet ſacrificium de manibus noſtris pag.374.col.1

1. Regum.

2.v.8. DOmini ſunt cardines terræ, poſuit ſuper eos orbem pag.18.c.2
3.v.19.Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram p.192.c.2
16.v.1. Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem, prouidi enim in filiis eius mihi Regem p.50.2
24.v.10.Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum,aduerſùm te? Pater mi vide,& agnoſce oram chlamydis tuæ in manu mea &c. p.93.c.2
v.18. Iuſtior es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala pag.83.col.2
v.21. Nunc ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël p.142.c.2
25.v.29.Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & perſequens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita &c. p.111.col.1

2. Regum.

9.v.1. PVtaſne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei p.133.col.1
13.v.15.Et exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis,ita vt maius eſſet odium,quo oderat eam, amore quo ante dilexerat p.58.c.1

Digitized by Google

23.v.8.Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus p.45.c.2

3. Regum.

2.v.5. OCcidit duos viros meliores ſe Abner, & Amaſa, & reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab. p.139.c.1
6.v.22.Operuit illud auro puriſſimo p.37.col.2
v.28.Sed & omnes parietes templi per circuitum ſculpſit cælaturis variis. p.167.c.2
v.29.Fecit picturas varias, quaſi prominentes de pariete,& progredientes p.66.c.2
v.30.Sed & pauimentum domus texit Salomon auro intrinſecùs, & extrinſecùs p. 109. col.2
7.v.29.Leones pariter, ac boues p.174.c.2
17.v.6.Corui deferebant ei panem, & carnes manè: ſimiliter panem, & carnes veſperi p.186.c.2
20.v.36.Quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te Leo p.176.col.2

4. Regum.

C. 10. v.30. QVia ſtudioſè egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab,&c. p.161.c.1

2. Paralipom.

C.11.v.4. NOn aſcendetis nec pugnabitis contra fratres veſtros, &c. Qui cum audirent ſermonem Domini, reuerſi ſunt, nec perrexerunt contra Ieroboam. p.124. c.2
cap.2. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis, p.417

1. Eſdræ.

Cap.9. v.3. CVmque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei,& barbæ & ſedi mœrens, p.178.c.1

2. Eſdræ.

Cap.13. v.23. IN diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas,& filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, &c. pag.25. col. 2.
cap.4. Deus noſter pugnabit pro nobis: nos ipſi faciamus opus, p.417
cap.7. Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne fortè iraſcatur contra Regnum Regis & filiorum eius, p.450.c.1

Iobi.

C.1.v.5. MIttebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis; dicebat enim ne fortè peccauerint filij mei, &c. p.801. c.1
2.v.9.Benedic Deo & morere,ait ad illā. p.178.c.1
v.16. Condixerant vt pariter venientes, viſitarent eum, & conſolarentur, p.53.c.1
cap.3. Antequam comedam ſuſpiro,& tanquam inundantes aquæ,ſic rugitus meus, p.359 col. 1
5.v.5. Cuius meſſem famelicus comedet, p.187 col. 2
v.7. Homo naſcitur ad laborem,& auis ad volatum, p.88. c.1
v.23. Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi, p.79.c.2
6.v.6. Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum, p.65. c.1
v.7. Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt, pag.65. col. 2
cap.11. Fœtorem eſſe video eſcas meus ſicut eſt odor Leonis; p.359
cap.12.Interroga iumenta & docebunt te,& volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & reſpondebit tibi; & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit? p.346
cap.13. Poſuiſti in neruo pedem meum, p.359 col. 1
13.v.25. Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris, p.135. c.1
16.v.2. Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis, p.53. c.1
19.v.22. Quare perſequimini me ſicut Deus? p.140.c.2
20.v.14. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus, p 6.c.1
v.20.Non ſatiabitur venter eius, & cum habuerit,quod cupierit, poſſidere non poterit, p.96. c.1
24.v.24. Ad modicum eleuati ſunt, & non ſubſiſtent, humiliabuntur ſicut omnia & auferentur: & ſicut ſummitates ſpicarum conterentur, p.8.c.2
28.v.15. Aurum obrizum, p.37.c.2
29.v.14. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, p.107.c.1
30.v.22. Eleuaſti me,& quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me validè, p.8.c.2
31.v.25. Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis, & quia plurima reperit anima mea, p.52. col. 2
v.26.Si vidi Solem cum fulgeret,& Lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, p.53.c.1
33.v.26. Videbit faciem eius in iubilo, pag.90. col. 1.
38.v.5. Quis tetendit ſuper eam lineam? p.165 col. 1
v.8 9.& 10. Quis concluſit oſtiis mare? Circumdedi illud terminis meis, atque poſui vectem,& oſtia,& dixi: huc vſque venies, & non procedes amplius, p.106.c.2
v.18.& 19. Indica mihi,ſi noſti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit, vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, &c. p.151.c.1
v.36. Quis dedit gallo intelligentiam? p.195. col. 1
39.v.8. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, p.3. col. 1
v.19. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? p.195.c.2

v.26. Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum, p.24.c.2
v.27. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi, p.25.c.2

Pſalmorum.

Pſ.1.v.3. TAnquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſusaquarum, p.60
2.v.9. Reges eos in virga ferrea, p.172.c.1
4.v.7. Dediſti lætitiam in corde meo, p.151.c1
v.4. Iraſcimini & nolite peccare, p.419
v.7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, p.134.c.1
6.v.2. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, p.175.c.1
v.7. Lacrymis meis ſtratum meum rigabo, p.49. c.1.
7.v.5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. p.139.c.1
v.7. Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum, p.144.c.1
v.8. Exurge Domine in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te, p.160.c.2
v.16. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, p.128.c.2
11.v.6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum,nunc exurgam dicit Dominus, p.141. c.2
Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, p.450. c.2
13.v.1. Corrupti ſunt,& abominabiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. p.171.c.2
15.v.4. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt, p.12.c.1. & p.87. col. 1
16.v.1. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis. p.129.c.2
v.14. De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, p.37.c.2
17.v.27. Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris, p.128.c.1
v.30. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum, p.89.c.1
v.34. Qui perfecit pedes meos,tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me, p.93. c.1.& p.104. c.2
v.36. Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit, pag.41. col. 2
18.v.6. Exultauit vt gigas ad currendam viam à ſummo Cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, p.121.c.2
21.v.27. Edent pauperes & ſaturabuntur, p.57. col. 1
22.v.4. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt, p.87.c.2.& p.172.c.1
23.v.3. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſanctos eius. p.77.c.1
25.v.8. Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, p.163. col. 2
27.v.1. Deus meus, ne ſileas à me, ne quando taceas à me,& aſſimilabor deſcendentibus in lacum, pag.147. col.1
29.v.2. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, p.163.c.1
d.12. Conſcidiſti ſaccum meum,& circumdediſti me lætitia, p.49.c.2.& p.50.c.1
32.v.12. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus pag.51.
33.v.3. Audiant manſueti, & lætentur, p.42. col. 1
v.9. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, p.69.c.1
v.15. Inquire pacem,& perſequere eam, p.81 c.2.& p 94.c.1
34.v.6. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens, p.48. col. 1
v.28. Tota die Laudem tuam, p.161.c.2
36.v.11. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabantur in multitudine pacis, pag.42.col.1.& pag.43.col.1.2.& p.93. col. 1
v.30. Os iuſti meditabitur ſapientiam, p.195 col.2.
37.v.6. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ,à facie inſipientiæ meæ, pag. 171. col 2
38.v.13. Aduena ſum & peregrinus,ſicut omnes patres mei. p.26 c.2
40.v.2. Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus:Dominus conſeruet eum & viuificet eum, p.73.c.1
41.v.2. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,ita deſiderat anima mea ad te Deus, p.65. c.2.& 87.c.2
v.4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus, p.6. c.1. & p.52. c.1. & p.64. c.1
43.v.1. Filiis Chore, p.131.c.2
44.v.5. Propter veritatem, & manſuetudinem,& iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua, p.172.c.2
v.10. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate, p.108.c.1 & p.193.c.1
48.v.5. Aperiam in pſalterio propoſitionem meam, p.159.c.2. & p.195.c.1
v.12. Et relinquent alienis diuitias ſuas, p.33 col.1.
49.v.11. Et pulchritudo agri mecum eſt, pag.67 col. 2
50.v.14. Spiritu principali confirma me, p.108 col. 1
51.v.8. Videbunt iuſti & timebunt, ſuper eum ridebunt, & dicent ecce homo, pag.10 col. 2
56.v.1. Ne diſperdas Dauid, p.142.c.1
59.v.13. Da mihi auxilium de tribulatione, p.87.c.2.
65.v.6. In flumine pertranſibunt pede, pag.38 col. 2
v.15. Holocauſta medullata offeram tibi,p.109 col 1.
61.v.11. Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere, p.38. c.1
65.v.12. Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. p.169
67.v.14. Si dormiatis inter medios Cleros,pennæ columbæ deargentatæ. p.25.c.1

58.v.33.

Digitized by Google

58.v.33.Videant pauperes & lætentur. pag.97. cap.1
70.v.7.Tanquam prodigium factus ſum multis, p.69.c.1
72.v.20.In ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges, p.20.c.2
v.24. Tenuiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. p.191 c.2
v.26.Pars mea Deus in æternum, p.55.c.1
75.v.5.Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, p.151.c.2.& p.154.c.1
75.v.4. Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. p.51.c.3
77.v.27. Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, &c. p.v.95 c.2
v.30. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, pag 177. col.2
79.v.6. Cibabis nos pane lachrymarum, pag.6. col.1
v.11.Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius, p.60.c.1
80.v.8. Exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquas cōtradictionis, p.93 col.2
83.v.1. Pro torcularibus, p.88.c.2
Pſ.2 Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, p.62.c.2
v.3. Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, p.65.col.2
v.8. Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion. p.60.col.2
94.v.8. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. pag.5. col.1
87.v.6.Ipſi vero de manu tua repulſi ſunt.p.112. col.1
Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia Dei, & iuſtitia eius in terrâ obliuionis? p.345.c.1
88.v.3.Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis. p.74.c.1
89.v.9. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, p.23.c.1
v.11.Quis nouit poteſtatem iræ tuæ. pag.8. col.2
Pſ.91. Quam magnificata ſunt opera tua Domine! Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet & ſtultus non intelliget hæc. p.344
94.v.1.Venite exultemus Domino, Iubilemus Deo ſalutari noſtro. p.49.col.1
97.v.5.Pſallite in tubis ductilibus. p.91.c.2
100.v.8 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, p.177.c.2
103.v.8. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi. p.154.c.2
Pſ.103.Emittit fontes in conuallibus, inter mediū montium pertranſibunt aquæ, potabunt omnes beſtiæ agri. Expectabunt onagri in ſiti ſuâ. ſuper eâ volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces, &c.
v.23.Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperā, p.157.c.1
105.v.20. Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. p. 161, col.2
110.p.3. Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, p.62.c.2
114.v.5.Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur, p.175.c.1
118.v.18. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. pág.27.c.1.& 42. col.1
v.20. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. pag.98. col.1
v.32.In via mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum meum. p.48.c.1
v.38.Statue ſeruo tuo Eloquium tuum in timore tuo. p. 181.c.1
v. 82.Quando conſolaberis me, quia factus ſum ſicut vter in pruina. p.52.c.2
v.85.Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. p. 65.c.1
v.96.Latum mandatum tuum nimis. p. 120. col. 1
v.109. Anima mea in manibus meis ſemper. p. 40.c.2. &. 143.c.2
v.112.Inclinaui cor meum ad faciendas Iuſtificationes tuas in æternum. p. 62. 2.
v.119.Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. p. 185.c.2
v.127.Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. p. 98.c.1
v.131.Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. p.52.c.1
v.133.Greſſus meos dirige. &c. p. 61.c.2
v.140.Ignitum Eloquium tuum vehementer. p. 160. c.1
v.151.Prope es tu Domine, & veritas tua in circuitu tuo. p.129.c.2
Pſal.118.Anima mea in manibus meis ſemper & legem tuam non ſum oblitus, p. 459.
119.v.7.Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis, p. 95.c.1 & 2
127.v.2. Labores manuum tuarum, manducabis, beatus es, & bene tibi erit. p. 64. c.1
130.v.1.Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me, p. 164. c.2
v.2. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, p.164. c.2
131.v.9.Sacerdotes tui induant iuſtitiam, p.159. c. 2
132 v.1.Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, p.117.c.1
v.2. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron, quod deſcēdit in oram veſtimenti eius. p.154.c.2
136.v.1.Super flumina Babilonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. p.7. c.2. & 97.2
v.4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. p.194.c.2
138.v.12. Quoniam tenebræ non obſcurabuntur à te. p.74.c.2
v.17.Nimis confortatus eſt principatus eorum, p.31.c.2
140.v.2. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. p. 129.col.2
v. 6. Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices, eorum

rum pagina 37.c.1
Pſ.144.Propè eſt Dominus omnibus inuocanti-
v.18. buseum . p.129.c.2
Pſ.147.Qui poſuit fines tuos pacem & adipe
v.14. frumenti ſatiat te p.43.col.2

Prouerbiorum.

Cap.1. DEglutiamus eum ſicut infernus vi-
v.12. uentem p.71.col.1
v.22.Vſquequo paruuli diligitis infantiam
p.61.c.2
2.v.12.Exultant in rebus peſſimis, & de ſua per-
ditione lætantur p.21.col.2
2.v.17.Viæ eius pacificæ p.48.c.1
4. Poſſide ſapientiam & in omni poſſeſſio-
tuâ acquire prudentiam, arripe illam &
exaltabit te: glorificaberis ab eâ, cùm
eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo
argumenta gratiarum, & corona inclyta
proteget te. Audi, fili mi, & ſuſcipe verba
mea, vt multiplicētur tibi anni vitæ 472.2
Suſcipiat verba mea cor tuum cuſtodi præcepta
mea, & viues. Poſſide ſapientiam, poſſide
prudentiam, ne obliuiſcaris, neque decli-
nes à verbis oris mei. Ne dimittas eam,
& cuſtodiet te: dilige eam & conſerua-
bit te p.429
4.v.18.Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens pro-
cedit, & creſcit vſque ad perfectum diem
p.47.c.2.& 58.c.2
v.23. Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, ex ipſo
vita procedit p.78.col.2
6.v.6. Vade ad formicam, ô Piger &c. p.67.c.1
v.12.Vir apoſtata prauo corde machinatur ma-
lum, & in omni tempore iurgia ſeminat
p.136.c.1
v.16. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum
deteſtatur anima eius p.136.c.2
7. Serua mandata mea, & viues; & legem
meam quaſi pupillam oculi tui, p.401
8.v.35.Qui me inuenerit inueniet vitam, &
hauriet ſalutem à Domino, p.4.c.1
9.v.3. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem
& ad mœnia ciuitatis p.193.c.2
v.13. Stulta & clamoſa, plenaque illecebris, &
in excelſo vrbis loco in foribus domus
ſuæ, ſuper illam ſedent p.6.c.1
10.v.4.Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, ma-
nus autem fortium diuitias parat p.67.c.1
v.9. Qui ambulat ſimpliciter ambulat confi-
denter p.101.c.2
v.15. Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius
p.19.c.2
12.v.21.Non contriſtabit iuſtum quidquid ei ac-
ciderit p.56.c.2
14.v.11.Domus impiorum delebitur; tabernacula
iuſtorum germinabunt p.27.c.1
v.24. Corona Sapientum diuitiæ eorum p.75.
col.1
14. Stulti malitiā inter ſe partiuntur p.391.2
14. Iuſtitia eleuat gentem p.414.c.2
15.v.1. Reſponſio mollis frangit iram, ſermo du-
rus ſuſcitat furorem p.82.c.2
v.4. Lingua placabilis lignum vitæ p.84.c.1
v.19. Via Iuſtorum abſque offendiculo p.48
col.1
16.v.32.Melior eſt patiens viro forti, & qui do-
minatur animo ſuo expugnatore vrbium
p.135.c.1
17.v.8.Gemma gratiſſima expectatio præſtolan-
tis p.55.c.2
21. Vir obediens loquetur victorias p.418.c.1
22. Eiice deriſorem & exibit cum eo iurgium,
ceſſabuntque cauſæ & cōtumelia, p.361
col.1.
Prou.19.Peſtilente flagello, ſtultus ſapientior erit
pag.361
24.v.17.Cum ceciderit inimicus tuus, non gau-
deas, ne fortè videat Deus, & diſpliceat
illi, & auertat iracundiā ſuā ab eo 128.c.1
25.v.2.Gloria regum eſt inueſtigare ſermonē 170
v.15.Lingua mollis cōfringit duritiam p.99c.2
v.21.Si Eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi
ſitierit da ei aquam bibere p.122.c.1
2.v.7. Anima ſaturata calcabit fauum; & ani-
ma eſuriens etiam amarum pro dulci ſu-
met p.63.c.2
30.v.15.Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer,
affer p.69.col.2
v.28.Stellio manibus nititur, & moratur in
ædibus regum p.9.c.2
31.v.2.Non timebit domui ſuæ à frigoribus ni-
uis, omnes enim domeſtici eius veſtiti
ſunt duplicibus p.123.c.2
v.14.Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe
portans panem ſuum p.67.c.1
v.21.Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt dupli-
cibus p.13.col.1
v.31.Date ei de fructu manuum ſuarum, &
laudent eam in portis opera eius p.60
31. Verba Lamuëlis Regis. Viſio, qua erudi-
uit eum mater ſua. Quid dilecte mi, quid
dilecte vteri mei, quid dilecte votorum
meorum? Ne dederis mulieribus ſubſtan-
tiam tuam, & diuitias tuas ad delendos
Reges. Noli Regibus, ô Lamuël, noli
Regibus dare vinum: quia nullum ſecre-
tum eſt vbi regnat ebrietas, & ne fortè
bibant, & obliuiſcantur iudiciorum &
mutent cauſſam pauperum, &c. 444.2

Eccleſiaſtis.

C.1.v.2. VAnitas vanitatum p.21.c.& 23.c.2
v.8. Non ſaturatur oculus viſu, nec au-
ris impletur auditu p.57.col.2
Omnia flumina intrant in mare & mare non re-
dundat: ad locum, vnde exeunt, flumina
reuertuntur, vt iterum fluant p.44
5.v.9. Auarus non implebitur pecunia p.69.
c.2.& p.71.c.1
v.9. Qui amat diuitias non capiet fructum ex
eis p.38 c.2
6.v.10. Vbi multæ ſunt opes, multi & qui co-
medunt eas p.57.c.2
7.v.4. Per triſtitiam vultûs corrigitur animus
delinquentis p.178.c.1
8. Et intellexi, quod omnium operum Dei
nullam poſſit homo inuenire rationem
eorum quæ fiunt ſub Sole: & quanto plus
laborauerit ad quærendum, tanto minùs
inueniat; etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe,
non poterit reperire p.344
9. Sunt iuſti atque ſapientes & opera eo-
rum in manu Dei: & tamen neſcit ho-
mo, vtrùm amore an odio dignus ſit: ſed
omnia in futurū ſeruātur incerta, eò quòd
vniuerſa æquè eueniāt iuſto & impio, bo-
no & malo, mūdo & immundo, immolanti
victimas

Digitized by Google

victima & ſacrificia contemnenti. Sicut bonus, hoc & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. p. 345.
10.v.15. Labor ſtultorum affliget eos, quia neſciunt in vrbem pergere. p.48.c.2
11.v.1. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum. p.75.c.1

Canticorum.

Cap.1.v. INtroduxit me rex in cellaria ſua.p.20. col.2
v.5. Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui, p.183.c.2
v.6. Dic mihi vbi paſcas, vbi cubes. p.63.c.1
v.10. Oſculetur me oſculo oris ſui. p.11.c.1
v.15. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. p.112. c.1
v.16. Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. p.156.c.2
v.16. Lectulus noſter floridus. p.167. c.2
2.v.3. Sub vmbra illius, quem deſideraueram; ſedi. p. 23. c.2
v.4. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. p.108.1.& 2
v.12. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, p.180.c.1
v.14. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, p.194.c.2
v.74. Vox tua dulcis, & facies tua decora, p 154.c.1
3.v.1. In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum & non inueni. p.68.c.1
v.2. Surgam, & circuibo ciuitatem p. 42.& 66.c.1
v.6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij, p.13.c.2.p.35.c.2.& 168.c.1
4.v.2. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, p.35.c.2.
4.v.4. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana de vertice Sanir & Hermon,&c,p.62.c.2. & 143.c.2
v.16. Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum. p.123.c.2
5.v.1. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. Comedite amici,&c. p.94.c.1
v.2. Caput meum plenum eſt rore, cincinni mei guttis noctium. p.54.c.1
v.6. Quæſiui, & non inueni illum, vocaui, & non reſpondit mihi. p.89.c.1
v.6. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. p.55.c.1
6.v.3. Pulchra es amica mea ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, p.108.c.2 & p.167.c.2
v.9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? p.11.c.1
7.v.1. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis, pag.28.c.2.& 30. col.1.& 61.c.2
v.6. Comæ capitis tui ſicut purpura regis, p.32.c.1
v.7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ,p.30.c.2 & 158.c.2
v.11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum: ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica. p.62.c.1
v.12. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, p.66.c.1.& 158.c.2
8.v.2. Dabo tibi poculum ex vino condito. p.145.c.2
v.6. Fortis eſt vt mors dilectio. p.110.c.1
v.7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. p.144.c.2
v.7. Nec flumina obruent illam. p.110.c.2

Sapientia.

Cap.1. IN maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. p.431
3.v.1. Non tanget illos tormentum mortis. p.56. col.2
v.4. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. p.55.c.2
4.v.1. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. p.403.c.2
Cap.4. Videbunt finem ſapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus & quare munierit illum Dominus, p. 345. col.1
Cap.5. Stabunt iuſti in magnâ conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum, & turbabuntur timore horribili, &c. p.388
Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam,&c. ibid.
Ergo errauimus à viâ veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non ortus eſt nobis. ibidem
5.v.6. Ergo errauimus è via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. p.47.c.2
Cap.6. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis legem iuſtitiæ,neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis,&c. p.416.c.1
Cap.6. Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis, p.429
C.7. Quoniã antecedebat me iſta Sapientia p.429
2. Præpoſui illam regnis & ſedibus,& diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniã omne aurum in comparatione illius,arena eſt exigua,& tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem,&c. ibidem
7.v.26 Speculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius. p.137.c.2
8. Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute meâ, & quæſiui ſponſã mihi eã aſſumere,& amator

Digitized by Google

tor factus ſum formæ illius. Quid ſapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? Si autem ſenſus operatur, quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex: Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum; ſciens quoniam mecum communicabit, &c. pag.166.c.1

cap.9. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, p.340.c.2

Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè & cuſtodiet me in ſuâ potentiâ. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, p.431

cap.10. Iuſti tulerunt ſpolia impiorum, pag.371 col.2

11.v.24. Miſereris omnium, quia omnia potes, p.134.c.1

Eccleſiaſtici.

Cap.1. v.10. Effudit illam ſuper omnia opera ſua, pag.157.c.2

2.v.3. Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, p.87.c.2

3.v.20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, p.166.c.1

6.v.5. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua Eucharis in bono homine abundat. p.82.c.2

18.v.15. In omni dato non des triſtitiam verbi mali: nonne ecce verbum ſuper datum bonum? Sed vtraque cum homine iuſtificato, p.72.c.1

21.v.11. Via peccantium complantata eſt lapidibus: & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ, p.48.c.1

v.24 Ornamentum aureum prudenti doctrina, & ſicut brachiale in brachio dextro, p.159.c.1.

24.v.11. In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor, p.44.c.1

cap.27. Vaſa figuli probat fornax & homines iuſtos tentatio tribulationis, p.388

v.29. Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient, p.69.c.1

28.v.15. Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, p.84.c.2

v.16. Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit, &c. pag.84.c.2 & p.136.c.2

30.v.8. Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps, pag.180 col.1

33.v.5. Præcordia fatui quaſi rota carri, p.79 col.2

44.v.10. Hi ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defecerunt, p.74.c.1

45.v.2. In verbis ſuis monſtra placauit, p.46. col.1

46.v.5. An non iracundia eius impeditus eſt ſol, p.123.c.1

Iſaiæ.

Cap.1. v.15. Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, p.129.c.1

v.22. Vinum tuum mixtum eſt aqua, pag.183 col.2

2.v.3. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, p.3.c.2

v.4. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, p.43.c.1

4.v.2. Germen Domini in magnificentia & gloria, p.44.c.2

5.v.21. Væ quia ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes, p.200 col.2

6.v.21. Anno quo mortuus eſt rex Ozias vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, &c. p.61.c.1

9.v.6. Vocabitur nomen eius princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, p.80.c.2

11.v.14. Idumæa, & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt, p.191.c.1

16.v.1. Emitte agnum Domine dominatorem terræ, p.45.c.1

21.v.12. Si quæritis, quærite, p.66.c.1

28.v.5. Erit Dominus corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui, pag.49. col.2

v.20. Pallium breue vtrumque operire non poteſt, p.50.c.1

33.v.7. Angeli pacis amarè flebunt, pag. 85. cap.1

37.v.3. Venerunt filij vſque ad partum, & non erat virtus pariendi, p.66.c.1

40.v.9. Super montem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion, p.3.c.2. p.192.c.1 & p.194.c.2

47.v.1. Deſcende, ſede in puluere filia Babylonis, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, p.185.c.2

48.v.9. Infrænabo te laude mea, pagin. 195. col.2

c.45. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, p.408.c.2

c.46. Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à meâ vuluâ. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego porto: ego feci, & ego feram, ego portabo ac ſaluabo. p.445

v.10. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis, p.18 col.1

v.18. Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, pag.85 col.1

49.v.2. Poſuit os meum, quaſi gladium acutum, & poſuit me ſicut ſagittam electam, p.160.c.1

v.18. Viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus quaſi ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa, p.156. col.1

53.v.12.

Digitized by Google

53.v.12.Et pro tranſgreſſoribus rogauit. p. 130. col. 2
54.v.16.Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. p. 91. c. 1
57.v.19.Creauit fructum labiorum pacem his, qui longe, & pacem his qui prope p. 196. c. 1.
58.v.1.Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. p. 192. c. 2
v.12.Vocaberis ædificator ſæpium, auertens ſemitas iniquitatis. p. 124. c. 1
v.14.Suſtollam te ſuper altitudines terræ. p. 26. c. 1.
61.v.6.Miſit me vt conſolarer omnes lugentes; vt ponerem conſolationem lugentibus Sion. p. 50. c. 2
65.v.20.Puer centum annorum morietur. p. 61. c. 2
66.v.2.Ad quem enim reſpiciam niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos. p. 101. c. 1
v.13.Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos. p. 50. c. 1

Ieremiæ.

Cap. 1. v. 11. Virgam vigilantem ego video. p. 177. col. 2.
v. 14.Ab aquilone pandetur omne malum. p. 123. c. 2
2.v.22.Si laueris te nitro. p. 178. c. 2
v. 24.Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui. p. 52. c. 1
4.v.22.Sapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. p. 184. c. 1.
9.v.5. Docuerum linguam ſuam loqui mendacium; vt iniquè agerent, laborauerunt. p. 48. c. 1
13.v.15.Germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ. p. 44. c. 2
15.v.5.Quis miſerebitur tui Hieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua. p. 125. c. 2
17.v.16.Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens & diem hominis non deſideraui, p. 53. c. 1
31.v.13.Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, p 49. c. 2
35.v.5.Poſui coram eis ſcyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos bibite vinum. p. 124 col. 1

Threnorum.

Cap. 1. v. 15. Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. p. 156. c. 1
3.v.30.Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur, opprobriis. p. 64. c. 1
4.v.1. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. p. 106. c. 2 & 114. c. 1
v.5. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora p. 104. c. 1

Baruch.

Cap. 3. v. 34. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. p. 161. c. 2

Ezechielis

Cap. 1. v. 12. Coram facie ſua ambulabant, gradiebantur, nec reuertebantur. p. 62. col. 2
9.v.4. Signa thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Ieruſalem. p. 50. c. 2
13.v.18.Væ his qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus; & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. p. 179. c. 1
16.v.10.Calceaui te ianthino. p. 30. c. 2
29.v.3.Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius. p. 39. col. 1
34.v.29.ſuſcitabo eis germen nominatum. p. 44. col. 2
40.v.43.Et labia earũ palmi vnius reflexa intrinſecus per circuitum. p. 195. c. 1
47.v.12.Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum. Non deflues folium ex eo, & non deficiet fructus eius. &c. p. 60. col. 2.

Danielis.

Cap. 6. v. 3. Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas, quia ſpiritus Dei amplior erat in illo. p. 155. c. 1
12.v.3.Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. p. 196. c. 2

Oſeæ.

Cap. 1. v. 4. Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu. p. 162. c. 2.
4.v.16.Nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine. p. 8 c. 1
6.v.4. Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens. p. 74. c. 1
10.v.1.Vitis frondoſa Iſraël. p. 23. c. 2
11.v.4 In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. p. 83. c. 1
Ego, quaſi nutritius Ephraim, portabã eos in brachiis meis & neſcierunt quod curarem eos. p. 435. c. 1
14.v.8.Memoriale eius quaſi vinũ Libani. p. 54. c. 1

Amos.

Cap. 4. v. 7. Pluit ſuper vnam ciuitatem, & ſuper aliam non pluit. p. 119.
v. 5. Fortia peccata veſtra: hoſtes iuſti accipientes munus & pauperes deprimentes in porta. p. 450. c.

Habacuc.

Cap. 1. v. 10. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. p. 37. c. 1
2.v.5. Dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors & non adimpletur. p. 71. c. 1

Digitized by Google

Sophoniæ.

Cap. 1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis p.388 col. 2
2.v.14. Onocrotalus & hericius in liminibus morabuntur p.71.col.1
cap.3. Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina p.451

Zachariæ.

Cap.2. Qvi tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei p.401
3.v.8. Adducam ſeruum meum orientem p.44. col.1
11.v.17. Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur p.183.c.2
v.17. O Paſtor, & Idolum p.166.col.1

Malachiæ.

C.2.v.7. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiã, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt p.170.c.2

1. Machabæorum.

C.8.v.1. Cvm eſſent potentes viribus; acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis p.134.c.2

Matthæi.

C.5.v.1. Videns autem Ieſus turbas aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerum ad eum diſcipuli p.1
v.3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum p.100.col.1
v.7. Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus p.76.c.1
v.13. Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus p.169.c.1
v.16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona p.192.c.2
v.43. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum p.122.c.1
v.44. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, pagina 117. col.1
v.46. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne Ethnici hoc faciunt p.117.c.1
6.v.9. Sanctificetur nomen tuum pagina 163 col.1
v.16. Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes p.78.c.1
v.16. Amen dico vobis, ſi non dimiſeritis peccata hominibus, neque pater veſter dimittet vobis p.126.c.1
v.20. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt p.75.col.2
v.26. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis? p.352 col.2
9.v.30. Aperti ſunt oculi, & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam p.43.c.1
11.v.29. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde p.44.col.2
cap.12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt p.298.c.2
13.v.25. Et ſuperſeminauit zizania in medio tritici p.177.c.2
v.33. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum p.158.1.& 181.c.
v.44. Simile eſt regnum cælorum Theſauro abſcondito in agro p.67.col.2
v.19. Dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis p.154.col.2
15.v.8. Hypocritæ bene prophetauit de vobis. Iſaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me, p.78 col.1
17.v.5. Ipſum audite p.153.col.2
18.v.32. Serue nequam omne debitum dimiſi tibi p.121.c.2
19.v.24. Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare regnum cælorum p.34.c.2
22.v.37. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua &c. In his duobus præceptis tota Lex pendet & prophetæ p.116.c.1
v.40. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet p.105.c.1
23.v.5. Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus p.161.col.2
24.v.12. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum p.110.c.1
v.19. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus p.66.c.2
25.v.21. Euge ſerue bone, &c. p.60.col.2
v.23. Intra in gaudium Domini tui, p.91.col.1
cap.25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum p.385.col.1
v.34. Venite benedicti patris mei, poſſidete mecum regnum cœlorum prouiſum vobis à conſtitutione mundi p.75.c.2.
v.43. Hoſpes eram, & non collegiſtis me: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis p.74.c.2
26.v.39. Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte p.81.col.
27.v.4. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me p.133.c.2

Marci.

C.9.v.49. Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos p.83.c.1
10.v.30. Accipiet centies tantum, nunc in tempore, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam p.90.c.1

Lucæ.

Cap.2. v.52. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & gratia apud Deum, & homines p.63.c.1
3.v.17. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit

Digitized by Google

mundabit aream ſuam,& triticum quidem recondet in horrea ſua;paleas autem comburet, &c. p.8.c.2
5.v.8. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum p.181.c.1
6.v.27.Verumtamen diligite inimicos veſtros benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa p.109.c.1
Cap.6.Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtrã, væ vobis qui ſaturati eſtis væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebis, p.381.
7.v.50.Vade in pace p.85.c.2
10.v.5.In quamcumque domum intraueritis, dicite pax huic domui p.99.c.2
v.33.Miſericordia motus p.182.c.2
v.34.Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum,& vinum, & imponem illum in iumentum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit p.173.c.1.& p.182.c.2.
Cap.10.Diliges Deum tuum ex toto corde tuo & ex omni mente tuâ p.405.c 2.
12.v.14.Quis me conſtituit diuiſorem ſupra vos p.136.c.2
v.24.Conſiderate coruos quia non ſeminant neque metunt p.174.c.2
v.35.Sint lucernæ ardentes in manibus veſtris p.159.c.1
C.13. Succide illam: vt quid terram occupat, p.426.c.1
14.v.28.Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus &c. p.36.c.2
v.33.Sic omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus p.18.c.2
15.v.17.In ſe reuerſus dixit: ſurgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui,&c. p.65.c.2
v.22.Date annulum in manu eius p.164.col.1
v.31.Fili, tu ſemper mecum es, omnia mea tua ſunt p.35.col.2
16.v.12.Si in alieno fideles non fuiſtis, &c. p.39.c.1
16.v.9.Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula p.31.c.1
v.22.Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ p.39.c.2
Cap.16.Quia recepiſti bona in vitâ tuâ, p.381.c.
v.22.Diues autem ſepultus in inferno p.36.c.2
17.v.21.Regnum Dei intra vos eſt p.79.col.1
23.v.34.Pater, dimitte illis, non enim ſciunt,quid faciunt p.133.c.2
v.42 Domine memento mei dum veneris in regnum tuum p.132.c.2
24.v.35.Cognouerunt eum in fractione panis p.132.c.2

Ioannis.

C.1.v.9. Ecce agnus Dei p.45.c 2
3.v.31. Qui de terra eſt, de terra loquitur p.25.c.2
3.v.17.Bene dixiſti,quia non habeo virum p.175 col.2
v.27.Pacem meam do vobis,pacem relinquo vobis p 80.c.1
cap.4.Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare pag.462.2
6.v.27.Hunc enim Pater ſignauit Deus pag.137 col.1
8.v.6. Digito ſcribebat in terra pag.139.col.2
v.7. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat p.153 c.2
v.44.Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere p.136.c.1
9.v.4. Venit nox, quando nemo poteſt operari p.157.c.2
cap.9. Si cœci eſſetis, non haberetis peccatum nunc verò dicitis, Quia videmus, peccatum veſtrum manet, p.344
cap.10.Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant p.350
11.v.50.Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat p.155 col.1
cap.12.Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum, p.401.c.1
13.v.31.Nunc clarificatus eſt filius hominis p.86.c.2
v.33.Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum p.60.c.1
v.35.In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem p.109.c.1
14.v.21 Qui diligit me mandata mea ſeruabit,& ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipium, p.101.c.2
16.v.20.Triſtitia veſtra vertetur in gaudium p.54.col.1
v.28.Exiui à patre, & veni in mundum,iterum relinquo mundum, & vado ad patrem p.63.col.1
17.v.1.Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te p.147.c.2
18.v.13.Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſin bene, quid me cedis p.146.c.2
19.v.23.Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & tunicam &c. p.113 col.1
20.v.12.Vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad Caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum &c. p.53.c.2
v.13.Mulier quid ploras? dicit illis, quia tulerunt dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt p.51 col.1
21.v.5.Nunquid pulmentarium habetis p.61.c.2

Actorum.

C.3.v.6. AVrum & argentum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do p.31 col.1
5.v.41.Ibant Apoſtoli gaudentes in conſpectu Concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati p.81.col.2
6.v.15.Intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio viderunt faciem eius,tamquam faciem Angeli p.106.c.2
7.v.58.Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum p.130.c.1

cap.1. Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, pag.344

Ad Romanos.

Cap.1. v.14. GRæcis ac babaris, ſapientibus,& inſipientibus debitor ſum, p.155.c.1
v.18. Qui veritatem Dei iniuſtitia detinent, p.152.c.1
v.21. Cum cognouiſſent Dominum non tanquam Dominum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, p.20. col.2
5.v.1. Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum, p.85.c.2.&.p.89.c.1
v.3. Non ſolum autem ſperamus, ſed & gloriamur in tribulationibus, pagin.56. col.1
v.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, p.104.c.1
v.5. Spes autem non confundit, pagin.104 col.1
v.10. Cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, p.125. col.1
6.v.12. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, p.31.c.1
8.v.18. Quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, p.55.c.2
v.35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames? &c. Certus ſum quia neque mors neque vita, neque Angeli, pag.110.c.1.& p.121.c.2
cap.8. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, pag.386. col.1
cap.8. Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus; Sed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid ſpiritus ſapiat, p.378
cap.9. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit. Miſerebor cuius miſerebor,& miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. p.370.c.1
Quod ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſoricordiæ, quæ præparauit in gloriam. p.370.c.1
9.v.22. Volens Deus oſtendere,& notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, p.134.c.2
12.v.19. Non vos metipſos defendentes chariſſimi,ſed date locum iræ, p.141.c.1
v.21. Vince in bono malum, ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum,&c. p.82.c.2.& p.143.c.1
cap.12. O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit. Quid me feciſti ſic? p.370
O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo gloria in ſæcula, Amen, ibid.
13.v.8. Qui diligit proximum legem impleuit, p.105.c.1
v.8. Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, p.147.c.1
v.10. Plenitudo legis eſt charitas, p.103.c.2
14.v.17. Non eſt regnum Dei eſca & potus,ſed iuſtitia,& pax,& gaudium in Spiritu ſancto, p.79.c.1
v.19. Quæ pacis ſunt ſectemur, p.81.c.1
15.v.3. Etenim Chriſtus non ſibi placuit; ſed ſicut ſcriptum eſt; improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me, p.81 col.1
v.18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam verbo & factis, p.165.c.1

Ad Corinthios 1.

1.v.4. GRatias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, ita vt vobis nihil, &c. p.175.c.2
v.10. Obſecro vos, vt id ipſum dicatis omnes, p.83.c.1
2.v.9. Quia nec oculus vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe, p.104.c.2 & pag.110.c.2
3.v.10. Vt ſapiens architectus fundamentum poſui, p.158.c.1
4.v.7. Quid habes,quod non accepiſti, aut ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis, p.75.c.1
v.21. Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis, p.173.c.1
6.v.20. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro, p.163.c.1
7.v.34. Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. p.168. col.2.
9.v.22. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucri faciam. p.110.c.2
v.24. Sic currite vt comprehendatis. p.58. col.1
10.v.17. Vnus panis, & vnum corpus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. p.81.c.2
11.v.2. Laudo vos Fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. p.175.c.2.
13.v.4. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam &c. p.105.c.2. p.106.c.1.p.107. c.2.& 145.c.2
v.8. Charitas nunquam excidit. p.90.c.2
14.v.1. Sectamini charitatem, & ambulate in dilectione. p.109.c.1

Digitized by Google

Ad Corintheos. 2.

1.v.3. BEnedictus, & Pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. p. 53. col. 2

5.v.8. Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. p.28.c.2

v.18.Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. p.85.c.1

v.19. Deus propoſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. p.85.c.1

v.15. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante, reconciliationi Deo. p.102.c.1.& 124.c.2

6.v.4. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in charitate non ficta. p.114.c.2

v.10. Quaſi dolentes, ſemper autem gaudentes, p.86.c.1.& 91.c.2.

v.11. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. p.120.c.1

7.v.9. Gaudeo non quia cótriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam; contriſtati enim eſtis ſecundum Deum. p. 85.c.2

11.v.23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, p.121.c.2

v.29. Quis infirmatur, & ego infirmor? quis ſcandaliſatur, & ego vror. p. 182.c.2

12.v.15. Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. p. 183.c.1.

13.v.11. Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum. p. 44.c.1.

Ad Galatatas.

Cap. 3. v.1. O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit. p. 176.c.1

v.19. Ordinata per angelos in manu mediatoris. p. 191.c.1

5.v.12. Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. p.136.c.2

6.v.2. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. p.114.c.1

At Epheſios.

Cap. 1. v.5. QVi prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. p.137. col. 1

2.v.14. Ipſe eſt pax noſtra. p. 80.c.2

3.v.18. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum. p. 104.2

4.v.2. Cum patientia ſupportantes inuicem in charitate: ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. p.114.c.1

v.15. Ne ſimus paruuli fluctantes &c. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. p. 61.2.

v.26. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. p.123.c.1

5.v.3. Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij Chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos. p. 133. col.2

v.9. Nam fructus lucis eſt in omni bonitate, iuſtitia, veritate. p. 157.c.1

v.13. Omnia quæ arguuntur à lumine manifeſtantur. p. 153.c.2.

v.25. Chriſtus enim dilexit eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam &c. p.113.c.2

Ad Philippenſes.

2.v.2. VNanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. p. 83.c.1

v.4. Non ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. p. 81.c.1

3.v.12. Sequor autem ſi quo modo comprehendam. p.58.c.2

v.17. Obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. p.160.c.1.& 190. col. 1

v.20. Noſtra autem conuerſatio in Cælis eſt. p.25.c.2

4.v.7. Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. p.84.c.2

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1. v.15. QVi eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ p.137.c.2

v.20. Pacificans per ſanguinem crucis eius ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. p.84. col.1.

3.v.12. Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam &c. p.141 c.1

v.14. Super autem omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. p.106.c.1

v.15. Pax Dei exultet in cordibus veſtris &c. p.82.c.1.& 135.c.1.& 144.c.1

v.15. In qua pace vocati eſtis in vno corpore. p.81.c.2.

4.v.6. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus p. 65.c.1

Ad Theſſalonicenſes 1.

Cap. 2. v.5. NEque aliquando fuimus ſermone adulationis ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ. Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam &c. p.183.c.2

3.v.1. Rogamus autem vos Fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis. p.174.c.2

Ad Theſſalonicenſes 2.

Cap. 3. v.6. DEnuntiamus autem vobis Fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. p.174.c.2.

ad Timotheum 1.

C.1.v.2. Timotheo dilecto filio in fide gratia, miſericordia, & pax à Deo patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro, p.173 c.1

6.v.8. Habentes victum, & veſtitum, his contenti erimus, p.101.c.2

ad Timotheum 2.

C.4.v.2. Argue, obſecra, increpa cum omni patientia, & doctrina, p.46.c.2 & p.175.c.1

ad Titum.

Cap.2. Argue cum omni imperio, p.175 col. 1

ad Hebræos.

C.1.v.1. Qvi cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, p.137.c.2

2.v.9. Chriſtum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, p.86.c.2

6.v.18. Firmiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam & incedentem vſque ad interiora velaminis, p.56.c.1

10.v.22. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, p.104.c.1.& p.152 c.2

v.34. Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, p.104.c.1

11.v.15. Non confunditur Deus vocari Deus eorum; parauit enim illis ciuitatem, p.27. col. 1

12.v.14. Pacem perſequimini in omnibus, p.81 col. 2

Iacobi.

C.1.v.4. Patientia autem opus perfectum habet, p.94.c.1. & p.114.c.2

v.12. Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, p.114.c.2

v.21. In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras, p.44.c.1

2.v.13. Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam; ſuperexaltat autem miſericordia iudicium, p.71.c.2.& p.126 col. 2

v.23. Miſericordia ſuperexaltat iudicium, p.98.c.2.& p.140.

v.15. Si frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat aliquis veſtrum; ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, &c. p.76.c.2

3.v.14. Quod ſi zelum amarum habetis inter vos, & contentiones ſunt in corde veſtro, nolite & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientiæ, &c. p.83.c.1

Petri 1.

Cap.3. v.8. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, p.94.c.1

5.v.3. Forma forma facti gregis ex animo, p.190.c.1

Petri 2.

Cap.1. v.4. Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, p.138.c.1

v.9. Cui enim præſto non ſunt cæcus eſt & manutentans. p.12.c.2

Ioannis 1.

Cap.2. v.11. Qvi odit fratrem ſuum, in tenebris manet, p.121.c.1

v.15. Non diligatis mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, p.101.c.2

3.v.18. Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua ſed opere & veritate, p.72.c.1

5.v.15. Scimus autem quoniam Deum habemus in cordibus noſtris, ex ſpiritu, quem ob ipſo accepimus, p.102.c.2

Apocalypſeos.

C.2.v.2. Scio opera tua, &c. Et quia non potes ſuſtinere malos, p.176.c.2

4.v.5. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, p.196.c.1

6.v.5. Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Et vidi, & ecce in medio throni agnum ſtantem, &c. p.45.c.2

6.v.4. Exiuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, & datus eſt ei gladius magnus, p.84.c.2

14.v.2. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui, ſicut cytharœdorum, &c. p.173.c.2

21.v.2. Vidi ciuitatem Sanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo, p.27.col.1

22.v.11. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc; qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc, p.58.c.1

v.17. Siquis ſitit veniat ad me & bibat, p.65. col. 2

BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google

INDEX
OMNIVM RERVM, QVÆ in hoc opere continentur.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, POSTERIOR Columnam deſignat.

A

Abel.

ABEL primus Peregrinorum. pag. 26. col. 2.
Abel inuentor patientiæ. p. 232

Abraham.

Abraham victor contra infideles. p. 235. eius ſacrificium. p. 214. & ſeq.
Abraham cur poſt victoriam timuerit. p. 8. c. 1
Abrahamus munerarius pauperum, & egentium candidatus. p. 31. c. 2
Abraham verè peregrinus, princeps maximus appellatur. p. 32. c. 1

Abſinthium.

Abſinthium inuidiæ quale ſit. p. 333. col. 1

Abſtinentia.

Qualis ſit abſtinentia. p. 257. abſtinentia cupiditatis, nutrix patientiæ. p. 229
Quam laudabilis abſtinentia ſit, quamque è contrario Gula vituperanda. p. 529. col. 1

Acceptio.

Qualis ſit apud Deum perſonarum acceptio in gratiæ largitione. p. 370. c. 1

Achan.

Ob furtum vnius Achan totus Iſraël ſuſtinuit iram Dei. pag. 380. c. 2

Acetum.

Acetum ſi mittatur in nitrum, feruescit nitrum protinus & ebullit. p. 178. c. 2

Actiones.

Actiones honeſtæ ad lætitiam. p. 239

Acus.

Acus filius Dei dicitur. p. 34. c. 2

Adam.

De ſtatu Adami ante lapſum. p. 355. c. 2
Præſtetne conditio noſtra, conditioni Adami Innocentis. *ibid.* & ſeqq.
Adam repertor laborum. p. 232

Adamus & Angeli.

Quanta vi in primo inſtanti ſuæ creationis in creatorem ſuum ſeſe conuerterint. p. 518
Adam rex fuit antequam vetitum pomum concupiuit. p. 32. c. 1
Quid primum amiſerit. *ibid.*
Cur Adamus peccans minimè maledicitur, Cain verò maledicitur ob fratricidium. p. 122. c. 1

Adamas.

Adamas ferrum & ignem contemnit. p. 99. c. 2

Adulatio.

Qualis ſit Adulatio. p. 226
Peſtis animorum adulatio. p. 433. col. 1
Corrumpit vbique & faſcinat veritatem. p. 461. col. 1

Adultera.

Adulteræ cum peccatore conformitas. p. 478

Aduerſitas.

Aduerſitas iuſtorum Prædeſtinationis eſt ſignum. p. 7. c. 2

Ædeſius.

Ædeſius mercaturæ cauſa miſſus in Græciam Philoſophiæ operam dedit. p. 235

Ægritudo V. *Triſtitia.*

Ægyptij.

Ægyptij mortuos ſale condire ſolebant. p. 171 col. 2
Ægyptij quodnam ſymbolum in ſummitate ſceptri regalis depingebant. p. 172. c. 2
Ægyptiorum Deus. p. 109
Ægyptij dixêre Deum Orbem eſſe fabricatum ad ſolatium ſocietatis. p. 348. c. 2

Æquitas.

An in Deo ſit æquitas, punire æternè peccata. p. 362. c. 2.
Quam neceſſaria ſit Æquitas. p. 443. c. 1

Ærumna.

Quam patienter ferendæ ærumnæ à Deo immiſſæ. p. 494. c. 2

Aërius.

Aërij Genitrix. p. 309

Aeſchylus.

Prouidentiam dixit harmoniam Iouis. pag. 389. col. 1

Æſtimatiõ.

Rerum æſtimatio ab exiſtimatione iniqua. p. 251 & ſeqq.

Digitized by Google

& ſeqq.

Æterna bona.

Æterna bona ſunt amanda vt in æternum beate viuamus. p.541.c.2

Æternitas.

De pœnarum æternitate, & quomodo pertineat ad miſericordiam Dei. pag.360.c.2

Affectiones.

Affectionum inſtitutio. p.272

Affectus.

Diligentia non ſubſiſtet ſine affectu. p.435.c.1
Affectus varij in animo pugnant. p.109.c.1
Affectuum vius. p.265

Africanus.

Africanus. p.217

Agatha.

Agatha. p.211

Ageſilaus.

Ageſilaus Rex. p.236

Agere.

Pudet ſcrire quod non agimus, p.343.

Agilitas.

Agilitas non deeſt perſecutionem patientibus, cuius velut dote commendantur. p.87.c.1

Agon

Hæc vita Agoni comparata. p.373.c.2

Alexander.

Alexander Macedo ſola ſpe contentus. p.18.c.1
Alexandri donum recuſat Xenocrates. p.30
Alexander bene ſecum actum putabat, ſi poſt orbem à ſe ſubactum, filius Iouis haberetur. p.132.c.2.
Alexander hoc vnum optabat Homerum. Poetarum Principem ad vitam reuocari. p.161.c.2
Alexander 214. timore ſtatuæ exanimatur. p.164.
Alexandri annulus. p.215.

Alexius.

Alexius opprobriis hilaris. p.208

Almanzor.

Campanas è Compoſtellano templo in fanum Granatenſe deportari iuſſit, quas deinde Mahumetani referre coacti ſunt. p.410.c.2

Alphonſus Rodericus.

Per quadraginta annos nullum feminæ vultum aſpexit; p.496.c.1

Alphonſus Rex.

Alphonſi Neapolitani Regis carbonarium inter venandum offendentis hiſtoria. p.288

Altare.

Altare, viri perfecti ſunt. p.145.c.2

Altitudo.

Altitudines terræ, ſunt lucra rerum. p.26.c.1

Aman.

Aman. p.220

Amandus.

Amandus quis. p.278.

Amans.

Seipſum Amans negligit. p.276.
Amans amens ſed prudenter. p.285
Amantis mors pretioſa & felix. p.275
Amantes, vitæ prodigi. p.284.
Amantium quæſtus quis p.278.

Amator.

Amatores mundi, arundo. p.69.c.2

Amalecita.

Iuſſus à Deo Saül Amalecitas delere recuſat, ab Amalecita deinde necatur. p.403.c.1

Ambientes.

Ambientium ſeruitus. p.321.

Ambitio

Ambitio. p.215.
Ambitionis immortale vitium. p.322

Amentia.

Amentia. p.302
Amentia, de amante. p.285

Amicitia.

Quanta Dei cum Iuſtis amicitia per Gratiam. p.474.c.1
Amicitia muta non diſtinguitur ab odio. p.483
Amicitia non auguſtis terminanda finibus. p.120. col.1
Amicitia ſociabilis virtus eſt. p.121.c.1
Amicitiæ pallio odium amictum, pernicioſiſſimum. p.127.c.2

Ammonius.

Ammonius. p.211

Amor.

Vis amoris per lachrymas emanas, & vbi amor non eſt, lachrymæ ceſſant. p.97.c.2
Amor inimcorum gratiſſimum Deo ſacrificium. p.145.c.2
Amor inimicorum extremis ſignis debet oſtendi. p.146.c.1
In amore inimicorum magna animi fortitudo, atque potentia oſtenditur. p.134.c.1
Qui omnes amore complectitur, Soli eſt ſimilis. p.121.c.1.

Amor.

Amor verus qualis eſſe debeat. p.351.c.2

Amor Dei.

Infinitus Dei amor in Redemptione patet. p.534. col.2
Amor bilanci comparatus, p.345.c.1
Magnus amor non ſatisfit facultate, ſemper ſe infirmum dolet, p.336.c.2

Amor ſui.

Extirpandum eſſe amorem ſui. p.142 & ſeqq.
Amor charitatis omnes homines; amicos, & inimicos complecti debet. p.120.c.1
Amor inimicorum authoritate Chriſti mandantis commendatur. p.123.c.2
Amor inimici, martyrium eſt Charitatis. p.146.c.1
Amor. p.270
Amor immutabilium, & mutabilium. p.222
Amor & tyrannus differunt. p.376
Amor amati, amantis redemptio. p.278
Amor dilecti, libertatis chirographum. ibid.
Amor ſui, auctoramentum quoddam ſeruitutis. ibid.
Amor Dei. p.278
Amor Dei, veritatis ſpiritus. p.238
Amor Dei, amorum pater, ex Hierotheo. p.259
Amor omnibus æquiualet. p.280
Amor conglobatus, Hierotheo. p.282
Amor inuincibilis. p.284
Amor omnium voluptatum fortiſſimus. ibid.
Amor Philoſophus dictus à Diotima. ibid.
Amor ſophiſta, Platoni. ibid.
Amor teſtamentum amantis. p.287
Amor magus. ibid.
Amor echo. p.289
Amor à cupiditate differt. p.290
Amor, lætitiæ pater, & ſummæ, puriſſimæque voluptatis cuſtos, & arbiter. ibidem

Amoris,

Digitized by Google

Amoris, paciſque exemplum Paulus Apoſt. 210
Amoris ingenium & conditio. 273
Natura. 375
Amoris cum morte comparatio. ibid.

Amor.

Infamiam Amor nunquam contrahit, & omnem notam abolet eorum, quæ ſi facta ſine Amore eſſent turpia putarentur. 535.1
Eſt Amor munerum valor & pretium. ibid.
Nullum pharmacum eſt efficacius Amoris quam amor. ibid.
Amoris vſura mortem ſuperat. ibid.
Amoris indoles. 278
Amoris humani zelus. ibid. & ſeq.
Amoris diuini zelus. ibid.
Amoris cruciatus. 276.& ſeqq.
Vis vnifica. 281.& ſeqq.
Amoris indoles collata cum lege naturæ. ibid.& ſeq.
Amoris mores. 283
Sagittæ iuſtiſſimæ. ibid.
Pretium. 284
Temperantia. ibid.
Verba. 287
Amoris ſeruitutum conditio. 288
Amoris tela, beneficia. ibid.
Amoris legitimi ars. 289
Amoris dotes quæ, ſecundum Agathonem. 290

Anaxagoras.

Anaxagoras. 286

Anaxarchus.

Anaxarchi pila. 208

Androclidas.

Androclidas miles. 257

Andronicus Imp.

Quam crudeliter & ignominioſè habitus ab hoſte quam patienter acerbiſſima ſupplicia tolerauit. 403.1.2

Angeli.

Ad Angelorum ordinem videntur pertinere pauperes ſpiritu. 32.2
Cur Angeli lapſi redempti non fuerint. 371.2
Feliciſſimè viuunt ieiuni Angeli. 462.2
Angelus grauiter increpat ſegnius ſurgentem ad orationem. 517.2
Gratia Deo nos reddit ipſis Angelis gratiores. 474.1
Deceat ne magis per Angelos an per ſe Deum omnia curare. 401.2.& ſeqq.

Anima.

Anima per virtutem in Deo tanquam in ſuo centro eſt. 4.2
Anima ſancta ſimilis virgulæ fumi. 13.2
Anima arbor eſt. 66.1
Anima fidelis, pulchra eſt Hieruſalem, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 167.2
Anima fidelis nauis fidei pretioſis mercibus onuſta. 158.2
Cæleſtis Anima, quæ in cæleſtem patriam contendit. 27.2
Animæ quàm noxius ſit diuitiarum amor. 38.1
Animarum conſideratio. 525.& ſeqq.
Animas eſſe mortales rebantur Stoici. 312
Tranſit in Deum Anima per gratiam & amorem. 552.1
Eſt fœmina illa quam ſcriptura vocat filiam riſus. 466.1

Animalia.

Quatuor Animalia ſi in medio ſedis erant, quomodo in circuitu eiuſdem. 4.2
Animalium irrationalium proprium nocere aduerſariis. 131.1
Animalia fellis expertia longiori, ac lætiori vita fruuntur. 42.1
Aliqua Animalia abſque cibis & gula fruuntur læta naturâ. 462.2
Timida & imbecillia Animalia amor prolis armat & reddit ferocia. 470.1

Animus.

Animus ſibimetipſi ignotus. 345.2
Animus. 245
Sibi ſufficit. 1.& 211
Protegit omnia. 205
Omnia habet ſua, &c. 211
Animi perſona, frons eſt. 226
Animi vis. 317

Annales.

Annales Alexandri. 215
Gygis. ibid.

Annibal.

Annibal. 317
Annibalis hiſtoria. 251

Annulus.

Annulus eſt ſignaculum ſimilitudinis Chriſti. 164.1
Et etiam ornamentum manus. ibid.
Annuli olim ſignacula erant, quibus homines ſuam ſimilitudinem rebus imprimebant. 137.1

Antiochus.

Antiochi error. 312

Antipater.

Antipater Cyrenaïcus. 211

Antiſtes.

Perfectæ Antiſtitis virtus omnem hominem mirificè connectit & ordinat. 166.1

Antiſthenes.

Antiſthenes. 215

Apicius.

Apicius helluo. 219

Apicula.

Apiculæ vtilitas. 246

Apis.

Apis Deus Ægyptiorum. 209

Apes.

Latentes ſub deformi ſubere mella laborant. 463.2

Apoſtoli.

Apoſtolorum vita fuit noſter typus. 160.1

Apparatus.

Mundi Apparatus aliquam ſolertiam exigit. 347.1

Appetitus.

Naturalis Appetitus eſt diſpoſitio ad perfectionem naturalem. 470.1

Apprehenſio, vide Opinio.

Aqua.

Aqua gratiſſimè decedit ſede ſua & ſidet. 300

Aquila.

Aquila Teſtudinem extollere ſolet, vt facilius confringat. 8.2

Ara.

Ara Buſiridis. 237

Arbiter rerum.

Arbiter rerum aut pro Angelo aut pro Dæmone. 411.2

Digitized by Google

Arbor.

Arbor iuxta fontem plantata vbertimos edit fructus. 59.2

Fructus Arboris vitæ dulciſſimus & ſaluberrimus. 84.1

Arborum flos eſt pleni veris indicium. 24.1

Arbor Malacenſis. 328

Simul mittit Arbor deorſum radices & ſurſum ramos. 511.2

Arbuſtum.

Arbuſta quæ tardius creſcunt annoſa perdurant. p.96.1

Arca.

Arca Noë electos repræſentat. 112.1

In ea animalia venenata cum mitibus concorditer morabantur. ibid.& 2

Arcæ longitudo fides,altitudo ſpes,latitudo charitas. 141.2. & ſeq.

Arca Noë à perfectæ ciuitatis imagine non longè eſt. 166.2

Archimedes.

Archimedes Geometra. 248

Ariſtippus.

Aurum in mare abiicit. 224

Archytas.

Archytas. 218

Ariſtoteles.

Conſortem aliquem Deo exoptauit. 348.2

Ariſtotelem Euripi ignorantia abſorbuit. 345.1

Ariſtoteles reprehenditur. 202

Arius.

Tenuiter de liberalitate Diuina ſenſit. 350.2

Arma.

Quibus Armis Chriſtus pugnabit aduersùs inſenſatos in die Iudicij. 461.1

Arneas.

Arneas. 204

Ars Iuſtorum.

Ars Iuſtorum eſt transfundere in ſalutem pericula. 387.1

Arſenius.

Arſenio mundana amentia oſtenſa. 321

Artaxerxes.

Eius prudentia commendatur. 439.2

Artemon.

Artemon infelix ex inanium periculorum formidine. 263

Artemonis crudeliſſima periculoſiſſimaque prouidentia. 304

Artes.

Malorum Armamenta, ſcelerum pignora. 334

Artifex.

Artifices nomine ſuo aut vultu opera emptori commendabant. 346.2

Aſſuefactio, vide *Conſuetudo.*

Aſdrubal.

Aſdrubal. 213

Aſdrubalis ſeruus homicida. 288

Aſſyria.

Aſſyria gloria Spiritum inter pocula emiſit. 317

Aſthma.

Veniale eſt Aſthma impediens quominus aſpiremus ad Cœleſtia. 501.2

Aſtidamas.

Aſtidamas vnus omnium conuiuarum Vicarius. 219

Aſylum.

Aſylum. 238

Athalia.

Athaliæ Hiſtoria. 241

Atheus.

Atheorum ſenſus circa Diuinitatem. 346.1

Attalus Rex.

Attalus Rex. 217

Automedon.

Automedon, nihil debere ſupremum fortunæ gradum poſuit. 211

Auaritia.

Auaritia. 215

Auaritia diuitis. 24. & ſeq.

Auaritiæ inuentum poſt omnia poſſe optare aliquid. 214

Auaritiæ non fauet prodigalitas. 318

Auaritiæ & ambitionis monſtra. 319

Seipſam mactat ſuis votis. 392.1

Qualis ad gratiam augendam Auaritia noſtra eſſe debeat. 521.2

In bonis ſpiritualibus laudanda; in temporalibus deteſtanda Auaritia eſt. ibid.

Auarus.

Auarus eſt onocratalus. 70.2

Auarus eſt ſicut infernus. 71.1

Auari inexplebili fame diuitiarum ſemper laborant. ibid.

Auarus prodigus. 275

Audacia.

Audacia. 245.270

Audentius.

Audentius. 217

Auerſus.

Mens Auerſa ſiniſtrè omnia interpretatur. 335.1

Auiditas.

Auiditas. 297

Auis.

Aues quædam nobiles plumis veteribus grauantur. 24.2

Aula.

Veritas exulat Aulâ. 433.1

Aulæ ars. 246

Aurum.

Aurum in mare abiectum ab Ariſtippo. 214

Auri damnum. 314

Aurum, quod in via Hebræo populo obſtitit ex Ægypto erat. 35.1

Auſpicia.

Regnorum Auſpicia ex Sapientia. 430.1

B.

Babylon.

Babylon per gulam prodita. 317

Babylonis flumina quatuor. 7.2

Babylonis aureum numiſma humilitatis pondere carebat. 164.1

Baculus.

Baculus percutit & ſuſtentat. 172.1

Baculus, gubernatio, quæ ſuſtinet fideles. ibid.

Balduinus.

Balduinus gratitudinem hominum debitam Trinitati demonſtrat. 350.2

Barbarus.

Barbarus quidam Arabiæ ſemper hilaris. 219

Barbari Guaycuri. 291

Crude

Crudelitas Barbarorum in Martyres, & impietas in res ſacras. 336.2
Barlaam.
Barlaamr uſticus. 211
Barnabas.
Barnaba Anachoreta. 212
Gaſpar Barzæus.
Ethnico probat Trinitatem ex ratione naturali. 349.1
P. Gaſpar Barzæus.
Eius eximia de fide Diſputatio. ibid.
Beatitudo, Beatus.
Beatitudo quid. 313
Octo beatitudinum præconio incepit lex Euangelica. 1
Beatitudinem quibus iuſti ferramentis effodiant. 4.1
Beatitudinis æternæ ſpe mirificè conſolatur Deus Iuſtos lugentes. 55.1
Is Beatitudinem etiam eſſentialem quodammodo participat, qui propter iuſtitiam patitur. 89.2
Beatitudo æterna feliciſſimè obtinetur per paupertatem. 24.2
Octo Beatitudinum feriem ſcala Iacob adumbrat, per quam oportet ad Euangelicam perfectionem ſcandere. 8.2
Beatitudo latet ſub horrida paupertatis ſpecie, ſub iucunda proſperitatis larua tegitur exitium. 21.2
Mundi bona ſterilia ſunt, Beatitudinem tamen parit paupertas. 23.1
Beatitudinum proceſſus, eſt via trium dierum ab Ægypto ſæculi in deſertum perfectionis. 10.2
Ad æternæ Beatitudinis requiem per labores & tribulationes aſcendendum. 11.2
Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. p.5.col.1. & 2
Beatitudo quædam eſt interna animi pax. 78.2
Quæ de Beatitudinibus docuerit Chriſtianus Grammaticus. 16.2
Quàm Beatitudo pauperum ſpiritu ſit vera, & quàm mundi fallax felicitas. 20.1
Beatitudines ſunt vitæ magis arctæ. 3.2
Beatitudinem huius vitæ ſola virtus præſtat. ibid.
Quæ de Beatitudinibus docuit Iſaacius Monachus. 13.2
Beatitudo mundi perſonata. 20.1
Beatitudinem mentitur mundi lætitia, quæ potius in luctu eſt. 47.1
Pauperes ſpiritu Beati iure dicuntur, & ſunt etiam in hac vita. 19.1
Bellum.
In Bellis declinandis æquitas Principum maxima. 447.2
Bellum mortis pictor. 301
Benedictio.
Benedictionis hæres benedictionem, non maledictionem in ore gerit. 82.2
Beneficentia.
Beneficentia fortiſſimus hominum magnes. 334
Beneficia.
Beneficia tela amoris. 288
Bengala.
Tigrides Bengalæ, comitem habent peccam animalculum quod latratu ſuo, inſtantes illas indicet, vt omnes caueant. 358.1
Beniamin.
Beniamin filius dextræ. 132.1
Beneuolentia.
Neceſſaria Regio muneri benegerendo Beneuolentia eſt. 436.1
Beneuolentiæ lingua de manu. 287
S. Bernardus.
S. Bernardus in choro canens vidit angelos piam canentium Monachorum operam ſcribentes, ſed diuerſimodè. 162.2
Beſtia.
Beſtiæ terræ ſunt corporis, ſeu carnis appetitiones. 72.2
Boiuningo.
Serpens virulentus Boiuningo, crepitaculum geſtat innatum, quo moneantur proximi ne pereant. 358.2
Bona, & Boni.
Bona amata non ſunt tua ſed tu illorum. 542
Cur malis bona accidant. 382.1
Bonis etiam mala proſunt. 386.2
Cur minor ſit Bonorum numerus quam malorum. 368
Non ſunt Bona quæ malos reddunt. 357.2
Bonum publicum.
Immenſum quid eſt Bonum publicum. 410.1
Natura bonitatis eſt benefacere. 532.1
Bonitas eſt cenſus publicus. 352.1
Bona mundi ſterilia ſunt, paupertas tamen parit beatitudinem. 23.1
Per renunciationem Bonorum temporalium turris ædificatur, in quâ æterna animæ ſalus defenditur. 36.2
Virtutis Bona, humani cordis famen dumtaxat poſſunt ſatiare. 57.1
Bonum proprium ciuitatis langueſcit ciuium diſtractione. 166.2
Bonitas commendatur. 285. & ſeqq. 286
Bonitas diuina. 285
Bonitas ſe communicandi auida. 287
Bonitas res pacifica & ſocialis. 318
Bonum omne refuga. 220
Bonum continuandum. 246
Bonum idem quod integrum. 308
Boni ſumma vtilitas. ibid.
Bonorum & malorum differentia. 307. & ſeqq.
Bonorum ignominia. 310
Bonorum genera ex Sexto. 289
S. Bonifacius.
Quam iniquum de S. Bonifacio iudicium eius ſocij ferrent. 531.1
Borgia.
Cæſaris Borgiæ peſſima Politica. 412.2
Bos.
Bos Phalaridis. 238
Brachium.
Brachium dextrum amorem diuinum, læuum terrenum Plato finxit. 261
Buſiris.
Buſiridis aræ. 273

C.

Cadauer.
Cadauer Martyris vocem emittit. 337.1

Caditius.
Cæditius. 137
Cæſar.
Cæſaris & Pompeij inuidia. 272
Cæſaris apud Alexandriam hiſtoria. 300
C. Cæſari gratiæ referebantur pro malis. 376.2
Guill. de Caillet.
De liberalitate Diuinâ eximiè ſentit. 350.1
Cain.
Primus parricida,& primus Vrbium conditor. 334.2
Caïphas.
Caïphas prophetauit de Chriſti morte. 155.1
Calamitas.
Efficax doctrina Dei Calamitas eſt. 377.1
Caluaria.
Qui Chriſto fideliter aſtiterunt in Caluaria, non ſunt poſtea paſſi martyrium,quaſi iſtud ſuffecerit. 490.2
Caluariæ mons quatuor Dominici ſanguinis fluuiis irrigatus. 5.2
Camelus.
Camelus, populus gentilis per diues. 34.2
Cancer.
Similitudo Cancri cum peccato. 478.1
Candelabrum.
Candelabrum aureum ſeptem lucernas habens, vir iuſtus ſeptemplici dono Spiritus Sancti ſplendens. 151.1
Candelabri emunctores, amor & timor. ibid.
Super Candelabrum dignitatis ſola lucerna meritis accenſa poni debet. 152.2
Canis.
Canes hominis appetitus deſignant. 58.1
Canis fabri in Apologis Locmani. 240
Cantilena.
Ad egregiam Cantilenam quid requiratur. 168.1
Capito.
Statuam erigit L.Sillani. 333.2
Captus.
Non eſſet magnus Deus ſi non eſſet maior captu noſtro. 551.1
Caput.
Caput ſolum inter humanos artus natura protexit. 103
Carbunculus.
Carbunculi quæ proprietas. 98.1
Carcer.
Carcer Syllæ. 237
Caria.
Regina Cariæ corpus ſponſi conſumebat. 397.1
Caro.
Nimius amor Carnis impedit Spiritum. 476
Qui à præcipitio Carnis digreſſi per ſemitam ſpiritus incedunt,nondum extra periculum ſe putare debent. 461.1
Fit in Euchariſtia Chriſtus vna Caro nobiſcum. 397
Ioannes Carrera.
Quotidie ad orationem ab Angelo excitabatur. 517.2
Ioan. del Caſtillo.
Martyrium eius feliciſſimum. 338.& ſeqq.
Labores eiuſdem. 335.1
Caſus.
Quæ creata ſunt, non ſunt caſu facta. 348.1
Cur Deus plurium ſanctorum caſus permittat. 479.2
Non ſunt ita ſub caſu mala vt ſunt bona. 544
In caſibus alienis diſſimulanda conſtantia, 225
Cauſa.
Fruſtra Cauſam quæris in eo qui nullam habet cauſam. 551.1
Cautes.
Cautes Scironis. 237
Cautio.
Prius eſt tibi cauiſſe quam aliis. 226
Cedrus.
Cedrus montibus delectatur. 2.3
Cenſura.
Cenſura Cæditij. 226
Cenſura vulgi contemnenda. 321
Cenſus.
Chriſti Cenſus eſt quidquid Adam amiſit. 355.2
Centrum.
Centrum tria rebus communicat, quietem, conſeruationem, & vnionem. 4.2
Centuplum.
Qui relinquit domum aut agrum propter Deum,centuplum accipiet. 546.2
Cerebrum.
Cerebrum ſolum caputque inter humanos artus naturam inducit. 103
Cerigon.
Cerigon animal diuinæ prouidentiæ imago. 352.2
Certamen.
Abſque Certamine non eſt victoria. 478.2
Ceruus.
Cerui pernicitas. 207
Cerui myſtici qui dicantur. 3.1
Ceruus celerrimi curſus impetu, fontem quærit, vt ſitim temperet. 65.2
Cerua virtutem ſignificat. 58.1
Chamaleon.
Chamæleontis oculi inſatiabiles. 71.1
Character.
Character prudentis. 265
Charibertus.
Chariberti Regis laus. 210
Charitas.
Charitas parentum. 278
Charitas veritatis Spiritus. 284
Charitas Philoſophorum. ibid.
Charitatis vis. ibid.
Vide *Amor.*
Qua Charitate debeamus erga alios affici. 531.1
Non eſt eximia Charitas,quæ compar ſit vitæ, & quæ poſthuma vota non habeat. 336.2
Charitatis ſymbolum vnguentum ſacerdotale. 104.1
Charitas lata eſt , quia & inimicorum dilectionem capit. 104.1
Charitas omnes virtutes complectitur. 105.1
Per catenulas aureas ſignificatur. ibid.1
Ipſa vera & germana Charitas , quæ non ſolum vſque ad amicos ſed etiam vſque ad ipſos peruenit inimicos. 110.2
Charitatis incendium inimicorum iniurias facilè diſſipat. 111.1
Charitas omnium virtutum bona poſſidet. 107.2
Charitas homines Dei filios conſtituit. 108.1

Digitized by Google

Charitatis opus eſt perfectiſſimum oratio pro inimicis. 129.2
Charitati neceſſaria eſt patientia perfectiſſima. 144.1
Charitas diffunditur per omnia opera. 61.2
Charitas nunquam maiori voce clamat, quam cum pro inimicis orat. 130.1
Charitas certiſſimum ſignum eſt animam non ab hoſtibus ſed à Chriſto poſſideri. 109.1
Charitatis amplitudo quæ inimicum diligit quatuor cubitorum dicitur. 124.2
Charitas conſtringit omnes virtutes in corde, ne pereant. 106.1
Charitatis amor omnes amicos,& inimicos complecti debet. 120.1
Charitas omnium virtutum perfectio, & plenitudo. 103.1
Charitas omnium virtutum perfectiones continet. 105.1
Ex Charitate Dei,charitas promanat proximi. 110.1
Qui ex Charitate benefaciunt inimicis, Iure optimo filij Dei dicuntur. 131.2
Charitas pretioſiſſima reddit opera noſtra bona. 109.1
Vt Charitas ſeruetur, neceſſariæ ſunt omnes virtutes. 107.1
Charitas eſt hominis perfectio. 104.1
Minima contra Charitatem proximi peccata vitanda ſunt. 113.2
Abſque Charitatis lumine caſtitas Deo non placet. 103.2
Charitas Chriſti pallium eſt quod leuiter animam & corpus gaudio fouet. 50.1
Charitas erga Deum, gloria. 90.2
Quo pacto ſit Charitas vexillum Chriſtianæ Reipublicæ. 108.1
Charitas eſt Regina virtutum. 107.2
Venenum Charitatis ſpes adipiſcendarum aut detinendarum rerum temporalium. 18.1

Chirotheca.

Chirothecæ quibus Epiſcopi vtuntur quid ſignificent. 262.2

Chore.

Chore id eſt Caluaria. 132.1

Chriſtianus.

Chriſtianus pacem cum Deo diligentiſſimè debet ſeruare. 84.2
Chriſtianum maximè decet, inimicis ignoſcere. 127.1
Chriſtianus pacem cum proximo diligenter ſeruare debet. 81.1

Chriſtus.

Chriſtus aſcendens in montem promulgat octo beatitudines. 1
Per Chriſti veſtimentum Eccleſia deſignatur. 113.1
Chriſti mors inimicitiam vulnerauit, ac interemit. ibid.
Chriſtus in Euchariſtia agnus vocatur. 43.2
Chriſtus Dominus,Ros. 44.1
Chriſtus, verbum inſitum intelligitur. ibid.
Chriſtus, faſciculus myrrhæ. 94.2
Chriſtus centrum animarum, in quo ſolo quies inuenitur. 4.2
Fatigatas hominum mentes ad ſe Chriſtus accerſit, vt quieſcant. ibid.
Chriſtus verus Medicus Hemorroïſſam ſanat, quæ ab aliis medicis ſanari non potuit. ibid.
Chriſtus eſt via trium dierùm. 10.2
Chriſti ſignaculi expreſſa effigies. 101.1
Chriſtus ager intelligitur. 67.2
Chriſtus cur in terra ſcribebat. 139.2
Chriſtus ob paupertatem, flos campi. 23.1
Chriſtus, perfidis tantum apparuit, non etiam datus eſt. 5.1
Glorioſa Chriſti ira ac vltio,inimicis benefacere. 144.1
Chriſtus, edificator ſæpium. 114.1
Authoritate Chriſti mandantis commendatur inimicorum amor. 123.2

Chryſolitus.

Chryſoliti virtus quæ. 97.1

Cibus.

An decorum ſit Deo in cibum præberi. 397.1

Cicada.

Cicadæ otium. 240

Cicuta.

Cicuta Socratis. 208
Cicuta Æſculapio ſacta. 325

Cimbri.

Cimbri. 244

Cincinnatus.

Cincinnatus honorem annuum voluit, continuum noluit. 217

Circuitus.

Impiorum Circuitus. 4.2
Circuitus ſponſi dilectum ſuum quærentis.ibid.

Cithara.

Citharæ antiquitùs fiebant octo chordis. 92.2

Ciuis.

Ciuium diſtractione bonum proprium ciuitatis langueſcit. 166.2
Ciuis magiſtratui obediunt, magiſtratus autem legibus. ibid.

Ciuitas.

Ciuitatis nomine, rerum vniuerſitas intellecta. ibid.
Ciuitas à Chriſto D. Doctor atque paſtor. 167.1

Clades.

Variæ apud varias nationes Clades & caſus. 404.2

Clamor.

Populi Clamor aduerſus reges negligentes. 411.1

Claſſis.

Omnes res per ſuas Claſſes diſtributæ ſunt. 473.2

Clauis.

Vehementiſſimum deſiderium Clauis aurea eſt Regni cœlorum. 470.2

Clauus.

Clauus ſæreus timor Domini, ſeu mundi contemptus. 95.2

Clementia.

Clementia nullum ex omnibus magis quàm regem aut principem decet. 135.1
Principes Clementia maximè decet. 455.1

Clidemus.

Clidemus. 330

Clodius.

Clodius. 219

Clytus.

Decernunt Macedones iure interfectum Clytum quo minus puderet cædis Alexandrum. 390.2

Coccus.
Coccus bis tinctus, gemina Dei & proximi charitas. 123.2
Cœlum.
Cœlum nullæ nubes ac vmbræ poſſunt attingere, ideò ſemper clariſſimo fulgore collucet. 7.1
Animos à Cœlorum curioſitate auocauit Socrates, & cur. 342
Cogitatio.
Cogitationes paralyticæ apud Alchuuinum quæ. 262
Cognitio.
Cognitionum regula. 267
Cognitio amoris expers, cadauer eſt. 344.2
Cognati.
Cognatos odiſſe iubet Deus vt diſcipulus eius quis fiat. 477.1
Collimatio.
Collimatio vitæ de deſiderio. 296
Color.
Coloris & viſus mutua neceſſitas. 347.1
Tota gloria & gratia Colorum lux eſt. 486.2
Columba.
Columba concordiam ſemper amat. 112.1
Columbæ pennæ, virtutes. 25.1
Columba manſuetudinis Symbolum. 43.1
Comes.
Quantus fauor & dignitas eſt, Deum ſemper habere comitem. 475.1
Commeatus.
Æternitatis Commeatus facillimè comparari poteſt. 472.2
Commendatio.
Frigida commendatio, conuitium apud homines putatur. 524.1
Eſt proprius cenſus defunctorum. 333.1
Commercium.
Commerciis ſe communicant nationes, & vnius copia emendat inopiam alterius. 354.1
Commodum.
Commodum temporale cur modius ſeu menſura dicatur. 151.2
Communicatio.
Sine amore diffuſio non eſt neque Communicatio. 551.1
Comparatio.
Comparatio temporum. 259
Comparationis diſparium commodum. 258
Comparationum vſus & exempla. ibid.
Compaſſio.
Compaſſionis attributum meruit Virgo compatiendo Chriſto. 489.1
Alexius Comnenus.
Alexius Comnenus triumphantem Deiparam pedes ſubſequitur. 337.1
Conatus.
Conatus & impetus ad bonum. 244
Conceptio B. Virginis.
Conceptio B. V. fuit exordium felicitatis noſtræ. 402.2
Concionator.
Concionatores legati ſunt Dei. 85.2
Concordia.
Concordiam charitatis ſeruare proprium eſt electorum. 112.1
Ex Concordia charitatis oritur pulchritudo populi Chriſtiani. 111.1
Concupiſcentia.
Concupiſcentia eſt ſanguiſuga quæ tres filios, libidinem, diuitiarum cupiditatem, & ambitionem nempè parit. 70.1. & 2
Confeſſor.
Confeſſores fauus dicuntur. 95.1
Confuſio.
Bonorum cum malis Confuſio cur à Deo permittatur. 383.2
Conradus.
Conradi abſtinentia. 208
Conſanguinitas.
Abnegare oportet Conſanguinitatem, vt liberemur à peccatis. 447.2
Conſcientia.
Conſcientia bona, regnum Dei. 79.1
Conſilium.
Præſtantiſſimæ prudentiæ Regiæ pars, Conſilium. 431.2
Conſolatio.
Conſolatio, quam in animis lugentibus, illuſtratio ſpiritus conciliat, aduentus Dei eſt. 100.2
Conſolationem ex ſolo Deo admittunt iuſti lugentes. 51.2
Conſolationem conſequentur propria peccata lugentes. 49.1
Miram Conſolationem conſequentur aliena peccata lugentes. 50.1
Conſolationem in nulla creatura ſolent quærere iuſti lugentes. 52.2
Conſtantia.
Quam conſtanter bonis operibus inſiſtendum. 520.2
Conſtantia in caſibus alienis diſſimulanda eſt. 225
Conſtantia, fructus innocentiæ. 238
Vide *Patientia.*
Conſuetudo.
Naturam conſuetudo ſuperat. 521.1
Conſuetudo & aſſuefactio. 247
Conſuetudinis vis. 272. & ſeqq.
Contemptio.
Contemptio humilem, & ſuperbum facit. 323
Contentioſi.
Contentioſi vt mitigandi ſint. 264
Contentus.
Contentus nemo miſer eſt. 217
Contingentia.
Contingentia. 258
Contractus.
Contractus Glauci & Diomedis. 276
Contraria.
Deus ex Contrariis exprimit æmula. 343
Conuerſatio.
Conuerſatio & municipatus noſter in cœlis eſt. 25.2
Conuiuium.
Conuiuium apud inferos exhibitum triplici ferculo inſtructum. 6.2
Coquus.
Coquus, Ducis Mediolanenſis. 320
Cor.
Cor mundum diuinæ puritatis eſt imago. 77.2
Cordis munditia componitur cum Sapphiro. 99.1
Cor hominis mundanis bonis non poteſt expleri. 57.2
Cor maximè curant natura & gratia. 78.1
Cor

Digitized by Google

Cor immundum efficit mundus. ibid.2
Cor mundi ac corporis voluptatibus mancipatum, luteum. ibid.
Cor exultat per deuotionem, caro per hilaritatem. 88.2
Mundando & purificando Cordi operam diligenter nauare debemus. 77.2
Cor iuſti aureum thymiamatis altare eſt. 168.1
Ars corda non curat. 78.1
Cordis puritas fons eſt radixque probitatis. ibid.
Cor Democriti. 216
Cordis humani duplex quies. 216
Chriſti Cor quibus doloribus excruciatum fuerit. 491.1
Humanum Cor eſt ſacroſancta Dei ara & thronus Spiritus Sancti. 519.2
Non minus pendet vita ſpiritualis à Corde quàm corporalis. ibid.

Corpus Chriſti.

Corpore Chriſti ſe munit P.Rochus ad Martyrium. 335.2.& 336.1

Corpus.

Corpus animi ſeruus eſt. 7.1.& 2
Hominis iuſti Spiritus Corpori obequitans. ibid.2,
Corpus noſtrum, terra. 40.1

Correctio.

Correctionis ſeueritatem ſuauitate conſolationis temperare debent Paſtores & Prælati. 172.1
Correctionis Chriſtianæ ſal in obſtinatos magna mordacitate debet vigere. 178.1

Corruptio.

Naturæ noſtræ aptior eſt Corruptio malitiæ quam ſtupa ſicca igni. 504.1
Corruptionem ſequitur interitus. 318

Cos.

Studium & conſideratio Cotes charitatis. 343
Cos quæ cordis rubiginem detexit, perſecutio. 93.2

Crates.

Crates opes ſuas in mare proiecit. 36.1

Creatura.

Nulla creatura Deum pingere poteſt. 549.1

Crimina.

Deus aliquorum Crimina in aliis vindicat. 380.2

Critias.

Setentia ipſius circa originem diuinitatis. 346.1

Crocodilus.

Crocodilus elinguis Symbolū inimicitiæ. 146.2

Crudelitas.

Crudelitas Diomedæa. 221

Crux.

Crux clauis qua ianua cæleſtis aperitur. 34.2
Chriſti Crux quo pacto ferenda. 495.1
Spiritum Sanctum contriſtant qui eam reiiciunt. ibid.

Crucifixus.

Infinitus noſter theſaurus Ieſus eſt Crucifixus. 444.2

Culpa.

Felicem Adami Culpam cur Gregorius dixerit. 356.1
Culpa pœnæ contermina. 238

Cuniculi.

Cuniculi latebræ. 207.1

Cupiditas.

Cupiditas. 270.298.& 294
Cupiditas gloriæ Macedonicæ. 272
Cupiditas & amor differunt. 290
Cupiditas gloriæ. 321
Cupiditatis cum annulo Gygis comparatio. 215
Cupiditatis immenſus terminus. 217
Cupiditatis malum. 264
Cupiditatis cum volucribus quibuſdam Indiæ comparatio. 294
Comparatio cum numeris. 214
Vide *Deſiderium.*

Cupido.

Cupido Paridis. 149

Cura.

Prima & maxima Cura debet eſſe animæ. 465.2

Cyrus.

Cyrus. 204
Eius memoria. 328
Quale ſuis conuiuium apparauit. 355.1

D.

Dæmon.

DÆmones gigantum nomine nuncupati. 6.2
Iuxta mundanas voluptates abſconduntur. ibid.
Sunt ſerpentes, qui virus ſuum hominibus infundunt. ibid.
Dæmones in mundano mari pyraticam exercent. 22.2
Deus percellit Dæmonem iiſdem quibus inſtruitur aſtibus. 402.2
Peccatum Dæmonis multò noſtris leuius. 543.2
Peccatum Dæmonum vnicum peccatum cogitationis fuit. 469.1

Dalila.

Eius perfidia animæ comparata. 466.2

Damna.

Putamus ſæpe Damna, quæ remedia ſunt. 478.1

Damnandi.

Cur Deus creauit eos Angelos & homines quos cognoſcebat Damnandos. 372.1

Damnatio.

Plures Damnandi fuiſſent etiam non peccante Adamo, quam modo ſint ob gratiam Chriſti. 356.2
Tanquam ſignum Damnationis timenda proſperitas continua mundanorum. 7.2
Magnum æternæ Damnationis periculum imminet diuitibus. 37.1

Damnum.

Damnum turpi lucro præferendum. 239

Danta.

Danta animal cuius natura eſt ignota. 345.1

Datamis.

Datamis Martia felicitas. 247

Dauid.

Dauid clauum ferreum vorauit & decoxit. 127.1
Dauid intra acceptas ex diuina largitate menſuras pedem cordis preſſit. 164.2
Dauid inimicorum dilector & benefactor. 133.1
Dauid quem beatum iudicet Prælatum. 177.2

Digitized by Google

Dauid beatos dicit quorum recta ſunt peccata. 122. 2
Dauid in ſpelunca ſacrificium obtulit. 145.2.& 148.2
Dauid quoties ſuas in Deum reiecit iniurias. 141.2
Dauid lachrymis loco cibi paſcebatur. 51.2

Debitor.

Deus vult fieri Debitor noſter. 480.2

Defectus.

Quotidiani Defectus quantum damnum efficiant. 501.2

Defuncti.

Laus proprius eſt Defunctorum cenſus. 333.1

Decij.

Deciorum ferrum. 208

Deliciæ.

Vitandæ Principi Deliciæ ſunt. 456.2
Vide *Voluptas.*

Delphin.

Delphini tranquillo mari laſciuientes tempeſtatem denuntiant. ibid.

Democritus.

Democritus. 226

Deſiderium.

Deſiderium quid. 299
Deſiderij vſus. 274.& ſeq.
Deſideria animam extrudunt è corde. 252
Nihil Deſiderandum eſt niſi quod Deus vult. 545.1
In Deſiderio placendi Deo nullus eſt modus. 470.2
Efficacia ſunt ea Deſideria quæ Iuſtitiæ famem comitantur. 65.2
Molina & inefficacia Deſideria lana ſunt ſemper in colo manens. 66.1
Sancta Deſideria dilatione creſcunt. 68.2

Deſidia.

Deſidia ſapientis. 241

Detractores.

Exterminandi Detractores ſunt. 433.2

Deuotio.

Qualis debeat eſſe Deuotio erga B. Virginem. 487.2

Deus.

Dei poſſeſſio animam implet, miſeriam expellit, conſolationem omnibus numeris abſolutam infundit. 5.1
Dei exaltatio, ſanctitas. 163.1
Deum videre mundis corde præmium eſt idoneum. 77.1
Deus iuſtos lugentes ſpe æternæ beatitudinis mirificè conſolatur. 55.1
Cur Deus hominem creaturarum primatem in exordio creationis non laudauerit. 59.2
Dei præceptio, nemini quidquam debere niſi amicitiæ ſignum. 147.1
Deus tacens magnam iram indicare vult. ibid.
Deus electionem Aaron confirmauit virgâ ipſius florente, aliorum candidatorum ſiccis virgis. 153.1
Deus prouidè curauit inimicorum odium ab humano exterminare genere. 123.2
Deum quiſquis habet, omnia in eo poſſidet bona. ibid.
Exemplo Dei inimicorum iniurias dimittere docemur. 124.2
In ſolo Deo conſolationem quærere quàm magnæ ſit ſapientiæ. 53.2
Deus vltor eorum, qui proprias non vlciſcuntur iniurias. 141.1
Obliqua ira puniuntur à Deo, qui callidè & velut obliquè agunt cum inimicis. 128.1
Vt Deus nobis ignoſcat, quàm neceſſarium ſit ignoſcere inimicis. 126.1
Tali arte Deus architectatur opera ſua vt ſingula ſint vniuerſorum bona. 534.1
Etiam ex peccatis tam noſtris quàm alienis ſcit nobis benefacere. ibid.
Vt omne lumen à ſole; ita omne bonum à Deo. ibid.
Imago Dei minor eſſe non debuit. 349.1
Commendat ſe inſtar Artificum. 346.2
Deus Ægyptiorum quis. 209
Deus ſibi ſufficit ſed non ſupereſt. 211
Deum redamandi cauſa. 289
Dij Ethnicorum. 249
Syneſio dicitur ſemen entium. 348.1
Hæc Dei ſufficientiſſima bonitas eſt vt amet omnes & ametur ab omnibus. 541.2
Dei in nos beneficia ſunt innumera. 535.2
Ex rebus creatis quomodo inferatur Deus. 347.1
Ad Deum nullus patet acceſſus niſi per veritatem. 129.2
Dei Filius, dextera patris. 132.1
Dei gloria eſt celare verbum & gloria regum inueſtigare ſermonem. 170.1
Qui Dei filij eſſe volunt, pacem in aliis enixè debent procurare. 83.2
Dei timore ſolidari, & confirmari debent qui ſal terræ ſunt. 181.1
Corona triplici Deus ſanctos ſingulariter exornat. 74.2
Deus etiam per iniquos loquitur. 187.1
Deum glorificant virtutis opera. 163.1
Dei obliqua ira in quo conſiſtat. 128.1

Deus Homo.

Decorumne fuerit Deum hominem fieri. 395 & ſeq.

Diabolus.

Diabolus fur eſt. 75.2

Diagoras.

Diagoras. 330

Didymus.

Didymi hiſtoria. 204

Dies.

Dies mortis quam natiuitatis cui melior. 326

Dignitas.

Incomparabilis Dignitas eorum, qui inimicos ſuos diligunt. 137.1
Dignitate dignus quis. 217

Dilectio.

Dilectio, ſummum fidei Sacramentum. 114.1
Vide *Amor.*

Diligentia.

Conſiliis adhibenda eſt Diligentia. 434.2
Diligentia de bono. 245
Diligentiæ omnia ſiunt mancipia ex Antiphane. 246

Diogenes.

Diogenes. 215

Diomedes.

Diomedes. 276
Diomedis equi. 237
Diomedæa crudelitas. 221

Dionyſius

Digitized by Google

Dionyſius.

Dionyſius. 291

Dioſcorides.

Dioſcorides lapis omnes virtutes amittit ſi in ore hominis mortui ponatur. 129.1

Diſciplina.

Diſciplinæ caput ſilentium. 249

Diſcordia.

Diſcordiæ amatores non filij, ſed hoſtes ſunt Dei. 135.2

Diſſimulatio.

Diſſimulatio & Modeſtia facilè collegæ ſunt. 340

Diſſimulare licitum. 225

Diuerſorium.

Diuerſorium Ianni. 237

Diues, Diuitiæ.

Magnarum Diuitiarum Symbolum, formica. 67.1

Multa pericula ſubeunt Diuites, quominus cæleſtis Regni, & patriæ portum appetant. 36.1

Diuitiæ domum perditionis ædificant, & paupertas voluntaria turrim ſaluris. 36.2

Diuitiæ, ſpei noſtræ retinacula. 35.1

Diuitiæ regni cœlorum difficilem parant ingreſſum, at facilem præbet paupertas. 34.1

Diuites, amatores mundi pecudibus ſimiles. 33.1

Diuitiis impeditur æternæ patriæ iter, expeditur paupertate. 35.1

Diuites multa ſubeunt pericula, quominus Regni cæleſtis, & patriæ portum appetant. 36.1

Diuitiarum ſpiritualium mater eſt iuſtitiæ fames. 66.2

Diuites ſunt flores ſine fructu. 25.1

Diuites mundani ac præpotentes ſunt accipitres. 25.1

Inexplebili Diuitiarum fame ſemper laborant auari. 70.2

Flumen vocantur Diuitiæ quia fluunt, affluunt, & effluunt. pag. 38. col. 2. & 52.2

Diuites & potentes ſæculi perſonati ambulant. 20.2

Diuitiæ inſtar talarium veſtium. 35.2

Diuites onerati, viatores. 34.1

Diuitias, vmbram reputat magnanimus. 30.1

Diuitiarum amor quàm noxius animæ ſit. 38.1

Iuſti Diuitias terrenas toxica reputant. 37.2

Diuitiæ vt ſerpentes baculo, eminus teneri debent. 38.2

Diues quis ex Euſebio. 228

Diuitis auaritia. 241. & ſeq.

Diuitiæ. 208

Non arca ſed corde metiendæ ſunt. 222

Diuitiæ pauperis quæ. 315

Diuitiarum Idea paupertas. 205

Diuitiarum & inopiæ collatio. 313

Diuitiarum inſufficientia. 314

Diuitiarum opprobrium. ibid.

Diuitiæ in ſacris ſcripturis abſcondita Dei vocantur. 37.2

Diuitibus imminet periculum magnum æternæ damnationis. 37.1

Diuitiæ pauperum, Dominus. 57.1

Diuites praui, ariſtis ſimiles. 8.2

Diuitum & pauperum inæqualitas. 355.1

Aliquando argumenta ſunt iræ diuinæ. 383.1

Plures damnarentur ſi Diuitiis cœlum acquirendum eſſet. 494.1

Diuinitas.

Rerum omnium Idea. 252.1

Quæ bona ſubſequantur opinionem diuinitatis. 346.2

Diuinitatis famam inuentum putauit Euripides hominis de hominibus bene merentis. 346.1

Diuina bonitas. 285

Diuinorum cognitio intellectum maximè perficit. 267

Doctor, Doctrina.

Doctores & Paſtores pleniori luce à Deo illuſtrantur, vt alios illuminent. pag. 154 col. 1

Doctor eas virtutes, quas aliis prædicat, in ſe opere impreſſas debet oſtendere. pag. 194 col. 1

Doctores & Paſtores per bona opera præcipuè debent trahere homines ad Deum. pag. 193 col. 2

Iuſti maximè Doctores & Paſtores ſunt ornamentum Reipublicæ, & Eccleſiæ, & totius mundi. 156.1

Doctores & Paſtores non ſolum verbo, ſed etiam operum exemplo lucere debent. p. 159 col. 1

Doctor perfectus lucem doctrinæ & ardorem zeli debet habere. 156.2

Doctrina ſine bona vita integritatem non habet. 161.1

Doctores qui lux ſunt mundi fumo carere debent. 166.1

Doctor Eccleſiaſticus aureum numiſma. p. 164 col. 1

Quo pacto Doctores & Prædicatores ſolidum ſal erunt. 182.1

Doctrina fidei fundamentum dicitur. pag. 158 col. 1

Sacra Doctrina flos dicitur. ibid. 2

Doctrinæ zelus adiungendus ſine quo ſcientia & cognitio infirma. 156.2

Doctori ſiue prædicatori etiam improbo auſcultandum eſt. 186.1

Perfectus Doctor quomodo ſplendere debet ſicut fulgur, Sol & Angelus per bona opera. 196.1

Doctores Eccleſiæ qui præluxerunt exemplo. 200.1

Doctor frigidus ſimilis eſt Lunæ quæ lucet & non ardet. 156.2

Doctrina & exemplo ſubditos condire & conſeruare debent Prælati & Doctores. p. 180 col. 2

Doctor circumſpicere ſe debet, vt adæquet opera ſermoni. 195.1

Doctor humilitate fundatus, non ſuam ſed Dei gloriam quærere debet. 164.1

Doctores & Paſtores non paucis, ſed omnibus lucere debent. 155.1

De Doctore Pariſienſi cuius damnatio S. Brunonem ſanctum fecit. 365.1

Dolor.

Qui acutiſſimo dolore torquetur non putat ſimilem alium dolorem eſſe. pag. 509 col. 1

Digitized by Google

Dolor. 317. & 319
Dolor & tormentum. 208
Dominus.
Dominus conſolabitur lugentes quia peregrinantur. 51.1
Dominus gradus quoſdam firmiſſimos ex lapidibus pretioſis ſternit quodammodo, per quos animæ aſcendere poſſint ad regnum cœlorum. 96.2
Donum.
Solida ad ſingulos Chriſti Dona perueniunt 34.1
Dos.
Dotes amoris quæ. 290
Dubitatio.
Quantum in rebus cæleſtibus Dubitatio ſit vitanda. 344
Dux.
Duces & Imperatores à Bello titulos ſibi pepererunt. 80.2

E.

Eccleſia.

ECcleſia, phœnix. 111.2
Facies Eccleſiæ id eſt, pulchrum ipſius ornamentum iuſti ſunt. 156.1
Eccleſia patrona hominis miſericordis. 73.1
Eccleſiæ oculi ſunt prælati generaliter. 143.2
Eccleſiæ ſymbolum erat rubus quem Moſes vidit. 86.1
Eccleſiæ primum fundamentum, paupertas. 18.2
Eccleſiæ collum, Doctores. 168.2
Eccleſia in terris agit ſed conuerſatione cœlum contingit. 25.2
Eccleſiaſtici.
Eccleſiaſticorum negligentia cauſa eſt damnationis omnium ferè reproborum. 373.1
Echo.
Echo de amore. 289
Eduardus Angliæ Rex.
Laudandus ob remiſſum ſuis tributum. 451.1
Efficax Gratia.
Cur Deus omnibus non eroget auxilium efficax. 373.2
Egentia.
In corolla & ſerto diuinitatis, flores nectuntur egentiarum funiculis & ſtamine. 354.1
Egenus.
Egenus & pauper differunt. 715
Egeſtas.
Egeſtas. 203
Egeſtatis & indigentiæ commendatio. 353. & ſeq.
Elatio.
Non Elationem & ſecuritatem, ſed timorem & vigilantiam loci celſitudo parare debet. 165.2
Electus.
Electorum proprium eſt ſeruare charitatis concordiam. 112.1
Electi carere ſolent non ſolùm ruga ſed & macula qua charitatem violent. pag. 113 col. 2
Electio.
Debet Electio maximè Magiſtratuum eſſe affectu. 440.2
Elegantia.
Elegantia nuditatis. 291
Eleemoſyna.
Eleemoſyna, fons puriſſimus. 74.1
Qui Chriſtum paſcit à Chriſto paſcitur. 355.1
Petenda à Deo in oratione & quomodo. 483.2
Elementa.
Elementa ſe inuicem diligunt. 300
Non poſſunt ferre Elementa abſentiam ſui centri. 548.2
Elias.
Elias raptus in cœlum, pallium reliquit, & quid ſignificet. 463.1
Elizabetha R. Catholica.
Eius ad Confeſſarium ſuum eximia Epiſtola. 414
Emanus.
Emanus aquâ ſalſa vſus eſt. 208
Empyrus.
Empyrus piſcis miraculoſus. 144.2
Endymion.
Endymion. 286
Epictetus.
Epictetus fortunam prouocat. 210
Epicurus.
Deum relegabat, priuabatque mundi gubernatione. 509.1
Epicurus. 212
Epiſcopus.
Epiſcopus diuinus ſit homo oportet. 165.2
Epiſcopi nomen eſt nomen operis, non honoris. 166.1
Equi.
Equi Diomedis. 237
Error.
Error aliquando diſciplinæ ſeruit. 365.2
Error gloriæ. 237. & ſeq.
Honoris. 323
Ethnici.
Ethnicorum aliquot auſteritates. 477.1
Putarunt filios erga genitores ſatis gratos eſſe non poſſe. 488.2
Ethnicorum Dij. 242
Eucharistia.
In Euchariſtia quanta Chriſti charitas. 397.1
Quo pacto in Euchariſtia ſuſcipiendus ſit Deus. 526
Eumolpus.
Teſtamento iuſſit, vt hæredes corpus ſuum comederent. 397.1
Euripides.
Senſit perinde futurum hominibus ſi Deus exiſtimaretur eſſe, atque ſi eſſet. pag. 346 col. 1
Exactiones.
Pauperes non vexandi Exactionibus. 450.1
Exemplum.
Exempla maiorem vim habent quam præcepta. 192.1
Inter Exemplum & verbum quod diſcrimen, 160.1
Exemplorum commemorationis vſus. 259
Exilium.
Terra eſt Exilium pauperum ſpiritu. 28.1

Digitized by Google

Exilium æternum Genucius regno antepoſuit. 214.2

Exitus.

Exitus ante omnia conſiderandus eſt. 259

Expectatio.

Expectatio malorum. 163. & ſeqq.

Exultatio.

Exultatio occidit Diagoram. 330

F.

Fabula.

FAbula videntur verba ſine operibus. 158.1

Facies.

Facies rerum labentium circulus dicitur ab Elia Cretenſi. 223

Factitia.

Factitia propria manu laudantur. 210

Fallacia.

Mundi Fallacia quanta ſit. 47

Fames.

Famem humani cordis bona dumtaxat virtutis poſſunt ſatiare. 57.1

Fames malum panem & furfuraceum tenerum reddit. 63.2

Quantumuis profecerimus ſemper debemus habere maioris profectus Famem. 62.1

Fames Iuſtitiæ mater eſt diuitiarum ſpiritualium. 66.2

Perpetua Fames perpetuam ſaturitatem meretur. 68.1

Fames & ſitis quibus in iuſtitia, ſeu virtute proficimus, gratiſſima Deo. 61.1

Fauna.

Fauna edentula. 224

Fauni.

Fauni diuerſorium. 237

Fauor.

Chriſti Fauor & gratia quam efficax. 484.2

Fautinus.

Fautinus, ſyluarum, & montium ciuis. 204

Federicus Imp.

Federici Imp. Importuno petitori facetum reſponſum. 219

Felicitas.

Eximiè mori, Felicitas mortis eſt. 333.2

Felicitas malorum.

Felicitate malorum nihil infelicius. 379.2

Felix.

Felix quis. 218

Felicitas. ibid. & 234

Felicitas optima quæ. 210

Felicitas laruata. 227

Felicitas Datamis. 246

Felicitatis ars omnium difficillima. 245

Nomen Felicis qui Principes aut iure aut iniuria geſtarunt. 413.2

Fera.

Feræ omnes in ſiluis ac montibus ſæuiunt. 142.1

Ob leuia beneficia gratæ ſunt Feræ. 485.2

Ferdinandus.

Rex Ferdinandus quocumque pergebat imaginem Deiparæ circumferebat. 336.2

Ferdinandus II.

Ferdinandi II. Cæſaris eximia pietas commendatur. 413.2

Ferdinandus III.

Ferdinandus III. Caſtellæ Rex ſanctus attentiſſimus voluntati Dei & honori. 417.2

P. Ioan. Ferdinandus.

Cum Angelo recitabat horas Canonicas. 523.2

Fermentum.

Fermentum id eſt Apoſtoli. 158.1

Feronia.

In Feronia Charitas adumbratur. 109.2

Feronia Dea viridi luco gaudet. ibid.

Ferula.

Ferula literaria Getæ. 219

Ferrum.

Ferrum Deciorum. 208

Feruor.

Quotidianus Feruor debet retineri. 518.2

Feruidè ad orationem matutinam ſurgendum. 517.1

Ficus.

Ficus Indica omnium arborum maxima. 23.2

Fides, Fideles.

Fides eſt pecunia ſeu talentum illud quod Dominus ſeruo ad negotiandum dedit. 152.1

Fideles ad virtutem condit ſal Eccleſiæ. 170.2

Omnis humana fides tanquam perfidia eſt. 475.1

Quomodo per Fidem veritas conſtet. 463.2

Fiducia.

In quo plerumque peccet Fiducia noſtra. 479.2

Filius, Filiatio.

Filij Dei non ſunt diſcordiæ amatores, ſed hoſtes. 135.2

Filius & accreſcens idem. 60.1

In Filiorum correctione ſalis mordacitatem adhibere debent Parentes. 179.1.2

Filij Dei iure optimo dicuntur, qui ex charitate inimicis benefaciunt. 131.2

Ex Filio Dei inſtructa patientia. 133

Dei Filiatio eſt præmium pacis perfectiſſimæ cum proximo. 82.1

Ij Filij quos maiori cum dolore mater peperit plus dilecti habentur. 475.2

Filum.

Filo ligata anima quomodo reſecare illud debeat. 463.1

Finis.

Finis turpis laudem egregiam maculat. pag. 21 col. 2

Fletus.

Per Fletus ad æterna gaudia ducimur. 50.1

Fletus proborum, riſus animæ. 226

Flos.

Flores ſine fructu, diuites. 23.1

Flos campi, Chriſtus ob paupertatem. ibid.

Varij Florum odores id eſt virtutum à D. Greg. deſcribuntur. 167.2

Flumen.

Flumina Babylonis ſunt mundi bona & proſperitates. 7.2

Quatuor huius ciuitatis Flumina recenſentur. ibid.

Fons.

Fons amœnus & tranquillus, manſuetudo. 42.1

Fons in ortu inops. 60.1

Fons puriſſimus, eleemoſyna. 74.1

Digitized by Google

Forma.
Peccatoris Forma quam deformis. 403
Formica.
Formica Symbolum magnatum diuitiarum. 67.1
Formicæ ſolertia. 240
Formido. 279
Fortitudo.
Magna animi Fortitudo, atque potentia oſtenditur in amore inimicorum. 134.1
Fortuna.
In paupertatem,atque gloriæ neglectum nullum ius habet Fortuna. 19.1
Bonorum fruitio dicitur Fortuna quia fortuito & raro eueniunt. 544.1
Pietati Regiæ Fortuna fideliſſima eſt. 416.1
Quid ſit Fortuna ex Ariſtotele. 356.1
Fortuna. 202
Quo nomine ſit iniqua. ibid.
Quo impia. ibid.
Fortuna humana. ibid.
Prouocatur ab Epicteto. 210
Fortuna cæca. 229
Lubrica. 235
Triplex. 250
Fortunæ indulgentis ordo. 202
Fortunæ meretricium ingenium. 203
Fortunæ neceſſitas, magnum infortunium. 215
Fortunæ cum pupillo comparatio. 221
Fortunæ rota. 223
Mediocritas laudata. ibid.
Fortunæ nomen Chriſtiano reiiciendum, & diuina oſculanda manus. 229
Fortunâ opus ſummo operi. 248
Fortunatus quis. 222
Franciſcus.
Franciſcus Lupius. 217
Pallium in partes pauperibus diuidit. 712
Fraus.
Fraus, de perſona animi. 226
Frons.
Frons Heracliti. ibid.
Fructus.
Fructus à fruendo dicitur. 38.1
Fuga.
Fugæ inuentor quis. 233
Functio.
Functio Salis Apoſtolici natura, ac feſtina eſſe debet. 177.1
Fur.
Fur Diabolus eſt. 75.2
Furor.
Furor, otij portiuncula. 301
Furoris ars & dementia. 302

G.

Galenus.
Ex partibus corporis humani Diuinitatem colligit. 347.2
Gallus.
Galli & Germani ad Rheni vndas fœtus in lucem editos explorabant. 132.2
Garupes.
Garupes Tyrannus cædem Martyrum fieri iubet. 336.1
Gaudium.
Gaudium. 207
Eius patria. ibid
Sedes. 209
Gaudium factitium. 213
Gaudium Iacobi Patriarchæ ex nuntio viuentis Ioſeph. 212
Gaudium in quo ſit. 216
Quid ſit. ibid.
Eius opificium. ibid.
Differt à lætitia. 290
Perpetuum iuſtorum Gaudium ac minimè interruptum. 7.1
Gaudium eſt iter quo itur ad beatitudinem. 47.2
Mundanæ proſperitatis gaudia, falſæ beatitudinis ſpecie veram miſeriam abſcondunt. 5.2
Gaudio etiam perfecto beati ſunt perſecutionem patientes propter iuſtitiam. 91.1
Inane mundi Gaudium inſanire homines facit. 47.1
Cum Gaudio aduerſa tolerat perfecta patientia. 94.1
Melius eſt habere Deum quam Gaudium. 546.2
Gaudia.
Terrena Gaudia vt obtineantur,requirunt pro pretio ſui multò maiora deſideria quam valeant. 470.2
Gaudij patria. 207.& ſeq.
Sedes, animus. 209
Gaudiorum comes vndique dolor eſt. 318
Vide *Lætitia.*
Gelimeres.
Gelimeres Vandalorum Rex. 215
Geminare.
Omnia creata ſeipſa Geminare geſtiunt. 349.1
Gemmæ.
Gemmæ. 250
Genitrix.
Genitrix Aëtij. 309
Genucius.
Genucius æternum exilium regno antepoſuit. 214
Geta.
Getæ literaria ferula. 219
Gigas.
Gigantum nomine Dæmones in ſacris litteris vocati. 6.2
Gigantes à nocte in mane natos, adultos, viros deorum inimicos vulgus iactat. 301
Giezi.
Sacrilega Giezi cupiditas vniuerſam poſteritatem lepra fœdauit. 380.2
Gladiator.
Gladiatorum princeps Nero pugnas ſpectabat Smaragdo. 96.2
Gladius.
Gladius Alexandri illudit nodum Gordij. 278
Glaucus.
Glaucus. 276
Gloria.
Gloriam Dei minuit & obſcurat qui ipſius ſupremi regis imaginem deturpat. 163.2
Gloria res ruinoſa. 224
Gloria mortalium, mortuis mortalior. ibid.
Gloriæ Macedonicæ cupiditas. 272
Gloriæ humanæ futilitas. 320
Cauſas ſui iuris habet. 241

Gloriæ

Digitized by Google

Gloriæ cupiditas. 321
Periculum. ibid.
Error. ibid.
Quam magnam Gloriam ſperare debemus. 538.1
Quo Deus illam pretio vendiderit ſanctis ſuis. ibid.
Glorioſum eſt Gloriam amare alienam. 334.1
Cur Deus non crearit omnes in Gloria. 394.2
Regis Gloria eſt opulentia Regni. 448.2
Semper quærenda eſt Gloria Dei. 511.1

Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza dulciſſimæ radicis arbuſtum ſi oliuæ adhæreſcat, & circa ſtipitem eius radices agat non longo interuallo ipſam interire cogit. 179.2

Gonia.

Gonia rupes. 208

B. Ludou. Gonzaga.

Eos dicebat non ſatis ſe cognoſcere qui nimis de ſuis defectibus contriſtarentur. 519.1

P. Rochus Gonzales.

Deſcriptio mortis P. Rochi Gonzales pro Chriſto. 334.2

Gordianus.

Gordianus purpuram niſi coactus accipere noluit 214
Secundum rerum malum putauit imperium. ibid.
Secundam poſt mortem ſecundam fortunam duxit. ibid.
Inter purpuram & necem dubius fuit. ibid.

Gordius.

Gordij nodus. 278

Gradus.

Gradus per quos anima aſcendit ad cælum ſunt ex lapidibus pretioſis. 10.1

Græci.

Græci. 244

Granum.

Granum vuæ Anacreontis expectorauit animam. 333

Gratia.

Gratia manat à Deo liberaliter, & reddit hominem Deiformem. 138.1
Per Gratiam participat homo Deum ſecundum gradum ſupremum diuinæ naturæ. 474.1
Quantum Gratiæ Dei & Chriſti debeamus. 508
De excellentia eius qui eſt in Gratia. 473.1
Gratia Dei hominibus officioſiſſima & velut in eorum iurata obſequium ex Hildeberto. 249

Gratitudo.

Quæ debeat eſſe Gratitudo erga SS. Trinitatem, 356.2
Leonis & Ferarum Gratitudo mirabilis 485.2

S. Ioan. Gualbertus.

Eminuto euentu manauit S. Ioan. Gualberti ſanctitas. 404.1

Guerricus.

Egregiè celebrat Diuinam liberalitatem. 350.1

Guillel. de S. Theodoro.

Eius circa Gratiam efficacem præclara ſententia. 374.1

Gula.

Gulæ crimen. 318
Abſque Gula & cibis aliqua animalia fruuntur læta natura. 462.2

Guſtus.

Guſtus, 291

Gutta.

Non modo ſanguinis ſed & ſudoris Chriſti vel minima Gutta ſuperabundabat ad hominum redemptionem. 493.1

P. Martinus Gutierrez.

Quid ei reuelauerit B. Virgo. 489.2

Gyges.

Gygis annulus. 215. & ſeq.

H.

Habis.

HAbis Hiſpaniarum Rex. 204

Abraham.

Vide *Abraham.*

Hereditas.

Hæreditas nonniſi ad Iſaac pertinet; munera dantur filiis concubinarum, id eſt temporalia 8.1
Hereditas noſtra, pax. 80.1

Halcyon.

Halcyon in fluctuum flagella pullos ſuos abſque diſcrimine aliquo educat. 179.2

Annibal.

Vide *Annibal.*

Hebdomada.

Hebdomada veteris Teſtamenti eſt, Octaua noui. 10.2

Heli.

Heli ob falſam in filios peccantes pietatem, & indulgentiam grauiſſimè punitus eſt. 179.1

Hemorrhoiſſa.

Hemorrhoiſſa à ſolo Chriſto ſanari potuit, quia ſolus Chriſtus verus Medicus in cuius pennis ſanitas. 4.2

Henricus.

Henricus IV. Caſtellæ Rex cuidam veritatem licenti iubet linguam præcidi. 433.1

Heraclitus.

Heraclitus. 226

Herinaceus.

Herinacei qui vocentur. 3.2

Herodes.

Herodes Sophiſta. 230

Heroicus.

Heroica virtus Principes decet. 423.1

Heron.

Heronis Monachi lapſus. 369.2

Heſperides.

Heſperides coluerunt in Africa amœniſſimum hortum. 38.2
Heſperides, diuitis filiæ. ibid.

Hierocles.

Hierocles Philoſophus. 215

Hieruſalem.

Cæleſtis Hieruſalem non bellatorum ſpolium eſt. 43.1
Cæleſtis Hieruſalem muros de pace conſtructos habet. 79.1

Hilaris.

Hilaris barbarus quidam Arabiæ. 219

Digitized by Google

Hippias.

Hippias Sophiſta nobilis. 219
Eius laus. ibid.

Hiſtoria.

Hiſtoria de tribus glorioſis Martyribus è Soc. Ieſu. 333.& ſeqq.

Holocauſtum.

Filij Dei vnigeniti ſuper crucem. 492.1

Homo.

Se Deo debet Homo tradere pro beneficiis ab eo acceptis. 541.1
Homo nullius rei Dominus. 39.2
Homo per lucem in cognitionem Dei clarius vocatur. 156.1
Homo, ſtipula ſicca. 135.1
Homines per paupertatem deſinunt terreni eſſe,& fiunt cæleſtes. 25.1
Homines fallaci cibo capiuntur vt aues. 22.1
Homines malunt exempla quam verba. 160.2
Homines per bona opera præcipuè debent trahere ad Deum Doctores & Paſtores. 193.2
Homo regnum Dei fit cum in eo per internam pacem omnia ordinata ſunt. 79.1
Homo nec fortuna nec maiori arte naturæ indiget. 202
Quomodo ſibi ſufficiat. 211
Ex tortoribus compoſitus. 212
Rudis naſcitur ad omnia niſi ad lachrymas. 230
Cur beatitudini vnicè deuotus naſcatur ad labores. ibid.
Hominis præſtantia & valor. 203.& 210
Conſideratio. 286
Hominem ex duobus carnificibus compactum, Claridemi dictum. 310

Honeſtus.

Nemo Honeſtior quòd alius dixerit benè, ſed quòd ipſe fecerit. 334.1

Honor.

Honor exhibitus Patri etiam eſt honor filij. 512.2
Honos. 321
Honor alieniſſimus, & nos alienat. 210
Honos virtutis Appendix eſt. 532
Clidemum occidit. 330
Honoris error. 325
Via. ibid.
Honor diuinus eſt cauſa, honoris Principum. 420.2

Honoratus.

Honoratus. 212
Vide *Gloria.*

Hortus.

Quare Chriſtus orauit in Horto. 483.1

Humanus.

Humana conditio ferarum miſerabilior. 207

Humilitas.

Humilitatis laus. 249
Per omnem deſpicientiam prouehenda. 339.2
Humilitas non ſemper gratuita. ibid.
Quæ hominem in Humilitate contineant. 507.1
Vbi Humilitas, ibi illuminatio Spiritus. 100.2
Humilitate fundatus Doctor, non ſuam ſed Dei gloriam debet quærere. 164.1

Humor.

Humoris abundantia duritiam dat tumoris. 164.2

Hyacinthus.

Hyacinthi quæ virtutes. 99.2

Hypocrita.

Hypocritæ ſimiles pictoribus & ſtatuariis. 78.1

I.

Iacob.

IAcob Patriarcha mons erat æternus. 154.2
Iacobi Patriarchæ gaudium ex nuntio viuentis Ioſeph. 214

Iactatio.

Velut tinea Iactatio pretioſiora corrumpit. 356.2

Ieiunium.

Cum Ieiuno Elia & Moyſe Deus gauiſus eſt confabulari. 529.2

Ieſus.

Quomodo ſit lux hominum. 486.2

Ignis.

Ignis quia ſimplicior & purior inter omnia elementa efficacior eſt. 550.2
Ignis optimum condimentum olim dictus. 208
Cœli ſuburbium. 241
Ignis omnium acerrimus vltrò, ne pugnet, exulat. 300
Ignis Martyrum corpora nil lædit. 337.1

Ignominia.

Ignominia. 208
Ignominia bonorum. 310
Vide *Honos*, & *Gloria.*

Ignorantia.

Ignorantia mortalium circa res humanas. 345.1

Imaginatio.

Imaginatio. 264

Imago.

Imago voluptatis quæ. 319

Impatientia.

Impatientia. 232

Imitatio.

Imitari Chriſtum debemus,imprimis circa dolores & paſſionem. 490.2

Immenſitas.

Quo pacto Principes velut Immenſi fient. 432.2

Imperator.

Qui in Imperatorem legitimè cooptatur tribus coronis donatur. 32.2

Impetus.

Impetus. 298

Impius.

Impij cum animi quietem vbique inueſtigare non deſinant, nuſquam tamen inueniunt, 4.2
Impij in ſiniſtra Dei proficiunt, in dextera franguntur. 8.1
Impij paſcuntur in lata proſperitatis via. ibid.

Impotentia.

Impotentia mortalium. 301
Deus ex Impotentia quod vult facit. 345

Inclinationes.

Prauæ Inclinationes nos à virtutis tramite abducunt. 484.1

Incommoda.

Incommoda quæ ſequentur ſi abſit opinio diuinitatis.
Animæ infirmitates & Incommoda. 483.2

Inconſidera

Digitized by Google

Inconſideratio.
Præcipua cauſa peccatorum eſt Inconſideratio. 500.1
Increpatio.
Increpatio culpæ laude virtutis condiri debet. 175.1
Indigentia.
Omnes nos Deus per Indigentias, cum ſufficientiſſima ſua natura conformat, & ſufficientes facit. 354.1
Indoles.
Indoles. 270
Indoles amoris collata cum lege naturali. 281.& ſeq.
Indulgentia.
Aliter Patres, aliter Matres indulgent. 377.1
In Principibus Indulgentia commendatur. 454.1
Infans.
Infans humilitatis & benignitatis Symbolum. 165.1
Præmatura Infantium mors. 394.2
Infantes excepti ab animalibus, & aliti. 204
Infernus.
Via Inferni facilis eſt in ſuperficie. 47.2
Cur tot homines Inferno mancipentur. 363.1
Infelix.
Infelix nullus, ſenſu aliorum. 217
Ingenium.
Ingenium amoris. 275
Infula.
Infulæ quæ dicantur. 138.2
Ingluuies.
Etiam per vitæ officinam mortem fabricat. 392.1
Vitæ Charybdin vocabat Diogenes. ibid.
Ingratus.
Quam Ingrati ſimus Deo. 532.1
Ingreſſus.
Difficilem Ingreſſum regni cœlorum parant diuitiæ; paupertas facilem. 34.1
Inimicus.
Inimicorum amor & iniuriarum remiſſio Chriſtianæ perfectionis meta. 133.1
Inimicorum iniurias dimittere docemur Dei exemplo. 124.2
Amans Inimicos glorioſam refert victoriam. 142.1
Quam neceſſarium ſit Inimicis ignoſcere, vt Deus nobis ignoſcat. 126.1
Inimicis ignoſcere, maximè decet Chriſtianum. 127.1
Qui callidè, & velut obliquè agunt cum Inimicis, obliqua ira puniuntur à Deo. 128.1
Inimicos diligit qui huius ſæculi fluctus calcat. 144.2
Inimici amator ſimilis empyro piſci. ibid.
Inimicorum odium Deus prouidè curauit ab humano exterminare genere. 123.2
Malefacere Inimicis abiecti animi eſt, benefacere glorioſum. 130.2
Amare Inimicum, & vindictam contemnere, virtus eſt nobiliſſima & Regia. 138.2
Qui Inimicos ſuos diligunt, eorum eſt incomparabilis dignitas. 137.1
Qui Inimicum diligit, præclarum quaſi edit miraculum. 144.2
Iniquus.
Per Iniquos loquitur etiam Deus. 187.1
Iniuria.
Iniuriarum remiſſio documento etiam gentilium commendatur. 147.2
Qui Iniurias proprias non vlciſcuntur, Deus vltor eſt eorum. 141.1
Quantis Chriſtus Iniuriis & conuiciis noſtri cauſa affectus ſit. 493.2
Iniuſtus.
Iniuſtus poteſt cenſeri, qui lucernam fidei ſub modio intellectus ſine opere detinet. 151.2
Innocentia.
Innocentiæ inuentum quod. 232
Fructus, conſtantia. 239
Inopia.
Inopia. 203
Inopiæ cum diuitiis collatio. 313
Inopiæ deſiderium. ibid.
Inſtitutio.
Neceſſaria Rebuſpublicis Inſtitutio. 441.2
Intelligere.
Laborant mortales inutiliter vt Deum plus intelligant, quam diligant. 344
Inuidus.
Odit Inuidus non damna ſua ſed aliorum lucra. 391.1
Inſania.
Amare momentaneam proſperitatem, Inſania eſt. 465.1
Inſipidum.
Quod vni Inſipidum, aliis eſt ſuaue. 463.1
Intellectus.
Intellectus donum. 250
Eius ſalutaris vſus. 256
Vide *Mens.*
Intemperantia.
Intemperantia. 269
Interceſſio.
Mariæ Interceſſionis neceſſitas. 489.1
Inuentum.
Inuentum auaritiæ, poſt omnia poſſe optare aliquid. 214
Inuidia.
Inuidia Cæſaris & Pompeij. 272
S. Ioannes.
Vicarius fuit obedientiæ & obſeruantiæ Chriſti in Matrem. 488.2
S. Ioannes Bapt.
Ioannes virgo cur non electus eſt vt eſſet caput Eccleſiæ. 153.1
Ioannes Baptiſta Doctor, dicto facto magiſter verus. 160.1
Ioannes Leonem audiuit, ſed agnum vidit. 45.2
Ioannes II.
Ioannis II. Portugalliæ Regis in ſacerdotem eximia reuerentia. 421.1
Ioan. Fernandius. 235
Iob.
Iobi miſeria. 223
Patientia. ibid.
Iob vitæ tædio afflictatus nec Solem nec Lunam clarè incedentem aſpiciebat. 53.1
Ionadab.
Ionadab qualis apud filios ſuos fuerit authoritatis. 124.1
Ionas.
Ionas procellæ cauſa iactatur in pelagus. 214

Digitized by Google

Ioſeph.
Fratres Ioſeph affligebantur neſcientes ipſum regnare in Ægypto. 484.2
Deus Ioſephum per ſeruitutem prouexit ad imperium. 403.1
Ioſephi innocentia commendatur. 331
Ira, Iracundia.
Blandus ſermo Iræ duritiem diſſipat. 82.2
Animus ab Iracundia alienus templum Spiritus Sancti. 42.2
Ira, furor breuis. 301
Initium inſaniæ apud Ennium. ibid.
Naturæ telum Diadocho. 448
Iræ motus. ibid.
Irati hominis aſpectus Galenum terruit. ibid.
Cum aliis deſiit ſibi ipſi Iracundus iraſcitur. 392.1
Deus malis iraſcitur bona eis temporalia concedendo. ibid.
Iram coërcere ſtudeat imprimis Princeps. 456
Iſaac.
Iſaac riſus dicitur. 94.1
Iudæi.
Iudæi filij erant Diaboli imitando, non naſcendo. 136.1
Num Iudæis licuerit odio habere inimicos. 122.1
Iudas.
De electione Iudæ in Apoſtolatum. 375.1
Iudex.
Iudex minimè ſeuerus in eum à quo blandus munera accepit. 72.2
Iudicium.
In Iudicio Dei inuenient miſericordiam qui miſericordes ſunt. 72.2
Cur poſt priuatum Iudicium, vniuerſale decretum ſit. 388.1
Nihil magis oportet ad profectum quam rectum Iudicium de rebus ferre. 472.1
Iulius Cæſar.
Iulius Cæſar nihil niſi iniurias obliuiſcebatur. 147.2
Ius.
Ne ſit venale Ius. 444.1
Iuſtitiæ fames omnem mundi cibum faſtidit. 65.1
Iuſtitiæ cupiditate homo ardens nil non difficilè aggreditur. 93.1
Iuſtitiæ fames iugiter ſolet creſcere in iuſtis. 68.1
Iuſtitia.
Membra Iuſtitiæ quod ſint. 443.2
Conſolatio miſerorum Iuſtitia eſt. 445.1
Vera Iuſtitiæ fames, ac ſitis, quidquid in virtute amarum eſt facilè deuorat. 63.2
Qui patitur propter Iuſtitiam, beatitudinem etiam eſſentialem quodamodò participat. 89.2
Ad patiendum propter Iuſtitiam cunctæ beatitudines requiruntur. 92.1
Propter Iuſtitiam quadam velut claritatis dote decorantur patientes. 86.2
Efficacia ea deſideria ſunt, quæ Iuſtitiæ famem concitantur. 65.2
Iuſti.
An mali poſſint nocere Iuſtis. 385.1
Cur Iuſtos afflictos Deus ſæpe non exaudiat. 378.1
Iuſtus onagri, nomine ſignificatus. 3.1
Paſcitur in altis ſcripturæ ſacræ ſententiis. ibid.
Iuſti lugentes ex ſolo Deo conſolationem admittunt. 51.2
Iuſti ſunt beata gens de Deo, qui eſt eorum poſſeſſio. 5.1
Iuſti omnia in Deo poſſident. 5.2
In Iuſtis iugiter creſcere ſolet fames Iuſtitiæ. 68.1
Iuſti quibus ferramentis beatitudinem effodiant. 4.1
Iuſtis ad æternam patriam tendentibus cur Deus amatam peregrinationem diſpoſuit. 12.1
Iuſtus id habet quod vult, atque idcirco beatus eſt. 4.1
Iuſti, cur ceruis comparentur. 3.1
Vocantur ad perfectæ vitæ montem. ibid.2
Iuſti lugentes in nulla prorſus creatura ſolent conſolationem quærere. 52.2
Iuſtus maximè Doctor & Paſtor omnes virtutes comparare debet. 167.1
Iuſtorum cor cœlum eſt. 7.1
Iuſtorum gaudium perpetuum, ac minimè interruptum. ibid.
Iuſti licèt corpore affligantur, animo tamen ſemper gaudent. ibid.
Iuſtus quia filius adoptiuus eſt ſignatus dicitur à Deo. 137.1
Iuſtus intra cor ſuum Bibliothecam diuini conſecrat verbi. 167.2
Iuſtus tentationis pondere afflictus à ſolo Deo conſolationem expectat. 51.2
Vita Iuſtorum, ſemita propter tria. 58.2
Iuſti ſimiles palmæ. ibid.
Quomodo Iuſtus lux fieri debet cognitione rerum diuinarum. 150.1
Iuſti non ſolum in futura, ſed in præſenti quoque vita ſunt beati. 5.2
Cur omnia Iuſtorum bona opera dicuntur primitiua. 60.1

L.

Labor.
PEr Labores & tribulationes ad æternæ beatitudinis requiem aſcendendum eſt. 11.2
Cum abiere Labores dulces ſunt. 395.1
Laborum temporalium terminus alius labor eſt. 479.1
Labor nullus acerbus patientibus, ſed nolentibus. 217
Labor aſſiduus quanti ſit. 231
Labor triplex. 217
Laboris commendatio. 235. & ſeq. 319. & ſeqq.
Laboris præuiſi commoda. 263
Laboris priuilegium quod. 203
Labores voluntarij. 231
Neceſſarij. ibid.
Laborum inuentor quis. 232
Laborum ingenium gratiſſimum. 318
Laboribus aſſueſcere aduerſùs ipſos præſtat. 231
Lacrymæ.
Ridicula Lacrymarum cauſa, quòd auferuntur cauſæ peccatorum. 478.1
Lacrymæ. 126. & 326
Lacrymæ

Digitized by Google

Lacrymæ Solonis. 216
Lacrymæ primi flores hominis. 230
Gratiſſima cæremonia amoris. 307
Lacrymæ orantium dulciores,quam gaudia theatrorum. 6. 1
Panis iuſtorum lacrymæ. ibid.
Lacrymæ panis ſunt ſuauiſſimi nutrimenti. ibid.
Vide *Luctus*.
Lacrymæ viaticum participationis bonorum, quæ ſperantur. 56.2
Vbi Lacrymarum abundantia ibi Chriſtus. 75.2
Lacryma extinguit flammam peccati, quæ in conſcientia ardet. 49.1
Lacrymæ à Deo conſolationem eliciunt. ibid 2
Cauſa Lacrymarum inſultatio iugis prauorum. 64.1

Lætitia.

Mundi Lætitia beatitudinem mentitur, quæ potius in luctu eſt. 47.1

Lagana.

Lagana id eſt amor inimicorum. 145.2

Lamech.

Lamech præuidit filium ſuum Noë ingentem quandam conſolationem mundo allaturum. 176.2

Lapis.

Lapis porphyreticus quis. 94.2
Lapides,labores & ærumnæ. 48.1
Suſpenſus in aëre Lapis ſemper ſeruat propenſionem ad terram. 548.2

Lapſus.

Aliquorum Lapſus alios confirmat. 369.2
Lapſum naturæ noſtræ reparauit beata Trinitas. 167.1

Laqueus.

Quantis Laqueis hominibus inſidietur Dæmon. 479.1
Laqueus triſtitiæ, de lætitia quæ fuit tempore. 290

Largitiones.

Prudentia Largitionum. 453.1

Larua.

Laruata ſunt huius vitæ bona. 382.1

Latona.

Latona id eſt obliuio. 132.2

Latro.

Latro multo beatior in monte Caluario cruci ſuffixus,quàm olim Adam in paradiſo deliciis circumfuſus. 5.2

S. Laurentius.

Cruciatibus ſuis annos redemit. 359.1
S. Laurentius Martyr. 208

Laurus.

Laurus igni admota ſi valde crepitaret, quid ſignificabat. 94.2

Laus.

Maxima Laus, & gloria auidè ſtudium proficiendi arripere, & famæ augendæ virtutis laborare. 59.2
Quomodo Laudandus ſit Deus. 525.1
Laus eſt quædam honoris exactio. 334.1
Laus quibuſdam ad ignominiam fuit. 303
Propriæ Laudes vitandæ ſunt. 305.1
Laus iuſti vituperium eſt iniuſti. ibid.

Lazarus.

Lazaro pauperis perſonam mors detraxit. 40.1

Leander.

Leandri dictum de patientia. 235. & 236

Lectulus.

Lectulus reſperſus floribus, conſcientia eſt bonis referta operibus. 167.2

Legatus.

Legati Dei ſunt concionatores,prælati & confeſſarij. 85.2
Legatos malè excipere,& interficere grauiſſimum piaculum eſt. 126.1

Lenitas.

Hominibus ſine Lenitate non plus quàm Deo placere ſine fide poſſibile eſt. 46.1

Leo.

Ob ſpinam erutam è pede rependit gratiam poſt multum tempus. 485.2
Leo Iconomachus Imp. naſci tributarium fecit: morti onus nemo impoſuit. 330
Leonis robur. 207

Lex.

Quàm auſpicatum nouæ legis initium. 2
Lex per Moyſem data eſt,gratia & veritas per Ieſum facta eſt. 104.1
Lex tranquillitatis. 219
Sinarum quoad peregrinos. 85
Leges moriendi omnes reſpubl. ſanciunt. 329
Pulchræ Calliſtrati & Conſtantini leges.444.2
Diuina inuentio Legum. 437.2

Mortis Lex.

Cur mortis legem, etiam poſt Chriſti ſatisfactionem Deus ſeruari voluerit. 359.2

Liber.

Liber Euangelicæ doctrinæ lapidem philoſophicum hominibus aperit. 110.2

Libri.

Delectus Librorum qualis eſſe debeat. 441.2

Liberalitas.

Grata Liberalitas Principi. 454.1
Liberalis quis. 202
Libertas. 228
Libertas quæ,iuxta Periandr. 239
Libertatis duplex membrum. 228
Liberalitas plus in contemptu diuitiarum, quàm in ipſarum largitione eſt conſpicua. 30.1
Liberalitas diuina. 350.1
Libidini ſatisfit non ſatisfaciendo. 219

Lignum.

Ligna pomifera opera ſunt virtutibus fœcunda. 61.1

Lilium.

Lilium quamuis à ſpinis pungatur, eas tamen ſua ſocietate dignatur,& ſuo candore ipſas venuſtare dignoſcitur. 146.2

Lingua.

Linguæ lenitas quanti facienda. 456.1
Chriſti Lingua quo pacto cruciata. 490.2
Lingua beneuolentiæ quæ. 287

Locus.

Loci celſitudo non elationem & ſecuritatem, ſed timorem & vigilantiam parare debet. 165.2

Locmanus.

Locmanus, vetuſtus Perſarum ſapiens. 327

Lucerna.

Qui Lucernam fidei ſub modio intellectus ſine opere detinet, iniuſtus cenſeri poteſt. 151.2
Lucernas ardentes in manibus gerit, qui bonis operibus fulget. 159.1

Digitized by Google

Lucifer.
Lucifero ſuperbiores ſunt qui pati cum Chriſto recuſant. 494.2
Lucretia.
Mortem dedecori prætulit. 389.1
Lucrum.
Lucrum turpe damno poſtponendum. 239
Lucrum ſecurum,detrimentum nullum. 278
Luctus.
Luctus ſub ſpecie quadam triſtitiæ verum & perfectum gaudium abſcondit. 7.1
Luctus perpetuum gaudium, ac minimè interruptum. ibid.
Luctus duplex irriguum inferius, & irriguum ſuperius. 97.2
Meliùs eſt ire ad domum Luctus,quàm ad domum gaudij. 47.1
Lugens.
Lugentes quia peregrinantur, Dominus conſolabitur. 51.1
Luſitani.
Luſitana potentia, à Principum pietate ſumpſit exordium. 413.1
Lux.
Lux omnibus mundi rebus maximè proficua. 155.2
Lux ſapientiæ, atque doctrinæ ad bona opera obligat. 157.1
Lux innocentiæ & ſanctitatis regula rectiſſima eſt,ſine qua aliorum errata non rectè iudicantur & arguuntur. 153.2
Lucem doctrinæ, & ardorem zeli debet habere Doctorperfectus. 156.2
Pleniori Luce à Deo illuſtrantur, vt alios illuminent Doctores & Paſtores. 154.1
Quomodo Lux fieri debet iuſtus cognitione rerum diuinarum. 150.1
Lux virtutis & ſanctitatis maximè neceſſaria eſt in Paſtoribus & Doctoribus. 153.1
Lux operum bonorum in Dei gloriam deſtinanda eſt. 161.2
Tota gloria & gratia colorum Lux eſt. 486
Luxuria.
Luxuriæ exempla. 317
Lycaſtus.
Lycaſtus. 204
Lyſimachus.
Lyſimachus ſe voluptati vendidit. 317

M.

Macedo.

Macedo miles. 214
Macedonis ardor. 211
Machabæi.
Cur Machabæos obiecit Deus Antiocho cruciandos, Ananiam vero & ſocios flammis ſubduxit. 390
Macrinus Cæſar.
Stulta electio Macrini Cæſaris,& in eundem quo pacto quidam Poëta luſerit. 413.2
Magiſtratus.
Legibus neceſſarij Magiſtratus. 439.1
Reſpubl. ſine Magiſtratu,vulgus ſceleratorum erit. 530.1
Magnanimus, Magnanimitas.
Magnanimus ſupra nimboſas fortunæ calamitates erigit caput. 30.2
Magnanimus diuitias, vmbras reputat. 30.1
Quanta Magnanimitas pauperum ſpiritu. 29.2
Magnitudo.
Magnitudo nimia eſt ſuam intelligere paruitatem. 166.1
Magnes.
Magnes Beneficentiæ. 334.2
Magnetem imitatur amor dum attrahit ferrum & dum auertit. 339.2
Magus.
Magus, de amore. 287
Maieſtas.
Oneroſa Regibus ſua Maieſtas eſt. 409.2
Malefacta.
Interdum de Malefactis velut bonis gloriamur. 506.2
Malitia.
Quale ſit ingenium Malitiæ à Deo prouidè permiſſum. 391.2
Seipſam Malitia ſeuere plectit. ibid.
Mala.
Cur bonis Mala accidant. 376. & ſeqq.
Mala, inuentum peccati. 232
Mala quæ ab opinione. 254
Malorum præmeditatio. 263
Expectatio. ibid.
Formido. 264
Cur Mala ſint,ſi Deus optimus. 357.1
Mali.
Cur à Deo permittantur Mali. 367.2
Deus ſæpè Malos exaudit. 378.2
Etiam Malis expedit Deum eſſe. 345.2
Malacenſis.
Malacenſis arbor. 227
Malleus.
Duro & graui Malleo formantur argentea vaſa. 481.2
Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt. 87.2
Mancipia.
Mancipiorum ſeruitium parum tutum. 220
Manaſſes.
Crimina Manaſſis centum fere poſt annos eius regnum tyranno Babylonico tranſcripſerunt. 380.2
Manſuetudo.
Chriſtus cum Manſuetudinis rete explicaſſet, totam piſcatus eſt terram,quæ ſub cœlo eſt. 46.1
Manſuetudo Rhinocerota mitigat. ibid.
Manſuetudo pacis eſt cuſtos fideliſſima. 93.1
Manſuetudo chryſolithus dicitur. 97.1
Manſuetudo miram vim habet ad alliciendas, & trahendas hominum voluntates. 45.1
Manſuetudinis Symbolum columba. 43.1
Manſuetudo imaginem Dei in nobis ſeruat. ibid.2
Manſuetudini finitima humilitas. 44.2
Manſuetudo, amœnus & tranquillus fons. 42.1
Manus.
Manus valida fortium fames eſt iuſtitiæ. 67.1
Manus, inſtrumentum inſtrumentorum. 209
Organum ante organa,Ariſtot. ibid.
Accepta cœlo victima. 230
Lingua beneuolentiæ. 287
Mara.
Mara interpretatur amaritudo. 12.1

Margarita.

Digitized by Google

Margarita.
Quod ſit exigua non putatur vilis. 504.1
Maria
Quanta eius excellentia. 488.1
In Maria cum reuerentia iuſtitiæ conſultum eſt liberalitati diuinæ & vtilitati noſtræ. 402.2
Maria Magdalena.
Maria Magdalena ſolam Domini abſentiam lachrymarum ſuarum cauſam eſſe teſtatur. 51.1
Cur Angelos noluit admittere conſolatores. 53.2
Maria Magdalena pretioſum vnguentum ſuper Chriſti corpus bis effudit. 59.1
S. Martinus.
Quam munificè compenſatus à Chriſto. 486.2
S. Martini pallij fruſtum coram Angelis oſtentatum. 218
P. Didacus Martinus.
Quantus eius in Deum amor. 484.2
Circumfuſum fere ſemper ſe videbat quadam luce ſplendidiſſima Trinitatis. 551.1
Martyr, Martyres.
Hiſtoria de tribus Martyribus è Soc. Ieſu. 333 & ſeqq.
Non contenti iis quæ facere poterant. 336.2
Vt vnus Martyr lucraretur cœlum perdebant illud multi. 587.1
Mater.
Mater pia minus dat omnibus, vt det omnibus. 202
Maximinus.
Maximinus. 210
Medicamenta.
Medicamenta ſunt Deorum immortalium manus. 358.1
Medicamentum præuertens, & liniens. 262
Animæ facilia & paratiſſima; corporis amariora, & maioris ſumptus. 465.1
Mel.
Mel & fermentum Dominus à ſacrificiis reiicit. 171.2
Apes mella laborant, latentes ſub deformi ſubere. 463.2
Melacoma.
Melacomæ laus. 23
Memnon.
Monachus Memnon miſerè lapſus. 369.2
Memoria.
Dei perpetuo meminiſſe oportet. 547.2
Memoria miſeriæ ac mortis noſtræ omnium præſtantiſſima. 328
Memoria Mithridatis vigintiduarum linguarum tenax. ibid.
Memoria Themiſtoclis, Senecæ, & Cyri. ibid.
Memoriæ vſus, & vtilitas. 265
Mendacium.
Mores hominum Mendacium ſine honore. 460.1
Mendacium, hominum labor. 48.2
Mendacium. 261
Mens.
Mens. 256
Mens & ſenſus componuntur. 293
Mentis inutilitas & curioſitas prohibenda. 265
Mentis intemperantia. ibid.
Mendici.
Mendicorum more accedendum ad Deum in Oratione. 483
Menſura opulentiæ quæ. 313
Mercenarius.
Non eſt conſtans nec fidele obſequium Mercenarij. 546.2
Mercurius.
Mercurius. 318
Meretrices.
Meretricum amor. 319
Merita.
Chriſtus donauit nobis Merita ſua vt illis tanquam propriis vteremur ad placandum Deum. 485.1
Meritum.
Meritum ex ignoratione noſtrâ oritur. 345.2
Metus.
Metus. 268
Quid ſit Metus. 308
Metus temporalium rerum aliquando innocens & ſalutaris. 305
Metus Panicus. 264
Vide *Timor.*
Micipſa Rex.
Regis Micipſæ morientis verba ad filios. 437.1
Midas.
Midas Phrygiæ Rex. 209
Midæ cum voluntate comparatio. ibid.
Miles.
Milites lucis defectione perterriti. 264
Milites.
Suſpicio ſola prælij armat Milites. 519.1
Militaris.
Animus Militaris qualis eſſe debeat. 419.1
Miraculum.
Præclarum quaſi edit Miraculum, qui inimicum diligit. 144.2
Mirogenes.
Mirogenes. 212
Miſer.
Miſer nemo ſiue contentus Miſeria. 217
Miſeria.
Miſeria. 218
Miſeria non fallit. 214
Miſeria neceſſaria felicitate felicior eſt. ibid.
Miſeria Iob. 223
Miſeriæ facillimum remedium cupiditatis mutatio. 214
Miſeriæ quodammodo blandiendum vt repugnet. 225
Erga Miſeros cæleſtis, & perfectiſſima virtus eſt miſericordia. 73.2
Miſericors, Miſericordia.
Miſericors inſignitur propria nota Deitatis. 73.2
Miſericordia virtutes omnes alias ſuperans. 98.2
Miſericordes in iudicio Dei miſericordiam inuenient. 72.2
Miſericordes quo iure Dei miſericordiam conſequentur. 71.1
Miſericordia erga miſeros cæleſtis, & perfectiſſima virtus eſt. 73.2
Miſericordia hominem munit, vt dæmones vincat. 72.1
Miſericordia à corde dicitur. ibid.

Miſericordia ex corde, feſtina eſt, non precibus extorquetur. ibid.
Miſericordia iudicem delinit & iudicium quaſi corrumpit. 71.2
Ad Miſericordiam exhortatio. 75.1
Paternam Dei Miſericordiam imitantur, qui proximorum errata humanæ fragilitati adſcribentes, ea ignoſcunt. 139.1
Miſericordiæ rete nil non pretioſum piſçatur. 74. 2
Miſericordes ipſam ſuam miſericordiam theſaurizantes in cœlo conſequuntur. 74.1
Miſericordiæ principatus quis. 76.1
Miſericordiæ non aſſignatur manſio, ſed cæleſtis domus ædificatur. 74.1
Miſericordia in ferendis perſecutionibus iuuat. 93. 2

Miſericordia.

An Iudicium finale ſpectet etiam ad Miſericordiam Dei. 388.1

Mitis.

Mites & manſueti ſe oſtendunt fortes & glorioſos reges. 40.1
Mites peculiari iure viuentium terram poſſidebunt. 42.2
Quo pacto Mites ſingulariter poſſident terram viuentium, id eſt, Chriſtum maximè in Euchariſtia. 43.2

Mithridates.

Mithridates aſſiduâ ciborum venenatione omne ſibi innocens virus fecit. 129
Mithridatis admiranda memoria. 231

Moab.

Rex Moab filium ſuum primogenitum immolauit. 492.1

Modeſtia.

Regnandi Modeſtia commendatur. 447.1

Mœror.

Mœror rei perditæ, & timor perituræ differunt. 222
Vide *Triſtitia.*

Molpadia.

Molpadiæ & Partheniæ fabula. 304

Momentum.

Nundinæ æternitatis Momentum fit. 538

Momus.

Momi votum. 203

Monachus.

Pauper Monachus, Dominus eſt mundi. 30. 2

S. Monegardis.

Quo pacto filiarum ſuarum mortem proſequuta fuerit. 403.1

Moneta.

Minus probata Moneta admixta inter copiam legitimæ, admittitur. 522.2

Mons.

Ad Montem cum Chriſto non turbæ, ſed ſoli diſcipuli acceſſiſſe dicuntur. 2
Mons in quem non omnes, ſed pauci tantum diſcipuli aſcendunt. ibid.
Mons in quem ſolus Chriſtus aſcendit orare. ibid.
Mons ſignificat maiora præcepta iuſtitiæ. 3. 1
Montes ſunt altæ ſententiæ Scripturæ ſacræ. 3. 1

Monſtrum.

Monſtra ambitionis & auaritiæ qualia ſint. 319

Morbi.

Cur Deus Morbos immittat poſt reſtitutam animæ ſalutem. 358.1

Morbus.

Eximia Morbi definitio ex Piſide. 359.1

Mores.

Hominum Mores mendacium ſine honore. 460. 1

Mores amoris. 283
Morum infelicia tentamenta vitanda. 248
Morum remedium. 278

Mori.

Moriendi libertas. 530

Mors.

Mors. 208
Mors æſtimatione fœdata. 267
Mors amantis pretioſa. 275
Mors cum vitâ comparata. 326
Mors ex quibus abducit, & quo conducit eſt perpendendum. 327
Mors vitæ pretium. ibid.
Mors optimæ vitæ norma. ibid.
Mors in mortalibus regendis eſt præcipuus clauus. 329
Vndique eſt propinqua. 330
Diuinitatis eſt argumentum. ibid.
Mors qualibet tempeſtiua. ibid.
Vnica & ſimplex eſt. ibid.
Mortis & amoris comparatio. 275
Mortis pictor de bello. 301
Mortis cum vitâ comparatio. 323. & 326
Mortis violentæ Maximorum exempla. ibid.
Mortis pretium ex contemptu. ibid.
Mortis gloria. ibid.
Mortis nemo onus impoſuit. 330
Mortem edicendam publica authoritate cenſuit Zaleuces. 327.& 329
Mortis conſideratio. 325.& ſeqq.
Præſtantia. 326
Reuerentia. 328
Bonitas. ibid.
Mortis diuinum inuentum. 328
Facilitas Mortis. ibid.
Mortis cum ſomno comparatio. 331
Mortis anticipata ſolutio. ibid.
Violentia. 332
Mors egregia præſentiſſimæ commendationis opus. 333.1
Mori commune; at eleganter, rarum. 2
Mors cæteris pœna, Martyribus merces. 336.2
De Mortis tolerantia & eius pretio. 539.2
Mors eſt magnum inuentum miſericordiæ Dei. 540
Quantopere amanda ſit. ibid.& ſeqq. fuſè.

Mortuus.

Mortuos deffendi modus. 226
Qui ſemel Mortuus eſt mundo, caueat ne poſtea moriatur Deo. 471.1

Mortales.

Mortalium impudentia. 301

Mortificatio.

De ſtudio Mortificationis continuo. 496.1
Græciæ ſapientes vſque ad contemptum doloris ac Mortis, doctrinæ ſuæ culmen erexerunt. 41
Mors Lazaro pauperis perſonam detraxit. 40.1
Triplex Mortis tormentum. 56.2

Morus.

Morus arborum ſapientiſſima. 24.1

Motus.

Motoïs.
Motoïs. 236
Moyſes.
Moyſes è monte deſcendens decem mandatorum legem Hebraico tradidit populo. 1
Abbas Moyſes.
Pro vno peccato veniali occupatus fuit à Dæmone. 502.2
Moyſes ſua manſuetudine, monſtra, id eſt, duriſſima Hebræorum corda placauit. 46.1
Moyſes in vultu Deitatis teſtimonium portabat ad populum. p.153.2
Moyſes populum idololatria lapſum corrigere volens, vocem citharæ habuit. 173.2
Moyſes monocerotas manſuetudine capiebat. 46.1
Mugitus terræ.
Fertur auditus terræ mugitus vſque ad duodecim leucas. 403.2
Muliebris appetitus.
Mulieres appetunt gypſum, carbones, lutum edulia autem exquiſitè condita faſtidiunt. 493.1
Mulier.
Mulier meruit abſolui, quæ manſit ſola cum Chriſto. 140.2
Mundus.
Mundus hic, ager. 62.1
Mundi bona ſterilia ſunt, paupertas tamen beatitudinem parit. 23.1
Mundi quàm fallax ſit felicitas, & quàm vera pauperum ſpiritu beatitudo. 20.1
Mundi proſperitas eſt inanis & fructu vacua. 23.2
Omnem mundi cibum faſtidit iuſtitiæ fames. 65.1
Mundus, adulterinus & fallax pharmacopola. 21.c.2
Mundus Sphæra centrum Deus, lineæ vero homines. 110.2
Mundus dum tranquillus & pacatus eſt vere mundus eſt. 111.1
Mundi perfectio in quibus conſiſtat. ibid.
Totus Mundus communis eſt pauperibus, vt vbique patriam habeant, cum nullibi habeant niſi in cælo. 29.1
Tota Mundi beatitudo ad ornamentum corporis ſpectat. 21.1
Mundus, pictor peſſimus. 20.1
Mundus beatitudo perſonata. ieid.
Mundus quid. 285
Mundus pro carcere. 211
Cur ſit à Deo conditus Mundus. 351.1
Mundus.
Mundo moritur qui è mundo egreditur. 471. 1.
Deo moritur qui ad mundum regreditur. ibid.
De mundi contemptu & receſſu. 471.& ſeqq.
Aliter eſſe non potuit quàm à Deo. 347.1
Munificentia.
Munificentia Diuina in creatione Mundi, 351
Munus.
Munerum, quæ largitus eſt Abrahàm filiis concubinarum allegoria. 7.2
Murmuratio.
Plus aggrauatur à Deo immiſſum flagellum ſi murmuras, & quereris. 495.1
Muſica.
Muſica. 240
Murus.
Murus, omne vitæ ſpiritualis obſtaculum. 89.2
Mutabilitas.
Mutabilitatis, & immutabilium amor. 222
Myrrha.
Myrrha eſt temperantia à licitis. 95.1

N.

Nationes.
Commerciis ſe communicant Nationes & vnius copia, emendat inopiam alterius. 354.1
Natura.
Sapientes Reges amat Natura. 418.1
Natura. 202
Qualibet natura in charitate fundata eſt. 300
Naturæ ſolicitudo, 202
Naturæ pietas in genus humanum. 203
Naturæ beneficium. ibid.
Natus.
Natus ſeptennio duntaxat omnibus humanitatis officiis functus eſt. 301
Nati & mortui contraria conditio. 326
Natura prima regina, cui pauperes imperant. 31.1
Nauis.
Nauim aliquando excudebant in monetis Romani. 36.1
Negligentia.
Per negligentiam in bene operando ſal Apoſtolicus euaneſcit. 183.2
Omnis negligentia excutienda eſt. 514.1
Nemo.
Nemo aſylum ſui habet. 329
Nero.
Neronis hiſtoria. 314
De Nerone Senecæ dictum. ibid.
Capillos Poppææ numeratos habet Nero; applicatio. 351.2
Nero gladiatorum pugnas interpoſito virenti ſmaragdo ſpectare ſolitus. 55.2
Niniue.
Niniue per luxuriam perit. 317
Nix.
Niuis frigora, odium & perſecutio malorum. 123.2
Nñezu.
Nñezu maleficiis potens. 335.1
Inſidiæ ipſius in P. del Caſtillo. ibid.col.2
Nodus.
Nodus Gordianus eluditur. 278
Noſocomia.
Quo ſenſu Noſocomia carceres Dei dici poſſint. 359.1
Nudus.
Nudus Chriſtus nudos homines quærit. 478.1
Nuditas.
Nuditas amata. 204
Nuditatis elegantia. 291
Numerus.
Numerus octonarius perfectiſſimus. 10.1
Numus.
Numorum probitas in tribus conſiſtit. 162.1

O

Obedientia.

QVantum bonum ſit eſſe ſubditum alteri. 500.1

Obiectum.

Chriſtus eſt Obiectum & voluptas omnium ſenſuum diuinorum. 487.1

Obligatio.

Chriſti Obligatio erga matrem non eſt vt obligationes aliorum filiorum erga parentes. 487.2

Oculus.

Vt ſe habet Oculus erga obiectum ſuum ita Chriſtus erga genus humanum. 486.1

Odium.

Odium amicitiæ pallio amictum perniciosiſſimum. 127.2

Inimicorum odium eſt peccatum grauiſſimum. 122.1

Odium inimici venenum, ac mors orationis. 128.2

Odium. 269

Odium aduerſus malum. 500

Odium Simonis. 299

Odij vſus. 300

Odium ſui.

Satis lucri eſt in odio ſui, Amor Dei. 544.1

Odium peccati.

Qui plus bonus eſt plus odit peccatum. 464.2

Officium.

Amoris Officium eſt vnire amantem & amatum. 551.1

Oliua.

Oliua ſignum eſt miſericordiæ. 71.2

Olla.

Ollæ veſtigium in cinere perturbandum. 127.2

Onager.

Onager myſticè virum iuſtum ſignificat. 3.1

Huius Onagri quænam ſint paſcua. ibid.

Opes.

Opes cur inuentæ. 313

Opinio.

Opinio. 26[illegible]

Multiplicat Opinio mala per ipſa bona. 250

Opinionis illudentis exemplum. 251

Opinionis mala. 254

Remedium Opinionis. ibid.

Opinionis onera præcipuè ſunt alleuianda. 255

Galeni exemplum. ibid.

Opinionis ſalutaris vſus. 258

Eius præcepta topica. 256

Alia contra eandem. 263

Opinionis diſtractio. 260

Quæ bona debeamus Opinioni Diuinitatis. p.340.2

Opus.

Ad Opera bona obligat lux ſapientiæ, atque doctrinæ. 157.1

Non tantum verbo, ſed etiam Operum exemplo Doctores & Paſtores debent lucere. 159.1

Bonorum Operum lux in Dei gloriam deſtinanda eſt. 161.2

Per bona Opera quomodo ſplendere debet vt Sol & Angelus perfectus Doctor. 196.1

Opera noſtra bona pretioſiſſima reddit charitas. 109.1

Virtutis Opera Deum glorificant. 163.1

Opera & mores Præſulum latere non poſſunt. 165.1

Per primogenita bona Opera intelliguntur, & per adipem charitas. 109.1

Quam efficacior ſit doctrina Operum quam verborum. 190.2

Bonorum Operum quis ſplendor. 163.2

Quomodo bonorum Operum exemplum firmamentum ſit, quo doctrina nititur & ſuſtentatur. 192.2

Opera diuina inſcrutabilia. 345.2

Naturalium Operum ſcrutinium mutilum reputauit Salomon. 345.1

Oppreſſio.

Cur bonorum à reprobis Oppreſſionem toleret Deus. 383.2

Opulentia.

Opulentia. 208

Opulentia vera quæ. 221

Opulentia & frugalitas. 313

An ob ſolam Opulentiam Deus neget ſpiritualia bona. 381.1

Opulentiæ norma. 205

Faſtidium. 268

Menſura. 313

Vtilitas. 314

Oratio.

Oratio pro inimicis perfectiſſimum opus eſt charitatis. 129.2

Orationis mors & venenum inimici odium 128.2

Orationis cura quam diligens eſſe debeat. 482.1

Commendatur eius vtilitas, dignitas, & neceſſitas, fusè. 482.& ſeqq.

Origenes.

Cenſuit pœnas damnatorum æternas non fore. 361

Originale peccatum.

Quare eo anima maculatur. 375.1

Otium.

Otium cicadæ. 246

Ouiedus.

Patriarcha Ouiedus. 310

Ouis.

Oues tonſæ ſunt pauperes ſpiritu. 35.2

P.

Pacho.

PAchonis fabula. 204

Michaël Palæologus.

Michaël Palæologus imaginem B. Virginis de Hungaris triumphantem Conſtantinopolim inuexit. 337.1

Pallas.

Pallas ſapientiæ Dea conſeruationi vrbium præſidebat. 170.1

Pallium.

Eliæ Pallium relictum quid notet. 463.1

Pallium S.Martini. 218

Pallium Franciſci Lupij. ibid.

Palma.

Vna Palma ad præſentiam ſolum alterius fructificat. 548.1

Palma ſola magno onere preſſa altior erigitur. 30.2

Palma dum creſcit deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur. 69.1

Panacea

Digitized by Google

Panacea.
Panacea mors Socrati. 325
Panegyris.
Panegyris trium Martyrum è Soc. IESV. 233. & ſeqq.
Panis.
Panis mendacij quis. 5.2
Panis delectatio tranſitoriæ felicitatis, 6.1
quàm ſit auarus, & calculis plenus. ibid.
Panis iuſtorum lacrymæ. ibid.
Panis animæ, iuſtitia. 57.1
Paradiſus.
Paradiſus habet ligna felicia. 5.2
Parens.
Parentes in correctione filiorum ſalis mordacitatem adhibere debent. 179.1. & ſeq.
Patrimonium.
Patrimonium opulentum quod. 210
Patria.
Patriam in cælo habentes pauperes peregrini ſunt in terra. 26.1
Qui locus præcipuè Patria ſit homini. 29.1
Æternæ Patriæ iter diuitiis impeditur, ſed paupertate expeditur. 35.1
Ad cæleſtis patriæ viam conuocandus vniuerſus virtutum chorus. 12.2
Viri Euangelici Iaponum, Chinarum &c. remotiſſimas regiones patriam reputant. 29.1
Paulus.
Paulus Apoſt. typus amoris, paciſque. 210
Paulus ciues Theſſalonicæ ſemper gaudere hortatur. 215
Paulus quanta authoritate legationis munere fungatur. 225.1
Pauo.
Pauo glorioſus. 140
Paupertas, Pauper.
Paupertas ſancta, magna dignitas. 31.1
Sub horrida paupertatis ſpecie latet beatitudo, ſub iucunda proſperitatis larua exitium tegitur. 21.2
Paupertas requiritur potiſſimùm ad virtutum perfectionem. 17.2
Quàm plenè pauperes ſpiritu regnum cælorum poſſideant. 33.2
Paupertas voluntaria ædificat ſalutis turrim & diuitiæ domum perditionis. 36.2
Pauperes ſpiritu ſunt aquilæ. 25.2
Paupertas cælum emit. 24.2
Omnes oportet eam habere paupertatem ſpiritus vt nihil ſuum proprium putent. 49.1
Pauper, cæli municeps. 19.1
Paupertas primum Eccleſiæ fundamentum. 18.2
Paupertas ſpiritus, virtutis organum. ibid.
Eam paupertatem ſpiritûs omnes oportet habere, vt nihil ſuum proprium putent. 39.1
Paupertatis voluntariæ functio amorem mundi à corde repellit. 28.1
Pauperes ſpiritu Reges ſunt. 30.2
Pauperes ſpiritu videntur pertinere ad Angelorum ordinem. 32.2
De ſufficientia & bono paupertatis. 497
Pauperum cura commendatur. 453.1
Nouum concilium inſtituendum pro Pauperibus. 450.2
vſus Paupertatis eximiè commendatur. 355.1
Pauper quis. 222
Pauper & egenus differunt. 315
Pauperis diuitiæ quæ. ibid.
Paupertas. 203
Paupertas nuditatis loco adorata. 204
Paupertas idea diuitiarum. 205
Paupertas læta Aglao. 254
felix Tello. ibid.
affectata Diogeni. ibid.
quæſita Crateli. ibid.
pertinax Demonaci. ibid.
glorioſa Epaminondæ. ibid.
ſtudioſa Horatio. ibid.
iuſta Ariſtidi. ibid.
ſecura cunctis. ibid.
res cæleſtis eſt. 315
diues eſt. ibid.
ſacra eſt. ibid.
Paupertatis remedium. 280
laus. 315.& ſeqq.
dignitas. ibid.& ſeqq.
Pauper ſpiritu tribus coronis donatur à Deo. 32.2
Pauperum hæreditas, flumen. 341
Paupertas eſt, tutum azylum 19.c.2
Pauperes ſpiritu, tonſæ oues. 35.2
Realia ſunt bona mundi, Paupertas tamen beatitudinem parit. 23.1
Pauperum Spiritu quanta magnanimitas. 29.2
Communis eſt Pauperibus totus mundus, vt vbique patriam habeant, nullibi habeant niſi in cælo. 29.1
Pauperes in terra peregrini ſunt patriam in cælo habentes. 26.1
Pauperum ſpiritu quàm vera ſit beatitudo, & quàm mundi felicitas fallax. 20.1
Pauperes voluntarij, temporis gaudia recuſant. 24.1
Non immerito dicuntur pauperes ſpiritu beati, & ſunt etiam in hac vita. 19.1
per Paupertatem deſinunt homines eſſe terreni & fiunt cæleſtes. 25.1
Paupertas facilem regni cælorum præbet aditum, difficilem parant diuitiæ. 34.1
Pauperis voluntarij animus fulget vt aurum. 96.2
per Paupertatem feliciſſimè obtinetur æterna beatitudo. 24.2
Paupertas fluuius ciuitatis Hieruſalem, quo iuſti purificantur. 7.2
Pauperum ſpiritu exilium eſt terra. 28.2
Pax, Pacificus.
Pacis cuſtos fideliſſima, manſuetudo. 93.1
Cum proximo Pacem diligenter ſeruare debet Chriſtianus. 81.1
Pax iudex certaminis qui brauium & palmam non vindictæ, atque odio, ſed amori confert. 135.2
Pax, fœcundum bonorum nomen. 19.2
Pax cum proximo, cuius præmium eſt Dei filiatio, perfectiſſima eſſe debet. 82.1
Pax humana ſimilis torrenti. 84.2
Pax Dei quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. 85.2
Pacem in aliis enixè debent procurare, qui filij Dei eſſe volunt. 83.2
Pax in propriis incommodis quærenda. 81.2
Pace triplici donatur fidelis. 82.1
Pax in inimico inquirenda & perſequenda. 94.1
Pacifici iure optimo filij Dei vocantur. 80.1
Cum Deo diligentiſſimè Pacem ſeruare debet Chriſtianus. 84.2
Interna animi Pax quædam beatitudo eſt. 78.2

Digitized by Google

Paraſitus.
Paraſitus quid. 204
Paratus.
Paratum iuuat eſſe in omnibus. 248
Pardulphus.
Pardulphus quis. 211
Parentes.
Parentum charitas. 278
Natura docet nullam gratiam parentibus pacem reddi poſſe. 533.1
Paris.
Paridis cupiditas. 272
Parricidium.
Parricidij ſupplicium apud Peruſios. 237
Parua.
Paruis rebus ſæpè maxima cedunt. 462.2
Paſſer.
Paſſeris pennæ. 207
Emiſſus à puero cum ſit ligatus ſe liberum putat:de anima dicitur. 463.1
Paſſio.
Decorumne fuit Deum pati & mori. 398.2 & ſeqq.
Chriſti Paſſio quanta fuerit. 491.1
Paſſio paſſione non eluenda. 243
Paſtor.
In Paſtoribus & Doctoribus maximè neceſſaria eſt lux virtutis, & ſanctitatis. 153.1
Paſtor actionibus nomen ſuum probet. 152.2
Paſtores & Doctores ſublimes montes appellantur. 154.2
Paſtor ſpeculator dicitur. 166.1
Paſtor &Doctor duplicem faciem debeat habere. 173.1
Pater.
Pater amorem amor Dei. 282
Patientia.
Totum negotium Chriſtiani eſt mala pati & bona facere. 513.1
De bono Patientiæ. 480.2
Neceſſaria in cunctis eſt Patientia. 499
Maximus promerendi titulus, Patientia eſt. 357.2
Patientia alia erga Deum, alia erga Dæmonem, alia erga homines, alia erga ſe. 229
Rurſus alia aliorum, alia ſui. ibid.
Patientia Iob. 233
Tobiæ. ibid.
Poſſidonij. 235
Solonis. ibid.
Leandri dictum de Patientia. ibid.
Patientiæ inuentor quis. 232
Patientiæ vis. 234
Virtus. 270
Patientiæ duplex beneficium. 236
Patientiæ habitus hominem munit. 86.1
Perfectiſſima Patientia neceſſaria eſt charitati. 114.1
Perfecta Patientia etiam cum gaudio tolerat aduerſa. 94.1
Patientia ſubſtantia eſt quæ à ſubſtando aut ſuſtentando eſt dicta. 114.1
Patientia perſecutionum propter iuſtitiam ſupremus gradus ſcalæ cæleſtis. 96.2
Patientia inermis pugnat. 92.2
Perfecta Patientiæ tolerantia,& cordis riſus quaſi legitimis nuptiis copulantur. 94.1
Patientia in detrimentis exercitatio eſt largiendi & communicandi. 115.1
Pax.
Pacis ſtudium in Principe quantum eſſe debeat. 448.1
De modo acquirendæ Pacis. 471.2
Pax mentis pretioſiſſima. 205
Pax Dei quæ. 214
Pacis,amoriſque idea Paulus Apoſt. 210
Peccatum, Peccare.
Peccaſſe ineluctabilis tyrannis animi. 261
Peccati inuentum quod. 255
Cur Peccatores oneroſi conſolatores ſint. 53.1
Peccatoribus ſupplicium eſt temporalis proſperitas. 95.1
Peccatorum patria, aut chara domus, caro ſeu corpus. 28.2
Peccatores non ſolum lucem non habent, ſed nec oleum vti virgines fatuæ. 150.2
Peccata ſunt quæ occiderunt Chriſtum. 482
Cur Deus tollendo Peccatum non ſuſtulit etiam mala quæ in hac vita Peccatum conſequuntur. 480.2
Cur Deus permittat Peccata. 365.1
Ex magnis Peccatoribus ſæpe fiunt magni ſancti. 514.2
Peccator terra eſt & cibus Diaboli. 171.1
Qui aliena Peccata lugent, mirè conſolabuntur. 50.1
Lugentes Peccata propria conſolationem conſequentur. 49.1
Peccata minima contra proximi charitatem vitanda ſunt. 113.2
Grauiſſimum Peccatum eſt odium inimicorum. 121.1
Per Peccatum, quod viliſſima res ſit, ſic euaneſcit,& infatuatur ſal Eccleſiæ,vt nihilum valeat. 184.2
Pecunia cunctis æquiualet. 205
Pelagius. 239
Pelagus.
Deus, Pelagus bonitatis. 584.2
Perditio.
Perditionis domum diuitiæ ædificant, & paupertas voluntaria ſalutis turrim. 36.2
Peregrinus.
Peregrini multa habent hoſpitia, nullas amicitias. 27.2
In terra Peregrini ſunt pauperes in cœlo patriam habentes. 26.1
Perfectio.
Perfectio mons excelſus, ad quem cerui, id eſt præſtantes virtute viri vocantur. 3.2
Perfectio rerum tribus abſoluitur,quiete, conſeruatione, & vnione. 4.2
Proceſſus beatitudinum eſt via trium dierum ab Ægypto ſæculi in deſertum perefectionis. 10.2
Octo beatitudinum ſeriem ſcala Iacob adumbrat, per quam ad Euangelicam perfectionem oporter ſcandere. 8.2
Perfectio hominis charitas eſt. 104.1
Perfectio,& plenitudo omnium virtutum, charitas. 103.1
Non ſumitur Perfectio à materia ſed à formâ. 550.2
Pericula.
Cur tot animæ pericula Deus permittat. 386.2
Periculum gloriæ. 322
Permiſſio.
Deus cur tot Peccata permittat. 367.2
Perſecutio.

Digitized by Google

Perſecutio.
Perſecutionum patientia propter iuſtitiam ſupremus gradus ſcalæ cæleſtis. 96.2
Peſecutio ad præmium huius vitæ apponitur. 90. 1
Non deeſt Perſecutionem patientibus agilitas, cuius velut dote commendantur. 87. 1
Patientes in perſecutione impaſſibilitatis dote quodammodo donantur. 85.2
Perſecutionem patientes propter iuſtitiam perfecto etiam gaudio beati ſunt. 91.1
Perſecutionem patientes etiam ſubtilitatis bono quodammodo donantur. 88.1
In perſecutione patientes impaſſibilitatis dote quodammodo donantur. 85.2
Patientes perſecutionem etiam bono ſubtilitatis quodammodo donantur. 88.1
Perſeuerantia.
Multi diu ſanctiſſimè vixerunt, tamen damnati tandem ſunt. 369.1
Perſuaſio.
Vt Orator perſuadeat, perſuaſus eſſe debet. 483.1
Perſona.
Perſona animi, de fronte. 226
Pluralitatem perſonarum in Deo videtur optaſſe Ariſtoteles. 348.2
Peruigilium.
Peruigilij peſſimum inſomnium. 232
Punitio.
Quam inſanæ multorum petitiones ſint. 379.1
Petrus Rex Luſitaniæ.
Eximium Regis huius Iuſtitiæ exemplum. 445.2
Petra Mellis.
Quomodo de Petra Mellis ſaturatos Hebræos ſcriptura dicat. 395.2
Phalaris.
Phalaris. 237
Phantaſia.
Phantaſiæ ſtultitia. 284
Pharao.
Pharao pertinax Dei hoſtis eiúſque populi. 134.1
Phariſæi.
Phariſæorum peccata quomodo in terra ſcribi potuerint. 140.1
Phariſæi perſonam volebant occidere feminæ, non peccatum. ibid.
Pharmacopolium.
Pharmacopolium vectile apud quoſdam barbaros Medicos. 250
Phiala.
Phialæ aureæ corda ſanctorum latitudine charitatis patentia. 130.2
Phidias.
Phidias ſtatuarius. 215
Philemon.
Philemon. 329
Philippus.
Philippus. 211
Philopœmenes.
Philopœmenes. 211
Philomena.
Philomena, Dei Iuſtus. 55.1
Philomena à *Philos*, & à *Mene*. ibid.
Philoſophia, Philoſophi.
Vermiculorum quorundam naturam non ſatis cognouerunt Philoſophi. 551.1
Philoſophia. 202
Quid ſit. 326
Philoſophiæ fructus. ibid.
Artificium. ibid.
Philoſophus, de amore. 284
Phœnix.
Phœnix. 275
Phreneticus.
Phrenetici ridendo moriuntur. 47.1
Phylacteria.
Omnia bona rerum Phylacteria ſunt. 467.2
Pictor.
Pictor picturæ ſuæ amator comparatur Deo. 352.1
Pictor mortis, de bello. 501
Pictura.
In Pictura tres partes. 103.1
Quæ in Pictura ſumma ſubtilitas. 21.1
Pignora.
Varia diuinæ prouidentiæ & amoris erga nos Pignora. 353.1
Pila.
Pila Anaxarchi. 208
Pilus.
Pilus ſpiritum Fabij extrudit. 329
Pimenij.
Pimenij ſalutare meritum. 228
Pinus.
Pinus Iſthmiaca Sinarum. 237
Plato.
Plato Deum non ſolitarium fecit. 348.2
Plato ſæuit in ſeruum. 302
Pœmenis.
Pœmenis fabula. 204
Pœna.
Ibi debet eſſe Pœna vbi noxa eſt. 380 2
Pœna decet maximè ſceleſtos. 393.2
Pœna non facit martyrem, ſed cauſa. 92.1
Pœnitentia.
Quomodo Pœnitentiæ & afflictiones corporis iuuent. 476
Pœnitendorum præcautio. 237
Pœnitentia longæua eſt. 320
Politica.
Deus maximè iuuat Politicam. 411.2
Polycrates.
Polycrates. 220
Porphyrius.
Dei liberalitatem ignorauit. 350.2
Poſſidonius.
Poſſidonij patientia. 235
Potentia.
Vbi maior Potentia, ibi minor patientia. 349.2
Potentia, vas clementiæ. 134.2
Potentia Dei id eſt longanimitas. 134.2
Præcautio.
Præcautio pœnitendorum. 237
Præcepta.
Decem Præcepta ſalutaria Regibus à Chriſto data. 424.1
Præcepta topica in vſu opinionis.
Comparatio fortunæ. 258
Contingentia. ibid.
Reſpectus finis. 259
Comparatio temporum. ibid.
Exemplum. ibid.
Ratio prouidentiæ. 260

Digitized by Google

Præcepta alia contra opinionem:
Præmeditari mala. 263
Mala expectare. ibid.
Timenda non confingere. 264
Præcepta Decalogi ſunt viæ latæ, & magiſtritæ. 3. 2
Præcepta non tantam vim habent quam exempla. 192.1
Prædictio.
Prædictio veraciſſima. 302
Prædeſtinatio.
Prædeſtinationis eſt ſignum iuſtorum aduerſitas. 7.2
Prædeſtinati.
Plures ne futuri ſint Prædeſtinati quam reprobi. 363.2
Prælatus.
Prælati & Doctores doctrina, & exemplo ſubditos condire, & conſeruare debent. 180.2
In Prælatis neceſſaria eſt non exigua ſeueritas. 176.1
Paſtores ſeu Prælati ſeueritatem correctionis ſuauitate conſolationis temperare debent. 172.1
Deficere Prælati præcipiendo poſſunt, obedientes non poſſunt. 500.2
Prælatorum exemplum vim maximam habet, tam ad ſalutem, quàm ad ſubditorum perniciem. 190.1
In Prælato & Principe maximè neceſſarius eſt ſal ſapientiæ ac prudentiæ. 169.1
Præmium.
Idoneum mundis corde Præmium eſt Deum videre. 77.1
Præmeditatio.
Præmeditationis vſus. 263.& ſeq.
Prænotio.
Prænotionis vſus. 263
Præuiſio, vide *Pœnitentia*.
Præſentia.
Dei Præſentia vitalis eſt actio gratiæ. 548
Præſul.
Præſulem agere non decet, quòd alter accuſet. 154. 1
Præſulum mores & opera latere non poſſunt. 165.1
Præſumptio.
In diuinis rebus arguenda. 345.1
Pretium.
Pretium amoris. 284
Pretium humanum vnde. 219
Prienenſis.
Prienenſis Philoſophus. 210
Primitiæ vitæ humanæ fletus & lacrymæ. 230
Princeps.
Vt noxius ſit Princeps ſatis eſt diligentem non eſſe. 410.1
Deiformis virtute Princeps, deformis vitio. 421.2
Priuilegium.
Priuilegium laboris quod. 320
Probi & Improbi.
Probi ſæpiſſimè indigent, & ſcelesti locupletantur. 355.1
Procraſtinatio.
Procraſtinatio, modeſta repulſa. 245
Prodigium.
Prodigium quid *Secundum Iſidorum*. 96.1
Proficere.
Aſpera Philoſophia proficiendi eſt. 343
Promiſſio.
Maiora Deus promiſit quàm homines petant. 480.1
Propenſio.
Propenſionibus ſuis omnia creata veſtigium bonitatis Dei amant. 468.1
Proſperitas.
Proſperitatis mundanæ gaudia, falſæ beatitudinis ſpecie veram miſeriam abſcondunt. 5.2
Proſperitas mundanorum continua tanquam ſignum damnationis timenda. 7.2
Proſperitatis temporalis, egregia pictura. 23.2
Sub iucunda Proſperitatis larua exitium tegitur, ſub horrida paupertatis ſpecie latet beatitudo. 21.2
Temporalis Proſperitas peccatoribus ſupplicium eſt. 95.1
Proſperitatis via ad æterna ducit præcipitia. 8.2
Iræ diuinæ poteſtas appellatur. ibid.
Rara affluentibus & votorum potientibus memoria Dei. 355.1
An huius vitæ Proſperitas ſit apud Deum pro crimine. 381.1
S. Proſper.
Quid de bonis operibus dixerit. 520.2
Prouidentia.
Prouidentia. 265
Prouidentiæ ratio. 260
Quomodo Deus in Prouidentia ſua ſit imitandus. 404.1
Et amandus. ibid.2
An ſit in Deo rerum creatarum Prouidentia, 351.2
Prouidentiæ humanæ quantum fidendum ſit. 352.2
Prouidentiam vocabat Æſchylus harmoniam Iouis: Alij Geometriam Dei. 389.2
Proximus.
Qui proximorum errata humanæ fragilitati adſcribentes, ea ignoſcunt, paternam Dei miſericordiam imitantur. 139.1
Amor Proximi.
Qua ratione diligendi ſint proximi. 544.2
Prudentia.
Magna Prudentia eſt nullis decipi actibus. 402. 2
Prudens.
Prudentis character. 265
Pulchritudo.
Pulchritudo eſt alienum bonum. 351.2
Pulchritudo populi Chriſtiani oritur ex concordia charitatis. 111.1
Dei Pulchritudo quanta ſit. 549.2
Punitio.
Delictorum in hac vita Punitio quomodo ſpectet ad diuinam iuſtitiam. 389.1
Pupillus.
Pupilli cum fortuna comparatio. 221
Purgatorium.
Cur iuſtos in Purgatorio detineat Deus. 375.2
Puritas.
Qualiter Puritas corporis iuuet ſpiritum. 495.2
Purpura.
Suo ſanguine tinctam Purpuram, id eſt gratiam ſua

Digitized by Google

ſua paſſione meritam nobis Chriſtus donauit. 485.1
Mulcet homines,tauros offendit. 461.2
Tota animi puritas exterior, eſt ab interiori. 77.2

Putiphar.

Nequitia vxoris Putiphar. 466.1

Pythagoras.

Pythagoras qualis apud diſcipulos erat authoritatis. 124.1

Q.

Quadriga.

QVadriga animæ ad cæleſtem patriam tendentis, ex quatuor Cardinalibus virtutibus. 13.1

Queſtus.

Queſtus amantium. 332

Quies.

Quies. 291
Quies humani duplex. 239
Quies Platonem occidit. 330

Quintus Mutius.

Quinti Mutij factum. 211

S. Didacus Quiſay.

Quid fecerit ne paſſionis Domini obliuiſceretur. 492.1

R.

Radix.

RAdices Malacenſis arboris. 328

Ratio.

Ratio in homine lucerna eſt, ſed per diuinorum ignorantiam extincta. 150.1

Rebecca.

Rebecca interpretatur tolerantia. 94.1

Reductionis.

Reductiones in Braſilia inſtitutæ. 331.2

Refectio.

Vt vires corporis ita & animi quotidie Refectione crebra reparandæ. 531.1

Regia Authoritas.

Diuinitati vnita Authoritas Regia. 408.1

Regnum, Rex, Regina.

Quam Regnum cœlorum plenè poſſideant pauperes ſpiritu. 33.2
Regnum Dei, bona conſcientia. 79.1
Fortes & glorioſos Reges mites & manſueti ſe oſtendunt. 40.1
Reges ſunt pauperes ſpiritu. 30.2
Regina virtutum eſt charitas. 107.2
Quantis incommodis ſubiaceat Regia conditio. 419.1
Chriſtus Regnum nobis & hæreditatem ſuam impetrauit. 485.2
Inſtituuntur Pij Reges è cœlo. 423.2
Etiam iniqui Reges venerabiles. 408.2
Rex debet reuerentiam Regno. 435.2

Chriſtiana Religio.

Reipublicæ vtiliſſima eſt Chriſtiana Religio. 421.1

Reprobi.

Spectet ne ad Dei miſericordiam Reproborum damnatio. 363.2

Refuga.

Refuga de bono terreno. 220

Res Parua.

De ſolertia circa Res exiguas. 503.2

Res.

Res nulla perpetua, rara diuturna. ibid.
Res nobis duplici ex capite mortales. 223
Rerum neceſſitas. 208
Rerum labentium facies circulus dictus ab Elia Cretenſi. 223
Rerum tolerantia & temperantia. 227

Reſpublica.

Reſpublicæ non innouandæ & renouandæ. 438.1
Reipublicæ pulchritudo bonis moribus conſtat. 422.2

Reuerentia.

Filiorum erga parentes quanta. 487.2

Reuilius.

Reuilius vno die Conſul. 220

Rhinoceros.

Rhinoceros Virginis ſinu capitur. 46.1

Riſus.

Riſus Philemonem occidit. 330

Ritus.

Ritus funeralis apud Thebitenſes. 326
Quibus præcipuè ritibus gubernatio Dei geratur. 402.2. & ſeq.

P. Chriſtop. Rodericus.

In ſuis ærumnis & doloribus quid dicere ſolitus eſſet. 481.2

Alphonſus Rodericus.

Labores P. Alphonſi Roderici in Braſilia. 335

Romani.

Romani in monetis aliquando excudebant nauem. 36.1
Romanorum mos erat, quandoque in medias hoſtium acies, propria vexilla proiicere vt milites pro recuperando vexillo acerrimè dimicarent. 108.2

P. Romerus.

P. Romeri animus ad martyrium excipiendum. 340.2

Ros.

Ros capitis Chriſti nocturnam animæ amouet ſiccitatem. 54.2

Rota.

Rota fortunæ. 223

Rubus.

Rubus quem vidit Moyſes Symbolum erat Eccleſiæ. 86.1
Ignis in Rubo, tribulatio in anima iuſti. ibid.

Ruſticitas.

Hominum Ruſticitas, Dei in oratione conſuetudinem abhorrentium. 482.1

Ruſticus.

Ruſtici factum cuiuſdam. 220

S.

Saba.

REgina Saba ad videndum ſemel Salomonem moleſtum iter ſuſcepit. 538.2

Sabbathum.

Sabbathorum in veteri teſtamento dantur quædam diſtinctiones. 116.1

Saccus.

Vſus Sacci in Imperatorum Orientalium inauguratione. 418.2

Sacerdos.
Summus legis veteris Sacerdos in pectorali ſeu rationali pretioſos lapides id eſt Illuminationes geſtabat. 155.2
Quanropere Sacerdotes coli debeant à Principibus. 421.1
Sacra.
Sacra Maiorum. 319
Sacrificium.
Sacrificium Abrahami. 224
Quanta dignitas ſit offerre Sacrificium Chriſti. 524.1
Sacrificium Deo gratiſſimum, inimicorum amor. 145.2
Sæcularis Vita.
Mendacium Sæcularis vitæ. 460.1
Sal.
Sal Chriſtianæ correctionis in obſtinatos magna mordacitate debet vigere. 178.1
Sal Eccleſiæ ſic euaneſcit & infatuatur per peccatum, quod viliſſima res ſit, vt nihilum valeat. 184.2
Sal Apoſtolicus euaneſcit per negligentiam in bene operando. 183.2
Sal ſapientiæ ac prudentiæ maximè neceſſarius eſt in Prælato & Principe. 169.1
Qua ratione ſolidum Sal erunt Doctores & Prædicatores. 182.1
Salis Apoſtolici functio matura, & feſtina eſſe debet. 177.1
Sal Eccleſiæ fideles ad virtutem condit. 170.2
Sal ſapientia eſt. 83.1
Sal ſine pace non virtutis donum. ibid.
Qui Sal terræ ſunt, Dei timore ſolidari, & confirmari debent. 181.1
Salomon.
Dauidis & Berſabee cura vt Salomon institueretur. 428.2
Salomon, animo luſtrauit vniuerſa, & de omnibus à Cedro Libani vſque ad hyſſopum ſapienter diſputauit. 4.2
Salomon abiectam vindictæ turpitudinem bene calluit. 139.1
Salix.
Salicis Florem aqua mixtum ſi quis biberit, omnem in ſe calorem extinguit. 12.2
Salus.
Salutis turrim ædificat voluntaria paupertas, & domum perditionis diuitiæ ſtruunt. 36.2
Salutis iter liberum & expeditum. 314
Vbique qui Deum diligit inuenit occaſionem Salutis. 386.1
Salus publica.
Prima Regis cura Salus publica eſt. 410.2
Salluſtius.
Salluſtius quidam accenſum carbonem nudo impoſuit femori. 231
Samius.
Samius tyrannus. 214
Samſon.
Samſoni prodito ſimilis peccator. 466.2
Samuël.
Samuël Saülem lugens mira conſolatione afficitur. 50.2
Sanctus.
Sanctus non eſt habitator terræ ſed peregrinus. 26.2
Sanctorum cum ſtellis comparatio. 507.1
Sanctorum mentes habent cum Leonibus boues, quando inuectionem correctionis cum ſpiritu manſuetudinis exhibent. 174.2
Sancti lapillis Chriſti comparantur. 54.2
Sapientia, Sapiens.
Etiam in catenis atque ſuppliciis beatus Sapiens. 4.1
Sapientes gentilitatis puteorum foſſoribus comparati. ibid.
Poſt immenſum laborem, non liquidam veritatem, ſed errorum cœnum inuenerunt. ibid.
Quam magnæ Sapientiæ ſit in ſolo Deo conſolationem quærere. 53.1
Sapientia, contemplatio veritatis. 80.2
Rex Sapientia præſtare debet. 427.1
Nucleus Sapientiæ charitas. 344
Mira ars diuinæ Sapientiæ ex diſpendio naturæ compendium gratiæ præparare. 357.2
Sapientis deſidia. 241
Sapientem graues manus habere, Iudæorum legiſlatorum dictum. 225
Sapientiæ laus. 265
Sardenſis.
Sardenſis quidam elapſus à parentibus in ſyluas ſe recipit. 247
Sapphirus.
Sapphirus quibus valeat virtutibus. 99.1
Solus cœli ſpecimen & ſimilitudinem obtinet. ibid.
Hebræo Syroque ermone pulcher dicitur. ibid.
Munditia cordis cum Sapphiro componitur. ibid.
Sardonix.
Sardonicis quæ virtutes. 97.1
Satisfactio.
Nullam bonitati diuinæ ſatisfactionem poſſumus impendere. 531.1
Satyrus.
Dicta Sancti Ambroſij in morte Satyri fratris. 339.1
Scironeus.
Scironeæ Petræ. 237
Scala.
Scala Iacob adumbrat octo beatitudinum ſeriem, per quam oportet ad Euangelicam perfectionem ſcandere. 8.2
Scala Iacob duo nos admonet. 9.1
Scalæ huius aſcenſum multa facilem reddunt. 9.2
Scalæ gradus non omnes ſimul, ſed pedetentim ſuperantur. ibid.
Scala Iacob, virtus. 63.1
Scelera.
Scelera coërceri non poſſunt ſine opinione diuinitatis. 346.1
Scientia.
Scientia & ſapientia mentis ita debet eſſe operatiua vt manus dicatur. 157.2
Scipio.
Scipionis Africani mandatis nunquam milites reclamarunt. 124.1
Scriptura Sacra.
Sublimes Scripturæ ſacræ ſenſus montes vocantur. 3.1
Montes paſcuæ Iuſtorum. ibid.
Sermo cœleſtis hæreditas Dei paratiſſima, vbi Iuſti plantantur. ibid.

Scrutari.

Digitized by Google

Scrutari.
Scrutari diuina an liceat. 344.1
P. Sebaſt. Viera.
Tempore perſequutionis in Iapone quantam Chriſtianorum innocentiam expertus fuerit. 384.1
Semiramis.
Semiramis quæ fœmina. 204
Senſus.
Senſus & mens conferuntur. 271
Procul à Senſus habitat veritas. 463.2
Sentire.
Primum adoleſcentis virtutis auſpicium eſt de Deo benè ſentire. 343
Sephora.
Quid per Sephoram, & Pluam intelligatur. 158.2
Serapion.
Serapion paupertate lætus. 208
Seipſum vendidit. ibid.
Pretium ſeruitutis reſtituit. ibid.
Sermo.
Sermo nullam ſine authore authoritatem habet, authorem non habet ſi exemplo caret. 159.2
Sermones feſtiui, & de rebus temporalibus varij cibi mundanis gratiſſimi. 65.1
Seruus.
Magna gloria eſt Serui ſequi dominum. 492.2
Serui ſeruorum, terrenorum cupidi. 220
Seruitium.
Seruitium mancipiorum parum tutum. ibid.
Seruitus.
Seruitus Ambientium. 321
Seueritas.
Seueritas non exigua neceſſaria eſt in Prælatis. 176.1
Seuerus.
Seuerus Imperator. 217
Eius auguſta Iactatio. 213
Sextus Empir.
Sexti Empirici ſententia circa Atheos. 346.1
Sfortia.
Ludouici Sfortiæ emblema quale, eiuſque vana politica. 412.2
Luctuoſa eius mors. ibid.
Sidera.
Quia Sidera lumen à Sole accipiunt, tanquam nihilum ſunt ante Solem. 468.1
Siculus.
Siculus Tyrannus. 291
Siculi cuiuſdam naufragi hiſtoria. 209
Silentium.
Silentium, diſciplinæ caput. 249
Silentij laus. ibid.
Magna Prudentiæ pars Silentium eſt. 434.1
Silenus.
Iocus Silenorum quis eſſet. 343.1
Simius.
Simij cuiuſdam hiſtoria. 300
Simon Magus.
Damnatus quia Spiritum S. argento acquirere voluit. 520.1
Simulachrum.
Per acerba diuinum Simulachrum diuinis inſculpi mentibus. 387.1
Simplicitas.
Non eſſet Simplicitas ſumma in Deo ſi non eſſet efficacitas ſumma. 550
Simplicitas norma opulentiæ. 205
Sinæ.
Sinarum lex aduerſus Peregrinos. 221
Sinceritas.
Minor animi Regij Sinceritas noxia eſt rebus publicis. 418.2
Sitis.
Sitis duplex. 69.2
Quomodo Sitis bonorum ſpiritualium inſatiabilis ſit. 69.1
Societas.
Elementa Societatis hæc ſunt, egere vnum, opem ferre alium. 354.1
Societatis Ieſu labores in toto orbe. 334.2
Smaragdus.
Smaragdi quæ virtus præcipua. 96.2
Socrates.
Socrates, de fortuna Archelai Perdiccæ filij quid ſenſerit. 5.1
Socrates pauper forum ingreditur. 222
Socrates cur ſapiens. 284
Poculum cicutæ haurit. 291
Sol.
Sol ob impetum curſus, gigas. 121.2
Similis eſt Soli, qui omnes amore complectitur. 121.1
Soli ſacros voluerunt eſſe Coruum & Cygnum Ethnici ſapientes. 150.2
Solis & venti Aquilonis de ſpoliando veſtibus paſtore contentio. 142.1
Sol homicidarum aduerſarius & contra ipſos teſtis. 123.1
Quidquid iaculatur Sol lux eſt. 533.2
Præceps in occaſum Sol, ſe præbet conſtantem. 367.2
Sine Solis præſentia omnia ſunt obſcura. 548.1
Solatium.
Solatium Dei facilè pellit triſtitiam tribulationis. 54.1
Sollicitudo.
Sollicitudo diuina pro Mortalibus. 352.1
Solicitudo.
Nobis Deus tanquam Pater de Filiis ſollicitus eſt. 353.2
Solicitudo. Vide *Diligentia.*
Solon.
Solon. 217
Lacrymans reprehenditur. 226
Somnolentia.
Quam incommoda ſit Somnolentia. 515.1
Ex diurnis actionibus manent in Somniis veſtigia quædam & repetitiones. pag. 484 col. 1
Somnus.
Quam multa mala inuehat Somnus. pag. 516 col. 1
Somnus. 291
Mortis quædam effigies. 331
Somni cum morte comparatio. ibid.
Sophiſta, de amore. 262
Sophocles. 291
Spartæ indumenta & alimenta negabant filiis, & cur? 203
Sonitus.
Ex magno ſonitu iam tranſacto ſemper reſtat tinnitus quidam. 484.1

Michaël Soſa.
Orationis ſtudioſiſſimus, & de ea eius verba. 484.2
Spes.
Spes & timor Dei admirabiles ſunt ſocij. 489.2
Spes. 221.& 270
Spes bona futuri aliquando fallax. 241
Spes & expectatio. 295.& ſeqq.
Nec ſperandum, nec timendum. 221
Spes inſtar lapidis pretioſi. 55.2
Lugentium eſt vnicum ſolatium. 56.1
Participatio quædam eſt cæleſtis beatitudinis. ibid.
Speuſippus.
Speuſippus Philoſophus. 212
Spiritus.
Mali Spiritus ſine vlla virtute non magni faciunt has res materiales. 473.1
Sæpè per tribulationem efficacius quam per Prophetas & ſacras Scripturas ſpirat Spiritus Sanctus. 481.2
Spiritum Sanctum eſſe Deum vnde probet Chryſoſtomus. 5.1
Spiritui Sancto aſſignatur quòd lugentes ſemper gaudeant, ſolâ externâ ſpecie lugent. 7.1
Spiritus Sanctus Paraclitus id eſt conſolator dicitur. 51.1.& 52.1
De Trina S.Spiritus miſſione. 372.1
Stanilaus.
Stanilaus Polonus cuidam vitæ, aut mortis optionem dat. 25
Ratio Status.
Secura & tuta Ratio Status pietas Principum eſt. 417.1
Stella.
Quo remotiores à Sole ſunt, eò minùs lucis habent Stellæ. 506.2
Ei qui videt Solem, Stellarum lux non apparet. 468.1
Stellio.
Stellio manibus reptans excelſos ſcandit parietes. 9.2
Cuius rei ſymbolum. ibid.& 10.1
S.Stephanus.
S.Stephanus & Leonem præſtitit & bouis manſuetudinem arguendo impios, & orando pro iis. 174.2
Stephanus Libys. 212
Stilpo Philoſophus. 210
Stoici.
Mortem vindicarunt Stoici è malorum infamia. 359.2
Stoicorum error de mortalitate animarum. 312
Stratonicus.
Stratonicus, Citharœdus. 229
Stultitia.
Stultitiæ vanitas, vitium in electione meritorum, plus mundum diligere quam cæleſte regnum. 76.1
Suber.
Sub deformi Subere Apes mella laborant. 463.2
Suburbium.
Suburbia cœli, de igne. 242
Suecia.
Regis Sueciæ per B. Brigittam inſtitutio 425
Superbia
Superbia ſeipſam diruit. 392.1
Superbia potentibus vicina eſſe ſolet. 164.1
Surculi.
Si præcidantur arborum ſurculi inferiores earum cacumen ſublimius ſurgit. 480.2
Suſpendium.
Suſpendi poſtulauit à Deo quidam vt facilius ſaluaretur, idque conſecutus eſt. 403.1
Suſtine.
Suſtine, & abſtine, Epicteti dictum. 227
Sylla.
Syllæ carcer. 237
Symbolum.
Symbolum, *Iſtud Heroum*, quid deſignet. 94.2
Sineſius.
Eximia illius de aduerſis ſententia. 377.1

T.

Tabernaculum.
Tabernacula Iudæorum quibus ex lignis facta. 12.2
Tabernaculum Dei, fideles Iuſti. 51.2
Maria Dei Tabernaculum fuit. 493.1
Taciturnitas.
Nimia Taciturnitas retenti in corde odij iudicium eſt. 146.2.& ſeq.
Tactus.
Tactus. 291
Tantalus.
Tantalea auiditas. 297
Tauri.
Diuertuntur Tauri & illuduntur obiecto pallio. 467.2
Taxus.
Taxus arbor præſentis veneni. 95.2
Telum.
Tela amoris, beneficia. 288
Telephus.
Telephus. 204
Temperantia.
Temperantia. 227
Temperantia amoris. 284
Temperantiæ immoderatus vſus. 220
Temporalia.
Odiſſe debemus Temporalia non ſolum pro vita æterna, ſed etiam pro temporali. 472.2
Iacturam Temporalium non moleſte fert ſpiritus. 477.2
Tempus.
Tempus. 163
Temporis computatio. 259
Commodum. ibid.& ſeq.
In hac vita Tempus amittimus dum non patimur. 478.2
Tentatio.
Cur Deus eos permittat Tentari quos ſcit caſuros. 374.2
Quanta ſit Tentationum vtilitas. 478.2
Tepiditas.
In pluribus deterioris conditionis redditur tepidus Religioſus quam ſæcularis. 514.2
Terra.
Terra loco gaudet humillimo. 300
Quo pacto Terram viuentium poſſident ſingulariter mites, id eſt Chriſtum maximè in Euchariſtia. 43.2

Poſſi

Digitized by Google

Poſſident Terram, vitæ lætitiam & longæuitatem mites conſequuti. 42.1
Terram viuentium peculiari iure mites poſſidebunt. 42.2

Thau.

Per litteram *Thau* crux Chriſti intelligitur. 50.2

Themiſtocles.

Themiſtoclis memoria. 328

Thraſyllus.

Thraſylli Æxonci hiſtoria. 254

Theſaurus.

Infinitus noſter Theſaurus Ieſus eſt Crucifixus. 464.2

Thomas de Argentina.

Quid cenſeat circa Deum permittentem peccata. 374.2

Thus.

Thus niſi ignitis prunis imponatur ſurſum non aſcendit. 129.2

Timon.

Timonis odium. 300

Timor.

Timor. 219
Nec timendum, nec ſperandum eſt. ibid.
Timor ſolers, inuentor fugæ. 233
Timor malis inutilis. 304
Ad quid Timor datus. ibid.
Timor Dei. ibid.
Timoris vſus & vtilitas. 304. & ſeqq.
Remedium. 305
Timores, dentes acutiores miſeriæ. 231

Tinea.

Tinea vermis inuidiæ & auaritiæ. 75.2

Tobias.

Tobias idea patientiæ. 233

Tolerantia.

Tolerantia. 227
inuentum innocentiæ. 233
laudatur. 258 & ſeq.
Tolerantiæ vſus. 228
ſepes & vtilitas. 130

Topazius.

Topazius ante Solem poſitus ſupra cæteras omnes gemmas lucet. 98.1
Topazij quæ efficacia. ibid.

Tormentum.

Tormentum mortis triplex. 56.2

Torrens.

Torrenti ſimiles humana pax. 84.2

Tranquillitas.

Tranquillitatis lex. 219

Trebellius.

Vnde exorta fides Trebellij Regis. 388.2

P. Ioannes Trexus.

Sacella B. Virginis ore verrebat. 490.1

Tribulatio.

per Tribulationes & labores aſcendendum eſt ad æternæ beatitudinis requiem. 11.2
Tribulationes beneficij loco à iuſtis habendæ. 12.1
Tribulationum amariſſimæ aquæ redduntur dulciſſimæ, dum crux Chriſti ad memoriam reuocatur. 91.2
Tribulatio hominis hæreditas. 91.1
Tribulationes à Deo immiſſæ ſuſtentationes Dei dicuntur. 87.2
Tribulationis motus pœna. 89.2
per Tribulationem caro ſubtilis fit. 88.2
Non ſunt ſemper in pœnam culparum. 481.1
Verbis ſacris & ſanctorum monitis ſæpe reſiſtimus, Tribulationi fere nunquam. 481.2
Nemo ſurdus eſt & durus tribulationi. ibid.
Dei cathedra eſt & eloquentia Spiritus ſancti. 481.2

Tributa.

Onus Tributorum ſubleuandum. 449.2

Trinitas.

De ſupereſſentiali lumine S. Trinitatis. 550.1
Lux Sanctiſſimæ Trinitatis obſcuritas eſt. ibid.
Lumine naturali probatur à Gaſpard Barzæo. 349.1
Trinitatem imitari debent homines. 350.2
Trinitas vnus eſt Deus non minus propter concordiam, quàm propter eſſentiam.

Triſmegiſtus.

Trinitatem agnouit. 349.2
Incredibilitas Trinitatis myſterij fidem impetrat. 349.2

Trinus.

An rationi congruum ſit Deum eſſe trinum. 348.1

Triſtitia.

Triſtitia iuſtorum non eſt vera triſtitia. 7.1. & 2
Vide *Lacrymæ, Luctus.*
Triſtitia pia ſolatij mater eſt. 562
Triſtitia. 207. & 305. & ſeqq.
aliena, non leue remedium eſt damni proprij. 284
Triſtitiæ laus & vtilitas. 305. & ſeqq. & 284

Trithemius.

Quæſtionem de Diuina prædeſtinatione vocabat immenſæ curioſitatis. 372.2

Triumphus.

maior Triumphus eſt vbi hoſtis fortior. 497.1

Torcular.

Chriſtus quo pacto Torcular ſolus calcauerit. 494.1

Tunica.

Tunica Chriſti ſortita omnium partium ſignificat vnitatem. 113.1

Tuba.

Tubæ cantus gaudium eſt patientis. 91.2

Tygris.

Caſam ingreditur ſine cuiuſquam damno 335.1

Tympanum.

in Tympano ſicca & percuſſa pellis reſonat. 88.2

V.

Valor.

Valor hominis. 219

Vanitas.

Vanitati ſubiecta eſt creatura. 21.1
Quod non eſt iuxta doctrinam Ieſu, Vanitas eſt. 463.2

Veniale.

Venialis peccati cum morbis variis comparationes multæ. 501.2

Venter.

Quomodo Deus charum habebit eum cui Deus Venter eſt. 429.1

Venus.

Venus depilis priſcis Romanis ſacra. 319

Digitized by Google

Verba.
Verba amoris; opera ſunt. 287
Verecundia.
Verecundia, virtutis infantia. 238
Veritas.
Veri languor,& ſegnities. ibid. & ſeqq.
Veritatis laus,& obſeruantia. 26
Veritatis prædicatio oſtenditur cum puritate mentis. 154.1
Ethnici Philoſophi maximos poſt labores,non liquidam veritatem, ſed errorum cœnum inuenerunt. 4.1
Veritatis laus, & obſeruantia. 26
Quanto veritatem odio proſequatur. 154.1
Vnigenitus Dei filius veritas eſt. 461.1
Patientiſſima Veritas Dei tolerat mendacem arrogantiam noſtram. 508.2
facilem Veritatem inuoluit difficilis repugnantiæ vultus. 343
Veritatis ſenſus attingendus. 238
Vermes.
Vermes quomodo ex putrida carne progenerentur ignorant Philoſophi. 345.1
Veſtis.
Veſtis duplex, hyemalis & æſtiualis. 13.1
Omnes domeſtici veſtiti duplicibus. ibid.
Veſuuius.
Veſuuij ignorantia Plinium abſorbuit. 345.1
Vexillum.
Qua ratione Vexillum Chriſtianæ reipublicæ ſit charitas. 108.1
Via.
Chriſtus ſecuram nobis viam monſtrauit & præceſſit ipſe. 493
Via honoris. 323
Via in tres partes diuiſa. 47.2
Via peccatorum lapidibus impedita eſt. 48.1
Viæ innumeræ, quæ diuitiarum amatores ad gehennam trahunt. 37.1
Victoria.
Glorioſam refert Victoriam inimicos amans. 142.1
In Victoria pugnæ memento,in pugna victoriæ. 478.2
Victus.
Nec Victus corporalis, nec oratio prætermitti debet. 484.1
Vigilia.
Vigilia, Vide *Diligentia.*
P. Franciſc. de Villanoua.
Eius de curioſitate præclara ſententia. 520
Vilitas.
De hominis Vilitate. 505.2
Vinum.
Vinum conditum, charitas. 145.2
Vipera.
Vipera venenatam ſobolem in aliorum perniciem concipiens & pariens, in ipſo partu perit. 128.2
Vindicta.
Vindictam, contemnere, & inimicum amare, virtus regia eſt, & nobiliſſima. 138.2
Nobile Vindictæ genus eſt ignoſcere. 138.2
Vindictæ malum. 302
Vindictæ ſumendæ ordo. ibid.
Laudatum genus. ibid.
Vir.
Vir bonus,moleſta ſarcina. 225
Virga.
Virga,diſtrictio quæ conuertit vitia. 172.1
Virginitas.
Chriſtus vndique Virginitate ſtipatur. 496.2
Patrem & matrem habuit Virginem. ibid.
B. Virgo.
Quatuor de cauſis debemus officioſi eſſe in obſequio erga Virginem. 489.1
Virgo.
Virginis gremio ſinit ſe capi Rhinoceros. 46.1
Virgula.
Virgula diuina. 213
Virtus.
Perfecta Virtus per montem ſignificatur, in cuius verticem aſcendendum eſt. 3.1
Virtus ſola præſtat felicitatem. 3.2
Ad Virtutum perfectionem potiſſimè requiritur paupertas. 17.1
Virtutum alæ. 13.2
Virtutes ſunt mentis oculi. 1.2.2
Vniuerſus Virtutum chorus ad cæleſtis patriæ viam conuocandus. ibid.
Virtutis tres gradus. 10.2,& ſeq.
Virtutum comparatio diebus creationis mundi, & charitatis Sabbatho. 115.2
Virtus nihil aliud eſt, quam diligere, quod diligendum eſt. 107.1
Omnes Virtutes neceſſariæ ſunt, vt ſeruent charitatem. ibid.
Diligentiſſimè in Virtutis incrementum eſt incumbendum. 58.1
Virtute verâ ſummum poſſidetur. 5.1
Omnes Virtutes Iuſtus, maximè Doctor & Paſtor comparare debet. 167.1
Quidquid in Virtute amarum eſt, vera Iuſtitiæ fames,ac ſitis facilè deuorat. 63.2
Virtus pretioſa eſt quod rara. 41.2
Virtus antiſtitis perfecta omnem hominem mirificè connectit & ordinat. 166.1
Omnes Virtutes, partes ſeu gradus ſunt viæ. 60.2
Omnium Virtutum perfectiones, charitas continet. 105.1
Virtutes omnes charitas conſtringit in corde, ne pereant. 106.1
Vera Virtus finem neſcit,nec tempore clauditur. 62.2.
Virtutis laude condiri debet culpæ increpatio 175.1
Virtus vna non accipitur mutuò. 239
Virtus Muſicæ ſimilis. 240
res eſt vſualis. ibid.
Virtus quàm fortuna liberalior. 234
Virtus vna patens, reliqua nugæ. 311
Virtus iniuſtè difficilis dicitur. 313
Virtus in quo pretioſa. 320
Virtutis ingenium, poſt nihil habere omnia. 214
Virtutis prædicatio. 244
Virtus vnita maior eſt. 550.2
Vis.
Vis. 244
Viſio.
Religioſi cuiuſdam Viſio circa damnatos. 373.2
Viſus.
Nullus ſenſus magis iucundus quam Viſus. 462.1
Vita.
Vita humana, militia & prælium. 207

Vita

Vita eſt peregrinatio ſine errore termini. 330
Vitæ humanæ primitiæ,fletus & lacrymæ. 230
Vitæ collimatio, de deſiderio. 299
Vitæ & mortis comparatio. 322. & 325
Vitæ conſideratio. 324. & ſeq.
Præſtantia. ibid.
Pretium. 327
Caduca poſſeſſio. 330
Vitam auferre quiuis poteſt , mortem nemo. 330.
Ieſus eſt via,veritas, & Vita. 490
Vita ſpiritus ex conſortio veritatis acerba non eſt. 461.1
Spiritualis Vita non minus pendet à corde quàm corporalis. 519.2
Vita prædicantium & ſonat & ardet. 157.1
Vita ſecura vbi abſque formidine mors expectatur. 19.2
Vitæ lætitiam,ac longæuitatem mites conſequuti,poſſident terram. 42.1
Vita bona ſine doctrina gratiam habet;doctrina ſine vita integritatem non habet. 161.1
Viuere illud eſt non ſibi ſoli viuere. 201

Vitis.

Vites quæ arbores aſcendunt, arbuſta. 60.1

Vltio.

Sumenda in ſeipſum à peccatore. 476
Vltio hominis , eſt venia Dei. 476.2

Vmbra.

Vmbra D.Petri, externos ſanabat, filiam cur non ſanauerit. 359.2

Vnitas.

Vnitas in Trinitate diſtinctè coruſcat. 550.1
Vnitas laudata. 247
In Trinitate Vnitas eſt neceſſaria. 349.27

Vnguentum.

Vnguentum ſacerdotale Symbolum charitatis. 104. 1

Voluntas.

Ad Voluntates hominum trahendas , & alliciendas miram vim habet manſuetudo. 45.1
Voluntas. 207
Optimum condimentum dicitur. 208
Voluntas felix quæ. 214
Voluntas, compendium gaudiorum. 215
Diuinis efformata typis. 216
Facultati adæquanda. 218
Perturbationibus erudenda. 242
Ingenio iuuanda eſt. 249
Voluntatis gloria. 207
Immunitas. 208
Voluntatis,& Midæ comparatio. 209
Voluntatis modus oſtenditur. 242
Voluntatis vſus quis. ibid.
Voluntatis inſtrumenti vſus quis. 264

Voluptas.

Mundanæ Voluptatis gaudia falſæ beatitudinis veram miſeriam abſcondunt. 5.2
Voluptas panis mendacij continens lapillos, qui inter mandendum dentes frangunt. ibid.
Nulla res ita mortem accerſit ſicut Voluptas 6. 2
Voluptatis probra, ex Anaſtaſio Nicæno. ibid.
Non tam ad delicias quam ad Tartarum inuitat. ibid.
Conuiuium Voluptatis apud inferos exhibitum ferculo inſtructum. ibid.
Voluptas venerea meretrix. ibid.
Ad fores inferni domum ſuam habet. ibid.
Qui ſemel Voluptatibus ſeſe mancipauit, difficilè reſipiſcit. ibid.
Voluptas mundana comparatur mulieri ſtultæ & clamoſæ. 6.1
Quare dicatur ſedere in excelſo vrbis loco. ibid. 2
Incautum quemque ad dulce conuiuium inuitat. ibid.
Omnis Voluptas reſecanda. 463.1
Voluptate velut trabali clauo figitur noſtra mens. 377.2
Voluptas. 208
Voluptas in abſtinentia. 280
Voluptas licita, & illicita. 265
Voluptas qualibet occidua. 317
Pretioſa quæ. ibid.
Voluptas cœleſtis ab impetu fluminis demonſtratur. 318
Epicuri circa Voluptatem ſuffragium. ibid.
Voluptas humana. 319
Feratum quæ. ibid.
Corporalis. ibid.
Voluptatis vox æquiuoca. 317
Voluptatis flagitia. ibid.
Cauſa. ibid.
Mala. 318
Morbus. 319
Imago. ibid.
Voluptatis humanæ inſtructio. 319
Poſt Voluptatem , & cum ipſâ dolor eſt. 318
Voluptatum diſſenſus. 308

Votum.

Ex Voto agens omnium eſt beatiſſimus. 217

Vox.

Nulla Vox aut imago notitiam Dei dare poteſt. 549.1
Vox è corpore Martyris interfecti emiſſa. p. 3 col. 1

Vrſus.

Vrſus in pluuioſo cœlo lætatur , in ſereno mœret. 94

Vrugai.

Deſcriptio Prouinciæ Vrugai in Braſilia. 334.2

Vtilitas.

Vtilitas & voluptas idem contubernium non amant. 342

Vulnus.

Vulnus in viſceribus latens incurabile. pag.127 col.2

Vultus.

Vultûs immutatio morbus periculoſiſſimus Hippocrati. 305

X.

Xauerius.

XAuerius. 310. & ſeqq.

Xenocrates.

Xenocrates donum Alexandri recuſat. 30.1

Digitized by Google

Index Rerum,

Xenophon.

Ex corporis fabrica ſupremum Artificem colligit. 347.2

Xerces.

Xerces quid egerit. 292

Z.

Zaleucus.

MOrtem edicendam publica auctoritate cenſuit. 327. & 329

Zelus.

Zelus abſque ſcientia eſt importabilis. pag. 157 col. 1

Zelus adiungendus doctrinæ ſine quo ſcientia & cognitio infirma eſt. 156. 2

Zelus humani amoris, & diuini differunt. 157. 1

Zelum Dei qui habet non poteſt non habere odium ſui. 543. 1

Zeno.

Zeno. 211. & 217

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google